BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
22 — M
25

Digitized by Google

V:E 1606.

REVELATIONES S. BRIGITTAE,

Olim à Card. Turrecremata recognitæ,

Nunc à

CONSALVO DVRANTO A SANCTO ANGELO IN VADO PRESB. ET SACRAE THEOL. PROFESS. NOTIS ILLVSTRATAE.

Locis etiam quamplurimis ex Manuſcriptis Codicibus reſtitutis, ac emendatis.

Cum duplici Indice, altero Textus, altero vero Notarum.

Cum Priuilegio Summi Pontificis.



ROMÆ,

Apud Stephanum Paulinum. MDCVI.

Superiorum Authoritate. Sumptib. Iulij Burchionij.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLVS PAPA V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM sicut accepimus, dilectus Filius Gundisaluus Durantus quædam opera Sanctæ Brigidæ typis cudere intendat, vereaturq;, ne postquam in lucem prodierint, alij ex eius labore lucrum quærant, hæc ipsa opera imprimi faciant in ipsius Gundisalui præiudicium. Nos dicti Gundisalui indemnitati, ne ex impressione huiusmodi nimium dispendium patiatur, prouidere, ipsumq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes; supplicationibus, eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Gundisaluo, vt decennio proximo à primæua dictorum operum, dummodò anteà à Magistro Sacri Palatij approbata sint, impressione computando durante, nemo tàm in Vrbe, quàm in vniuerso Statu nostro Ecclesiastico immediatè, vel mediatè nobis subiecto, opera prædicta sine speciali dicti Gundisalui, aut eius hæredum, & successorum vel ab eo, & eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis sine huiusmodi licentia impressa vendere, aut venalia habere, seu proponere possit, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis vtriusq; sexus Christifidelibus, præsertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium pro vna Cameræ nostræ Apostolicæ, & pro alia eidem Gundisaluo, seù illius hæredibus, & successoribus, aut ab eo, vel eis causam habentibus, ac pro reliqua tertiis partibus Accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applicandis, & eo ipso absq; vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto durante decennio opera prædicta, aut quamlibet eorum partem tàm in magno, quàm in paruo folio, etiam prætextu declarationum, siuè additionum, tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico prædictis sine huiusmodi licentia imprimere, aut ab aliis impressa vendere, aut venalia habere, seu proponere quoquo modo audeant, vel præsumant. Mandantes dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis de Latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prętoribus, & aliis Iustitię Ministris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & Locorum Status nostri Ecclesiastici prędicti, quatenus eidem Gundisaluo, eiusq; hęredibus, & successoribus, seu ab eis causam habentibus huiusmodi in pręmissis efficacis defensionis pręsidio assistentes, quandocunq; ab eodem Gundisaluo, seu aliis prędictis fuerint requisiti, pœnas prędictas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quibusuis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis in contrarium pręmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cęterisq; contrariis quibuscunque. Volumus autem, vt pręsentium transumptis, etiam in dictis operibus impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę ipsis pręsentibus haberetur, si forent exhibitę vel ostensę. Datum Romę apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die vigesimaquarta Iulii Millesimo sexcentesimo sexto. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Scipio Cobellutius.

Digitized by Google

De Reuelat. S. Brigittæ Doctorum quorundam Grauiss. Elogia.

Ex Bulla Canonizationis S. Brigittæ Bonifacij IX. Pont. Max. De Reuelat. eiusdem.

HAec generosa Vidua, per gratiam Sancti Spiritus promeruit multis cogitationes, & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare, visiones, ac Reuelat. varias videre, & audire, ac spiritu prophetico multa prædicere, quorũ nonnulla effectu iam completa fuere, prout hęc, & alia in eius Reuelat. volumine plenissime describuntur.
Idem habet Martinus V. Pont. in confirmatione Bullæ Canonizat eiusdem.

Ludouicus Blosius in Monili spirituali cap. 14. ad fin.

CVm adhuc viueret B. Brigitta Episcopi, Theologiq; insignes examinauerunt eius Reuelat. & post mortem ipsius, Concilium Basiliense deputauit aliquos pietate, doctrinaq; conspicuos, qui rursum illas diligentissime discuterẽt, atq; oẽs constanter affirmauerũt eas processisse a Deo.

Antonius Corduba lib. X. Quæst. q. 44. in 4. probat. sextæ conclusionis. De Reuelat. S. Brigittæ.

REuelat. S. Brigittę iam probatę, ac commendatæ sunt in Costantiensi Concilio, & ab Vrbano VI. & Martino V. & tandem ab Ecclesia modo prædicto susceptæ.

Petrus Canisius de Reuelat. S. Brigittæ lib. 1. de B. Virg. cap. 7.

NEc grauabor ex Brigitta quædam adscribere, quod huic per Sanctæ viduæ multa sunt arcana diuinitus patefacta, & maximorum hominum authoritate, Romanæq; Ecclesiæ calculo ita probata, vt apud catholicos quidem defensione neutiquam egeant.

Michael Medina de ijsdem Reuelat. lib. 2. de recta in Deum fide.

QVæ falsa sunt Astrologiæ sunt, quæ vera Sanctæ Brigittæ sunt, quam prophetico spiritu claruisse Ecclesiasticæ Reipublicæ euentus, quos prædixit apertissime ostendunt.

Nicolaus Sanderus lib. 6. Visibilis Monarchiæ nu. 1046. post relatam S. Brig. Reuelat. de Regno Cypri lib. 7. cap. 19.

QVam (inquit reuelationem vere diuinam extitisse ex eo scimus, quod ita res tunc futuras prædixit, vt eas euenisse nunc videmus, nam S. Brigitta multis annis prius mortua est, quã tota grecorum Respublica pœnitus deleretur, futura vero prædici non possunt, præterquã a Dei spiritu, qui solus futura nouit, velut is, qui & auctor est eorũ, & cui iã nunc præsentia existũt.

Alphonsi Mendozæ Augustiniani in Quodl. quęst. 5.

REuelat. S. Brigittæ Bonifacii IX. & Martini V. & Conciliorum Constantiensis, & Basiliensis calculo approbatæ sunt, easq; omni veritate conspicuas, & sanctitate præclaras repererũt.

Martinus del Rio Societatis Iesu Theologus in lib. Magic. Disquisit. Tom. 2. lib. 4. cap. 1. q. 3. sect. 4.

IN Reuelat. S. Brig. affirmamus nihil reperiri, quod Catholicæ fidei sinceritati palam repugnet vel cum ea consistere nequeat, & paulo post ibidem, alioquin ait Pont. Rom. vt Eugenius III. Hildegardis, Bonifacius vero IX. Brigittæ Reuelat. libros adhibito maturo doctorum, & Cardinalium consilio, atq; examine non permisissent ad Ecclesiæ vtilitatem in vulgus ædi.

Digitized by Google

ODOARDO FARNESIO PRINCIPI, ET S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Conſaluus Durantus Foelicit.

PIETATI, ac religioni tuæ (Princeps Illuſtriſſime) iam pridem debita Brigittæ Sanctiſſimæ fœminæ monumenta prodeunt, iterum tua luce vniuerſo terrarum Orbi illuſtriora, tuoq; nomine chriſtianæ Reipubl. *vniuerſæ commendatiora. Latuere antehac illa in tenebris, licet Summorum Pontificum ſtudio, & auctoritate celeberrima, viſa intra quoſdam, anguſtos illos quidem ſplendoris ſui terminos conſenuiſſe, ſitumque, ac ſqualorem quendam ex hominum obliuione contraxiſſe: quo factum puto, vt magnopere pijs viris de ipſorum perpetuo ſilentio, & (quod eſt acerbius) interitu fuerit extimeſcendum: ſed diuino pene nutu, atq; conſilio dixerim accidiſſe, vt hominum tantiſper ſubducta memoriæ, obliuionis quibuſdam quaſi nebulis occultarentur magis, quam obruerentur, vt in priſtinam lucem te auſpicante reuocata, in antiquas recuperatæ ſuæ dignitatis ſedes gratiora quodammodo tuo ſtudio, tua auctoritate commendanda ſempiternæ poſteritatis memoriæ commigrarent. Hinc ſapientiſſimis Brigittæ Monumentis incredibilis honoris, & laudis acceſſio; hinc tibi argumentum vberrimum ad omnibus tuam erga pietatem, maxime propenſam voluntatem, erga bonas litteras ſtudium ardentiſſimum declarãdum. Condebantur illa quidem tamq; in munitiſſima immortalitatis arce, in eruditiſſima tuæ Bibliothecæ ſinu, vni tibi cognita, cæteris autem obſcura pœnitus, atq; ignota, nec inde nitebantur emergere ad nominis iacturam, quod ſub vna tuæ amplitudinis luce conſequi ſibi videbantur ampliſſimum: ſed ecce tibi non ſine maximo Reipublicæ litterariæ incommodo extinguitur præclariſſimum illud humanarum litterarum lumen Fuluius Vrſinus, inuitor ego, illi nec ingenij magnitudine, nec infinita propemodum, qua pollebat eruditione comparandus; prope piaculum duxiſſem, non parere tam humaniter inuitanti, cũ nihil non a tua plane regia munificentia, ac liberalitate nõ pollicerer. Succedo igitur oneri, minime par oneri, quod, & ſi maximum, benignitatis tamen, ac beneuolentiæ tuæ ſplendor virium mearum occultabat imbecillitati.*

Dum hic illa, non animo vt quondam, ſed oculis ipſis luſtro, manibus pertracto, atq; euoluo, ad quæ non dicam perueniſſe, ſed aſpiraſſe, ſapientiſſimus quiſq; in maximis poneret, Incido in Brigittam, Illuſtrem illam quidem tui ſplendoris patrocinio, ſed quæ nominis quandam, quaſi maturitatem ex vno te videretur adhuc expectare. Quale de illa quorundam iudicium non ignorabam, qui ſi quid diuino Sancti Spiritus afflata impulſu pronunciauerat, perinde ac leuium muliercularũ ſomnia, atq; figmenta exibilandum, & nihili faciendum, acrius quam verius putauerint. Occurrebant ex alia parte Sanctiſſimæ fœminæ res præclaræ geſtæ, in tota vita mores integerrimi, ab ipſo non dicam rationis vſu, ſed vitæ ingreſſu, miri ad pietatem impetus, creberrimæ in tenera illa ætate Cœleſtis ignis ſcintillæ, conſpiciebatur etiam peractus laudabiliter vitæ curſus, certiſſima, eaq; quam plurima ſingularis pietatis indicia, digna illa tantopere chriſtiano viro conſtantia, quæ rebus aduerſis non dicam frangi, vel debilitari, ſed concuti, vel impediri nunquam potuit; defigebam mentis oculos in illius efferueſcentem diuini amoris ignibus animũ, quo in hoc mortalitatis ergaſtulo à ſenſibus euocata, ad ſuperni illius domicilij gaudia ſæpiſſime rapiebatur; creberrimas, eaſq; familiariſſimas cũ Chriſto Ieſu collocutiones, quibus arcana plurima edocta, quæ ſibi nimium ſapientes, Deo autem inſipientes maxime latent, vt plurimum perpendebam. Percurrebam interim ea, quæ ſuæ nobis pietatis reliquerat monumenta. Qualia illa (Deus immortalis) videre mihi videbar, ſpirantem in ipſius Sanctiſsimæ fœminæ animum, vigentem Sancti Spiritus virtutem, & impetũ verborum quaſi quibuſdam integumentis latentem Deum, hominum animos tanquam è ſuis latebris ſuauiſsimis diuini amoris ſtimulis excitantem, & arctiſsimis vinculis implicantem; ſed illud accidebat incõmodi, quod plurima videbantur occurrere, quæ legentis animũ ad ſpeciem, vt non vſquequaq; Theologorũ placitis reſpondentia, morarentur. Placuit ſtudij magis, ac induſtriæ, quam viriũ experimentum facere: aggredior itaq; prouinciã omnino imparem tenuitati meæ, eam tamen, quæ Chriſtianæ pietatis ſtudioſum deceret plurimũ, quæ publicæ vtilitatis, & cõmodi cupidum inuitaret, ac prope impelleret. Quid in ea præſtiterim, aliorũ ſit iudicium; illud certe tacitus non præteribo, quicquid in ea laboris congeſsi, quicquid ſtudij, & induſtriæ contuli, quicquid conatus adhibui, ex vno tuo patrocinio profectum, vt ſub ipſius luce, non ſine ſpe fructus vberrimi, in eam crẽperet immortalis gloriæ maturitatem, quã ſibi tuæ memor amplitudinis rãdiu præſagiuit animus. Prodit igitur nunc tandem Brigitta Sãctiſsima fœmina, ſua ipſa vitæ ſanctimonia probata omnibus, Pontificũ auctoritate celeberrima, ſtudio, & induſtria mea, qualiſcunq; illa ſit, ornatior, tuo (Princeps Illuſtriſsime) patrocinio tutior, ac illuſtrior annis

illa,

illa, mihi crede, ex illa beatiſſima ſede ſempiternæ fœlicitatis luce circumfuſa, pietati tuæ gratulatur, non tam ſibi, cui & hoc inter mortales tenebras degentium non ingratum ſtudium, quam patriæ, cui turbulentiſſimas inter fluctuantis religionis procellas, inter denſiſſimas tot ingruentiũ errorum tenebras, tot inter deſidentium animorum ſcopulos optatiſſimum religioſiſſimi Principis contigit patrocinium, certa iam tranquillitatis ſpes, mira animorum concordia, veritatis luce præfulgente: dominari ſe fœlicius, & tutius in ſuos intelligit, dum è ſuis quaſi ſedibus exturbatam religionem, iactatam tot fluctibus vno tecum conquieuiſſe, obrutam veritatem in vno tuo emerſiſſe ſplendore, bonorum omnium pacem, ad tuos ſinus tanquam ad certum tranquillitatis portum confugiſſe animaduertit; neq; enim ignorat tuo patrocinio confirmatam religionem, eductam è tenebris veritatem, excitatam pacem, & tranquillitatem, in eas, unde pulſa ſunt ſedes reuocãda. Quid nunc ipſe tenuitatis meæ ſatis conſcius, ex vno te non mihi pollicear? Patere (Princeps Illuſtriſſime) hos meos qualeſcũq; labores, ſplendoris tui munitos præſidio ſapientum adire conſpectum; patere, quæ tua ſunt ex liberalitate tua iam pridem orta, ad eam, quæ tui debetur animi magnitudini gloriam emergere: certe, qui ex mea tenuitate nihil timere mihi non poterã, nihil ab ampliſſima tua liberalitate ſperari mihi non potero.

CONSALVI DVRANTI PRESBYTERI AD LECTOREM

PRAEFATIO.

STATVERAM hoc ipso initio (lector humanissime) consilium [illegible] meum aperire, quod me ad hasce reuelationes corrigendas, & notis illustrandas impulerat, sed satis illud tibi puto innotescet, si longa verborum ambage prætermissa, quod offero tibi operis præstantiam, & vtilitatem vel adumbrauero. Illud enim erat, vt si paucorum tereretur manibus, quod hactenus accidit, non id fieret sine magno pietatis dispendio, vel si delitesceret in tenebris, non infimæ notæ virorum iudicio explodendum, & si Deo placet, contemnendum, acciderer, hoc non sine maxima Christianę Reipublicæ iactura. Emergit ergo iterũ maximo futurum omnibus emolumento, quod omnibus delitescens maximum videbitur [illegible] incommodum, vt quod exponit quicquid ad omnem omnium hominum [illegible] [illegible] omnium gratulatione, ac plausu excipiatur gratius, & illustrius. Neq; vero [illegible] vnquam, vt vnius, aut alterius viri docti non dicam fastus, sed acre plus æquo iudicium illud [illegible] [illegible], quod singularis præpotentis Dei benignitas, comprobante [illegible] [illegible] Ecclesiæ consensione, ad omnium commodum, & emolumentum elargita est. Viuent igitur diuina hæc diuini prope ingenij monumenta, atq; ita viuent, vt quæ non initium ab humanarum disciplinarum tenuitate ceperint, sed quæ ab vberrimo diuinæ sapientiæ fonte duxerint ortum, interitum nescitura, [illegible] posteritatem [illegible] [illegible]. Illud tamen m[illegible]uerim, non hic tibi verborum delectum, & ornatum quærendum, oratorum hoc proprium, & rethorum, qui animorum arcem inanium verborum lenocinio afficiũt magis, quam inuadant: diuini Spiritus hic tibi vis, quæ nihil phaleratæ pompam orationis ad speciem, quam ad rem aptiorem faciat, hinc nos in notis illam sermonis simplicitatem, [illegible] non pari fœlicitate, certe non vsquequaque impari studio, ac diligentia [illegible] prætermisimus, ne te hoc etiam lateat, ea omnia, quæ ipso initio huius operis nomine Memorialis effigiari conspiciebantur, neq; idcirco reiecimus omnino, sed quoniam singulorum librorũ complectebantur argumentum, satis duximus, si ea in suas quasi partes distributa, singulis libris præfigeremus; quod vero facit ad ipsum cõtextum, illũ tibi exhibemus si non emendatissimum, certe emendatiorem, ad mille ferè loca, quæ in vulgatis codicibus deprauata habebantur emendauimus, ac restituimus, idque ope duorum M. S. codicum, vnius præsertim emendatissimi, qui in Farnesiana Bibliotheca asseruatur, cui multis ego abhinc annis Illustrissimi Odoardi Farnesij munificentia, ac liberalitate præsum. si quæ autem occurrent loca, quæ nostra, vel lima, vel explicatione indiguerunt, ea numeris quibusdam ad marginem hac nota assignauimus (Var. lect.) quæ etiam ad cuiusque capitis finem reiecimus, vbi eadem habes emendata, & explicata. Sed quoniam vel impressorum incuria, vel eorum vitio, qui nobis hos libros vernacula S. Brigittæ lingua conscriptos in latium transtulerunt factum existimo, vt non pauca, vel obscura, vel pugnantia prima fronte cum Theologorũ placitis irrepserint, nostrum esse duximus corrupta M. S. codicũ ope restituere, & obscura declarare. Illud postremo scias, fuisse nobis in animo præfigere hisce reuelationibus opusculum de diuinis visionibus, & reuelationibus, quod absolutum in opportunius adhuc tempus premimus: in quo illud præter cœtera, quæ ad horum librorum sensum hauriendum facere poterant emolumenti, quod in eo omnes quot quot occurrent voces obscurę, quæ passim in his reuelationibus habentur, ad omnium captum explicantur; sed passi sumus illud adhuc in tenebris consenescere, non ad obliuionẽ, & interitũ, sed quoniam vel morbo diffi-

cilli

ficili impediti non plura audemus, vel quia ſperamus propediem proditurum, & acutius, & illuſtrius. Placuit etiam quędam hic loca adſcribere, quæ omiſſa, neque enim omnia omnes pati videbantur obſcuritatem explicata igitur offerimus.

1 Lib. 1. cap. 10. col. 1. *Ego quæ aſtabam propinquius, &c.*

SErmo fit hoc loco de Chriſto flagellis cęſo, cuius columnæ dicitur Maria cæteris propinquius adſtitiſſe, cogitatione, & mente puto, nō corpore, vt ſomniauit Interpres, neq; putes dum etiā hic legis, quaſi mortuam cecidiſſe Mariam, indignum aliquid perpeſſam, ſed magis fuiſſe doloris gladio tranſuerberatam iuxta Simeonis propheriam, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, lege quæ attulimus lib. 4. reuelat. cap. 70. nota 3.

2 Lib. 1. cap. 10. *Ioannem ſororium meum, &c.*

IOannem Euangeliſtam fuiſſe Chriſti ſororium colligitur ex S. Ignatio Martire, qui Epiſtola 1. ad S. Ioannem ab Echio relata, ſerm. 2. de S. Anna ſic habet. ipſa enim Salome quam diligit, filia Annæ, at Salome Matrem fuiſſe Ioannis fatentur omnes, ſic Chriſoſt. Hieronymus, & Maldonatus, & alii plures, Mater inquiunt Ioannis eſt filia Annæ, cuius etiam filia fuit Sanctiſſima Virgo, ergo luce clarius, Ioannem fuiſſe ſororium Chriſti, qui ex Matris ſorore eſt natus. Idem confirmat Bernard. de lament. Virg. vbi Ioannem Virginis nepotem vocat, probat hoc D. Thomas quodlib. 4. art. 15. arg. 2. quo loco conſanguineum Chriſti vocat Ioannem. Abulenſis cap. 10. in Matt. q. 54. §. 3. & infra ſæpius, & cap. 22. q. 115. §. ad ſecundum, in eadem ſententia eſt Albertus Magnus in cap. 19. Ioan. Vincentius in ſpeculo Hiſtoriali Cornelius Muſſus in Symbol. Concione 13. par. 2. D. Bonauent. cap. 78. medit. Beda præfat. in Ioann. Hiſtoria Scholaſt. cap. 47. & inter recentiores ſequitur Coſterus medit. 25. de Chriſti paſſ. Arias Montanus in lib. de Monumentis humanæ ſalutis Ode 33. Surius eandem ſententiam tuetur. mitto alios ſexcentos, vt gloſ. ad Galat. cap. 1. D. Antoninum p. p. in Hiſt. Lodulphum, Gerſonem, & ſolum Echium addā, qui loco citato habet repugnare Sanctis Patribus, & Eccleſiæ, ipſiq; ſcripturæ, qui negant Ioannem fuiſſe Chriſti conſobrinum, quod vtinam probaſſet, dubitandi enim locum omnem ademiſſet.

3 *Et circa finem eiuſdem capitis* *Appropinquante autem morte, &c.*

DVbitari hic merito poſſet, ſi ea omnia, quæ ibi narrantur acciderant, Chriſtum Ieſum poſt eorum prolationem verborum, in manus tuas etc. non ſtatim obiiſſe, reclamante auctoritate S. Lucæ qui cap. 23. habet eum poſt hæc verba expiraſſe, ſed primo ſcito interpretem Dominicæ paſſionis Hiſtoriam non continuaſſe, ſed quodam quaſi Epilogo, ea quæ ſupra narrauerat concluſiſſe, ac iis verbis dupplicem innuere voluit affectum, vocis vnum, cum refert Dominum clamaſſe, Pater in manus &c. corporis alterum ob iminentem mortem dum dicit, os eius apertum, linguam conſperſam ſanguine &c. Adde 2. poſt ea verba in manus, aliqualem interceſſiſſe morulam, iuxta ea, quæ ſcribit Ioan. cap. 19. & inclinato capite. capitis videlicet inclinationem. Adde 3. cum Euthimio cap. 67. in Matt. 27. textum grecum habere commendabo ſpiritum meum, rationem ipſe ſubdit, quia videlicet Chriſtus non ſtatim expirauit, nunquid eſt contra ea, quæ habet S. Lucas, dum enim refert hæc dicens expirauit, ſignificat non magnum temporis ſpatium, aliquod tamen interceſſiſſe.

4 Lib. 1. cap. 27. *Tradito autem ſpiritu, caput inclinabatur ad pectus, &c.*

NOn hic ſermo de ea capitis inclinatione, quæ mortem præceſſit Ioan. 19. Sed de ea, quę mortem conſequuta eſt, ſicut enim cętera membra, vt hic etiam conſtat, deorſum tendebant, ſic de capite affirmandum, niſi dicere velis allucinatum interpretem, & vertere debuiſſe, antequā traderet ſpiritum, lib. tamen ſeptimo cap. 15. ad finem, vbi etiam de Chriſti Domini paſſione agitur optime vertit, & inclinato capite tradidit ſpiritum.

5 Eodem lib. cap. 34. *Ego etiam habeo duas aures, &c.*

MEntitur hic Dęmon cū ait ſibi notas eſſe internas quaslibet cogitationes, eas enim tantummodo aſſequitur, quę externo aliquo ſigno ſibi innoteſcunt, immo coram Deo mentitur, nec mirū, idē auſus cum in B. Iob exarſit, innuens illis verbis, nunquid Iob fruſtra Deū timet &c. B. Iob Dei ſe famulatui mancipaſſe fluxarum opum cupiditate illectus, ita origines lib. 2. in Iob. Gloſſ. Lyranus Didacus ſtella, & alij in cap. citatum Iob.

6 Lib. 1. cap. 39. Lapſus hic interpres, qui putauit fidem, & ſpem in Chriſto fuiſſe, vt habitus ſunt Theologici, vt enim ibi in Notis probauimus repugnant hi habitus, vt ſic Chriſto,

qui

qui licet fuerit viator, Beatus etiam erat, quare non ſumitur hic fides pro habitu Theologico, ſed pro veracitate, & fidelitate ſic Matt. 27. *Magiſter ſcimus, quia verax es*, & ita explicari debet locus ille Iſaiæ fides erit cinctorium renum eius.

7 Lib. 1. cap. 41. *Sed de te ò Iudæa.*

HIc textus exponendus eſt iuxta ea, quæ docet Caetanus 2. 2. q. 3. art. 2. §. ad hoc, vbi ait, aliud eſſe occultare propriam fidem, aliud alienam profiteri, quod non licet, occultare autem poteſt eſſe bene, vel male: bene quando homo non tenetur, male quando tenetur, vnde ait S. Sebaſtianum aliquando fuiſſe chriſtianum occultum: ex quo infert, tunc eſſe illicitam huiuſmodi occultationem, quando aufert honorem Deo debitum, vel vtilitatem proximo impendendam, chriſtianus ergo non tenetur ad ſuæ fidei manifeſtationem, niſi pro loco, & tempore. *H*oc ipſum egregie exponit Auguſtinus Epiſtola 200. ad Aſelicum in illud *P*auli Rom. 2. non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, ſed qui in abſcondito &c. vbi cauſam affert, quare chriſtiani aliquando occulti appellentur, quando videlicet eorum laus, non ex hominibus, ſed ex Deo eſt: idem innuit *G*loſſ. & Lyranus in citatum locum *P*auli, qui quod in occulto Brigitta dixit, in abſcondito Paulus ſcripſit, & ſenſus eſt, non qui in manifeſto, & exterius Iudæus eſt, hic vere Iudæus, ſed qui in abſcondito, hoc eſt in intimo cordis, ſeu vere ex corde, non ficte, & ſimulate; Idem ergo ſenſus eſt illorum verborum, excipio eos Iudæos, qui in occulto ſunt chriſtiani, eos nimirum, qui mihi ſincera fide ſeruiunt, & opere perfecto in occulto, vocat autem hos occultos Chriſtianos Iudæos, qui ſic Deo ſeruientes, non tales carnis, ſed cordis circuncisione, non littera, ſed ſpiritu ſunt, ſic Aug. Gloſſ. Lyranus loco citato. Adde ad horum confirmationem, quod refert Beda in retract. ex li. 1. recognit. Clementis, & meminit Cardinalis Baronius *T*om. primo Ann. Anno Chriſti 34. *G*amalielem fuiſſe Chriſtianum, ſed conſilio Apoſtolorum ſic occultum permanſiſſe inter ſeniores, vt ea ratione melius conſulere poſſet *E*ccleſiæ.

8 Lib. 1. cap. 53. *Tu es cum deitate, & humanitate, & Spiritu ſancto vnus Deus.*

SEnſus eſt, tu in deitate, & humanitate ſubſiſtens, es cum *D*eo *P*atre, & *S*piritu Sancto vnus Deus.

9 Lib. 3. cap. 13. *Quando Pater miſit Filium ſuum cum Deitate, & Spiritu ſancto.*

LOcus corruptus eſt; & arbitror, ſublato (ly) cum Deitate legendum eſſe, Pater miſit Filium ſuum ſuperueniente Spiritu ſancto, ſecundum illud. Lucæ primo, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.

10 Lib. 2. cap. 13. *Deitas miſit Mariæ Verbum ſuum.*

CVm ſæpe hæc dicendi formula in his Reuelationum Cœleſt. libris inueniatur, dicito, vel locũ eſſe corruptum, & legendum *D*eus miſit, vt alibi legitur, vel interpretem, non ad *T*heologicam normam omnia vertiſſe.

Et paulo poſt eodem cap. 161. *Ego ſui cum Patre, & Spiritu Sancto in ventre Virg.*

EX his ne colligas, Patrem, & Spiritum Sanctum fuiſſe incarnatos, ſed quod incarnatio fuerit efficienter a Patre, & Spiritu ſancto, operationes enim ad extra ſunt communes toti Trinitati, quomodo autem Pater, & Spiritus ſanctus fuerint in ventre Virg. tradidimus lib. 1. cap. 42. nota 3. vbi concluſimus, id intelligendum ratione eſſentiæ, ratione circumſeſſionis, aliiſque modis, quos tradunt Scholaſtici ibi a nobis citati.

11 Lib. 3. cap. 13. *Cor ſcindebatur a cuſpide lanceæ, & ſic cum maximo dolore vicit, &c.*

NOn deducendum ex his, quod Chriſtus ex lanceæ ictu dolorem aliquem ſenſerit, cum ipſe poſt mortem a Longino lancea fuerit percuſſus, agitur enim ibi de dolore, quem in flagellatione ad columnam, ac in ipſa crucifixione, cęteriſq; dum viueret percepit, quod ex antecedentibus conſtat, ibi, dorſum erat liuidum, & ſanguinolentum, Pedes perforati clauis.

12 Lib. 4. cap. 32. ad finem. *Dixit Chriſtus B. Brigittæ. Ego ſum Trinus, & Vnus.*

HIc locus ſic reſtituendus eſt. Cum Deus ſit Trinus, & Vnus, & hæc lectio ex verbis antecedentibus aperte probatur. *D*uo enim hic Chriſtus de Deo dicit, primo, quod eſt trinus in perſonis, ſecundo quod vnum in ſubſtantia, ſic etiam legitur li. 1. Reuelat. cap. 26. Ego ſum vnus *D*eus, trinus in Perſonis, & vnum in ſubſtantia, corrigendum, *E*go ſum *D*eus, qui eſt Trinus in perſonis, & vnum in ſubſtantia.

13 Lib. 3.

13 Lib. 3. cap. 8. *Qui vtrumque Deus, & homo est ex se.*

HAec, quæ hoc loco scripta sunt, non indicant, filium in diuinis a Patre non procedere, sed quod Christus Deus sit essentialiter, & substantialiter, sibiq; humanitatem vniuerit non per modum accidentis.

14 Lib. 4. cap. 16. *Huic quidem valent pennæ, idest indulgentiæ ad reiectionem, hoc est ad obtinendam contritionem.*

SCito lector, non agi hic de Indulgentijs, sed de his, quæ ad indulgentias consequendas iniunguntur, vt ex textu colligitur, & hæc sunt ieiunium, eleemosyna, & alia huiusmodi, quæ ad obtinendam contritionem proficua sunt.

15 Lib. 4. cap. 134. *Recessisti cum Deitate, & humanitate tua.*

IN præsenti loco sermo fit de his, qui indigne ad Sacrosanctum Altaris Sacramentum suscipiendum accedunt, & ibi præcipue Sacerdotes malos Christus redarguit, a quibus dicit recessisse cum deitate, & humanitate, quod intelligendum, non quod malus Sacerdos cum indigne celebrat, & sumit Sacramentum, desinat Christus esse sub Sacramentalibus speciebus, & vere non conficiat, sed quod ab ipso recedat per gratiam, quatenus indigno effectum Sacramentalem denegat, qui est spiritualis refectio &c. & dicitur hic desinere, & recedere cum humanitate, & diuinitate, quia cum neutro Christus ad Sacramentalem effectum indigno conferendum concurrit, vt fusè probauimus lib. 1. cap. 47. nota 5.

Digitized by Google

APPROBATIO

NOtas Reuerendi Domini Consalui Duranti Sacræ Theologiæ Doctoris, in octo Sanctæ Brigittæ Reuelationum libros, de mandato Reuerendissimi. P. F. Ioannis Mariæ Brasichellen. Sacri Palatij Apostolici Magistri, legi, ac perlegi; quas vt puriori, ac simpliciori stylo, ita eruditiori, ac subtiliori doctrina maximo ingenij acumine dictatas, luce dignas censeo: vtpote quæ non parum lucis obtenebrato iam diu, & lubrico textui adhibeant, immittant, perferant, verba corrigant, nihilque aduersus Catholicam fidem, immo cuncta Sanctorum Patrum, ac Summorum Theologorum dictis consentanea edictent. Septimo nonas Decembris 1605.

D. Vincentius Riccardus Clericus Regularis
Sacræ Theologiæ Doct.

Imprimatur si placet Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij.

B. GYPSIVS VICESGER.

Imprimatur.

Frater Paulus de Francis de Neap. Magister, & socius Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatii.

Digitized by Google

EPISTOLA

DOMINI IOANNIS

CARDINALIS DE TVRRECREMATA AD OMNES CHRISTI FIDELES.

INCIPIT.

IOANNES miseratione diuina Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim quondam S. Sixti presbyter Cardinalis, omnibus, & singulis Christifidem profitentibus. Salutem in Domino, qui omnium est vera salus, & vita. Rogati deuota cum instantia, per venerabiles, & religiosos fratres. Magnum vnionis artium magistrum, Sacræ Theologiæ baccalarium, & monasterij Sanctarum Mariæ Virginis, & Brigittæ de Vuatzsteno Ord. S. Augustini Sancti Saluatoris nuncupati diocesis Lincopensis in Regno Suetiæ generalem confessorem. Et Olauum Petri monasterij prædicti fratrem conuentualem pro parte monasterij, & ordinis prædictorum, vt veritati testimonium perhiberemus quatenus infrascriptas expositiones, & declarationes super nonnullis articulis de libris reuelationum B. Brigittæ sumptis, & extractis, quorum aliquos nonnulli tanquam erroneos in Basilien. concilio improbare nitebantur fuisse a nobis editas attestari dignaremur. Quoniam igitur, vt inquit Augustinus, vterque reus est, & qui veritatẽ occultat, & qui mendacium dicit, quia ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. Rationabilibus præfatorum patrum votis, annuentes dicimus, & attestamur per presentes, quod antequam ad Cardinalatus dignitatem promoueremur, existẽtes adhuc in Basilien. concilio. Videlicet Anno Domini Incarnationis 1435. Sacri Palatij Apostolici magister. Et vnus ex Sacræ Theologiæ professoribus per ipsum concilium deputatus, ad examen præfatorum articulorum, scilicet & an in libris reuelationum præfatæ D. Sanctæ Brigittæ, vt per plures emulos assirmabatur aliquid contra scripturam sacram, & sanctorum doctorũ doctrinam, vel bonos mores contineretur, aliqua vt ex parte offenderet, zelo veritatis, & honore S. Brigittæ intenti de omnipotentis Dei confisi clementia, omnes prædictarum reuelationum libros studiose, & diligenter perlegimus, & iuxta nobis desuper datam gratiam, & sensus nostri paruitatem, & temporis breuitatem, expositiones & declarationes aliquas super aliquibus præfatis articulis protestationibus solitis tamen præsuppositis, prout infra sequuntur edidimus prẽmittentes aliqua, quibus diuinæ reuelationes discerni possunt a dẽmonũ deceptionibus. In quorum omnium fidem scripturam sequentem propria manu, & nostro magno sigillo duximus roborandã.

VEnerabilibus patribus, & religiosis viris fratribus Ordinis Sancti Saluatoris Geruino Petri, confessori generali monasterij Vuatzstenen. in regno Suetiæ, & Achoni Ioannis præfati monasterij fratri conuentuali, frater Ioannes de Turrecremata, Sacræ Theologiæ professor, Sacri Apostolici Palatij magister, salutem, & institutricis vestræ B. Brigittæ Sanctæ religionis sequi vestigia. Elapsis quidem diebus, quibus quorundam articulorum reuelationum S. Brigittæ matris vestræ, & institutricis vestri ordinis coram iudice fidei, & deputatis quibusdam magistris, & doctoribus examinabatur materia, placuit charitati vestræ me multiplicatis precibus exhortari, vt vigilanti cura, & accurato studio intendere vellem inter alios reuerendos magistros, qui pari studio eidem operi intenti erant ad videndum, scilicet & examinandũ, an præfati articuli, sicut per nonnullos emulos vestros, vt dicebatis asserebatur aliquid contra Sacram scripturam, aut sancto-

rum doctorum doctrinam, aut quod bonos mores offenderet continerent. Et ecce charissimi patres quanquã res ista exigeret, & longum tẽpus, & virum, qui inuestigationis acumine pespicacior inueniendi arte peritior, atq; sapientię copia locupletior esset, vestra tamen affectuosa pręcamina vestris molestijs ex corde cõpatiens, & deuote suscipiens de omnipotentis Dei, qui a sapiẽtibus sapiẽtiæ suæ profunda abscõdere, & paruulis ea reuelare dignatur assistentia virtutis confisus, & nõ mediocriter de pio patrocinio B. Brigittæ cuius res agitur, & pro cuius honore hic labor assumitur confortatus animum placuit accommodare studio, & videre iuxta crediti mihi desuper ĩgenij vires an præfati articuli nobis pręsentati possent sustineri fidei catholicę veritate salua, & absq; doctrinæ sanctorum doctorum iniuria; quid autem mihi visum fuerit subsequẽtibus iuxta meos sensus tenue capacitatem, & celeriter vt vos ipsi scitis annotaui. Protestor tamen in omnibus hic dictis sicut semper in cunctis actibus, & scriptis meis instar boni catholici, feci quod non est intentionis meæ aliquid dicere, imo intendo non dicere, aut asserere, aut pertinaciter defendere, quod sit contra sacram scripturam, aut determinationem vniuersalis Ecclesię, aut sit contra doctrinam sanctorum doctorum approbatam, aut etiam piarum aurium esset offensiuum, omnia quæ scripsi submittens correctioni, & iudicio huius sanctæ, & vniuersalis synodi Basiliensis.

INCIPIT PROLOGVS DOMINI IOANNIS Cardinalis de Turre cremata in defensorium eiusdem super reuelationes cælestes Sanctæ Brigittæ de Vuatzsteno.

Ixerunt Iudith Ozias, & presbyteri, omnia quæ loquuta es vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio; nunc ergo ora pro nobis, quoniam tu mulier sancta es, & timens Deum, Iudith cap. 8. Ista quippe verba quę secundum sensum literalem dicta leguntur ab Ozia Principe, & presbyteris populi Israel, illi sanctę, & famosissimę viduę Iudith in commendationem virtutis, & sanctitatis eius, & in testimoniũ veritatis sermonũ, quos diuini luminis gratia illustrata, & inspirata loquuta fuisse creditur, possunt conuenientissime secundum allegoricam intelligentiam adaptari gloriosæ, ac famosissimę nobili viduę S. Brigittę de Regno Suetię ex parte Principis Ecclesię videlicet Summi Pontificis, & Dominorum Pręlatorum, ac aliorum virorum Ecclesiasticorum scientia, & auctoritate insignium, qui articulos eius examinantes, & omnibus pio studio decursis, & intellectis nihil quod sacrę scripturę aduersum, aut bonis moribus sic inueniẽtes, testimonium dantes veritati dicere intelligantur verba proposita, scilicet. Omnia quę loquuta es vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam tu mulier sancta es, & timens Deum. In quibus quidem verbis quinq; notantur, per quæ arguitur, & ostenditur verisimiliter, quod reuelationes librorum B. Brigittæ a spiritu diuino emanauerunt, & processerunt, per quæ tanquam per signa cognosci, & discerni solitæ sunt reuelationes, quæ a spiritu veritatis inspirantur, & diuino superinfundũtur lumine. A reuelationibus, quæ a spiritu mendacij, & diabolica illusione administrantur, & suggeruntur. Quæ sequendo ordinem partium thematis sunt ista. Primum signum est, quando iudicio magnorum virorum, & expertorum approbatur. Secundum sumitur ex parte effectus, qui ex reuelationem animo eius personæ cui fit relinquitur, quando scilicet in ea deuotionis, & humilitatis præcipue, & gloriæ Dei ex huiusmodi reuelationibus profectus augetur. Tertium est ex parte materiæ, quando in omnibus dictis eius reperitur veritas. Quartum ex parte formæ est conformitas ad Sacram scripturam. Quintum ex parte personæ est approbata sanctitas. Primum horum secundum approbantium grauitas auctoritatis notatur ibi. Dixerunt Ozias, & presbyteri. Secundum scilicet effectus reuelationis qui est profunditas humilitatis ibi. Iudith quæ interpretatur confitens, & glorificans Deum. Tertium scilicet materiæ sinceritas veritatis ibi. Omnia quæ loquuta es vera sunt. Quartum ex parte formæ, scilicet gratitudo conformitatis, ibi.

Non

Non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Quintum, quod ex parte circumstantiarum personæ est euidentia sanctitatis, ibi. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam tu mulier sancta es, & timens Deum. Et quoniam ex istis sumenda sunt argumenta præcipua & testimonia veritatis, quibus libri reuelationum S. Brigittæ sint diuino spiritu inspirati. De singulis istis per singula capitulum dignum iudicaui esse protendendū sermonem. Iuxta ergo quinque signa, quibus discernuntur reuelationes diuinæ a diabolicis quinque erunt capitula, ex quibus quinque formabuntur rationes, ostendentes verisimiliter reuelationes contentas in libris Beatæ Brigittæ a diuino spiritu veraciter emanasse.

PRimum capitulum in quo ponitur primum signum, & primum argumentum discernendi reuelationes diuinas a diabolicis deceptionibus inter alia signa, quæ doctores Sancti, & Sacræ Theologiæ professores dedere ad cognoscendum verisimiliter, quæ reuelationes dicendæ sint spiritus boni, & quæ ab illusione spiritus mali processerunt, ex hoc iuxta ordinem partium thematis primum nomino, videlicet quando graues, & experti sapientes spirituales viri ita iudicant. Sane si eorum iudicio approbantur tales, signum est, quod tales verisimiliter a Deo inspiratæ sint, licet ab insipientibus, & carnalibus hominibus, qui non nisi carnalia sapiunt, aliter iudicentur cum dicat Apost. 1. Cor. 2. Animalis homo nō percipit ea, quę sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur, spiritualis autem iudicat omnia. *Glosa*, idest, intelligit, & discernit. Et Bern. loquens de signo isto ait, *Ea cogitatio, quę pudica videtur, nec ad vitia trahit aperte, tunc diuinum à Deo noueris esse si pacifica sit, si prælati tui, ac spiritualium fratrum tuorum approbetur iudicio.* Hac ratione Paulus mittitur ad Ananiam, sic Cornelius dirigitur per Petrum, sic Eunuchus instruitur per Philippum. Hac insuper ex causa in libro collationum sanctorum patrum approbationem, & iudicium spiritualium virorum edocemur requirere. Vnde Abbas Moyses ita de hoc loquitur. Nullatenus enim inquit decipi quisquam potest, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorantiæ eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes cordę nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum, vel reprobat, vel admittit, illico namque vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam iudicium discretionis proferatur serpens teterrimus velut a tenebroso subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Hæc ille *Moyses*, Circa quod signum notandum, quod præcipuum veritatis reuelationis hoc esse dicitur, quādo non tantum grauissimorum patrum intelligentia, & experientia magnorum, sed etiam summi Pontificis iudicio approbantur. dicit enim *Hier.* & ponitur. 24. q. 1. Hæc est fides Papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, in qua si minus perite, aut parum apte aliquid positum est emendari cupimus a te, qui Petri, & sedem tenes, & fidem, si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobetur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, aut maleuolum, vel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit. Ex quo signo efficacissimum videtur accipi argumētum, quod reuelationes Beatæ *Brigittæ* a Dei spiritu sint inspiratæ cum magnorum virorum, & etiam Summi Pontificis iudicio approbatæ videantur. Pro quo notandum quod reuelationes istę duplici tempore inueniuntur examinatæ, viuente scilicet ipsa Beata Brigitta, secundo post mortem eius. In vita quidem, nam cum ipsa leuis non esset ad cito credendum reuelationibus, cū primo huiusmodi reuelationes inciperet habere, & vidisset nubem lucidam, audissetq; vocem quasi hominis dicentem. *Mulier audi me* ipsa timens illudi ab Angelo sathanæ, mox confessorem adijt quendam deuotissimum, & approbatissimæ vitæ virum magistrum Matthiam de Suetia Sacræ Theologiæ professorem egregium, qui super totam bibliam scripsit. Hic in talibus non ignarus ei ieiunia, & orationes indixit, & alia exercitia spiritualia, & confessione eius audita, eam Sacramento Corporis Christi communicauit. Dumq; talibus insistens similem iterum visionem haberet, ipsa denuo de consilio dicti magistri orationes, & alia bona adauxit. Et tunc tertio similiter vidit nubem, & in nube similitudinem Christi filij Dei. Et audiuit vocem. *Mulier audi me, Ego sum Deus tuus, qui tecum loqui volo, noli timere. Ego sum omnium conditor non deceptor. Non loquor tecum propter te solam, sed propter salutem aliorum.* Dum autem reuelationes huiusmodi multiplicarentur, ipsa non cōtenta, reuelationes ipsas multis spiritualibus alijs viris in omni sciētia peritissimis, & pręcipue iuxta man-

datū Domini. Deuter. 17. præcipientis ambigua iudicia referri ad Sacerdotes Prælatis Ecclesiæ maioribus reuelare curauit: vnde D. Archiepiscopo Vspalen. & alijs tribus Episcopis, & Abbati cuidam religiosissimo tunc Romæ existentibus. Et Domino Alphonso olim Episcopo Giennen. humiliter, & reuerenter exposuit. Qui super his matura deliberatione, & tractatu habito, eas non a deceptore spiritu, sed a Spiritu sancto procedere concorditer concluserunt. Idem per multos alios viros eximios harum reuelationum examine accerrato præhabito iudicatum est, vt ex multis locis colligitur, in quibus actus, & vita eius describuntur a quibus breuitatis causa supersedere curaui. Demum secundo post mortem datæ sunt huiusmodi reuelationes examini, & tam sapientum virorum, quam Summorum Pontificum iudicio approbatæ videntur. Pro quo notandum, quod Anno Domini 1377. post obitum B. Brigittæ reuelationes cœlestes eidem diuinitus factæ in pluribus voluminibus conscriptæ, vt sic commodius a pluribus, & conspici, & examinari possent, præsentatæ fuerunt Sanctissimo Patri Domino Gregorio XI. per manus venerabilium personarum D. Catherinæ natę B. Brigittæ, fratris Petri Prioris Aluastri. Et Domini Petri Olaui confessoris præfatæ Dominæ Brigittæ. Qui Summus Pontifex sine dilatione eas assignauit, & commisit examinandas circunspectissimis, & peritissimis viris, & Dominis Cardinalibus, & magistris in Sacra Theologia hic subsequenter insertis, videlicet, Cardinali Montis maioris, Cardinali de Agrifolio, & Cardinali de Luna. Item Domino Martino de Salua Doctori vtriusque iuris, & Archiepiscopo Pampilonen. referendario suo. Item magistro Sacri Palatij Ordinis Fratrum Prædicatorum, magistro in Theologia. Item magistro Ioanni de Hispania, magistro in sacra pagina, qui fecit coram ipso Papa Gregorio in Consistorio Generali præsente Collegio Cardinaliū, & vniuerso Clero curiæ Romanæ primam propositionem super Canonizatione Beatæ Brigittæ. Item venerabili Patri Domino Alphonso quondam Episcopo Giennensi. Quibus inspectis, & cum omni diligentia sæpius transcursis, attenteq; intellectis cū nihil in eis reperiri potuit reprobum, aut suspectum, aut orthodoxæ nostræ fidei dissonum, vel aduersum, sed totum quicquid in eis continebatur Domini extitit veritate conspicuum, & sanctitate præclarum, plenum, perlucidum, ac perfectum. Verum, quia processus Canonizationis supradictæ Dominę Brigittæ sub eodem Papa Gregorio inceperat, quam tamen ipse morte prçuentus non est permissus exequutioni condigne demandare, cum plura sine de iure requisita ad huiusmodi executionē plenariam impendendam, quæ non parui temporis tractum expostulant. Ideo totum negocium ipsius Canonizationis quasi exordialiter initiandum, & cōsequenter totum examen prædictarum reuelationum ad Vrbanum VI. successorem immediatum ipsius Gregorij extitit deuolutum. Sub anno Domini 1379. Veruntamen non ex eo, quod initiata, siue attemptata, & acta per Gregorium forent inania, seu irrita, vel minus fidedigna, sed quia natura processus, seu debitę consecutionis canonizationis propter commissarios, quibus ad integrum constare debuit, & decuit primordialiter de gestis, & vita prænominatæ D. Brigittæ rite sic exegit vt fieret. Ideoq; sunt iterato ipsę reuelationes ad manus Vrbani præsentatæ per præfatas venerabiles personas Dominam Catherinam, fratrem Petrum Priorem de Aluastra, fratrem enim Andreę, & magnum Petri primum confessorem Vvatzsten. quas ipse Papa Vrbanus commisit valentissimis viris magnis mundi luminaribus Dominis Cardinalibus suis, & magistris in Theologia subsequenter hic in scriptis, Cardinali Corsiensi, Cardinali de Anglia, Cardinali de Vrsinis fratri Domini Latini Nobilis Romani, Cardinali Ianuensi, & Cardinali de Manu pelle. Item Episcopo Vrbeuetano magistro in Theologia, qui fecit propositionem secundam super canonizatione Dominæ Beatæ Brigittæ præsente Papa Vrbano in consistorio publico. Item Domino Ioanni de Lignano excellentissimo, vtriusque iuris doctori. Item Domino Ioanni de Basilea magistro in sacra pagina. Item D. Alphonso quondam Episcopo Giennen. qui fecit Epistolam super librum ad reges. Item magistro Augustino de Roma Ordinis Sancti Augustini magistro in Theologia. Item magistro Matthæo de Cracouia, qui fecit quartam propositionem super canonizatione coram eodem Papa Vrbano. Item Domino Ludouico licenciato in vtroq; iure, & pluribus alijs, qui causa vitandæ prolixitatis hic non inseruntur. Qua quidem commissione vt præmittitur facta, & diligenti examinatione earum per omnem modum, vt est superius expressum per ipsos commissarios attentissime habita demum, vt fieri oportuit ad aures Domini Papæ relatione subsequuta, iterum ab ipso Vrbano sicut a Gregorio prędecessore suo compertæ sunt esse autentice, atque veritate plene, & a Dei spiritu veraciter

citer edocta. Necnon ad vtilitatem legentium, seu audientium pro saluberrimo fidelium dogmate in Sancta Ecclesia Dei in perpetuum cum deuotione, & reuerentia studiosius obseruandæ. Quamobrem plures Principes, & nobiles Romam venientes, & alij suos nuncios mittentes pro libris reuelationũ habendis, quos post quam eos instanter petiuerant in proprijs suis sumptibus cum exquisita diligentia scribi fecerunt. Inter quos isti notabiliter erãt infrascripti. Dominus Episcopus Vuormacien. fecit vnum librum scribi Romæ, quẽ deportauit ad Imperatorem Frater Petrus de Aragonia Ordinis Fratrum minorum consanguineus Regis Franciæ secundum, quem detulit in Franciam. Nuncius Reginę Castellæ de Hispania tertium. Nuncius Reginæ Cypri quartum. Nuncius Reginæ Ceciliæ quintum. Nuncius studij Pragen. sextum, frater Petrus de Burgundia Ordinis Minorum Theologus maximus septimum. Nuncius cruciferorum de Prussia octauum. Romani Ianuenses, Vuratislaniẽses, ac plurimæ aliæ ciuitates, & regnorum nobiles libros istarum sanctarum reuelationum pro se scribi fecerunt Romæ. Hæc in registro circa canonizationem Sanctę Brigittæ gestorum scripta sunt. Cui consonat litera canonizationis eiusdem Sanctę Brigittę per Bonifacium nonum data, vbi sic dicitur.

Nos qui pro iniuncto ministerij pastoralis officio sumus sapientibus, & insipientibus debitores per ea, quæ tam de fęlicis recor. Gregorij XI. & Vrbani VI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum quã nostro mandato super his habita sunt de veritate præmissorum per testes idoneos, & alias probationes legitimas certius informati, eisq; veris compertis, &c. Et in eadem litera reuelationes eiusdem Sanctæ allegando approbat. Nam ibi sic habetur.

Hæc generosa vidua per gratiam Sancti spiritus promeruit multis eorum cogitationes, & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare, & visiones, ac reuelationes varias videre, & audire, ac spiritu prophetico multa predicere, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout hæc, & alia in eius reuelationum volumine plenissime describuntur. Bene ergo dicitur, quod Ozias, idest Dominus Apostolicus, & presbyteri, scilicet Prælati dixerunt Iudith, idest Sanctæ Brigittæ. Omnia quæ loquuta es, vera sunt. Et illud 1. Reg. 17. Verbum quidẽ Domini in ore tuo verum est. Et hoc de primo signo, & argumento primo.

CAPITVLVM SECVNDVM in quo ponitur secundum signum, & secundum argumentum, quo discernuntur reuelationes diuinæ a reuelationibus diabolicis.

AMplius autem secundum signum, & secundum argumentum quo discerni possunt reuelationes diuinæ a reuelationibus diabolicis sumitur ex parte effectus, quem reuelatio in animo cui fit reuelatio efficit, & operatur, Reuelatio quidem diuina hominem efficit humilem, flexibilem, & disciplinatum, & ideo dicitur Prouerb. 3. Cum simplicibus est sermocinatio Dei. Et Prouerb. 11. vbi sapientia, ibi humilitas. Spiritus vero diabolicus superbum reddit animum tumidum, præsumptuosum, & pertinacem. Qualis enim vnusquisque est talia operatur, vt trahitur ex Bernardo super psalm. Qui habitat. Ex quo signo efficax capitur argumẽtum, quod reuelationes B. Brigittæ factæ fuerant ei a Spiritu sancto ministratæ. Multiplices enim effectus spiritualium virtutum ex huiusmodi diuino iubare cœlestium reuelationum in eius animo consurgebant, vt pote virtus humilitatis profundæ, sapor internæ dulcedinis, & flamma Diuini amoris. Humilitas quidem quoniam huiusmodi reuelationum cœlesti lumine perfusa non extollebatur, non se iactabat, non laudes humanas quęrebat, sed maiori continue profundebatur humilitate sub obedientia regimine, & disciplina patris spiritualis viuebat. Nihilque eorum, quę sibi reuelabantur pertinaciter asserens, siue credens. Omnia examini iudicio, & correctioni patris spiritualis, & aliorum spiritualium patrum, & sapientum prælatorum Ecclesiæ offerens humiliter submittebat, vnde tantæ humilitatis effecta erat, vt tam indignam, & peccatricem se reputaret, quod in oratione sæpe loquendo Christo quasi de eo stupendo admirabatur, & quodãmodo eum redarguebat, quod eam tam indignam ad videndum visiones diuinas, & audiendum, & scribendum sanctissima eius verba ipse sibi eam elegerat, vt patet in 4. libro, cap. 77. & sexto libro cap. 52. & in secundo libro, cap. 18. cum multis similibus. Vnde libro sexto, cap. 52. ita dicitur in rubrica. Admirante sponsa, & indignam se reputante coram Christo de ista gratia sibi data, videndi,

di, & audiendi in spiritu &c. Cęterum secundo in huiusmodi reuelationibus, & visionibus, non solum eius animus diuina irradiabatur illustratione, verumetiam sapore quodam internę dulcedinis afficiebatur, & diuini amoris incendio vehementius inflammabatur, sicut patet ex multis locis suorum librorum, de quo modo dicit Beatus Gregorius. Cum Deus per semetipsum animæ loquitur, sola in nobis vis internæ inspirationis aperitur, quia virtus eius intima quadam dulcissima subleuatione cognoscitur. Vnde merito ista Gloriosa Vidua Brigitta designatur per Iudith, quæ cōfitens, & glorificans Deum interpretatur. Hæc enim quanto altiori lumine, & copiosiore diuinæ illustratione splendore eleuabatur, tanto profundioris humilitatis effecta confitebatur Deum Patrem luminum a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, & laudibus glorificabat, & benedicebat continuis.

CAPITVLVM TERTIVM in quo ponitur tertium signum, & tertium argumentum, quo discernuntur diuinæ reuelationes a diabolicis.

CAeterum tertium signum, & tertium argumentum, quo reuelationes spiritus sancti a reuelationibus spiritus diabolici distinguũtur, est puritas, & integritas veritatis eorũ quæ reuelantur. Quando enim reuelationes per totum continent veritatem sine admixtione alicuius falsitatis, non dubiũ, quin sint a Spiritu sancto, qui doctor, & inspirator est veritatis. Quando vero habent falsitatem, aut errores admixtos, non a spiritu Dei, sed diabolico procedere dignoscuntur. Diabolus enim, qui pater mendacij, & doctor errorum est. in illusionibus suis interdum dicit vera vt decipiat & aliquando falsa, sed spiritus sanctus semper vera, & nunquam falsa prędicit, de quo signo Beatus Thomas in secunda secundæ quæst. 172. art. 5. dicit. In aliquibus signis etiam exterioribus prophetia dæmonum discerni potest a prophetia diuina. Vnde dicit Chrisostomus super Matthęum. Prophetant in spiritu diaboli quales sunt diuinatores, sed sic discernitur, quoniam diabolus interdum falsum dicit, Spiritus sanctus nunquam. Vnde in Deuter. dicitur. Si tacita cogitatione respondere, quomodo possũ intelligere verbum, quod non est loquutus dominus. hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille prædixit, & nō euenerit. Hoc dominus non est loquutus. Hæc ille. Ex qua parte manifestum accipitur argumentum, quod reuelationes factæ B. Brigittæ sint a spiritu Dei, quoniam ista Sancta, & Gloriosa Christi discipula semper si bene intelligatur vera prædixit, nec in omnibus libris suis aliquid falsum, vel mendacium, vel inhonestum, vel non catholicũ dixit, sed semper vera dixit, & catholica annunciauit, damnauit hæreticos, & virtutes, & obedientiam Sanctæ Rom. Ecclesiæ per totam suam doctrinam docuit, & prædicauit, vt patet inspicienti sanis oculis libros suos, & ea pietate legenti, qua cœteræ scripturæ sanctæ, siue canonicæ, siue doctorum legi debent. Quocirca merito dicitur in tertia thematis parte, omnia quæ loquuta es vera sunt.

CAPITVLVM QVARTVM, ET argumentum in quo ponitur quartũ signum quo discernuntur reuelationes diuinæ a diabolicis illusionibus.

COnsequenter autem occurrit quartum signum quo discernitur reuelatio spiritus Dei a reuelationibus spiritus mali est conformitas ad sacram scripturam, & sanctorum doctrinam. Cum enim reuelatio conformis reperitur diuinis scripturis, & sanctorum sententijs, & exemplis arguitur esse reuelatio spiritus Dei. Si autem dissonat, & discordat ab eis suspecta merito habenda talis est. Vnde Ricardus. Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas. Iob 33. Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit, quod est dicere secundum Gregorium. Deus in singulorum cordibus priuatis vocibus non respondet, sed tale eloquium construit per quod cunctorum quæstionibus satisfaciat. In scriptura quippe eius eloquio causas nostras singulas si requirimus inuenimus. Ex isto signo videtur capi efficax argumentum ad ostendendum reuelationes B. Brigittæ factas his in libris contentas a spiritu Dei processisse, quoniam ipsæ conformes videntur esse Sacræ scripturæ, & reuelationibus diuinis, sententijs, & exemplis sanctorum. Et hoc in tribus. Primo in genere visionis, siue reuelationis. Secundo in modo reuelationis. Tertio in conformitate sententiarum, & doctorum. Pro quo notandũ, quod Augustinus in lib. 12. super Gen. ad literam, & Hieronymus in prologo Apocal. tria principalia genera visionum describunt.

Digitized by Google

ſioñ, & totidem etiam genera reuelatio-
num deſcribi poſſunt, ſcilicet corporale, ſpirituale, & intellectuale. Viſio enim corporalis eſt, quando videlicet corporalibus oculis aliquid videtur, aut oſtenditur, vt Moyſes vidit Dominum in rubo ardenti, & patres ſæpe Angelos viſibiliter ſuſceperũt. Hoc genus viſionis poteſt referri quorumlibet ſenſuum experientia. Vt auditus, guſtus, odoratus, & tactus, quia viſus pro quolibet ſenſu poni ſolet. Exod. 20. Populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinę, quæ non viſu, ſed auditu percipere potuerunt. Viſio autem ſpiritualis, ſiue imaginaria dicitur, cum videlicet dormientes, ſiue vigilantes in ſpiritu imagines rerum cernimus, quib. aliquid aliud ſignificatur, ſicut fuerunt viſiones Ezechielis, & Danielis, & aliorum Sanctorum in nouo, & veteri teſtamento, quibus vigilantibus, & in mentis exceſſum raptis multa per figuras, & imagines rerum oſtenſa ſunt. Similiter etiam multis dormientibus multa hoc genere viſionis oſtenſa leguntur, vt Iacob vidit Dominum innixum ſcalæ, & Pharao, & Nabuchodonoſor ſomnia viderunt præſagia futurorum. Tertia autem eſt viſio intellectualis, quando videlicet Spiritui ſancto reuelante intellectu mentis veritatem myſteriorum ſicut eſt capimus, quomodo vidit Euangeliſta ea, quæ in libro Apocalipſi referuntur. Non enim figuras tantum in ſpiritu vidit, ſed & earum ſignificata mente intellexit. Secundum hoc triplex genus viſionis cœleſtes, & diuinas legitur B. Brigitta habuiſſe reuelationes, ſicut multi alij Sancti habuiſſe leguntur. Secundum enim primum genus viſionis, ſcilicet corporis, legitur ipſa Beata Brigitta aliquibus vicibus vidiſſe Matrem Chriſti Glorioſam, & etiam Chriſtum Benedictum eius filium, & etiam Angelos. Matrem quidem Chriſti vidiſſe dicitur quando erat puella. Vidit enim altare, & Matrem Dei ſupra ſedentem, quæ vocans eam impoſuit ei coronam. Iterum quãdo periclitabatur in partu viſa eſt Mater Dei intrare ad eam, quæ cunctis præſentibus videntibus tangens mẽbra eius liberauit eam, vt dicitur in legenda vitæ eius. Chriſtum etiam vidiſſe dicitur, vnde ſemel dicitur vidiſſe ignem deſcendere de cœlo ſuper altare, & in manu presbyteri celebrãtis hoſtiam, & in eam agnum, & faciem hominis in agno, & agnum in facie, & iterum vidit in manu presbyteri in hoſtia infantẽ viuum, qui ſignando aſtantes ſigno crucis dixit. Benedico vos credentes, non credentibus ero iudex. Vide hæc in 6. lib. ca. 86. Item ſpecialiter cum ageret in extremis, vidit corporaliter Chriſtum eam cõſolantem, vt in eius legenda dicitur. Angelos etiam quandoq; dicitur vidiſſe corporeis oculis ſicut eius hiſtoria teſtatur. Amplius autem iuxta ſecũdum modum viſionis, quæ eſt ſpiritualis, ſiue imaginaria, & ſpecialiter loquendo de ea quæ fit in vigilia pro maiori parte reuelationes ei factæ vidẽtur fuiſſe, quia ipſa quaſi omnes viſiones videbat in oratione vigilando, & non dormiendo, vt in multis capitulis libri huius patenter conſpicitur, in quibus legitur qualiter rapiebatur ſæpiſſimè in ſpiritu, & a ſenſib. alienata videbat viſiones, & audiebat loquutiones perſonarum, quæ per ſpecięs, & imagines corporales in eius ſpiritu repræſentabantur. Cęterum iuxta tertium genus viſionis, quæ eſt intellectualis reuelationes Beata Brigitta legitur habuiſſe cum ſæpiſſimè legatur, quod cum rapiebatur, illuminabatur, & illuſtrabatur mens eius, & intelligentia eius ad intelligenda ea, quæ ſibi oſtendebantur, diuino quodam ſupernaturali replebatur lumine ĩtelligibilis veritatis. Præterea in modo reuelationum eſt conformitas iſtarum reuelationum ad Sacram Scripturam, & exempla ſanctorum. Pro quo notandum, quod reuelationęs in Sacra Scriptura aliquãdo leguntur factæ per vocem, & verba expreſſa, vt Petro, & Ioãni, & Iacobo in monte cum Ieſu Saluatore noſtro exiſtentibus, vbi vox de nube exiẽs dixit. Hic eſt filius meus dilectus, &c. Matth. 17. Item Petro dictum eſt. Beatus es Symon Bar iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis, Matth. 16. Vel ſicut Samueli, ſermo Domini factus eſt in Sylo. 1. Regum 3. Item aliquando fit per ſomnium, vt Ioſeph viro Mariæ dictum eſt in ſomnis, vt acciperet puerum, & Mariam, & fugeret in Aegyptum. & poſt vt rediret. Et magis ſimiliter in ſomnis dictum eſt ne rediręt ad Herodem Matth. 2. & in alijs pluribus locis ſimile inuenitur. Item aliquando fiunt per ſpiritum Angelicum ſicut Zach. 4. Angelus qui loquebatur in me dixit ad me &c. & in multis alijs quaſi innumeris. Item aliquãdo fiunt reuelationes per ſpiritum ſanctum interius in mente, de quo dicit Propheta in pſal. Audiam quid loquatur in me Dominus, de quibus duobus vltimis dicit Gre. in 28. moralium cap. 2. Sciendum inquit, quod duobus modis loquutio diuina dicitur. Aut per ſemetipſum namq; dominus loquitur. Aut per creaturam Angelicã eius ad nos verba formantur. Sed cum per ſemetipſum deus loquitur ſola in nobis vis internæ inſpirationis aperitur. Cum per ſemetipſum loquitur de verbo eius ſine verbis, & ſyllabis cor edocetur. Et ſubdit in

eodem loco dicens, quod aliquando imaginibus, & ante oculos corporeos ad tempus ex aere assumptis per Angelos nobis loquitur Deus, sicut Abraham, qui nõ solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere. Et subdit dicens. Nisi enim Angeli quædam interna nunciantes ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profectò nostris obtutibus non apparerent. Talibus autem modis reuelationes istæ videntur factæ huic Gloriosæ Beatæ Brigittæ sicut eas perlegenti patet euidenter. In quibus legitur nunc Christo spõso suo loquente, nunc Angelo instructa fuisse de multis. Demum tertio dicebatur, quod huiusmodi reuelationes conformes erant in sententijs, & dictis Sacræ scripturę, dictis, & exemplis Sanctorum, & Doctorum Ecclesiæ. Quantum vero attinet ad hanc partem iudicio meo in prefatis articulis, qui de toto eius libro tanquam magis peregrini a dictis Sacræ scripturæ, & doctorum collecti sunt si bene, & diligenter, ac pio studio sicut Sanctorum dicta solita sunt legi, & pertractari intelligantur, nihil continent, quod intellectum habeat aduersum Sacræ Scripturæ, aut doctrinæ Sanctorum doctorum ab Ecclesia approbatorum. Aut ita alienum ab exemplis Sanctorum sit, quod pias valeat offendere aures sicut Iesu Christo duce magistro veritatis, & huius Gloriosæ, & Sanctæ mulieris sponso per singulos articulos discurrens pro posse conabor ostendere.

CAPITVLVM QVINTVM IN QVO ponitur quintum signum, & quintũ argumentum discernendi reuelationes quæ sunt a spiritu Dei a reuelationibus illusorijs spiritus diabolici.

DEmum inter alia signa, quibus discernuntur reuelationes, quæ a spiritu Dei procedunt a reuelationibus, quæ ab illusione diabolica procurantur non paruæ virtutis esse videtur, quod persona cui reuelationes factæ leguntur, approbatæ sanctitatis est in Ecclesia Dei, quæ in canonizatione Sanctorum, sicut nec in doctrina fidei errare non potest, Beata autẽ Brigitta huiusmodi est. Est enim ita approbatę sanctitatis, vt catalogo Sanctorum ascripta per summos Pontifices vniuersitati fidelium sit mandata coli, & venerari, sicut patet in duabus litteris canonizationis eiusdem, quarum vna est Papæ Bonifacij Noni in sua obedientia reputati & nominati. Et alia est Domini Martini V. quarum tenores de verbo ad verbum iudicaui merito hic esse interserendos, ex quarum serie multiplex testimonium deuotus lector colligere poterit deuotionis, & Sanctitatis huius Gloriosæ Dominæ, & amantissimæ Christi sponsæ.

Sequitur vera Bulla Canonizationis.

INCIPIT BVLLA CANONIZATIONIS B. Brigittæ de Regno Sueciæ, Gloriosæ Sponsæ Christi, quam dedit Bonifacius Papa Nonus.

BOnifacius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs electis & patriarchalium metropolitanarũ, & cathedralium Ecclesiarum capitulis vbilibet constitutis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ab origine mundi post primi parentis lapsum. Cum eam ob rem vniuersum genus humanum æterni morti teneretur obnoxium. Cuncti potens, & misericors Deus ex alto prospiciens ne in totum perderet hominem quem creauerat, sed suę diuinitatis faceret esse participẽ. Cum primos patres ex spiratione Sancti spiritus afflatos prophetas aduentus filij sui in carnẽ sub tipicis enigmatibus, ac diuinis reuelationibus nuncios præmisisset, eundem vnicum filium suum ante sæcula genitum adueniente plenitudine temporis in vterũ prælectę Virginis matris, quę imperscrutabili S. Spiritus obumbratione Angelo nunciante concepit de proprio sinu transmisit, qui ex eadem Virgine natus, & progressus in

in tempus cępit facere, & docere, omnibusque monstrare qualiter sacri Baptismatis fonte renatis de ęterna morte via pateret ad vitam, & coadunatis discipulis ne quis fidelis huius transitorie, & fugitiue vitæ, molestias, vel tedia, seu temporalis acerbe necis pœnas pro æternæ adeptione vitę perhorreret sese hostiam immaculatam consummato debito cursu in ara crucis morte cruenta obtulit Deo patri, & militantem Ecclesiam fuso precioso sanguine fundauit, consecrauit, & æternaliter stabiliuit. Tandem vero de mundo transiturus ad patrē, Principi Apostolorum cœlesti clauigero in suam, suorumq; successorum Summorum Pontificum personas collatis clauibus ligādi, videlicet, & soluendi tradita potestate supremum pontificium specialem curam sui gregis, & regimen vniuersale commisit. Pollicitus nihilominus Ecclesiam inęternum se non deserturum eandem. Ad cuius vberem vtilitatem diuisiones gratiarum per spiritum sanctum tribuit suis fidelibus. Nam secundum Apostolum. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidē per spiritum datur sermo sapientiæ. Alij sermo scientiæ secundum eundem spiritū. Alij fides in eodem spiritu. Alij gratia sanitatum in vno spiritu. Alij operatio virtutum. Alij prophetia. Alij discretio spirituum. Alij genera linguarum. Alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atq; idem spiritus diuidens singulis prout vult. Quamq; militantem Ecclesiam pater luminum sustulit in eodem spiritu sancto structura admirabili preciosorū lapidum mira varietate decoram ipso summo angulari lapide Christo Iesu quos elegit ante mundi constitutionem conformes fieri imaginis eiusdem filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus i quo eos gratificauit donans charismata meliora, qui suo exemplo viam ostenderent excellentiorem. Hinc igitur Apostoli Sancti prodiere per vniuersum orbem, genus humanum, quod sub peccati iugo tenebatur ad vitam, & salutem excitantes, & cum firmissima cōstantia prædicantes verbum *Dei*, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Splendidi quoq; martyres fidei loricam induti, & inconcussæ stabilitatis baltheo succincti lauerunt stolas suas in sanguine innocentis agni, & imitati candidato exercitu Christum Iesum ad structuram supernæ *Hierusalē*, hoc est triūphantis Ecclesiæ cum Gloriosa victoria palmas gestantes in manibus sese viuos lapides addiderunt exemplum venerabile, & ęternam, dignamq; memoriam militanti Ecclesiæ relinquentes. Progressi sunt, & doctores lucidissimi, qui pseudo Christianis, falsisque prophetis superstitiosas, & varias opiniones in vera fide catholica adducere, ipsamq; fidem subuertere satagentibus se opponentes talium confutatis erroribus miro eloquio, & solidis, ac rectis sententijs operante Sancto spiritu ipsam fidem, & militantem Ecclesiam illustrarunt, quibus eadē Ecclesia communita progreditur, quasi aurora consurgens pulchra vt *Luna*, electa vt *Sol*, terribilis vt castrorum acies ordinata. Sequuntur & limpidi confessores ornati gēmis, & virtutibus corruscantes Domino rationem de talentis creditis reposcenti. Cū se assidua, & vigili sanctarum operationum exercuerūt mercatura, vtpote fideles, & boni serui multiplicatum de suis laborib. fructum afferunt, ac donum reponunt in arcā. Etiam anachoretę, & solitudinis, ac heremi sectatores blandientes, & captiosi, sed venenosi mundi vana spectacula fugientes, vt securi ad patriam peruenirent latibula petierunt, & antris abditi paruo, & rudi victu scaturientis aquę, & leui potu carnem propriā macerantes, & sathanę stimulos reprimentes paliastro, vel tegmine hirto amicti, vt plurimum nudis pedibus, & squalida humo, aut stramineo cubili fessa membra somno refouentes in Sacra contemplatione, & supernæ maiestatis laude vacantes. Demum ex hac lacrymarum valle, & miseriarum aceruo ad Dei præsentiam euocati immarcescibilibus delitijs potiuntur. Assunt & virgines nitide mundo corpore, & corde sincero mentem sanctam spontaneam, & oleum secum suis deferentes in vasis venienti spōso obuiam exeunt, eique desponsantur, qui est præ filijs hominum speciosus. *Deuotę* autem, & continentes viduę, & alię sexus vtriusq; personæ pijs, sanctisq; operibus semper intente se ante *Dei* tribunal cum plenis manipulis representant, & cum sanctis Angelis canunt gloriam in altissimo Deo, & in terra pacem bonæ voluntatis hominibus deprecantur. Hæc omnia profecto ille idem spiritus de quo supra operatur ministerio multiformiter admirando. Et secundum sanctam promissionem Christus Iesus hanc vineam suam militantem Ecclesiam post eius admirabilem Ascensionem talibus cultoribus, & cultricibus vsq; in diem hodiernum visitauit, fouit, defensauit, firmauit, iuuit, & auxit, & per sui gratiam sic in futurū faciet temporibus successiuis. Nouissimis vero diebus, vt etiam ab Aquilone aliquid boni esset, ille cœlestis agricola eandem vineam suo de more visitans mulierem fortē procul, & de vltimis finibus suum secū precium deferentem ad huiusmodi vineę culturam adduxit inesse, Beatam scilicet viduam,

Bri-

Brigittam, quam vulgares Brigidam appellant, tam sacro superius descripto cętui merito sociandam, seu verius sociatam. Cuius propter quod præsentem operam nobis damus, vt originem, vitam mores, & merita, nec non miracula, quæ in premium sanctitatis eius benedictus Deus mundo monstrare dignatus est. Ne de tam celebri muliere ætas præsens remaneat ignara, & surda posteritas famam ingratam accusare, vel prętēdere possit summotenus percurramus de multis pauca admodū ea quę nō pretereunda silētio excerpsimus, vestręq; charitati harum serie volumus intimari. Hæc nempe mulier gloriosa ex patre Birghero, & matre Sighride coniugibus de nobilissima regia stirpe catholicorum Suetiæ Regum procedentibus, nec minus fide orthodoxa, & animi constantia ac virtutibus quam nobilitate claris duxit originem. Quæ quidem mater, dum eam gestaret in vtero, maris in quodam sinu passa naufragium. Cum multos promiscui sexus in eodē naufragio procella absorbuisset sana peruenit in litus. Et nocte sequenti in visione astitit sibi persona admirando vestitu refulgens, & ne viduę tā venerandæ sine pernuncio foret aduentus dixit, saluata es propter bonum, quod habes in vtero. Ideo nutri illud cum charitate Dei, quia tibi a Deo donatum est. Cūque puella Brigitta de genetricis aluo in mundum recenter fuisset educta. Sacerdos Parochialis in Ecclesia propinqua approbatæ vitæ, & ætatis perfectæ, dum nocte orationi vacaret, nubem lucidam, & in medio nubis virginem sedentem vidit librum habentem in manu, sibiq; dicentem. Nata est Birgero quędā filia, cuius vox per mundū admirabilis audietur. Nata ergo puella vsque ad finē triennij quasi elinguis visa est, sed mox contra naturalem decursum non balbuciendo infantium more fari gestiētiū quæ audierint, sed cōpleta, & formata verba de auditis per eam loquebatur, & visis procedens vero in annis pueritiam mira deuotione transegit orationibus videlicet, ac ieiunijs, & alias nunquam a bonis operibus otiosa. Tandem licet in statu virginali seruire Domino totis desiderijs affectaret, tamen per parentes compulsa quondā Vlphoni de Vlphasum Principi Nericiæ nobilissimo quippe, & christianissimo iuueni in matrimonium desponsatur. Et cum in simul conuenire deberent quāquam idonei essent ad viriles amplexus maritus, videlicet in decimo octauo, & spōsa in tertiodecimo anno constituti, communi tamen voluntate Thobiam iuniorem, & Saram Raguelis imitati annum continuum, & vltra a concubitu abstinuerunt, Deum humiliter deprecantes vt si coniungi foret expediens in cōmixtione non peccarent, & Deus illis talē prolem concederet, quæ ad seruitium eius esset. Simul postea conuenerunt in timore, ac tremore non libidini, sed posteritati vacantes. Cum interim deuota mulier, nec ieiunia, nec orationes, nec alia pia, & solita opera preteriret. Et cum semper B. Virgini præcipue deuota foret, ac tempore procedente pœnæ partu periclitaretur, & obstetrices, ac mulieres astantes de vita illius desperarent, visa est quædam imperiosa, sed incognita mulier albis sericeis induta vestibus intrare cubile, & assistere strato, & singula iacentis membra pertractare, mox cū talis mulier disparuisset eadē puerpera sine dolore partu integro exonerata remansit. Et cum etiam dicti iugales adhuc essent iuuenes, & recentes maritus fęlicis vxoris sanctis monitionibus persuasus, cor .n. viri spolijs non indigens confisum in ea reddidit ei bonum, & nō malum omnibus diebus vitæ suæ, ipsaq; mulier indixerunt sibi sponte inuicem, & perpetuam continentiam seruauerunt. Et nihilominus coniuges deuoti in Dei timore, & amore proximi semper feruentiores limina B. Iacobi Apost. in Cōpostella communi voto peregre visitarunt, & ad propria reuersi cum deliberassent, vt liberius deuotioni vacare possent pro sexus diuersitate diuersa ingredi monasteria dictus princeps in tali deliberatione quieuit in domino. Sancta autem vidua, quæ ab ineuntis ætatis principio Deo dicata fuerat ieiunijs, & orationibus indefesse vacaret soluto coniugio, & sui iuris effecta quasi nauis institoris de longe portans panem suum a Spiritu sancto præmonita egrediēs de terra, & cognatione sua ad almam Vrbem ac Hierosolymam, deinde perrexit, & loca singula, in quibus Redemptor noster Iesus Christus annunciatus, natus, educatus, baptizatus, conuersatus, mirabilia operatus, illusus, crucifixus, & sepultus fuit, & ad cœlos ascendit insigni deuotione, & venerabunda conspexit. Ad Vrbem quoq; regressa cum antea siue in sua patria, & partibus circumstantibus, siue in Germania, siue in Gallijs, siue in Hispania, siue Italia, siue in alijs cismarinis, aut vltra marinis partibus sanctorum, ac Sanctarum corpora, seu memorandę reliquiæ quiescerent, pauca admodum absque personali visitatione dictę sanctæ viduæ fuissent prętermissa in eadem vrbe reliquum vitę peregit. Sed post mariti mortem ob reuerentiam Sanctę Trinitatis ad nudam carnem quandam cordam de canopo cum plerisq; nodis detulit stricte ligatā, & similiter circa singulas tybias subtus genua singulas cordas similiter connodatas,

datas etiam tẽpore infirmitatis, nec pannis lineis præter quam in capite vſa, veſtes hyſpidas circa carnem. Superius vero non ſecundum perſonæ conditionem, ſed multum humiles, & abiectas. Et non ſolum eas quas ſancta mater iubet Eccleſia vigilias, ſeu ieiunia obſeruabat, ſed alia multa ſuperaddebat, vt etiam vltra Eccleſiæ mandatum quater in hebdomada ieiunaret, & ſimiliter quater in hebdomada coniuge nondum vita functo, & poſt obitum eius continue vſq; ad paucos annos ante ſuum felicem tranſitum ſolitis pannis induta ſuper tapeto abſque paleis culcitra, vel ſimilibus ad terram, vel pauimentum poſito corpus ab orationibus abſtinentijs, ac diuino labore feſſum tenui, & breui ſomno recreabat. Singulis ſextis ferijs ob memoriam Sacratiſſimæ paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, pane duntaxat, & aqua contenta ieiunium non omiſit, cum etiam multos alios dies ob diuerſorum ſanctorum reuerentiam ſimili abſtinentia pertranſiret. Et ſiue ieiunio abſtineret, ſiue aliter diſcumberet cum ſobrijſſima foret, de menſa ſurgebat non ſaturata, ſed refocta; eiſdem quoq; ſextis ferijs de candelis cereis accenſis ſtillas candentes, & ignitas eliquabat ſuper nudam carnem, ita vt aduſtionis cicatrices continue remanerent. Et gentianam amariſſimam herbam, ſeu radicem eius retinebat in ore. Romæ inſuper degens non vigorem frigoris, non eſtiuos calores non impedimenta viæ lutoſæ, non pluuiarũ, aut niuium, ſeu grandinum aſperitates curans ſtationes per Eccleſiam ordinatas, variaſq; alias ſanctas Eccleſias licet eques pro ſuis facultatibus ire potuiſſet, tamen ſupra extenuati corporis vires ẽpitens peditans viſitauit quacunq; die. Tot namque longis genuflexionibus vſa fuit, vt genua eius rigerent in duritiem, vt ita diceremus camelorum. Admirabilis, & ſpectatæ humilitatis extitit, ita vt non nunquam cum pauperibus peregrinis incognita ſimul ſedens apud monaſterium ſancti Laurentij in paliſperna de Vrbe, ordinis Sanctæ Claræ eleemoſynam reciperet, & oſcularetur cum gratiarum actione. Et frequenter proprijs manibus, & ob Dei reuerentiam reparabat pauperum veſtimenta. Tenacem obedientiam prælatis, & ſuis ſuperioribus, & confeſſoribus obſeruabat adeo, quod abſq; ſaltẽ confeſſoris licentia pene oculos attollere non præſumeret. Et ſuperſtite marito cũ ſingulis ſextis ferijs confeſſa fuiſſet poſt eius tranſitum veram confeſſionẽ ſemel ſaltẽ in die cum magna contritione ſtuduit iterare, tam amare leuia ſicut alij grauiſſima deplorans, & nihil de ſuis verbis, moribus, cogitationibus, & actib. prætereins indiſcuſſum.

Verbi Dei prædicationibus, quas viri probati facerent aſſidua aderat, & intenta. Singulis quoq; diebus dominicis, & ſolemnib. cum deuotione, & lacrymis ſumpſit venerabile Chriſti corporis Sacramentum. Conſiderans ſemitas domus ſuæ ne panes comederet ocioſa, manus ſuas aperuit inopibus, & palmas ſuas extendit ad pauperes, (exhauſte enim charitatis officia erga egentes infirmas), & abiectas perſonas ob Dei reuerentiam exercuit indefeſſe. Nam dum etiam adhuc maritus ſupereſſet die quolibet duodecim pauperes conſueuit propria in domo cibare illis inſeruiens, & neceſſaria miniſtrans. Et quintis ferijs memor cœnæ Domini proprijs manibus lauit pedes eorum. De propria quoq; facultate reparauit in partibus ſuæ originis multa hoſpitalia deſolata, & pauperes, & infirmos ibi degentes pia, benigna, miſericors, & ſedula miniſtratrix cum ſumma pietate viſitauit. Vlcera eorum abſq; horrore, vel faſtidio attrectauit, lauit, circunligauit, & fouit. In loco etiam de Vuaraſteno Lyncopen. diœceſis de ſuis facultatibus vnum venerabile monaſterium canonice cõſtrui fecit pro ſexaginta monialibus ſub clauſura viuentibus, & viginti quinque fratribus ordinis Sancti Auguſtini, Sancti Saluatoris nuncupati, qui tam moniales, quam fratres certas conſtitutiones per ipſam Beatam viduam editas, & poſtea per Sedem Apoſtolicam approbatas obſeruare tenentur ſufficiente dote nihilominus aſſignata. admirabilis patientia viguit in ea, vt infirmitates proprij corporis iniurias illatas mariti, & Caroli filij mortem, & aduerſa reliqua tolleraret patientiſſime ſine murmure, ſine querela ſemper in cunctis cum humilitate ſummiſſima dominum benedicens in fide ſemper conſtantior, præſtantior ſpe vera charitate ardentior, iuſtitiam ſumme dilexit, & equitatem ſtimulos carnis, & varias illecebras, prauitatem, & arrogantiam pompam, & inanem gloriam magnanimi curioſitate contempſit. De ſingulari continentia, & modeſtia ſua ſatis eſt ſuperius recitatum. Sed quis inueniretur illa prudentior, cum optima diſcretione ab ætate primeua, vſq; ad horam vltimam quantum ſinebat humana fragilitas cuncta ſecernens non dixit bonum malum, neq; malum bonum. Nec poſuit lucem tenebras, nec tenebras ipſam lucem. Quibus quidem ſanctis, & abſq; intermiſſione continuatis operibus hæc generoſa vidua per gratiam Sancti Spiritus promeruit multis eorum cogitationes, & affectiones intimas, & geſta ſecretiſſima propalare, & viſiones, ac reuelationes varias videre, & au-

audire. Ac ſpiritu prophetico multa prædixere, quorum nonnulla effectu completa fuere, prout hæc, & alia in eius reuelationum volumine pleniſſime deſcribuntur. Quinta vero præcedente die, prænunciauit ſuæ vitę finem adeſſe. Et cum fuiſſet annum ſeptuageſimum ſupergreſſa. Adueniente iam termino prænunciato vocata familia, quæ fieri oporteret edixit, at demum Birghero filio, & Catherina filia tunc ſuperſtitibus accerſitis, & de multis commonitis, vt ſuper omnia in Dei timore, & amore proximi, ac ſanctis perſeuerarent operibus vltima confeſſione debite facta ſumpto viatico, & extrema vnctione delibuta cum vſq; ad flatus emiſſionem ſua memoria integra perduraſſet, dum miſſa coram ſe celebraretur poſt adoratum corpus Chriſti oculis eleuatis ad cęlum dicens. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum vocanti benemeritam animam reddidit Creatori. Extēplo de tranſitu huius viduæ venerandæ magna ſit fama per vrbem, concurrit frequens populus cum ſumma deuotione, ac reuerentia ſacrum videre corpus Deum vnanimiter glorificans, & collaudans ad monaſterium Sancti Laurentij ſupradictum, vbi ſe indicarat funus in longe maiori populi frequentia defertur, & præ nimia multitudine vſq; ad biduum apte non potuit ſepeliri, quod tamen cum eximia Dei laude fuit humatum. Dum autem celebris hæc vidua Neapoli degeret Nolanen. quædam mulier pictiolella nomine, quæ violentum mali ſpiritus in humanam ſe imaginem transformantis patiebatur accubitum, cui nec fortium vigiliæ, aut excubie obſiſtere potuerant. Ad viduā ſanctam acceſſiſſet eam ſuper tali materia, & expedienti remedio conſultura. Mox vidua præcellens, & ſecreta mulieris preuidens quęſiuit a muliere, an ſecum aliquid arte magica compilatum, vel quid tale deferret. Cum illa reſpondiſſet quod non. Egregia vidua ſubiecit. Quære in capillis, ſeu tricis tuis, contrarium inuenies. Confuſa, & recordata mulier, quod certum breue cum caracteribus, & cantamine proprijs habebat in crinibus ſuum fuit errorem ſpōte faſſa. Inſignis autem vidua iniunxit, & ſuaſit illi, vt deuote confiteretur, & veraciter peniteret, & communicaret, ac etiam ieiunaret, quod & fecit, ac meritis, & precib. memoratæ viduæ nunquam ſimilem accubitum paſſa fuit. Cum autem ſpectabilis hæc vidua de lōga peregrinatione ad Ortanam Theatinenſis dioceſis terram, in qua Beatiſſimi Thomæ Apoſtoli reliquiarum pars magna ſeruatur, vice ſecunda superueniſſet fuerat enim antea longe per viſionem ſibi reuelatum, quod ſecunda vice ſui aduentus ad ipſam terram deuotum eius deſiderium impleretur. Et dum ſtans reliquias deuotione ſolita viſitaret. Idem Apoſtolus deuote viduę apparēs dixit, dabitur tibi diu deſideratum. Et mox nemine tangente, vel alias impellente de capſa reliquiarum quoddam fruſtulum vnius oſſis dicti Apoſtoli ſuaptę viduæ expectantis proſilijt ad manus, quod illa cum gaudio, ac deuotione recipiens ſumma veneratione ſeruauit. Fuit quoque hæc admirabilis vidua dum orationi, & contemplationi vacaret per pleraſq; deuotas perſonas eleueta a terra per hominis menſuram, vel circiter cum ſplendida, & radiante facie ſæpe viſa. Funus nondum erat traditum ſepulturæ cum mulier quædā Agnes de Conteſſa nomine in vrbe commorans, quæ a natiuitate guttur habebat groſſiſſimum, ac deforme cum alijs venerandum cucurrit ad funus, & cum propria zona manus ſanctæ iacentis Brigittæ cum deuotione tangi feciſſet zonam eandem ſimili deuotione circumduxit ad collum, & paulo poſt guttur detumuit, & ad conformitatem debitam diuino miraculo fuit redactum. Verum Franciſca de Sabellis dicti monaſterij S. Laurentij monialis, quæ biennio debilitatem, & aduerſam ſtomachi valitudinem paſſa fere ſemper lecto decubuerat infirma, & honorandæ viduæ familiaris fuerat dum adhuc inſepultum corpus intra clauſtrum ſeruaretur cum graui labore de lecto ſurrexit tam longam infirmitatem patiens, & adiuta peruenit ad feretrum, & ſecus illud iacuit tota nocte, nec Deum deſijt cum deuotione & inſtantia deprecari, quod meritis, & precibus viduę, cuius corpus aderat tam moleſta, tamq; diutina valitudine intantum ſaltem alleuiaretur, quod cum reliquis monialibus diuinis officiis intereſſe, & per clauſtrum cum expediret adiuta per neminem ire poſſet. Et māne facto reperit ſe circa proprij ſanitatem corporis efficacius remedium quam deprecata fuerat impetraſſe verum, vt Deus benedictus huius dilectę viduæ mundo magna merita demonſtraret. Contigit, vt Elleby ſnara mulier dictæ Lincopen. dioc. cum infantulum mortuum peperiſſet ſummo dolore plena, ac tandem ad ſe reuerſa Deum prece humili exoraret, q; meritis viduæ tantopere celebrandæ infantulus vitam ſuſciperet, & emiſſo voto, quod cum infantulo ſi ad vitam veniret, & imagine cerea ſepulchrum viduę ſanctę viſitaret. Extemplo infantulus caleſcere, & palpitare cepit, vitamq; plene ſuſcepit. Mulier vero plena deuotione, atq; gaudio votum impleuit emiſſum. Sed quid pluribus immoramur cum Deus omnipotens huius almæ viduæ meritis ſurdis aures aperuit mutis

lin-

linguę officium ſoluerit, thr. mplis paralyticis ſoliditatē prębuerit, curuis erectionem cōtractis, & inualidis liberum beneficiū gradiēdi, cęcis viſum, mulieribus partu periclitantib. liberationem, morbis alias incurabilibus ſanitatē: Naufragos, & aquis vehementibus laborantes perduxerit ad ſalutis portum. Et ſi ea, quę Deus benedictus viduæ ſæpedictæ meritis, tam illa ſuperſtite, quam poſt eius reſolutionem fœlicem mirabilia præter, & ſuper vires naturæ fuit operatus, nec deſinit operari vellemus per ſingula recenſere. Nos alijs diuerſis implicatos longa valde in tali recitatione prolixitas detineret, poſſunt tamen fideles auidi talia geſta pernoſcere, librum in quo fideliter annotantur perquirere curioſe. Vota autē apud monaſterium in Vuatzſteno ſupradictū ad quod venerabile corpus huius benedictæ viduæ translatum fuit perſoluta, & appoſitæ imagines, ac ſtatuæ magnum teſtimonium perhibent veritati. Et quoniam per ſancti ſpiritus operationem hæc vidua peruigil per excellentia merita in Dei patris gloria collocata, militantē propemodum illuſtrat Eccleſiā. Noſq; guſtamus, & videmus, quia bona fuit, & eſt negociatio eius, & propterea in nocte ſuperuenientis tēporalis mortis eius virtutum, & meritorum lucerna nō debet extingui. Eſt .n. non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita, & per Domini vniuerſam domum inextinguibile lumen affert quin potius filij S. Matris Eccleſ. ſurgant, & beatiſſimam prædicent, eiq; dent de fructu manuum ſuarum, laudentq. eam in portis matris Eccleſiæ opera eius. Nos qui pro iniuncto miniſterij paſtoralis officio ſumus ſapientibus, & inſipientibus debitores, per ea, quæ tam de fel. record. Gregorij XI. & & Vrbani VI. Romanorum Pontif. prędeceſſorū noſtrorum, quā noſtro mandato ſuper his habita ſunt de veritate præmiſſorum per teſtes idoneos, & alias ꝓbationes legitimas certius informati, eiſq; veris cōpertis. Et pro parte chariſſimæ filiæ in Chriſto filiæ noſtræ Margaritæ Reginæ Suetiæ illuſtris, ac prælatorum, & procerum regni ſui, necnon dilectorum filiorum, & populi officialium Almæ Vrbis, ac dilectarum in Chriſto filiarum S. Laurentij, & de Vuatzſteno monaſteriorum prædictorum Abbatiſſarum conuentuum ſæpius & cum inſtantia requiſitis in nomine Domini, vt iam tandem viduam eius celeberrimam benedicentes benedicamus, & ſuper eam efflorerat ſanctificatio noſtra. Ad honorem Dei omnipotentis, patris, & filij, & ſpiritus ſancti, & ad exaltationem orthodoxæ fidei, & Chriſtianæ religionis augmentum. Necnon ad ſedationem ſcelaratis, ad fidei, & Eccleſiæ vnionem. Authoritate ipſius Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Apoſtolorū Petri ſupradicti, & Pauli, atq; noſtra de fratrum noſtrorum cōſilio & aſſenſu, omniumq; prælatorum in Rom. curia cōſiſtētium decernimus, declaramus, diffinimus, ſiue pronunciamus bonæ mem. B. Brigittam, alias Brigidam ſupra ſæpius nominatam ſanctam eſſe, & tanquam ſanctam ab vniuerſali Eccleſia venerari, ac ſanctorum cathalogo aſcribi debere, & ipſam nunc aſcribimus de præſenti. Statuentes vt ab vniuerſali Eccleſia, anno quolibet in die qua illam poſt deuictum, triumphatumque mundum in perpetuas æternitates præſens vita parturijt, videlicet x. kalen. Auguſti feſtum ipſius, & officium ſicut pro vna ſancta non virgine, nec martyre deuote, & ſolemniter celebretur. Et vt ad venerabile ſepulchrum ipſius ardentius, & affluentius Chriſti fidelium confluat multitudo, & eiuſdem ſanctæ celebrius colatur feſtiuitas, & eius nomen crebrius recolatur, Authoritate prædicta omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ſepulchrum eius huiuſmodi apud ipſum monaſterium in Vuatzſteno in eiuſdem feſti. Necnon v. kal. Iunij, quo videlicet die huiuſmodi corpus venerādum apud ipſum monaſterium translatum fuit, & ſub ad præſens occurrentibus diebus deuote viſitauerint. Annuatim ſingulis, videlicet eorundem dierum diebus, quibus dictum ſepulchrum viſitauerint, vt præfertur ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Quo circa vniuerſitatem veſtrā monemus requirimus, & hortamur attente vobis nihilominus in virtute Sanctæ obedientiæ, & ad æternorum premiorum augmentum diſtrictius iniungentes. Quatenus præſentes noſtras litteras cleris, & populis veſtris. Authoritate noſtra ſolemniter publicantes, feſtum huiuſmodi venerabilis Sanctæ cum ſolemnitate debita celebretis, & faciatis etiā celebrari, omnipotentem Deum, a quo ſancta deſideria recta conſilia, & iuſta ſunt opera, totis cordis affectibus humiliter deprecantes, vt eiuſdem ſanctæ precibus, & meritis exoratus, det ſeruis ſuis illam quam mūdus dare non poteſt pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidinę, tempora noſtra ſint ſua protectione tranquilla, nobiſque concedat, vt poſt peractum noſtræ villicationis miniſterium, vna cum credito nobis grege mereamur ad ſempiterna gaudia peruenire. Dat. Romæ apud S. Petrum, nonas Octob. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

SEQVITVR CONFIRMATIO Canonizationis Beatæ Brigittæ per Martinum Papam Quintum.

MARTINVS Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Excellentum Principũ Deo presertim,& Romanę Ecclesię deuotorũ desiderijs libẽter annuimus, illaq; pręcipue cũ ad orthodoxæ fidei consolationem Christifidelium consciẽtiarum serenationem, aliasq; ad Christianæ religionis augmentũ cedere dignoscuntur fauorib. prosequimur opportunis. Dudum siquidem quondam Bonifacius Nonus in sua obedientia de qua partes ille, tunc erat nuncupatus, de origine, vita, & moribus, alijsq; multiplicibus pijs,& sanctis, ac virtuosis operibus, necnõ miraculis præsertim tunc expressis, quæ Deus Benedictus in premium sanctitatis B. Viduæ Brigittæ, quam vulgares Brigidam appellabant, prout appellant tam illa superstite, quam post eius resolutionem fœlicem pręter, & supra vires naturæ operari & mundo monstrare dignatus fuerat, nec operari desierat, per ea, quæ tam de fœlicis recordat. *Gregorij Papæ XI.* prædecessoris nostri. Et quondam Vrbani VI. in eadem obedientia, in qua ipsi Bonifacio immediate præcesserant nominati, quam suo mandato super his per testes idoneos,& alias probationes legitimas habita fuerunt certius informatus. Et pro parte recolendæ memoriæ Margaritæ Reginæ *Suetiæ*, ac *Prælatorum*,& procerum *Regni* eius, necnon dilectorum filiorum populi, & officialium Almæ Vrbis, ac aliorum plurimorum Christifidelium sæpius, & cum instantia requisitus ad honorem Dei Omnipotentis *Patris*, & *Filij*, & *Spiritus Sancti*. Et ad exaltationem orthodoxæ fidei,& Christianæ religionis augmentum. Necnon huiusmodi ad sedationem detestabilis scismatis tunc vigentis, ac fidei & Ecclesiæ vnionem auctoritate ipsius *Dei*, Patris, & Filij, & *Spiritus Sancti*, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, atque sua de fratrum suorum consilio, & assensu, omniumq; prælatorum in sua curia consistentium decreuit, declarauit, diffiniuit, siue pronunciauit præfatam Brigittam sanctam esse,& tanquã sanctam ab vniuersali Ecclesia venerari, ac sanctorum Cathalogo ascribi debere, & ascripsit statuens, vt ab vniuersali Ecclesia Anno quolibet in die, qua illam post deuictum, triumphatumq; mundum in perpetuas æternitates præsens vita parturijt, videlicet x. Kalen. Augusti, festum ipsius, & officium sicut pro vna Sancta non virgine, nec martyre, deuote,& solemniter celebraretur. Et vt ad venerabile sepulchrum eius ardentius, & affluentius Christi fideliũ conflueret multitudo, & eiusdem sanctæ celebrius coleretur festiuitas, & eius nomen celebrius recoleretur authoritate prædicta omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui huiusmodi eius sepulchrum apud monasterium in Vuatzsteno ordinis S. Augustini, Sancti Saluatoris nuncupati Lincopen. diocesis per dictam Brigittam fundatum in eiusdem festi, necnon v. Kalen. Iunij, quo videlicet die venerandum ipsius Brigittæ corpus apud ipsum monasterium translatum fuit, & sub tunc occurrentibus diebus deuote visitauerint annuatim singulis, videlicet eorundẽ dierum, quibus dictum sepulchrũ visitauerint, vt præfertur septem annos,& totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxauit, prout in litteris dicti *Bonifacij* desuper confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inferri fecimus plenius continetur. Quare pro parte charissimi in Christo filij nostri *Erici Regis Suetiæ* illustris asserentis se ad hoc singularem gerere deuotionis affectum nobis fuit humiliter supplicatum, vt cum præfatum detestabile scisma, iam per *Dei* clementiam sedatum existat, dictaq; sancta Brigitta in præfato vnde originem traxit,& alijs circumuicinis regnis, & partibus, & præcipue, & communius præ cæteris partibus in diuini nominis laudem veneratur, & colitur, & deuotio habeatur ad eandem ad maiorẽ dictæ Christianæ religionis augmentationem, bonorumq; mentium, & conscientiarum serenationem puriorem, decretum declarationem, diffinitionem, siue pronunciationem, necnon ascriptionem, & relaxationem prædicta,& alia in dictis litteris contenta authoritate apostolica ratificare, & approbare,& apostolico munimine roborare, ac defectus si qui in eis forsan interuenerint supplere de benignitate Apostolica

di-

gnaremur. Nos igitur ipsius regis preclarę eius deuotionis, & sinceritatis affectibus, quibus erga Deum, & nos, ac Romanam Ecclesiam clarere dignoscitur, diligenter consideratis in hac parte supplicationibus inclinati decretum, declarationem, deffinitionem, seu pronunciationem, necnon ascriptionem, & relaxationem, ac alia in dictis litteris contenta huiusmodi rata habentes, & grata ex authoritate Apostolica tenore pręsentium ex certa scientia approbamus, & etiam confirmamus, ac pręsentis scripti patrocinio communimus supplētes omnes defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, tenor vero dictarum litterarum anteponitur, & est talis. Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, communitionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationē omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Florent. Kal. Iulij. Pontificatus nostri Anno secundo.

CAPITVLVM SEXTVM DE ordine procedendi in declaratione articulorum præsentatorum coram iudice fidei, & deputatis.

HIs autem tanquā generalib. & communib. signis, & argumentis approbandū libros S. Brig. nihil aduersū fidei catholicę, aut Sanctorum doctorū doctrinæ contrarium cōtinere præmissis. Iā hoc in particulari ostendendū venit, cum protestationibus suprapositis per singulos articulos, qui de libris eiusdē extracti tanquā suspecti coram Reuerendiss. P. & D. Cardinali S. Petri. Iudice fidei in hoc Sacro Generali Concil. Basiliensi presentati fuerunt, in quo quidem processu talis ordo tenebitur, quoniam primo ponetur articulus, prout in codicillo præsentato ab æmulis, & calumniantib. aduersus lib. reuelationum S. Brig. continetur. Secundo, vbi reperitur falsæ, aut infideliter extractus, sicut sæpe actum est corrigetur, & ponetur veraciter articulus, vt in forma stat in lib. originali. Tertio declarabitur veritas articuli, aut possibilitas eius, quod tāquam impossibile calumniantib. visum est, aut saltē Sacræ scripturæ, aut Sanctorum doctorum approbatæ doctrinæ non contradicere.

ARTICVLVS PRIMVS in ordine.

PRimus articulus, vt iacet in sexterno nobis præsentato ex capitulo primo primi libri, &c. Articulis omnibus qui sunt 123. numero, gratia breuitatis cum suis declarationibus, & defensorijs hiccine prætermissis. Tandem 123. articuli, & vltimi defensorium sic concludit. Et per consequens de omnibus articulis mihi in codicillo præsentatis, quibus omnibus consideratis, & conformiter ad dicta Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Doctorum, & etiam scholæ bonorum Theologorum intellectis, non apparet mihi, quod liber iste, aut doctrina eius sit suspecta habenda, nec in qualitate, nec in figura, nec in pondere, vt verbis vtar aduersarii. Non in qualitate, siue in specie cum in ea sit aurum verum doctrinæ sanæ. Non in figūra, quia conformis est tam Sacræ Scripturæ quam Sanctorum doctorum, sicut patet ex supra positis. Tertio nec in pondere grauitatis cum tota referatur ad gloriam Dei, & reformationem populi Christiani. Pondus enim, vt dicit Augustinus amor est, pondus meū amor meus. Tam grauior enim, & maioris ponderis doctrina aliqua dicitur quāto magis ordinatur ad amorē Dei nutriendum, fouendumq; in cordibus fidelium. Sed calumniator dicit, quod potissime in figura ista doctrina videtur suspecta, quia a modo visionum, & doctrinæ Sanctorum Patrum aliena videtur, sicut in vna visione, vbi dicit, quod vidit Deum in specie Dei. Et in alio loco submittit visiones suas examini, hæc ille. Quanquam locum inuenire in reuelationibus prędictis nō potuerim, vbi verba ista ponantur, & per consequens de eis sicut in multis merito dicere conuenit, tanquam minus fideliter allegatis posset supersederi, tamen ad ea plenitudinis huius tractatus gratia duxi etiam respondendum. Dico enim, quod tam apud Philosophos, quam apud Theologos species rei, dicatur similitudo rei, & cum visio Dei in via, siue reuelationes fiant per aliquas similitudines representatiuas Dei, aut eorū, de quibus fit reuelatio, dicente Aug. 14. de trinitate, cum Deū cognoscimus fit aliqua similitudo Dei in nobis, non est alienum a veritate, quod dicit Beata Brigitta, quod scilicet vidit Deum per speciem Dei, idest similitudinem aliquam Dei eius intellectui diuinitus impressam. Non autem

per speciem, quæ dicitur ipsa essentia nuda deitatis. *Hac* quippe specie visio perficitur beata in qua idem est obiectum beatificans, & species intelligibilis ad quam se perduci exorat Ecclesia militans in oratione solemnitatis currentis epiphaniæ ita dicens. Deus qui hodierna die Vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti, concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsq; ad contemplandam speciē tuæ celsitudinis perducamur. Et ita patet, quod calumniator in hac non habet causam calumniandi. Ecce patres venerabiles, quid paruitati ingenioli mei nihil temere asserendo dicendum occurrit circa singulos articulos, super quibus vigilanter intendere, & iuxta mihi creditam a Deo gratiam scribere rogastis. Plane omnes, & singulos accurato satis studio iuxta vires meas examinaui, & nullum eorum pie, & modeste intellectum reperiens Sacrę scripturæ, aut Sanctorum patrum aduersum sententijs, sed consonum, & conformem satis reputo vnumquemq; & oēs eos iuxta eorum modestā, & piam intelligentiam esse admittendos, & posse legi in Ecclesia Sanctæ Dei eo modo, quo multorum aliorum doctorū libri, & sanctorum historiæ, & legendæ licentiantur legi fidelibus, sed si forsan, aut per ignorantiam meam, aut paruitatem ingenij, aut accommodati temporis angustiam præsenti studio minus complete satisfecerim votis vestris, & tam gloriæ Sanctæ honori, veniam peto. Pro his autem, quæ tam sincera deuotione, & inflammatō animo pro defensione sanctitatis B. Brigittæ, & vestræ celebris institutricis, vestris precibus inuitatus peregi, sororum vestri Ordinis, atq; fratrum orationibus, rogo me recommendatum facere velitis, vt huius deuotissimę Christi ancillæ patrocinio fretus a Domino amoris gratiam consequi merear in præsenti, & gloriam in futuro. Amen.

Subscriptio de manu D. Card.

Ita esse confiteor ego Ioannes de Turrecremata vulgariter nuncupatus presbyter Cardinalis, tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim, olim Sancti Sixti.

SEQVITVR LITTERA TESTIMONIALIS, ET DECRETUM Domini Iudicis Cameræ Apostolicæ super præmissis declarationibus Domini Ioannis Cardinalis de Turre cremata.

VNIVERSIS, & singulis Christi fidelibus pręsētes litteras, siue pręsēs publicum instrumentum inspecturis, lecturis, seu legi audituris. Lodouicus de Garsiis vtriusq; iuris Doctor, Canonicus Eccle. Bononien. & Apostolicæ Cam. Clericus, necnon Reuerendi Patris D. Ioannis de Caruayalis eiusdem Cam. Apost. Generalis Auditoris. De mandato Sanctiss. D. nostri Papæ Locumtenens. Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Vniuersitati vestræ cum pium, & ratione consonum sit veritati testimonium perhibere. Nos quod vidimus, & audiuimus Sacræ Scripturæ attestante, & approbante eloquio attestamur, & tenore præsentium significamus quendam librum de certis approbatis scriptis pro declaratione certorum articulorum extractorum, ex reuelationibus B. Brigittæ factum, corio rubeo coopertum, & sigillo oblongo de cera alba rubeę ceræ impresso eidem libro in cordula rubea impenden. sigillatum, & in eius fine de alia manu pro contentorum in eodem approbatione subscriptum in hæc verba. Ita esse confiteor. Ego Ioannes de Turre cremata vulgariter nuncupatus, presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Mariæ transtiberim olim Sancti Sixti. Coram nobis tanquam Romanæ Curiæ ordinario productum, & exhibitum fuisse. Et vt de dicto libro, & contentis in eodem decursu temporis, & propter fragilitatem naturæ humanæ in futurum maior fides, & certior adhibeatur, & illa quæ per sanctos patres in concilijs generalibus edita, & facta sunt vigorem, & roboris firmitatē habeant. Nos Lodouicus Locumtenens præfatus ad religiosorum virorum fratrum magni Vnonis Confessoris Generalis, & Olaui Petri conuentualis Monasterij Sanctę Mariæ Virginis, & Brigittæ de Vuatzsteno Ordinis Sancti Augustini, Sancti Saluatoris nuncupati in Regno Sueciæ diocesis Lincopen. in-

inſtantiam, & requiſitionem, omnes & ſingulos ſua communiter, vel diuiſim intereſſe putantes, eorumq; procuratores ſi qui ſint in Romana curia pro eiſdem, quos infraſcriptum tangit negocium, ſeu tangere poterit quomodolibet infuturum, ad videndum, & audiendum dictam ſcripturam, ſeu manum in fine eiuſdem libri ſubſcriptã necnon ſigillum eidem appenſum produci, & recipi. Et poſtquam producta, & recepta fuerint ad videndum, & audiendum nõnullos teſtes de & ſuper recognitione ſcripturæ, ſeu manus, & ſigilli antedicto libro appoſitæ, & impenſi produci recipi examinari, & debite interrogari, & iurare, & ad iurandum admitti, & poſtquam recognita fuerint ad videndum, & audiendum ipſa publicari, & in publicam formam redigi mandari. Auctoritatemq;, & decretum dictæ curię interponi, & dicendum, ac cauſam ſi quã haberent legitimam, & rationabilem quare præmiſſa minime fieri deberent allegãdum per noſtras litteras, & iudicium publicum in audientia publica litterarum contra dictarum Domini noſtri Papæ, vt moris eſt citari mandauimus, & fecimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem, & horam infraſcriptas, quibus quidem die, & hora aduenientibus comparuerunt in iudicio coram nobis præfati fratres Magnus, & Olauus, & dictas litteras citatorias in dicta audientia debite executas, facto realiter, & in ſcriptis exhibuerunt, atq; produxerunt, citatorumq; in eiſdem contentorum non comparentium, neq; huiuſmodi dicto termino ſatisfacere curantium, contumaciam accuſarunt. Ipſoſque contumaces reputari, & in eorum contumaciam ſupradictum librum ſcripturam, ſeu manum, atq; ſigillum exhibuerunt, ac etiam nonnullos teſtes fidedignos notabiles, & legales de & ſuper recognitione ſcripturæ, ſeu manus, & ſigilli huiuſmodi produxerunt, quos per nos recipi, & admitti, eorumque, & cuiuslibet eorum. Iuramenta ſuper præmiſſis recipi, nec non examinari, & interrogari ſuper recognitione ſupradicta, & poſtquam recognita fuerint ipſa publicari, & in publicam formam redigi mandari, decretumq; & auctoritatem noſtram, ac dictæ curiæ ordinariam, & iudiciariam per nos interponi debita cum inſtantia poſtularunt. Nos tunc Ludouicus Locumtenens præfatus ſupradictos citatos non comparentes, neque huiuſmodi termino ſatisfacere curantes reputauimus, merito prout erant id exigente iuſtitia contumaces, & in eorum contumaciam ſupradictos teſtes de & ſuper recognitione ſcripturæ, ſeu manus, & ſigilli huiuſmodi in forma iuris recepimus, & admiſimus; quibus ſcriptura, ſeu manu, & ſigillo huiuſmodi oſtenſis, ac per eos, & eorum quemlibet ſucceſſiue viſis, & diligenter inſpectis, necnon ipſis per nos ſuper recognitione ſcripturæ, ſeu manus, & ſigilli prædictorum examinatis, & diligenter interrogatis medijs eorum iuramentis prius præſtitis ſucceſſiue dixerunt, ac quilibet eorum dixit tactis per eos, & eorum quemlibet ad mandatum noſtrum, & in noſtris manibus corporaliter ſcripturis ſacroſanctis ad ſancta Dei Euangelia ſcripturam, ſeu manum, & ſigillum huiuſmodi ſe bene recognoſcere, & eſſe illius cuius eſſe dicuntur, videlicet Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Ioannis miſeratione diuina tituli Sanctæ Mariæ in Tranſtiberim olim ſancti Sixti, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis de Turre cremata vulgariter nuncupati. Quibus ſic rite, & legitime peractis. Nos Ludouicus Locumtenens præfatus ſupradictum librum reperimus manu propria ipſius Reuerendiſſimi Domini Ioannis Cardinalis antedicti fuiſſe, & eſſe veraciter ſubſcriptum, & ipſius ſigillo eidem libro appẽſo pro contentorum in eodem approbatione ſigillatum, & munitum. Scripturamq; ſæpedictam, ſeu manum, & ſigillum ſic vt præmittitur recognita ad manus recepimus, ipſaque vidimus, tenuimus, & diligenter inſpeximus, ac ea ſana, illæſa, integra, & non vitiata, neque in aliqua ſui parte ſuſpecta, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentia proſpeximus, ac ipſa pro recognitis habuimus, ac haberi voluimus. Idcirco omnibus, & ſingulis ſupradictis, tam rite, & legitime factis, & celebratis in eodem indicio coram nobis, vt dictis ſcripturæ, ſeu manu, & ſigillo atq; libro, ac omnibus contentis in eiſdem plenaria fides, & firma adhibeatur, vbiq; locorum, & terrarum, noſtram, & dictæ curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ, auctoritatem iudiciariam, & ordinariam interpoſuimus, ac tenore præſentium interponimus pariter, & decretum. In quorũ omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras, ſeu præſens publicum inſtrumentũ exinde fieri, & per diſcretum virum magiſtrum Ioannẽ de Caſtello, notarium publicum, noſtrũq; & dictæ curiæ cauſarum Cameræ Apoſt. Scribam infraſcriptum publicari, & in hanc publicam formam redigi mandauimus, & fecimus, ipſumq; & totum librum ſuperius hic conſcriptum ſigilli dictæ curiæ cauſarum Cameræ, Apoſtolicæ noſtri Camerariatus officij quo vtimur ex certa ſcientia iuſſimus appenſione communiri.

Datum, & actum Romæ apud S. Petrũ in palatio cauſarum Apoſtolico, ĩ quo iura reddi ſolent a nobis inibi mane hora cauſarum conſueta ad iura reddendum, & cauſas audiendum in loco noſtro ſolito, & conſueto pro tribunali ſedente. Sub anno a Domini 1446. Inditione ix. die vero Mercurij vigeſimanona menſis Martij. Pontificatus Sanctiſs. in Christo Patris, & Domini noſtri D. Eugenij Papę Quarti, anno ſextodecimo, Præſentibus ibidem diſcretis viris Domino Cubello Millis Decano Theanen. & Ameri to clerico Andegauen. teſtibus ad pręmiſſa vocatis, ſpecialiter, & rogatis.

Ioannes de Caſtello dicta Curia Notarius.

INSTRVMENTVM, ET SVBSCRIPTIO NOTARII ſcribę, & ſecretarij, Domini Cardinalis ſupradicti.

IN nomine indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Anno Dominicæ natiuitatis 1446. Indictione viij. tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Eugenij, diuina prouidentia Papæ Quarti. Ego Iacobus Domini diui de Callio publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, ac nunc ſupraſcripti Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Ioannis tituli Sanctæ Mariæ in Transtiberim, quondam Sancti Syxti Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinalis Notarius. Scriba, ac Secretarius. Quia ex commiſſione, & mandato præfati Reuerendiſſimi D. Cardinalis, declarationes, expoſitiones, capitula, & cętera ſuprascripta cum libro, ſiue quinternis propriorum originalium, dicti Reuerendiſſimi Domini Cardinalis, vna cum venerabilibus patribus Magno confeſſore, & Olauo fratribus predictis, qui mecum ſuper his laborauerunt fideliter, ac diligenter auſcultaui, collationaui, contractaui, concordaui, & examinaui. Inueniens in omnibus & per omnia concordare de verbo ad verbum, & nihil eſſe additum, vel diminutum, quod ſententiam mutet, aut vitiet intellectum. Et quia die quinta Aprilis dicti anni præſentibus prædictis Magno, & Olauo, & venerabilibus viris magiſtro Petro Mathæi de Vallibus Aroſien. R. Erico Vaſtonis clerico Lincopen. diocesis teſtibus, inſcripta verba remiſſa, & emendata, ſcilicet in ſecundo fol. in bulla canonizationis hæc verba. Thobiam iuniorem, & Saram Raguelis imitati, & in marg. tertij fol. in princip. ſimiliter eiuſdem bullæ hæc verba, mandatum, quater in hebdomada ieiunaret, & ſimiliter. Et in 4. fol. art. 4. hoc verbum in æternum. Et in fine eiuſdem quarti fol. in fine artic. ſexti, in margine hæc verba. In hac anguſtia mei poteris miſereri, qui ſolus. Et in 5. fol. in art. duodecimo, in margine hæc verba. Alio modo proprie dicta in eodem fol. in art. 13. in marg. hæc verba poſſet ei adęquari, nec paſſio corporis. Et in fol. 8. in artic. 44. in marg. hæc verba. Sicut cum pro aliquo. Et in fol. 9. art. 55. in margine hæc verba. Canoniſtæ, & doctores. Et in fol. 10. in art. 44. hæc verba in margine. Informatione, & correptione. Et in eodem fol. in artic. 66. in penultimo verſu inter lineas hæc verba. Nunquam depoſuit animam. Et in fol. 13. in artic. 86. in margine hæc verba. Naturalibus ſiue in rebus. Et in fol. 14. in art. 90. in 6. linea hoc verbum fiunt. Et in fol. 16. in art. 117. in linea tertia, hoc verbum angelos. Et in eodem folio, & in eodem art. in linea 4. prope finem art. hæc verba. Et gloriæ. Et in fol. 17. in art. 121. in quarta linea hoc verbum vnus. Collationaui cum præfatis originalibus, & reperi fuiſſe per ſcriptoris errorem dimiſſa. Deinde bene, & fideliter emendata ſuppleta, & remiſſa ad prædictorum Magni, & Olaui fratrum inſtantiam, & requiſitionum in prædictorum omnium, & ſingulorum fidem robur, & teſtimonium me mea propria manu ſubſcripſi, & ſigno meo conſueto ſignaui.

INCIPIT PROLOGVS

IN LIB. REVELATIONVM COELESTIVM BEATAE MEMORIAE DOMINAE BRIGITTAE DE SVETIA, DIVINITVS SIBI FACTARVM.

Qui prologus fuit editus, per venerabilem virum magiſtrum Matthiam de Suetia:

STVPOR, & mirabilia audita ſunt in terra noſtra. Mirabile ſiquidem erat, quod zelator legis Moyſes, igneã legem in vltionem peccatorum de medio ignis zeli Dei audiret. Sed ſtupendum eſt, quod hodie humiles, & manſueti ſpiritu: vocem Ieſu Chriſti Dei, & hominis audiunt, vt olim Helyas in ſibilo auræ tenuis audiuit. Qui enim duriſſimum ignarum, & rudem populum, zelo iuſtitiæ ſuæ, legi ſuæ primum ſubdidit per timorem, nunc in lenitate miſericordiæ, populum vtraq; lege, ſcilicet veteri, & noua eruditum, ſubdere diſponit per amorem. Præceſſerat enim ſpiritus grãdis terroris Dei, ſubuertens montes ſuperborum, & conterens petras induratorum cordium, & commotio pœnitentiæ conturbantis mentes ad ſalutem, & ignis diuinæ dilectionis, in Euangelio Chriſti coruſcantis, per euidentiſſima magnæ charitatis eius ad ſuos indicia, qui ſemetipſum pro eis tradidit in mortem, ne ipſi in æternum morerentur, & ſuorum ad ipſos ſemetipſos pro gloria eius tradentium. Vt ſic quodammodo loquar, in hoc igne Deus non ſecundum ſuæ diuinitatis excellentiam, ſed ſecundum noſtræ ſeruilitatis humilem conditionem apparuit, in qua mundum redemit. Et ſequitur iam ſibilus lenitatis diuinæ miſericordię. Omnes propter preces, & merita matris miſericordiæ Virginis Marię ab æſtu peccati ad auram placidiſſimę miſericordię conuocans. Et in hac aura Dominus, cui proprium eſt miſereri, omnipotentiam ſuæ diuinitatis in ſublimitate maximę miſerationis manifeſtat. Vt inexcuſabiles ſint omnes, apparente diuino iudicio, qui miſericordiam ſuam leniter, & dulciter exhibitam contempſerunt. Vel nunquid non inexcuſabiliter dignus eſt iuſtitia diuini iudicij feriri, qui tam dulcibus verbis, & operibus quam huius reuelationis ſeries continet oblatam ſibi contemnit, & reſpuit miſerationem? Quapropter præparent omnes animos, expandant omnes voluntatum ſuarũ ſinus. Vt menſura miſericordiæ bona, ſcilicet ſuper meritum, conferta, ſuper ſperatum, coagitata, ſuper deſiderium, & omnem cogitationem ſupereffluens, per mediatricem Dei, & hominum, a filio ſuo, fonte, ſcilicet omnis pietatis infundatur. Nec ſuſpectio vlla falſitatis ſpiritus, mentibus iſta legentium obrepat. Non enim credendum eſt, quod ſpiritus malignus, vel vere iuſtos decipiat, vel peccatores in melius conuertat, vel charitatem, quam non habet frigidis cordibus infundere queat, vel in aliquo gloriam Dei, cui inuidet promoueat. Sicut enim impoſſibile eſt, quod ſpiritus veritatis, vel loquatur mendacium, vel a iuſtitia quenquam auertat, vel ſuperbiam, & inuidiam cordibus ſibi ſubditis inſpiret, vel omnipotentiæ Dei contemptum adducat. Sic ſpiritui falſitatis oppoſita horum malorum, propter inolitam ei malignitatẽ & nequitiam, omninò ſunt interdicta. Aut ſi quis forte hoc vel aliquid horum bonorum, ſpiritui maligno poſſibilia eſſe ad faciendum contendat, ſubſequens eſt, vt oppoſita horum ſpiritui benigno, & ſancto poſſibilia eſſe concedat. Et veniat ineuitabilis error, vt mala Deo, & bona diabolo tribuatur,

tur,

tur, & iuſtorum princeps, & rector credatur diabolus impiorum vero fautor, & inſtigator Deus eſſe blaſphemetur. Quod ſi quis vere iuſtum diſcernere velit, ne per fucatam iuſtitiam decipiatur, ſciat quod a vere iuſto relegata ſunt. Primum omnia fere mala quantum ad æternam mortem operantur, ſcilicet luxuria, cupiditas, & ſuperbia. Deinde etiam falſa bona, ſcilicet virtus, vanæ gloriæ ad ſe oſtentandum, vel puſillanimis ad iuſtitiam defendendum, vel amaro zelo feruens ad alios iudicandum, vt ſic in iuſtitia ſit humilis ex virtute, ſtabilis ex humilitate, tranquillus ex animi ſtabilitate, vnde & vere iuſtus, nec gloriã propriam quærit, vt per hanc a diabolo decipiatur, nec puſillanimitate a defenſione iuſtitiæ recedit, vt per hoc a malignitate hominum vincatur, nec turbationibus quibuſcumque ſuccumbit, vt ſtatus animi eius a rectę rationis fundamento, feruore impatientiæ euertatur. Non enim in hoc iuſtus non eſt quicunque, quod ei turbatio mentis accidit, ſi tamen turbatio eum a patientiæ, & cęterarum virtutum fundamento non euertit, vnde & Chriſtus cum ex triſtitia, & turbatione agoniæ mentis dixiſſet ad patrem transfer calicem hunc a me oſtendens, quod turbatio illa, animum ſuũ a fundamento virtutum non euerterat, adiunxit. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Nec minus hoc quam quod ſuperius dictum eſt, in præallegata figura, notare poterit. Spiritus enim grandis eſt vanagloria, quæ omnem virtutum eminentiam, quæ eſt in modum montium, omnemque conſtantiam, quæ eſt ve firmitas petrarum ſubuertit, & terror comminationum, & perſequentium commouet corda, vt cedant importunitatibus hominum. Igniſq; zeli exardeſcit iniuſto, nondum virtute patientiæ, & manſuetudinis perfecto contra peccatores, vt patet in phariſæo, qui de iuſtitia ſua gloriabatur, & indignationis igne contra publicanum, ſicut, & Symon contra Magdalenam feruebat. Sed non eſt in tali feruore dominus, & ideo datur diabolo tentandi, & decipiendi locus. Talia de ſponſa Chriſti, quam ſibi in huiuſmodi gratiæ miniſterium elegerat, ſuſpicanda non ſunt. Quæ adhuc in coniugio viuens, maritum ſuum ad continentiæ perfectionem adduxit, vt multis annis ſimul ſine exactione, & redditione debiti coniugalis viuerent. Iamque adhuc ligata matrimonio, ſobrietatem vidualem in victu, & veſtitu præferebat, deuotioq; cordis eius, & orationũ inſtantia, magnam in ea futuræ religionis, & gratiæ perfectionem præmonſtrabant. Cumq; iam a lege viri ſoluta eſſet, bona ſua hæredibus, & pauperibus diſtribuiſſet, & a mundi retinaculis ſe expediens, & Chriſtum pauperem pauper ſequens, nihil ſibi niſi ſimpliciſſimum victum, & veſtitum contemptibilem retinebat. Propter quod & eam quæ omnem mundi conſolationem reiecerat. Chriſtus mirandis conſolationibus, & gratijs viſitabat. In quibus omnibus non ſuam, ſed Dei gloriam quærens latere quidem ob humanitatis cuſtodiam maluiſſet, niſi quantum ad proximorum ſalutem ſe per imperium ſpiritus, vel potius Chriſti in ſpiritu ſibi apparentis certis ſe perſonis manifeſtare iuſſa fuit. Optabatq; opprobrijs, & contumelijs ſuis Chriſti cumulare gloriam, veritate, manſuetudine, & iuſtitia formam vitæ Chriſti in ſe exprimens, etiam a minimis, & vilibus perſonis gratis, & impune lędi ſufferebat. Quis talem vitam exiſtimet ludibrijs patere dæmonum, Chriſtumq; tantæ impietatis arguere audebit, vt non tueretur in ſe ſperantem, & non ſe, ſed ipſum ex dilectionis eius plenitudine glorificantem? Vel nunquid bonus ſponſus, caſtam coniugem, & fidelem, exponit adultero illudendam. Cedat igitur temeritas ſtulti iudicij, & detur locus gloriæ, & gratiæ Dei, quæ tanto maior eſſe cognoſcitur, quanto ignorantiæ, & modicæ fidei noſtrę videtur incredibilior. Quis enim niſi eiuſdem ſpiritus gratia pręuentus credere potuit, quod Chriſtus reſidens in cœlo, loquatur fœmine in hac mortalitate adhuc degenti? Sed ſicut ex ipſius Chriſti verbis accepimus. Cum aſpiciuntur montes, & ſyluę videtur cœlum, eminentię eorum, licet non ſit propinquum. Sic & Chriſtus in cœlo regnans ſpirituali viſione propinquus videri poterit, quantumlibet corporali pręſentia remotus ſit, cuiuſmodi viſioni localis diſtantia nequit pręiudicare. O vere ſtupenda, & ſuper admiranda apparitio, & gratia. Et certe omni nationi quæ ſub cœlo eſt reuelanda, qua Chriſtus tam grauiter flagitijs chriſtianorum leſus, vt vix vllæ reliquiæ ſeminis iuſtitiæ inueniantur, miſericordiam exhibet ingratis, & reos allicit ad veniam flagitandam. Sane ſtupendior eſt hæc apparitio illa, qua ſe per carnem monſtrauit. Illa carnis ſuperficiem carnalibus oculis ingeſſit, hæc Deũ, & hominem ſpiritualibus oculis ingerit. Per illam moriturus mortalibus loquebatur, per hanc ſemper victurus, morituris, vt immortales fiant loquitur. Per illam ambulans in terra in humanis diuina monſtrabat, per hanc regnans in cœlo, humana diuinis reconciliat. In illa debitum iuſtitiæ moriendo pro nobis ſoluit, in hac indebitæ nobis peccatoribus miſericordiæ munus

lar-

largiri promittit. Tam ſtupenda inquam eſt hæc admirabilis apparitio, quod vix credi poteſt, & a parua humani cordis capacitate comprehendi, virtus tanti miraculi. Nam licet ipſa ratio veritatem virtute plenam, in ipſis verbis, & operibus, quę in apparitione hac audiuntur, & exprimendo probantur inueniat, infirmitas tamen ipſa non capit, quod ratio audientium verba, & experientium beneficia capiendum dicit. Nam & ego ipſe, qui hæc ſcripſi, licet certiſſime mihi de hoc ſpiritu per verba, & opera plene veritas conſtiterit, vix tamen ipſe captio, quod tamen omni acceptione digniſſimum eſſe iudico. Nedum exiſtimare queam, omnes hoc auditores credere poſſe, qui verba non audierunt, & opera neſcierunt. Sicut de Chriſti Reſurrectione dicitur, quod paulatim per multa argumenta monſtrata eſt, quia totam ſimul nouitatem miraculi fragilia mortalium pectora capere non potuerunt. Sic, & in hoc miraculo Chriſtum facturum credo longiorum curriculo temporum, magnitudinem miraculi, multis virtutum argumentis notam facere, quam oculi cordis peccatorum aſſueti tenebris, non poſſunt ſubito agnoſcere. Hoc tamen mentes omnium præparare ad faciliorem acceptationem veritatis debet, quod tot verba, totque miracula, non aliam fidem prædicant, niſi quam Chriſtus prædicauit. Non nouum nobis Chriſtum inducunt, ſed eundẽ, qui pro nobis paſſus fuit. Nihil veritati, quæ in Chriſto eſt ſubtrahunt, aut addunt, ſed miſericordiæ, quæ tanto in eis abundantior oſtenditur, quanto iam peccatorum miſeria ſuper id, quod vnquam fuerat cognoſcitur maior. Gratias ergo patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis agamus, qui in tot ſeneſcentis mundi miſerijs tot miſericordijs occurrit miſeris, ne labantur in baratrum deſperationis.

Qui enim ſobrie, fideliterque verba præſentis libri, quæ reſpectu multorum pauca ſunt attendere voluerit, dubitare non poterit verba non illius, quæ virtute vacua eſt, ſed eius quæ virtute plena eſt veritatis, dici non potuiſſe, niſi a ſpiritu veritatis. Qui etiam opera eius probare voluerit, inueniet fide dignos teſtes, quibus operum veritatem ſi voluerit comprobabit. Initium autem huius reuelationis factæ ad prædictam dominam, & tranſmiſſum ad me, qui hunc prologum præmiſi, vt cęteris illud notum facerem, taliter a Chriſto aſſumebatur. Diabolus tripliciter peccauit, ſcilicet ſuperbia, eo quod ipſum bene creaui, Cupiditate, qua mihi non ſolum par, ſed & ſuperior eſſe ambiuit, & voluptate qua tantum deitatis meæ gloria delectabatur, vt libenter ſi potuiſſet me occidiſſet, vt loco meo regnare potuiſſet. Et ob hoc de cœlo corruens, his tribus peccatis mundũ repleuit, & per ea humanum genus violauit. Propter quod ego ipſe humanitatem aſſumpſi, & in mundum veni, vt humilitatẽ mea eius ſuperbiam adnihilarem. Paupertate mea eius cupiditatem deſtruerem, & grauiſſimam crucis pœnam ſubij, vt eius abhominabilem concupiſcentiam exterminarem, & homini ſanguine cordis mei, & a morte mea cœlum aperirem, peccatis ſuis præcluſum, ſi tamen ipſe velit quantum in ipſo eſt ad hoc operari. Sed nunc homines Regni Suetiæ, ſpecialiter illud hominum genus, quod curiale, ſeu militare dicitur, peccauit ſicut ante diabolus peccauit. Superbiunt enim de pulchris corporibus, quæ eis dedi. Diuitias ambiunt, quas eas dari nolui. Abominabili concupiſcentia ſic defluunt, vt ſi eis poſſibile eſſet, magis me occiderent, quam voluptatibus ſuis carere vellent, aut iudicium meum horribile, quod eis pro peccatis ſuis imminet ſuſtinerent. Et ideo corpora illa de quibus ſuperbiunt, occidentur gladio, lancea, & ſecuri. Membra illa ſpecioſa de quibus gloriantur, beſtiæ, & volucres lacerabunt. Bona quæ contra voluntatem meam congregant, alieni diripient, & ipſi egebunt. Propter abominabiles autẽ voluptates ſuas patri meo tantum diſplicent, quod eos admittere nõ dignatur ad faciei ſuę viſionem. Et quia me ſi poſſent libenter occiderent, ipſi ad inferna manibus diaboli tradentur, ab eo ęterna morte occidendi. *Hoc* autem iudicium diu ante Regno Suetię ſuperduxiſſem, niſi preces amicorum meorum, qui inter eos ſunt, obſiſterent, qui me ad miſericordiam inclinant. Et ideo veniet tempus, quando eoſdem amicos meos ad me colligam, ne videant mala, quę illi regno ſuperducam. Veruntamen aliqui amicorum meorum tunc viuent, & videbunt cumulum meritorum ſuorum. Nunc igitur, quia Reges, & Principes, & Prælati, ex beneficijs meis me cognoſcere nolunt, vt ad me veniant, ego pauperes, debiles, infantes, & miſerabiles perſonas congregabo, quibus loca eorum repleam, ne in exercitu meo ob eorum abſentiam aliquis ſit defectus. Cum autem perſona, cui hæc fiebat reuelatio ingemiſceret, & iudicium nimis durum conquereretur, adiunxit Dominus. Quamdiu viuit homo, aditus cœleſtis regni illi apertus eſt. Si ipſi nouerint mutare vitam, ego ſententiam noui mitigare. Sed & opera quę ad præſens oc-

occurrit, præſenti, veritatis confirmatiua hæc ſunt. Primum, quod vna ignara mulier hæc proponit, quæ nec fingere vult cũ ſit nobilis, & probatæ vitæ, in humilitate, & viduitate viuens, & ſi vellet neſciret, nec minimum confingere, cum ſit ſimpliciſſima & manſuetiſſima. Secundum eſt, quod conſcriptor horum, cum ſit religioſiſſimus, & ſimpliciſſimus, nulla ratione volens manum mittere ad ſcribendum, reputans ſe propter ignorantiam ſuam ad tantum opus minus idoneum, coactus fuit metu mortis a Chriſto, & fere mortuus donec conſenſit, & conſenſu facto, ſubito curatus eſt nõn ſucceſſu temporis. *Tercium* eſt, quod vnus dæmoniacus in Oſgocia, præſentibus duobus fidedignis teſtibus, ad verba oris prædicti religioſi, quorum formã hęc mulier a Chriſto audiuit, & frater ſecundum Chriſti imperium ad dęmonem dixit. Purgatus eſt. Quartum eſt vt alter dęmoniacus in Suetia, pręſentibus tribus fidedignis teſcibus, eodem modo purgatus eſt per eundem religioſum. Quintum eſt conuerſio vnius publice meretricis, per Beatę Virginis cum Chriſto dictę dominę apparentis ſubuentionem. Sextum eſt, conuerſio plurium magnatum in Regno Suetię, qui tempore, & loco vna voce cordis ſui motionem in melius experti, niſi ingrati fuerint Chriſto ab ipſo factam ad verba eius ab ipſo miſſa fatebuntur.

Explicit Prologus.

Digitized by Google

DISTINCTIO LIBRORVM HVIVS VOLVMINIS, & aliorum dogmatum annexorum.

PRimus liber habet admirabile mysterium S. Trinitatis, & Incarnationis, ac Redemptionis humani generis, vnde in principio sic habetur. *Ego sum creator Cœli, & terræ vnus in deitate cum Patre, & Spiritu sancto. Sequitur tu autem filia mea quam elegi mihi, & cum qua spiritu meo loquor, dilige me toto corde non sicut filium, & filiam, seu parentes, sed plusquam aliquid in mundo, quia ego qui creaui te, nulli membro meo peperci ad supplicium pro te.*

Secundus liber ostendit non esse austeriorē vitā vita militari, si in sua institutione fuerit obseruata, scilicet vt confortetur veritas, & dilatetur fides, nunc autem gloriantur de pulchris vestib. diuitias ambiunt, & in concupiscentia malorum exardescunt, ideo iustissime occiduntur.

Tertius liber vitam prælatorum, eorumq; periculum si male vixerint continet, immo, & magnam gratiam si recte processerint in officijs suis cōsequentur, quia nihil ita prouocat iram Dei, & homines ad peccandum sicut lasciuia prælatorū. *Heli, & Phinees* ponuntur hic pro exemplo.

Liber quartus continet triplicem pœnarum locum, quorum primus infernus est inferior, vbi nulla est redemptio, & locus purgatorium, in quo est tactus vermium venenosorum, & ferocium bestiarum, verum sub eo loco pœna quasi deficientium cessante infirmitate, & demum locus desiderij plenus conceditur meritorum in Ecclesia Catholica positorum, eisque succurritur per amicorum suffragia in operibus pijs. *Roma* autem pro peccatis quomodo flagellatur hoc lib. ca. 57. declaratur, & illi vero, qui *Ro: Ecclesiæ* subijci nolunt, quomodo punientur, libro 7. cap. 19. monstratur.

Liber quintus plenus est quęstionibus curiosis laborem fingentibus in pręcepto, prout mos est omnium hæreticorum, & rebellantium Deo vnde &. 16. interrogationes habet ad quas Iudex Christus mansuetissimę respondet, quarum secunda in tertia interrogatione habet. Cur cibis, & alijs delectabilibus non vtar ad omnem carnis appetitum &c. respondetur non, quia solum necessaria ad corporis sustentationem permittuntur, ne virtutes animæ nimia grauētur crapula. Item quęst. 3. interrog. 3. cur datum est liberum arbitrium, nisi vt satisfiat voluntati, respondetur, quod liberum arbitrium dimittendum est diuinæ voluntati, vt homo maius meritum consequatur. Item quæst. 5. quartæ interrog. quare alijs obediēdum est, cum voluntas sit in hominis potestate, respōdetur, quod nihil ita faciliter ducit ad pęnam æternam sicut voluntas propria sine ductore, ideo relinquat eam Deo per obedientiam, & habebit cœlum sine pœna.

Sextus liber habet multa mysteria de prælatis gloriantibus in scientijs suis, & vanitate mulierum exultantibus in superbo vestitu suo, dialogusque terribilis inter matrem, & filiam damnatas ostenditur. Veh inquit filia ò scorpio mater mea, veh mihi, quia male decepisti me, veh mihi, quia quæcunque a te cum gaudio didici hæc modo cum ploratu luo. Ad hoc mater. Veh mihi lacerta filia mea, quod vnquam fui mater tua, quia quoties imitaris peccata mea, quæ te docui toties innouatur pœna mea.

Septimus liber ostendit Ecclesiā per ingratitudinem nimium recessisse a Deo, quod nisi essent preces Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum misericordię spes non esset. Verum adeo patiēs longanimis, & misericors est iteratis verborū suorum remedijs, & consilijs, vt misericordia omnibus in tempore exhibeatur, & si recipere voluerint salui erunt, sin autem sentient iustitiam eius.

Octauus liber exhibet omnibus regibus, & principibus, immo & prælatis integerrimam viuendi formam, duplici enim potestate Ecclesiastica, videlicet, & laicali (adducto Petro, & Paulo in exemplum) mundum disposuit gubernari. Item de qualitate cōsiliariorum, & familiariū, repetuntur etiam hoc libro, quę in alijs superioribus ad salutem regū, & regnorum sunt prolata, vt ex 4. lib. c. 104. Qualiter pax fieri poterit inter regem Franciæ, & Angliæ, & ita de reliquis.

Demum regula diuinitus reuelata, quomodo beatæ viuendum sit in hoc ordine, vt & ipsi professores, & alij, qui hanc regulam sequuti fuerint feliciores fiant.

Insuper sermones Angelici de excellentia Beatissimæ Virginis annectuntur, quæ Romæ Angelo dictante prope venerabile Sacramentum in Ecclesia Sancti Laurentij in Damaso Beatæ Brigittæ ad latus habitanti reuelati fuerunt.

Inde quatuor Sanctissimæ orationes etiam diuinitus de eadem Beatissimæ Virginis totali vita annexæ leguntur, & tandem ad finem operis abbreuiata vita ipsius Beatæ Brigittæ, & filiæ eius Sanctæ Catherinæ.

Finaliter annexę sunt reuelationes plures extrauagantes dictæ, ad omnium statuum correctionem datæ, ex quibus remissiones fiunt ad diuersos libros supradictos.

Sit laus Deo.

Digitized by Google

INCIPIT PRIMVS LIBER

REVELATIONVM CÆLESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

VERBA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI AD SVAM ELECTAM SPONSAM DILECTISSIMAM.

De certificatione ſuæ excellentiſsimæ incarnationis; & de improbatione prophanationis, & fractionis fidei noſtræ, & baptiſmi; & qualiter ad ſui dilectionem inuitat præfatam dilectam ſponſam.

CAPVT PRIMVM.

EGO SVM Creator cæli & terræ, vnus in Deitate cum Patre & Spiritu Sancto. Ego ſum qui Prophetis, & Patriarchis loquebar, & quem ipſi expectabant. Ob quorum deſiderium & iuxta promiſsionem meam, aſſumpſi carnem ſine peccato & con-
1 cupiſcentia, 1, ingrediens viſcera Virginea,
var. tanquam ſol ſplendens per lapidem mundiſ-
lect. ſimum. Quia ſicut ſol vitrum ingrediendo non lędit, ſic nec virginitas Virginis in aſſumptione humanitatis meæ corrupta eſt. Ego autem ſic aſſumpſi carnem, vt non derelinquerem deitatem. Et non minor eram in Deitate cum Patre, & Spiritu Sancto omnia regens, & implens, licet in vtero Virgi-
2 nis eſſem cum humanitate. 2 Quia ſicut ſplendor nunquam ſeparatur ab igne, ſic Deitas mea nunquam ab humanitate ſeparata eſt nec in morte. Deinde corpus ipſum mundiſsimum à peccato pro peccatis omnium à planta pedis uſque ad uerticem, lacerari uolui & cruci affigi. Hoc etiam quo-

OMNIA QVE LOQVVTA ES VERA SVNT ET IN VERBIS TVIS NVLLA EST REPREHENSIO
IVDITH. VIII

INCIPIT PRIMVS LIBER

REVELATIONVM CÆLESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

VERBA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI AD SVAM ELECTAM SPONSAM DILECTISSIMAM.

De certificatione ſuæ excellentiſsimæ incarnationis; & de improbatione prophanationis, & fractionis fidei noſtræ, & baptiſmi; & qualiter ad ſui dilectionem inuitat præfatam dilectam ſponſam.

CAPVT PRIMVM.

EGO SVM Creator cœli & terræ, vnus in Deitate cum Patre & Spiritu Sancto. Ego ſum qui Prophetis, & Patriarchis loquebar, & quem ipſi expectabant. Ob quorum deſiderium & iuxta promiſsionem meam, aſſumpſi carnem ſine peccato & con-
1 cupiſcentia, 1, ingrediens viſcera Virginea,
var. lect. tanquam ſol ſplendens per lapidem mundiſſimum. Quia ſicut ſol vitrum ingrediendo non lędit, ſic nec virginitas Virginis in aſſumptione humanitatis meæ corrupta eſt. Ego autem ſic aſſumpſi carnem, vt non derelinquerem deitatem. Et non minor eram in Deitate cum Patre, & Spiritu Sancto omnia regens, & implens, licet in vtero Virgi-
2 nis eſſem cum humanitate. 2 Quia ſicut ſplendor nunquam ſeparatur ab igne, ſic Deitas mea nunquam ab humanitate ſeparata eſt nec in morte. Deinde corpus ipſum mundiſsimum à peccato pro peccatis omnium à planta pedis uſque ad uerticem, lacerari uolui & cruci affigi. Hoc etiam quo-

tidie nunc in altari immolatur, vt tanto amplius me homo diligeret, & frequentius beneficia mea recoleret. Sed nunc ex toto oblitus, & neglectus sum,& contemptus, & tanquam Rex a proprio regno expulsus. In cuius loco latro pessimus electus est, & ho-
3 noratus. 3 In homine denique regnum meũ esse volui,& super eum de iure Rex,& Dominus esse deberem, quia feci eum & redemi. Sed nunc fregit,& prophanauit fidem quam mihi promisit in baptismo, violauit & spreuit leges meas,quas ei proposui. Diligit voluntatem propriam, & me audire contem-
4 nit. 4 Insuper & pessimum latronem diabolum super me exaltat, & ei fidem suam dedit. Qui vere latro est, quia animam hominis, quam sanguine meo redemi, ipse mala suggerendo,& falsa pollicitando ad se ra-
5 pit. 5 Nec ideo rapit, quasi quod poten-
var. tior me sit, cum ita sim potens, vt omnia
lect. possim verbo, ita iustus, vt nec minimum quid etiam si omnes Sancti rogarent me, facerem contra iustitiam. Sed quia homo libero arbitrio datus voluntarie mandatis meis contemptis consentit diabolo, ideo iustum est, vt homo tyrannidem eius experia-
6 tur. 6 Quia ipse diabolus a me bonus factus, sed mala voluntate sua corruens quasi seruus meus est ad vindictam malorum. Sed licet modo ita despectus sum, tamen ita misericors sum, vt quicunque misericordiam meam petierint, & se humiliauerint, indulgeo eis quod commiserant, & ab iniquo latrone liberabo eos. Qui autem in contemptu meo perstiterint, visitabo super eos iustitiam meam, ita vt audientes contremi-
7 scent, 7 & qui experientur dicent, ve quia vnquam Dominum maiestatis prouocaui-
var. mus ad iram. Tu autem filia mea quam
lect. elegi mihi, 8 & cum qua spiritu meo loquor,
8 dilige me toto corde. Non sicut filium & filiam, seu parentes, sed plus quam aliquid in mundo. Quia ego qui creaui te, nulli membro meo peperci ad supplicium pro te. Et adhuc sic charitatiue diligo animam tuam, vt antequam ea carerem, adhuc iterum si possibile esset pro ea cruci affigerer. Imitare humilitatem meam, quia ego Rex gloriæ & Angelorum, pannis vilibus indutus fui, ad columnam nudus stabam omnia opprobria, & derisiones audiui auribus meis. Præpone etiam voluntatem meam voluntati tuæ, quia Mater mea Domina tua, a principio vsque ad finem, nunquam aliud voluit, nisi quod ego. Si hæc feceris tunc cor tuum erit in corde meo, & inflammabitur dilectione mea, quemadmodum aridum aliquid facile inflammatur ab igne, sic anima tua implebitur a me, & ego ero in te, ita vt omnia temporalia fient tibi amara, omnis voluptas carnis quasi venenum. Requiesces in brachio Deitatis meæ, vbi nulla voluptas carnis, sed gaudium,& delectatio spiritus. Quia anima delectata, interius & exterius plena est gaudio. Nec aliquid cogitat, vel cupit, nisi gaudium quod habet. Dilige ergo me solum,& omnia habebis, quæ velis, & abundabis. Nunquid non scriptum est, quod oleum viduæ non defecit, vsquequo Dominus dedit pluuiam super terram, iuxta verbum Prophetæ. Ego sum verus Propheta, si verbis meis credideris, & compleueris ea, oleum & gaudium, & exultatio tibi non deficient vsque in sempiternum.

CON-

Digitized by Google

CONSALVI DVRANTI
PRESBYTERI ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS
NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES
Ad Librum primum Cæleſtium Reuelationum Sanctæ Brigittæ.

CAPVT PRIMVM.

In impreſſis exemplaribus deſideratur titulus Libri, qui in Farneſiano Codice manuſcripto ſic habetur.

Ad honorem ſummi Patris, eiuſdemq. Filij, Spiritus ſancti, atque Matris. Incipit Liber Cæleſtium Reuelationum, & ſecretorum Dei mellifluí amoris, & miræ dulcedinis ad filiam eius electam, & ſponſam dulciſsimam.

1 var. lect. INGREDIENS viſcera virginea tanquam Sol ſplendens per lapidem mundiſſimum.

Sic habent omnes impreſſi Codices, ſed quomodo legendum eſſe arbitror (Sol ſplendens per vitrum mundiſſimum) ſic enim infra legimus hoc eodem Capite ibi (quia ſicut Sol vitrum ingrediendo non lædit, ſic nec virginitas Virginis in Aſſumptione humanitatis meæ corrupta eſt) eandem lectionem habet M. S. Farneſianus, & probant plures ex ſanctis Patribus, qui vt Chriſti Domini de virginali Thalamo egreſſum (ipſa Maria integra, et intacta remanente) explicarent: hac in ſpecie ſimilitudine vſi ſunt D. Baſilius Concione in ſanctam Chriſti Natiuitatem circa finem, Amadeus Hom. 3. de B. Virgine egregie propoſitam ſimilitudinem declarat, vt (inquit) claritas Solis vitrum abſque læſione penetrat, vt radius oculorum tranquillo, et claro liquori ſine ſciſſione, et diuiſione immergitur, vt vſque ad fundum vniuerſa rimetur, ſic Dei Verbum adijt Virgineum habitaculum, et inde prodijt clauſo Virginis vtero: idem annotauit Caniſius lib. 4. de B. Virgine cap. 9. Cæterum ſunt, qui modum Virginei partus pluribus alijs comparationibus exprimere conati ſunt, & primum exemplo ſolaris radij, vel fructus, aut etiam floris emanantis ab arbore, quorum alter a Sole, alter ab Arbore abſque læſione emanat: ſic tradit D. Ciprianus Oratione de Chriſti Natiuitate aliquanto poſt initium. Vltro (ait) maturus ab Arbore baiula fructus elapſus eſt, nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat. Hoc ipſum etiam indicarunt Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 8. & contra Iudæos cap. 9 D Hieronymus Iſaiæ 11. ad ea verba egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, Leo Pontifex Serm. 4. de Natiuitate, D. Ambroſius de benedict. Patriarch. cap. 4. & lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 5. Rupertus Abbas lib. 2. ſuper Iſaiam cap. 6. & lib. 11. de vict. verbi cap. 8. Lyranus & Gloſſ. Interlinearis in citatum locum Iſaiæ. eadem quoque veritas ſimilitudine odoris a Roſa emanantis oſtenditur Serm. de Virg. excellentia, qui in fine huius libri Reuelat. poſitus eſt cap. 15. his verbis, veluti ex Roſa odoris ſuauitas effunditur, ita verbum ex vtero Virginis exijt virginali gloria in Matre integra remanente.

2 Quia ſicut ſplendor nunquam ſeparatur ab igne, ſic Deitas mea nunquam ab humanitate ſeparata eſt, nec in morte.

In Chriſti Domini ſeruatoris noſtri morte ſeparata quidem eſt anima a corpore, non vero a Diuinitate, nec corpus, nec anima, vt verba præſentis notæ indicant ibi (Deitas mea nunquam ab humanitate ſeparata eſt, vbi per humanitatem vtrunque intelligas corpus ſcilicet, & animam. Sed vt hæc euidentiora fiant ſciendum eſt, quod ſi humanitas hoc loco ſumatur pro anima, & corpore actu vnitis, dico ab vtroque quatenus vnita erant, fuiſſe Deitatem ſeparatam, vt egregie ad-

moruerunt Dur. in 3. ſ. d. 21. q. 1. & Franciſcus Suarez ſuper 3. p. S. Thomæ q. 50. diſput. 38. ſect. 2. & ratio eſt, quia huiuſmodi humanitas, ſic conſiderata, deſijt eſſe in morte Christi, in qua tunc anima realiter fuit ſeparata a corpore, & vere Chriſtus mortuus eſt, at ſi per humanitatem ſumamus corpus, & animam, præſcindendo ab actuali vnione, veriſſimum eſſe arbitror, quod ſcribitur hic, deitatem ab humanitate non fuiſſe ſeiunctam, quia in illo triduo mortis Chriſti diuinitas vnita fuit corpori in ſepulchro exiſtenti, & animæ ad inferos deſcendenti: quod etiam probat communiter ſchola Theologorum cum Magiſtro in 3. ſent. d. 21. D. Thomas 3. p. q. 50. art. 2. & 3. S. Damaſcen. lib. 3. de fide c. 27. D. Athanaſ. de Incarnat. D. Gregorius Niſſenus Orat. prima de Reſurrect. D. Auguſtinus tract. 47. in Ioan. & patet ex illo communi Axiomate, Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.

3 In homine denique Regnum meum eſſe volui, & ſuper eum de iure Rex, & Dominus eſſe deberem.

Sermo fit hoc loco de ſpirituali Regno, cuius ipſe Chriſtus iure creationis, & redemptionis Rex, & Dominus eſt, & cum legimus hic eum ſuum in homine poſuiſſe regnum, intelligere poſſumus nomine regni, vel ipſummet Chriſtum in fidelium cordibus regnantem, ſecundum quem ſenſum Beda explicat illud Lucæ 17. Regnum Dei intra vos eſt: vel etiam Euangelij prædicationem, ſcripturarum notitiam, aut fidem, & charitatem hominibus a Chriſto collatam, quæ interpretatio aperte colligitur, ex ſequentibus verbis ibi, (ſed nunc fregit fidem, violauit, & ſpreuit leges meas, diligit voluntatem propriam &c.) hæc autem in ſacris litteris per regnum cælorum ſignificari tradunt D. Hieron. Matth. 26. 21. & 13. D. Gregor. Hom. 11. D. Ambroſ. ſuper Lucam c. 13. Lyranus in Matth. cap. 10.

4 Inſuper & peſſimum latronem Diabolum ſuper me exaltat.

Optime hic fur, & latro Dæmon appellatur, non ſolum, quia hominum animas Chriſti Domini ſanguine redemptas ſibi rapere ſtudet, ſed etiam quia quicquid boni eſt in illis radicitus euellere, ac funditus extirpare conatur, & quemadmodum latronum Duces, cæterique fures ementitis veſtibus noctis etiam tempore, vt plurimum incedunt: non ſecus prorſus Dæmon latronum magiſter, ac princeps ſæpe in Angelum lucis ſe transfigurans, omni temporis ad hominem deprædandum accedit; quem de huius ſæculi caligine, cum detineri conſpexerit, ſicque furari nititur, vt omnibus bonis deſertam, ac vacuam animam relinquat: quam ob cauſam ille hoc loco & a patribus etiam latro appellatur: ſic D. Gregor. 14. Moral. cap. 18. Origenes Hom. 34. ſuper Lucam, & ſuper Matthæum cap. 13. Tertullianus aduerſus Marcionem lib. 4. Ambroſ. ſuper Lucam cap. 10.

5 1 Nec ideo rapit, quaſi quod potentior me ſit.

var. lect.

M. S. Farneſianus habet (Nec ideo rapit, quia potentior me ſit)

6 Quia ipſe Diabolus a me bonus factus eſt.

Diabolum natura ſua a Deo bonum factum eſſe, certa fide credendum eſt: fuit error Manichæorum, qui aſſeruerunt aliquas creaturas natura ſua malas extitiſſe, & a malo principio conditas fuiſſe; ſed de Dæmonibus in ſpecie, quod natura ſua mali non fuerint deffinitum eſt in capit. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, & in Concilio Bracharenſi primo Can. ſeptimo, vbi expreſſe docetur, Dæmonem natura ſua bonum eſſe, & a bono extitiſſe conditore: & malum factum eſſe per actum propriæ voluntatis: vt legimus hic, idem patet Geneſis primo, cum dicitur: vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, & Ezechielis 28. In delitijs Paradiſi fuiſti, & probat hoc Origenes Homil. prima in Ezechielem, & Magiſter in 2. diſt. 3. D. Thomas 1. p. q. 63. artic. 4. & quinto, ſed de eadem re agimus infra lib. 4. Reuelat. cap. 83. nota prima.

7 Et qui experientur, dicent ve, quia unquam Dominum prouocauimus ad iram.

Manuſcriptus Farneſianus præſentem locum ſic reſtituit (Et qui experientur, dicent ve, quia vnquam nati, & concepti fuimus, ve, quia Dominum prouocauimus ad iram)

8 Et cum quid ſpiritu meo loquor.

Per internam ſcilicet inſpirationem, vel illuminationem; aut etiam in aere formando ſonos, vel voces aliquas ſignificatiuas, quibus Chriſtus ſuos conceptus B. Brigittæ communicare poterat, qua de re legendus eſt D. Greg. 28. Moral. cap. 2. D. Bernar. ſer. 31. in Cant. egregie etiam hoc idem explicat Durandus in 2. diſt. 11. q. 2. & diſt. 7. q. 3. & nos latiſſime in prœludijs ad Reuelat. cap. quinto, circa finem.

VERBA DOMINI NOSTRI Ieſu Chriſti ad ſuam in ſponſam iam ſibi aſſumptam, de vere fidei articulis, Et quæ ſunt ornamenta, & ſigna, & voluntas, quæ ſponſa reſpectu ſponſi debeat habere.

CAP. II.

1 EGO ſum Creator cæli, & terræ, maris, & omnium quæ in eis ſunt, 1 Ego ſum vnus cum Patre, & Spiritu ſancto non ſicut dij lapidei, uel aurei, ut olim dicebatur, nec plures, ut tunc putabatur, ſed unus Deus Pater, & Filius

var. lect.

ſius, et Spiritus ſanctus, trinus in perſonis,
vnus in ſubſtantia. Omnia creans, et a nullo
creatus, immutabilis, et omnipotens, ma-
2 nens ſine principio, et ſine fine. 2 Ego ſum,
qui de Virgine natus ſum non amittens dei
3 tatem, ſed eam aſsocians humanitati, 3 vt
in vna perſona eſsem verus Filius Dei, et
Filius Virginis. Ego ſum qui in cruce pe-
pendi, et mortuus fui, et ſepultus, deitate
illęſa permanente. Quia licet ex humanita
te, et carne, quam ego ſolus filius aſſumpſi
mortuus fui, tamen in deitate, qua cum
Patre, et Spiritu ſancto vnus eram Deus vi
uebam. Ego idem ipſe ſum, qui ſurrexi a
mortuis, et aſcendi in cælum, qui, et nunc
4 cum ſpiritu meo loquor tecum. 4 Ego elegi
te, et aſsumpſi te mihi in ſponſam, vt oſten
dam tibi ſecreta mea, quia mihi ſic placet:
Tu etiam quodam iure facta es mea, cum
in morte mariti tui, voluntatem tuam in
manus meas aſſignaſti. Cum etiam eo defun
cto cogitaſti, et rogaſti, quomodo pauper
pro me eſse poſses. Et voluiſti omnia pro
me relinquere, & ideo de iure facta es mea.
Et oportuit me pro tāta charitate tibi pro
uidere. Propterea aſſumo te mihi in ſpon-
ſam, & in meam propriam delectationem,
qualem Deum decet habere cum anima ca-
ſta. Ad ſponſam ergo pertinet paratam
eſſe, quando ſponſus voluerit nuptias face
re, vt ſit ornata decenter, & munda. Tunc
bene mundaris, ſi cogitatio tua ſit ſemper
circa peccata tua. Quomodo te in baptiſ-
mo de peccato Adæ mundaui. Quotiens in
peccata lapſam te ſupportaui, & ſuſtinui.
Debet etiam ſponſa habere ſigna ſponſi ſui
in pectore, hoc eſt attendere beneficia, &
opera, quæ pro te feci, ſcilicet quam nobi-
liter te creaui, tibi dando corpus, & animā.
Quam nobiliter te dotaui, dando ſanitatem
& temporalia. Quam dulciter te reduxi,
cum pro te mortuus fui, & hæreditatem ti-
bi reſtitui, ſi volueris habere. Sponſa debet
etiam facere voluntatem ſponſi. Quæ eſt
voluntas mea, niſi quod velis diligere me
ſuper omnia, & nihil velle aliud niſi me.
Ego creaui omnia propter hominem, &
ſubieci ei omnia, ſed ipſe omnia diligit præ
5 ter me, & nihil niſi me odit. 5 Ego ei ite-
rum emi hæreditatem ſuam, quam perdidit,
ſed ſic alienatus eſt, & auerſus a ratione,
vt magis velit honorem iſtum tranſitoriū,
qui non eſt niſi ſpuma maris, aſcendens
quaſi Mons in momento, & citius in nihi-
lum depreſſa, quam honorem æternum, in
quo eſt perpetuum bonum. Tu autem ſpon
ſa mea, ſi nihil niſi me deſideraueris, ſi om-
nia pro me contempſeris, non ſolum filios,
& parentes, ſed etiam honores, & diuitias,
ego dabo tibi ſtipendium precioſiſſimum, &
dulciſſimum. Non aurum, & argentum, ſed
meipſum dabo tibi in ſponſum, & prēmium,
qui ſum Rex gloriæ. Si autem erubeſcis eſſe
pauper, & deſpecta, conſidera, quia Deus
tuus præcedit te, quem ſerui, & amici reli-
querunt in terra, quia non amicos terrenos
quæſiui, ſed cæleſtes. Quod ſi vereris, &
times pondus laboris, & infirmitatis, conſi
dera quam graue eſt ardere in igne. Quid
mereris, ſi aliquem Dominum temporalem
ſicut me offendiſses. Ego enim quamuis te
toto corde diligam, tamen contra iuſtitiam
ne in vno puncto facio, quo minus ſicut in
omnibus membris deliquiſti, ſic & in omni-
bus ſatisfacias. Propter voluntatem tamen
6 var. lect. bonam, & propoſitum emendandi, 6 iuſtitiā
& miſericordiam commuto, remittendo gra
uiora ſupplicia pro modica emendatione.
Ergo amplectere libenter modicum labo-
rem, vt mundata citius ad magnum præmiū
peruenias. Decet enim ſponſam cum ſpon
ſo fatigari laboribus, vt eo fiducialius cum
eo requieſcat.

NOTAE.

1 var. lect. EGo ſum vnus cum Patre, & Spiritu ſancto.

Hoc loco ſi legendum eſt, vt impreſſi Codices habent, ego ſum vnus cum Patre, & Spiritu ſancto, tunc omnino ſubintelligendum eſt nomen Deus, & ſenſus eſt, ego ſum vnus Deus, cum Patre, & Spiritu ſancto, ideo infra legimus, nec plures, vt tunc putabatur, ſed vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſi vero legendum ſit, ego ſum vnum cum Patre, & Spiritu ſancto, vt Ioan. decimo ſcribitur, ego & Pater vnum ſumus, & cap. 17. vt ſint vnum ſicut, & nos, & 1. Ioan. quinto, & hi tres vnum ſunt, tunc ſenſus erit, ego ſum vnum, hoc eſt, vnius eſſentiæ, & ſubſtantiæ, cum Patre, & Spiritu ſancto, & ſanè, ſic videtur legendum eſſe, quoniam tria hoc loco inſinuantur, primo, quod in ſanctiſſima Trinitate perſonæ diuinæ ſunt vnius ſubſtantiæ, ſecundo quod tres ſunt, tertio quod vnus Deus, non tres Dij, primum ergo probatur per (ly) vnum, quod ſignificare vnitatem eſſentiæ annotarunt Cirillus Alexandrinus Ioan. decimo, & lib. 12. Theſauri cap. 15. Cirillus Hieroſolymitanus, Chatecheſi vndecima D. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 18. & primo, de fide cap. primo, Hillar. lib. 7. & octauo, de Trinitate, Baſil. lib. 1. aduerſus Eunomium, Greg. Nazian. lib. de fide. Marius Victorinus lib. 4. contra Arium Lyranus Ioan. decimo. Poſtremo D. Auguſtinus hoc tradit pluribus in locis præcipue lib. 4. de Trinitate cap. 9. & lib. quinto, cap. 3. & 9. & lib. 83. quæſt. q. 69. & de verbis Domini ſerm. 59. & Clarius lib. 2. contra Maximum Arianorum Epiſcopum cap. 10. Diuus Bernardus ſuper Cant. ſerm. 71.

2 Ego ſum qui de Virgine natus ſum, non amittens Deitatem, ſed eam aſſocians humanitati, ut in una Perſona, &c.

Ex his verbis plane conſtat Verbum Dominum creatam non aſſumpſiſſe perſonam, ſed tantummodo naturam, quæ perſonæ vnita diuinæ ſuſtentabatur ab ea, quod eſt contra Neſtorium, qui duas perſonas ponebat in Chriſto, & condemnatur hic error in quinta Synodo Act. 4. & quinta, & in ſexta Synodo act. 4. & ſexta, & in Concilio Lateranenſi, ſub Martino conſult. vltima Seſſ. 6. & 8. & Concil. Toletano 2. & probant communiter Theologi in 3. ſentent. diſt. 1. & quinta, D. Thomas 3. par. q. 4. artic. 2. Verba vero illa nimirum (aſſocians humanitati) indicant hanc vnionem fuiſſe factam citra confuſionem, & commiſtionem, quæ enim aſſociantur ad inuicem, proprie non confunduntur, aut commiſcentur, qua in re turpiter lapſus eſt Eutiches, qui cenſuit ante vnionem naturas fuiſſe diſtinctas, poſt vero confuſas, ac permiſtas, qui error damnatus eſt a Flauiano Conſtantinopolitano Epiſcopo, deinde in Epiſtola Cirilli relata in Concilio Epheſino act. 2. & in Concilio calcedonenſi act. prima & tertia. Sed hunc eundem errorem confutauit D. Gregorius Thaumaturgus in expoſitione fidei, & latius ſerm. primo in Annunciatione aliquanto poſt medium, vbi rem hanc comparatione generationis Margaritæ his verbis explicat: Margarita inquit, ex duabus naturis, ex fulgure nimirum, & aqua, occultis quibuſdam indicijs, ac ſignis Maris prouenit, ita quoque Dominus noſter Ieſus Chriſtus inconfuſe, & immutabiliter ex pura, ac caſta, & impoluta, ac ſancta Maria Virgine progreditur in Deitate perfectus, & in humanitate perfectus Patri per omnia ſimilis, & nobis per omnia conſubſtantialis, & omnis peccati expers: hæc Diuus Gregorius, cui conſenſit ſanctus Ephrem Syrus ſerm. de Margarita precioſa, tomo tertio ſuorum operum, quem citat etiam Gerardus Voſsius interpres in notis ad eundem Gregorium nuper in lucem emiſsis.

3 Vt in una perſona eſſem uerus filius Dei, & filius hominis.

Duplex innuitur hic Chriſti filiatio, altera æterna, qua a Patre ab æterno proceſſit, altera temporalis, qua ex Virgine natus eſt in tempore, has autem duas filiationes dupplicem importare realem relationem, ob duas reales naturas, in quibus fundantur tradunt, Scotus in 3. diſt. 8. q. vnica, Ricardus eadem diſtinct. q. 2. artic. 2. Durandus quæſt. 3. non tamen ex hoc videtur inferri poſſe, quod Chriſtus dici poſſit, duo filij, & ratio Scoti eſt, quia putat plures exiſtentias eſſe poſſe, in vna eademque ſubſtantia, ſed D. Bonauent. in 3. diſt. 8. quæſt. 2. artic. 2. vnam ſolum ponit realem filiationem in ordine ad Patrem, alteram rationis ad Matrem, quam ob cauſam, docet quod Chriſtus vnicus tantummodo filius, dicendus eſt; quia filiatio eſt conditio conſequens perſonam, quæ vnica eſt in Chriſto, iuit in hanc ſententiam Capreolus in 3. diſt. 8. quæſt. 2. D. Thomas 3. par. quæſt. 35. artic. quinto & in 3. diſt. 8. art. quinto. Cæterum ad horum pleniorem intelligentiam ſciendum eſt, quod & ſi Chriſtus bis filius dici minime poſſit, vt a nobis ſupra probatum eſt, bis tamen natus dici poſſe videtur, quia loquendo de æterna generatione vere Chriſtus natus ex Patre, & Filius eius naturalis eſt, ſi vero fiat ſermo de temporali Natiuitate, veriſſime etiam dicitur, natus ex Matre, & Filius eius, ſic enim Iſaiæ 9. ſcribitur: Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, quod etiam admonuerunt Diuus Thomas 3. par. quæſt. 35. artic. 2. ad quartum, & Magiſter in 3. diſt. 8. D. Bonauentura ibidem artic. 2. quæſt. prima, & plures etiam alij ex Scholaſticis, & aperte fatetur Lactantius Firmianus lib. 4. de diuinis Inſtitut. cap. 8. & colligitur, ex Fulgentio de Fide ad Petrum cap. 2. natus eſt, inquit, ſemel ex Patre, & ſemel ex Matre, ſemel autem, & ſemel bis faciunt, hoc ipſum videtur etiam inſinuaſſe Paulus Hebræorum primo, illis verbis, & cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Introductio namque iterum primogeniti in Mundum facta eſt, per ſecundam Natiuitatem temporalem, & Paulus ibidem, ſupponit aliam illis verbis, cum iterum introducit, quæ eſt æterna, hinc eſt, quod ſubdit, & adorent eum omnes Angeli Dei: Chriſtus enim ab Angelis adoratur, non ſolum, vt Filius Dei, & Deus, ſed etiam cum Verbum caro factum eſt, ſecundum humanitatem, ſic indicarunt Gloſſ. in locum citatum Pauli. Et Primaſius, ſed Theodoretus ibidem, rem hanc his verbis explicat; quomodo ait, Primogenitus, qui eſt Vnigenitus, ſiquidem poſt humanam ſuſceptam naturam eum Angeli adorauerunt, ante hanc autem humanam ſuſceptam naturam hunc ei honorem non exhibebant: ſed & vbique erat, vt Deus, & in orbem terrarum, vt homo ingreſſus eſt, ita etiam dixit D. Ioannes, In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & ſui eum non receperunt, hæc autem videntur eſſe quodammodo contraria, ſi enim erat in mundo, quomodo venit, ſi autem venit, quomodo erat in mundo, ſed & in mundo erat, vt Deus, & venit, vt homo, ita etiam Vnigenitus eſt, vt Deus, & Primogenitus vt homo, in multis fratribus ita ſemper accepit ab Angelis cultum, & adorationem erat enim ſemper Deus, adorarunt autem ipſum, vt hominem.

4 Ego elegi te, & aſſumpſi te mihi in ſponſam, ut oſtendam tibi ſecreta mea.

Dubitare quiſpiam probabiliter poſſet, quænam, & qualia ſint ea ſecreta, quæ Deus hoc loco B. Brigittæ propalare ſe velle affirmat, & quidem illa eſſe arbitror, quæ in his Cæleſtium Reuelationum Libris continentur, & hæc vel ad Chriſti Domini Incarnationem, Paſſionem in

Cælum

Kalam-Aſtenſionem, Spiritus ſancti miſſionem ſpectant, vel ad ſanctiſſimæ Trinitatis, & futuri vniuerſalis Iudicij intelligentiam conferunt, aut etiam ad rerum creationem, militantis Eccleſiæ gubernationem, ſacrorum Antiſtum Regimen, & populorum reformationem pertinent, quorum omnium Beata Brigitta particeps diuinitus facta eſt, vt ad commune Chriſtianæ Reipublicæ commodum, ea omnibus propalaret, ſicut illi Deus præcepit, quod patet ex lib. ſeptimo cap. 16. atque hæc propriæ dicenda eſſe ſecreta Dei probat Origenes Homil. 27. in Matth. quippe quæ vel ad vitam, & Seruatoris noſtri actiones ſpectant, vel ad fidelium vtilitatem, quæ Deus Prophetis propalanda commiſit. Idem annotauit Diuus Gregor. lib. decimo Moralium cap. 4. explicans ea verba Iob cap. vndecimi, vt oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ.

5 Ego ei iterum emi hæreditatem ſuam, quam perdidit.

In præſenti nota tria breuiter inueſtiganda ſunt, primo quomodo Chriſtus nobis hæreditatem emerit, cum illius eſſet Dominus, qui nobis eam poterat pro arbitratu ſuo conferre, ſecundo quid per hæreditatem intelligendum ſit, tertio, qua ratione, quoue pretio illã emerit. Quantum ſpectat ad primum, ſi hæreditas ſucceſſio eſt alicui debita in bonis paternis, difficile admodum intellectu eſt, quod legimus hic, eam Chriſtum emiſſe, quippe qui Filius eſt naturalis Patris in cuius bonis Paternis hæreditario iure ſucceſſit, vt ad Galat. 4. indicat Apoſtolus, quod ſi filius ergo hæres per Deum, ſed dicendum eſt, quod licet hæreditas ſpectet ad Chriſtum hæreditario iure ab inſtanti ſuæ conceptionis, quia erat filius naturalis Patris, voluit tamen Deus, vt Chriſtus inquantum homo hanc hæreditatem ſibi ex proprijs meritis compararet: vt eam poſſet membris ſuis communicare, hæc autem hæreditas, in quattuor potiſſimum conſiſtit. Primo in principatu Militantis Eccleſiæ, cuius ipſe factus eſt caput, & quam ſanguine ſuo aquiſiuit, Secundo in Dominio quodam ſibi comparato ſuper omnes Dæmones, ac cunctas creaturas, Tertio in exaltatione ſui corporis, vt ad Philipp. 2. teſtatur Paulus his verbis (Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus exaltauit illum) poſtremo in Principatu triumphantis Eccleſiæ, quantum ad gloriam, & cælorum ingreſſum, quorum ipſe portas aperuit, & ſua membra introduxit, dicitur autem hoc loco emiſſe, quia pro peccatis noſtris Diuinæ iuſtitiæ de rigore ſatisfecit. ſuoque ſanguine nobis Ius ad gloriam aquiſiuit, quod pro delictis amiſeramus. Ideo Paulus Hebræorum nono, ſcribit per proprium ſanguinem introiuiſſe ſemel in ſancta Redemptione inuenta, & primo Corinth. ſexto, magno pretio nos emptos fuiſſe, vbi Gloſſ. dicit, ſanguine, idem annotarunt ibidem Carthuſianus, & Lyranus.

6 *Ad finem præſentis Capitis, vbi hactenus*

var. lect. *impreſſa exemplaria habent Iuſtitiam, & Miſericordiam commuto, omnino ſic eſſe legendum cenſeo (Iuſtitiam cum Miſericordia commuto) quod indicant ſequentia verba (remittendo grauiora ſupplicia pro modica emendatione.)*

VERBA DOMINI NOSTRI Ieſu Chriſti ad ſponſam, de informatione dilectionis, & honoris ſponſæ ad ipſum ſponſum. Et de odio iniquorum ad Deum. Et de dilectione ad mundum.

CAP. III.

EGO ſum Deus tuus, &
Dominus quem colis.
Ego ſum ille, qui cælum,
& terram potentia mea,
ſuſtento, & non aliquibus
rebus alijs ſuſtentantur,
vel columnis. Ego ſum,
qui ſub ſpecie panis in altari quotidie verus
Deus, & verus homo immolor. Ego idem ſũ
qui te elegi. Honora patrem meum. Dili
1 ge me. Obedi ſpiritui meo. 1 Defer matri
var. mææ, tanquam Dominæ tuæ. Honora omnes
lect. Sanctos meos. Obſerua fidem rectam, quam
ille te docebit, qui duorum ſpirituum confli
ctum falſitatis, ſcilicet, & veritatis in ſe
2 expertus, auxilio meo deuicit. 2 Cuſtodi
humilitatem veram. Quæ eſt humilitas vera, niſi talem ſe oſtendere qualis eſt, & laudem Deo pro bonis datis tribuere. Sed
nunc multi odiunt me, & facta mea, & verba
reputant dolorem, & vanitatem, adulterum
autem, id eſt, diabolum amplectuntur, & di
ligunt. Quicquid enim faciunt pro me, cum
murmure, & amaritudine eſt. Nec confite-
rentur nomen meum, ſi non timore homi-
3 num confunderentur. 3 Mundum autem ſic
var. ſincere diligunt, quod nocte, & die in labore
lect. eius non laceſcunt, & in amore eius ſemper
feruent, Horum ſeruitium, ſic mihi placet,
ac ſi quis daret inimico ſuo pecuniam ad
hoc, vt interficiatur filius eius. Sic faciunt
ipſi, dant enim in modicam eleemoſynam,
& labijs honorant me ad hoc, vt mundana
proſperitas eis ſuccedat, & maneant in ho-
4 nore, & peccato ſuo. 4 Vnde occiditur bonus
animus eorum a proficiendo in bono. Si
autem tu me diligere volueris toto corde,
& nihil deſiderare niſi me, attraham te ad
me per charitatem, ſicut magnes, id eſt,
5 lapis calamitæ attrahit ſibi ferrum, 5. et
collocabo te in brachio meo. Quod tam
forte eſt, vt nullus poſſit extendere. Tam
rigidum, vt extenſum nullus ſufficit incur-
uare

uare. Tam etiam dulce est, vt omnia aromata vincat. Et nullam comparationem cum mundi delectationibus habeat.

Declaratio.

Iste doctorus sponsam Christi, fuit quidā sanctus Vir magister in theologia, qui vocabatur magister Matthias de Suetia, Canonicus Lincopen. qui Glossauit totam Bibliam excellenter. Et iste fuit tentatus a diabolo subtilissime, de multis hæresibus contra fidem Catholicam, quas omnes deuicit, cum Christi adiutorio, nec a dæmone potuit superari, vt in legenda vitæ sanctæ Brigittæ clarius continetur. Et iste magister Matthias composuit prologum istorum Librorum, qui incipit. Stupor & mirabilia, &c. Fuitque vir sanctus, & potens spiritualiter operæ, & sermone. Hic quando obijt in Suetia, sponsa Christi, tunc consistens Romæ, orando audiuit in spiritu vocem, sic dicentem. O felix tu magister Matthia, pro corona, quæ tibi in cælis fabricata est. Vehi igitur iam ad sapientiam, quæ nunquam finietur. De eodem habetur etiam 1. lib. cap. 52. b. Item 5 lib. interrog. vltima respon. 3. d. Item, 6. lib. 75. a, & 89.

NOTAE.

1 var. lect. DEFER Matri meæ tanquam Dominæ tuæ.

Hic textus cum M. S. Codice Farnesiano supplendus est, adiungendo nomen, honorem, & sic arbitror esse legendum, defer Matri meæ tanquam Dominæ tuæ honorem.

2 Custodi humilitatem veram, quæ est humilitas vera, nisi talem se ostendere qualis est, & laudem Deo pro bonis datis retribuere.

His verbis Christus Dominus admonet B. Brigittam, primo quod humilis sit, secundo vero declarat, in quo vera consistat humilitas, & vt hoc palam fiat sciendum est ex D Gregorio 23. Moral. cap. 7. D. Thomas 22. quæst. 162. art. 4. & ibidem Cardinalis Caetanus, quod aliqui sunt, qui sibi bona, quæ non habent arrogant, siue naturæ sint, vt Intellectus, Memoria, vires, siue fortunæ, vt diuitiæ honor, potentia, siue spiritualia, vt gratia, scientia, & sapientia, alij vero reperiantur, quibus hæc omnia bona in minori copia sunt, præferri tamen contendunt, his qui ea abundantius possident. Postremi sunt, qui huiusmodi bona a Deo sibi esse data fatentur, sed illa suis meritis ascribunt, quoniam propter sua merita, & a Deo sibi collata esse arbitrantur, & hi omnes, quia tales non se ostendunt, quales sunt, merito superbi non humiles appellantur.

3 var. lect. Mundum autem sic sincere diligunt, quod nocte, et die in labore eius non lacescunt.

Omnino arbitror hunc textum corruptum esse, nec legendum lacescunt, vel vt alij Codices lacessunt, cum lacessere non aliud sit, quam prouocare, vel irritare, non vero laboribus defatigari, prout hic ex contextu colligitur, vbi Christus Dominus eos reprehendit, qui mundum diligunt, & pro operibus mundi perficiendis sponte labores subeunt, ideo Farnesianus Codex habet in labore eius non lassescunt.

4 Vnde occiditur bonus animus eorum a proficiendo in bono.

Quemadmodum, qui occisus est ad operandum inhabilis fit, & ad agendum penitus inutilis redditur: sic qui sese peccatis inuoluunt eorum animos ita occidunt, vt deinde ad proficiendum in spirituali vita quantum in se est, fiant inhabiles, & sicut fulmen cum Ensem attingeris integra, vt plurimum foris relicta vagina ferrum intus perimit, sic lethale, flagitium corpus foris viuum relinquit animam autem intus occidit, quandoquidem eam Dei gratia priuat, quæ vita est animæ, vnde merito scribitur Sapientiæ 16. homo per malitiam occidit Animam suam, & ideo legimus hic manent in peccato suo, vnde occiditur bonus animus a proficiendo in bono.

5 Collocabo te in Brachio meo.

Brachium in sacris litteris significat auxilium, & fortitudinem, quam Deus amicis suis tribuit, vt annotauit D. Hieronymus super Zachar. cap. 11. & hinc est, quod hoc loco Christus B. Brigittæ dicit velle se eam collocare in brachio suo, quia pollicetur ei auxilium, & fortitudinem, vt contra mundi tentationes, & pericula victrix existat, nihilque aliud quam, quæ Dei sunt quærat.

VERBA DOMINI NOSTRI Iesu Christi ad sponsam, qualiter non debeat timere de sibi ab eo reuelatis, nec cogitare, quod maligni spiritus sint. Et de doctrina cognoscendi bonum, vel malignum spiritum.

CAP. IIII.

EGO sum Creator tuus, Redemptor. Quare timuisti de verbis meis? Et cur cogitasti, de quo spiritu essent, de bono an de malo? Dic mihi 1 quid
1 inuenisti in verbis meis, quod conscientia tua non dictabat tibi faciendum? Aut nunquid aliquid præcepi tibi contra rationem? Ad quæ sponsa respondit. Nequaquam, sed omnia illa sunt vera.

cera; & ego male errani. Reſpondit ſpiritus, ſeu ſponſus. Ego præcepi tibi tria, ex quibus tu poſſes cognoſcere ſpiritum bonum. Præcepi tibi honorare Deum tuum, qui te fecit, & omnia quæ habes dedit tibi. Hoc tibi dicit ratio tua, eum honorare pro omnibus. Ego præcepi tibi fidem tenere rectam, Credere, ſcilicet, ſine Deo nihil eſſe factum, ſine Deo nihil poſſe fieri. Præcepi etiam tibi diligere continentiam rationabilem omnium rerum. Quia mundus propter hominem factus eſt, ut homo eo ad neceſſitatem uteretur. Sic etiam per tria iſtis contraria potes cognoſcere ſpiritum immundum. Ipſe ſuadet tibi laudem propriam quærere, & de datis tibi ſuperbire. Ipſe ſuadet etiam tibi perfidiam. Ipſe ſuadet etiam tibi incontinentiam omnium membrorum, & omnium rerum, & ad hæc inflammat cor. Ipſe quoque quandoque decipit ſub ſpecie boni. Propterea præcepi tibi ſemper diſcutere conſcientiam tuam, & ſapientibus ſpi-
2 ritualibus aperire eam. 2 Propterea non dubites, tunc ſpiritum Dei bonum eſſe tecum, cum nihil aliud deſideraueris niſi Deũ, & de eo tota inflammaris. Hoc ego ſolus poſſum facere, & impoſſibile eſt diabolo appropinquare tibi. Sed nec alicui malo homini poteſt appropinquare, niſi permittatur a me, uel propter peccata, uel propter aliquod occultum iudicium mihi co-
3 gnitum, 3 quia ipſe creatura mea eſt, ſicut alia omnia, & a me bene factus fuit, ſed malitia ſua malus eſt, & ideo ego ſum Dominus ſuper eum. Ideo aliqui imputant mihi falſam culpam, qui dicunt, quod illi qui mihi ſeruiunt ex nimia deuotione, dicuntur inſanire, & habere dæmonium. Ipſi ſimilem me faciunt homini, qui caſtam habens uxorem, & in uirum ſuum bene confidentem, ſupponit eam adultero. Talis ego eſſem, ſi hominem iuſtum habentem ad me charitatis animum, dimitterem dæmoni tradi. Sed quia fidelis ſum, in nullius mihi deuote ſeruientis anima dominabitur dæmon. Licet autem quandoque amici mei quaſi amentes uidentur, hoc tamen non eſt propter paſſionem dæmonij, nec quia ſeruiunt mihi ex feruenti deuotione, ſed propter defectum cerebri, vel propter aliam occultam cauſam, quæ eſt illis ad humiliationem eorum. Poteſt etiam fieri quandoque, quod diabolus accipit poteſtatem a me ſuper carnem bonorum hominum, ad eorum remunerationem, aut quod obumbret conſcientias eorum, ſed in animas eorum, qui in me habent fidem, & dilectionem, nunquam poteſt dominari.

NOTAE.

1 Dic mihi quid inueniſti in uerbis meis, quod conſcientia tua non dictabat tibi faciendum, aut nunquid aliquid præcepi tibi contra rationem.

Plurima in præſenti Capite aſſeruntur ſigna, quibus B. Brigitta certior fit, quod ea, quæ in his Cæleſtium Reuelationum Libris continentur, non Dæmonum illuſiones ſunt; ſed diuinitus datæ reuelationes, & inter cætera illud eſſe præcipuum ſcribitur hic, quod nihil inuenitur in his, quod & rationi, & conſcientiæ conforme minime ſit: noſtrarum namque operationum Regula recta eſt ratio, per quam quid agendum, quidue fugiendum nobis eſt edocemur, & quoniam hoc, Ratio habet ab æterna lege, quæ eſt prima Regula omnium agibilium, & prima veritas, vt auctor eſt D. Thomas 1.2.q.19.art.3.& 4. Ideo fieri non poteſt, vt rationem rectam, & conſcientiæ bonæ dictamen ſequens decipiatur a Dæmone, ſecus vero, ſi contra fiat: omne enim, quod non eſt ex fide peccatum eſt, dicit Apoſtolus Rom. 15. hoc eſt omne, quod non eſt & conſcientiæ, & rationi conforme peccatũ eſt, & a Diabolo manat, vt interpretantur D. Ambroſ. Chryſoſt. Theophilactus, Euthimius & Anſelmus; cum ergo omnia, quæ in his Reuelationum Libris traduntur, & recte rationi, & conſcientiæ conformentur profecto non Dæmonum illuſiones, ſed diuinæ Reuelationes cenſendæ ſunt, quod latius probauimus in noſtris Præludijs ad Reuelat. cap. 10. & hoc eodem libro cap. 10. nota quinta, & lib. 3. cap. 10. nota 3 & cap. 78. nota 2. & lib. 4. cap. 23. nota quinta.

2 Propterea non dubites tunc ſpiritum Dei bonum eſſe tecum, cum nihil aliud deſideraueris niſi Deum, & de eo tota inflãmaris.

Aliud quoque ſignum traditur hic a Chriſto Domino, ex quo B. Brigitta poterat euidenter colligere, quod in his reuelationibus non decipiebatur a Dæmone, & hoc eſt amoris diuini inflammatio, & deſiderium quoddam vehemens, quo anima huiuſmodi amore inebriata, aliud non quærit, nec vult, quam Deum, cui addit Diuus Bernardus ſerm. 8. in Cant. mentis quandam illuſtrationem, quæ ad diuinas viſiones ſequi conſueuit, reuelatio inquit, quæ per Spiritum ſanctum fit, non ſolum illuſtrat ad agnitionem verum accendit etiam ad amorem dicente Paulo Rom. quinto, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

3 Quia ipſe creatura mea eſt, ſicut alia omnia, & a me bene factus fuit, ſed malitia ſua malus eſt.

Eadem prorſus verba habentur ſupra cap. primo huius libri, quæ nota ſexta explicauimus probantes ex Patribus, & Concilijs Dæmonem natura ſua bonum fuiſſe, factum, & ab optimo extitiſſe conditore, ſuaque culpa malum euaſiſſe.

VER-

VERBA MAXIMI AMORIS ad Chriſti ſponſam in figura mirabili de Caſtro nobili, per quod Eccleſia militans deſignatur. Et qualiter precibus glorioſę Virginis, & Sanctorum, adhuc Eccleſia Dei reædificabitur.

CAP. V.

EGo ſum Creator omnium. Ego Rex gloriæ, & Dominus Angelorum. Ego fundaui mihi Caſtrum nobile, & poſui in eo electos meos. Cuius fundamentum inimici mei per-
1 foderunt, 1 & præualuerunt in amicos
var. meos in tantum, quod de pedibus amico-
lect. rum meorum, ligno eſt cippo conſtrictis,
erit medulla. Os eorum contunditur lapidibus; & fame, & siti cruciantur. Inſuper & Dominum eorum perſequuntur. Iam amici mei petunt gemitibus auxilium, iuſtitia clamat vindictam, miſericordia tamen dicit parcendum. Tunc & ipſe Deus ait ad cæleſtem exercitum, qui aſtabat. Quid videtur vobis de iſtis, qui caſtrum meum occupauerunt. Qui quaſi vna voce reſponderunt omnes. Domine in te eſt omnis iuſtitia, & in te omnia videmus. Tu exiſtens ſine principio, & ſine fine filius Dei, tibi datum eſt omne iudicium, tu Iudex eorum es. Et ille ait. Licet omnia ſcitis in me, & videtis, tamen propter hanc ſponſam, quæ aſtat, dicite iudicium iuſtum. Et illi dixerunt: Hæc eſt iuſtitia, vt qui ſuffoderunt murum, puniantur vt fures. Et qui in malitia perſiſtunt, puniantur vt inuaſores: Et qui captiui ſunt liberentur, & famelici ſaturentur. Tunc loquebatur mater Dei Maria, tacens in voce priori dicens: Domine mi, & fili chariſſime, tu fuiſti in vtero meo verus Deus, & homo. Tu me, quæ eram vas terrenum, dignatione tua ſanctificaſti. Supplico miſerere eis adhuc ſemel. Tunc reſpondit Dominus ad Matrem. Benedictum ſit Verbum oris tui. Hoc quaſi odor ſuauiſſimus aſcendit in Deitatem. Tu Angelorum, & omnium Sancto-
2 rum gloria es, & Regina, 2 quia a te Deitas conſolata eſt, & omnes Sancti ſunt lætificati. Et quia tua voluntas a principio iuuentutis tuæ erat ſicut mea, ideo faciam adhuc ſemel, quod vis. Ad exercitum autem ait. Quia vos viriliter certaſtis, ideo propter charitatem veſtram placabor adhuc. Ecce ego propter preces veſtras reædificabo murum meum. Saluabo & ſanabo eos, qui vi oppreſſi ſunt, & in centuplum honorabo illos pro contumelia, quam paſſi
3 ſunt. 3 Violentis autem ſi miſericordiam petierint, pacem, & miſericordiam dabo. Qui autem contempſerint, iuſtitiam meam
4 ſentient. Deinde ait ad ſponſam 4 Spon-
var. ſa mea ego elegi te, & induxi te in ſpiritum
lect. meum. Tu audis verba mea, & Sanctorum
meorum, qui licet omnia vident in me tamen propter te locuti ſunt, vt tu intelligeres. Quia tu quæ adhuc es in carne non potes ita videre in me, ſicut hi, qui ſpiritus ſunt. Nunc etiam oſtendam tibi, quid iſta ſignificent. Caſtrum illud quod ſupra dixi eſt ipſa ſancta Eccleſia, quã de ſanguine meo, & Sanctorum meorum ædificaui, & cæmento charitatis meæ coniunxi, & poſui in ea electos meos, & amicos. Fundamentum huius eſt fides, ſcilicet credere me iuſtum iudicem, & miſericordem. Sed nunc ſuffoſſum eſt fundamentum, quia omnes credunt me, & prædicant miſericordem, ſed quaſi nullus prædicat, nec credit me eſſe iuſte iudicantem. Ipſi habent me, quaſi iniquum iudicem. Iniquus enim eſſet iudex, qui ex miſericordia iniquos dimitteret impunitos, vt iniqui iuſtos eo magis opprimerent. Sed ego ſum iuſtus Iudex, & miſericors, ita quod nec minimum peccatum relinquam impunitum, nec minimum bonum irremuneratum. Per huius muri ſuffoſſionem intrauerunt illi in ſanctam Eccleſiam, qui abſque timore peccant, qui iuſtum me eſſe negant, & amicos meos, ſic conturbant, quemadmodum illos, qui ſunt in cippo. Non enim eſt eiſdem amicis meis gaudium, nec conſolatio, ſed omne opprobrium, & omnis dolor eis imponitur, tanquam dæmoniacis. Si veritatem de me dixerint, confutantur,
5 & mendacij arguuntur. 5 Vehementer ſi-
var. tiunt audire, vel loqui recta, ſed non eſt,
lect. qui eos audiat, vel eis recta loquatur. Ego
quoque Dominus, & Creator blaſphemor. Dicunt enim. Neſcimus ſi eſt Deus. Et ſi
6 eſt non curamus. 6 Vexillum meum proſternunt, & conculcant, dicentes. Quare
7 paſſus eſt? Quid prodeſt nobis? 7 Si velit dare nobis voluntatem noſtram, ſufficit nobis, & habeat ipſe regnum ſuum, & cælum. Ego quoque ad eos ingredi volo, ſed ipſi dicunt ante moriemur, quam voluntatem noſtram relinquamus. Ecce ſponſa mea, quales ipſi ſunt. Ego feci eos, & vno verbo poſſem delere. Quomodo ſuperbiunt contra me. Nunc autem propter preces Matris meæ, & omnium Sanctorum, adhuc ita miſericors ſum, & patiens, quod mittere eis volo verba mea, quæ de ore meo proceſſerunt, & offerre eis miſericordiam meam. Si reci-

pere

pere voluerint placabor, ſin autem ſentient meam iuſtitiam. Ita quod ſicut furca publice coram Angelis, & hominibus confundentur, & ab omnibus dijudicabuntur. Sicut enim homines in furca ſuſpenſi deuorantur a coruis, ſic iſti a dæmonibus deuorabuntur nec conſumentur. Sicut etiã illi, qui puniuntur in cippo ligneo, nullam requiem inueniunt ibidem, ſic iſti habebunt vndique dolorem, & amaritudinem. Fluuius ardentiſſimus fluet in os eorum nec implebitur venter, ſed ad ſupplicium de die in diem renouabuntur. Amici autem mei ſaluabuntur, & de verbis, quæ procedunt de ore meo conſolabũtur. Iuſtitiam meam cum miſericordia videbunt. Induam eos armis charitatis meæ & ſic fortes eos faciam, quod aduerſarij fidei cadent retrorſum quaſi lutum. Et erubeſcent perpetuo cum videbunt iuſtitiam meã ex eo quod patientia mea abuſi ſunt.

NOTAE.

1 var. lect. ET præualuerunt in amicos meos in tantum, quod de pedibus amicorum meorum eſt cippo conſtrictis erit medulla.

Hic textus corruptus eſt, & pluribus mendis refertus, & ideo cum Farneſiano Codice M. S. ſic reſtituendus eſt: Et præualuerunt in amicos meos, in tantum quod de pedibus amicorum meorum ligneo cippo conſtrictis exit medulla.

2 Quia a te Deitas eſt conſolata.

Deo, quem totius conſolationis patrem eſſe tradit Apoſtolus 2. Corinth. 1. nouus gaudij, & ſolatij gradus adiungi, augerique minime poteſt: in præſenti tamen nota conſolata dicitur Deitas quia cum Beatiſſimæ Virginis precibus Deus militantem Eccleſiam in priſtinum ſtatum reuocare decreuiſſet, quæ temporum iniuria pene tota lapſa erat, vt ex huius Capitis narratione conſtat, ideo conſolationem inde ſumpſiſſe Deum hic legimus, quia in ſacris litteris, tunc ille gaudere dicitur, quando beneficientiam ſuam ad nos extendit, nobiſque beneficia, & fauores tribuit, ſic Deuter. 30. ſcribitur abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum in ſobole vteri tui, in fructu iumentorum tuorum, & in vbertate terræ tuæ, & in verum omnium largitate. reuertetur enim Dominus, vt gaudeat ſuper te, in omnibus bonis ſicut gaviſus eſt in Patribus tuis. idem annotauit Lyranus Iſaiæ 65. ediſſerens illa verba, & exultabo in Hieruſalem, & gaudebo in Populo meo, & non audietur vltra vox fletus, & clamoris.

3 Violentis autem ſi miſericordiam petierint pacem, & miſericordiam dabo.

Verba præſentis notæ, ſic interpretanda ſunt, qui ſibi vim intulerit, prauis animi affectibus reſiſtentes, motus ſenſus cohibentes, Dæmonum tentationibus obuiam euntes, ſicque a Deo miſericordiam, & pacem efflagitauerint his, & miſericordia, & pax dabitur, ſcribitur nanque Matth. 11. quod regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

4 Et induxi te in ſpiritum meum.

var. lect. *Sic omnes impreſſi Codices legunt, ſed M. S. Farneſianus habet: Induxi in te ſpiritum meum vtraque lectio bona eſt, quamquam hæc poſtrema videatur ſacris litteris conformior, in quibus habemus Deum dediſſe ſpiritum ſuum, vel de ſpiritu ſuo nobis, & idem eſt, ac ſi diceremus Deum induxiſſe in nobis ſpiritum ſuum, ſic nu. 26. Iſaiæ 42. Act. 17. primo ad Theſſalonicenſes 4. 1. Ioan. 3. & 4. in hoc cognoſcimus, quia in eo manemus, quia dedit nobis de ſpiritu ſuo.*

5 Vehementer ſitiunt audire, vel loqui recta.

var. lect. *Sic in vulgatis habetur, ſed M. S. legit, Vehementer ſitiunt dicere veritatem, vel loqui recta.*

6 Vexillum meũ proſternunt, & conculcãt.

Vexillum, quod impij homines pedibus calcant Chriſti Domini paſſio eſt, quam hoc loco tunc proſternere dicuntur, cum Chriſtum gratis mortuum eſſe cenſent, cum tot tantoſque pro illis exantlatos labores negligunt, cum dolorem, ac vulnerum immemores ſunt cum Chriſto morienti non compatiuntur, qua in re peioris ſunt conditionis creaturis ratione carentibus, vt teſtis eſt D Hieronymus Matth. 27. quælibet nanque illarum morienti Chriſto compaſſa eſt terra tremuit, ſciſſe ſunt petre, velum templi diuiſum eſt, defunctorum ſepulchra aperta ſunt, obſcuratus eſt Sol, & tamen ſolus miſer homo non compatitur, pro quo ſolo Chriſtus patitur.

7 Si velit nobis dare voluntatem noſtram ſufficit nobis.

Senſus eſt, Si velit nobis omnia tradere ſecundum apetitum, & voluntatem noſtram, hoc enim eſt dare voluntatem noſtram, quæ interpretatio patet ex ſequentibus verbis ibi dicunt, ante moriemur, quam noſtram voluntatem relinquamus.

VERBA CHRISTI AD Sponſam qualiter eius ſpiritus cum iniquis eſſe non poteſt, Et de ſeparatione malorum a bonis, & de miſſione bonorum, & ſpiritualibus armis armatorum in bellum, ideſt, contra mundum.

CAP. VI.

INIMICI mei ſunt quaſi beſtiæ ferociſſimæ, quæ nunquam ſatiari poſſunt, nec quieſcere. Horum cor ſic eſt vacuũ a charitate mea, quod nunquã in eo intrat cogitatio paſſionis meæ. Nunquam ſemel adhuc proceſſit de intimo corde eorum hoc verbum. Domine

mine redemiſti nos laus ſit tibi pro amara
paſſione tua. Quomodo ſpiritus meus po-
teſt eſſe cum eis, qui nullam diuinam chari
1 tatem habent ad me. 1 Qui vt voluntatem
var. ſuam perficiant, libenter produnt alios. Ip-
lect. ſorum cor plenum eſt vermibus viliſſimis,
2 id eſt, affectionibus mundi. 2 In ore eorum
poſuit diabolus ſtercus ſuum, & ideo non
3 placent eis verba mea. Ideo ego 3 ſeparabo
eos ab inimicis meis, cum ſerra mea. Et ſi-
cut non eſt mors vlla, morte ſerræ amarior
ſic non eſt ſupplicium, quo non participes
fiant, & ſecabuntur per medium a diabolo,
& diuidentur a me, ſic ſunt odioſi mihi,
quod etiam omnes, qui adhærent eis ſepara
buntur a me. 4 Ideo mitto amicos meos,
4 vt diuidant diabolos a membris meis, quia
ipſi vere ſunt inimici mei. Mitto ergo eos
quaſi milites in bellum. Omnis enim qui
affligit carnem ſuam, & abſtinet ſe ab illi-
citis, vere miles meus eſt. Ipſi habebunt
pro lancea verba mea, quæ ore meo locutus
ſum. In manu gladium id eſt fide. In pecto
re eorum erit lorica charitatis, vt quicquid
acciderit, non minus diligant me. Clypeum
patientiæ debent habere ad latus, vt omnia
patienter ſuſtineant. Ego enim incluſi eos
quaſi aurum in vaſe, & nunc exire debent,
5 & incedere viam meam. 5 Ego non poteram
ſecundum iuſtitiam ordinatam ingredi in
gloriam maieſtatis abſque tribulatione cum
humanitate mea, quomodo ergo ipſi intra-
bunt? Si Dominus eorum patiebatur, non
mirum ſi & ipſi patiantur. Si Dominus ſu-
ſtinuit verbera, non magnum, ſi ipſi ſuſtino-
bunt verba. Non timeant quia ego nun-
quam relinquo eos. Sicut impoſſibile eſt,
diabolo cor Dei tangere, & diuidere, ſic im-
poſſibile eſt diabolo ſeparare eos à me. Et
quia ipſi ſunt, quaſi aurum puriſſimum in
conſpectu meo, ideo ſi modico igne proben
tur, non tamen relinquo eos, ſed eſt ad eo-
rum maiorem remunerationem.

NOTAE.

1 QVi vt voluntatem ſuam perficiant li-
var. benter produnt alios.
lect. *Farneſianus Codex M. S. habet, Qui vt volun-
tatem ſuam perficiant proni ſunt.*

2 In ore eorum poſuit Diabolus ſtercus
ſuum.

Stercus Diaboli aliud non eſſe arbitror, quam peccata, vel ſaculi diuitias, & voluptates, quæ cum Dæmon ſuadet hominibus, vt ſequantur in ore eorum ſtercus ſuum poſuiſſe dicitur: ſtercus autem in ſacris litteris deſignare voluptates, & diuitias tradunt D. Hieronym. Ezech. 4. & Ioelis primo, Greg. hom. 31. idem inſinuat Propheta Ezechiel loco citato, qui vt oſtenderet Iudæos ventri, & carni deditos eſſe, eiuſque hanc operam facere conſueuiſſe, vt ſæculi diuitias conſequerentur, ſcripſit illos comediſſe panem cum ſtercore bouis.

3 Separabo eos ab inimicis meis cum ſer-
var. ra mea.
lect. *Omnino legendum eſſe cenſeo, Separabo eos ab amicis meis cum ſerra mea, ſic M. S. Farneſianus habet ſeparabit autem Deus amicos ab inimicis ſerra ſua, quando patiuntur ab eo poenas ſuas, & poenas ſentiunt, & tunc inimicos ab eius iuſtitia perpetuo ſeparabit: ſerram autem in Scripturis ſacris grauiores poenas ſignificare annotauit D. Hieron. Iſaie 28. explicans ea verba Gith. non ſerris triturabitur, ut ſi diceret non grauioribus poenis caſtigabitur.*

4 Ideo mitto amicos meos, vt diuidant
Diabolos a membris meis.

M. S. legit; Vt diuidant Diaboli membra a membris meis.

5 Ego non poteram ſecundum iuſtitiam or
dinatam ingredi in gloriam maieſtatis abſ-
que tribulatione.

Dicit hoc loco Saluator noſter Chriſtus non potuiſſe intrare ſecundum prædordinatam iuſtitiam in gloriam maieſtatis, quoniam cum id fuiſſet a Prophetis prænunciatum, & a Patre etiam præordinatum, ideo illud ſecundum Prophetarum vaticinia, & Patris præordinationem, erat implendum, factum ergo, hoc eſt, tum propter ſcripturarum impletionem, tum ob patris ordinationem, tum etiam ob ipſiuſmet Chriſti exaltationem, quam ſibi ex merito paſſionis ſuæ comparauit, & hoc eſt, ſecundum iuſtitiam ingredi in gloriam, quod etiam admonuit. D. Baſilius lib. 4. contra Eunomium, propter obedientiam, inquit, donatum eſt Chriſto in humanitate nomen ſuper omne nomen, idem tradunt Chryſoſt. Ambroſ. Anſel. & Beda explicantes duo illa loca Apoſtoli ad Philippenſes 2. propter quod & Deus exaltauit illum, & ad Hebræos 2. vidimus Ieſum propter paſſionem mortis coronatum: hoc etiam animaduertit D. Auguſtinus lib. 2. contra Maximum cap. 5. & lib. 3. cap. 2. Vgo Victorinus lib. 2. de Sacram. par. 2. cap. 6. colligitur quoque Lucæ 24. ex illis verbis, oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, vbi verbum, oportuit, intelligendum eſt, non de abſoluta neceſſitate, ſed poſita Prophetarum prædictione, & ad hunc ſenſum reuocanda ſunt verba præſentis notæ: indicant hoc Lyranus ibi, & Ianſenius in Concordantia par. 4. cap. 146. Maldonatus Lucæ 24. num. 26. ſed hac de re etiam egimus infra hoc eodem Libro cap. 10. & 11. 4.

VER-

VERBA VIRGINIS GLOriosæ ad filiam, de modo induendi, & qualia debent esse vestimenta, & ornamenta quibus debet esse ornata filia, & induta.

CAP. VII.

EGO sum Maria, quæ peperi verum Deum, & verum hominem filium Dei. Ego sum Regina Angelorum. Filius meus diligit te toto corde. Ideo dilige tu eum. Tu debes esse ornata honestissimis vestibus. Quæ quomodo, & quales debeant esse monstrabo tibi. Sicut enim tu prius habuisti camisiam, inde tunicam, calceos, pallium, & monile in pectore, sic nunc spiritualiter habere debes. Camisia est contritio. Sicut enim camisia propinquior est carni, sic contritio, & confessio prima via est conuersionis ad Deum. Qua mens, quæ gaudebat in peccato mundatur, & caro sordida refrænatur. Calcei duo, sunt duo affectus. Voluntas scilicet emendandi commissa, & voluntas faciendi bona, & abstinendi a malis. Tunica tua est spes ad Deum; quia sicut tunica habet duas manicas, sic in spe sit iustitia, & misericordia. Vt sic speres de misericordia Dei, quod non negligas iustitiam eius. Et sic cogita iustitiam eius, & iudicium, vt non obliuiscaris misericordiam. Quia nec iustitiam aliquam facit sine misericordia, nec misericordiam sine iustitia. Pallium est fides, sicut enim pallium omnia operit, & omnia in eo concluduntur, sic fide homo omnia potest comprehendere, & attingere. Hoc pallium debet esse respersum signis charitatis sponsi tui. Quomodo scilicet creauit te, quomodo redemit. Quomodo enutriuit te, & induxit te in spiritum suum, & aperuit tibi oculos spirituales. Monile est consideratio passionis eius. Hoc sit iugiter fixum in pectore tuo. Quomodo derisus, & flagellatus, quomodo sanguinolentus, & omnibus neruis confossis viuus stabat in cruce. Quomodo in morte ex passione doloris acutissimi, totum corpus contremuit. Quomodo in manus patris commendabat spiritum. Hoc monile semper sit in pectore tuo. Corona sit in capite tuo, id est, castitas in affectu, vt malles pati verbera, quã inquinari amplius. Inde sis verecunda, & honesta. Nihil cogita, nihil desidera, nisi Deum tuum, Creatorem tuum quem cum habueris, omnia habes. Et sic ornata expectabis sponsum tuum.

VERBA CAELI REGINAE ad filiam dilectam, informantia qualiter filium vna cum matre debeat diligere, & laudare.

CAP. VIII.

EGO sum Regina cæli. Tu sollicita es quomodo laudare me debes, scias pro certo, quod omnis laus filij mei, laus mea est. Et qui inhonorat eum, inhonorat me; quia ego sic feruenter dilexi eum, & ipse me, quod quasi vnũ cor ambo fuimus. Et ipse me, quæ eram vas terrenum, sic honorifice honorauit, vt supra omnes Angelos me exaltaret. Sic ergo laudare debes me. Benedictus sit tu Deus Creator omnium, qui in vterum Mariæ Virginis descendere dignatus es. Benedictus sis tu Deus, qui cum Maria Virgine esse sine grauamine voluisti, & de ea immaculatam carnem, sine peccato sumere dignatus es. Benedictus sis tu Deus, qui ad Virginem cum gaudio animæ eius, & omnium membrorum venisti, & cum gaudio omnium membrorum eius sine peccato de ea processisti. Benedictus sis tu Deus, qui Mariam Virginem Matrem tuam, post Ascensionem tuam crebris consolationibus lætificasti, & per teipsum eam consolando
1 visitasti. 1 Benedictus sis tu Deus, qui corpus, & animam Mariæ Virginis matris tuæ in cælum Assumpsisti, & super omnes Angelos iuxta Deitatem tuam honorifice collocasti. *Miserere mei propter preces eius.*

NOTAE.

1 BEnedictus sis tu Deus, qui corpus, & animam Mariæ Virginis matris tuæ in cælum assumpsisti.

Mariam Virginem anima, & corpore, vt legitima hic fuisse ad Cælum Assumptam, passim in his Cælestium Reuelationum Libris scribitur, & præcipue infra hoc eodem libro cap. 9. 46. & 51. lib. 6. cap. 12. 60. & 62. lib. 7. cap. 25. & 26. cæterum hãc veritatem vniuersa amplexa est Ecclesia, & communis Patrum consensus probat, & in primis fauet Athanas. serm. de Deipara D. August. & Sophronius de Assumptione Virg. Damascenus, & Andreas Cretensis Orationibus de Dormitione Deiparæ, Iuuenalis apud Nicephorum lib. 2. hist. cap. 23. Anselm. de Excellentia Virg. cap. 8. &

serm. de Assumpt. Rupert. lib. 6. in Cant. Diuus Thomas 3. par. quæst. 27. artic. primo, & opusc. 8. D. Bonauent. in speculo Mariæ cap. 2. Ricardus Victorinus in Cant. cap. 42. Vgo Victorinus lib. 3. Eruditionis Theologicæ cap. 125. Gerson. Alphabeto 14. D. Antoninus 1. par. hist. tit. 6. cap. 3. & hoc ratione patet, quia vt citati Patres asserunt, cum corpus Christi ex corpore Virginis sumptum sit, dici possunt quodãmodo caro Christi, & Mariæ vna caro, ergo sicut decuit carnem Christi esse vndequaque beatam, & incorruptam, ita & carnem Matris, cuius gloriam in illius redundat dignitatem, quæ ratio est Damasceni, & Augustini 2. quia Saluator noster Ioan. 12. dixit, vbi ego sum illic, & minister meus erit: Beatissima autem Virgo singulariter Christo ministrauit præbendo ei corpus ex proprio sanguine, & Alimentum ex proprio lacte, ergo credendum est peculiari ratione hoc in Maria fuisse completum, ergo vbi Christus est, & Mater quoque eius regnat cum illo anima, & corpore gloriosa in Cælo, tertio si eius corpus reperiretur in terra incredibile est Deum permisisse, vt per tot sæcula latuisset, absque honore, & veneratione in incognito loco. Postremo difficile creditu est corpus illud, ex quo Deus carnem assumpsit corruptum, & in cinerem fuisse redactum, vnde Augustinus corpus, inquit, Virginis escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere erubesco.

VERBA REGINAE CAELI ad dilectam filiam, de amore dulcissimo, quem filius habuit ad matrem Virginem. Et qualiter ex coniugio castissimo Christi Mater fuit concepta, & in vtero sanctificata. Et qualiter assumpta in corpore, & anima fuerit in cęlum. Et de eius nominis virtutibus. Et de Angelis bono, & malo hominibus deputatis.

CAP. IX.

EGO sum Regina cæli: Dilige filium meum, quia ipse honestissimus est, & cum eum habueris, omnẽ honestatem habes. Ipse est etiã desideratissimus, & cum eum habueris omnia desiderabilia habes. Dilige etiam eum quia ipse est virtuosissimus, & cum eum habueris omnes virtutes habes. Ego volo tibi dicere, quam dulciter ipse dilexit corpus meum, & quam dulciter animam meam quantum etiam honorauit nomen meum. Ipse filius meus prius me dilexit, quam ego eum, quia creator meus est. Ipse coniugium patris mei, & matris, tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius coniugium, & nunquã conuenire vellent, nisi iuxta legẽ solummodo causa suscitandi prolẽ.
1 1 Et cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus mundi
2 procederet, 2 magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi quod ex charitate diuina, & ex verbo An-
3 geli nunciantis 3 cõuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem suam ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam chari-
4 tatem, caro mea compaginata est. 4 Facto autem corpore meo, Deus a diuinitate sua
5 animam creatam immisit corpori, 5 & mox anima cum corpore sanctificata est, quam Angeli custodiebant, & seruabant die, ac nocte. Cum autem anima sanctificaretur, & corpori coniungeretur, tanta matri meæ aduenit lætitia, vt impossibile esset dictu.
6 6 Deinde completo cursu vitæ meæ, primo animam meam, quia ipsa domina erat corporis, ad deitatem excellentius cæteris
7 eleuauit. 7 Inde corpus meum, vt nullius creaturæ corpus sit tam propinquum Deo, sicut meum. Ecce quantum filius meus dilexit animam meam, & corpus. Sed aliqui sunt, qui maligno spiritu negant me assumptam corpore, & anima, aliqui etiam quia nesciunt melius. Sed ista est pro certissimo rei veritas, quod cum corpore, & anima ad deitatem assumpta sum. Filius meus quantum etiam honorauit nomen meum, audi. Nomen meum est Maria, sicut legitur in Euangelio. Hoc nomen cum Angeli audiunt gaudent in conscientia sua, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum talem gratiam fecit, & quod vident ipsi humanitatẽ
1 filij mei in deitate glorificatam. Illi qui in purgatorio sunt vltra modum gaudent, tanquam æger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatij, & quod ei placet in animo, quod statim exultat. Angeli etiã boni audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam, & gaudent de profectu eorum, quia omnibus hominibus Angeli boni dati sunt ad custodiam, & angeli mali ad probationem. Non sic quod ipsi Angeli separentur a Deo, sed animæ sic seruiunt, vt non relinquant Deum, sed iugiter sunt in conspectu eius, & tamen inflammant, & incitant animam ad agendum bonum. Omnes etiã

dæ-

Dæmones verentur hoc nomen, & timent. Qui audientes hoc nomen Maria, ſtatim relinquunt animam de vnguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim auis, quæ in prædam vngues & roſtrum habet, ſi audierit ſonum aliquem relinquit prædam, & cum nihil opertis ſequi videt, ſtatim reuertitur ad eandem. Sic dæmones audito nomine meo, ſtatim relinquunt animam quaſi territi, ſed iterum aduolant, & reuertuntur ad eam, quaſi ſagitta velociſſima, niſi aliqua emendatio ſubſequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei eſt, niſi ſit damnatus, ſi inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt nunquam reuerti velit ad opus ſolitũ, quod non diſcedat ab eo ſtatim diabolus, & nunquam amplius reuertitur ad eum, niſi rurſum placuerit voluntatem peccandi mortaliter. Tamen quandoque permittitur ei turbare eum, propter maiorem remunerationem eius, ſed non poſſidere.

NOTAE.

1 ET cum ſibi nunciatum eſſe ab Angelo, quod Virginem parerent.

Mariæ Virginis Conceptionem fuiſſe diuinitus parentibus pronunciatam, vt ſcribitur hic, tradunt Epiphanius hæreſi 70. Germanus Patriarcha ſer. de oblat. Mariæ. Gregorius Niſſenus Oratione de ſancta Chriſti Natiuitate, Nicephorus lib. 1. Hiſt. cap. 7. & lib. 2. cap. 3. Damaſc. lib. 4. cap. 15. & hoc etiam legimus in Oratione prima D. Brigittæ reuelata, poſita in fine huius Operis, atque ſolum Mariæ Conceptio parentibus reuelata eſt diuinitus, ſed & ipſummet nomen Mariæ, vt annotauit Ambroſ. lib. de Inſtitutione Virg. cap. 5. Et ſi hoc factum eſt de nomine Iſaac reuelatum Abrahæ Geneſ. 17. & nomine Ioann. Baptiſtæ reuelatum Zachariæ Lucæ primo, multo magis hoc dicendum eſt de nomine Mariæ, quod fuerit a Deo parentibus diuinitus manifeſtatum.

2 Magis voluiſſent mori, quam carnali amore conuenire.

Ad horum verborum intelligentiam ſciendum eſt Sacramentum Matrimonij duplici de cauſa fuiſſe inſtitutum, primo quidem ad carnis motus licite extinguẽdos, ſecundo vero ad propagandam ſobolem, quapropter cum legimus hoc loco; magis voluiſſent mori, quam carnali amore conuenire intelligendum eſt Beatiſſimæ Virgin. parentes actu coniugij minime vſos fuiſſe ad voluptatem carnis explendam, aut ad prauos ſenſus motus ſedandos, quia in eis voluptas mortua erat, vt ſcribitur hic, ſed ad propagandam ſobolem, & ad Mariam generandam, quæ Dei Mater futura erat.

3 Conuenerint carne non ex concupiſcentia aliqua voluptatis, ſed contra voluntatem ſuam ex diuina dilectione.

Verba præſentis notæ indicant Beatiſſ. Virg. Parentes non conueniſſe coactos ad actum coniugij, ſed contra voluntatem conueniſſe legimus hic, quoniam vt ſuperiori nota admonuimus, non ad voluptatem carnis explendam conuenerunt, ſed ad propagandam tantummodo ſobolem, voluntas enim ad huiuſmodi actum prona, ac procliuis primorum parentum vitio effecta eſt, & vt plurimum in actu coniugij voluptatem quærit, quam non quæſierunt Mariæ parentes, ideo ex ſola dilectione diuina conueniſſe ſcribitur.

4 Facto autem corpore meo Deus a diuinitate ſua animam creatam immiſit corpori.

Ex hoc textu animaduertendum eſt, nullo pacto colligi Beatiſſ. Virg. animam prius in Cælo fuiſſe creatam, & poſtea fuiſſe in corpus immiſſam; fuit enim error Origenis, vt patet ex lib. 1. Periarchon cap. 7. & 8. aſſerentis animas hominum iam inde a principio mundi fuiſſe ſimul cum Angelis creatas in cælo, & inde poſtea mitti in corpora, vt refert S. Iſidorus lib. 11. Originum cap. 1. & indicat D. Hieron. in Pſalm. 89. ediſſerens ea verba Domine refugium factus es nobis, licet Origenis nomen taceat, & conſtat hoc etiam ex D. Thoma 1. p. q. 90. art. 4. & q. 118. art. 3. quam ſententiam videtur etiam ſecutus Diuus Gregorius Niſſenus lib. 2. ſuæ Philoſophiæ cap. 6. relatus a Sixto Senenſi lib. 5. Bibliotecæ Annotatio. 208. Cæterum hic error communiter a ſanctis Patribus reijcitur, & in primis ab ipſomet D. Gregor. Niſſeno in lib. de homine cap. 29. & 30. Damaſcen. lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 12. D. Hieron. Epiſtola 61. ad Pamachium de erroribus Origenis, & Epiſtola 139. ad Ciprianũ hunc etiam errorẽ aperte confutat Magiſter ſent. in 2. d. 17. aſſerens fidem noſtram eſſe, quod Deus quotidie nouas creet animas, & infundit nouis corporibus, & in fundendo creat; & creando infundit, cui conſonat D. Thomas in 2. ſentent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 4. ad primum, & diſt. 17. q. 2. art. 2. & 1. p. q. 90. art. 4. Durand. in 2. eadem diſt. q. 2. & alij plures, eadem opinio reprobata eſt etiam auctoritate Leonis Papæ Primi Epiſt. 1. ad Epiſcopũ Aſtrigenſem, vbi aſſerit fides Catholica conſtanter prædicat, quod animæ hominum priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere, ideo dicendum eſt B. Virginis animam, vt & quamlibet aliam fuiſſe a Deo creatam non in Cælo, ſed intra corpus iam organizatũ, in quod immiſſa dicitur a diuinitate hoc loco quatenus per cunctas corporis partes diffuſa in ipſa creatione habet a Deo, vt omnes partes eius informet.

5 Et mox anima cum corpore ſanctificata eſt.

Quid per ſanctificationẽ in præſenti nota intelligendum ſit tradidimus infra lib. 6. Reuelat. cap. 49. nota prima; quo loco affirmauimus per ſanctificationem hoc capite intelligendum eſſe ab originali peccato præſeruationem, ac diuinæ gratiæ collationem, quandoquidem B. Brigittæ diuinitus reuela-

tum ſuit Mariam Virginem peccatum originale minime contraxiſſe, vt ibi fuſe probauimus, ex quo fit, Verbum ſanctificauit hoc loco non poſſe accipi, pro eo quod eſt aliquid cum prius eſſet immundū mundare, & purgare. Cæterum ſacrarum litterarum phraſim eſſe propriam, vt quod antea non fuit immundum, nec aliquo vitio inquinatum, id quoque ſanctificari aliquando dicatur, quia munditiam ac ſanctitatem prius acceptam retinet, probat Petrus Canniſius lib. 1. de Deipara c. 9. ex D. Hieron. Cirillo Hieroſolymitano, Sophronio, Gregorio Theologo, Damaſc. aliiſque pluribus. & ſic aſſerit interpretandum eſſe Arnobium, qui in explanat. Pſalm. 14. ſcripſit Ieſum ſolum Virgineam aulam ingreſſum ipſum tabernaculum a maculis carnalibus liberaſſe, & dediſſe potius ſanctificationem, quam accepiſſe, non enim his verbis indicat Arnobius Virginem (Chriſto in eius vtera ingrediente) fuiſſe mundatam a maculis, quas ante conceptionem contraxiſſet, cum nullam prorſus contraxerit, ſed loquitur de his quæ in aliis fœminis inuenire conſueuerunt, a quibus quia matrem ſuam Chriſtus ſeruauit immunem, ideo eam ſanctificaſſe ſcripſit: & in eodem ſenſu accipiendum eſt, quod tradidit Hidelphonſus Archiepiſcopus Toletanus, qui agens contra eos, qui de Mariæ Virginitate, ac parturitione diſputabant Beata, inquit, Virgo, ſi in vtero matris ſanctificata fuiſſet minime eius natiuitas colenda eſſet, nunc autem, quia auctoritate totius Eccleſiæ digne veneratur conſtat eam ab omni originali peccato fuiſſe immunem, ſed clarius hoc idem probari poteſt ex B. Laurentio Iuſtiniano ſerm. de Annunciat. ab ipſa inquit, Conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, & a damnationis alienæ chirographo prius eſt ſanctificata, quam nata, idem conſtat etiam ex ſacris litteris, in quibus Chriſtus a Patre ſanctificari dicitur Ioan. 10. quem Pater ſanctificauit, & miſit, quem locum explicans Lyranus ſanctificauit (inquit) id eſt plenitudine gratiæ adimpleuit, cur ergo eodem modo etiam de Maria, hoc loco dicendum non eſt? cum legimus, & mox Anima cum corpore ſanctificata eſt nimirum ab originali labe præſeruata, ac ingenti gratiarum cumulo in ſua conceptione referta eſt. Verum plures quoque hoc ipſum annotarunt ſacrarum literarū interpretes ad eum verſiculum Pſalm. 45. ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, quo loco aſſerunt Altiſſimum Dei, ſcilicet filium Matrem ſuam ſanctificaſſe eam ab originali peccato præſeruando, & flumine gratiarum ornando, & ideo legitur ibi fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei ſanctificauit tabernaculum ſuū Altiſſimus, id autem quod ſequitur adiuuabit eā Deus mane diluculo indicat huiuſmodi ſanctificationem factam fuiſſe ab inſtanti Conceptionis Mariæ, quandoquidem in diluculo, & in Aurora nimirum, vt primum anima infuſa eſt corpori Beatiſſ. Virgo ſanctificata eſt, hoc enim ſignificant verba præſentis notæ, & mox anima cum corpore ſanctificata eſt.

6 Deinde completo curſu vitæ meæ, primo
animam meam, quia ipſa erat Domina corporis,
ad Deitatem excellentius cæteris eleuauit.

Beatiſſimam Virginem Dei Matrem ad altiorem cæteris fuiſſe cunctum Beatitudinis gradum ſcribitur hic, quod egregie annotauit etiam D. Hieron. ſerm. de Aſſumpt. his verbis, ſicut non eſt in mundo ſanctior, nec Virgine alia, in quo Dei Nomen Maria ſuſcepit, ſic nec in Cœlo ſolio Regali, quo Mariam Dei filius ſublimauit, idem habent Diuus Athanaſ. ſerm. de Deipara D. Gregorius Thaumaturgus ſerm. 3. de Annunciat. Mariæ aliquanto poſt Medium, D. Anſelm. de Excellentia Virginis cap. 4. D. Bernardus ſerm. 1. & 2. de Aſſumpt. Damaſc. Orat. prima, de Dormit. D. Auguſtinus ſerm. de Annunt. & ſerm. Angelico de Excellentia Mariæ cap. 21. qui in fine huius libri poſitus eſt.

7 Inde corpus meum, vt nullius creaturæ
corpus ſit tam propinquum Deo, ſicut
meum.

Ex his plane conſtat, quod ſicut Beatiſſima Virgo præ cæteris ad Altiorem gloriæ gradum ſecundum animæ dotes eleuata eſt, ita quoque ſecundum corporis glorificationem præ aliis ſublimiores virtutes conſecuta eſt, quod ex eo euidenter colligi poteſt, quoniam cum veriſſimum ſit, quod aliquid, quo magis ſuo principio appropinquat, tanto magis effectus eius particeps redditur, ex quo infert D. Dionyſius lib. 4. de Cœleſt. Hierarchia cap. 4. quod Angeli, quia Deo viciniores ſunt, diuinæ bonitatis magis participes ſunt, quam homines, cum vero Chriſtus ſit principium gratiæ, eique fuerit Maria propinquiſſima ſecundum humanitatem, quam accepit ex ea, optime ſequitur illam a Chriſto obtinuiſſe præ cæteris gratiæ, & gloriæ plenitudinem, non ſolum quo ad animæ, ſed etiam quo ad corporis dotes, quod fuſe explicauimus lib. 7. Reuelat. cap. 26. nota 4.

VERBA VIRGINIS MARIAE ad filiam, Vtilem doctrinam qualiter debeat viuere, ponentia, & multa mirabilia Chriſti paſſionis declarantia.

CAP. X.

EGO ſum Regina cæli, mater Dei. Ego dixi tibi, quod habere debeas monile in pectore tuo. Nunc autem plenius monſtrabo tibi, 1 quod ego a principio cum audirem, & intelligerem Deum eſſe, ſemper ſollicita, & timorata fui de ſalute, & obſeruantia mea.

1 var. lect.

Cum

Cum autem audiſſem plenius, ipſum Deum
eſſe Creatorem meum,& Iudicem de omni-
bus actibus meis,intime dilexi eum, & om-
ni hora timui , & cogitaui, ne eum verbo,
vel facto offenderem . Deinde cum audiſſē
eum dediſſe legem populo, & præcepta ſua,
& feciſſe cum eis tanta mirabilia propoſui
firmiter in animo meo nihil niſi ipſum dili-
gere , & amara mihi erant mundana vehe-
2 menter . 2 Poſt hæc audito etiam,quod ille
idem Deus redempturus eſſet mundum , &
naſciturus de Virgine,tanta circa eum cha-
ritate affecta fui, quod nihil niſi Deum co-
gitabam,nihil volebam niſi ipſum. Ego elon
gaui me quantum potui à colloquijs,& præ
ſentia parentum , & amicorum . Et omnia
quæ habere potui dedi indigentibus . Ni-
hilque niſi victum tenuem,& veſtitum reſer
uaui . Nulla mihi niſi Deus placuerunt. Ego
ſemper in corde meo optaui,vt viuerem ad
tempus natiuitatis eius, ſi forte fieri mere-
3 rer Ancilla indigna matris Dei . 3 Voui
etiam in corde meo , ſi eſſet ei acceptabile
obſeruare Virginitatem . Nihil vnquam
poſſidere in mundo . Si autem aliter vellet
Deus, fieret voluntas eius & non mea , quia
credebam eum omnia poſſe , & velle nihil
niſi mihi vtile , ideo ei omnem voluntatem
meam commiſi . *Inſtante* vero tempore,
quo ſecundum conſtitutionem Virgines præ
ſentabantur in templo Domini, aſſui,& ego
inter eas propter obedientiam parentum
meorum, cogitans mecum, Deo nihil eſſe
impoſſibile . Et quia ipſe ſciebat me nihil
deſiderare, nihil velle niſi ſe , poſſet me ſer-
uare in Virginitate, ſi ei placeret,ſin autem
fieret voluntas eius . Auditis autem omni-
bus quæ mandata erant in templo, regreſſa
domum , ampliori , quam prius ardebam
amore Dei , & nouis quotidie inflammabar
æſtibus,& deſiderijs amoris. Propterea plus
ſolito ab omnibus me elongaui,& fui ſola
noctibus,ac diebus , timens vehementiſſime
ne os loqueretur , vel auris audiret aliqua
contra Deum meum,vel oculi mei viderent
aliqua delectabilia . Timida quoque fui in
ſilentio, & multum anxia , ne forte ſilerem
ea,quæ magis loqui debuiſſem . Cumque
ſic turbarer in corde ſola mecum, ſpemque
meam omnem committerem Deo,illico ve-
nit in mentem meam cogitare Dei magnam
potentiam . Quomodo ei ſeruiunt Angeli,
& omnia creata, qualis gloria eius , quæ eſt
ineffabilis , & interminabilis . Et cum hoc
mirarer,vidi tria mirabilia . Vidi namque
4 ſidus, ſed non quale fulget de cælo . 4 Vidi
var. lumen, ſed non qualem lucem,quæ lucet in
lect. mundo . Senſi odorem , non qualis herba-
rum,vel aliquid tale,ſed ſuauiſſimum, & fe-
re ineffabilem,quo tota replebar,& præ gau
dio exultabam.Inde ſtatim audiui vnam vo
cem,ſed non de ore humano. Et ea audita
ſatis timui , reputans ne forte eſſet illuſio .
Et ſtatim apparuit ante me Angelus Dei,
quaſi homo pulcherrimus,ſed non carne ve
ſtitus,qui dixit ad me.Aue gratia plena,&c.
Quod cum audiſſem,mirabar quid ſignifica-
ret hoc,vel cur talem proferret ſalutationē.
Sciebam enim me , & credebam indignam
ad aliquid tale,vel ad aliquid boni. Deo ta-
men non eſſe impoſſibile facere quidquid
vellet . Tunc ſecundo Angelus ait.Quod na-
ſcetur in te ſanctum eſt , & vocabitur filius
Dei,& ſicut ei placuerit ſic fiet. Nec tamen
5 credebam me dignam,5. nec quæſiui ab An
gelo,quare vel quando fiet,ſed quæſiui,quo-
modo fiet,quod ego indigna ſim *Mater* Dei,
quæ & virum non cognoſco . Et reſpondit
mihi Angelus ſicut dixi. Deo nihil impoſſi-
bile , ſed quidquid ipſe vult facere fiet, &c.
Quo verbo Angeli audito , feruentiſſimum
affectum habui eſſe mater Dei , & loqueba-
tur anima mea præ amore . Ecce ego , fiat
voluntas tua in me. Ad quod verbum illico
concipiebatur filius meus in vtero meo cū
ineffabili exultatione animæ meæ, & omniū
membrorum. Cunque haberem eum in vte-
ro, portabam eum ſine dolore,ſine grauedi-
ne,& tædio ventris. Humiliabam me in om
nibus, ſciens eum eſſe omnipotentem,quem
6 portabam . 6 Quando vero peperi eum,ſi-
ne dolore , & peccato peperi eum ſicut , &
concepi,cum tanta animæ, & corporis exul
tatione , quod pedes mei præ exultatione
non ſentiebant terram,vbi ſtabant. Et ſicut
in omnia membra mea cum gaudio totius
animæ meæ intrauit, ſic cum gaudio omniū
membrorum exultante anima ineffabili gau
dio ſine læſione Virginitatis meæ exiuit .
Cunque conſpicerem, & conſiderarem pul-
chritudinem eius , anima mea quaſi rorem
præ gaudio ſtillabat,ſciens me indignam ad
talem filium . Quando vero conſiderabam
loca clauorum in manibus,& pedibus, quos
ſecundum Prophetas crucifigendos audiui,
tunc oculi mei replebantur lacrymis, & cor
meum quaſi ſcindebatur præ triſtitia . Et
cum filius meus inſpexit oculos meos lacry
mantes , triſtabatur quaſi ad mortem.Cum
vero conſiderarem potentiam deitatis eius,
conſolabar iterum ſciens, quod ipſe ſic vel-
let, & ſic expediret , & omnem voluntatem
meam conformaui voluntati eius,& ſic ſem
per erat lætitia mea mixta cum dolore .
Inſtante tempore paſſionis filij mei , rapue-
7 runt eum inimici eius, 7 percutientes eum
in maxilla & collo,& conſpuentes illuſerunt
ei . Deinde ductus ad columnam , perſo-
naliter ſe veſtibus exuit . Perſonaliter ad
columnam manus applicuit , quas inimici

ſine miſericordia ligauerunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, ſed ſicut natus eſt ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ. Conſurrexerunt autem inimici eius, qui fugientibus amicis ſuis vndique aſtabant, & flagellabant corpus eius ab omni macula, & peccato mundum.
8 8 Ad primum igitur ictum, ego quę aſtabam
propinquius cecidi quaſi mortua, & reſumpto ſpiritu, vidi corpus eius verberatum, & flagellatum vſque ad coſtas, ita vt coſtę
9 eius viderentur. 9 Et quod amarius erat,
cum retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cunque filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtabat, vt in eo non inueniretur ſanitas, nec quid flagellaretur, tunc vnus concitato in ſe ſpiritu quæſiuit. Nunquid interficietis eum ſic iniudicatum? & ſtatim ſecuit vincula eius. Inde filius meus induit ſe veſtibus ſuis, tunc locum vbi ſtabant pedes filij mei totum repletum vidi ſanguine, & ex veſtigijs filij mei cognoſcebam inceſſum eius. Quo enim procedebat, apparebat terra infuſa ſanguine, nec ipſi patiebantur, vt ſe indueret, ſed compulerunt & traxerunt eum, vt acceleraret. Cum autem duceretur quaſi latro, ipſe filius meus exterſit ſanguinem ab oculis ſuis. Cunque iudicatus eſſet, impoſuerunt ſibi crucem portandam. Quam cum ad modicum portaſſet, veniens vnus aſſumpſit eam ſibi portandam. Interim eunte filio meo ad locum paſſionis, alii percuſſerunt eum in collo, alii in faciem ceciderunt. Et tam fortiter, & valenter percuſſus eſt, vt licet ego non viderem percutientem, audiui tamen clare ſonitum percuſſionis. Cunque veniſſem cum eo ad locum paſſionis, omnia inſtrumenta vidi ibi præparata ad mortem ſuam. Et ipſe filius meus veniens ibi, exuit ſe perſonaliter veſtibus ſuis, miniſtris inter ſe dicentibus. Hæc veſtimenta nostra ſunt, nec ea rehabebit, quia damnatus eſt ad mortem. Stante autem filio meo ſicut natus erat nudo corpore, vnus tunc accurrens, apportauit ſibi velamen quo ipſe exultans intime, velabat verenda ſua. Poſtea rapuerunt eum ſæui tortores, & extenderunt in Cruce. Primo dexteram manum eius affigentes ſtipiti, qui pro clauis perforatus erat. Et manum ipſam ex ea parte perforabant, qua os ſolidius erat. Inde trahentes cum fune aliam manum eius, ad
10 ſtipitē eam ſimili modo affixerunt. 10 De-
inde dextrum pedem crucifixerunt, & ſuper hunc ſiniſtrum duobus clauis, ita vt omnes nerui, & venæ extenderentur, & rumperen-
11 tur. 11 Quo facto aptauerunt coronam de
ſpinis capiti eius, quæ tam vehementer reuerendum caput filij mei pupugit, vt ex ſanguine fluente replerentur oculi eius, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur. Cunque ſic ſanguinolentus, & perforatus ſtaret, condolens mihi aſtanti, & gementi reſpexit ſanguinolenteis oculis ad Ioannem ſororium meum,
12 & me commendabat ei. 12 In tempore illo
var. audiui alios dicentes, quod filius meus la-
lect. tro erat, alioſque quod mendax, alios quod
nullus dignior eſſet morte, quā filius meus, ex quorum auditu dolor meus renouabatur. Sed ſicut dictum eſt, cum primus clauus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quaſi mortua, oculis obſcuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus, & non reſpexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat. Surgens vero vidi filium meum miſerabiliter pendentem, & ego mater eius mæſtiſſima vndique conſternata, præ dolore vix ſtare potui. Filius autem meus videns me, & amicos ſuos inconſolabiliter flentes, flebili voce, & alta clamabat ad Patrem ſuum, dicens. Pater quare me dereliquiſti? quaſi diceret. Nullus eſt, qui miſereatur mei, niſi tu Pater. Tunc oculi eius apparuerunt ſemimortui, maxillę eius ſubmerſæ, & vultus lugubris, os eius apertum, & lingua ſanguinolenta, venter dorſo inhærens conſumpto humore quaſi non haberet viſcera. Omne corpus pallidum, & languidū ex fluxu, & egreſſione ſanguinis. Manus & pedes eius rigidiſſime extenti erant, & iuxta formam crucis cruci attracti, & conformati. Barba & crines ex toto reſperſi ſanguine. Itaque cum filius meus ſic laceratus, & liuidus ſtaret, ſolum cor recens erat, quia optime, & fortiſſime naturæ erat. De mea enim carne corpus mundiſſimum, & optime complexionatum ſumpſit. Cutis eius ſic tenera & gracilis erat, quod nunquam ita læniter flagellabatur, quin ſtatim exiret ſanguis. Ipſe quoque ſanguis eius tam recens erat, vt in cute munda videri poſſet. Et quia optimæ naturæ erat, vita cum morte in corpore eius perforato certabat. Nam quandoque dolor de membris, & neruis corporis perforatis ad cor aſcendebat, quod recentiſſimum erat, & incorruptum, & incredibili dolore, & paſſione vexabat ipſum. Et quandoque dolor a corde in membra lacerata deſcendebat, & ſic mortem prolongabat cū amaritudine. Cunque filius meus his doloribus circumſeptus reſpexit ad amicos ſuos flentes, qui maluiſſent illam penam in ſe cū auxlio eius pertuliſſe, vel in æternum in inferno ardere, quam eum ſic videre cruciari. Dolor ille ex amicorum dolore, omnem amaritudinem, & tribulationem, quam vel in corpore, vel in corde ſuſtinuit excedebat,

quia

quia tenere diligebat eos. Tunc præ nimia corporis anguſtia ex parte humanitatis clamabat ad Patrem. O Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Hanc igitur vocem cum audiſſem ego eius mæſtiſſima Mater: contremuerunt omnia membra mea cum amaro cordis mei dolore. Et quotiens poſtea hanc vocem cogitabam, quaſi in aure mea præſens, & recens erat. Appropinquante autem morte cum cor præ violentia dolorum rumperetur, tunc omnia membra contremuerunt, & caput eius quaſi modicum ſe erigens inclinabatur. Os eius apertum videbatur, & lingua tota ſanguinolenta. Manus eius retraxerunt ſe modicum de loco perforationis, & pondus corporis pedes amplius ſuſtentabant. Digiti & brachia quodammodo extendebant ſe, & dorſum fortiter ſtringebatur ad ſtipitem. Tunc quidam dixerunt ad me. Maria filius tuus mortuus eſt. Alij autem dixerunt. Mortuus eſt, ſed reſurget. Omnibus itaque dicentibus, vnus adueniens affixit lanceam in latus eius tam valide, vt pene per aliud latus eius tranſiret. Et cum extraheretur haſta, apparuit cuſpis rubea ſanguine. Tunc mihi videbatur, quod quaſi cor meum perforaretur, cum vidiſſem cor filij mei chariſſimi perforatum. Deinde depoſitus eſt de cruce, quem ego recepi in genu meum quaſi leproſum, & totum liuidum. Nam oculi eius erant mortui, & ſanguine pleni, Os frigidum quaſi nix. Barba quaſi reſtis. Facies contracta. Manus quoque ſic deriguerant, quod non poſſent deponi niſi circa vmbilicum. Sicut ſtetit in cruce, ſic habui eum in genu, quaſi hominem contractum

13 in omnibus membris. 13 Poſtea poſuerunt eum in linteo mundo. Et ego cum linteo meo exterſi vulnera, & membra eius. Et clauſi oculos, & os eius, quæ in morte fuerunt aperta. Deinde poſuerunt eum in ſepulchro. O quam libenter, tunc poſita fuiſſem viua cum filio meo, ſi fuiſſet voluntas eius. His completis venit ille bonus Ioannes, & duxit me in domum. Ecce filia mea, talia ſuſtinuit filius meus pro te.

NOTAE.

1 QVod ego a principio cum audirem, & intelligerem Deum eſſe.

var. lect. *Hactenus impreſſa exemplaria, ſic legunt, ſed M. S. Farneſianus, ſic habet, In principio pueritiæ meæ, atque ita legendum eſſe colligi poteſt, ex ipſa præſentis Capitis narratione, Maria nanque hoc loco certiorem reddit Beatam Brigittam, de cunctis vitæ ſuæ actibus, & a pueritia ſua exordiū ducens, in principio dixit pueritiæ meæ.*

2 Poſt hæc audito etiam, quod ille idem Deus redempturus eſſet mundum, & naſciturus de Virgine.

Ex his verbis palam fit Beatiſſimam Virginem, noviſſe Deum carnem ſumpturum fuiſſe, & Mundum redempturum, hoc enim ex Prophetarum vaticinijs noviſſe poterat, & præcipue ex illo Iſaiæ ſeptimo, ecce Virgo concipiet, tum quia Maria operum Diuinorum perfectam ſcientiam habebat ſicut lib. quinto Reuelat. cap. 4. legitur, & admonuit Andreas Cretenſis, de Dormitione Deiparæ, immo perſpicacius illam cæteris intellexiſſe ſacras litteras tradit Anſelmus, de Excellentia Virg. cap. 6. & Metaphraſtes Oratione de Dormit. Deiparæ, & habetur ſerm. Angelico cap. 17. vt Merito Ignatius Martyr Epiſtola prima, Mariam vocauerit noſtræ Religionis Magiſtram, & Bernardus ſerm. 4. ſupra miſſus eſt, affirmat eam Apoſtolos illuminaſſe, non ergo mirum eſt, ſi hic legamus illam noſſe naſciturum fuiſſe Meſſiam, & Mundum redempturum, quod eo verius eſſe arbitror, quo Mariam in rerum Diuinarum cognitione omnes Theologos excelluiſſe credo, fauet huic ſententiæ Dominicus Bannes in Comment. ad primam partem S. Thomæ quæſt. prima art. decimo, dubit. ſexta, vbi citat S. Thomam 3. par. quæſt. 27. art. 5. ad tertium docentem cognouiſſe Virginem, quod eſſet conceptura Dei filium, & non amiſſuram Virginitatem, ſed Spiritus ſancti virtute generaturam, ſed vere D. Thomas ibi aſſeuerat Mariam ſummo modo excellenter donum ſapientiæ habuiſſe, hoc autem in ſpecie eam cognouiſſe non affirmat, paulo tamen apertius hoc admonuit D. Auguſtinus ſerm. 2. de Annunciat. in quo introducit Angelum ad Virginem loquentem ſic, Recole Maria, in libro Eſaiæ Prophetæ Virginem, quam parituram legiſti, & gaude atque exulta, quia tu eſſe meruiſti, tu ibi præfigurata es Virgo, tu ecce concipies in vtero non de viro, ſed de Spiritu ſancto. Libet autem hoc loco rem hanc ex Sanctiſſimo, & antiquiſſimo Doctore Gregorio Thaumaturgo probare, qui apertis verbis fatetur Mariam Incarnationis Myſterium agnouiſſe, quam ipſimet Prophetæ, ſic enim habet ſerm. 1. in Annunciat. aliquanto poſt Initium Noſti, inquit, ô Maria, quæ Patriarchas, & Prophetas latebant, didiciſti; ô Virgo, quæ adhuc Angelis etiam fuerunt abſcondita, audiſti ô Sanctiſſima, quæ nunquam diuino ſpiritu afflatorum Chorus meruit audire, Moyſes, & Dauid, Eſaias, & Daniel, cunctique Prophetæ de ipſo prædicauerunt, ſed modum, rationemue ignorarunt, tu vero ſola ô Sanctiſſima Virgo, quæ his omnibus fuerunt ignota Myſteria, nunc ſuſcipis, conſamque intelligis.

3 Voui etiam in corde meo, ſi eſſet ei acceptabile obſeruare Virginitatem.

Mariam Virginem virginitatis votum emiſiſſe certum eſt, ſicut communis Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum omnium ſententia probat, & conſtat euidenter ex verbis præſentis notæ: huius ſen-

ſententiæ, fuerunt in primis D. Auguſtinus lib. de ſancta Virginitate cap. 4. Gregorius Niſſenus ſer. de Natiuitate, Rupertus lib. 3. in Cantica, Bernardus ſerm. 3. & 4. ſuper Miſſus eſt, Anſelmus de Excellentia Virginis cap. 4. Vgo Victorinus lib. de perpetua Virginitate cap. 1. & poſtremò vniuerſa ſchola cum Magiſtro in 4. diſt. 30. ſed vt omittamus, quod certum eſt. Fuit aliquando inter doctores aliqualis controuerſia de tempore, quo huiuſmodi votum Maria emiſerit, & quidem D. Thomas 3. par. q. 28. art. 4. & in 4. ſent. diſt. 30. q. 2. art. 1. & Capreolus eadem diſt. q. 1. & Paludanus quæſt. 2. Ricardus art. 1. quæſt. 2. indicant Mariam ante Matrimonium habuiſſe propoſitum ſeruandi Virginitatem, vel etiam emiſiſſe votum, ſub conditione, niſi aliter Deus præciperet, quod videtur etiam indicari hoc loco cum ſcribitur, vouì in corde meo, ſi eſſet Deo acceptabile: addit ſecundo D. Thomas 3 par. vbi ſupra cum poſt contractum Matrimonium Maria tale propoſitum propalaſſet Ioſepho, vtriuſque conſenſu firmatum fuiſſe votum, probari poteſt hæc ſententia dupliciter, primo quia huiuſmodi votum abſolute ante Matrimonium emiſſum impediret illud, tum quia eſt contra illud Exodi 23. & Deuteronomij 7. non erit apud te ſterilis, quibus verbis videtur prohiberi ſterilitas illa, quæ ſequitur ad Virginitatis votum; his non obſtantibus mihi videtur etiam poſſe defendi, Beatiſſ. Virg. abſolute vouiſſe Virginitatem ante contractum Matrimonium, fauent huic ſententiæ in primis Auguſtinus, vbi ſupra, Scotus in 4. diſt. 30. quæſt. prima, art. 2. Toſtatus quæſt. 33. ſuper primum caput Matthæi, Caetanus in tertium caput Matthæi, & ratione patet, quia ex hac opinione nullum ſequitur abſurdum, vt ex ſolutione argumentorum pro prima opinione patebit, & addendum eſt hoc magis fauere Virginitati Mariæ, ſi dicamus eam abſolute vouiſſe, neque hoc Matrimonium contrahendum poterat impedire, vt Doctores prioris ſententiæ arbitrantur, nam dicendum eſt Mariam, vel ex peculiari Spiritus ſancti inſtinctu, vel etiam eiuſdem Spiritus ſancti aperta reuelatione nouiſſe per Matrimonium non violatum iri ſuum votum, quod indicat Vgo Victorinus D. Thomas Albertus Magnus, & alij Scholaſtici locis citatis, & hinc fit eam potuiſſe conſentire in Matrimonium non conſentiendo actualiter, & explicite in carnalem copulam, nec abſolute, nec ſub illa conditione, ſi Ioſeph debitum petiſſet, quoniam erat certa nunquam petiturum, alij vero reſpondent huiuſmodi votum impedire minime potuiſſe, quandoquidem ante ſponſalia Maria, & Ioſeph conuenerunt ad inuicem, ne alter ab altero debitum peteret, & ſub hac conditione contraxiſſe, vt neuter peteret, aut redderet debitum, & hoc non eſſe contra ſubſtantiā Matrimonij tradit Abulenſis in cap. 30. numerorum quæſt. 32. Palud in 4. diſt. 30. q. 2. Gerſon. ſerm. de Natiuit. Mariæ, Ludulphus de vita Chriſti 1. par. cap. 3. neque etiam obſtat locus citatus Exodi 23. & Deut. 7. nam verba illius textus non continent præceptum Dei prohibens abſtinentiam a nuptijs, ſed potius promittit Deus ibi fœcunditatem, vt ex verbis patet cum dicitur (non erit apud te ſterilis) ac ſi diceret mulieres veſtræ fœcundæ erunt, & colligitur hæc interpretatio ex textu, nam ibi Deus commemorat bona, quæ promittit ſe largiturum Iudæis, ſi ſeruauerint legem ſuam, inter quæ eſt fœcunditas, & prolis propagatio.

4 Vidi lumen, ſed non qualem lucem, quæ lucet in Mundo.

var. lect. Farneſianus Codex M. S. reſtituit præſentem textum ſic (Vidi lumen, ſed non tale quale fulget in Mundo.)

5 Nec quæſiui ab Angelo, quare vel quando fiet, ſed quomodo fiet.

Plane conſtat ex verbis præſentis notæ, Mariam ab Angelo non inueſtigaſſe finem Dominicæ Incarnationis, nec tempus, ſed tantummodo modum, & ideo D. Lucas cap. 1. ſui Euangelij refert Virginem cum Angelo, ſic fuiſſe locutam (quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco) quæ verba, non indicant dubitationem aliquam in Virgine extitiſſe, aut de poteſtate diuina, aut de Myſterij veritate dubitaſſe, ſed ſermo eſt cupientis ſcire modum, quo id fieri poſſet abſque ſuæ Virginitatis iniuria, ſicut Ambroſius, Beda, Theophilatus citata verba Lucæ interpretantur, & fauet huic expoſitioni Auguſtinus Hom. 44 Bernardus Hom. 4. ſuper Miſſus eſt, Anſelmus in illud Euangelij intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum, ſunt etiam qui dicunt eſſe hæc verba admirantis, ſic Cirillus Catecheſi 12. cui interpretationi fauere videtur particula (quomodo) quæ in ſacris litteris aliquando admirationem importat, vt illud quomodo cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris, quod confirmari poteſt, ex eo quod ſcribitur ſerm. Angelico cap. 16. vbi legimus turbationem Mariæ manaſſe ex ingenti quadam admiratione eorum, quæ dicebantur illi ab Angelo, quæ quidem erant præſtantiſſima, & ſupra humanum captum neque eam turbationem contigiſſe ex Angeli viſione quandoquidem Maria erat aſſueta viſionibus Angelorum, vnde dixit Euangeliſta non fuiſſe turbatam in viſione, ſed in ſermone. cæterum probabiliter quoque dici poſſet hanc Virginis turbationem non tantummodo fuiſſe circa modum partus, ſed cum ſe iudicaſſet indignam, quæ ad tantam dignitatem ſublimaretur, vt fieret Mater Dei dixit (quomodo fiet iſtud) Poſtremo alij dicunt hanc interrogationem fuiſſe a Virgine factam, non quia dubitaret de Dei poteſtate, aut de myſterij veritate, vel etiam de modo, quandoquidem ſcire poterat ex Prophetarum vaticinijs Meſſiam naſciturum de Virgine, & præcipue ex illo Iſaiæ ſeptimo, ecce Virgo concipiet quod etiam nota ſecunda præſentis capitis probauimus, Maria ergo prudenter interrogat Angelum, vt probet, an eius dicta cum vaticinijs Prophetarum concordent, & an hæc viſio boni Angeli ſit, vel mali, nouerat enim aliquando Dæmonem ſe transformare in Angelum Lucis, & ideo paulo poſt

de poſt verba præfectis notæ. legimus Mariam di-xiſſe audita voce Angeli ſatis timui reputans, ne forte eſſet illuſio.

6 Quando vero peperi, eum ſine dolore, & peccato peperi eum.

Et hoc erat rationi conſonum, vt Maria, quæ in concipiendo nullum voluptatis carnalis ſenſum per-ſenſerat, ita nec in pariendo dolorem aliquem ſen-tiret, ſunt enim ad inuicem connexa voluptas, & dolor, vt quandocunque non intercessit voluptas, ita nec ſequi debeat dolor, ſic docent Damaſcenus, lib. 4. de fide cap. 14. & Gregorius Niſſenus Ora-tione prima de reſurrectione, & Cyprianus, etiam hoc idem admonuit, Oratione de Chriſti Natiuitate non longe ab initio, quoniam inquit, ſine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate, ſecun-do eadem veritas hac ratione probari poteſt, quia dolor in partu ab vteri apertione contigit, ac etiã ob violentam partium diuulſionem, ac diuiſionem, et nihil horum in Virgine pariente reperta ſunt. Poſtremo hoc patet Iſaiæ 66. qui dicit, antequam parturiret peperit, & antequam perueniret tempus partus eius, peperit Maſculum, ac ſi dixiſſet ante dolores partus, Virgo peperit, & ſeptuaginta le-gunt, antequam veniat dolor parturientium effugit, & Maſculum peperit, plura hæc de re annotaui-mus lib. 7. Reuelat. cap. 21. nota prima, vbi cita-uimus D. Auguſtinum, Bernardum, Fulgentium, & Gregorium Nazianzenum aſſerentes abſque dolore Mariam peperiſſe.

7 Percutientes eum in Maxilla, & Collo.

Duplicis hoc loco percuſſionis genus innuitur, quod cum Euangeliſtis concordat, quorum alterum indicat Ioan. 18. Capite his verbis, & dabant ei Alapas, & Lucæ 22. percutiebant faciem eius, alterum vero Marci 14. & Matth. 26. & Cola-phis eum ceciderunt, eſt enim Alapa percuſſio in Maxilla, & ideo Trenorum 3. legimus, Dabit per-cutienti ſe maxillas, Colaphus vero percuſſio eſt in collo, vtrunque autem notatur cum ſcribitur, Percutientes eum in Maxilla, & Collo, quod etiam animaduertit Ludulphus, de vita Chriſti parte 2. cap. 60.

8 Ad primum igitur ictum, ego quæ aſta-bam propinquius, cecidi quaſi mortua.

De ſpaſmo Virginis, & an ipſa in ſui filij morte vere deliquium animæ paſſa fuerit egimus lib. 4. Reuelat. cap. 70. nota 3.

9 Et quod amarius erat cum retraherentur flagella carnes ipſis flagellis ſulcabantur.

Flagella quibus Saluator noſter ad Columnam verberatus eſt è funiculis fuere confecta, vt anno-tauit Euthimius cap. 67. in Matthæũ, atque etiam loris contexta, vel vt plures affirmarunt, habue-runt in extrema parte ferrea quadam puncta, quæ carnem lacerabant, & hinc eſt, quod legimus hic flagella nudaſſe coſtas, & carnem ſulcaſſe, Cæte-rum qualia fuerint huiuſmodi flagella habetur lib. 4. Reuelat. cap. 70. ſic enim ibi deſcribuntur, fla-gellis aculeatis infixis cenſeris, & retractis, nõ euel-lendo, ſed ſulcando, totum eius corpus lacera-tur, eadem etiam deſcripſit Lanſpergius lib. 2. elu-cidationis in Chriſti paſſione ligato (inquit) Domi-no acceſſerunt quatuor viri robuſti Chriſtum fla-gellaturi, & flagellis virgis, & ſcorpionibus, in quibus erant vnci ferrei Chriſtũ flagellarunt, ſunt etiam qui opinati ſunt Saluatorem noſtrum primũ craſſioribus funibus, fuiſſe flagellatum, poſtmodum ferreis ſcorpionibus, tertio catenis, poſtremo virgis ſpinarum, in eadem tamen flagellatione adhibuiſſe Carnifices his omnibus tormentorũ generibus cre-dendũ eſt, ſed hac de re late egit Iuſtus Lypſius de Cruce lib. 2. c. 3. verũ quibus flagellis in ſpecie Chri-ſtus verberatus fuit textus Sacer non explicat Mat. 27. cap. flagellis dicit, tantummodo fuiſſe cæſum, adeo quod virgis ſcorpionibus, aut ferreis etiam catenis fuerit verberibus affectus, Chriſtus, vt pie meditatur S. Vincentius ſerm. de Paraſceue reli-gioſa quadam traditione cenſetur eſſe verum, ſicut & de numero plagarum, quod fuerint vltra quin-que millia incertum eſt Ioannes nanque Eckius, de Chriſti paſſione Act. 4. conſid. 4. ex quadam reuelat. huiuſmodi plagas fuiſſe refert 5375. La-dulphus vero de vita Chriſti par. 2. cap. 58. arbi-tratur extitiſſe 5475. poſtremo Lanſper. Homil. 50. de paſſ. affirmauit fuiſſe 5460. ſed difficile mihi hoc creditu eſt, quia potuiſſent lictores, ſic de facili Chriſtum Dominum flagellando occidere, niſi forte dicatur id non fuiſſe factum, quod fuerit diuinitus præfinitum Chriſtum ſuſpenſio Cru-cis fuiſſe moriturum, & ideo diuina virtute in illa flagellatione conſeruatum negari tamen non poteſt, quod ſic naturaliter obire potuiſſet, vt multis fre-quenter accidere conſueuerat teſte Vulpiano a Iuſto Lypſio relato lib. 2. de Cruce cap. 3. Rurſus huiuſmodi plagarum copioſus numerus improba-tur, quia neque apud Romanos, aut Iudæos erat in more poſitum, vt tam acriter flagellarentur Rei, cum præſertim Iudæi in flagellatione excede-re non poſſent, quadragenarium numerum, & à Iudæis quadragenas vna minus accepit, Paulus 2. Corinth. 11. ſed quia a Iudæis Redemptor no-ſter non fuit verberibus affectus, ſed a miniſtris Pilati probabiliter credendum eſt, illos quadrage-narium numerum exceſſiſſe, tum quia nulla lege Romanorum erat præſcriptus certus plagarum nu-merus, ſed quidquid ſit Chriſtus crudeliſſime fla-gellatus eſt, & adimpleta ſunt, primo Dauidis va-ticinia Pſal. 37. ego in flagella paratus ſum, & Pſ. 68. quæ non rapui tunc exoluebam, ex hoc autem argumento acerbitas flagellationis colligi poteſt, primo quia id factum eſt, vt ad miſericordiam cõ-mouerentur Iudæi, ſic ergo oportuit flagellare, vt homines feri inde mitigarentur, ſecundo quia hu-ius flagellationis ſæuitia indicat ſcriptura Pſal. 34. congregata ſunt ſuper me flagella, & Pſal. 72. fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis, vbi aduerte cum dicitur, tota die ne intelligas per integrum diem fuiſſe flagellatum Chriſtum exten-ſiue, ſed intenſiue, ideſt tam acerbe, ac ſi tota

die

die fuiſſet flagellatus; non mirum ergo, ſi [illegible] legimus Saluatoris noſtri corpus, ſic fuiſſe flagellatum, vt coſtæ eius viderentur.

10 Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & ſuper hunc ſiniſtrum duobus clauis.

Verba præſentis notæ doctiſſimis quibuſdam viris intellectu difficilia viſa ſunt, vnde non mirum, ſi de Chriſti pedũ crucifixione verba facientes multi multa dixerint, ſed antequam ad horum explicationem veniamus ſupponendũ eſt primo, tanquam certũ in his B. Brigittæ Reuel. lib. Saluatorem noſtrũ fuiſſe cruci affixum quatuor clauis, ſicut hoc loco aperte ſcribitur, & alibi etiam vt lib. 4. Reu. c. 70. & in Extrau. c. 51. pedes dorſum tracti, & duobus clauis perfoſſi, & lib. 7. c. 15. iunctos pedes affixerũt duobus clauis, eandẽ ſenten. ſicuti ſunt Greg. Turon. de gloria Mart. c. 6. & Cipria. ſer. de paſſ. [illegible] ſcribit clauis ſacros pedes terrebrantibus, & D. Aug. in lib. Medit. c. 6. immaculata, inquit, veſtigia Chriſti dira cõfixa clauis, indicat hoc quoque [illegible] ſer. de vno Martyre illis verbis quatuor claui ſunt, quatuor principales virtutes, ſequitur Gabriel ſer. de Exalt. S. Crucis, Medina in 3. p. S. Tho. q. 46. ar. 11. & inter recentiores Card. Toletus in c. 19. Ioan. ad illa verba fecerunt quatuor partes [illegible] militi: non diſſentiunt Creiſerus lib. 1. de Cruce c. 21. Lanſpergius de paſſ. Ho. 41. Ianſenius in Concord. c. 143. fauet etiam Ioannes Talconotius lib. 4. Theſauri rerum abſcõditarum c. 21. qui refert Celſum Adurnum clericum regularem idem ſentientẽ. Et poſtremo Lypſius in notis ad c. 9. lib. 2. de Cruce, quæ notæ habentur in fine libri, is enim cum propoſitam dubitationẽ inſolutam reliquiſſet lib. 2. c. 9. re melius inſpecta in notis admonuit, ſibi magis placere opinionem dicentium Chriſtum quatuor clauis fuiſſe cruci affixum, eandẽ opinionem indicare viſus eſt, Alphonſus Paleotus Archiepiſ. Bonon. in lib. de ſtigmat. ſacra ſindoni impreſſis c. 6. n. 8. qui affirmat Reos, olim quãdoq; cruci affigi ſolitos tribus quandoq; quatuor clauis, hunc autem poſtremum crucifigendi modum cõmuniorẽ, vſitatiorem, ac etiã faciliorem eſſe arbitramur: quandoquidẽ nimis operoſum eſt, vtrunq; pedẽ vno clauo tranſfigere, fauẽt huic doctrinæ antiquæ quædã imagines, in quibus cernitur Chriſtus quatuor clauis crucifixus, his addendũ, quod cum plures etiam per orbẽ terrarum reperiantur claui, qui in multis Eccleſiis inter Reliquias aſſeruantur, & ibi eſſe creditur, quibus Redemptor noſter crucifixus eſt, inde probabile ſumi poteſt argum. quatuor fuiſſe Dominicos clauos, Mediolani, nanq; clauus fræno Cõſtantini equi immiſſus maxima pietate colitur, & magno populorũ concurſu honoratur. Treueris etiam alius inuenitur teſte Lypſio, vbi ſupra, quẽ vocat clauum pedis dextri. Tertium ab Helena Romã fuiſſe tranſmiſſum, ac in Eccl. S. Crucis Hieruſalẽ aſſeruari ſcimus, multoties vidimus, manibus etiã noſtris, licet pollutis, ſemel atque iterũ contrectauimus. Alio clauo fuiſſe eiuſdẽ Conſtantini munitã Galeã, quo ſeſe ab inimicorũ ictibus defenderet, affirmarunt Greg. Turon. loc. cit. Euſeb. Cæſarien. lib. 10. c. 8. Niceph. lib. 8. c. [illegible] Sigonius de occidentali imperio lib. 3. Poſtremo [illegible] clauũ fuiſſe in [illegible] Greg. Tur. his verbis [illegible] Helena [illegible] clauis de Dñi paſſione [illegible] quod Adriaticũ mare [illegible] Carere [illegible] Xpi ſuos pedes [illegible] dixit, & aliter [illegible] F. Daniel Mallonius in [illegible] ad [illegible] ſtigmat. [illegible] impreſſis c. 19. ad [illegible] ad explicationẽ præſentis verborũ, quæ [illegible] ſuperſunt poſſunt [illegible] hic ſic primo dextrũ pedẽ cruci affixũ, & poſtmodũ ſuper illũ ſiniſtrũ duobus clauis, & ſane difficile intellectu eſt, quomodo fieri potuerit, quod duobus clauis ſiniſter fuerit perforatus, quamquã non deſint, qui affirmauerint ſiniſtrũ pedẽ fuiſſe ſuperpoſitum dextero, & duobus clauis ſuper eũ fuiſſe confixum, alii vero arbitrati ſunt, vno clauo paruo primo dexterum pedem [illegible] alio clauo magno ſiniſtrum ſuperpoſitũ [illegible] fuiſſe crucifixum. Poſtremo F. Daniel Mallonius in lib. citato cap. 19. n. 9. aſſerit ex ſenten. S. Brigittæ vno clauo, primo dextrũ pedẽ fuiſſe perforatum, & poſtea ſiniſter pes, ita dextro pedi [illegible] ſuperpoſitus, vt verſus talũ cum dextro pede crucẽ formans, ſit ita ſtipiti affixus, vt clauo dextrũ pedem non perforarit, ſed quia hoc, & valde operoſum, ac etiã difficile intellectu mihi viſum eſt, neque vndequaq; SS. Patrum, ac doctorũ veterum ſententiis conforme, qui affirmarunt Redemptorẽ noſtrũ, aut diſparatis pedibus duobus clauis fuiſſe crucifixũ, aut vno clauo ambos pedes fuiſſe tranſfixos, ideo admodũ nobis placuit M. S. Farneſiani Codicis lectio, ſic enim habet, deinde dextrũ pedem crucifixerunt, & inſuper ſiniſtrũ duobus clauis, quo loco [illegible] aduertendũ eſt ea verba (duobus clauis) non eſſe referenda ad pedẽ ſiniſtrũ tantum, quaſi ille duobus clauis fuerit perforatus, ſed ad vtrunque pedem, quos fuiſſe Cruci affixos duobus clauis ſupra ex doctoribus probauimus.

var. lect.

11 Quo facto aptauerunt coronam de ſpinis Capiti eius.

Qualis fuerit hæc corona, & quando, & quoties Chriſti Domini capiti impoſita ſit vididimus lib. 7. Reuelat. cap. 15 nota 2.

12 In tẽpore illo audiui alios dicentes, quod filius meus latro erat, alioſq. quod mendax, alios, quod nullus eſſet dignior morte.

var. lect.

Sic legunt omnes impreſſi Codices, ſed M. S. Farneſianus habet, quod nulla eſſet dignus morte filius meus, quæ lectio probari poteſt, ex eo quod aliqui Seruatoris noſtri cognita Innocentia exiſtimarunt eum nulla fuiſſe morte dignum, vt & dixiſſe Pilatum referunt Lucas 23. cap. & Ioan. 18. nullam inuenio cauſam mortis in eo.

13 Poſtea poſuerunt eum in linteo mundo, & ego cum linteo meo exterſi vulnera, & membra eius, & clauſi oculos, & os eius.

De

Digitized by Google

De hoc Enteo tractauimus infra lib. 2. Reuelat. cap. 21. nota 3. vbi historia depositionis Christi de Cruce narratur, ibique plura tradidimus, quæ ad intelligentiam facere possunt eorum, quæ circa finem præsentis Capitis scribuntur, hic tamen vnum tantummodo annotare volui, cum legimus Beatiss. Virginem sui filij de Cruce depositi oculos, & os clausisse, hoc apud antiquos fuisse in more positum, vt cum primum moriens exhalaverat animam, eius oculi occluderentur, quod patet ex auctore antiquissimo Cipriano Orat. de Christi sepultura, nunquid ait digitis tuis oculos Iesu, vt mortuorum de more solent claudis, fauet etiam Dionisius Alexandrinus Epistola, quæ exarata est, apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 17. ibi oculos occludere, & ora obturare, & ex profanis auctoribus Plinius meminit lib. 11. cap. 37. plura habet hac de re Alexander ab Alexandro lib. 3. genialium dierum cap. 7.

VERBA CHRISTI AD Sponsam qualiter se tradidit spontaneæ suis inimicis crucifixoribus. Et de modo viuendi in continentia omnium membrorum ab illicitis moribus exemplo suę dulcissimę passionis.

CAP. XI.

FILIVS Dei loquebatur ad sponsam dicens. Ego sum Creator cæli, & terræ, & corpus meum verũ est, quod in altari consecratur. Dilige me toto corde, quia ego dilexi te.
1 1 Et ego spontaneæ tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei, & mater mea, in amarissimo dolore, & fletu. Cunque viderem lanceam, clauos, flagella, & alia passionis genera parata, processi nihilominus lætus ad passionem. Cunque caput meum esset vndique corona cruentatum, & vndique sanguis flueret, & etiam si adhuc inimici tetigissent cor meum, magis hoc paterer diuidi, & vulnerari, quam te carere vellem. Propterea nimis ingrata es, si me pro tanta charitate non dilexeris. Si enim caput meum punctum est, & inclinatum in Cruce pro te, caput tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti, & pleni lacrymis, ideo oculi tui debent abstineri a delectabili visu. Et quia aures meæ implebantur sanguine, & audiebant verba detractionis meæ, idcirco aures tuæ auertãtur a scurrilibus, & ineptis locutionibus. Quia etiam os meum potatum est amarissima potatione, & prohibitum a bona, ideo os tuum obstruatur a malis, & aperiatur ad bona. Et quia manus meæ extensæ sunt cum clauis, propterea opera tua, quæ figurantur in manibus, extendantur ad pauperes, & ad præcepta mea. Pedes tui, id est, affectus tui quibus ad me ire debes, crucifigantur a voluptatibus. Vt sicut in omnibus membris passus sum ego, sic omnia membra tua parata sint ad obsequium meum. Quia maius seruitium exigo a te, quam ab alijs, quia maiorem gratiam feci tibi.

NOTAE.

1 EGo spõtaneæ tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei.

1. *Ex verbis præsentis notæ deducendum est primo, Christi Domini mortem omnino fuisse liberam, ac voluntariam, ipse namque sponte se tradidit potestati carnificum, vt scribitur hic, & indicat D. Lucas cap. 22. vbi refert Dominum dixisse illis: hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum harum. & sensus est nunc, potestis facere in me quidquid libet, non quod potentiores sitis, sed quod venerit hora, qua ego mortem subire volo, secundum Patris decretum, idem constat Isaiæ 53 cum dicit de Christo oblatus est, quia ipse voluit, & Ioannis 10. nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, nulla ergo fuit in Christo necessitas moriendi, si loquamur de necessitate, quæ voluntati repugnat mors enim Christi libera fuit, & voluntate diuina, & voluntate humana deliberata, vnde egregie Damascenus lib. 3. de fide cap. 20. loquens de hac necessitate, quæ voluntati opponitur asserit, quod nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia erant in eo voluntaria, quod probat D. Thomas 3. par. q. 47. art. 1. quoniam Christus poterat supernaturali virtute mortem impedire, & noluit ob humani generis redemptionem; si vero sermo sit de necessitate naturali, quæ ad principia naturalia sequitur; tunc dici potest in Christo huiusmodi extitisse necessitatem moriendi, quia ipse habuit naturam susceptiuam contrarietatis primarum qualitatum, ad quarum alterationem de necessitate mors sequitur, & quamquam Redemptor noster non fuisset violenter occisus, senio tamen secundum naturam defecisset, vt probauimus infra hoc eodem lib. cap. 37. nota 1. quare si de necessitate coactionis verba facimus, quæ naturæ corporali repugnat, dicendum est Christi corpus secundum conditionem propriæ naturæ huiusmodi necessitati fuisse subiectum, sunt ergo verba præsentis notæ intelligenda de necessitate, quæ opponitur voluntati, quæ non fuit in Christo, quippe qui, vt legimus hoc loco sponte se tradidit inimicis suis, quia permisit flagellari, & occidi cum posset impedire, cum autem dicit passionis suæ ministros ex inimicis amicos factos esse, indicat pro eis orasse, illosque efficaci oratione sua iustificasse, & Patri suo reconciliasse.*

QVALITER ANGELVS rogat pro ſponſa, & qualiter Chriſtus quærit ab Angelo, quid eſt, quod quęrit pro ſponſa, & quid expedit ſponſę.

CAP. XII.

ANGELVS bonus cuſtos ſponſæ videbatur rogare Chriſtum pro eadem ſponſa. Cui reſpondit Dominus, dicens. Qui rogare voluerit pro aliq. ſalutem eius rogare debet. Tu enim es quaſi ignis, qui nunquam extinguitur, ardens charitate mea inceſſanter. Tu vides, & ſcis omnia cum vides me. Tu nihil vis niſi quod ego. Dic ergo mihi quid iſti meæ nouæ ſponſæ expedit. Et ille reſpondit. Domine tu ſcis omnia. Cui Dominus ait. Omnia quidem quæcunque facta, & futura ſunt, æternaliter ſunt in me. Et omnia in cælo, & in terra noui, & ſcio, nec mutatio eſt apud me. Tamen vt iſta ſponſa intelligat voluntatem meam, dic modo ipſa audiente quid ei expedit. Angelus ait. Elatum habet cor, & magnum, propterea neceſſaria eſt ei virga, vt edometur. Et tunc Dominus ait. Quid igitur petis ei amice mi? Et ille. Domine peto miſericordiam cum virga tua. Et Dominus ait. Propter te hoc faciam ei, quia nunquam facio iuſtitiam ſine miſericordia. Ideo diligere me hæc ſponſa debet toto corde.

QVALITER INIMICVS Dei habet tres dæmones in ſe. Et de iudicio contra ipſum a Chriſto illato.

CAP. XIII.

INIMICVS meus habet in ſe tres dæmones. Primus ſedet in genitalibus. Secundus in corde. Tertius in ore. Primus eſt quaſi nauta, qui facit aquam per carinam intrare, quæ paulatim inde creſcendo replet nauem. Inde superfluit aqua, & nauis ſubmergitur. Hæc nauis eſt corpus ſuum tentationibus dæmonum, & cupiditatibus ſuis, quaſi procellis agitatum. In quod voluptas ſua primo intrauit per carinam, id eſt, per delectationem, qua delectabatur talibus cogitationibus. Et quia non reſiſtebat per pœnitentiam, nec conſolidabat clauis abſtinentiæ, creſcebat quotidie aqua voluptatis adhibendo conſenſum. Inde completa, ſeu repleta naue ventris concupiſcentia, affluebat aqua, & operiebat nauem voluptate, ne veniret ad portum ſalutis. Secundus dæmon, qui ſedet in corde, eſt ſimilis vermi iacenti in pomo. Qui nucleum pomi primo comedit, inde relictis ibi ſtercoribus ſuis, peruagatur totum pomum, donec totum fiet inane. Sic diabolus facit. Primo viciat voluntatem eius, & deſideria bona, quæ ſunt quaſi nucleus, vnde omne robur mentis, & bonum ſubſiſtit, & euacuato corde ab iſtis bonis, tunc relinquit pro eis in corde cogitationes, & affectiones mundi, quas magis dilexit, nunc impellit ipſum corpus ad quod ei placet, & ex hoc minuitur ei fortitudo, & intelligentia, & accedit tædium vitæ. Ipſe certiſſime eſt pomum ſine nucleo, id eſt, homo ſine corde, quia ſine corde intrat Eccleſiam meam, quia diuinam charitatem nullam habet. Tertius dæmon eſt ſimilis ſagittario, qui per feneſtras circunſpiciens ſagittat incautos. Quomodo non dæmon ſedet in eo, qui nunquam loquitur ſine eo? Quod enim magis diligitur frequentius nominatur. Verba ſua amara quibus alios vulnerat, ſunt quaſi iacula, quæ per tot feneſtras emittuntur, quotiens nominatur diabolus; quotiens innocentes per verba eius vulnerantur, quotiens ſimplices ex eius verbis ſcandalizantur. Ideo in veritate mea, qui ſum veritas iuro, quod iudicabo eum ſicut meretricem ad ignem ſulphureum. Sicut proditorem, & inſidiatorem, ad omnium membrorum inciſionem, & ſicut Domini ſui contemptorem, ad perpetuam confuſionem. Veruntamen quamdiu anima, & corpus inſimul ſunt, miſericordia mea aperta eſt ſuper eum. Hoc eſt autem quod requiro ab eo, ſcilicet, vt frequentius interſit diuinis. Nullum timeat opprobriũ, & nullum concupiſcat honorem. Et vt nunquam nominetur in ore ſuo nomen ſiniſtrum.

Declaratio.

Hic Prior Ordinis Ciſtercienſis ſepeliuit excommunicatum. Cunque legiſſet vltimam commendationem pro eo, Domina Brigitta rapta in ſpiritu audiuit. Iſte fecit ſicut potuit, & ſepeliuit. Iam ſcito pro certiſſimo, quod iſte poſt iſtum mortuum primus ſepelietur. Nam peccauit in patrem, qui dixit non eſſe acceptatorē perſonarum, nec honorare vultum diuitis. *Hic* vero propter modicum corruptibile, honorauit indignum, &

locauit

locauit, vt non debuit inter dignos. Peccauit in spiritum meum, qui est communio, & communicatio iustorum, quando iniustum sepeliuit cum iustis. Peccauit in me filium, quia ego dixi. *Qui me spernit, spernetur*. Iste vero honorauit illum, & exaltauit, quem Ecclesia mea, & Vicarius meus spreuit. Qui Prior auditis verbis istis compunctus, quarto die mortuus est.

VERBA CHRISTI AD Sponsam de modo, & respectu quem debeat in oratione tenere. Et de tribus generibus hominum, in hoc mundo Deo seruientium.

CAP. XIV.

EGO sum Deus tuus, qui in cruce crucifixus verus Deus, & verus homo in vna persona, sum quotidie in manibus sacerdotis. Cum mihi aliquam orationem facis, conclude semper sic orationem tuam, vt scilicet velis fieri semper voluntatem meam, non tuam. Quia cum pro damnatis exoras, non exaudio te. Quandoque etiam contra salutem tuam optas fieri, & ideo necesse est tibi voluntatem tuam mihi committere, quia omnia scio, qui prouideo tibi nihil nisi vtile. Multi quippe orant non recta intentione, & ideo non mœrentur exaudiri. Tria nanque sunt genera hominum seruientium mihi in hoc mundo. Primi sunt, qui me credunt esse Deum, & largitorem omnium, & super omnia potentem. Hi seruiunt mihi hac intentione, vt scilicet temporalia, & honorem obtineant, sed cælestia sunt eis pro nihilo, & gaudenter ea amittunt, vt obtineant præsentia. His iuxta voluntatem eorum prosperitas sæculi in omnibus accedit. Et sic amissis æternis, in temporali commoditate remunero eos quicquid boni fecerũt pro me vsque ad vltimum quadrantem, & vsque ad nouissimum punctum. Secundi sunt, qui credũt me Deum omnipotentem, & districtum iudicem, & isti seruiunt mihi ex timore pœnæ, non autem ex amore cælestis gloriæ. Nisi enim timerent, non mihi seruirent. Tertij sunt, qui credunt me omnium Creatorem, & verum Deum, qui credunt me iustum, & misericordem. Et seruiunt mihi non ex timore alicuius pœnæ, sed ex diuina dilectione, & charitate. Et mallent quippe omnem pœnam si sufficerent magis sufferre, quam me semel ad iram prouocare. Isti vere mærentur audiri in prece sua, quia voluntas eorum est secundum voluntatem meam. Primus enim nunquam exibit de supplicio, nec videbit faciem meam. Secundus autem tam magnum supplicium non habebit, nec
1 tamen faciem meam videbit, 1 nisi correxerit illum timorem pœnitentia.
var. lect.

NOTAE.

1 var. lect. *AD finem præsentis Capitis magis arridet M. S. Farnesiani Codicis lectio, vbi enim in vulgatis habetur, nisi correxerit illum timorem pœnitentia, M. S. Codex legit, nisi se correxerit ab eo timore per pœnitentiam. Quis nam autem sit ille timor, quem in præsenti Capite Christus Dominus improbat declarauimus ex Magistro sententiarum, alijsque doctoribus lib. 4. Reuel. cap. 81. nota 1.*

VERBA CHRISTI AD Sponsam, conditiones magni Regis Christo appropriantia. Et de duobus gazophilaciis, per quæ amor Dei, & amor mundi designantur. Et de doctrina proficiendi in hac vita.

CAP. XV.

EGO sum sicut vnus Rex magnus, & potens. Ad Regem enim pertinent quatuor. Primo debet esse diues. Secundo mitis. Tertio sapiens. Quarto charitatiuus. Ego vere sum Rex Angelorum, & omnium hominum. Ego etiã habeo illas quatuor proprietates quas dixi. Primo nanque sum ditissimus, quia omnibus do necessaria, nec minus habeo post datum. Secundo sum mitissimus, quia omnibus petentibus paratus sum dare. Tertio itaque sum sapientissimus, quia scio, quod vnicuique debetur, & expedit. Quarto etiã sum charitatiuus, quia paratior sum dare,
1 quam aliquis petere. 1 Ego habeo quasi duo gazophilacia. In primo enim gazophilacio sunt reposita ponderosa, & grauia quasi plumbum, & cella ista vbi ista sunt, est circumsepta acutis aculeis pungentibus. Sed qui hæc primo incipit vertere, & reuoluere, & deinde portare didicerit, leuia videntur sibi postea quasi pluma. Et sic leuissima fiunt, quæ antea ponderosa videbantur. Et suauia quę prius pungere credebantur. In secundo gazophilacio videtur esse

aurum reſplendens, & lapides precioſi, & pocula odorifera, & delicia, ſed vere aurum illud eſt lutenm, & illa pocula ſunt venenum. Ad hæc nanque gazophilacia ſunt duæ viæ, ſed ante erat vnica via. In competis, id eſt in ingreſſu duarum viarum ſtabat vnus homo, & clamabat ad tres homines, qui incedebant per viam aliam dicentes. Audite audite verba mea, & ſi non audieritis, ſaltem videte oculis veſtris, quia vera ſunt, quæ loquor. Si autem nec audieritis, nec videritis, ſaltem attrectate manibus, & probabitis, quod in verbis meis nulla eſt falſitas. Tunc ait primus illorum, audiamus, & videamus ſi verba eius vera ſint. Secundus homo ait. Falſum eſt quicquid dicit. Tertius dixit. Scio quod vera ſunt, quæ dicit, ſed non curo. Quid ſunt iſta duo gazophilacia, niſi amor meus, & amor mundi. Sed ad hęc duo gazophilacia ſunt duæ viæ: Abiectio, & perfecta abnegatio propriæ voluntatis, quæ ducit ad amorem meum. Et carnis voluptas, quæ ducit ad amorem mundi. In amore autem meo, videtur aliquibus eſſe onus quaſi plumbum; quia cum ieiunare debent, & vigilare, ſeu refrænare carnem, quaſi plũbum portare ſibi videntur. Si autem verba, & contumelias audierint, ſi in religione, & oratione morantur, quaſi inter aculeos reſident, & in omni hora anguſtiantur. Sed qui in amore meo eſſe vult, incipiat primo vertere onus, id eſt, conetur ad faciendum bona, per voluntatem, & continuum deſiderium. Inde leuet modice, & paulatim, id eſt faciet ea quæ poteſt, cogitando ſic. Hoc bene poſſum facere, ſi Deus dederit mihi auxilium. Deinde perſeuerans in incepto, cum tanta alacritate, ea quæ videbantur ſibi prius eſſe oneroſa incipit portare, quod omnis labor in ieiunijs ſeu vigilijs, & alijs laboribus quibuſcunque, eſt ſibi tam leuis quaſi pluma. Et in tali ſede quieſcunt amici mei, quæ eſt malis, & deſidioſis quaſi circunſepta aculeis, & ſpinis, ſed amicis meis eſt ſumma quies, & leuis quaſi roſa. Ad hoc gazophilacium eſt via recta, contemptus propriæ voluntatis, quando homo conſiderata paſſione, & charitate mea, non curat facere voluntatem ſuam, & reſiſtit totis viribus, & conatur ſemper ad maiora.
2 2 Et licet iſta via in principio ſit aliquantulum grauis, tamen in proceſſu multum delectat, in tantum, quod ea quæ prius videbantur ad ferendum impoſſibilia, ſiunt poſtea leuiſſima, vt merito dicat intra ſe. Iugum Dei ſuaue eſt. Secundum gazophilacium eſt mundus; in quo ſunt aurum, lapides precioſi, & pocula, quæ videntur odorifera, ſed tamen deguſtata amara ſunt vt venenum. Omnes enim qui portat aurum, contingit ei, quod cum debilitatur eius corpus, & deficiunt membra, & cum eius adnihilatur medulla, & corpus ipſius cadit per mortem in terram, tunc relinquit aurum, & lapides, & non valent ſibi pluſquam lutum. Pocula etiam mundi, id eſt, delectationes, videntur delectabilia, ſed cum veniunt in ventrem, debilitant caput, grauant cor, & omnia membra euertunt, & poſtea quaſi fœnum homo areſcit. Et appropinquante dolore mortis, omnia delectabilia ſiunt amara quaſi venenum. Ad hoc gazophilacium ducit propria voluntas, quando homo non curat reſiſtere affectionibus ſuis prauis, neque meditatur, quæ ego præcepi, & feci, ſed quicquid venit in eius cogitationem ſiue licitum, ſiue illicitum hoc ſtatim facit. Per hanc viam tres viri ambulant, in quibus intelligo omnes reprobos, qui diligunt mundum, & omnem voluntatem propriam. His ergo clamaui, qui ſtabam in competis, ſeu in ingreſſu viarum, quia veniens in carne humana, oſtendi hominibus quaſi duas vias, ſcilicet quid ſequendũ eſſet, quidue fugiendum. Quæ via ſcilicet ducebat ad vitam, & quæ ad mortem.
3 3 Nam ante aduentum meum in carne, non erat niſi vna via, qua omnes boni, & mali ibant in infernum. Ego autem ſum ille, qui clamabat, & clamabam ſic. O homines audite verba mea, quæ ducunt ad viã vitæ, quia vera ſunt, & ſenſu proprio percipere poteſtis illa eſſe vera, quæ loquor. Et ſi non auditis ea, vel non poteſtis audire, ſaltem videte, ſcilicet fide, & intellectu, quia vera verba ſunt mea. Sicut enim oculis carnis cernitur viſibile aliquid, ſic oculis fidei cerni poſſunt inuiſibilia, & credi. Multi deniq; ſunt ſimplices in Eccleſia, qui pauca bona operantur, per fidem tamen ſaluantur qua credunt me Creatorem omnium, & Redemptorem. Nullus quippe eſt, qui me non poſſet intelligere eſſe Deum, & credere, ſi conſiderat quomodo terra fructificat, & quomodo cælum dat pluuias. Quomodo arbores virent. Quomodo animalia vnũ quodque in genere ſuo ſubſiſtunt. Quomodo ſidera homini ſeruiunt. Quomodo contraria eueniunt voluntati hominis. Ex his omnibus poteſt homo videre, quod mortalis eſt, & quod Deus eſt ille, qui oĩa iſta diſponit. Si enim non eſſet Deus omnia iſta irent inordinate. Ergo omnia ſunt à Deo, & omnia rationabiliter propter ædificationem hominis ſunt diſpoſita. Nec minimum eſt in mundo, quod ſine ratione ſit, vel ſubſiſtat. Ergo ſi homo non poteſt propter infirmitatẽ virtutem meam ſicut eſt capere, vel intelligere poteſt tamen videre per fidem, & credere. Si autem ò homines nolueritis conſiderare

intel-

intellectu potentiam meam, potestis tamen attrectare manibus vestris opera, quæ ego feci, & sancti mei. Quia sic aperta sunt, quod nullus dubitare potest esse opera Dei. Quis suscitauit mortuos, & illuminauit cæcos nisi Deus? Quis expulit dæmones, nisi Deus. Quid autem docui, nisi vtilia ad salutem animæ, & corporis, & leuia ad portandum. Sed primus homo ait, id est, aliqui dicunt audiamus, & probemus, si vera sunt. Hi ad tempus stant in seruitio meo, non causa dilectionis, sed experientiæ, & imitationis aliorum. Nec relinquẽdo voluntatem propriam, sed suam faciendo cum mea voluntate. Hi periculose positi sunt; quia duobus Dominis seruire volunt, licet neutri bene seruire possint. Cum autem vocati fuerint, quem Dominum magis dilexerunt ab eo remunerabuntur. Secundus homo dicit, id est aliqui. Falsum est quicquid loquitur, & falsa est scriptura. Ego sum Deus, & Creator omnium, & sine me nihil est factum. Ego condidi nouam legem, & veterem, & de ore meo processit, nec in ea est aliqua falsitas, quia ego sum veritas. Ergo qui me falsum dixisse dicunt, & scripturam sacram falsam dicunt, ipsi nunquam videbunt faciem meam, quia conscientia eorum dicit eis me esse Deum, quia omnia fiunt secundum voluntatem meam, & dispositionem meam. Cælum illuminat eos, nec ipsi se illuminare possunt. Terra fructum gignit, Aer fecundat terram. Omnia animalia habent certam dispositionem.
4 Dæmones confitentur me. Iusti homines patiuntur incredibilia, propter amorem meum. Hec omnia vident nec tamen vident me. Ipsi etiam possunt videre me in iustitia mea. Si considerarent quomodo terra absorbuit impios, Ignis combussit iniquos. Sic etiam possunt me videre in misericordia mea. Quando aqua de petra fluxit iustis. Et aqua maris cedebat eis. Quando ignis non lædebat eos. Quando cælum quasi terra nutriebat eos. Et ideo quia ista vident, & adhuc dicunt me mentiri, nunquam videbunt faciem meam. Tertius homo dicit, id est aliqui, Bene scimus eum esse verum Deum, sed non curamus. Isti in æternum cruciabuntur, quia contemnunt me Deum, & Dominum suum. Nunquid non est magnus contemptus, quod vtuntur bonis meis, & tamen ipsi contemnunt seruire mihi. Si enim haberent ipsi ex industria propria, & non totum ex me, leuis esset contemptus. Qui autem onus meum vertere incipiunt, idem voluntarie, & ex feruenti desiderio, conãtur ad faciendum illud modicum, quod ipsi possunt, iis ego dabo gratiam. Qui autem leuant pondera mea, id est, pro amore meo de die in diem proficiunt, cum eis laboro, & fortitudo illorum ero, & inflammabo eos, vt amplius velint. Qui autem sedent in sede, quæ pungere videtur quietissima tamen est, ij sunt in laboribus, & patientia nocte, & die, nec attediantur, sed eo magis ardent, & modicum eis videtur esse, id quod agunt. Hi sunt amici mei charissimi, & ij valde pauci sunt. Quia pocula secundi Gazophilacij magis alios delectant.

NOTAE.

1 Ego habeo quasi duo Gazophilacia.

In præsenti Capite amores duo describuntur amor Dei, & amor mundi, qui per duo Gazophilacia, quorum hic mentio fit designantur, & notandum ex D. Hieron. super Ezechielem cap. 40. & Beda in Lucam cap. 21. Gazophilacium esse locũ, quo seruari diuitiæ consueuerunt, duo autem in templo fuisse obseruauit Beda, vbi supra alterum Gazophilacium locus erat in quem pecunia, alterum in quem res aliæ maioris molis a Populo conijciebantur, primum Arca quadã erat, de qua 4 Reg. 12. aliud Aula quadam, aut locus aliquis eiusmodi amplus multarum rerum capax, hic ergo Christus se quoque duo habere Gazophilacia asserit, & per primum Amorem diuinum, per secundum vero mundanum designat, in primo dicit reperiri propriæ voluntatis, ac mundanarum rerum contemptũ aliaque plura, quæ ab his, qui amore diuino incensi sunt, quæri solent, in secundo vero affirmat esse mundi delectationes, ac delitias, bona etiam temporalia, quæ qui diligunt, mundum sectantur. Verum de duobus his amoribus plura habet D. Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 28. & in enarratione Psal. 64. vbi monet ex his duobus amoribus duas manasse ciuitates, alteram Hierusalem, alteram Babylonem.

2 Et licet ista via in principio sit aliquantulum grauis, tamen in processu temporis multum delectat in tantum, quod quæ prius videbantur ad ferendum impossibilia, fiunt postea leuissima.

Is est præcipuus diuini amoris effectus, vt ieiunia, vigiliæ, cæteraque corporis incommoda in spirituali vita sese exercenti in principio videantur amara, ac onerosa, postmodum proficienti in ea dulcia fiant, & leuia, nescit enim amor amaritudines, & labores, inquit Augustinus lib. 13. Confessionum, quia feruor amoris dulcedo est, & qui amat non laborat solũ labor, non amantibus grauis est, & ipse amor est, qui nomẽ difficultatis erubescit.

3 Nam ante aduentum meum in carne non erat nisi vna via, qua omnes boni, & mali ibant ad Infernum.

Ex his verbis nullatenus colligendum est, quod omnes communiter, qui ante Christi Domini Incarnationem obierunt ad infernum damnatorum descenderint, cum Abraham, Isaac, Iacob, cæterique

veteris Testamenti Patres sanctitate conspicui ad limbum inerint, a quo per Christi descensum fuere liberati, qui locus Infernus dicitur, vel ob priuationem cælestis gloriæ, & pœnam damni, quam in damnatorum inferno existentes luunt, vt animaduertit D. Thomas 3. par. q. 52. art. 2. ad quartum, vel quia locus est in inferioribus partibus terræ, quia infra nos est; ideo dicebatur Infernus, vt ex D. Isidoro colligi potest lib. 14. Ethimolog. cap. 9. & D. August. in Psalm. 85. ad eum versum Eripuisti animam meam in inferno inferiori, quem locum optasse Iob, cum dixit cap. 20. quis mihi tribuat, vt in Inferno protegas me, tradit D. Hieron. Ecclesf. 3. Indicat Greg. lib. 12. Moral. cap. 6 & lib. 14. cap. 16. & 17. vbi explicat illum locum, si sustinuero Infernus domus mea est. & probari potest ex Hymno, quem in Ascensione Domini vniuersa canit Ecclesia.

Inferni claustra penetrans
Tuos captiuos redimens.

Annotarunt hoc idem Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, Chrysost. hom. de Lazaro & Diuite, vbi sinum Abrahæ vocat Paradysum in inferno existentem, & Hom. 4. in Marcum, antequam, inquit, aperiret Christus Ianuam Regni omnes animæ iustorum detinebantur in inferno. sic etiam Basilius in Psalm. 48. ibi sicut oues in inferno positi sunt, Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de fide ad Reginas cap. Quod Christus Deus sit, affirmat in morte Christi infernum Sanctorum animas emittere compulsum esse, sed hac de re egimus infra lib. 6. cap. 94. nota 1.

4 Dæmones confitentur me.

Non vera fidei confessione, vt fides habitus est infusus, qui Christianis in sacramento Baptismi diuinitus traditur, sed hoc est intelligendum de fide non iustificante, quæ est ab operibus, & charitate seiuncta. Dæmones enim ex signorum magnitudine, ac Miraculorum multitudine compelluntur Deum confiteri, ac etiam credere Ecclesiæ doctrinam a Deo manasse, vt probat D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. & secundum hunc sensum interpretanda sunt verba Iacobi Apostoli cap. 2. suæ Epistolæ, Dæmones credunt, & contremiscunt, sic illa interpretantur Dionysius Charthusianus, & Lyranus, & ad huius sensum reuocandum est, quod dicit Diuus Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. & tract. 6. in Ioannem, nimirum peccatorum fidem esse fidem Dæmonum.

QVALITER VIDEBATVR sponsę, quod quidam Sanctorum loquebatur ad Deum, de quadam muliere a dęmonio terribiliter conculcata, quę postea precibus Virginis gloriosę fuit liberata.

CAP. XVI.

1

VIDEBATVR sponsæ, quod quidam Sanctorum loquebatur ad Deum dicens. Cur anima istius mulieris, quam sanguine tuo redemisti, sic conculcatur a diabolo? Respondit statim dæmon dicens. Quia de iure mea est. Et tunc dixit Dominus. Quali iure tua est? Cui respondit dæmon. Duæ inquit viæ sunt, vna ducit ad cælestia, alia ad infernum. Cumque ipsa inspiceret ambas vias, conscientia sua, & ratio dicebat sibi, quod viam meam magis eligeret. Et quia liberam habuit voluntatem diuertendi, ad quam viam magis vellet, videbatur sibi vtile magis diuertere voluntatem suam ad peccati perpetrationem, & tunc incepit ambulare per viam meam. Postea decepi eam tribus vitiis, scilicet gula, cupiditate pecuniæ, & luxuria. Ideo ego sedeo nunc in ventre eius, & in natura eius. Et teneo eam quinque manibus. Cum vna manu teneo oculos eius, ne videat spiritualia. Cum secunda manu mea teneo manus eius, ne faciat opera bona. Cum tertia manu teneo pedes eius, ne vadat ad bona. Et cum quarta teneo intellectum, ne peccare erubescat. Cum quinta etiam teneo cor eius, ne redeat per contritionem. Tunc beata Virgo Maria dixit ad filium. Fili compelle eum dicere veritatem de ea re, quam ab eo quærere volo. Et filius ait. Tu es mater mea. Tu Regina cæli. Tu mater misericordiæ. Tu consolatio eorum, qui sunt in purgatorio. Tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo. Tu es Domina Angelorũ. Tu cum Deo excellentissima. Tu es etiam princeps super diabolũ. Præcipe ergo mater isti dæmoni ea, quæ tu vis, & ipse dicet tibi. Tunc beata Virgo quæsiuit ab illo diabolo. Dic diabole, qualem intentionem habuit mulier hæc antequam intrauit Ecclesiam? Cui diabolus respondit. Ipsa habuit voluntatem abstinendi a peccato. Et Virgo Maria dixit ei. Cum voluntas, quam prius habuit ducebat ad infernum, dic ad quid tendit voluntas ista

quam

Digitized by Google

quam modo habet, scilicet abstinendi a peccato. Cui diabolus respondit inuitus. Ipsa voluntas abstinendi ducit ipsam ad cælum. Et tunc Virgo Maria ait. Quia ex iustitia accepisti, vt propter voluntatem priorem duceres eam a via sanctæ Ecclesiæ, nunc iustitia est, vt per voluntatem istam reducatur ad Ecclesiam. Nunc etiam quæro diabole vlterius a te. Dic qualem voluntatem habet modo in hoc puncto, in quo nunc est conscientia sua. Diabolus autem respondit. Ipsa habet contritionem in mente pro his quæ fecit, & magnum fletum, & proponit vlterius nunquam talia committere, sed vult emendare quantū potest. Tunc Virgo quæsiuit a diabolo. Dicas mihi. Possunt ne hæc tria peccata, scilicet, Luxuria, Gula, & Cupiditas, cum istis tribus bonis, scilicet contritione, fletu, & proposito emendationis simul esse in vno corde. Cui diabolus respondit, non. Et beata Virgo, tunc ait. Dicas mihi ergo, quæ istorum debuerunt a corde suo fugere, & recedere, an istæ tres virtutes, an forte illa tria vitia, ex quo tu dicis, quod ibidem in eodem loco simul habitare non possunt. Diabolus autem ait. Dico quod peccata. Et tunc Virgo respondit. Ideo igitur clausa est ei via ad infernum, & via ad cælestia sibi aperta est. Tunc vlterius quæsiuit beata Virgo a diabolo. Dic mihi, si prædo iacet ante fores sponsæ, volens violare eam, quid faciet tunc sponsus. Respondit diabolus. Si bonus, & magnanimus est ille sponsus, debet eam defendere, & vitam suam opponere pro vita eius. Tunc Virgo ait. Tu es prædo pessimus, anima autem est sponsa sponsi filij mei, quia eam proprio sanguine redemit. Hanc igitur tu corrupisti, & violenter rapuisti. Propterea quia filius meus est sponsus animæ, & est Dominus super te, ideo competit tibi fugere coram eo.

Declaratio.

Hæc mulier fuit meretrix, quæ redire voluit ad sæculum, quia diabolus molestabat eam die, ac nocte in tantum, quod visibiliter oculos eius deprimebat, & eam multis videntibus extraxit de lecto. Tunc præsentibus multis fidedignis, dicta S. Brigitta aperte dixit. Recede diabole, quia satis inquietasti istam creaturam Dei. Et dicto verbo, ipsa mulier per dimidiam horam depressit oculos in terram, & eleuans se dixit. Vere vidi diabolum in vilissima forma ingredientem per fenestram. Et audiui vocem dicentem mihi. Vere mulier liberata es. Et post illam horam eadem mulier ab omni impatientia liberata fuit, nec sordidas cogitationes patiebatur vlterius, & bono fine quieuit.

VERBA CHRISTI AD Sponsam qualiter peccator assimilatur tribus, scilicet aquilæ, aucupi, & pugili.

CAP. XVII.

EGO sum Iesus Christus, qui loquor tecum, qui in ventre Virginis verus Deus, & verus homo fui, non minor cum Patre omnia regens, licet essem cū Virgine. Ille talis inimicus meus pessimus, similis est tribus. Primo aquilæ volanti in aere, sub qua aliæ aues volant. Secundo similis est aucupi, cantanti in fistula linita bitumine tenaci, cuius voce aues delectatæ cum ad fistulam aduolant, bitumine illo retinentur. Tertio similis est pugili, qui primus est in omni certamine. Ipse nanque similis est aquilæ, quia per superbiā suam, qua nullos pateretur, si posset se esse superiores, lacerat omnes quos potest vngulibus malitiæ. Ideo abscindam ei alas potentiæ suæ, & superbiæ. Auferam de terra malitiam eius. Ipsum autem tradam ollæ inextinguibili, vbi sine fine cruciabitur, nisi emendauerit se. Similis est aucupi, quia scilicet per dulcedinem verborum, & promissionum omnes sibi attrahit, sed quicunque ad eum venerint, sic infiguntur in perditione, vt nunquam possint inde fugere. Ideo aues inferni configent oculos eius, ne vnquam videat gloriam meam, sed sempiternas inferni tenebras. Præcident aures illius, ne audiat verba oris mei. A planta pedis vsque ad verticem capitis, facient ei pro dulcedine amaritudinē, vt tot pœnas sustineat, quot homines adduxit ad perditionem. Similis est etiam pugili, qui primus in omni malitia nulli cedere vult, & omnes deprimere proponit. Ideo sicut pugil primus erit in omni pœna, semper innouabitur pœna eius, & non deficiet ve. Tamen quam diu anima est cum corpore, misericordia mea parata est ei.

Declaratio.

Hic fuit miles potentissimus, qui multum odiuit clerum verba ignominiosa imponēs eis, de quo facta est reuelatio præcedens, & subsequens. Filius Dei loquitur. O miles mundi quære a sapientibus, quid contigit superbo Aman, qui despexit populum meum. Nonne mors ignominiosa, & confusio. Sic iste deridet me, & amicos meos. Ideo sicut Israel non planxit mortem Aman, sic nec amici mei, plangent super mortem eius, sed amarissima morte morietur, nisi se emendauerit. Hæc ita euenerunt.

ſententiæ, fuerunt in primis D. Auguſtinus lib. de ſancta Virginitate cap. 4. Gregorius Niſſenus ſer. de Natiuitate, Rupertus lib. 3. in Cantica, Bernardus ſerm. 3. & 4. ſuper Miſſus eſt, Anſelmus de Excellentia Virginis cap. 4. Vgo Victorinus lib. de perpetua Virginitate cap. 1. & poſtremo vniuerſa ſchola cum Magiſtro in 4. diſt. 30. ſed vt omittamus, quod certum eſt. Fuit aliquando inter doctores aliqualis controuerſia de tempore, quo huiuſmodi votum Maria emiſerit, & quidem D. Thomas 3. par. q. 28. art. 4. & in 4. ſent. diſt. 30. q. 2. art. 1. & Capreolus eadem diſt. q. 1. & Paludanus quæſt. 2. Ricardus art. 1. quæſt. 2. indicant Mariam ante Matrimonium habuiſſe propoſitum ſeruandi Virginitatem, vel etiam emiſiſſe votum, ſub conditione, niſi aliter Deus præciperet, quod videtur etiam indicari hoc loco cum ſcribitur, voui in corde meo, ſi eſſet Deo acceptabile: addit ſecundo D. Thomas 3. par. vbi ſupra cum poſt contractum Matrimonium Maria tale propoſitum propalaſſet Ioſepho, vtriuſque conſenſu firmatum fuiſſe votum, probari poteſt hæc ſententia dupliciter, primo quia huiuſmodi votum abſolute ante Matrimonium emiſſum impediret illud, tum quia eſt contra illud Exodi 23. & Deuteronomij 7. non erit apud te ſterilis, quibus verbis videtur prohiberi ſterilitas illa, quæ ſequitur ad Virginitatis votum, his non obſtantibus mihi videtur etiam poſſe defendi, Beatiſſ. Virg. abſolute vouiſſe Virginitatem ante contractum Matrimonium, fauent huic ſententiæ in primis Auguſtinus, vbi ſupra, Scotus in 4. diſt. 30. quæſt. prima, art. 2. Toſtatus quæſt. 33. ſuper primum caput Matthæi, Caietanus in tertium caput Matthæi, & ratione patet, quia ex hac opinione nullum ſequitur abſurdum, vt ex ſolutione argumentorum pro prima opinione patebit, & ſi addendum eſt hoc magis fauere Virginitati Mariæ, ſi dicamus eam abſolute vouiſſe, neque hoc Matrimonium contrahendum poterat impedire, vt Doctores prioris ſententiæ arbitrantur, nam dicendum eſt Mariam, vel ex peculiari Spiritus ſancti inſtinctu, vel etiam eiuſdem Spiritus ſancti aperta reuelatione nouiſſe per Matrimonium non violatum iri ſuum votum, quod indicat Vgo Victorinus D. Thomas Albertus Magnus, & alij Scholaſtici locis citatis, & hinc fit eam potuiſſe conſentire in Matrimonium non conſentiendo actualiter, & explicite in carnalem copulam, nec abſolute, nec ſub illa conditione, ſi Ioſeph debitum petiſſet, quoniam erat certa nunquam petiturum, alij vero reſpondent huiuſmodi votum impedire minime potuiſſe, quandoquidem ante ſponſalia Maria, & Ioſeph conuenerunt ad inuicem, ne alter ab altero debitum peteret, & ſub hac conditione contraxiſſe, vt neuter peteret, aut redderet debitum, & hoc non eſſe contra ſubſtantiã Matrimonij tradit Abulenſis in cap. 30. numerorum quæſt. 32. Palud in 4. diſt. 30. q. 2. Gerſon. ſerm. de Natiuit. Mariæ, Ludulphus de vita Chriſti 1. par. cap. 3. neque etiam obſtat locus citatus Exodi 23. & Deut. 7. nam verba illius textus non continent præceptum Dei prohibens abſtinentiam a nuptijs, ſed potius promittit Deus ibi fæcunditatem, vt ex verbis patet cum dicitur (non erit apud te ſterilis) ac ſi diceret mulieres veſtræ fæcundæ erunt, & colligitur hæc interpretatio ex textu, nam ibi Deus commemorat bona, quæ promittit ſe largiturum Iudæis, ſi ſeruauerint legem ſuam, inter quæ eſt fæcunditas, & prolis propagatio.

4 Vidi lumen, ſed non qualem lucem, quæ lucet in Mundo.

var. lect. *Farneſianus Codex M. S. reſtituit præſentem textum ſic (Vidi lumen, ſed non tale quale fulget in Mundo.)*

5 Nec quæſiui ab Angelo, quare vel quando fiet, ſed quomodo fiet.

Plane conſtat ex verbis præſentis notæ, Mariam ab Angelo non inueſtigaſſe finem Dominicæ Incarnationis, nec tempus, ſed tantummodo modum, & ideo D. Lucas cap. 1. ſui Euangelij refert Virginem cum Angelo, ſic fuiſſe locutam (quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco) quæ verba, non indicant dubitationem aliquam in Virgine extitiſſe, aut de poteſtate diuina, aut de Myſterij veritate dubitaſſe, ſed ſermo eſt cupientis ſcire modum, quo id fieri poſſet abſque ſuæ Virginitatis iniuria, ſicut Ambroſius, Beda, Theophilatus citata verba Lucæ interpretantur, & fauet huic expoſitioni Auguſtinus Hom. 44 Bernardus Hom. 4. ſuper Miſſus eſt, Anſelmus in illud Euangelij intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum, ſunt etiam, qui dicunt eſſe hæc verba admirantis, ſic Cirillus Catecheſi 12. cui interpretationi fauere videtur particula (quomodo) quæ in ſacris litteris aliquando admirationem importat, vt illud quomodo cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris, quod confirmari poteſt, ex eo quod ſcribitur ſerm. Angelico cap. 16. vbi legimus turbationem Mariæ manaſſe ex ingenti quadam admiratione eorum, quæ dicebantur illi ab Angelo, quæ quidem erant præſtantiſſima, & ſupra humanum captum neque eam turbationem contigiſſe ex Angeli viſione quandoquidem Maria erat aſſueta viſionibus Angelorum, vnde dixit Euangeliſta non fuiſſe turbatam in viſione, ſed in ſermone. cæterum probabiliter quoque dici poſſet hanc Virginis turbationem non tantummodo fuiſſe circa modum partus, ſed cum ſe iudicaſſet indignam, quæ ad tantam dignitatem ſublimaretur, vt fieret Mater Dei dixit (quomodo fiet iſtud) Poſtremo alij dicunt hanc interrogationem fuiſſe a Virgine factam, non quia dubitaret de Dei poteſtate, aut de myſterij veritate, vel etiam de modo, quandoquidem ſcire poterat ex Prophetarum vaticinijs Meſſiam naſciturum de Virgine, & præcipue ex illo Iſaiæ ſeptimo, ecce Virgo concipiet quod etiam nota ſecunda præſentis capitis probauimus, Maria ergo prudenter interrogat Angelum, vt probet, an eius dicta cum vaticinijs Prophetarum concordent, & an hæc viſio boni Angeli ſit, vel mali, nouerat enim aliquando Dæmonem ſe transformare in Angelum Lucis, & ideo paulo poſt

de poſt verba prædictis notæ legimus Mariam di-
xiſſe audita voce Angeli, ſibi timui reputans, ne
forte eſſet illuſio.

6 Quando vero peperi eum ſine dolore, & peccato peperi eum.

Et hoc erat rationi conſonum, vt Maria, quæ in concipiendo nullum voluptatis carnalis ſenſum perceperat, ita nec in pariendo dolorem aliquem ſentiret, ſunt enim ad inuicem connexa voluptas, & dolor, vt quandocunque non anteceſſit voluptas ita non ſequi debeat dolor, ſic docent Damaſcenus, lib. 4. de fide cap. 15. & Gregorius Niſſenus Oratione prima de reſurrectione, & Cyprianus, qui eo hoc idem admonuit Oratione de Chriſti Natiuitate non longe ab initio, quoniam inquit, ſine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate. ſecundo eadem veritas hac ratione probari poteſt, quia dolor in partu ob vteri aperitionem contingit, ac etiam ob violentam partium diuulſionem, ac diuiſionem, at nihil horum in Virgine pariente reperta ſunt. Poſtremo hoc patet Iſaiæ 66. qui dicit, antequam parturiret peperit, & antequam perueniret tempus partus eius, peperit Maſculum, ac ſi dixiſſet ante dolores partus, Virgo peperit, & ſeptuaginta legunt, antequam veniat dolor parturientium effugit, & Maſculum peperit. plura hac de re annotauimus lib. 7. Reuelat. cap. 21. nota prima, vbi citauimus D. Auguſtinum, Bernardum, Fulgentium, & Gregorium Nazianzenum aſſerentes abſque dolore Mariam peperiſſe.

7 Percutientes eum in Maxilla, & Collo.

Duplicis hoc loco percuſſionis genus innuitur, quod cum Euangeliſtis concordat, quorum alterum indicat Ioan. 18. Capite his verbis, & dabant ei Alapas, & Lucæ 22. percutiebant faciem eius, alterum vero Marci 14. & Matth. 26. & Colaphis eum ceciderunt, eſt enim Alapa percuſſio in Maxilla, & ideo Trenorum 3. legimus, Dabit percutienti ſe maxillas, Colaphus vero percuſſio eſt in collo, vtrunque autem notatur cum ſcribitur, Percutientes eum in Maxilla, & Collo, quod etiam animaduertit Ludulphus, de vita Chriſti parte 2. cap. 60.

8 Ad primum igitur ictum, ego quæ aſtabam propinquius cecidi quaſi mortua.

De ſpaſmo Virginis, & an ipſa in ſui filij morte vere deliquium animæ paſſa fuerit egimus lib. 4. Reuelat. cap. 70. nota 3.

9 Et quod amarius erat cum retraherentur flagella carnes ipſis flagellis ſulcabantur.

Flagella quibus Saluator noſter ad Columnam verberatus eſt è funiculis fuere confecta, vt annotauit Euthimius cap. 67. in Matthæũ, atque etiam doris contexta, vel vt plures affirmarunt, habuerunt in extrema parte ferrea quadam puncta, quæ carnem lacerabant, & hinc eſt, quod legimus hic flagella nudaſſe coſtas, & carnem ſulcaſſe, Cæterum qualia fuerint huiuſmodi flagella habetur lib. 4. Reuelat. cap. 70. ſic enim ibi deſcribuntur, flagellis aculeatis infixis aculeis, & retractis, nõ euellendo, ſed ſulcando, totum eius corpus lacerabatur eadem etiam deſcripſit Lanſpergius lib. 1. elucidationis in Chriſti paſſione ligato (inquit) Domino acceſſerunt quatuor viri robuſti Chriſtum flagellaturi, & flagellis virgis, & ſcorpionibus, in quibus erant vnci ferrei Chriſtũ flagellarunt, ſunt etiam qui opinati ſunt Saluatorem noſtrum primũ craſſioribus funis, fuiſſe flagellatum, poſtmodum ferreis ſcorpionibus, tertio catenis, poſtremo virgis ſpinarum, in eadem tamen flagellatione adhibuiſſe Carnifices his omnibus tormentorũ generibus credendũ eſt, ſed hac de re late egit Iuſtus Lypſius de Cruce lib. 3. c. 3. verũ quibus flagellis in ſpecie Chriſtus verberatus fit textus Sacer non explicat Matth. 27. cap. flagellis dicit, tantummodo fuiſſe cæſum, Adeo quod virgis ſcorpionibus, aut ferreis etiam catenis fuerit verberibus affectus, Chriſtus, vt pie meditatur S. Vincentius ſerm. de Paraſceue religioſa quadam traditione cenſetur eſſe verum, ſicut & de numero plagarum, quod fuerint vltra quinque millia incertum eſt Ioannes namque Eckius, de Chriſti paſſione Act. 4. conſid. 4. ex quadam reuelat. huiuſmodi plagas fuiſſe refert 5375. Ludulphus vero de vita Chriſti par. 2. cap. 58. arbitratur extitiſſe 5475. poſtremo Lanſper. Homil. 50. de paſſ. affirmauit fuiſſe 5460: ſed difficile mihi hoc creditu eſt, quia potuiſſent lictores, ſic de facili Chriſtum Dominum flagellando occidere, niſi forte dicatur id non fuiſſe factum, quod fuerat iam diuinitus præfinitum Chriſtum ſuſpenſum in Crucis fuiſſe moriturum, & ideo diuina virtute in illa flagellatione conſeruatum, negari tamen non poteſt, quod ſic naturaliter obire potuiſſet, vt multis frequenter accidere conſueuerat teſte Vulpiano a Iuſto Lypſio relato lib. 2. de Cruce cap. 3. Rurſus huiuſmodi plagarum copioſus numerus improbatur, quia neque apud Romanos, aut Iudæos erat in more poſitum, vt tam acriter flagellarentur Rei, cum præſertim Iudæi in flagellatione excedere non poſſent, quadragenarium numerum, & à Iudæis quadragenas vna minus accepit, Paulus 2. Corinth. 11. ſed quia a Iudæis Redemptor noſter non fuit verberibus affectus, ſed a miniſtris Pilati probabiliter credendum eſt, illos quadragenarium numerum exceſſiſſe, tum quia nulla lege Romanorum erat præſcriptus certus plagarum numerus, ſed quidquid ſit Chriſtus crudeliſſime flagellatus eſt, & adimpleta ſunt, primo Dauidis vaticinia Pſal. 37. ego in flagella paratus ſum, & Pſ. 68. quæ non rapui tunc exoluebam, ex hoc autem argumento acerbitas flagellationis colligi poteſt, primo quia id factum eſt, vt ad miſericordiam commouerentur Iudæi, ſic ergo oportuit flagellare, vt homines feri inde mitigarentur, ſecundo quia huius flagellationis ſæuitia indicat ſcriptura Pſal. 34. congregata ſunt ſuper me flagella, & Pſal. 72. fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis, vbi aduerte cum dicitur, tota die ne intelligas per integrum diem fuiſſe flagellatum Chriſtum extenſiue, ſed intenſiue, ideſt tam acerbe, ac ſi tota

die fuiſſet flagellatus, non mirum ergo, ſi hic [illegible] legimus Saluatoris noſtri corpus, ſic fuiſſe flagellatum, vt coſtę eius viderentur.

10 Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & ſuper hunc ſiniſtrum duobus clauis.

Verba præſentis notæ doctiſſimis quibuſdam [illegible] vis intellectu difficilia viſa ſunt, vnde non mirum, ſi de Chriſti pedū crucifixione verba facientes [illegible] multa dixerint, ſed antequam ad horum explicationem veniamus ſupponendū eſt primo, [illegible] certè in his B. Brigittæ Reuel. lib. Saluatorem noſtrū fuiſſe cruci affixum quatuor clauis, ſicut hoc loco aperte ſcribitur, & alibi etiam vt lib. 4. Reu. c. 70. & in Extrau. c. 51. pedes dorſum [illegible] & duobus clauis perfoſſi, & lib. 7. c. 15. inuiditos pedes [illegible] duobus clauis, eandē ſenten. ſecuti ſunt Greg. Turo. de gloria Mart. c. 6. & Cipria. ſer. de paſſ. [illegible] clauis ſacros pedes terrebrantibus, & D. Augu. in lib. Medit. c. 6. immaculata, inquit, veſtigia Chriſti dira cōfixa clauis, indicat hoc quoque [illegible] de vno Martyre illis verbis quatuor claui ſunt, quatuor principales virtutes, ſequitur Gabriel [illegible] de Exalt. S. Crucis, Medina in 3. p. S. Tho. q. 46. ar. 11. & inter recentiores Card. Toletus in c. 19. [illegible] ad illa verba fecerunt quatuor partes [illegible] liti: non diſſentiunt Cretſerus lib. 1. de Cruce c. 21. Lanſpergius de paſſ. Ho. 41. Ianſenius in Concord. c. 143. fauet etiam Ioannes Tallen[illegible] lib. 1. the ſauri rerum abſcōditarum c. 21. qui refert Celſum Adurnum clericum regularem idem ſentientē. Et poſtremo Lypſius in notis ad c. 9. lib. 2. de Cruce, quæ notæ habentur in fine libri, is enim cum propoſitam dubitationē inſolutam reliquiſſet lib. 2. c. 9. re melius inſpecta in notis admonuit, ſibi magis placere opinionem dicentium Chriſtum quatuor clauis fuiſſe cruci affixum, eandē opinionem indicare viſus eſt, Alphonſus Paleotus Archiepiſ. Bonon. in lib. de ſtigmat. ſacræ ſindoni impreſſis c. 6. n. 9. qui affirmat Reos, olim quādoq; cruci affigi ſolitos tribus quandoq; quatuor clauis, hunc autem poſtremum crucifigendi modum cōmuniorē, vſitatiorem, ac etiā faciliorem eſſe arbitramur: quandoquidē nimis operoſum eſt, vtrunq; pedē vno clauo transfigere, fauet huic doctrinæ antiquæ quadā imagines, in quibus cernitur Chriſtus quatuor clauis crucifixus, his addendū, quod cum plures etiam per orbē terrarum reperiantur claui, qui in multis Eccleſiis inter Reliquias aſſeruantur, & hi eſſe creduntur, quibus Redemptor noſter crucifixus eſt, inde probabile ſumi poteſt argum. quatuor fuiſſe Dominicos clauos, Mediolani, nanq; clauus fræno Cōſtantini equi immiſſus maxima pietate colitur. & magno populorū concurſu honoratur. Treueris etiam alius inuenitur teſte Lypſio, vbi ſupra, quē vocat clauum pedis dextri. Tertium ab Helena Romā fuiſſe tranſmiſſum, ac in Eccl. S. Crucis Hieruſalē aſſeruari ſcimus, multoties vidimus, manibus etiā noſtris, licet pollutis, ſemel atque iterū contrectauimus, Alio clauo fuiſſe eiuſdē Conſtantini munitā Galeā, quo ſeſe ab inimicorū ictibus defenderet, affirmarunt Greg. Turon. loc. cit. Euſeb. Caeſarien. lib. 10. c. 8. Niceph. lib. 8. c. [illegible] Sigonius de occidentali imperio lib. 3. Poſtremo [illegible] [illegible] in Adriaticū [illegible] Greg. Tur. his verbis [illegible] Helena [illegible] [illegible] de [illegible] in Adriaticū [illegible] [illegible] Adriaticū [illegible] [illegible] [illegible] Chriſtus per ſuos pedes [illegible] duo, & [illegible] F. Daniel Malloniu in elucidationibus ad [illegible] ſtigmata [illegible] impreſſarum c. 19. [illegible] quidquid ſit [illegible] eſt ad explicationē [illegible] verborū, quæ quidā [illegible] ſufferre poſſent legimus [illegible] hic [illegible] primū dextrū pedē cruci affixū, & poſtmodū ſuper illū ſiniſtrū duobus clauis, q ſane diffi. de intellectu eſt, quomodo fieri potuerit, quod duobus clauis pes ſiniſter fuerit perforatus, quamquā non deſint, qui affirmauerint ſiniſtrū pedē fuiſſe ſuperpoſitum dextero, & duobus clauis ſuper eū fuiſſe confixum, alii vero arbitrati ſunt, vno clauo paruo primo dextrum pedem poſtmodum alio clauo magno ſiniſtrum ſuperpoſitū dextero fuiſſe crucifixum. Poſtremo F. Daniel Mallonius in lib citato cap. 19. n. 9. aſſerit ex ſenten. S. Brigittæ vno clauo, primo dextrū pedē fuiſſe perforatū, & poſtea ſiniſter pes, ita dextro pedi fit [illegible] ſuperpoſitus, vt verſus talū cum dextro pede cruci ſe formans, ſit ita ſtipiti affixus, vt clauus [illegible] pedem non perforarit, ſed quia hoc, & valde operoſum, ac etiā difficile intellectū mihi viſum eſt, neque vndequaq; SS. Patrum, ac doctorū virorum ſententiis conforme, qui affirmarunt Redemptorē noſtrū, aut diſparatis pedibus duobus clauis fuiſſe crucifixū, aut vno clauo ambos pedes fuiſſe transfixos, ideo admodū nobis placuit M. S. Farneſiani Codicis lectio, ſic enim habet, deinde dextrū pedem crucifixerunt, & inſuper ſiniſtrū duobus clauis, quo loco animaduertendū eſt ea verba (duobus clauis) non eſſe referenda ad pedē ſiniſtrū tantum, quaſi ille duobus clauis fuerit perforatus, ſed ad vtrunque pedem, quos fuiſſe Cruci affixos duobus clauis ſupra ex doctoribus probauimus.

var. lect.

11 Quo facto aptauerunt coronam de ſpinis Capiti eius.

Qualis fuerit hæc corona, & quando, & quoties Chriſti Domini capiti impoſita: ſit vidimus lib. 7. Reuelat. cap. 15 nota 2.

12 In tēpore illo audiui alios dicentes, quod
var. lect. filius meus latro erat, alioſq. quod mendax, alios, quod nullus eſſet dignior morte.

Sic legunt omnes impreſſi Codices, ſed M. S. Farneſianus habet, quod nullus eſſet dignus morte filius meus, quæ lectio probari poteſt, ex eo quod aliqui Seruatoris noſtri cognita Innocentia exiſtimarunt eum nulla fuiſſe morte dignum, vt & dixiſſe Pilatum referunt Lucas 23. cap. & Ioan. 18. nullam inuenio cauſam mortis in eo.

13 Poſtea poſuerunt eum in linteo mundo, & ego cum linteo meo exterſi vulnera, & membra eius, & clauſi oculos, & os eius.

De

De hoc linteo tractauimus infra lib. 2. Reuelat. cap. 21. nota 3. vbi historia depositionis Christi de Cruce narratur, ibique plura tradidimus, quæ ad intelligentiam facere possunt eorum, quæ circa finem præsentis Capitis scribuntur, hic tamen vnum tantummodo annotare volui, cum legimus Beatiss. Virginem sui filij de Cruce depositi oculos, & os clausisse, hoc apud antiquos fuisse in more positum, vt cum primum moriens exhalaverat animam, eius oculi occluderentur, quod patet ex auctore antiquissimo Cipriano Orat. de Christi sepultura, nunquid ait digitis tuis oculos Iesu, vt mortuorum de more soleus claudis, fauet etiam Dionisius Alexandrinus Epistola, quæ exarata est, apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 17. ibi oculos occludere, & ora obturare, & ex prophanis auctoribus Plinius meminit lib. 11. cap. 37. plura habet hac de re Alexander ab Alexandro lib. 3. genialium dierum cap. 7.

VERBA CHRISTI AD Sponsam qualiter se tradidit spontaneæ suis inimicis crucifixoribus. Et de modo viuendi in continentia omnium membrorum ab illicitis moribus exemplo suę dulcissimę passionis.

CAP. XI.

FILIVS Dei loquebatur ad sponsam dicens. Ego sum Creator cæli, & terræ, & corpus meum verũ est, quod in altari consecratur. Dilige me toto corde, quia ego dilexi te.

1 1 Et ego spontaneæ tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei, & mater mea, in amarissimo dolore, & fletu. Cunque viderem lanceam, clauos, flagella, & alia passionis genera parata, processi nihilominus lætus ad passionem. Cunque caput meum esset vndique corona cruentatum, & vndique sanguis flueret, & etiam si adhuc inimici tetigissent cor meum, magis hoc pateter diuidi, & vulnerari, quam te carere vellem. Propterea nimis ingrata es, si me pro tanta charitate non dilexeris. Si enim caput meum punctum est, & inclinatum in Cruce pro te, caput tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti, & pleni lacrymis, ideo oculi tui debent abstineri a delectabili visu. Et quia aures meæ implebantur sanguine, & audiebant verba detractionis meæ, idcirco aures tuæ auertãtur a scurrilibus, & ineptis locutionibus. Quia etiam os meum potatum est amarissima potatione, & prohibitum a bona, ideo os tuum obstruatur a malis, & aperiatur ad bona. Et quia manus meæ extensæ sunt cum clauis, propterea opera tua, quæ figurantur in manibus, extendantur ad pauperes, & ad præcepta mea. Pedes tui, id est, affectus tui quibus ad me ire debes, crucifigantur a voluptatibus. Vt sicut in omnibus membris passus sum ego, sic omnia membra tua parata sint ad obsequium meum. Quia maius seruitium exigo a te, quam ab alijs, quia maiorem gratiam feci tibi.

NOTAE.

1 EGo spõtaneæ tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei.

Ex verbis præsentis notæ deducendum est primo, Christi Domini mortem omnino fuisse liberam, ac voluntariam, ipse nanque sponte se tradidit potestati carnificum, vt scribitur hic, & indicat D. Lucas cap. 22. vbi refert Dominum dixisse illis: hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum harum, & sensus est nunc, potestis facere in me quidquid libet, non quod potentiores sitis, sed quod venerit hora, qua ego mortem subire volo, secundum Patris decretum, idem constat Isaiæ 53 cum dicit de Christo oblatus est, quia ipse voluit, & Ioannis 10. nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, nulla ergo fuit in Christo necessitas moriendi, si loquamur de necessitate, quæ voluntati repugnat mors enim Christi libera fuit, & voluntate diuina, & voluntate humana deliberata, vnde egregie Damascenus lib. 3. de fide cap. 20. loquens de hac necessitate, quæ voluntati opponitur asserit, quod nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia erant in eo voluntaria, quod probat D. Thomas 3. par. q. 47. art. 1. quoniam Christus poterat supernaturali virtute mortem impedire, & noluit ob humani generis redemptionem; si vero sermo sit de necessitate naturali, quæ ad principia naturalia sequitur; tunc dici potest in Christo huiusmodi extitisse necessitatem moriendi, quia ipse habuit naturam susceptiuam contrarietatis primarum qualitatum, ad quarum alterationem de necessitate mors sequitur, & quamquam Redemptor noster non fuisset violenter occisus, senio tamen secundum naturam defecisset, vt probauimus infra hoc eodem lib. cap. 32. nota 1. quare si de necessitate coactionis verba facimus, quæ naturæ corporali repugnat, dicendum est Christi corpus secundum conditionem propriæ naturæ huiusmodi necessitati fuisse subiectum, sunt ergo verba præsentis notæ intelligenda de necessitate, quæ opponitur voluntati, quæ non fuit in Christo, quippe qui, vt legimus hoc loco sponte se tradidit inimicis suis, quia permisit flagellari, & occidi cum posset impedire, cum autem dicit passionis suæ ministros ex inimicis amicos factos esse, indicat pro eis orasse, illosque efficaci oratione sua iustificasse, & Patri suo reconciliasse.

QVALITER ANGELVS rogat pro ſponſa, & qualiter Chriſtus quærit ab Angelo, quid eſt, quod quęrit pro ſponſa, & quid expedit ſponſę.

CAP. XII.

ANGELVS bonus cuſtos ſponſæ videbatur rogare Chriſtum pro eadem ſponſa. Cui reſpondit Dominus, dicens. Qui rogare voluerit pro alio, ſalutem eius rogare debet. Tu enim es quaſi ignis, qui nunquam extinguitur, ardens charitate mea inceſſanter. Tu vides, & ſcis omnia, cum vides me. Tu nihil vis niſi quod ego. Dic ergo mihi quid iſti meæ nouæ ſponſæ expedit. Et ille reſpondit. Domine tu ſcis omnia. Cui Dominus ait. Omnia quidem quæcunque facta, & futura ſunt, æternaliter ſunt in me. Et omnia in cælo, & in terra noui, & ſcio, nec mutatio eſt apud me. Tamen vt iſta ſponſa intelligat voluntatem meam, dic modo ipſa audiente quid ei expedit. Angelus ait. Elatum habet cor, & magnum, propterea neceſſaria eſt ei virga, vt edometur. Et tunc Dominus ait. Quid igitur petis ei amice mi? Et ille. Domine peto miſericordiam cum virga tua. Et Dominus ait. Propter te hoc faciam ei, quæ nunquam facio iuſtitiam ſine miſericordia. Ideo diligere me hæc ſponſa debet toto corde.

QVALITER INIMICVS Dei habet tres dæmones in ſe. Et de iudicio contra ipſum a Chriſto illato.

CAP. XIII.

INIMICVS meus habet in ſe tres dæmones. Primus ſedet in genitalibus. Secundus in corde. Tertius in ore. Primus eſt quaſi nauta, qui facit aquam per carinam intrare, quæ paulatim inde creſcendo replet nauem. Inde ſuperfluit aqua, & nauis ſubmergitur. Hæc nauis eſt corpus ſuum, tentationibus dæmonum, & cupiditatibus ſuis, quaſi procellis agitatum. In quod voluptas ſua primo intrauit per carinam, id eſt, per delectationem, qua delectabatur talibus cogitationibus. Et quia non reſiſtebat per pœnitentiã, nec conſolidabat clauis abſtinentiæ, creſcebat quotidie aqua voluptatis adhibendo conſenſum. Inde completa, ſeu repleta naue ventris concupiſcentia, aſſlebat aqua, & operiebat nauem voluptate, ne veniret ad portum ſalutis. Secundus dæmon, qui ſedet in corde, eſt ſimilis vermi iacenti in pomo. Qui nucleum pomi primo comedit, inde relictis ibi ſtercoribus ſuis, peruagatur totum pomum, donec totum fiet inane. Sic diabolus facit. Primo viciat voluntatem eius, & deſideria bona, quæ ſunt quaſi nucleus, vnde omne robur mentis, & bonum ſubſiſtit, & euacuato corde ab iſtis bonis, tunc relinquit pro eis in corde cogitationes, & affectiones mundi, quas magis dilexit, nunc impellit ipſum corpus ad quod ei placet, & ex hoc minuitur ei fortitudo, & intelligentia, & accedit tedium vitæ. Ipſe certiſſime eſt pomum ſine nucleo, id eſt, homo ſine corde, quia ſine corde intrat Eccleſiam meam, quia diuinam charitatem nullam habet. Tertius dæmon eſt ſimilis ſagittario, qui per feneſtras circunſpiciens ſagittat incautos. Quomodo non dæmon ſedet in eo, qui nunquam loquitur ſine eo? Quod enim magis diligitur frequentius nominatur. Verba ſua amara quibus alios vulnerat, ſunt quaſi iacula, quæ per tot feneſtras emittuntur, quotiens nominatur diabolus, quotiens innocentes per verba eius vulnerantur, quotiens ſimplices ex eius verbis ſcandalizantur. Ideo in veritate mea, qui ſum veritas iuro, quod iudicabo eum ſicut meretricem ad ignem ſulphureum. Sicut proditorem, & inſidiatorem, ad omnium membrorum inciſionem, & ſicut Domini ſui contemptorem, ad perpetuam confuſionem. Veruntamen quamdiu anima, & corpus inſimul ſunt, miſericordia mea aperta eſt ſuper eum. Hoc eſt autem, quod requiro ab eo, ſcilicet, vt frequentius interſit diuinis. Nullum timeat opprobriũ, & nullum concupiſcat honorem. Et vt nunquam nominetur in ore ſuo nomen ſiniſtrum.

Declaratio.

Hic Prior Ordinis Ciſtercienſis ſepeliuit excommunicatum. Cunque legiſſet vltimam commendationem pro eo, Domina Brigitta rapta in ſpiritu audiuit. Iſte fecit ſicut potuit, & ſepeliuit. Iam ſcito pro certiſſimo, quod iſte poſt iſtum mortuum primus ſepelietur. Nam peccauit in patrem, qui dixit non eſſe acceptatorẽ perſonarum, nec honorare vultum diuitis. *Hic* vero propter modicum corruptibile, honorauit indignum, & locauit

locauit, vt non debuit inter dignos. Peccauit in spiritum meum, qui est communio, & communicatio iustorum, quando iniustum sepeliuit cum iustis. Peccauit in me, filium, quia ego dixi. Qui me spernit, spernetur. Iste vero honorauit illum, & exaltauit, quem Ecclesia mea, & Vicarius meus spreuit. Qui Prior auditis verbis istis compunctus, quarto die mortuus est.

VERBA CHRISTI AD Sponsam de modo, & respectu quem debeat in oratione tenere. Et de tribus generibus hominum, in hoc mundo Deo seruientium.

CAP. XIV.

EGO sum Deus tuus, qui in cruce crucifixus verus Deus, & verus homo in vna persona, sum quotidie in manibus sacerdotis. Cum mihi aliquam orationem facis, conclude semper sic orationem tuam, vt scilicet velis fieri semper voluntatem meam, non tuam. Quia cum pro damnatis exoras, non exaudio te. Quandoque etiam contra salutem tuam optas fieri, & ideo necesse est tibi voluntatem tuam mihi committere, quia omnia scio, qui prouideo tibi nihil nisi vtile. Multi quippe orant non recta intentione, & ideo non mœrentur exaudiri. Tria nanque sunt genera hominum seruientium mihi in hoc mundo. Primi sunt, qui me credunt esse Deum, & largitorem omnium, & super omnia potentem. Hi seruiunt mihi hac intentione, vt scilicet temporalia, & honorem obtineant, sed cælestia sunt eis pro nihilo, & gaudenter ea amittunt, vt obtineant præsentia. His iuxta voluntatem eorum prosperitas sæculi in omnibus accedit. Et sic amissis æternis, in temporali commoditate remunero eos quicquid boni fecerũt pro me vsque ad vltimum quadrantem, & vsque ad nouissimum punctum. Secundi sunt, qui credũt me Deum omnipotentem, & districtum iudicem, & isti seruiunt mihi ex timore pœnæ, non autem ex amore cælestis gloriæ. Nisi enim timerent, non mihi seruirent. Tertij sunt, qui credunt me omnium Creatorem, & verum Deum, qui credunt me iustum, & misericordem. Et seruiunt mihi non ex timore alicuius pœnæ, sed ex diuina dilectione, & charitate. Et mallent quippe omnem pœnam si sufficerent magis sufferre, quam me semel ad iram prouocare. Isti vere mærentur audiri in prece sua, quia voluntas eorum est secundum voluntatem meam. Primus enim nunquam exibit de supplicio, nec videbit faciem meam. Secundus autem tam magnum supplicium non habebit, nec tamen faciem meam videbit, 1 nisi correxerit illum timorem pœnitentia.

1 var. lect.

NOTAE.

1 var. lect. AD finem præsentis Capitis magis arridet M. S. Farnesiani Codicis lectio, vbi enim in vlgatis habetur, nisi correxerit illum timorem pœnitentia, M. S. Codex legit, nisi se correxerit ab eo timore per pœnitentiam. Quis nam autem sit ille timor, quem in præsenti Capite Christus Dominus improbat declarauimus ex Magistro sententiarum aliisque doctoribus lib. 4. Reuel. cap. 81. nota 1.

VERBA CHRISTI AD Sponsam, conditiones magni Regis Christo appropriantia. Et de duobus gazophilaciis, per quæ amor Dei, & amor mundi designantur. Et de doctrina proficiendi in hac vita.

CAP. XV.

EGO sum sicut vnus Rex magnus, & potens. Ad Regem enim pertinent quatuor. Primo debet esse diues. Secundo mitis. Tertio sapiens. Quarto charitatiuus. Ego vere sum Rex Angelorum, & omnium hominum. Ego etiã habeo illas quatuor proprietates quas dixi. Primo nanque sum ditissimus, quia omnibus do necessaria, nec minus habeo post datum. Secundo sum mitissimus, quia omnibus petentibus paratus sum dare. Tertio itaque sum sapientissimus, quia scio, quod vnicuique debetur, & expedit. Quarto etiã sum charitatiuus, quia paratior sum dare, quam aliquis petere. 1 Ego habeo quasi duo gazophilacia. In primo enim gazophilacio sunt reposita ponderosa, & grauia quasi plumbum, & cella ista vbi ista sunt, est circumsepta acutis aculeis pungentibus. Sed qui hæc primo incipit vertere, & reuoluere, & deinde portare didicerit, leuia videntur sibi postea quasi pluma. Et sic leuissima fiunt, quæ antea ponderosa videbantur. Et suauia quę prius pungere credebantur. In secundo gazophilacio videtur esse

aurum reſplendens, & lapides precioſi, &
pocula odorifera, & dulcia, ſed vere aurum
illud eſt lutenm, & illa pocula ſunt venenum.
Ad hæc nanque gazophilacia ſunt duæ viæ,
ſed ante erat vnica via. In competis, id eſt
in ingreſſu duarum viarum ſtabat vnus ho-
mo, & clamabat ad tres homines, qui ince-
debant per viam aliam dicentes. Audite
audite verba mea, & ſi non audieritis, ſal-
tem videte oculis veſtris, quia vera ſunt,
quæ loquor. Si autem nec audieritis, nec
videritis, ſaltem attrectate manibus, & pro-
babitis, quod in verbis meis nulla eſt falſi-
tas. Tunc ait primus illorum, audiamus, &
videamus ſi verba eius vera ſint. Secundus
homo ait. Falſum eſt quicquid dicit. Tertius
dixit. Scio quod vera ſunt, quæ dicit, ſed
non curo. Quid ſunt iſta duo gazophilacia,
niſi amor meus, & amor mundi. Sed ad hęc
duo gazophilacia ſunt duæ viæ. Abiectio, &
perfecta abnegatio propriæ voluntatis, quæ
ducit ad amorem meum. Et carnis volu-
ptas, quæ ducit ad amorem mundi. In amo
re autem meo, videtur aliquibus eſſe onus
quaſi plumbum; quia cum ieiunare debent,
& vigilare, ſeu refrænare carnem, quaſi plũ-
bum portare ſibi videntur. Si autem verba,
& contumelias audierint, ſi in religione,
& oratione morantur, quaſi inter aculeos
reſident, & in omni hora anguſtiantur. Sed
qui in amore meo eſſe vult, incipiat primo
vertere onus, id eſt, conetur ad faciendum
bona, per voluntatem, & continuum deſide
rium. Inde leuet modice, & paulatim, id eſt
faciet ea quæ poteſt, cogitando ſic. Hoc
bene poſſum facere, ſi Deus dederit mihi
auxilium. Deinde perſeuerans in incepto,
cum tanta alacritate, ea quæ videbantur
ſibi prius eſſe oneroſa incipit portare, quod
omnis labor in ieiunijs ſeu vigilijs, & alijs
laboribus quibuſcunque, eſt ſibi tam leuis
quaſi pluma. Et in tali ſede quieſcunt ami-
ci mei, quæ eſt malis, & deſidioſis quaſi cir-
cunſepta aculeis, & ſpinis, ſed amicis meis
eſt ſumma quies, & leuis quaſi roſa. Ad
hoc gazophilacium eſt via recta, contem-
ptus propriæ voluntatis, quando homo con
ſiderata paſſione, & charitate mea, non
curat facere voluntatem ſuam, & reſiſtit
totis viribus, & conatur ſemper ad maio-
2 ra. 2 Et licet iſta via in principio ſit ali-
quantulum grauis, tamen in proceſſu mul-
tum delectat, in tantum, quod ea quæ prius
videbantur ad ferendum impoſſibilia, fiunt
poſtea leuiſſima, vt merito dicat intra ſe.
Iugum Dei ſuaue eſt. Secundum gazophi-
lacium eſt mundus; in quo ſunt aurum,
lapides precioſi, & pocula, quæ videntur
odorifera, ſed tamen deguſtata amara ſunt
vt venenum. Omnes enim qui portat au-
rum, contingit ei, quod cum debilitatur
eius corpus, & deficiunt membra, & cum
eius adnihilatur medulla, & corpus ipſius
cadit per mortem in terram, tunc relinquũt
aurum, & lapides, & non valent ſibi pluſ-
quam lutum. Pocula etiam mundi, id eſt,
delectationes, videntur delectabilia, ſed
cum veniunt in ventrem, debilitant caput,
grauant cor, & omnia membra euertunt,
& poſtea quaſi fœnum homo areſcit. Et
appropinquante dolore mortis, omnia de-
lectabilia fiunt amara quaſi venenum. Ad
hoc gazophilacium ducit propria volun-
tas, quando homo non curat reſiſtere affe-
ctionibus ſuis prauis, neque meditatur, quæ
ego præcepi, & feci, ſed quicquid venit in
eius cogitationem ſiue licitum, ſiue illici-
tum hoc ſtatim facit. Per hanc viam tres
viri ambulant, in quibus intelligo omnes re-
probos, qui diligunt mundum, & omnem
voluntatem propriam. His ergo clamaui,
qui ſtabam in competis, ſeu in ingreſſu via-
rum, quia veniens in carne humana, oſten-
di hominibus quaſi duas vias, ſcilicet quid
ſequendũ eſſet, quidue fugiendum. Quæ via
ſcilicet ducebat ad vitam, & quæ ad mor-
3 tem. 3 Nam ante aduentum meum in car-
ne, non erat niſi vna via, qua omnes boni,
& mali ibant in infernum. Ego autem ſum
ille, qui clamabat, & clamabam ſic. O ho-
mines audite verba mea, quæ ducunt ad viã
vitæ, quia vera ſunt, & ſenſu proprio perci-
pere poteſtis illa eſſe vera, quæ loquor. Et
ſi non auditis ea, vel non poteſtis audire,
ſaltem videte, ſcilicet fide, & intellectu, quia
vera verba ſunt mea. Sicut enim oculis
carnis cernitur viſibile aliquid, ſic oculis fi-
dei cerni poſſunt inuiſibilia, & credi. Multi
deniq; ſunt ſimplices in Eccleſia, qui pauca
bona operantur, per fidem tamen ſaluantur
qua credunt me Creatorem omnium, & Re
demptorem. Nullus quippe eſt, qui me
non poſſet intelligere eſſe Deum, & credere,
ſi conſiderat quomodo terra fructificat, &
quomodo cælum dat pluuias. Quomodo ar-
bores virent. Quomodo animalia vnũ quod-
que in genere ſuo ſubſiſtunt. Quomodo ſi-
dera homini ſeruiunt. Quomodo contra-
ria eueniunt voluntati hominis. Ex his om-
nibus poteſt homo videre, quod mortalis
eſt, & quod Deus eſt ille, qui oĩa iſta diſponit.
Si enim non eſſet Deus omnia iſta irent in-
ordinate. Ergo omnia ſunt à Deo, & omnia
rationabiliter propter ædificationem homĩ-
nis ſunt diſpoſita. Nec minimum eſt in mun
do, quod ſine ratione ſit, vel ſubſiſtat. Ergo
ſi homo non poteſt propter infirmitatẽ vir-
tutem meam ſicut eſt capere, vel intelligere
poteſt tamen videre per fidem, & credere.
Si autem ò homines nolueritis conſiderare
intel-

intellectu potentiam meam, poteſtis tamen
attrectare manibus veſtris opera, quæ ego
feci, & ſancti mei. Quia ſic aperta ſunt,
quod nullus dubitare poteſt eſſe opera Dei.
Quis ſuſcitauit mortuos, & illuminauit cæ-
cos niſi Deus? Quis expulit dæmones, niſi
Deus. Quid autem docui, niſi vtilia ad ſa-
lutem animæ, & corporis, & læuia ad por-
tandum. Sed primus homo ait, id eſt, aliqui
dicunt audiamus, & probemus, ſi vera ſunt.
Hi ad tempus ſtant in ſeruitio meo, non
cauſa dilectionis, ſed experientiæ, & imita-
tionis aliorum. Nec relinquẽdo voluntatem
propriam, ſed ſuam faciendo cum mea vo-
luntate. Hi periculoſe poſiti ſunt, quia
duobus Dominis ſeruire volunt, licet neutri
bene ſeruire poſſint. Cum autem vocati
fuerint, quem Dominum magis dilexerunt
ab eo remunerabuntur. Secundus homo di-
cit, id eſt aliqui. Falſum eſt quicquid lo-
quitur, & falſa eſt ſcriptura. Ego ſum Deus,
& Creator omnium, & ſine me nihil eſt fa-
ctum. Ego condidi nouam legem, & vete-
rem, & de ore meo proceſſit, nec in ea eſt
aliqua falſitas, quia ego ſum veritas. Ergo
qui me falſum dixiſſe dicunt, & ſcripturam
ſacram falſam dicunt, ipſi nunquam vide-
bunt faciem meam, quia conſcientia eorum
dicit eis me eſſe Deum, quia omnia fiunt
ſecundum voluntatem meam, & diſpoſitio-
nem meam. Cælum illuminat eos, nec ipſi
ſe illuminare poſſunt. Terra fructum gignit,
Aer fœcundat terram. Omnia animalia ha-
4 bent certam diſpoſitionem. 4 Dæmones
confitentur me. Iuſti homines patiuntur in-
credibilia, propter amorem meum. Hæc om-
nia vident nec tamen vident me. Ipſi etiam
poſſunt videre me in iuſtitia mea. Si conſi-
derarent quomodo terra abſorbuit impios,
Ignis combuſſit iniquos. Sic etiam poſſunt
me videre in miſericordia mea. Quando
aqua de petra fluxit iuſtis. Et aqua maris
cedebat eis. Quando ignis non lædebat
eos. Quando cælum quaſi terra nutriebat
eos. Et ideo quia iſta vident, & adhuc di-
cunt me mentiri, nunquam videbunt faciem
meam. Tertius homo dicit, id eſt aliqui,
Bene ſcimus eum eſſe verum Deum, ſed non
curamus. Iſti in æternum cruciabuntur,
quia contemnunt me Deum, & Dominum
ſuum. Nunquid non eſt magnus contem-
ptus, quod vtuntur bonis meis, & tamen
ipſi contemnunt ſeruire mihi. Si enim ha-
berent ipſi ex induſtria propria, & non to-
tum ex me, leuis eſſet contemptus. Qui au-
tem onus meum vertere incipiunt, idem vo-
luntarie, & ex feruenti deſiderio, conãtur ad
faciendum illud modicum, quod ipſi poſſunt,
ijs ego dabo gratiam. Qui autem leuant
pondera mea, id eſt, pro amore meo de die
in diem proficiunt, cum eis laboro, & forti-
tudo illorum ero, & inflammabo eos, vt am-
plius velint. Qui autem ſedent in ſede, quæ
pungere videtur quietiſſima tamen eſt, ij
ſunt in laboribus, & patientia nocte, & die,
nec attediantur, ſed eo magis ardent, &
modicum eis videtur eſſe, id quod agunt.
Hi ſunt amici mei chariſſimi, & ij valde
pauci ſunt. Quia pocula ſecundi Gazophi-
lacij magis alios delectant.

NOTAE.

1 EGo habeo quaſi duo Gazophilacia.
In præſenti Capite amores duo deſcribuntur amor Dei, & amor mundi, qui per duo Gazophilacia, quorum hic mentio fit deſignantur, & notandum ex D. Hieron. ſuper Ezechielem cap. 40. & Beda in Lucam cap. 21. Gazophilacium eſſe locũ, quo ſeruari diuitiæ conſueuerunt, duo autem in templo fuiſſe obſeruauit Beda, vbi ſupra alterum Gazophilacium locus erat in quem pecunia, alterum in quem res aliæ maioris molis a Populo conijciebantur, primum Arca quadã erat, de qua 4 Reg. 12. aliud Aula quadam, aut locus aliquis eiuſmodi amplus multarum rerum capax, hic ergo Chriſtus ſe quoque duo habere Gazophilacia aſſerit, & per primum Amorem diuinum, per ſecundum vero mundanum deſignat, in primo dicit reperiri propriæ voluntatis, ac mundanarum rerum contemptũ aliaque plura, quæ ab his, qui amore diuino incenſi ſunt, quæri ſolent, in ſecundo vero affirmat eſſe mundi delectationes, ac delitias, bona etiam temporalia, quæ qui diligunt, mundum ſectantur. Verum de duobus his amoribus plura habet D. Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 28. & in enarratione Pſal. 64. vbi monet ex his duobus amoribus duas manaſſe ciuitates, alteram Hieruſalem, alteram Babylonem.

2 Et licet iſta via in principio ſit aliquantulum grauis, tamen in proceſſu temporis multum delectat in tantum, quod quæ prius videbantur ad ferendum impoſſibilia, fiunt poſtea leuiſſima.

Is eſt præcipuus diuini amoris effectus, vt ieiunia, vigiliæ, cæteraque corporis incommoda in ſpirituali vita ſeſe exercenti in principio videantur amara, ac oneroſa, poſtmodum proficienti in ea dulcia fiant, & leuia, neſcit enim amor amaritudines, & labores, inquit Auguſtinus lib. 13. Confeſſionum, quia ſoror amoris dulcedo eſt, & qui amat non laborat ſolũ labor, non amantibus grauis eſt, & ipſe amor eſt, qui nomẽ difficultatis erubeſcit.

3 Nam ante aduentum meum in carne non erat niſi vna via, qua omnes boni, & mali ibant ad Infernum.

Ex his verbis nullatenus colligendum eſt, quod omnes communiter, qui ante Chriſti Domini Incarnationem obiernat ad infernum damnatorum deſcenderint, cum Abraham, Iſaac, Iacob, cæterique

veteris testamenti Patres sanctitate conspicui ad limbum inerint, a quo per Christi descensum fuere liberati, qui locus Infernus dicitur, vel ob priuationem cœlestis gloriæ, & pœnam damni, quam in damnatorum inferno existentes luunt, vt animaduertit D. Thomas 3. par. q. 52. art. 2. ad quartum, vel quia locus est in inferioribus partibus terræ, quia infra nos est; ideo dicebatur Infernus, vt ex D. Isidoro colligi potest lib. 14. Ethimolog. cap. 9. & D. August. in Psalm. 85. ad eum versum Eripuisti animam meam in inferno inferiori, quem locum optasse Iob, cum dixit cap. 20. quis mihi tribuat, vt in Inferno protegas me, tradit D. Hieron. Eccles. 3. Indicat Greg. lib. 12. Moral. cap. 6 & lib. 13. cap. 16. & 17. vbi explicat illum locum, si sustinuero Infernus domus mea est. & probari potest ex Hymno, quem in Ascensione Domini vniuersa canit Ecclesia.

Inferni claustra penetrans
Tuos captiuos redimens.

Annotarunt hoc idem Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, Chrysost. hom. de Lazaro & Diuite, vbi sinum Abrahæ vocat Paradisum in inferno existentem, & Hom. 4. in Marcum, antequam, inquit, aperiret Christus ianuam Regni omnes animæ iustorum detinebantur in inferno. sic etiam Basilius in Psalm. 48. ibi sicut oues in inferno positi sunt, Cyrillus Alexandrinus lib. 1. de fide ad Reginas cap. Quod Christus Deus sit, affirmat in morte Christi infernum Sanctorum animas emittere compulsum esse, sed hac de re egimus infra lib. 6. cap. 94. nota 1.

Dæmones confitentur me.

Non vera fidei confessione, vt fides habitus est infusus, qui Christianis in sacramento Baptismi diuinitus traditur, sed hoc est intelligendum de fide non iustificante, quæ est ab operibus, & charitate seiuncta. Dæmones enim ex signorum magnitudine, ac Miraculorum multitudine compelluntur Deum confiteri, ac etiam credere Ecclesiæ doctrinam a Deo manasse, vt probat D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. & secundum hunc sensum interpretanda sunt verba Iacobi Apostoli cap. 2. suæ Epistolæ, Dæmones credunt, & contremiscunt, sic illa interpretantur Dionysius Charthusianus, & Lyranus. & ad hunc sensum reuocandum est, quod dicit Diuus Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. & tract. 6. in Ioannem, nimirum peccatorum fidem esse fidem Dæmonum.

QVALITER VIDEBATVR sponsę, quod quidam Sanctorum loquebatur ad Deum, de quadam muliere a dęmonio terribiliter conculcata, quę postea precibus Virginis gloriosę fuit liberata.

CAP. XVI.

VIDEBATVR sponsæ, quod quidam Sanctorum loquebatur ad Deum dicens. Cur anima istius mulieris, quam sanguine tuo redemisti, sic conculcatur a diabolo? Respondit statim dæmon dicens. Quia de iure mea est. Et tunc dixit Dominus. Quali iure tua est? Cui respondit dæmon. Duæ inquit viæ sunt, vna ducit ad cælestia, alia ad infernum. Cumque ipsa inspiceret ambas vias, conscientia sua, & ratio dicebat sibi, quod viam meam magis eligeret. Et quia liberam habuit voluntatem diuertendi, ad quam viam magis vellet, videbatur sibi vtile magis diuertere voluntatem suam ad peccati perpetrationem, & tunc incepit ambulare per viam meam. Postea decepi eam tribus vitiis, scilicet gula, cupiditate pecuniæ, & luxuria. Ideo ego sedeo nunc in ventre eius, & in natura eius. Et teneo eam quinque manibus. Cum vna manu teneo oculos eius, ne videat spiritualia. Cum secunda manu mea teneo manus eius, ne faciat opera bona. Cum tertia manu teneo pedes eius, ne vadat ad bona. Et cum quarta teneo intellectum, ne peccare erubescat. Cum quinta etiam teneo cor eius, ne redeat per contritionem. Tunc beata Virgo Maria dixit ad filium. Fili compelle eũ dicere veritatem de ea re, quam ab eo quærere volo. Et filius ait. Tu es mater mea. Tu Regina cæli. Tu mater misericordiæ. Tu consolatio eorum, qui sunt in purgatorio. Tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo. Tu es Domina Angelorũ. Tu cum Deo excellentissima. Tu es etiam princeps super diabolũ. Præcipe ergo mater isti dæmoni ea, quæ tu vis, & ipse dicet tibi. Tunc beata Virgo quæsiuit ab illo diabolo. Dic diabole, qualem intentionem habuit mulier hæc antequam intrauit Ecclesiam? Cui diabolus respondit. Ipsa habuit voluntatem abstinendi a peccato. Et Virgo Maria dixit ei. Cum voluntas, quam prius habuit ducebat ad infernum, dic ad quid tendit voluntas ista, quam

quam modo habet, scilicet abstinendi a peccato. Cui diabolus respondit inuitus. Ipsa voluntas abstinendi ducit ipsam ad cælum. Et tunc Virgo Maria ait. Quia ex iustitia accepisti, vt propter voluntatem priorem duceres eam a via sanctæ Ecclesiæ, nunc iustitia est, vt per voluntatem istam reducatur ad Ecclesiam. Nunc etiam quæro diabole vlterius a te. Dic qualem voluntatem habet modo in hoc puncto, in quo nunc est conscientia sua. Diabolus autem respondit. Ipsa habet contritionem in mente pro his quæ fecit, & magnum fletum, & proponit vlterius nunquam talia committere, sed vult emendare quantũ potest. Tunc Virgo quæsiuit a diabolo. Dicas mihi. Possunt ne hæc tria peccata, scilicet, Luxuria, Gula, & Cupiditas, cum istis tribus bonis, scilicet contritione, fletu, & proposito emendationis simul esse in vno corde. Cui diabolus respondit, non. Et beata Virgo, tunc ait. Dicas mihi ergo, quæ istorum debuerunt a corde suo fugere, & recedere, an istæ tres virtutes, an forte illa tria vitia, ex quo tu dicis, quod ibidem in eodem loco simul habitare non possunt. Diabolus autem ait. Dico quod peccata. Et tunc Virgo respondit. Ideo igitur clausa est ei via ad infernum, & via ad cælestia sibi aperta est. Tunc vlterius quæsiuit beata Virgo a diabolo. Dic mihi, si prædo iacet ante fores sponsæ, volens violare eam, quid faciet tunc sponsus. Respondit diabolus. Si bonus, & magnanimus est ille sponsus, debet eam defendere, & vitam suam opponere pro vita eius. Tunc Virgo ait. Tu es prædo pessimus, anima autem est sponsa sponsi filij mei, quia eam proprio sanguine redemit. Hanc igitur tu corrupisti, & violenter rapuisti. Propterea quia filius meus est sponsus animæ, & est Dominus super te, ideo competit tibi fugere coram eo.

Declaratio.

Hæc mulier fuit meretrix, quæ redire voluit ad sæculum, quia diabolus molestabat eam die, ac nocte in tantum, quod visibiliter oculos eius deprimebat, & eam multis videntibus extraxit de lecto. Tunc præsentibus multis fidedignis, dicta S. Brigitta aperte dixit. Recede diabole, quia satis inquietasti istam creaturam Dei. Et dicto verbo, ipsa mulier per dimidiam horam depressit oculos in terram, & eleuans se dixit. Vere vidi diabolum in vilissima forma ingredientem per fenestram. Et audiui vocem dicentem mihi. Vere mulier liberata es. Et post illam horam eadem mulier ab omni impatientia liberata fuit, nec sordidas cogitationes patiebatur vlterius, & bono fine quieuit.

VERBA CHRISTI AD Sponsam qualiter peccator assimilatur tribus, scilicet aquilæ, aucupi, & pugili.

CAP. XVII.

EGO sum Iesus Christus, qui loquor tecum, qui in ventre Virginis verus Deus, & verus homo fui, non minor cum Patre omnia regens, licet essem cũ Virgine. Ille talis inimicus meus pessimus, similis est tribus. Primo aquilæ volanti in aere, sub qua aliæ aues volant. Secundo similis est aucupi, cantanti in fistula linita bitumine tenaci, cuius voce aues delectatæ cum ad fistulam aduolant, bitumine illo retinentur. Tertio similis est pugili, qui primus est in omni certamine. Ipse namque similis est aquilæ, quia per superbiã suam, qua nullos pateretur, si posset se esse superiores, lacerat omnes quos potest vnguibus malitiæ. Ideo abscindam ei alas potentiæ suæ, & superbiæ. Auferam de terra malitiam eius. Ipsum autem tradam ollæ inextinguibili, vbi sine fine cruciabitur, nisi emendauerit se. Similis est aucupi, quia scilicet per dulcedinem verborum, & promissionum omnes sibi attrahit, sed quicunque ad eum venerint, sic infiguntur in perditione, vt nunquam possint inde fugere. Ideo aues inferni configent oculos eius, ne vnquam videat gloriam meam, sed sempiternas inferni tenebras. Præcident aures illius, ne audiat verba oris mei. A planta pedis vsque ad verticem capitis, facient ei pro dulcedine amaritudine, vt tot pœnas sustineat, quot homines adduxit ad perditionem. Similis est etiam pugili, qui primus in omni malitia nulli cedere vult, & omnes deprimere proponit. Ideo sicut pugil primus erit in omni pœna, semper innouabitur pœna eius, & non deficiet ve. Tamen quam diu anima est cum corpore, misericordia mea parata est ei.

Declaratio.

Hic fuit miles potentissimus, qui multum odiuit clerum verba ignominiosa imponẽs eis, de quo facta est reuelatio præcedens, & subsequens. Filius Dei loquitur. O miles mundi quære a sapientibus, quid contigit superbo Aman, qui despexit populum meum. Nonne mors ignominiosa, & confusio. Sic iste deridet me, & amicos meos. Ideo sicut Israel non planxit mortem Aman, sic nec amici mei, plangent super mortem eius, sed amarissima morte morietur, nisi se emendauerit. Hæc ita euenerunt.

VERBA CHRISTI AD Sponsam qualiter in domo Dei debet esse humilitas, & quomodo per talem domum religio designatur; & etiam quod ædificia, & eleemosynæ debent fieri de bene acquisitis, & de modo restitutionis.

CAP. XVIII.

1 IN domo mea debet esse omnis humilitas, quæ omnino nunc contempta est. Ibi debet esse murus fortis inter viros, & mulieres, quia licet omnes possem defendere, & omnes sine muro tenere, propter cautelas tamen, & astutias diaboli, volo quod vnus murus diuidat vtrasque habitationes, qui sit fortis & non multum altus, sed moderatus. Fenestræ sint simplicissimæ, & lucidæ. Tectum moderate altum, ita vt nihil ibi appareat, nisi quod humilitatem redoleat. Quia illi qui mihi nunc domos ædificant, ipsi sunt similes magistris ædificantibus, ad quos cũ dominus ædificij ingreditur, recipiunt eum per crines, & trahunt eum sub pedibus, lutũ ponunt in sublimi; & aurum sub pedibus. Sic faciunt ipsi mihi. Aedificant enim lutũ, idest temporalia ista casura ponunt quasi ad cælum. Animas autem, quæ sunt pretiosiores auro minime curant. Si ego ingredi volo ad eos per prædicatores meos, aut per cogitationes bonas, ipsi arripiunt me per crines, & conculcant me sub pedibus, idest blasphemiam mihi inferunt, & opera mea, & verba mea, contemptibilia reputant quasi lutum. Se autem multo existimant sapien-
2 tiores. Si enim mihi ædificare vellent, 2 & ad honorem meum, animas primo ædificarent. Quicunque autem domum meam ædificat, summo studio apponat curam, vt nõ veniat ibi ad ædificium vnus denarius, qui non sit bene, & iuste acquisitus. Multi quippe sunt, qui se male acquisita bona habere sciunt, & tamen de hoc non dolent, nec voluntatem habent restituendi, & satisfaciendi ipsis defraudatis, & spoliatis, quamuis possent restituere, & satisfacere si vellent. Sed tamen quia cogitant secum in æternum non posse possidere ea, dant partem Ecclesijs ex illis bonis iniuste acquisitis, quasi per hanc donationem placatum me habeant. Alia autem bona bene acquisita reseruant posteris suis. Hoc certe non placet mihi. Quicunque enim mihi in donis suis placere vellet, deberet primo habere affectionẽ emendandi se, deinde facere illa bona opera quæ posset. Debet etiam lugere, & plangere mala quæ fecit, deinde restituere si potest. Et si non potest debet habere voluntatem restituendi defraudata. Postea cauere
3 debet ne vlterius talia committat. 3 Si autem non superesset cui redderet illa male acquisita, tunc posset mihi dare, qui omni-
4 bus possum sua refundere. 4 Quod si reddere non sufficit, tunc si cum proposito emendandi, & contrito corde humiliauerit se mihi, ego diues sum reddere, & possum restituere omnibus defraudatis partes suas, vel in præsenti seculo, vel in futuro. Ego volo tibi indicare quid significat domus, quam ædificari volo. Ipsa enim domus est religio, cuius fundamentum sum ego ipse, qui omnia condidi, & per quem omnia facta sunt, & subsistunt. In qua domo sunt quatuor parietes. Primus est iustitia mea, qua aduersantes domui huic iudicabo. Secundus paries est sapientia mea, qua inhabitantes cognitione mea, & intelligentia illuminabo. Tertius est potentia mea, qua eos confortabo contra machinamenta diaboli. Quartus etiam paries est misericordia mea, quæ omnes suscipit petentes eã. In hoc pariete est porta gratiæ, per quam omnes petentes suscipiantur. Tectum domus est charitas, qua diligentium me peccata operio, ne pro illis peccatis iudicentur. Fenestra tecti per quam intrat sol, est consideratio gratiæ meæ, per quam intrat calor deitatis meæ ad inhabitantes. Quod autem murus debet esse fortis, & grandis, significat quod nullus valet infirmare verba mea, nec ea destruere. Quia autem debet esse moderate altus, significat quod sapientia mea ex parte intelligi, & comprehendi potest, sed nunquam plenarie. Fenestræ simplices, & lucidæ, significant quod verba mea licet simplicia sunt, tamen per ea lux cognitionis diuinæ intrabit in mundum. Tectum moderate altum significat quod verba mea non in sensu incomprehensibili, sed comprehensibili, & intelligibili sensu manifestabuntur.

NOTAE.

1 IN domo mea debet esse omnis humilitas.

Inter cæteras virtutes quibus Religiosus, ornatus esse debet, quæue in Religione penitus necessario sunt, principem sibi locum vendicat humilitas sine qua in anima Religiosi, nec aliquod esse potest

potest vestigium virtutum, neque quod prius est vitia de corde queunt radicitus extirpari, sicut enim oriente Sole fugantur tenebræ, ita cum cœperit esse in Religioso perfecta humilitas tolluntur vitia, & quemadmodum annotauit Climacus de discret. grad. 26. ferarum venenatarum sensibilium interemptor est Ceruus, ita intellectualium bestiarum interfectrix humilitas est. Cæterum admonere hoc loco lectorem censui, cum legimus in Religione necessariam esse omnem humilitatē: Christum Dominum indicare voluisse per particulam (omnem) Religiosum perfectum hac virtute indigere, secundum omnes suos gradus, quos esse duodecim constat ex Regula S. Benedicti cap 7. sed D. Anselmus septem tantummodo gradus huic virtuti tribuit lib. de similit. à cap. 10. vsque ad 18. quorum primus est contemptibilem cognoscere se esse, Secundus de hoc dolere, Tertius hoc confiteri, Quartus hoc persuadere, vt scilicet sic velit credi, Quintus vt patienter sustineat, hoc dici, Sextus vt patiatur contemptibiliter se tractari, Septimus vt hoc amet. Gloss. vero Matth. cap. 3. ad ea verba (sic enim decet nos implere omnem mensuram) omnes hos gradus ad tres reuocat, quorum primus est subdere se maiori, & non præferre se æquali: secundus est subdere se æquali, nec præferre se minori; tertius gradus est subesse minori.

2 Ad honorem meum Animas primo ædificarent,

Farnesianus Codex M. S. legit, Ad honorem meum, animarum salutem primo quærerent.

3 Si autem non superesset cui redderet illa male aquisita, tunc posset mihi dare.

Bona aliena, quæ restitutioni obnoxia sunt, quorum Dominus ignoratur pauperibus restituenda sunt, vt scribitur hic, præmissa tamen diligenti inquisitione, vt probat D. Thomas 22. q. 62. art. 5. ad 3. Sotus de Iust. & iure lib 4. q. 7 art. 1. Siluester. verb Restitutio 8 q. 3. Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 92. & patet ex cap. cum tu de vsuris, & cap. dudum 87. dist. & Cap. non sane, & qui habetis 14. q 5.

4 Quod si reddere non sufficit.

Impotentia restituendi excusat a restitutione, sed quis dicatur impotens ad restituendum impotentia vere excusante tradit Sotus de Iust & Iure lib. 4. q. 7. art. 3. circa finem, Siluester verb. Restitutio quinto quæstione 4. Nauar in Manual. cap. 17. nu. 60. 61. 62. 63. Caietanus super 22. S. Thomæ q. 32. art. 8.

VERBA CREATORIS AD Sponsam, de magnificentia suarum potentię, sapientię, & virtutis, & qualiter contra eum magis peccant, qui nunc dicuntur sapientes.

CAP. XIX.

EGO sum Creator cæli, & terræ. Ego habeo tria mecum. Ego sum potentissimus, ego sapientissimus, ego etiam virtuosissimus. Ego nanque sum ita potens, quod Angeli in cælo honorant me. Dæmones in inferno non audent inspicere me. Omnia elementa
1 stant ad nutum meum. 1 Sum etiam ita sapiens, quod nullus valet inuestigare sapientiam meam. Ita sciens, quod omnia quæ iam fuerunt, & ea quæ futura sunt ego scio.
2 2 Sum quoque ita rationabilis, quod nec minimum quidem siue vermis, siue aliquid aliud animal quātumlibet deforme sit, est sine causa factum. Sum etiam ita virtuosus, quod a me tanquam a fonte bono, omne bonum emanat. Et sicut a vite bona, omnis dulcedo procedit. Ideo nullus potest esse sine me potens; sine me sapiens, sine me virtuosus. Et ideo nimis potentes sæculi contra me peccant, quibus dedi fortitudinem, & potentiam, vt me honorarent, sed ipsi sibi attribuunt honorem quasi quod illum a seipsis habeant. Non considerant miseri imbecillitatem suam. Si enim darem eis minimam infirmitatem, statim deficerent, & omnia vilescerent eis. Sed quomodo tunc subsisterent ad fortitudinem meam,
3 & ad penas æternas? 3 Sed magis peccant
var. contra me, qui nunc dicuntur sapientes.
lect. Ego enim dedi eis sensum, & intellectum, & sapientiam, vt me diligerent, sed ipsi nihil nisi ad suam vtilitatem temporalem intelligunt. Oculos habent in occipite, videntes sunt ad sua delectabilia, sed cæci sunt ad gratias agendas mihi, qui dedi eis omnia, quia siue boni, siue mali, nullus posset sine me sentire, & intelligere, licet permitto malis voluntatē suam flectere, ad quod voluerint. Nullus etiam potest esse virtuosus sine me. Ideo ego possum, nunc hoc prouerbium dicere, quod a vulgo communiter dicitur. Qui patiens est, ab omnibus contemnitur. Sic ego propter patientiam meam, nimis videor ab hominibus fatuus esse, & ideo ab omnibus contemnor. Sed ve eis cum ego ostendero eis iudicium meum post talem patientiam. Ipsi nanque erunt quasi lutum

ante me, quod cadit in ima, & non subsistit antequam venerit in profundum inferni.

NOTAE.

1 SVm etiam ita sapiens, quod nullus valet inuestigare sapientiam meam: ita sciens, quod omnia quę iam fuerunt, & ea quæ futura sunt ego scio.

Hic animaduertat Theologus, quod non colligitur ex his, in Deo esse sapientiam, & scientiam, tanquam distincti habitus, prout in nobis distinxit Arist. lib. 6. Ethic. cap. 4. & 8. & D. Thom. 1. 2. q. 57 art. 2. & ratio huius est, quia sapientia cum altior virtus sit, quam scientia, quippe quæ iudicat de rebus secundum altissimas causas, & prima principia; scientia vero secundum causas inferiores; & conclusiones, quæ ex primis principijs eliciuntur. Dei autem cognitio, quia se extendit ad principia, & conclusiones, & ad superiores, & inferiores causas, cum omnia vnico intuitu, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt, vt scribitur hic, comprehendat; ideo in eius sapientia inuenitur ratio scientiæ, non tanquam habitus distincti, sed tanquam vnus & idem, a quo eminenter vtriusque functiones emanant, & in hoc sensu in præsenti capite sapientia, & scientia Deo tribuitur.

2 Sum quoque ita rationalis, quod nec minimum quidem, siue vermis, siue aliud animal est sine causa factum.

Omnia à Deo Opt. Max. facta fuisse secundum prudentiæ regulas, ac leges: Innuitur hic, sicut etiā Sap. 11. legimus, cuncta ab eodem in numero, pondere, & mensura esse disposita: non vero intelligas cum dicitur, quod Deus sit rationalis, quod in agendo discurrat, aut quod discursu egeat: quandoquidē, vt superiori nota probauimus, ipse vnico intuitu omnia videt etiam futura, vt Rom. 4. dicit Apostolus, vocat ea, quæ non sunt tanquam ea, quæ sūt: dicitur tamen hic, Deus rationalis, quatenus secundum rectam rationem, & optimos fines cuncta creauit, & moderatur.

3 Sed magis peccant contra me, qui nunc dicuntur sapientes.

var. lect. *M. S. Farnesianus addit (Et scientes, quam simplices) atque ita hunc locum esse restituendū censeo, Magis peccant contra me qui nunc dicuntur sapientes, & scientes, quam simplices: de quibus hoc loco quæritur quis eorum magis peccat.*

COLLOCVTIO GRATA
Virginis matris, & filii ad inuicem. Et Virginis matris, & filii ad sponsam. Et qualiter sponsa debet se præparare ad nuptias.

CAP. XX.

MATER Dei videbatur dicere ad filium. Tu es Rex gloriæ fili mi. Tu es Dominus super omnes Dominos. Tu creasti cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt. Fiat ergo omne desiderium tuum, fiat omnis voluntas tua. Respondit filius. Prouerbium antiquum est, quod illud quod iuuenis discit in iuuentute, hoc retinet in senectute. Sic tu mater a iuuentute didicisti sequi voluntatem meam, & relinquere omnem voluntatem tuam pro me. Ideo bene dixisti, fiat voluntas tua.

1 Tu enim es quasi aurum preciosum, quod extenditur, & percutitur super durom incudem, quia tu omnibus tribulationibus percutiebaris, & in passione mea præ cęteris patiebaris. Quia quando cor meum in cruce præ vehementia doloris rumpebatur, cor tuum ex hoc quasi ferro acutissimo vulnerabatur, & libenter scindi permisisses, si fuisset voluntas mea. Veruntamen etiam si potuisses restitisse passioni meæ, & optasse vitam meam, tu tamen noluisti nisi iuxta voluntatem meam. Ideo bene dicis fiat voluntas tua. Deinde loquebatur Maria ad sponsam. Sponsa filij mei dilige filium meū,

2 quia ipse diligit te, 2 honora sanctos eius, qui astant ei. Ipsi enim sunt quasi stellæ innumerabiles quorum lux, & splendor nulli temporali luci comparari potest. Quia sicut lux mundi differt à tenebris, sic & multo magis lux sanctorum differt a luce huius mundi. Vere dico tibi, quod si sancti viderentur in claritate sicut sunt, nullus humanus oculus hoc ferre posset, sed corporali lumine priuaretur. Inde loquebatur filius Virginis ad sponsam suam dicens. Sponsa mea

3 tu debes habere quatuor. 3 Primo debes esse parata ad nuptias deitatis meæ, in quibus nulla est libido carnalis, sed spiritualis delectatio suauissima, qualem decet Deum habere cum anima casta, ita vt non amor filiorum tuorum, non etiam bonorum, vel parentum retrahat te ab amore meo. Ne contingat tibi sicut illis Virginibus fatuis, quæ imparatæ erant quando Dominus voluit vocare eas ad nuptias, & ideo excludebantur. Secundo debes esse credula verbis

meis.

Digitiz

meis. Ego enim ſum veritas, & de ore
meo nunquam niſi veritas procedit, nec
aliquis poteſt inuenire in verbis meis niſi
veritatem. Quia quandoque ſpiritualiter
intelligo, quæ loquor, quandoque ſicut tunc
ipſa littera ſonat, & ipſa verba mea tunc nu
de debent intelligi; & ideo nullus poteſt me
arguere de mendacio. Tertio debes eſſe
obediens, vt nullum ſit membrum, in quo
deliquiſti, de quo non exigas dignam pœ-
nitentiam, & emendam. Quia licet ſim
miſericors, tamen iuſtitiam non relinquo.
4 4 Ideo quibus teneris obedias humiliter,
& hilariter; ita vt etiam quod tibi videtur
vtile, & rationabile contra obedientiam
non facias. Eſt enim melius propter obe-
dientiam relinquere voluntatem tuam, licet
bonam, & ſequi voluntatem præcipientis,
ſi non eſt contra ſalutem animę, vel alias
irrationabilis. Quarto debes eſſe humilis,
quia coniugio ſpirituali copulata es. Ergo
debes humilis eſſe in aduentu ſponſi tui, &
5 verecunda. 5 Ancilla tua ſit moderata, &
refrænata, id eſt corpus tuum abſtinens, &
bene diſciplinatum. Eris enim fructifera
ſemine ſpirituali multis profutura. Sicut
enim ſurculus, ſi inſeritur trunco arido,
truncus incipit florere, ſic gratia mea fru-
ctificare, & florere debes, quæ & inebria-
bit te, vt ex vino dulcedinis, quod tibi da-
turus ſum, omnis cæleſtis exercitus gau-
deat. Noli diffidere de bonitate mea. Di-
co tibi pro certo, quod ſicut Zacharias,
& Eliſabeth ineffabili gaudio gaudebant in-
terius de promiſſione prolis futuræ, ſic &
tu gaudebis de gratia mea, quam tibi fa-
cere volo, & inſuper alij gaudebunt per te.
Illis duobus, ſcilicet Zachariæ, & Eliſabeth
loquebatur vnus Angelus, ego autem Deus,
& Creator Angelorum, & Deus tuus, lo-
quor tecum. Illi duo genuerunt mihi ami-
cum meum chariſſimum Ioannem, & ego
per te volo generare mihi multos filios, non
carnales, ſed ſpirituales. Vere dico tibi,
quod ipſe Ioannes ſimilis erat arundini ple
ne dulcedinis, & mellis, quia in os eius
nunquam intrauit aliquid immundum, nec
vltra menſuram perceptibilem, ſuſcepit vi-
6 tæ neceſſaria. 6 Nec vnquam ſeminarius
humor de corpore eius exiuit, & ideo bene
poteſt vocari Angelus, & Virgo.

NOTAE.

1 TV enim es quaſi aurum pretioſum,
quod extenditur, & percutitur ſuper
durum incudem, quia tu omnibus tribula-
tionibus percutiebaris.

Optime hic Beatiſſima Virgo comparatur Auro, quod in igne immiſſum non colorem, aut virtutem amittit, ſed purius redditur, & ſplendidius: ſic & Maria in ignem tribulationum coniecta, non infirmior, aut deformior facta, ſed illuſtrior, ac fortior reddita eſt; Eadem ſimilitudine vſi ſunt D. Ambroſ. ſerm. 80 Cyrillus lib. 4. ſuper Ioan cap. 18. qui Mariam auro ſimilem faciunt, quo Arca templi, ſeu propitiatorium deauratum eſt, de qua Exodi 37.

2 Honora Sanctos, qui aſtant ei; ipſi enim ſunt quaſi ſtellæ innumerabiles, quorum lux, & ſplendor nulli temporali luci comparari poteſt.

In præſenti nota duo breuiter videnda ſunt. Primo, quæ, & qualis ſit claritas Sanctorum, quã hoc loco tantam eſſe legimus, vt quæcunque alia præſtantior ſit. Secundo, quare ſtellis Sancti comparentur, cum Soli potius, qui cæteris luminaribus præſtat comparandi fuiſſent; ſic enim eos Matthæus c. 13. Soli comparat dicens: Fulgebunt iuſti ſicut ſol. & vt a primo ſumamus exordium communi Theologorum omnium conſenſu firmatũ eſt, omnia glorioſa corpora claritatem ingentem habitura. ſic tradunt in 4. diſt. 44. & diſt. 49. & conſtat ex ſacris litteris Pſalm. 109. In ſplendoribus ſanctorum: & Matth. 13. Fulgebunt iuſti. & 1. Corinth. 15. ibi, alia quidem cæleſtium corporum gloria, &c. Sunt ergo, qui docent ſanctorum corpora glorioſa habitura, quidem colorem perfectiſſimum, cum quadam refulgentia, & poteſtate ad ſe propalandum, an vero in ſe propriam lucem habeant, ſub dubio relinquunt, ſic Sotus in 4. diſt. 40. q. 15. cui fauere videtur Durandus in 4. diſt. 44. q. 8. qui licet indicet beatorum corpora habitura eſſe internam lucem, dicit tamen intelligi poſſe, quod clara ſint, quia terſa erunt, ac polita, ſoliſque radijs, cæterorumque luminum ſplendore futura fulgentia. Cæterum horum grauiſſimorum virorum ſententia non vndequaque placet, nam primum conſtat corporis glorioſi fulgorem fore perfectiſſimum, & longe ſuperiorem Solis lumine; imo tantum, quantum nullus humanus oculus ferre poſſet, ſed ſi quis in eum oculorum intenderet aciem corporali lumine priuaretur; ſicut legimus in præſenti Capite, & indicat D. Chryſoſt. Hom. 55. in Ioan. Quanto, inquit, ſolaris lux lumen excedit lucernæ, tanto magis beatorum claritas ſolarem præſtabit, & ad illius ſplendoris comparationem Sol obſcurabitur. dicendum ergo eſt, illa corpora claritatem quandam habitura internam per modum qualitatis perfectæ inhærentis, quoniam Patres, cum hæc de re agunt, illum futurum eſſe veriſſimum, & perfectiſſimum lumen docent, vel eiuſdem ſpeciei cum lumine Solis, vt auctor eſt Diuus Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. vel alterius, & perfectioris ſpeciei, vt ſentit Richardus eadem diſt. artic. 4. quæſt. 6. quod inſinuatur hoc Capite ibi, quia ſicut lux mundi differt a tenebris, ſic & multo magis lux ſanctorum differt a luce huius mundi, addunt præterea alij corpora glorioſa per illud

lumen

lumen fore perspicua, & transparentia, ita vt omnes internæ partes, omnia etiam viscera oculis patere poterunt: sic habet Diuus Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. & D. Greg. lib. 18. Mor. cap. 27. exponens illa verba Iob, Non adæquabitur aurum: Patebit, inquit, corporalibus oculis ipsa corporis harmonia, sicq. vnusquisque erit conspicabilis alteri: quod si hoc verum est, necessario sequitur hanc claritatem futuram in omnibus partibus corporis gloriosi in carne, ossibus, & cæteris membris, quia alioquin non possent omnes partes corporis oculis patere: ea namque pars, quæ non esset lucida, videri non posset, tum quia hoc spectare videtur ad quandam dignitatem, & decentiã illius corporis. Sequitur hanc sententiam D. Thom. in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. Palud. dist. 44. q. 5. Sotus dist. 49. q. 4. art. 8. Richardus ead. dist. art. 4. q. 6. Gabriel d. 44. q. 2. Quare autem hoc loco Sanctorum corpora gloriosa stellis, non Soli comparentur, vt & fecit Paulus Apost. 1. Cor. 15. Responderi potest cum D. August. in lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 46. qui hanc eandem dubitationem examinat id à Paulo factum esse, vt Sanctorum varios gradus in cælo describeret, secundum diuersa eorũ merita; idem tradit serm. 143. de tempore, & annotarunt gloss. Theoderet. Ambros. Anselm. Lyran. & Carthusianus, 1. Cor. 15.

3 Primo debes esse parata ad nuptias Deitatis meæ.

Quemadmodum in nuptijs inter ipsosmet coniuges vnionis ingens contrahitur vinculum, ita in nuptijs Deitatis in patria, quando anima ab hoc seculo post multos exantlatos labores recedens, ad Dei visionem eleuatur, aliam, & longe maiorem contrahit cum Deo vnionẽ, per quam cum essentia diuina intellectus Beati coniungitur: sed in præsenti etiã vita anima iusti dicitur se ad Deitatis nuptias parare, quando terrenis omnibus curis posthabitis per charitatem cũ suo sponso Christo arctissimo vinculo stringitur, & de hac secunda vnione in hoc cap. sermo fit, cum scribitur, debes esse parata ad nuptias, &c.

4 Ideo quibus teneris obedias humiliter, & hilariter, ita vt etiam quod tibi videtur vtile, & rationabile, contra obedientiam non facias.

Cum conscientia immediata sit nostrarum operationum regula, videtur reuocari posse in dubiũ, quod hoc loco innuitur, an eius dictamen relinquẽdum sit, præsertim quando est de re vtili, & rationabili, & sequendum præceptum Prælati, & plus obligare præceptum Superioris affirmant D. Thom. in 2. sent. d. 30. art. vlt. ad tertium. D. Bonauentura in 2. dist. 39. art. 1. q. 3 ad vltimum. Armilla verb. conscientia, nu. 1. & 2. verum isti Doctores loquũtur de conscientia erronea, quando quis ignorat aliquid esse bonum, vel malum, & ex errore arbitratur quodpiam esse bonum, & est malum, & è contra. Conscientiam tamen rectam plus obligare tradunt D. Antoninus 1. par. suæ summæ, tit. 3. c. 30. §. 4. Gerson alphabeto 30. Siluest. verb. conscientia, q. 2. D. Tho. Archidiac. & alij citati à Siluestro. Præponendum autem est præceptum Prælati in his quæ sunt indifferentia, vel etiam quando Prælatus præciperet aliquid contra conscientiam legis inferioris: tunc enim sicut potest tollere legem, sic potest tollere conscientiam.

5 Ancilla tua sit moderata, & refrenata, idest corpus tuum abstinens.

Per ancillam hoc loco carnem possumus intelligere, quæ cogenda est spiritui inseruire, quandoquidem contra eum frequenter insurgit, & rebellis fit, vt ancilla Agar contra dominam suam, sicut Genesis 16. legimus, & annotauit Origenes hom. 7. in Genesim. Cæterum ad hoc assequendum, nullum remedium excogitari potest præstantius abstinentia; sicut enim equo ferocienti, & sessori obtemperare minime volenti, pabulum subducendum est, nec ciborum copia subministranda, sic corpori spiritui repugnanti, cibus subtrahendus est, & ieiunijs, vigilijsq. ad obedientiam retrahendum.

6 Nec vnquam seminarius humor de corpore eius exiuit.

Sermo fit hoc loco de venerando Christi Domini præcursore Ioanne Baptista, quem fuisse virginem verba præsentis notæ insinuant: & hoc ipsum annotarunt Ignatius epist. ad Philadelphios. Ambros. serm. 65. Epiphan. hæresi 63. Cyrill. cathechesi 17. Petrus Chrisologus serm. 174. Chrisostom. hom. 18. in Matth.

VERBA SPONSI AD SPONSAM in figura optima, de quodam mago, per quem diabolus mirabiliter designatur, & exponitur.

CAP. XXI.

SPONSVS Iesus loquebatur ad sponsam in figura ponens quoddam exemplum ranæ, dicens: Quidam magus habebat optimum aurum splendidũ, ad quem veniens vnus simplex, & mitis homo, voluit emere aurum illud. Cui ait magus: Non habebis hoc aurum, nisi melius aurum, & maioris quantitatis dederis mihi. Ad quem ille: Ego, inquit, in tantum desidero istud aurum tuum habere, quod antequam caream dabo tibi sicut vis. Et dato illi mago auro meliori, & maioris quantitatis, recepit ab eo aurum splendidum, & posuit in scrinio, cogitans facere sibi inde anulum super digitum suum. Modico autem interiecto tempore, veniẽ Magus ad hominem illum simplicem dicẽs:

Au-

Aurum hoc quod emisti, & posuisti in scrinio tuo, non est aurum, vt putas, sed vilissima rana, quæ nutrita est in pectore meo, & alita cibo meo. Et vt hæc probes esse vera, aperi scrinium, & videbis quod rana insiliet in pectus meu m, de quo nutrita est. Cumque ille aperire vellet, & experiri, apparuit rana in scrinio, cuius operculum pendebat super quatuor cardines, quasi citius casuros. Tunc aperto ostio scrinij, rana viso mago insilijt in pectus eius. Quod videntes serui, & amici illius hominis simplicis, dixerunt ad eum: Domine, inquiunt, aurum illud optimum iacet in rana, & si velles faciliter posses obtinere aurum. Et ille, quomodo, inquit, quomodo hoc possem? Qui dixerunt: Si quis reciperet acutissimam, & feruentem lanceam, & eam infigeret dorso ranæ, ex ea parte dorsi, vbi concauum aliquid esset, tunc citius posset obtinere aurum. Si autem concauum in eo inueniri nō posset, tunc deberet lancea nimis valenter, & toto conamine infigi in eam, & sic habere posses quod emisti. Quis est iste magus nisi diabolus, qui suadet hominibus delectationes, & honores mundi, quæ non sunt nisi rana. Nam falsa promittit esse vera, & vera facit videri falsa. Ipse enim possidet aurum illud pretiosum, idest animam, quam pretiosiorem omnibus stellis, & planetis per potentiam Deitatis meæ feci, quam immortalem, & stabilem, & delectabiliorem mihi cęteris creaui, & præparaui ei mecum æternā requiem, & habitationem. Hanc ego de potestate diaboli meliori auro, & maioris pretij emi, quando pro ea dedi carnem meam immunem ab omni peccato, & substinui tā amaram passionem, quod nullum meum
2 membrum esset sine vulnere. 1 Redempta autem anima posui eam in corpore tanquā in scrinio, donec eam in dignitate deitatis meæ collocarem. Nunc autem anima hominis sic redempta facta est velut turpissima, & vilissima rana, saltans per superbiam, & commorans in cœno per luxuriam, & abstulit mihi aurum, idest omnem iustitiam meā. Et ideo diabolus bene potest dicere mihi: Aurum quod emisti non est aurum, sed rana nutrita in pectore delectationis meæ. Separa ergo corpus ab anima, & videbis, quod statim volitabit ad pectus meæ delectationis, vbi nutrita est. Cui ego respondeo: Quia rana horrida est visu, horribilis voce, & venenosa in tactu, nec aliquid mihi boni, uel delectationis confert, sed tibi in cuius pectore nutrita est, tua propterea sit, quia tua de iure est. Ideo aperto ostio, idest separata anima a corpore statim volabit ad te, tecum sine fine mansura. Talis est enim anima illius, de quo tibi loquor. Nam ipsa est uelut rana pessima, plena omni immunditia, & voluptate, nutrita in pectore diaboli. Ad cuius scrinium, idest corpus nūc per appropinquationem mortis appropinquo, quod pendet in quatuor cardinibus casuris. Quia corpus eius ex quatuor subsistit scilicet fortitudine, pulchritudine, & sapientia, & visu, quæ omnia iam nunc incipiunt sibi deficere. Cumque anima eius separabitur a corpore, statim volabit ad diabolum, de cuius lacte nutrita est, quia oblita est dilectionis meę, qua supplicium eius quod me tuerat pro ea suscepi. Nam mihi non repen
2 dit dilectionem pro dilectione mea, sed & insuper a aufert mihi iustitiam meam, quia mihi magis deberet seruire, qui redemi eā quam alteri. Sed ipsa magis delectatur in diabolo. Vox orationis eius est mihi sicut vox ranæ, visus eius in conspectu meo abhominabilis. Auditus eius nunquam audiet gaudium meum, nec tactus eius venenatus sentiet deitatem meam. Veruntamen quia misericors sum, & anima eius, licet immunda sit, si adhuc attrectaret aliquis, & consideraret, si aliqua contritio esset in ea, & voluntas bona, & infigeret menti eius lanceam acutissimam, & feruentem, idest timorem districti iudicij mei, adhuc inueniret gratiā meam, si vellet consentire. Quod si nulla esset in eo contritio, nec charitas, si quis tamen pungeret eum mordaci correptione, & reprehensione dura, adhuc esset in eo spes; quia quandiu anima cum corpore viuit, misericordia mea omnibus aperta est. Vide ergo quia pro charitate mortuus sum, & mihi nullus rependit charitatem, sed aufert mihi iustitiam meam, quia iustum esset vt homines eo melius viuerent, quo maiori labore redempti sunt. Sed nunc eo deterius viuere volunt, quo eos amarius redemi, eo fiducialius peccare volunt, quo magis eius peccatum abhominabile ostendi. 3 Ideo vide, &
3 considera, quia non sine causa irascor, quia gratiam meam conuertunt sibi in iram. Redemi enim eos a peccato, & ipsi se magis implicant peccato. Tu ergo sponsa mea redde mihi quæ teneris, idest animam tuā mundam mihi conserua, quia pro te mortuus sum, hac de causa, vt eam mihi mundam seruares.

NOTAE.

1 REdempta autem anima posui eam in corpore tanquam in scrinio, donec eam in dignitate deitatis meæ collocarem, nunc autem anima hominis, sic redempta, facta est velut turpissima, ac vilissima Rana.

Præsentis notæ verborum sensus est. Creaui Animam

Animam hominis, eamque in corpore posui, vt illam ad visionem Deitatis meæ eleuarem, sed per primorum Parentum culpam sub dæmonis potestate, ac seruitute redacta est, a qua ego eam sanguine meo redemi, sed nihilominus ad eandem seruitutem rediit, & iterum peccatis deturpata est, & veluti Rana effecta, quæ vt tradit Gregor. Nissen. de vita Mosis animal palustre est specie deforme, cui turpissimus est aspectus, cuius saltus repens, cuius è corpore intolerabilis fœtor emittitur, sic homo sceleribus, vitiisq. irretitus turpissimus, ac fœtidus euadit, & passionum Cœno refertus Ranarũ more in terram habitat, eamq. solam aspicit, nec vnquam cælum intuetur, de quo Dauid Psal. 16. statuerunt oculos suos declinare in terram.

2 Aufert mihi iustitiam meam, quia mihi deberet magis seruire quam alteri.

Iustitia reddit, cuique quod suum est, vnde Christianus, cum obsequium debitum, ac obedientiam Deo præstat iustus dici potest, quatenus illi tribuit, quod suum est, diceretur autem auferre nisi daret, quod illi deberetur, & notandum, quod hoc loco iustitia non summitur, qua Deus iustus est, sed qua per gratiam nos iustificat, in quo sensu de iustitia verba facit D. August. Epist. 120. & de spiritu & littera cap. 11. cum ergo nos gratiam Dei, qua iustificamur, per mortale peccatum respuimus, cumque animam nostram Christi sanguine redemptam a Deo subtrahimus, tunc profecto Deum quantum in nobis est iustitia priuamus, quod declaratur aperte, circa finem præsentis capitis ibi, sed aufert mihi iustitiam meam, quia iustum esset, vt homines eo melius viuerent, quo maiori labore redempti sunt, de qua iustitia Paulus Rom. 10. loquitur cum dicit ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere iustitiæ Dei, non sunt subiecti.

3 Ideo vide, quod non sine causa irascor.

Irasci hoc loco dicitur Deus non aliquo animi motu, & turbatione, quæ ei aduenire minime potest, sed peccanti creaturæ, ac impiis hominibus; cum iustam infert vltionem, & secundum eorum demerita pœnas reddit, quæ veluti effectus ab ira manare solent, vt tradunt D. Hieron. in Psal. 89. & super Isaiam cap. 57. & 64. & Ierem. 7. Orig. in lib. Iudicum Hom. 2. & super Matt. Hom. 20. Hilarius in Psal. 2. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 1. n. 20. tribuimus quoque metaphorice Deo iram, quatenus in eo ratio est, iustæ vindictæ, per quam in sacris litteris significantur minæ, ac flagella, quibus peccatores territi vitia relinquunt, sic annotarunt Clemens Papa lib. 10. recognitionis Basil. in Psal. 29. D. Hieronym. super Zachariam cap. 8. D. Augustinus Psalm. 82.

INTERROGATIO DVLCISsima matris ad sponsam, & responsio humilis sponsę ad matrem. Et replicatio vtilis matris ad sponsam, & de profectu bonorum inter malos.

CAP. XXII.

MATER loquebatur ad sponsam filii dicens. Tu es sponsa filii mei. Dicas quid habes in animo, & quid petis? Cui sponsa respondit. Tu Domina bene nosti, quia scis omnia. Et tunc beata Virgo ait. Licet ego omnia sciam, tamen te loquente audientibus astantibus cognoscam. Et sponsa dixit. Duo inquit timeo Domina. Primo pro peccatis, quæ non ploro, nec emendo, vt vellem. Secundo contristor, ex eo quod inimici filii tui sunt multi. Tunc Virgo Maria respondit. Contra primum do tibi tria remedia. Primo cogita, quod omnia quæ spiritum habent sicut ranæ, & cætera animalia quandoque habent incommoda, nec tamen in æternum viuit spiritus eorum, sed cum corpore moritur. Tua autem anima, & omnis hominis viuit in æternum. Secundo cogita misericordiam Dei, quia nullus homo sic peccator est, si cum emendationis proposito, & contritione rogauerit, quod non dimittatur ei peccatum. Tertio cogita quanta gloria est animæ, quæ cum Deo, & in Deo sine fine viuit. Contra secundum scilicet, quod inimici Dei sunt multi, do etiam tibi tria remedia. Primo considera quod Deus tuus, & Creator tuus, & eorum, est iudex super eos, & nunquam amplius ipsi iudicabunt eum, licet patienter supportet ad tempus malitiam eorum. Secundo, quod filii damnationis sunt, & quam graue, & intolerabile erit eis semper ardere. Ipsi sunt serui pessimi, qui carebunt hæreditate, filii autem recipient hæreditatem. Sed dices forte, ergo non est eis prædicandum? vtique. Considera quod inter malos frequēter sunt boni. Et filii adoptiui quandoque recedūt a bono, sicut ille filius prodigus, qui abiit in aliam regionem longinquam, & vixit male. Sed ipsi quandoque per prædicationem compuncti reuertuntur ad patrem, & erunt eo acceptiores quo prius peccatores. Ideo eis magis prædicandum est, quia licet prædicator fere omnes videt malos, consideret tamen secum forte sunt aliqui inter eos filii futuri Domini mei, prædicabo ergo eis, hic prædicator optimam habebit mercedem.

cedem. Tertio considera, quod mali viuere permittuntur ad bonorum probationem, vt ex eorum moribus exasperati, patientiæ fructu remunerentur, sicut etiam per exemplum intelligere poteris. Rosa enim suauiter redolet, pulchra est visu, lenis tactu, & tamen non crescit nisi inter spinas, quæ sunt aspere tactu, deformes visu, nihil boni redolentes. Sic etiam boni, & iusti homines, licet lenes sint patientia, pulchri moribus, suaues bono exemplo, non tamen possunt proficere, vel probari, nisi inter malos. Quandoque etiam spina defendit rosam, ne carpatur ante maturitatem, sic mali occasio sunt bonis, ne excedant in peccatis, quandoque per eorum malitiam refrænantur, ne immoderata lætitia, vel alio peccato dissoluantur. Nunquam etiam vinum seruatur bene in bonitate sua, nisi in fece, nec boni, & iusti in virtutibus stare, & proficere possunt, nisi probentur tribulationibus, & iniquorum persecutionibus. Ideo tu libenter supporta inimicos filij mei, & cogita, quod ipse iudex eorum est, & quod ipse si sic esset iustitia, vt deberent destrui omnes, bene posset in momento delere eos. Ergo tolera tu, quandiu ipse tolerat eos.

VERBA CHRISTI AD Sponsam de homine ficto, qui inimicus Dei est nuncupatus, & quam maxime de hipocrita, & eius ad plenum proprietates ponentia.

CAP. XXIII.

ILLE talis videtur hominibus quasi homo bene ornatus, fortis, & decorus, & in pugna Domini sui strenuus, sed amota galea a capite eius est abominabilis ad videndum, & inutilis ad operandũ. Apparet enim cerebrum eius nudum. Aures habet in fronte, oculos in occipite. Nasus eius abscisus est. Genæ eius ex toto cõtractæ quasi hominis mortui. Maxilla eius ex dextra parte cum faucibus, & dimiditate labij tota deciderat. Ita quod nihil ex dextra parte remanet nisi guttur solum, quod nudum apparet. Pectus eius plenum est vermibus scaturientibus. Brachia eius quasi duo serpentes. Cor impletum est pessimo scorpione. Dorsum eius velut combustus carbo. Intestina eius sunt fœtentia, & corrupta quasi caro abundans sanie. Pedes eius mortui, & inutiles ad incedendum. Quid autem ista significant, dicam tibi. Ille talis videtur hominibus exterius bonis moribus, & sapientia ornatus, & in honore meo strenuus esse, sed nequaquam est ita. Si enim amoueretur galea a capite eius, idest ostenderetur hominibus qualis ipse est, esset præ omnibus vilissimus. Cerebrum quippe eius est nudum, quia insipientia, & leuitas morum eius, satis euidentissimis signis ostendit eum bonis hominibus, indignum esse tali honore. Si enim saperet ei sapientia mea, intelligeret se tanto austeriori conuersatione debere pre alijs vestiri, quo maiori honore præ cæteris sublimatur. Aures habet in fronte, quia pro humilitate, quam deberet habere in dignitate, & cæteris lucere, non vult nisi audire laudem, & honorem suum, & pro eo assumit sibi superbiam, vnde velit ab omnibus vocari magnus, & bonus. Oculos habet in occipite, quia cogitatio eius tota est ad præsentia, & non ad æterna. Tota quomodo placeat hominibus, & quod vtilitas carnis requirit, & non quomodo placeat mihi, & prosit animabus. Nasus eius abscisus est, quia discretio ablata est ab eo, qua discernat inter peccatum, & virtutem, inter honorem temporalem, & æternum, inter diuitias sæculi, & æternas, inter delectationes istas modicas, & æternas. Genæ eius contractæ sunt, idest verecundia omnis quam deberet habere ad me, & pulchritudo virtutum, qua mihi placeret omnino quasi mortua est ad me. Quia pro hominum verecundia erubescit peccare, pro me autem nihil. Altera pars maxillæ, & labij deciderat, ita quod nihil remanet nisi guttur. Quia imitatio operum meorum, & prædicatio verborum meorum cum oratione feruenti, in eo iam cecidit, ita quod nihil remaneat in eo, nisi guttur gulæ suæ. Imitatio autem prauorum, & reuolutio sæcularium negotiorum, totaliter sana, & pulchra sibi videntur. Pectus eius plenum est vermibus, quia in pectore, vbi deberet esse recordatio passionis meæ, & memoria operum meorum, & præceptorum, ibi est sollicitudo temporalium, & cupiditas mundi, quæ quasi vermes eius conscientiam mordent, ne cogitet spiritualia. In corde eius vbi ego morari vellem, & charitas mea sedere deberet, sedet pessimus scorpio, qui pungit cauda, & blanditur facie, quia de ore eius satis blanda procedit loquela, & rationabilis, sed cor eius plenum est iniustitia, & fallacia, quia non curaret, quod Ecclesia, cui præest destrueretur, si voluntatem suam posset perficere. Brachia eius sunt sicut serpentes, quia per malitiam suã extendit se ad simplices vocando eos cum simplicitate ad se, & occasione accepta miserabiliter supplantat. Inde quasi serpens

retorquet se quasi in circulum, quia occultat malitium suam, & iniquitatem, vt vix aliqui eius astutiam possint deprehendere. Iste est quasi vilissimus serpens in conspectu meo, quia, sicut serpens omnibus animalibus est odiosior, sic iste mihi omnibus deformior, quia iusticiam meam annihilat, & reputat me quasi hominem, qui nolit vindicare. Dorsum eius est velut carbo, quod tamen deberet esse sicut ebur, quia opera eius deberent esse fortia præ alijs, & mundiora, vt infirmos portaret per patientiam, & per vitæ bonæ exemplum. Sed nunc est quasi carbo, quia infirmus est ad patiendum vnum verbum pro honore meo, nisi causa voluntatis propriæ. Veruntamen sibi fortis videtur ad mundum. Ideo cum stare putat cadet, quia sic deformis, & mortuus est in conspectu meo, & sanctorum meorum, sicut carbo. Interiora eius sunt fœtentia, quia cogitatio eius, & affectio fœtent in conspectu meo velut caro mortua, cuius fœtorem nullus ferre potest sic eum nullus sanctorum ferre potest, sed omnes auertunt ab eo vultum suum, & petunt super eum iudicium. Pedes eius sunt mortui. Duo nanque pedes sunt duæ affectiones eius ad me, scilicet voluntas emendandi commissa, & voluntas faciendi bona. Sed hi pedes omnino in eo mortui sunt, quia omnis medulla charitatis in eo consumpta est, & nihil remanet nisi ossa indurationis. Et sic stat coram me. Veruntamen quandiu anima est cum corpore, misericordiam meam inuenire potest.

Declaratio.

Apparuit sanctus Laurentius dicens. Ego cum essem in mundo habui tria, continentiam ad meipsum, misericordiam ad proximum, charitatem ad Deum. Ideo feruenter prædicaui verbum Dei, sapienter distribui bona Ecclesiæ, & tolerabam gaudenter verbera, ignem, & mortem. Hic autem Episcopus tolerat, & dissimulat incontinentiam cleri, expedit largiter bona Ecclesiæ in diuites, charitatem habet ad se, & suos. Ideo notum ei facio, quod nubes leuissima iam ascenderat in cælum, quam faces tenebrosæ obumbrant, ne videatur a pluribus. Hæc vero nubes est oratio matris Dei pro Ecclesia, quam faces cupiditatis, & indeuotionis, & defectus iustitiæ sic obumbrant, quod lenitas misericordiæ matris Dei, corda miserorum ingredi non valeat. Propterea conuertat se citius Episcopus ad diuinam charitatem, & corrigendo seipsum, & subditos suos, exemplo, & verbis suis ammonendo, & ad meliora prouocanda. Alioquin sentiet manum iudicantis, & Ecclesia sua igne, & gladio purgabitur, rapina, & tribulatione affligetur, in tantum, quod non in longa tempora erit, qui consoletur eam.

VERBA DEI PATRIS coram cæli exercitu, & responsio filij, & matris ad patrem, ad gratiam pro filia, idest pro Ecclesia impetrandam.

CAP. XXIIII.

PATER loquebatur audiente toto exercitu cæli dicens. Coram vobis conqueror, quod filiam meam tradidi vni viro, qui nimis affligit eam, & pedes eius cippo ligneo stringit ita quod omnis medulla exit de pedibus eius. Cui respondit filius. Ipsa est pater, quam ego sanguine meo redemi, & sponsaui mihi; sed nunc violenter rapta est. Deinde loquebatur mater dicens. Tu es Deus meus, & Dominus meus, & membra filij tui benedicti fuerunt in corpore meo, qui verus filius tuus, & verus filius meus est. Ego enim tibi nihil negaui in terra, miserere filiæ tuæ propter preces meas. Post hæc loquebantur Angeli dicentes. Tu es Dominus Deus noster, & in te omne bonum habemus, nec aliquo indigemus nisi te. Quando sponsa tua de te processit, omnes nos congratulabamur. Nunc autem merito contristari possumus, quia tradita est in manus pessimi, qui eam omni vilitate, & opprobrio contundit. Miserere igitur ei propter tuam magnam misericordiam, quia miseria eius magna est nimis, & non est, qui consoletur, & liberet eam, nisi tu Domine Deus omnipotens. Tunc respondit Pater ad filium dicens. Fili querimonia tua, querimonia mea est, verbum tuum verbum meum, opera tua opera mea sunt. Tu in me, & ego in te inseparabiliter, fiat voluntas tua. Deinde ad matrem filij ait. Quia tu mihi nihil negasti in terra, ideo ego tibi nihil negabo in cælo voluntas tua complebitur. Ad Angelos autem dixit. Vos estis amici mei, & flamma charitatis vestræ ardet in corde meo. Faciam misericordiam filiæ meæ propter praces vestras.

VERBA CREATORIS AD Sponsam, qualiter eius iustitia malos tripliciter sustinet, & eius misericordia malis tripliciter parcit.

CAP. XXV.

1 EGO sum Creator cæli, & terræ. 1 Mirabaris tu sponsa mea quare sic patiens sum in malos. Hoc est quia misericors sum. Nam tripliciter patitur eos iustitia mea, & tripliciter parcit eis misericordia mea. Primo eos iustitia mea patitur, vt tempus eorum compleatur ex toto. Sicut enim Rex iustus habens incarceratos aliquos, si ab eo quæritur, cur non occiduntur? Respondet quia nondum venit placitum generale, vbi ad maiorem cautelam audientium audiri possunt. Sic ego supporto malos donec venerit tempus eorum, vt innotescat etiam alijs malitia eorum. Nunquid non longe ante prædixi de reprobatione Saulis, antequam innotuit hominibus. Quem vt alijs malitia eius ostenderetur diu supportaui. Secundo, quia mali aliqua bona opera fecerunt, pro quibus vsque ad vltimum punctum remunerari debent, vt non sit aliquid minimum bonum, quod pro me fecerunt, pro quo non remunerentur, vt hic recipiant mercedem suam. Tertio vt honor Dei, & eius patientia manifestetur. Ideo supportaui Pilatum, Herodem, & Iudam, cum tamen damnati essent. Ideo si quis quærit quare illum, & illum supporto, consideret Iudam, & Pilatum. Tripliciter etiam parcit malis hominibus misericordia mea. Primo propter nimiam charitatẽ, longa enim est pœna æterna. Ideo propter maximam charitatem, supporto eos vsque ad vltimũ punctum, vt pœna ex longa temporis protractatione, tardius eis inchoetur. Secundo, vt consumatur natura eorum in vitijs. Per peccatum enim natura consumitur, ne mortem temporalem amariorem sentirent, si natura eorum esset recentior. Recens enim natura mortem prolixiorem, & amariorem facit. Tertio ad profectum bonorum, & conuersionem aliquorum malorum. Cum enim boni homines, & iusti per malos tribulantur, vel proficit ipsis bonis, & iustis ad refrenationem peccati, vel ad maius meritũ acquirendum. Similiter & mali, viuunt malis ad bonum quandoque. Nam mali cum aliquorum malorum casum, & nequitiam considerant cogitant secum dicentes. Quid prodest nobis sequi eos? Et cum sic patiens est Dominus, melius est conuerti. Et sic quandoque redeunt ad me auersi, quia horrent talia facere sicut illi mali faciunt dicente eis conscientia eorum talia non facienda. Vnde dicitur, quod aliquis percussus a scorpione si perungitur oleo, in quo mortuus est alius scorpio sanatur. Sic quandoque malus videns alterius casum compungitur, & considerata alterius vanitate, & iniquitate, sanatur.

NOTAE.

1 MIrabaris tu sponsa mea quare sic patiens sum in malos.

Quapropter Deus malos in mundo diu viuere permittat præter tres causas, quæ in præsenti Capito afferuntur reddidimus plures lib. 2. Reuelat. cap. 1. nota 2. & lib. 5. Interrogat, 6. q. 2. quibus in locis eadem dubitatio proponitur.

2 VERBA LAVDIS ANGELICI exercitus ad Deum, & de filiorum generatione, si primi parentes non peccassent. Et qualiter Deus ostendit mirabilia per Moysen ad populum, et postea ipse ad nos in eius aduentu, etc. Et de corruptione huius temporis corporalis matrimonij. Et de conditionibus coniugij spiritualis.

CAP. XXVI.

ANGELICVS exercitus visus est astare Deo, & ait totus exercitus. Laus tibi Domine Deus, & honor, qui es, & qui eras sine fine. Nos serui tui sumus, triplici de causa laudamus, & honoramus te. Primo, quia creasti nos, vt tecum gauderemus, & dedisti nobis lucem inenarrabilem, qua in perpetuum lætaremur. Secundo, quia in bonitate tua, & stabilitate tua omnia creata sunt, & persistunt, & omnia ad tuam voluntatẽ stant, & in tuo verbo permanent. 1 Tertio, quia creasti hominem, pro quo sumpsisti humanitatem, ex quo est maximum nostrum gaudium, & de matre tua castissima, quę te portare meruit, quem cæli non potuerunt capere, & concludere. Ideo sit gloria, & benedictio tua super omnia pro Angelica dignitate, quam tanto honore sublimasti. Sit

tua perpetua æternitas, & ſtabilitas ſuper
omnia, quæ ſtabilia ſunt, & eſſe poſſunt. Sic
tua charitas ſuper hominem quem creaſti.
Tu Domine ſolus timendus es pro magna
potentia tua. Tu ſolus deſiderandus es pro
omni charitate tua. Tu ſolus amandus es
pro ſtabilitate tua. Ideo ſit tibi laus ſine
fine inceſſanter in ſæcula ſæculorum Amen.
Tunc Dominus reſpondit, vos digne hono-
ratis me pro omni creatura. Sed dicite
quare laudatis me pro homine, cum ipſe
plus omnibus creaturis me ad iram prouo-
cauerit. Nam ego creaui eum excellentio-
rem omnibus inferioribus creaturis, & pro
nullo tam indigna paſſus ſum, & nullum tam
care redemi ſicut hominē. Aut quæ creatu-
ra non tenet ordinem ſuū excepto homine?
Sed ipſe cæteris creaturis eſt mihi mole-
ſtior. Sicut enim creaui vos in laudem, &
gloriam meam, ſic etiam feci hominem mi-
hi in honorem. Dedi enim ei corpus tan-
quam templum ſpirituale, in quo poſui ani-
mam quaſi Angelum pulchrum, quia ani-
ma hominis quaſi Angelicæ virtutis eſt, &
fortitudinis. In quo templo ego Deus ſuus,
& Creator eram, tertius quo delectaretur,
2 & frueretur. 2 Deinde feci ei aliud tem-
3 plum de coſta ſua propria huic ſimile. 3 Sed
nunc ô tu ſponſa mea propter quam hæc
fiunt potes quærere, quomodo de eis filij
naſcerentur ſi non peccaſſent? Reſpondeo
tibi. Certe ex diuina charitate, & mutua
dilectione, & commixtione ſexus, qua am-
bo inuicem inflammarentur. Sanguis cha-
ritatis fœcundaretur in corpore mulieris,
abſque aliqua turpi voluptate, & ſic mulier
4 fructifera fieret. 4 Deinde infante conce-
pto abſque peccato, & voluptuoſa delecta-
tione, ego ex deitate mea immitterem ani-
mam, & ſic abſque dolore portaret puerum
5 & pareret. 5 Qui natus infans, ſtatim per-
fectus eſſet ſicut Adam. Hunc honorem
contempſit homo, quando conſenſit diabo-
6 lo, 6 & deſiderabat maiorem honorem, quā
ego dederam ſibi. Facta autem inobedien-
tia venit Angelus meus ſuper eos, & erubue
runt de nuditate ſua, & illico ſenſerunt cō-
cupiſcentiam carnis, & paſſi ſunt eſuriem,
& ſitim. Tunc etiam caruerunt me quem
cum habuerunt, non ſenſerunt eſuriem ne-
que aliam delectationem carnis, ſeu erube-
ſcentiam, ſed ego ſolus eram eis omne bo-
num, & omnis dulcedo, & perfecta delecta-
tio. Cunque diabolus gauderet de perdi-
tione eorum, & caſu, ego motus pietate ſu-
per eos non reliqui eos, ſed triplicem mi-
7 ſericordiam oſtendi eis. 7 Veſtiui enim
eos nudos, & dedi eis panem de terra. Pro
luxuria quam diabolus aucta inobedientia
ſuſcitauit eis, dedi in ſemen eorum animas
per deitatem meam. Et quicquid diabolus
ſuggeſſit eis ad malum, hoc ego totum con-
uerti eis in bonum. Deinde oſtendi eis mo-
dum viuendi, & colendi me, & permiſi eis
licite commiſceri, cum tamen ante permiſ-
ſionem meam, & indicationem timore per-
culſi formidabant coniungi. Similiter & oc-
ciſo Abel cum multo tempore lugerent, &
abſtinerent, ego compaſſione permotus cō-
ſolatus ſum eos. Et tunc ipſi cognita volun-
tate mea, iterū cœperunt coniungi, & filios
procreare. De quorum progenie ego ipſe 1
Creator eorum promiſi me naſciturum. Cun-
que creſceret malitia filiorū Adam, & ego
tunc oſtendi iuſtitiam meā peccantibus, ſed
electis meis miſericordiam, quibus placatus
1 ſeruaui eos a perditione, & exaltaui eos,
quia ſeruabant præcepta mea, & crediderūt
promiſſionibus meis. Adueniente autem tē-
pore miſerationis, per Moyſen oſtendi mira-
bilia mea. Nā ſaluaui populum meum iuxta
promiſſionem meam. Paui eos manna, &
præceſſi eos in columna nubis, & ignis, dedi
eis legem meam, & oſtendi eis ſecreta mea,
8 & futura per Prophetas meos. 8 Poſt hæc
autem ego, qui omnia creaui, elegi mihi vnā
Virginem natam de patre, & matre, ex qua
humanam carnē aſſumpſi, & ex ea naſci di-
gnatus ſum abſq; coitu, & peccato. Vt ſicut
illi primi filij in Paradiſo naſci deberent
myſterio diuinæ charitatis ex charitate mu-
tua, & dilectione generantiū abſque aliqua
turpi voluptate, ſic deitas mea humanitatē
de fœmina Virgine, ſine coitu, & læſione Vir-
ginitatis accepit. Veniens igitur in carne
verus Deus, & homo, impleui legem, & oēs
ſcripturas ſicut antea de me prophetizatū
erat, & incepi nouā legem, quia antiqua ſtri-
cta erat, & dura ad portandū, nec erat aliud
niſi figura futurorum faciendorum. Nam in
illa lege antiqua licitū erat vni plures vxo-
res habere, ne poſteritas tranſiret ſine libe-
ris, vel ne miſcerentur gentibus. In mea au-
tem noua lege præcipitur vni marito vnam
tantum habere vxorem, & prohibetur illa
9 viuente habere plures vxores. 9 Quicunque
var. ergo ex diuina charitate diuinoq. timore,
lect. propter ſuſcipiendam prolem coniungun-
tur, hi ſunt templum ſpirituale, in quo ego
tertius volo habitare. Sed homines huius
temporis ſeptemplici ratione coniungūtur.
Primo propter faciei pulchritudinē. Secun-
1 do propter diuitias. Tertio propter nimiam
ſcurrilitatem, & indecens gaudium, quod
recipiunt in coitu. Quarto quia eſt ibi a-
micorum conuentus, & immoderata gula.
Quinto quia eſt ibi ſuperbia in veſtibus, &
cibis, in ioculationibus, & alijs vanitatibus.
Sexto cauſa ſuſcitandæ prolis, non vt Deo
nutriatur, vel in bonis moribus, ſed ad diui-
tias

tias, & honores. Septimo conueniunt cauſa luxuriæ, & in luxuriæ appetitu velut iumenta. Hi veniunt cum vno conſenſu, & concordia ante fores Eccleſiæ meæ, quorum affectio, & interna cogitatio tota eſt contraria mihi, & voluntatem ſuam, quę ad placendũ mundo eſt præponunt voluntati meę. Si enim tota cogitatio eorum eſſet ad me, & voluntatem ſuam committerent in manus meas, & ſuſciperent coniugium cum timore meo, tunc ego aſſentirem in eos, & eſſem tertius cum eis. Nunc autem conſenſus meus, qui deberet eſſe caput eorum abeſt, quia luxuria eſt in corde eorum, & non amor meus. Deinde procedunt ad altare meum, vbi audiunt, quod debent eſſe cor vnum, & anima vna, ſed tunc cor meum fugit ab eis, quia ipſi de corde meo non habent calorẽ, & de carne mea non ſentiunt ſaporem. Quærunt enim calorem cito periturum, & quærunt carnem, quam vermes commeſturi ſunt. Ideo tales coniunguntur abſque vinculo Dei patris, & eius vnione, & abſque charitate filij, & abſq; conſolatione Spiritus
10 ſancti. 10 Cum vero coniuges veniunt ad lectum, tunc ſtatim diſcedit ab eis ſpiritus meus, & appropinquat ſpiritus impurus, quia non conueniunt niſi cauſa luxuriæ, nec aliquid aliud inter eos cogitatur, & tractatur, Veruntamen adhuc miſericordia mea cum eis eſt, ſi conuerterentur. Ex multa enim charitate mitto ego in ſemen eorum animam viuentem, a potentia mea creatam, & concedo aliquando, quod de malis parentibus quandoque generentur filij boni, frequentius tamen naſcuntur filij mali de malis parentibus, quia filii tales parentum iniquitatem imitantur, in quantum poſſunt, & plus imitarentur, ſi a patientia mea permitterentur. Tale enim coniugium nunquam videbit faciẽ meam, niſi penituerint. Nullum etiam peccatũ eſt tam graue, quod pœnitentia non diluatur. Propterea conuertam me ad coniugium ſpirituale, quale decet habere Deum cum corpore caſto, & anima caſta. Ibi enim alia ſeptem bona inueniuntur contraria prioribus prædictis malis. Nam ibi non deſideratur forma aliqua, ſeu pulchritudo corporis, nec delectabilium viſio, ſed ſolummodo amor, & viſio Dei. Secundo nihil poſſidere, niſi vnde viuant ſolummodo ad neceſſitatem nihil ad ſuperfluitatem. Tertio vitant verba ocioſa, & ſcurrilia. Quarto non curant videre amicos, vel parentes, ſed ego ſum amor, & deſiderium eorum. Quinto humilitatem cupiunt ſeruare interius in conſcientia, & exterius in habitu. Sexto habent voluntatem nunquam velle luxuriari. Septimo generant Deo ſuo filios, & filias per bonam conuerſationem, & bonum exemplum, & per ſpiritualium verborum prædicationem. Hi tunc aſſiſtunt foribus Eccleſiæ meæ, quando fidem inuiolabilem obſeruant, vbi aſſentiunt in me, & ego in eos. Procedunt vero ad altare meũ, & cum corpore, & ſanguine meo ſpiritualiter delectantur. In cuius delectatione cor vnum, & caro vna, & vnius voluntatis eſſe volunt, & ego verus Deus, & homo potens in cęlo, & in terra, ego tertius cum eis, qui implebo cor eorum. Illi coniuges temporales incipiunt concupiſcentiam ſui coniugii in luxuria tanquam iumenta, & deteriores ſunt iumentis. Iſti autem ſpirituales cõiuges incipiunt in diuina charitate, & diuino timore, nulli placere curantes niſi mihi. Illos implet, & excitat ſpiritus malus ad carnis delectationem, in qua non eſt niſi fœtor, ſed iſti implentur ſpiritu meo, & igne charitatis meæ accenduntur, qui nunquam deficiet eis. Ego ſum vnus Deus, trinus in perſonis, vnum in ſubſtantia, cum Patre, & Spiritu ſancto. Sicut enim impoſſibile eſt ſeparari patrem a filio, & ſpiritum ab vtroque, & ſicut impoſſibile eſt ſeparari calorẽ ab igne, ſic impoſſibile eſt tales coniuges ſpirituales a me ſeparari, quin ſim tertius cum eis. Semel enim corpus meum laceratum eſt in paſſione, & mortuum, ſed nunquam amplius lacerabitur, nec morietur. Ita ipſi nunquam morientur a me, qui mihi fide recta, & voluntate perfecta incorporantur. Nam vbicunque ſtant ſedent, vel ambulent, ego ſemper ſum tertius cum eis.

NOTAE.

1 TErtio, quia creaſti hominem, pro quo ſumpſiſti humanitatem, ex quo eſt maximum noſtrum gaudium.

Hæc verba ſunt Angelorum aſſerentium ex incarnatione Chriſti Domini eos ſumpſiſſe maximum gaudium, ex quibus quædam a nobis colligenda ſunt: primum Saluatoris noſtri Incarnationem principaliter ſpectaſſe ad hominum reparationem, non Angelorum, vel dæmonum, vt affirmarunt Orig. lib. 1. in Io. & Ho. 2. in Leuit. & Cirillus lib. 1. in Leuit. licet enim ad Epheſ. 1. viſus ſit hoc innuere Paulus illis verbis inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt, & ad Colloſenſes 1. pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis; tamen hæc nullo pacto intelligenda ſunt de iuſtificatione Angelorum, ſed de reparatione ſedium, quæ ob caſum dæmonum vacuæ remanſerunt, ex quo maximum gaudium Angelos percepiſſe legimus, vel dicendum eſt, ſicut alij quidam citatum locum ad Epheſios interpretati ſunt per cæleſtia Iudæos, qui habuerunt cognitionem veri Dei, per terreſtria gentiles intelligendos eſſe, & ad illud ad Coloſſenſes reſpon- 2

detur Paulum affirmare ibi Angelos fuisse cum hominibus pacificatos, quippe qui ad inuicem propter peccata dissidebant, quæ Christi passione sublata sunt, vnde pax inter illos sequuta est; propterea dicendum videtur, si verbum, redimere, proprie sumatur, Angelos minime fuisse redemptos; est enim redimere iterum, ac denuo emere. Angeli autem boni cum nunquam peccauerint, dici non possunt redempti: ex sententia tamen D. Dionysii 8. de diuinis nominibus, & Gregorij de Valentia Societatis Iesu Theologi, in commentarijs super S. Thomã tom. 1. disp 4. q. 13. puncto 2. in fine, redempti eo sensu esse dicuntur, quatenus ille qui potuit, & non peccauit, & ad peccandum factus est impotens, redemptus ab eo dici potest, quod esse poterat, vt egregie docuit D. Bernard. serm. 22. sup. Cant. paulo post initium, At Angelis inquit, quomodo redemptio fuerit non video; nec enim authoritas scripturarum vspiam assentire videtur, eos aliquando aut peccato extitisse captiuos, aut morti obnoxios, vt necessariam haberent redemptionẽ, exceptis duntaxat illis, qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur; si itaq; Angeli nunquã redempti sunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes; illi quidem quiã nec lapsi sunt; hi autem quia irreuocabiles sunt; quo pacto tu dicis Dominum Iesum Christum eis fuisse redemptionem, audi breuiter, qui erexit hominem lapsum dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captiuitate eruẽs sicut hunc a captiuitate defendens, & hac ratione fuit æque vtriq; redemptio, soluens illum & seruãs istum; liquet ergo sanctis Angelis Dominũ Christũ fuisse redemptionem; hæc Bernardus. Cum autem hoc loco scribitur, ex quo est maximum nostrum gaudium, intelligendum, vel de reparatione sediũ, vt diximus, vel quia per incarnationem meruit Christus sibi gloriam capitis, etiam ratione Angelorum, in quos habuit influxũ doctrinæ illuminationis, & gaudiorum accidentalium. vt ex D. Dionysio cap. 7. de cælesti hierarchia colligitur.

2 Deinde feci ei aliud templum de costa sua propria huic simile.

Mulierem hoc loco Christus dominus templum vocat, sicut enim Deus creauerat hominem tanquam templum, in quo ipse per gratiam inhabitaret, est namque anima iusti, templum Spiritus sancti, vt 1. Cor. 3. scribit Paulus, & annotarunt Hilarius in psalm. 64. & 137. Arnob. in psal. 78. Aug. epist. 17. ita quoque legimus hic aliud fecisse templum viro ex costa sua, creans nimirum mulierem, in qua ipse vir per dilectionem, ac vnionem, veluti in quodam templo inhabitaret; sed merito quispiã hic quærere posset quomodo ex vna costa Adæ integrum, ac perfectum corpus Euæ fuerit constatũ, quandoquidem ipsa in perfecta corporis statura, & ætate generata est; cui dubitationi responderi potest primo cum D. Thoma 1. p. q. 92. art. 3. id factũ esse, quod costa illa in tantum materiæ molẽ creuerit, quãta sat esset ad formandũ corpus mulieris, quæ materia, vel ex alio quodam corpore sumpta, conuersa sit in corpus mulieris, vel quod de nihilo creata sit, vt indicauit D. Thom. Hanc autem materiam dupliciter coniicere possumus concurrere potuisse ad formationem corporis Euæ, vel immediate, vt scilicet ex ipsa, & ex costa fabricaretur corpus; vel mediate, vt primo ipsa materia conuersa fuerit in costam Adæ, & in tantam molem redacta, quæ ad perficiendum muliebre corpus suffecerit. Verũ Magister sent. in 2. d. 18. & ibi Durandus, & Gabriel existimarunt costam illam Adami, non per rarefactionem, vel materiæ externæ additionem, sed per sui ipsius multiplicationem diuinitus factam in tantum excreuisse, vt ad corporis Euæ productionẽ satis fuerit; probant autem, quia si illa materia fuisset extrinsecus assumpta, corpus illius diceretur potius factum ex illa materia quam ex costa quandoquidem illa materia aucta longe vtique maior fuisset, quam ipsamet costa viri; sed hoc non obstat, quia denominatio ex illa materia desumenda est, quæ primo, & principaliter assumpta est a Deo ad formationem corporis Euæ; quæ fuit costa viri, vt Genes. 2. patet. Cætera vero materies, vt quid adultitium, & accessorium adhibita est, qua de re videndus est D. Thom. vbi sup. qui hanc Magistri opinionem egregie confutauit: an autem illa costa fuerit superflua, an vero necessaria ipsimet Adamo D. Thom. quæst citata ad 2. arg. affirmat fuisse supernacaneam si consideretur Adam, vt singularis quædam persona, vt autem erat principium speciei, & totius generis humani primus homo, ex quo formanda erat Eua, asserit necessariam extitisse illam costam, non quidem simpliciter, sed secundum diuinum decretum, quo ex ea costa formare mulieris corpus statuerat; quare autem ex costa potius quã ex alio membro fuerit Eua formata, vide D. Thom. loco citato.

3 Sed nunc ò tu sponsa mea propter quam
2 hæc fiunt potes quærere, quomodo de eis filij nascerentur si non peccassent.

Poterat B. Brigitta merito dubitare de generatione filiorum per coitum in statu innocentiæ, quod futura non fuisset cum de eadem re plures etiam doctores grauissimi dubitauerint, vt Greg. Nissen. de creatione hominis cap. 28 qui affirmauit, primos parentes nisi peccassent non habituros fuisse filios per coitum, sed per modum quendam multiplicationis perfectissimum, quo Angeli multiplicati sunt: eidem sententiæ subscripsit Damasc. lib. 4. cap. 25. & videtur fauere Chrysost. Hom. 18. in Genesim, & Procopius in Genesim cap. 4. exponens illa verba Adam cognouit vxorem suam, Euthimius in Psalm. 50. fuit aliquando in hanc opinionem D. August. lib. 11 in Genesim cap. 19. quam tamen reicit lib. 1. retract. cap. 10. 13. & 19. Cæterum quoniam supradicta opinio sacræ scripturæ, ac rationi contraria esse videtur, ideo nobis dicendum est, quod si primi parentes non peccassent fuissent homines multiplicati, per carnalem generationem; vt patet euidenter ex ipsamet Mosis narratione Genesis 1. & 2. vbi dicit in creatione hominis Deũ

ab initio masculum, & fœminam creasse, & quorsum nonnisi ad generandam prolem, cuius causa instituta est discretio sexus in marem, & fœminam, nihil autem est frustra in operibus Dei. Secundo idem probatur ex illo, erunt duo in carne vna, id enim per carnalem copulam completur: tertio hoc palam fit cum Moses dixit; mulierem fuisse factam in adiutorium viri, sed hoc non ad aliud nisi ad generationem, vt egregie animaduertit D. Thom. 1. par. q. 92. art. 2. Potissima autem ratio, per quam citati doctores contrariam sententiam secuti sunt ea est, quod in illo actu reperiri consueuit turpitudo quædam, & deformitas, & immoderatus libidinis sensus, quæ a statu innocentiæ penitus aliena esse debebant. Verum tunc temporis nec fuisset turpitudo aliqua, nec ardor immoderatus libidinis in eo actu, vt scribit D. Thomas vbi supra, & D. August. lib. 14. de ciuit. cap. 26. absit inquit, vt suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera, & sine ardore, & illecebroso stimulo, & ideirco in præsenti capite scribitur, quod tunc in illo statu, per commistionem sexus fuisset propagata proles ex mutua charitate, diuina dilectione absque aliqua turpi voluptate.

4 Deinde infante concepto absque peccato & voluptuosa delectatione ego ex deitate mea immitterem animam, sicque absque dolore portaret puerum, & pareret.

Ex hic verbis non est colligendum hominum animas iaminde ab initio mundi fuisse cum Angelis in Cælo creatas, & postea cum corpora creantur in dies in ipsamet corpora mitti, vt existimauit Origines, cuius opinionem retulimus, & reiecimus hoc eodem lib. cap. 9. nota 4. vbi probauimus Deum Opt. Max. nouas quotidie creare animas, easque nouis corporibus infundere, infundendo creare, & creando infundere, cum ergo legimus hic quod infante concepto Deus a Diuinitate sua imittit animas, intellige Deum intra corpusculum iam organizatum creare animas, in quod imittere eas dicitur a Diuinitate quatenus per suam diuinam potentiã facit, vt in cunctas corporis partes diffundatur, sicque diffusa omnes informet, id autem quod sequitur nimirum quod absque dolore in eo statu mulieres peperissent explicat D. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 26. vbi modum tradit, quo id fieri potuisset, cum fœtus inquit in vtero, iam partui fuisset maturus, tunc fore vt materna viscera sponte in tantum laxarentur, vt commodum sine matris dolore transitũ fœtui præberẽt, sic ad pariendũ non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret, vt ad concipiendum non libidinis apetitus, sed voluntarius vsus naturam coniugis vtriusque coniungeret, verum quanta sit mulierum parientium pœna, quæ ob primorum parentum peccatum illis inflicta est, vt Genesis 3. patet Indicat D. Ioan. cap. 16. ibi mulier cum parit, tristitiam habet, & late tradunt Arist. lib. 7. de Hist. Animal. cap. 9. & Plinius lib. 7. naturalis hist. cap. 9.

5 Qui natus infans statim perfectus esset sicut Adam.

Existimandum est pueros in statu innocentiæ non fuisse habituros eam statuis perfectionem qualis Adamo, in eius creatione collata fuit, is enim creatus est, & in ætate perfecta, vt indicat D. Augustinus lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 13. & colligit hoc ex eodem Augustino Magister sent. in 2. d. 17. & aliqui arbitrati sunt in ea ætate fuisse creatum Adamum, qua Christus Dominus e mortuis resurrexit, hoc est inter trigesimum, & quadragesimum annum. Et sicut in ætate perfecta, ita quoque in perfecta corporis magnitudine factus est. Verum non sic contigisset in statu innocentiæ pueris, tunc enim habuissent quidem virtutem motiuam mẽbrorum sufficientẽ non ad quoslibet actus, sed ad actus pueritiæ competẽtes, vt ad sugendum vbera, & alia huiusmodi sicut probat D. Thomas 1. par. q. 97. art. 1. neque etiã habuissent perfectum rationis vsum ad omnia, sed ad opera tantummodo puerilia idoneum, vt idem auctor probat q. 101. art. 2. cum ergo hoc loco legimus habituros fuisse infantes talem perfectionem, qualẽ habuit Adam, intellige de perfectione competente ætati puerili, quæ pro eo tempore diceretur perfecta, quia fuisset ei tunc sufficiens, sicut & illa Adæ fuit perfecta, quippe quæ erat competens, & qualitati personæ, & ætati in qua creatus fuerat, est ergo sermo de æqualitate proportionis in ordine ad ætatem, in qua quisque creatus est, quam Deus, prout quisque paulatim crescit sufficientem confert, & sic vnaquæque dicitur perfecta iuxta conuenientiam ætatis, quæ interpretatio sumitur ex illa particula (sicut) quæ est nota similitudinis, non æqualitatis, & sensus est, quod sicut Adam habuit perfectionem competentem ætati, in qua creatus est, ita pueri in statu innocentiæ habuissent perfectionem ætati puerili conuenientem, in qua nati fuissent.

6 Et desiderabat maiorem honorem quam ego dederam ei.

Hunc honorem, quem Adamum concupiuisse legimus hic, fuisse scientiæ diuinæ æqualitatem colligi potest ex illis verbis Genesis tertio. Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum, & ibi etiam: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum, & malum, verum quomodo Adam qui sapientissimus erat persuadere sibi potuerit, posse se ad æqualitatem diuinæ scientiæ peruenire declarat D. Thomas in 2. sent. d. 25. & Caetan. in comment. 2. 2. q. 163. art. 4. qui affirmant eam æqualitatem desiderasse, non apetitu absoluto, sed conditionali, ea scilicet intentione, quod eam æqualitatem voluisset si fieri posset, sunt etiam qui dicunt eum non proprie apetisse æqualitatem scientiæ Dei, sed similitudinem quandam illius scientiæ, quæ illi non erat impossibilis, & hoc deducit Lyranus ex illa particula (sicut Dij) non enim dicitur absolute eritis Dij, sed sicut Dij, idem annotauit Hieron. ab Oleastro ibidem.

7 Vestiui enim eos nudos.

Tunicis nimirum pelliceis, vt Genesis tertio scribitur

bitur, quæ vel factæ fuerunt ex corticibus arborum, vt refert Theodoretus q. 39. in Genesim aliquos sensisse, vel fuere confectæ ex animalium mortuorum pellibus, quod tamen Theodoretus id fieri minime potuisse existimauit, quia inquit oportuisset aliquam speciem animantium tunc rursus interire: bina enim tantummodo in vnaquaque specie vnũ scilicet marem, & vnam fœminam in exordio mundi a Deo fuisse creata censuit, quod an verum sit in præsentia non facit ad rem nostram discutere probabilissimum tamen esse credo, multa in exordio mũdi secundum vnamquamque speciem vtriusque sexus animalia fuisse creata, quod & rationi magis est consonum, neque sacræ Scripturæ contrarium, sed quidquid sit de hac re Vgo de Sancto Victore opinatur illas tunicas fuisse confectas ex elementis ministerio Angelorum, vel Deum docuisse primos parentes rationem conficiendi sibi vestes ex pellibus animalium, sed ego probabilius esse arbitror vere illas tunicas factas fuisse ex mortuorum animalium pellibus, vt constat ex sacro Textu, vbi legimus. Fecit quoq; Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, sequuntur hanc sententiã Eucherius in Genesim lib. 1. cap. 30. Hieronym. ab Oleastro in Genesim loco citato Pererius in Genesim lib. 6. in explicat. cap. 3. ver. 21. Lyranus in Genesim cap. 3. vbi exponens illa verba. Fecit quoque Dominus Deus, &c. fecit inquit, de pellibus animalium mortuorum indumentum in signum suæ mortalitatis, & quia indigebant tegumento contra intemperiem æris loci, ad quem erant eiciendi.

8 Post hæc autem, quia omnia creaui, elegi mihi vnam virginem natam de patre, & matre.

Ex his verbis constat falsam esse hæresim Collyridianam, quæ affirmat Mariam humanæ naturæ fuisse expertem, cuius hæresis meminit Epiphanius hæresi 78. & 79. & patet huius opinionis falsitas, quia scribitur hic Mariam carnem assumpsisse ex patre, & matre, quorum mentio fit passim in his reuelationum libris, vt lib. 1. cap. 9. lib. 6. cap. 104. sermo. Angelico cap. 10. meminerunt parentum Virginis Nicephorus. lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 3. plura habent de his Epiphan. orationibus de laudibus Virginis Tom. 7. Damasc. lib. 3. cap. 15. & orationib. de B. Virg. Gregorius Nissenus oratione prima de S. Christi Natiuit. Andræas Hierosolymit. orat. de dormit. Deiparæ, & hic error reuincitur ex eo, quoniam singulare fuit priuilegium Christi, quod ex fœmina sine opera viri conceptus sit.

9 Quicunque ergo ex diuina charitate, diuinoque timore propter suscipiendam prolem coniunguntur.

var. lect. *M. S. Farnesianus legit, Quicunque ergo ex diuina charitate diuinoque amore coniunguntur.*

10 Cum vero coniuges veniunt ad lectum, tunc statim discedit ab eis spiritus meus, & appropinquat spiritus impurus, quia non conueniunt nisi causa luxuriæ.

Si coniuges in matrimonio aliud non quærant quam carnis voluptatem, & hunc vltimum finem ponant, sine dubio ab eis Spiritus Dei recedit, quando quidem voluntatem suam, quam ad creaturam conuertunt diuinæ præponunt voluntati, & e contra si nubant, vel ad propagandam prolem, vel ad carnis tentationes sedandas, tunc cum eis manet spiritus Dei, expedit namque inquit D. Greg. 23. moral. vt qui tentationum procellas cum difficultate tollerant coniugii portum petant, melius est enim nubere, quam vri; sine culpa enim ad coniugium veniunt: si tamen nec dum meliora deuouerint.

VERBA MATRIS AD sponsam qualiter in chorea sunt tria, & quomodo per choream iste mundus designatur, & de tribulatione matris in Christi morte.

CAP. XXVII.

MATER Dei loquebatur ad sponsam dicens. Filia mea volo te scire, quod vbi est chorea ibi sũt tria, scilicet inanis lætitia, vox perfusa, & labor superuacuus. Cum autem aliquis dolens, vel tristis in domũ choreæ intraue rit, tunc amicus eius existens in illa choreæ lætitia videns amicum suum venientem tristem, & mæstum, statim dimissa lætitia, segregat se a chorea, & condolet amico dolenti. Chorea ista est mundus iste, qui semper voluitur sollicitudine, qui hominibus stultis videtur esse lætitia. In quo mundo sunt tria. Inanis lætitia, verba scurrilia, labor inutilis, quia omnia, per quæ homo laborat relinquit post se. Qui autẽ est in hac mundi chorea, consideret laborem, & dolorem meum, & condoleat mihi, quæ eram ab omni lætitia mundi segregata, & segreget se a mundo. In morte namque filii mei eram sicut mulier habens cor affixum quinque lãceis. Prima enim lancea, erat nuditas verecunda, & vituperosa, quia videbam filium meum charissimum, & potentissimum stare ad columnam nudum, & nihil operimenti habentem. Secundo erat accusatio eius. Nam accusabãt eum dicentes eum proditorem, & mendacem, & etiam insidiatorem, quem ego sciebam iustum esse, & veracem, nullumque offendisse, vel voluisse offendere. Tertia lancea mihi erat spinea corona eius quæ sic immaniter pupugit caput eius sanctissimum, vt sanguis defflueret in ore eius, & in barbam, & in aures eius. Quarta erat vox lamentabilis in cruce, qua clamauit ad patrem, dicens. O Pater quare me dereliquisti? Ac si vellet dicere. Pater non est qui misereatur mei, nisi tu. Quinta lancea, quæ cor meum

meum pertransibat, erat mors eius durissima. De quot enim venis sanguis eius exiuit pretiosus, quasi tot lanceis cor meum persoratum est. Perforatæ sunt nempe venæ manuum eius, & pedum, & dolor neruorum perforatum accessit inconsolabiliter ad cor eius, & de corde iterum ad neruos, & quia cor eius erat recentissimum, & optimum, quia compaginatum de optima natura, propterea certabant inter se vita, & mors, & sic amarius protrahebatur vita inter dolores. appropinquante autem morte cum præ intolerabili dolore rumperetur cor, tunc statim contremuerunt omnia membra eius, & caput, quod ad dorsum eius reclinabatur eleuauit se modicum. Oculi semiclausi aperiebantur quasi ad medietatem. Os eius similiter aperiebatur, & videbatur lingua eius sanguinolenta. Digiti & brachia, quæ erant quodammodo contracta extendebantur. *Tradito autem spiritu caput inclinabatur ad pectus. Manus de loco vulnerum modicum submiserunt se. Pedes sustentabant maius pondus. Tunc aruerunt manus meæ. Oculi obtenebrati sunt, & facies palluit quasi mortui hominis. Aures nihil audierunt. Os nihil potuit loqui. Pedes etiã mei nutauerunt, & corpus meum cecidit ad terram. Surgens autem de terra cum viderem filium meum leproso despectiorem, posui voluntatem meam totã ad ipsum, sciens, quod secundum voluntatem eius omnia facta fuissent, & non potuissent fieri, nisi ipso permittente, & regratiabar ei pro omnibus. Lætitiaque quædam mixta erat mæstitiæ, quia videbam eum, qui nunquam peccauit ex tanta charitate voluisse talia pati pro peccatoribus. Ergo quicunque est in mundo, consideret qualis eram in morte filij mei, & semper habeat prę oculis.

* vid præfa n.

NOTAE.

Omnia quæ ad superioris Capitis intelligentiam facere possunt explicata sunt a nobis supra hoc eodem lib. cap. 10. & lib. 4. cap. 70.

VERBA DOMINI AD Sponsam indicantia qualiter quidam ante eius tribunal venerat iudicandus, & de terribili & horribilissima sententia illata a Deo, & ab omnibus sanctis contra eum.

CAP. XXVIII.

VIDEBAT sponsa Deum quasi iratum, qui dicebat. Ego sum sine principio, & sine fine. Nulla immutatio est apud me, nec anni, & dies. Sed omne tempus huius mundi est apud me, quasi esset vna hora, vel momentum Omnis qui videt me, omne quod est in me videt quasi ad punctum, & intelligit. Sed quia tu sponsa mea corporalis es, ideo non sic potes percipere, & cognoscere sicut spiritus, ideo iudicabo propter te, quod actum est. Ego sedi quasi in iudicio, quia omne iudicium datum est mihi, & venit quidam iudicandus ante tribunal. Cui vox patris sonuit, dicens ei. Væ tibi, quia vnquam natus fuisti, non quia pœnituit Deum fecisse eum, sed sicut aliquis dolere solet pro alio compatiendo ei. Deinde respondit vox filij. Ego fudi sanguinem meum pro te, & suscepi amarissimam pœnam pro te, ab hac enim tu omnino alienatus es, nec aliquid habet tecum. Vox spiritus ait. Quæsiui omnes angulos cordis eius, si forte inuenirem aliquam mollitiem in corde eius, & charitatem, sed frigidissimus est quasi gelu, durissimus est sicut lapis, nec est aliquid mihi cũ eo. Hæ tres voces non ideo audite sunt, quasi sint tres Dij, sed propter te sponsa mea factæ sunt, quia tu non poteras hoc mysterium aliter intelligere. Deinde tres voces prædictæ, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, conuersæ sunt statim in vnam vocem tantum, quæ vox sic intonuit dicẽs: Nullatenus debetur tibi regnum cæli. Mater misericordiæ siluit, nec aperuit misericordiam suam, quia iste iudicandus indignus erat ea, & omnes sancti vna voce clamabant dicentes. Hæc est diuina iustitia, vt perpetuo exul sit a regno, & gaudio tuo æterno. Et tunc omnes illi, qui erant in purgatorio dixerunt. Nulla pœna est tam amara nobiscum, quæ sufficiat ad puniendũ peccata tua. Maiora enim tormenta teneris portare, ideo a nobis sequestraberis. Tunc autem & ipse iudicandus, clamabat voce horrenda dicens. Væ væ seminibus, quæ conue-

conuenerunt in ventre matris meæ, de quibus formatus sum ego. Secundo etiam clamabat: Maledicta, inquit, sit hora, in qua anima mea cum corpore coniuncta fuit, & maledictus sit, qui dedit corpus, & animã. Tertio clamabat: Maledicta sit illa hora, in qua viuus de ventre matris processi. Tunc venerunt tres contra eum horribiles voces de inferno dicentes: Veni ad nos maledicta anima quasi es fluens ad perpetuam mortem, & vitam interminabilem. Secundo clamabant: Veni maledicta anima vacua ad nostram malitiam. Nullus enim erit ex nobis, qui te malitia sua, & pœna non impleat. Tertio clamabant: Veni maledicta anima ponderosa quasi lapis, qui semper mergitur, & nunquam attingit fundum, in quo quiescat. Sic tu in profundum profundius nobis descendes, vt non possis subsistere antequam veneris in ima abyssi. Et tunc ait Dominus: Ego sicut homo habens plures vxores, & videns casum vnius auertit se ab illa, & conuertit se ad alias, quæ stant, & gratulatur cum eis. Sic ego auerti faciem meam ab illo, & misericordiam, & verto me ad famulos, & seruos meos, & gaudeo cum illis. Propterea cum tu audisti casum illius, & miseriam; ideo serui mihi eo sincerius, quo maiorem misericordiam tecum feci. Fuge mundum, & concupiscentiam eius. Nunquid ego passionem tam amaram assumpsi propter gloriam mundi, vel quia celerius, & leuius non potui consumare eam. Poteram vtique, sed sic exigebat iustitia, vt sicut homo in membris omnibus deliquerat, sic in omnibus satisfaciendum erat. Propter quod deitas homini compatiens, tanta charitate exarsit ad vnam Virginem, vt de illa humanitatem susciperet. In qua humanitate substineret Deus omnem pœnã, quam homo teneretur habere. Ideo si ex charitate pœnam tuam suscepi in me, sta sicut famuli mei stant in vera humilitate, vt nihil erubescas, nihil timeas nisi me. Custodi os tuum, vt si esset voluntas mea, tu nunquam velles loqui. Non contristeris de temporalibus, quia caduca sunt, & ego ditare quos voluero, & de pauperare possum. Ideo sponsa mea pone spem tuam totaliter in me.

Declaratio.

Hic homo fuit nobilis, & canonicus, & subdiaconus, qui obtenta falsa dispensatione, desponsauit Virginem diuitem. Sed præuentus morte subita non obtinuit, quod concupiuit.

VERBA VIRGINIS AD Filiam de duobus dominabus quarum vna nominabatur Superbia, & altera Humilitas, per quam Virgo dulcissima designatur, & de occursu Virginis ad suos dilectos suę mortis tempore.

CAP. XXIX.

1 MATER Dei loquebatur ad sponsam filii dicens. O. Duæ sunt Dominæ. Vna est, quæ non habet nomen speciale, quia non digna est nomine. Alia est humilitas, quæ vocatur Maria. Super primam est dominus ipse diabolus, quia sibi dominatur. Huic dominæ dicebat miles suus. O domina quicquid facere possum pro te paratus sum facere, vt fruar semel concubitu tuo. Nam ego sum fortis viribus, magnanimus corde, nihil timeo, & paratus sum ire in mortem pro te. Cui illa respondit. Serue meus magna est charitas tua ad me. Sed ego sedeo in sublimi sede, nec habeo nisi sedem vnam, & inter nos sunt tres portæ. Prima porta est sic arcta, vt quicquid homo habuerit in corpore, si ingreditur per eam, omnia dirumpuntur, & abstrahuntur. Secunda est sic acuta, quod pungit vsque ad neruos. Tertia porta est sic ardens, quod nulla est requies ardoris, sed qui ingreditur per eam, statim liquescet sicut æs. Ego autem sedeo sublimiter, & qui sedere vult mecum, cum non habeam nisi vnam sedem, cadet ad tenebras maximas subtus me. Cui ille respondit. Ego dabo vitam meam pro te, quia pro minimo est mihi ca-

2 sus 2. Domina ista est superbia, ad quam qui peruenire voluerit, ingredietur quasi per tres portas. Per primam portam ingreditur, qui totum dat ad laudem hominum, & pro superbia. Et si nihil habet, tamen habet totam voluntatem suam, quomodo superbire & laudari possit. Secundam portam ingreditur ille, qui quicquid laborat, & quicquid facit, & totum tempus, & cogitationes, & omnes vires suas dat ad hoc, vt superbiam perficiat. Et si etiam posset carnem suam ad lacerandum tradere causa honoris, & diuitiarum libenter faceret. Tertiam portam ingreditur qui nunquam requiescit, & nunquam silet, & totus quasi ignis ardet, quomodo perueniat ad aliquem honorem, vel mundi superbiam. Sed cum obtinuerit quod cupit, non potest diu in eodem statu permanere,

manere? ſed cadit miſerabiliter, nihilominus tamen ſuperbia regnanet in mundo. Ego autem ait Maria, quæ humillima ſum, ſedeo in ſede ſpacioſa, & ſupra me non eſt Sol nec Luna, nec ſtellæ, nec etiam nubes, ſed mira, & ineſtimabilis claritatis ſerenitas, procedens a pulchritudine præclara maieſtatis diuinæ; Infra me etiam non eſt terra vel lapides, ſed requies incomparabilis in virtute Dei. Iuxta me non eſt murus, ſeu paries, ſed Angelorum, & ſanctarum ani-
3 marum glorioſis exercitus. 3 Et quamuis ſic ſublimiter ſedeo, tamen audio amicos meos in terra exiſtentes, mihi quotidie gemitus fundentes, & lacrymas. Video labores eorum, & efficaciam eorum maiorem, quam illorum, qui pugnant pro ſua domina ſuperbia. Ideo viſitabo eos, & collocabo eos mecum in ſede mea, quæ ſpacioſa eſt, & omnes bene poteſt capere. Sed nondum ad me venire, nec ſedere adhuc mecum poterunt, quia duo muri adhuc ſunt inter nos, per quos fiducialiter deducam eos, vt ad ſedem meam veniant. Primus murus eſt mundus, qui eſt arctus, propterea ſerui mei in mundo conſolabuntur per me. Secundus murus eſt mors, ideo ego chariſſima domina eorum, & mater, obuiabo eis, & occurram eis in morte, vt etiam in ipſa morte conſolationem, & refrigerium habeant, & collocabo eos mecum in ſede cæleſtis gaudij, vt in brachio dilectionis perpetuæ, & æternæ gloriæ, cum exultatione immenſa æternaliter requieſcant.

NOTAE.

1 DVæ ſunt Dominæ, vna eſt, quæ non habet nomen ſpeciale.

Superbiæ vitium, de quo in præſenti capite agitur, non habet nomen ſpeciale, quoniam ſi conſideretur, vt importat actualem quemdam Dei contemptum, quatenus eius mandatis peccator non vult ſubdi, nec obtemperare, tunc ſicut non eſt ſpeciale vitium, ita quoque non habet ſpeciale nomen, vt ſcribitur hic; ſi vero ſuperbia conſideretur, vt connotat inordinatum excellentiæ propriæ appetitum eſt ſpeciale vitium propter propriam ſpeciem, quam habet ratione proprij obiecti, in quo ſenſu ſuperbia ſpeciale peccatum eſt, quia habet ſpecile obiectum, vt annotauit D. Thomas p. 2. q. 84. art. 2. & 2. 2. q. 162. art. 2.

2 Domina iſta eſt ſuperbia, ad quam qui peruenire voluerit, ingredietur quaſi per tres portas.

Hoc loco tres tantummodo ſuperbiæ gradus aſſignantur ſub ſimilitudine trium portarum, ſed de ſpeciebus eiuſdem agit D. Gregorius Magnus 23. moral. cap. 7. qui quatuor ſpecies illius eſſe docet: prima eſt æſtimare bona a ſe ipſo habere: ſecunda credere ea ſibi data eſſe deſuper, ſed ob ſua merita: tertia iactare ſe habere quæ non habet; quarta, contemnere alios inordinate, aut velle, vt ſibi ſubmittantur, licet non præcedant. cæterum D. Bernardus in tractatu de duodecim gradibus humilitatis circa medium, ſuperbiæ gradus duodecim ponit, qui ſunt curioſitas, mentis leuitas, inepta lætitia, iactantia, ſingularitas, arrogantia præſumptio, defenſio peccatorum, ſimulata confeſſio, rebellio, libertas peccandi, conſuetudo, qua de re videndus eſt D. Anſelmus lib. de ſimilitudinibus cap. 24. D. Tho. 2. 2. q. 162. art. 4.

3 Et quamuis ſic ſublimiter ſedeo, tamen audio amicos meos in terra exiſtentes.

Beatiſſima Virgo ſicut, & quilibet alius Beatus petitiones fidelium, qui diriguntur ad ipſos in verbo cognoſcunt: hoc enim licet ad eorum beatificum ſtatum intrinſece minime ſpectet, tamen vt egregie annotauit D. Gregorius 12. moral. cap. 13. non longe a principio ad eorum excellentiam quandam pertinet piorum orationes, quæ fiunt ad ipſos cognoſcere per ſpeciales Dei reuelationes, quod etiam tradidit D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 4. ad ſecundum, & ibidem Cardinalis Caietanus: cum autem legimus hic Beatiſſimam Virginem audire amicos ſuos, non eſt intelligendum hoc de voce aliqua corporali, prout & nos cuiuſpiam in debita diſtantia poſiti voces corporeis auribus audimus, ſed cum Maria eorum petitiones Deo manifeſtante cognoſcat, audire, dicitur quatenus exaudit impetrando a Deo quidquid amici eius petunt, aut etiam audit, quia eas videt in verbo, ſicut enim in ſacris litteris aliquando videre pro audire ſumitur, vt animaduertit gloſſ. Exodi 20. explicans ea verba: Populus autem videbat voces, id eſt audiebat; ita hic affirmare poſſumus vice verſa Beatiſſ. Virg. ſuos Amicos audire, quia eorum petitiones in verbo videt.

VERBA DOMINI MAXIMAE charitatis ad ſponſam, de multiplicatione falſorum Christianorum ad Christi crucifixionem, & quomodo ſi poſſibile eſſet, adhuc paratus iterum ad mortem pro peccatoribus ſuſcipiendam.

CAP. XXX.

EGO ſum Deus, qui omnia creaui ad vtilitatem hominis, vt illa omnia ſeruirent homini, & ædificarent eum. Sed homo omnibus, quæ creaui ei ad vtilitatē ſuam, abutitur in ſuum damnum. Inſuper & de Deo minus curat, & eum minus diligit quam creaturam. Iu-

dæi

dæi fecerunt mihi tria genera pœnarum in passione mea. Primo lignum, quo affixus sum, flagellatus, & coronatus. Secundo ferrum, quo affixerunt manus meas, & pedes. Tertio potum fellis, quo potauerunt me. Deinde blasphemabant me fatuum esse, propter mortē, quam libenter sustinebam, & vocabant me mendacem propter doctrinam meam. Tales nunc in mundo multiplicati sunt, & pauci faciunt mihi consolationem.
1 1 Nam affigunt me ligno per voluntatem peccandi, flagellant me per impatientiam quia vnum verbum pro me nullus ferre potest. Et coronant me spina superbiæ suæ, qua altiores me esse volunt. Pungunt manus meas, & pedes ferro indurationis, quia gloriantur de peccato, & indurant se ne timeant me. Pro felle offerunt mihi tribulationem. Pro passione ad quam lætus iui, dicunt me mendacem, & fatuum. Ego enim potens sum submergere eos, & totum mundum propter peccata si vellem.
2 2 Et tunc si submergerem eos, illi qui remanerent seruirent mihi ex timore, sed hoc non esset iustitia, quia ex charitate deberet mihi homo seruire.
3 3 Si autem personaliter venirem inter eos visibilis, oculi eorum non sustinerent videre me, nec aures audire me. Quomodo enim homo mortalis posset videre immortalem? Adhuc quippe ex charitate libenter iterum morerer pro homine si esset possibile. Tunc apparuit beata Virgo Maria, cui dixit filius. Quid vis mater mea electa mea? Et illa ait. Miserere creaturæ tuę fili mi propter charitatem tuam. Et ille respondit. Adhuc semel misericordiam faciam propter te. Deinde loquebatur Dominus ad sponsam dicens. Ego sum Deus, & Dominus Angelorum. Ego sum Dominus super mortem, & vitam. Ego idem habitare volo in corde tuo. Ecce quantam charitatem habeo ad te. Cæli, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, non possunt capere me, & tamen in corde tuo, quod non est nisi modicum frustum carnis, habitare volo. Quem ergo tunc poteris timere, quibusue indigere, cum tu habeas intra te potentissimum Deum, in quo est omne bonum? Ergo in corde quod est habitaculum meum debent esse tria, lectus, in quo requiescamus, sedes in qua sedeamus, lumen quo illuminemur. In corde igitur tuo sit lectus quiescendi, seu quietudinis, vt quiescas a prauis cogitationibus, & desiderijs mundi, & semper considera gaudium æternum. Sedes debet esse voluntas manendi mecum, etiam si quandoque contingat excedere. Contra naturā enim est semper stare. Ille nanque semper stat, qui semper habet voluntatem essendi cum mundo, & nunquam sedere mecum.
4 4 Lux seu lumen debet esse fides, qua credas me omnia posse, & omnipotentem esse super omnia.

NOTAE.

1 NAm affigunt me ligno per voluntatem peccandi.

Christiani homines, qui in Baptismo renunciauerunt, ac innocentiam baptismalem seruare, mundi pompas deserere, Dei præceptis obtemperare polliciti sunt, si hæc postea contemnunt, & sic re promissit nolunt, quantum in illis est iterum ligno crucis Saluatorem nostrum affigere dicuntur, quoniam suis peccatis ei ansam præbent, si fieri posset, rursum crucifigi, vt Paulus Apostolus ad Hebræos 6. indicauit illis verbis, Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, quod egregie declarauit D. Ambrosius super epistolam Pauli ad Titum capo. 1. quod inquit, fecerunt Iudæi persequentes, hoc faciunt hodie mali Christiani male viuentes, Christum enim lapidant, & occidunt, idem annotarunt Beda in cap. 16. Ioannis, & Dionysius Carthusianus in locum citatum ad Hebræos 6. Ludulph. in sua vita Christi 2. par. cap. 81. & nos latius explicauimus lib. 4. Reuelat. cap. 95. nota 2. & lib. 6. cap. 28. nota.

2 Et tunc si submergerem eos, illi qui remanerent seruirent mihi ex timore.

De timore fuse egimus lib. 4. Reuelat. cap. 81. nota 1. & timorem diuisimus in naturalem, mundanum, seruilem, initialem, & filialem, hoc autem loco sermo fit de seruili, aut illo de mundano, plura de his vide loco citato.

3 Si autem personaliter venirem inter eos visibilis, oculi eorum non sustinerent videre me.

Horum verborum sensus est, si in tota latitudine maiestatis meæ venirem ad eos, sicque me illis videndum exhiberem, certe non possent homines videre me, non enim corporalibus oculis quispiam in præsenti vita diuinam essentiam potest intueri, vt ipsemet Deus aliquando testatus est Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, & Paulus ad Thimot. sexto, Lucem habitat inaccessibilem, quod etiam affirmarunt Gloss. ord. in locum citatum Exodi, Euaristus Pont. in sua prima decretali exponens verba illa Pauli, Lucem habitat inaccessibilem. D. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. circa finem, & super cap. 6. Isaiæ D. Chrisost. Hom. 14. in Ioann. D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. & ibidem Cardinalis Caietanus, & hanc esse communem Theologorum opinionem affirmat Ferrariensis 3. contra gentes cap. 47. an autem de potentia absoluta fieri possit, vt quispiam in hac vita Deum corporalibus oculis videat, & an Moses, & Paulus, cum ad tertium cœlum raptus est viderint egimus lib. 5. Reuelat. interrog. 8. quæst. 2.

4 Lux seu lumen debet esse fides.

Fidem Christus Dominus lumen appellat, sicut

enim

enim nocte lumen incedentibus vias ostendit, ne aut in foueas cadant, aut in hostes incurrant, sic in huius sæculi nocte splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus præeunte veritatis lumine monstrat, ne vel in peccatorum foueas, vel in Dæmonum iacula incidamus; & ideo lucem quam prima die factam a Deo esse legimus Genesis 1. metaphorica fidem vocat D. August. lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 25. & frequenter etiam in sacris litteris per lucernam fides ipsa designatur, vt Lucæ vndecimo annotauit Ambros. vbi lucernam sub modio positam dicit esse fidem intra legem conditam idem habet super Psalm. 118 & ser. 14. D. Gregor. 39. Moral. cap. quinto, Arnobius in Psalm. 104. Eusebius Emißenus hom. 2. de Symbolo.

QVALITER SPONSA videbat dulcissimam Virginem Mariam, corona, & alijs ornamentis inestimabiliter decoratam, & quomodo sponsæ sanctus Ioannes Baptista, quid per coronam, &c. designatur declarat.

CAP. XXXI.

VIDEBAT sponsa Reginam cæli Matrem Dei. Habentem pretiosam coronam inestimabilem in capite suo, & capillos extensos super spatulas admirabilis pulchritudinis. Tunicam auream splendore indicibili coruscantem. Et mantellum blaueum de lazuro, seu sereni cæli coloris. Cumque de tam speciosa visione vehementer admiraretur sponsa, & in tali admiratione tota staret quodam interno stupore suspensa: Illico apparuit ei beatus Ioannes Baptista, qui ait illi. Audi diligenter quid hoc notat. Corona igitur notat, quod Regina, & Domina est, & Mater Regis Angelorum. Capilli protensi, quod Virgo est purissima, & immaculata. Mantellum cæli coloris, quod omnia temporalia erant ei quasi mortua. Tunica aurea notat, quod diuina charitate ardens, & feruida fuit, interius, & exterius. In corona autem eius posuit filius eius septem lilia, & inter hęc lilia posuit septem lapides. Primum igitur lilium est humilitas eius. Secundum timor. Tertium obedientia. Quartum patientia. Quintum stabilitas. Sextum mititas, quia mitis est dare omnibus petentibus. Septimum est misericordia in necessitatibus. In quacunque enim necessitate fuerit homo, si hanc toto corde inuocauerit saluabitur. Inter hæc fulgentia lilia posuit filius eius septem lapides pretiosissimos. Primus lapis est virtuositas singularis, quia non est aliqua virtus in aliquo spiritu siue in corpore aliquo, quam ipsa hanc eandem virtutem non habeat excellentius. Secundus lapis est perfectissima munditia, quia ista Regina cæli sic pura fuit, quod vna macula peccati inueniri nunquã potuit in ea, a principio ingressus eius in mundum vsque ad vltimam diem mortis ipsius. Nec omnes diaboli tantam impuritatem reperire poterant in ea, vbi cuspis acus poni posset: ipsa vere erat purissima. Nam non decuit Regem gloriæ iacere nisi in vase purissimo, & mundissimo, & electissimo, præ omnibus Angelis, & hominibus. Tertius lapis fuit pulchritudo eius, quia Deus de pulchritudine eiusdem Matris suæ iugiter laudatur a Sanctis suis, & gaudium Sanctorum Angelorum, & omnium Sanctarum animarum, impletur ex pulchritudine eius. Quartus lapis pretiosus coronæ, est sapientia eiusdem Virginis Matris, quia ipsa alias decorata impleta est omni diuina sapientia cum Deo, & ex ea omnis impletur, & perficitur sapientia. Quintus lapis est fortitudo, quia ipsa sic fortis est cum Deo, quod omnia quæcunque creata, & facta sunt, potest deprimere. Sextus etiam lapis est claritas eius, quæ sic clara est, quod Angeli, qui habent oculos clariores luce, illuminantur ex ea, & dæmones non audent respicere in claritatem eius. Septimus lapis est plenitudo omnis delectationis, & etiam spiritualis dulcedinis, quæ in ea sic plena est, quod non est aliquid gaudium, quod non augetur ex ea, nulla delectatio, quæ non plenior fit, & perficiatur ex ea, & ex eius visione beata, quia ipsa impleta est gratia, & vltra omnes Sanctos. Ipsa enim est puritatis vas in quo iacuit panis Angelorum, & in quo est omnis dulcedo, & pulchritudo. Hos septem lapides posuit filius eius inter hæc septem lilia, quæ erant in corona eius. Ipsam ergo ò sponsa filij eius honora, & lauda toto corde tuo, quia vere ipsa est omni laude, & honore digna.

***

QVALITER SPONSA à monitione Dei præuenta elegit sibi paupertatem, & renuit diuitias, & carnalitatem, et de veritate in sibi reuelatis, et de tribus notabilibus à Christo sibi ostensis.

CAP. XXXII.

TV debes esse sicut homo, qui relinquit, & sicut qui congre-
1 var. lect. gat. 1 Debes animi relinquere diuitias, & congregare virtutes. Relinquere casura, & congregare æterna. Relinquere visibilia, & congregare inuisibilia. Dabo enim tibi pro delectatione carnis animæ exultationem. Pro iucunditate mundi, iucunditatem cæli. Pro honore mundi honorem Angelorum. Pro visione parentum, visionem Dei. Pro possessione bonorum, meipsum datorem, & Creatorem omnium. Dic mihi tria, quæ quæro à te. Primo si vis esse diues in hoc sæculo, vel pauper? Et illa respondit. Domine volo magis esse pauper, quia diuitiæ nihil boni faciunt mihi, nisi quandam sollicitudinem, & retrahunt me à seruitio tuo. Dic mihi secundo. Nunquid inuenisti in verbis meis, quæ audisti de ore meo, aliquid reprehensibile secundum cor tuum, vel falsum? Et illa, non certe, quia omnia sunt secundum rationem. Tertio dic mihi verum tibi placet delectatio carnis, quam prius habuisti, an delectatio spiritus, quam nunc habes. Et illa respondit. Pudor est in corde meo, cogitare de illa carnis delectatione priori, & est nunc mihi quasi venenum, & eo amarior nunc, quo prius dilexi eam feruentius. Mallem enim mori, quam vnquam in illam redire, & nulla est comparatio istius delectationis spiritualis ad illam. Ergo inquit, Christus probas in temetipsa omnia esse vera, quæ tibi dixeram. Quid ergo times, vel cur sollicitaris, quia protraho ea, quæ facienda tibi dixi? Considera Prophetas, considera Apostolos, & Sanctos doctores, nunquid inuenerunt aliquid in me nisi veritatem? Ideo non curauerunt de mundo, nec eius concupiscentiam. Aut cur Prophetæ tam longe vaticinati sunt de futuris, nisi quia voluit Deus, quod verba primo innotescerent, deinde venirent opera, & vt ad fidem erudirentur imperiti? Omnia nempe mysteria Incarnationis meæ antea innotuerunt Prophetis, etiam stella, quæ præcede-
2 bat magos, 2 qui credentes verbis Prophetæ, meruerunt videre, quod crediderunt, & visa stella citius certificati sunt. Sic nunc verba mea prius debent annunciari, & postea cum venerint opera, euidentius credetur eis. Tria ostendi tibi. Primo vnius conscientiam, cuius peccatum cum manifestarem, signis euidentissimis probaui. Sed quare? nunquid non possem eum interficere personaliter? Aut non possum eum demergere in puncto si vellem? vtique possem. Sed propter eruditionem aliorum, & euidentiam verborum meorum, vt ostendam quam iustus sum, & patiens, quam infelix ille est, cui dominabitur diabolus, ideo suffero eum adhuc. Nam ex voluntate quam habet esse in peccato, & ex delectatione illius, sic aucta est in eum potestas diaboli, quod nec lenitas verborum, nec austeritas minarum, nec timor gehennæ potest eum reuocare. Et bene digne, quia cum semper habuerit voluntatem peccandi, etiam si non prodi-
3 ret in opus, 3 merito traderetur in æternum
4 diabolo. 4 Quia minimum peccatum qui-
var. cunque in eo delectatur, nec emendat, satis est ei ad perditionem. Duos alios ostendi tibi, quorum alterius corpus vexabat diabolus, sed non erat in anima. Alterius conscientiam fallacia sua obumbrabat, nec tamen in eius anima erat, nec potestatem habuit super illam. Sed forte potes quærere, nunquid non idem sunt conscientia, & anima? Nunquid non tunc est in anima cum est in conscientia? Nequaquam. Sed sicut corpus habet duos oculos quibus videt, & licet ab eis auferatur visus, corpus tamen nihilominus sanum esse potest. Sic in anima est. Nam licet intellectus, & conscientia, quandoque perturbantur quantum ad pœnam, non tamen semper læditur anima quantum ad culpam. Et ideo præualuit diabolus in conscientia vnius, & non in anima. Tertium ostendam tibi, in cuius anima, & corpore totaliter dominatur diabolus, qui nisi potentia mea, & gratia speciali coactus, nunquam ab eo expelletur, nec ab eo exibit. Ab aliquibus quippe hominibus exit diabolus libenter, & cito, & ab aliquibus non nisi inuitus, & coactus. Nam in aliquos intrat diabolus, vel propter delicta parentum, vel propter aliquod occultum iudicium Dei, vtputa in pueros, & insipientes. In aliquos propter infidelitatem, vel aliud aliquod peccatum, ab his libenter exit dæmon, si eijcitur ab his scientibus coniurationes, vel artem talem eijciendi dæmones si ipsi faciunt talem eiectionem propter vanam gloriam, vel propter aliquod lucrum temporale, quia diabolus habet potestatem ingrediendi in eum, qui eiecit, & in illum iterum à quo eiectus est, quia in neutro diuina

chari-

charitas fuit. Ab illis autem quorum animam, & corpus totaliter possidet, nunquã exit nisi per meam potentiam. Sicut enim acetum si vino dulcissimo misceatur, totam vini dulcedinem inficit, & nunquam ab eo separatur, sic nec diabolus ab alicuius anima exit, quam possidet, nisi per potentiam meam. Quid est autem hoc vinum nisi anima, quæ mihi dulcissima fuit super omnem creaturam, quæ mihi sic cara fuit, vt neruos meos incidi, & carnes meas lacerari vsque ad costas fecerim pro ea, & antequam carerem ea, etiam mortem recepi pro ea. Hoc vinum conseruabatur in fece; quia ipsam animam posui in corpore, in quo tanquam in vase clauso custodiebatur ad meã voluntatem. Sed huic dulci vino, mixtũ est pessimum acetum, idest diabolus, cuius malitia est mihi acrior, & abominabilior omni aceto. Hoc acetum per meam potentiam ab homine isto, cuius nomen tibi dico separabitur, vt in isto ostendam tibi misericordiam meam, & sapientiam. In priori vero iudicium, & iustitiam.

Declaratio.

Primus fuit nobilis, & cantor superbus, qui sine licentia Papæ Hierosolymam profectus, arreptus est a diabolo. De isto dæmoniaco habetur etiam tertio libro cap. 31. & in quarto libro cap. 15. Secundus dæmoniacus eiusdem capituli fuit monachus Ordinis Cistertiensis, quem diabolus tantum vexabat, quod vix à quatuor teneri potuit, cuius lingua extracta videbatur quasi bouis, cuius vincula manuum inuisibiliter confringebantur. Iste per dominam Brigittam post mensem, & duos dies saluatus est. Tertius dæmoniacus fuit exactor Osgociæ, qui cum moneretur ad pœnitentiam, dixit monenti: Nunquid habitator domus sedere poterit vbi sibi placuerit? Diabolus tenet cor, & linguam meam, quomodo possum pœnitere? Qui etiam maledicens Sanctis Dei, ipsa noctu sine sacramentis, & confessione mortuus est.

NOTAE.

1 DEbes animi relinquere diuitias, & congregare virtutes.

var. lect. *Omnino arbitror hic esse legendum, Debes corporis relinquere diuitias, sic habet M. S. Codex Farnesianus, & hæc lectio probari potest, ex ipsomet textu, hic enim Christus Dominus admonet B. Brigittam, vt corporis relictis diuitijs veras animi virtutes sibi studeat comparare, sunt enim animi diuitiæ Paupertas, Humilitas, Castitas, Obedientia, ac bonorum operum copia, vt tradunt Origenes in Leuit. Hom. 3. & in Psalm. 36 Hom. 3. Arnobius in Psal. 36. Basilius in Psal. 48.*

2 Qui credentes verbis Prophetæ meruerunt videre, quod crediderunt, & visa stella citius certificati sunt.

Duo ad præsentis notæ verborum explicationem breuiter a nobis inuestiganda sunt. Primum quidem, quibus Prophetarum verbis crediderint Magi; vt inde postea meruerint videre, quæ crediderunt. Secundo, quomodo visa stella ipsi certiores, vt legimus hic, de Christi natiuitate fieri potuerint. & quantum spectat ad primum communis est opinio omnium fere veterum Patrum, Magos credidisse prædictioni illi Balaam, & eam fuisse traditionem secutos, de qua Numerorũ 24. scribitur, Orietur stella ex Iacob: cum ergo hanc Magi vidissent stellam extra ordinem mundi, eam esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum Prophetauerat, Magos enim, aut posteros fuisse Balaam, aut ex eius posteris, qui vicini fuerint, & eam prophetiam accepisse tradunt Origen. Hom. 13. 15. & 18. in Numeros. Chrysost. Hom. 1. in varios Euangelistas. D. Ambros. lib. 2. in Lucam cap. 2. Basilius Hom. de humana Christi Generat. D. Hieron. in Matth. cap. 2. & Isaiæ 47. Epiphanius in Epithome, Cyprianus serm. de Stella, & Magis. Petrus Chrysolog. serm. 156 Non curiositate, inquit, Chaldæa, non arte Magica, sed Iudaica prophetia, Isidorus lib. de passione Domini cap. 13. Greg. Nissenus Orat. de sancta Christi Natiuit. Cæterum sunt, qui putent hoc fuisse Magis reuelatum ab Angelis, stellam nimirum indicare voluisse Saluatoris Natiuitatem, sic August. serm. 7. de Epiphania, qui est trigesimus quintus in ordine, sed author operis imperfecti in Matth. & est Hom. 2. in Matth. inter opera D. Chrysost. super illud Vidimus stellã eius, narrat traditionem quandam, vt ipse ait in regione Orientis, quo die natus est Christus, apparuisse stellam, in qua forma recentis nati pueri videbatur, & super illum signum crucis, ex qua stella vox exiuit dicens Magis, ite in Iudæam; verum hoc parum habet probabilitatis, Ideò Eugubinus lib. 1. de perenni filosophia cap. 3. & 22. affirmat Magos hoc accepisse a Sibilla Chaldæa, quæ fuit filia Berosi, quæ multa prophetauit de Christo, & ortu eius. Puto tamen probabilius Magos, vt diximus, hoc nouisse ex traditione Balaam, fuit enim hæc communis opinio Patrum, vt probauimus supra.

Superest modo videamus, quomodo Magi facti fuerint certiores de Christi Natiuitate ex visione huius stellæ: fuit quorundam sententia potuisse a Magis per Astrologiæ scientiam, & stellarum cursum agnosci Christi natiuitatem, ita docuit Petrus Aliacensis q. 30. in Genesim, & fusius hoc pertractat Sixtus Senensis lib. 6. suæ Bibliothecæ annot. 10. verum hæc sententia falsissima est, & eo

magis absurda, quo siderum conditorem, ac moderatorem motibus siderum subiectum facit, sed quoniam hunc errorem confutauimus, ac reiecimus lib 4. Reuelat. cap. 40. nota 3. & lib. 6. cap. 45 nota 5. ideo dicendum est, Magos simul cum externo signo internam habuisse illustrationem, & intrinsecus diuinitus obtinuisse lumen, sic Leo Pontifex serm 1. de Epiphania, Dedit, inquit, aspicientibus intellectum, qui præstitit signum; & serm. 3. Magnitudinem significationis intelligunt agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur intuitum animis non esset obscurum, idem habet Petrus Chrisolog. serm. supra citato, Fulgentius serm. de Epiphan. D. Augustinus serm. 7. Chrysost. Hom. 6. in Matth.

3 *Paulo ante medium præsentis capitis, vbi in*
var. *impressis habetur,* Merito traderetur in æter-
lect. num diabolo.

M. S. Farnesianus legit, Merito traderetur in ignem æternum cum diabolo.

4 Quia minimum peccatum, quicunque in eo delectatur, nec emendat, satis est ei ad perditionem.

Eadem prorsus verba habentur infra hoc eodem lib. cap. 37. quæ sane non sunt accipienda, vt indicent veniale peccatum absolute consideratum, dignum esse æterna pœna, quod est omnino falsum, sed dicendum huiusmodi peccatum ad perditionem ducere, quando in illo, vel finis vltimus ponitur, vel etiam ratione contemptus, vt egregie probant. Siluest. in sum. verb. Peccatum q. 3. Cardinalis Caetanus in sum. verb. Ornatus, vel etiam si fiat ad finem, qui sit mortale peccatum, vt tradit Diuus Thomas 2. 2. q. 169. art. 2.

VERBA ADMONITIONIS

Domini ad Sponsam, de vera, & falsa sapientia, & qualiter boni Angeli bonis sapientibus, & diaboli malis sapientibus assistunt.

CAP. XXXIII.

AMICI mei aliqui sunt quasi scholares mei, qui habent tria. Primo conscientiam intelligentem supra naturam cerebri. Secundo sapientiam sine homine, quia personaliter doceo eos intus. Tertio pleni sunt dulcedine, & diuina dilectione, qua vincent diabolum. Sed e contrario nunc addiscunt homines. Primo volunt esse scientes propter iactantiam, vt dicantur boni clerici. Secundo volunt esse scientes, vt habeant, & obtineant diuitias. Tertio volunt esse scientes, vt obtineant honores, & dignitates. Propterea cum adeunt scholas suas & ingrediuntur, ego exeo ab eis, quia ipsi addiscunt propter superbiam, & ego eos docui
2 humilitatem. Ipsi ingrediuntur propter cupiditatem, & ego non habui vbi caput meum reclinarem. Ipsi ingrediuntur, vt habeant dignitates, inuidentes aliis se esse superiores, & ego iudicabar a Pilato, & ab Herode deridebar. Ideo ego exeo ab eis, quia non addiscunt doctrinam meam. Sed tamen quia mitis sum, & bonus, do vnicuique quod petit. Qui enim petit a me panem, ipse habebit; Qui autem stramen, dabitur ei. Amici autem mei ipsi petunt panem, qui sapientiam diuinam, in qua est charitas mea, quærunt, & addiscunt. Sed alij petunt stramen, idest mundialem sapientiam. Quia sicut in stramine nulla est vtilitas, sed & cibus animalium irrationabilium est, sic in mundi sapientia, quam ipsi quærunt nulla est vtilitas, nulla animæ refectio, nisi tantum nomen modicum, & labor vacuus. Quia cum homo moritur, omnis sapientia eius adnihilatur, & a quibus laudabatur non potest videri. Vnde ego sum quasi magnus dominus, multos habens seruos, qui dispensat ex parte domini, quæ omnibus necessaria sunt. Sic angeli boni, & mali stant ad imperium meum. Qui autem sapientiam meam, idest seruire mihi addiscunt, his administrant boni Angeli, reficientes eos consolatione, & delectabili labore. Sapientibus autem mundi assistunt angeli mali, qui eis quod volunt inspirant, & informant eos iuxta voluntatem eorum, & inspirant cogitationes cum labore magno. Veruntamen si ad me respicerent, ego sufficerem eis dare panem absque labore, & mundum ad satietatem, de quo nunquam satiantur, quia dulce vertunt sibi in amarum. Tu autem sponsa mea debes esse quasi caseus, & corpus tuum quasi formella, in qua caseus donec figuram formellæ habuerit formabitur. Sic anima tua, quæ est mihi dulcis, & delectabilis sicut caseus, tandiu probari, & purgari debet in corpore, donec corpus, & anima in vnum concordent, & vnam formam continentiæ ambo tenuerint, vt caro obediat spiritui, & spiritus carnem regat ad omnem virtutem.

DO-

DOCTRINA CHRISTI ad sponsam de modo viuendi, & qualiter diabolus Christo fateretur sponsam ipsum Christum super omnia diligere, & de quæstione facta per diabolum Christo, cur tantum ipsam diligeret, & de charitate per diabolum patefacta, quam Christus habet ad sponsam.

CAP. XXXIV.

EGO sum Creator cæli, & terræ, qui in vtero Virginis verus Deus, & verus homo fui, qui mortuus fui, & resurrexi, & ascendi in cælum. Tu noua sponsa mea venisti in ignotum locum. Oportet ergo te habere quatuor. Primo scire loquelam loci. Secundo habere vestes debitas. Tertio scire disponere dies, & tempora, iuxta constitutionem loci. Quarto nouis cibis assuescere. Sic tu quia de mundi instabilitate venisti ad stabilitatem, ideo oportet te etiam habere loquelam nouam, idest abstinentiam ab otiosis 1
libus verbis, & quandoque etiam a licitis propter grauitatem silentij, & taciturnitatis. Vestes tuæ debent esse humilitas interior, & exterior, vt nec extollas te quasi alijs sanctiorem interius, nec erubescas coram hominibus exterius exhibere te humilem. Tertio moderatio temporis tui est, vt sicut ad corporis necessitatem habuisti plura tempora, sic nunc vnum tempus habeas ad animam, vt scilicet, quod contra me nunquam velis peccare. Quarto nouus cibus est abstinentia a gula, & delicatioribus cum omni discretione, prout natura ferre possit. Quicquid enim abstinentiæ fit vltra possibilitatem naturæ, mihi non placet, quia rationabilia requiro, & vt voluptas edometur. Tunc in eodem momento apparuit diabolus. Cui dixit Dominus, 1 Tu fuisti creatus a me, & vidisti omnem iustitiam in me. Responde mihi, si ista noua sponsa est legitime mea, & cum approbata iustitia? Permitto enim te videre cor eius, & intelligere, vt scias quid respondeas mihi. Nunquid ipsa diligit aliquid sicut me, aut velit aliquid cambij recipere pro me? Cui dæmon respondit. Nihil diligit sicut te, & antequam te careret, omne supplicium magis pateretur, si dares ei virtutem patientiæ. Ego video quasi quoddam ardens vinculum descendere de te in eam, quod sic alligat cor eius, vt nihil aliud cogitet, vel diligat nisi te. Tunc Dominus ait ad diabolum. Dic mihi quomodo sedet in corde tuo, aut quomodo placet tibi ista tanta dilectio mea, quam habeo
2 ad eam? Et diabolus ait, 2 Ego inquit habeo duos oculos, vnum corporalem, licet non sim corporalis, quo temporalia cerno ita clare, quod nihil est sic occultum, nihil sic tenebrosum, quod occultare se possit a me. Secundus oculus est spiritualis, cum quo nulla est pœna tam modica, quam non video, & intelligo ad quod peccatum pertineat. Et nullum etiam peccatum tam leue, & modicum, quod pœnitentia non purgatum est, quod non video. Sed licet nulla membra passibiliora sint oculis, libentissime tamen paterer, vt duæ ardentes faces penetrarent oculos meos sine intermissione, ad hoc vt ipsa oculis spiritualibus non videret. Ego etiam habeo duas aures, vnam corporalem, qua nullus loquitur sic secrete, quod non audio, & scio. vid. præfat.
Secunda est spiritualis, qua nullus cogitat, vel affectat ad aliquod peccatum tam occulte, quod non audiam, nisi pœnitentia deletum sit. Vna est pœna inferni, ebulliens quasi torrens emanans, ardore vehementissimo, hanc libenter paterer influere, & sine cessatione effluere in aures meas, adhoc vt nihil audiret ipsa spiritualibus auribus. Ego etiam habeo spirituale cor, quod libenter paterer in frusta sine cessatione incidi, & semper renouari ad supplicium, ad hoc vt eius cor frigesceret in amore tuo. Nunc autem quia tu iustus es, quæro a te vnum verbum, vt respondeas mihi. Dic mihi quare tu in tantum diligis eam. Aut quare non elegisti tibi vnam sanctiorem, ditiorem, & pulchriorem? Cui respondit Dominus, quia sic exigebat iustitia. Tu quippe fuisti creatus a me, & vidisti omnem iustitiam in me. Dic mihi ista audiente, quæ fuit iustitia, vt sic male caderes? Aut qualis fuit cogitatio tua tunc, cum cecidisti? Respondit diabo-
3 lus. 3 Ego vidi in te tria. Ego vidi gloriam tuam, & honorem super omnia, & cogitabam
4 gloriam meam. 4 Ideo superbiens proposui non tantum tibi esse par, sed etiam super te. Secundo vidi te esse potentiorem omnibus, ideo cupiebam adhuc te esse potentior. 2
5 5 Tertio vidi, quæ futura erant, & quia gloria tua, & honor est sine principio, & est sine
6 fine, inuidebam tibi, 6 & cogitabam, quod
var. libenter cruciarer super omni pœna amar-
lect. rissima ad hoc, vt tu morereris, & in tali cogitatione cecidi. Et ideo infernus est factus. Respondit Dominus. Tu quæsisti a me quare istam sic dilexerim, certe quia omnem malitiam tuam commuto in bonum. Tu enim quia superbus factus es, & noluisti

me Creatorem tuum habere tibi parem. Ego ideo humilians me in omnibus, peccatores colligo, & me eis comparo; dando eis de gloria mea. Secundo, quia tu tam prauam cupiditatem habuisti, vt velles esse potentior me. Ideo ego peccatores potentes facio super te, & potentes mecum. Tertio, quia tu inuidisti mihi. Ego sic charitatiuus sum, vt me pro peccatoribus offerrem. Deinde ait Dominus. Nunc diabole illuminatum est tenebrosum cor tuum. Dic ista audiente, qualem charitatem ego habeo ad illam. Et diabolus: Si possibile esset, inquit, libentissime paterer is vnam pœnam talem in quolibet membro tuo specialiter, qualem semel in cruce in omnibus membris passus es, antequam ea careres. Tunc respondit Dominus: Si ergo sic misericors sum, vt nulli petenti veniam denegem; Pete & tu misericordiam humiliter a me, & dabo tibi. Cui respondit diabolus: Nequaquam hoc faciam. Nam quando cecidi ad quolibet peccatum, siue cogitatum

8 inutile, seu dictum, B, statuta est pœna, &
var. vnusquisque de spiritibus, qui ceciderunt
lect. pœnam suam habebit. Igitur antequam curuarem genu meum coram te, magis vellem omnes pœnas deglutire in me, quandiu os aperiri, & claudi posset ad pœnam, ita vt semper renouatus essem ad pœnam. Tunc ait dominus ad sponsam suam: Ecce quam induratus est princeps mundi, & quam potens contra me ex occulta iustitia mea. Ego quippe possem delere eum ex potentia mea in vno puncto, sed non facio ei maiorem iniuriam, quam Angelo bono in cælo. Cum autem tempus eius venerit, quod nunc appropinquat, iudicabo eum cum sequacibus suis. Ideo sponsa mea procede semper in bonis operibus. Dilige me toto corde, nihil timeas nisi me. Ego enim sum dominus super diabolum, & super omnia quæcunque sunt.

NOTAE.

1 TV fuisti creatus a me, & vidisti omnem iustitiam in me, responde mihi, si ista noua sponsa est legitime mea, & cum approbata iustitia.

Nouerat dæmon, quod Deus iustus esset, & ex iustitia præmia iustis, pœnas vero impijs reddit, & ideo scribitur hic, quod viderit in Deo Iustitiam, & quamuis inter Deum, & creaturas non possit esse proprie commutatiua iustitia, quandoquidem ad perfectam iustitiæ rationem æqualitas quædam exigitur, quæ inter Deum, & creaturas nulla esse potest; immo infinita est inter eos distantia; potest tamen inueniri aliquis modus iustitiæ, qua scilicet homo supposita ordinatione, & gratia Dei, faciens quod in se est, & propter merita Christi diligens, & diuina mandata obseruans iustificatur ab ipso, & vitam æternam meretur, & dicitur homo mereri quatenus per suam operationem diuina adiutus gratia consequitur, id quod illi Deus pollicitus est nimirum gloriam æternam. & hoc pacto dicitur Deus factus debitor. Primo sibi ipsi, Secundo diligentibus Deum. Fidelis enim est (inquit Apostolus 2. ad Thimot. 2.) seipsum negare non potest. quod explicans Petrus Chrysolog. serm. 25. ad finem: Nonne, inquit, homo homini exiguæ cartulæ obligatione constringitur Deus tot, & tantis voluminibus cauet & debitor non tenetur. sed dicis esse quod debeat, quo exigente restituet? seipso, quia non potest ille mentiri, idem ipse est & exequutor, & debitor; sed clarius hoc indicat D. Augustinus in psalm. 83. exponens illum locum 2. ad Timot. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet &c. quid, ait, reddet, quod tibi debet? vnde tibi debet quid illi dedisti; debitorem ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo; idem habent Cyprianus sermon. de opere & elemosina, D. Chrisostom. hom. 3. in Matthæum, & concil. Trident. sess. 6. cap. 16. atque in hunc sensum accipienda sunt hæc duo, quæ in præsenti nota legimus Dæmonem scilicet vidisse iustitiam Dei, & B. Brigidam esse legitime sponsam eius cum approbata iustitia.

a Ego, inquit habeo duos oculos, vnum corporalem, licet non sim corporalis, quo temporalia cerno ita clare, quod nihil est sic occultum, nihil sic tenebrosum, quod occultare se possit a me.

Quoniam Dæmon perfectam habet rerum naturalium scientiam, et a Deo ab instanti suæ creationis inditam neque per peccatum amissam, cum integra naturalia post lapsum in ipso remanserint, vt ait D. Dionysio de diuinis nominibus c. 4. ideo hoc loco scribitur, quod nihil est sic occultum, nihil sic tenebrosum quod occultare se possit ab illo. Cognitio autem, quod ex peculiari diuina reuelatione pendet, qua Dei secreta propalantur, quam D. Thom. 1. parte q. 64. art. 1. pure speculatiuam vocat, non fuit totaliter sublata ab eo, sed tantummodo diminuta, quandoquidem ex diuino beneplacito pauca quædam de secretis Dei aliquando Dæmonibus reuelantur, vel per bonos Angelos, vel per temporales effectus, secundum quod Deus iudicat expedire; sic enim tradit D. August. lib. 9. de ciuit. Dei cap. 21. & 22. & de hac cognitione in præsenti nota sermo non fit, & multo minus agitur hic de affectiua cognitione, quæ appellatur talis, quoniam est productiua diuinæ dilectionis, & hæc penitus in Dæmonibus est sublata: ista namque cognitio fundamentum est amoris Dei super omnia dilecti, qui amor in ipsis nullatenus reperitur, quod etiam annotauit Diuus Thomas vbi supra, & nos lib. 4. Reuel. cap. 63. nota 1.

Ego

3 Ego vidi in te tria, ego vidi gloriam tuã, & honorem super omnia, & cogitabam gloriam meam; ideo superbiens proposui non tantum tibi esse par, sed etiam super te.

In praesenti nota sermo fit de lapsu daemonum, eorumque peccata recensentur: occasionem autem peccandi legimus hoc loco eos sumpsisse ex eo quod viderint gloriam Dei. quod non est intelligendum de matutina cognitione, vel de beatifica visione, qua per lumen gloriae sancti in patria essentiam diuinam intuentur, quoniam daemones, nec vnquam sic fuerunt Beati, nec viderunt gloriam Dei, sunt ergo verba praesentis notae interpretanda de visione diuina, quam diabolus assecutus est per reflexionem considerando suae naturae pulchritudinem, ac nobilitatem, qua manuducebatur ad cognitionem Dei, prout est auctor, ac moderator omnium creaturarum, quod etiam explicauimus infra hoc eodem libro cap. 48. nota 3. cum ergo daemon excellentiam propriam intensius specularetur superbiens arbitratus est, Beatitudinem sibi non ex gratia, sed ex nobilitate suae naturae, & a Deo etiam independenter sibi competere; & ita primum peccatum superbia fuit, vt tradunt D. Athanas. de quaestionibus sacrae Scripturae quaest. 10. D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 14. & lib. 4. Epist. 38. D. Gregor. Thaumat. serm. 2. in Annunciat. D. Augustinus lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 6. & lib. 14. cap. 13. D. Ambros. in Psalm. 36. in illa verba vidi impium superexaltatum, & Psalm. 118. illi increpasti superbos Greg. Nazian. Orat. 1. in Paschate, Chrysost. Hom. de Adam & Eua, Hieron. super Isaiam cap. 14. D. Anselmus de casu diaboli cap. 4. D. Thomas 1. par. q. 63. art. 2. & 3. & patet etiam ex illo Iob 41. qui daemonem vocat Regem super omnes filios superbiae, sed quia inuidia est passio propria superbiae quippeque dolor est de bono alterius, per quod propria excellentia impeditur. Ideo inuidiae quoque peccatum commisit, & est communis opinio sanctorum Patrum, sic habetur D. Greg. lib. 5. Moral. cap. 51. D. Basil. Hom. de inuidia D. Augustinus Epist. 48. & de lib. Arbitrio cap. 25. D. Bernard. serm. 17. in Cant. & patet Sapientiae 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. vide plura hac de re lib. 2. Reuelat. cap. 12. nota prima, & lib. 4. cap. 106. nota 1.

4 Ideo superbiens proposui non tantum tibi esse par, sed etiam super te.

Ex his verbis non est colligendum Daemonem appetiisse Dei aequalitatem per aequiparantiam, quia naturali cognitione scire poterat hoc fieri non posse, vt sic Deo aequalis esset, sic docet D. Thomas 1. par. quaest. 63. art. 3. tum quia sic appetiisset sui destructionem, quod est contra naturale desiderium inditum vnicuique de conseruando suum esse, vt probat D. Anselm. superiori nota citatus, dicendum ergo est eum desiderasse non aequalitatem propriam Dei, sed similitudinem quandam quatenus finalem Beatitudinem voluit obtinere per suam virtutem, quod est proprium Dei; aut vt admonuit D. Gregor. 34. Moral. cap. 16. & 34. quia voluit esse sui iuris, nec pendere ab aliquo quod spectat tantum ad dominium Dei, aut etiam vt alij affirmarunt appetiisse dicitur aequalitatem quia optauit nulli subesse, sic Alexand. Alens. 2. par. q. 105. art. 2. membro 2. & 3. quam sententiam secuti sunt, Lyranus, & Burgensis Isaiae 14. ad illa verba in Caelum ascendam.

5 Vidi, quae futura erant, & quia gloria tua, & honor est sine principio, & sine fine inuidebam tibi.

Animaduertendum est hoc loco non agi de futuris, quae ex libera Dei voluntate pendent, aut de illorum cognitione in se ipsis, & in suis causis, aut de certa contingentium futurorum cognitione virtute naturali, quoniam omnino certum est, nec Angelos, nec daemones posse ita sic cognoscere, sed hoc solius Dei esse proprium, quod probari potest sexcentis sacrarum litterarum, & sanctorum Patrum testimonijs, vt Isaiae 41. 48. & 58. & Dan. 7. & Sapientiae 8. de diuina Sapientia scribitur scit praeterita, & de futuris aestimat, idem docet D. Chrysost. Hom. 18. in cap. 1. Ioan. vbi dicit certa futurorum praedictio immortalis Dei solius opus est. idem sentit Origenes lib. 8. Periarchon cap. 3. D. Augustinus lib. quinto de ciuit. cap. 9. Cyrillus, & Theodoretus explicantes illud Isaiae 41. Annunciate, quae ventura sunt, & sciemus, quod Dij estis; si vero agamus de futuris, quae a necessarijs causis proueniunt, fatendum est, Angelos, & daemones, prout hic innuitur illa posse cognoscere, sicut etiam monet D. Thomas 1. par. q. 57. art. 3. aut etiam arbitror verba praesentis notae posse intelligi de mysterio Incarnationis, quod quidem Angeli a principio suae creationis cognouerunt saltem in generali antequam fieret, quantum ad eius substantiam, licet non quoad particulares euentus, quod vt aliqui ex Theologis affirmarunt, praebuit ansam Daemoni, vt peccatum inuidiae committeret, & vnionem hypostaticam appeteret; & ideo legimus hoc loco sine fine inuidebam tibi, nam cum a Christo Domino per passionem suam sibi gloria corporis comparanda esset, eumque humanam naturam super Angelos, Eleuandam forte praeuidisset inuidit illi.

6 Et cogitabam, quod libenter cruciarer super omni poena amarissima ad hoc, vt tu morereris.

var. lect. *Rectius M. S. Farnesianus habet ad hoc vt tu vinceretis non moreretis, & ita legendum esse censeo, nouerat enim Daemon Deum esse immortalem, nec posse mori, putauit quidem vincere posse, quatenus voluit subtrahere se ab eo gratuitam Beatitudinem, & ex sua naturae nobilitate, & ex se ipso non dependenter a Deo.*

7 Pete, & tu misericordiam humiliter a me, & dabo tibi, cui respondit diabolus nequaquam hoc faciam.

Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 6. existimauit contra id quod scribitur hic, & contra scripturæ sacræ veritatem, & Patrum communem sententiam, Dæmones posse pœnitere, quanquam Picus Mirandulanus in apolog. pro Origene edita conatus sit eum ab huiusmodi errore vindicare, sed quicquid sit mihi dicendum est, primo secundum fidem Catholicã certum esse Dæmones nullatenus posse pœnitere, nec a Deo misericordiam petere, vt hoc loco legimus, quod arbitror esse verum, non solum de possibili, sed etiam de facto, & hoc probari potest. primo ex sacris litteris Apocalypsis 20. Cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. & Marci 9. Ignis inferni appellatur inextinguibilis; & Matth. 25. æternus; Et definita est hæc veritas in Concilio Lateranensi in cap. firmiter, de sum. Trin. & fid. cathol. & in 6 synodo, actione vndecima, & in epistola Sophronij, vbi hic error ascribitur Origeni; Cæterum si quispiam huius obstinationis causam quærat, respondere potest breuiter primo cum D. Thoma 1. p. q. 64. art. 2. Dæmonis obstinationem prouenire non ex grauitate culpæ, sed ex liberi arbitrij natura, ex qua fit, vt eorum voluntati immobiliter adhæreat fini, ad quem semel se [illegible] conuerterunt; vnde boni confirmati sunt in bono, & mali in malo; sed Scotus in 2. senten. dist. [illegible] obstinationem censuit [illegible] ex [illegible] auxilij diuini, cui opinioni fauent [illegible] diuini quæst. 2. Alij vero affirmant id prouenire a quodam malo habitu in voluntate Dæmonis producto, quo necessario semper inclinat ad malum, aut etiam id contingere exigente diuina iustitia, per quam statuit nunquam concurrere cum voluntate Dæmonis, vt illum affectum prauum deponat; sunt etiam qui censent id prouenire ex eo, quod Dæmonis voluntas quando peccauit, se tota immerserit obiecto, cui se libere applicauit; probabiliorem tamen opinor esse sententiam Thomistarum, qui hanc Dæmonum obstinationem referunt ad naturam status in termino, & ad inflexibilitatem liberi arbitrij, sic docet D. Thomas loco citato, & quæst. 16. de malo, art. 5. Capreolus in 2. dist. 7. quæst. 1. Paludan. in 4. distin. 50. Alensis 3. p. quæst. [illegible] memb. 2. & ex Neotericis egregie hanc opinionem examinat Dominicus Bannes in commen. super 1. p. S. Tho. q. 64. art. 2.

8 Statutum est pœna, vt vnusquisque de spiritibus, qui ceciderunt, pœnam suam var. lect. habebit.

Manuscripti Codicis lectio placet magis: sic enim legit: Statuta est pœna, vt vnusquisque de spiritibus qui ceciderunt pœnam suam habeat, non habebit; credendum namque est Dæmonem post peccatum immediate accepisse a Deo damnationis suæ sententiam, nec inter lapsum, & pœnas aliquid intercessisse temporis, quoniam cum peccauit constitutus est statim extra statum viæ, ac proinde extra salutis, & pœnitentiæ terminum, & per consequens arbitror ei fuisse pœnam iniunctam, quod colligi potest ex Apocalypsis c. 12. vbi scribitur, quod continuo post prælium, in quo cum Lucifero Draconem Michael præualuit, non est inuentus locus eorum in cœlo, sed in tenebris. & [illegible]

VERBA VIRGINIS AD Sponsam, proprium dolorem in Christi passione explicantia, & qualiter per Adam, & Euam mundus fuerit venditus, et per Christum, et eius matrem Virginem fuerit redemptus.

CAP. XXXV.

MARIA loquebatur. Considera filia passionem filij mei, cuius membra fuerunt mihi quasi membra mea, & quasi cor meum. Nam ipse sicut alij filij in visceribus matris solent esse, sic fuit in me. Sed ipse conceptus est ex feruenti charitate diuinæ dilectionis, alij autem ex concupiscentia carnis, Vnde bene dicit Ioannes consobrinus eius: Verbum caro factum est. Nam per charitatem ipse venit, & erat in me. Verbum autem & charitas ipsum fecerunt in me. Ipse quippe erat mihi quasi cor meum. Propterea cum nasceretur ex me, sensi ego quod quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me. Et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur. Sicut enim illud quod dimidium est extra, & dimidium intra, & si illud pungitur quod est extra, æque sentit dolorem quod intus est. Sic ego cum flagellaretur, & pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego etiam fui propinquior ei in passione, nec separabar ab eo. Ego stabam vicinius cruci eius, & sicut hoc grauius pungit quod vicinus est cordi, sic dolor eius grauior erat præ cæteris mihi. Cumque respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lachrymæ exibant. Et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quia dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam, & Eua vendiderant mundum
1 pro vno pomo, sic filius meus, & ego redemimus mundum quasi cum vno corde.
Ideo filia mea cogita qualis ego eram in
7 morte filij mei, & non erit tibi graue relinquere mundum.

NO-

NOTAE.

SIc filius meus, & ego redemimus mundum quasi vno corde.

1. *Ex verbis præsentis nota nullatenus est colligendum Mariam Virginem proprie mundum redemisse, ac de rigore iustitiæ satisfecisse, sicut de Christo dicimus, quod vere nos redemerit, & pro nobis diuinæ iustitiæ rigorose satisfecerit pura namque creatura, & si Deo grata sit nullo modo sic poterat satisfacere, vt probant scholastici in 3. sent. dist. 20. & in specie D. Bonauentura ibidem q. 3. art. 1. Alex. Alens 3. par. q. 1. memb. 6. art. 1. & 2. & ex S. Patribus D. Anselm lib. 1. cur Deus homo a cap. 10. vsque ad 12. & lib. 2. a cap. 1. vsque ad 20. D. Ambros. super cap. 9. Epistolæ ad Hebræos D. Leo serm. 2. de Natali, Basil. in Psal. 48. ad illa verba frater non redimit, Nazianzen. serm. de Paschate, Cyrillus Alex. de Incarnat. Vnigeniti cap. 11. Cyrillus Hierosolymit. cathechesi 14. Hieron. lib. 3. contra Valentinum cap. 20. & 21. Postremo D. Thomas 3. par. q. 1. art. 2. ad secundum, dicit, quod cum tota humana natura esset per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personæ, nec etiam plurium posset per æquiparantiam totius naturæ detrimentum compensare, cum etiam peccatum ex parte Dei offensi infinitatem quandam importaret oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet infinitam efficaciam, quod non potuit in pura creatura reperiri, dicendum ergo est Mariam Virg. dici posse fuisse cooperatam mysteriis redemptionis cum Christo quatenus ipsa eum peperit, qui mundum redemit, aut etiam quia, cum hoc passione sua Christus effecerit, Maria vero, quæ & materna dilectionis affectu, & summæ charitatis vinculo cum Redemptore ita coniuncta erat, vt filij dolores suos esse existimauerit, vt scribitur hic paulo ante versu 1 huius nota, ibi propterea audacter dico quia dolor eius, erat dolor meus; & quia cor eius, erat cor meum; ideo mirum non est, si ipsamet hoc loco dicat, cum suo filio mundum redimisse, & in hunc sensum Laspergius Hom. 48. de passione Mariam cooperatricem Redemptionis appellauit, voluit inquit, Christi Matrem adesse sibi in doloribus, vt ex his, quæ oculis foris cerneret intus animo vulneraretur, vt sic Christi passionis redemptionis quoque nostræ particeps fieret, & cooperatrix. Verum D. Greg. Thaumaturgus serm. 2. in Annunciat. paulo post medium Mariam non solum redemptionis cooperatricem appellat, sed & principium ipsius reparationis, tu inquit, principium reparationis effecta es, tu fiducialem in paradisum introitum nobis dedisti, & antiquum dolorem, luctumque fugasti.*

RESPONSIO DOMINI

Angelo oranti pro sponsa, quod corporis, & animæ tribulatio concedatur, & quod magis perfectis maiores tribulationes tribuantur.

CAP. XXXVI.

ANGELO Oranti pro sponsa Domini sui. Respondit Dominus. Tu es quasi miles Domini, qui nunquam deposuit galeā suam propter tædium, & qui præ timore nunquam diuertit oculos a prælio. Tu es stabilis quasi mons, ardens quasi flamma. Tu es sic mundus, vt nulla sit in te macula. Tu petis misericordiam sponsæ meæ, licet omnia scias, & videas in me, tamen ista audiente, dic qualem misericordiam petis ei. Triplex enim est misericordia. Vna qua corpus punitur, & parcitur animæ, sicut famulus meus Iob, cuius caro data est omnibus doloribus, & anima seruata est. Secunda misericordia est, qua parcitur animæ, & corpori a pœna, sicut Rex ille, qui in omnibus voluptatibus fuit, & nullum dolorem, nec ad corpus, nec ad animam in mundo dum viueret habuit. Tertia etiam misericordia est, qua punitur corpus, & anima, vt & tribulationem habeat in carne, & dolorem in corde, sicut Petrus, & Paulus, & alij Sancti. Nam tres sunt status hominum in mundo. Vnus, eorum qui cadunt in peccata, & iterum surgunt, hos permitto quandoque tribulari ad corpus, vt salui fiant. Secundus est, eorum qui in æternum libenter viuerent, vt in æternum peccarent, qui totam voluntatem ad mundum habent, & si quandoque aliqua faciunt pro me, hac intentione faciunt, vt temporalia eis succrescant, & proficiant, his nō datur pœna corporis, nec dolor magnus cordis, sed in potestate propria, & voluntate sua dimittuntur, quia pro minimo bono, quod fecerant pro me, recipient hic mercedem suam, vt in æternum crucientur, quia cum voluntas est æterna ad peccatum, pœna erit eis æterna. Tertius status est eorū, qui plus timent peccare contra me, & offendere voluntatem meam, quam de aliqua pœna. Magisque in æternum cruciarentur pœna intolerabili, quam me prouocarent scienter ad iram. His datur tribulatio corporis, & cordis, vt Petro, & Paulo, & alijs sanctis, vt quicquid in hoc mundo deliquerint, in mundo emendent. Vel ad maiorem gloriā

& alio-

Origenes lib. 1. Periarchon, cap. 6. existimauit contra id quod scribitur hic, & contra scripturæ sacræ veritatem, & Patrum communem sententiam, Dæmones posse pœnitere, quanquam Picus Mirandulanus in apolog. pro Origene edita conatus sit eum ab huiusmodi errore vindicare; sed quicquid sit mihi dicendum est, primo secundum fidem Catholicã certum esse Dæmones nullatenus posse pœnitere, nec a Deo misericordiam petere, vt hoc loco legimus; quod arbitror esse verum, non solum de possibili, 2 *sed etiam de facto, & hoc probari potest. primo ex sacris litteris Apocalypsis 20. Cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum. & Marci 9. Ignis inferni appellatur inextinguibilis; & Matth. 25. æternus; Et definita est hæc veritas in Concilio Lateranensi in cap. firmiter, de sum. Trin. & fid. cathol. & in 6 synodo, actione vndecima, & in epistola Sophronij, vbi hic error ascribitur Origeni; Cæterum si quispiam huius obstinationis causam quærat, respondere potest breuiter primo cum D. Thoma 1. p. q. 64. art. 2. Dæmonis obstinationem prouenire non ex grauitate culpæ, sed ex liberi arbitrij natura, ex qua fit, vt eorum voluntas immobiliter adhæreat fini, ad quem semel se libere conuerterunt; vnde boni confirmati sunt in bono, & mali in malo; sed Scotus in 2. senten. dist. 7. q. 1. hanc Dæmonum obstinationem censuit tantum ex negatione auxilij diuini, cui opinioni fauet Durandus eadem dist. quæst. 2. Alij vero affirmant id prouenire quodam malo habitu in voluntate Dæmonis producto, quo necessario semper inclinat ad malum; aut etiam id contingere exigente diuina iustitia, per quam statuit nunquam concurrere cum voluntate Dæmonis, vt illum affectum prauum deponat; sunt etiam qui censent id prouenire ex eo, quod Dæmonis voluntas quando peccauit, se tota immerserit obiecto, cui se libere applicauit; probabiliorem tamen opinor esse sententiam Thomistarum, qui hanc Dæmonum obstinationem referunt ad naturam status in termino, & ad inflexibilitatem liberi arbitrij, sic docet D. Thomas loco citato, & quæst. 16. de malo, art. 5. Capreolus in 2. dist. 7. quæst. 1. Paludan. in 4. distin. 50. Alensis 3. p. quæst. 1. memb. 2. & ex Neotericis egregie hanc opinionem examinat Dominicus Bannes in commen. super 1. p. S. Tho. q. 64. art. 2.*

3 Statutum est pęna, vt vnusquisque de spiritibus, qui ceciderunt, pœnam suam habebit.

var. lect.

Manuscripti Codicis lectio placet magis: sic enim legit: Statuta est pœna, vt vnusquisque de spiritibus qui ceciderunt pœnam suam habeat, non habebit: credendum namque est Dæmonem post peccatum immediate accepisse a Deo damnationis suæ sententiam, nec inter lapsum, & pœnas aliquid intercessisse temporis, quoniam cum peccauit constitutus est statim extra statum viæ, ac proinde extra salutis, & pœnitentiæ terminum, & per consequens arbitror ei fuisse pœnam iniunctam, quod colligi potest ex Apocalypsis c. 12. vbi scribitur, *quod continuo post peccatum, in quo Lucifer contra Michael præualuit, non est inuentus amplius in cælis locus Draconis, & angelorum eius.*

VERBA VIRGINIS AD Sponsam, proprium dolorem in Christi passione explicantia, & qualiter per Adam, & Euam mundus fuerit venditus, et per Christum, et eius matrem Virginem fuerit redemptus.

CAP. XXXV.

MARIA loquebatur. Considera filia passionem filij mei, cuius membra fuerunt mihi quasi membra mea, & quasi cor meum. Nam ipse sicut alij filij in visceribus matris solent esse, sic fuit in me. Sed ipse conceptus est ex feruenti charitate diuinæ dilectionis. Alij autem ex concupiscentia carnis. Vnde bene dicit Ioannes consobrinus eius: Verbum caro factum est. Nam per charitatem ipse venit, & erat in me. Verbum autem & charitas ipsum fecerunt in me. ipse quippe erat mihi quasi cor meum. Propterea cum nasceretur ex me, sensi ego quod quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me. Et cum ipse pateretur, sensi quod quasi cor meum patiebatur. Sicut enim illud quod dimidium est extra, & dimidium intra, & si illud pungitur quod est extra, æque sentit dolorem, quod intus est. Sic ego cum flagellaretur, & pungeretur filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego etiam fui propinquior ei in passione, nec separabar ab eo. Ego stabam vicinius cruci eius, & sicut hoc grauius pungit quod vicinius est cordi, sic dolor eius grauior erat præ cæteris mihi. Cumque respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi de venis lachrymæ exibant. Et cum ipse me cerneret dolore confectam, in tantum angusticabatur de dolore meo, quod omnis dolor vulnerum suorum erat quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quia dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Sicut enim Adam, & Eua vendiderunt mundum
1 pro vno pomo, sic filius meus, & ego redemimus mundum quasi cum vno corde. Ideo filia mea cogita qualis ego eram in
2 morte filij mei, & non erit tibi graue relinquere mundum.

NO-

NOTAE.

Sic filius meus, & ego redemimus mundum quasi vno corde.

Ex verbis præsentis notæ nullatenus est colligendum, Mariam Virginem propriè mundum redemisse, ac de rigore iustitiæ satisfecisse, sicut de Christo dicimus, quod verè nos redemerit, & pro nobis diuinæ iustitiæ rigorosè satisfecerit, pura namque creatura, & si Deo grata sit nullo modo sic poterat satisfacere, vt probant scholastici in 3. sent. dist. 20. & in specie D. Bonauentura ibidem q. 3. art. 1. Alex. Alens 3. par. q. 1. memb. 6. art. 1. & 2. & ex S. Patribus D. Anselm lib. 1. cur Deus homo a cap. 10. vsque ad 12. & lib. 2. a cap. 12. vsque ad 20. D. Ambros. super cap. 9. Epistolæ ad Hebræos D. Leo serm. 2. de Natali, Basil. in Psal. 48. ad illa verba frater non redimit, Nazianzen. serm. de Paschate, Cyrillus Alex. de Incarnat. Vnigeniti cap. 11. Cyrillus Hierosolymit. cathechesi 14. Hieron. lib. 3. contra Valentinum cap. 20. & 21. Postremò D. Thomas 3. par. q. 1. art. 2. ad secundum, dicit, quod cum tota humana natura esset per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personæ, nec etiam plurium posset per æquiparantiam totius naturæ detrimentum compensare, cum etiam peccatum ex parte Dei offensi infinitatem quandam importaret oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet infinitam efficaciam, quod non potuit in pura creatura reperiri, dicendum ergo est Mariam Virg. dici posse fuisse cooperatam mysteriis redemptionis cum Christo quatenus ipsa eum peperit, qui mundum redemit, aut etiam quia, cum hoc passione sua Christus effecerit, Maria verò, quæ & materna dilectionis affectu, & summa charitatis vinculo cum Redemptore ita coniuncta erat, vt filij dolores suos esse existimauerit, vt scribitur hic paulo ante verba præsentis notæ, ibi propterea audacter, dico quia dolor eius, erat dolor meus, & quia cor eius, erat cor meum; ideo mirum non est, si ipsamet hoc loco dicat, cum suo filio mundum redimisse, & in hunc sensum Lanspergius Hom. 48. de passione, Mariam cooperatricem Redemptionis appellauit, voluit inquit, Christi Matrem adesse sibi in doloribus, vt ex his, quæ oculis foris cerneret intus animo vulneraretur, vt sic Christi passionis redemptionis quoque nostræ particeps fieret, & cooperatrix. Verum D. Greg. Thaumaturgus serm. 2. in Annunciat. paulò post medium Mariam non solum redemptionis cooperatricem appellat, sed & principium ipsius reparationis, tu inquit, principium reparationis effecta es, tu fiduciam, in paradisum introitum nobis dedisti, & antiquum dolorem, luctumque fugasti.

RESPONSIO DOMINI Angelo oranti pro sponsa, quod corporis, & animæ tribulatio concedatur, & quod magis perfectis maiores tribulationes tribuantur.

CAP. XXXVI.

Angelo oranti pro sponsa Domini sui. Respondit Dominus. Tu es quasi miles Domini, qui nunquam deposuit galeā suam propter tædium, & qui præ timore nunquam diuertit oculos a prælio. Tu es stabilis quasi mons, ardens quasi flamma. Tu es sic mundus, vt nulla sit in te macula. Tu petis misericordiam sponsæ meæ, licet omnia scias, & videas in me, tamen ista audiente, dic qualem misericordiam petis ei. Triplex enim est misericordia. Vna qua corpus punitur, & parcitur animæ, sicut famulus meus Iob, cuius caro data est omnibus doloribus, & anima seruata est. Secunda misericordia est, qua parcitur animæ, & corpori a pœna, sicut Rex ille, qui in omnibus voluptatibus fuit, & nullum dolorem, nec ad corpus, nec ad animam in mundo dum viueret habuit. Tertia etiam misericordia est, qua punitur corpus, & anima, vt & tribulationem habeat in carne, & dolorem in corde, sicut Petrus, & Paulus, & alij Sancti. Nam tres sunt status hominum in mundo. Vnus, eorum qui cadunt in peccata, & iterum surgunt, hos permitto quandoque tribulari ad corpus, vt salui fiant. Secundus est, eorum qui in æternum libenter viuerent, vt in æternum peccarent, qui totam voluntatem ad mundum habent, & si quandoque aliqua faciunt pro me, hac intentione faciunt, vt temporalia eis succrescant, & proficiant, his nō datur pœna corporis, nec dolor magnus cordis, sed in potestate propria, & voluntate sua dimittūtur, quia pro minimo bono, quod fecerant pro me, recipient hic mercedem suam, vt in æternum crucientur, quia cum voluntas est æterna ad peccatum, pœna erit eis æterna. Tertius status est eorū, qui plus timent peccare contra me, & offendere voluntatem meam, quam de aliqua pœna. Magisque in æternum cruciarentur pœna intolerabili, quam me prouocarent scienter ad iram. His datur tribulatio corporis, & cordis, vt Petro, & Paulo, & alijs sanctis, vt quicquid in hoc mundo deliquerint, in mundo emendent. Vel ad maiorem gloriā

& alio-

& aliorum exemplum purgantur ad tempus. Hanc triplicem misericordiam feci in regno isto cum tribus quorum nomina nota sunt tibi. Nunc ergo Angele serue meus qualem misericordiam petis sponsæ meæ. Et ille inquit. Animæ, & corporis, vt quicquid hic deliquerit in mundo emendet, & nullum peccatum eius veniat in iudicium tuum. Respondit Dominus. Fiat secundum voluntatem tuam. Deinde loquebatur ad sponsam. Tu mea es, ideo sicut mihi placet faciam tecum, nihil dilige sicut me. Munda te igitur a peccato omni hora cum consilio eorum quibus te commiseram. Nullum peccatum cela, nullum dimitte indiscussum, nullum peccatum puta leue, nullum negligendum. Nam omnia quæcunque neglexeris, ego reducam ad memoriam, & iudicabo. Nam nullum peccatum tuum veniet in iudicium meum, quod in vita tua pœnitentia erit punitum. De quibus autem pœnitentia facta non est, vel in purgatorio purgabuntur, vel alio occulto iudicio meo, nisi satisfactione hic emendentur.

VERBA MATRIS AD Sponsam excellentiam sui filij ponentia, & qualiter Christus acrius nunc ab inimicis malis Christianis crucifigitur, quam a Iudæis crucifixus fuerat, & per consequens, quod tales acrius, & amarius punientur.

CAP. XXXVII.

MATER loquebatur. Filius
meus tria bona habuit.
1 1 Primo quia nullus sic de
licatum corpus habuit si-
cut ipse, eo quod erat de
duabus naturis optimis,
scilicet deitate, & huma-
nitate, & ita mundum, quod sicut in oculo
clarissimo non inuenitur macula, sic nec in
ipsius corpore aliqua deformitas reperiri
potuit. Secundum bonum erat, quod nun-
quam peccauit. Nam alij filij portant quan
doque peccata parentum suorum, & pro-
pria, iste enim nunquam peccauit, & tamen
omnium peccata portauit. Tertium erat
quod aliqui moriuntur propter Deum, & ma
2 iorem remunerationem. 2 Ipse autem mo-
riebatur sic propter inimicos suos sicut pro
pter me, & amicos eius. Sed quando inimi
ci eius crucifixerunt eum, quatuor ei fece-
runt. Primo coronauerunt eum spinis. Se-
cundo manus, & pedes perforauerunt. Ter-
tio propinauerunt ei fel. Quarto pupuge-
runt latus eius. Sed nunc conqueror, quia
filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in
mundo, amarius crucifigitur, quam tunc
Iudæi crucifixerunt eum. Nam licet deitas
impassibilis sit, nec mori possit, tamen cum
proprijs vitijs crucifigunt eum. Sicut enim
aliquis homo imagini alicuius inimici sui
contumeliam, & læsionem faceret, licet ima-
go non sentiret illata, tamen propter volun-
tatem malam lædendi læsor quasi pro opere
argueretur, & dijudicaretur. Sic eorum vi-
tia quibus spiritualiter crucifigunt filium
meum, abhominabiliora, & grauiora sunt
ei, quam illorum, qui crucifixerunt eum in
corpore. Sed forte tu potes quærere quo-
modo crucifigunt eum? vtique. Primo po-
nunt eum in cruce, quam sibi præparauerãt,
quando de præceptis Creatoris sui, & Domi-
ni non curant; & dehonestant eum, quando
ipse monet eos per seruos suos seruire sibi,
& ipsi hoc contemnentes faciunt, quæ sibi
placent. Deinde crucifigunt dexteram ma-
num, quando tenent iustitiã pro iniustitia,
dicentes. Peccatum non est sic graue, & o-
diosum Deo sicut dicitur, nec Deus in æter-
num affligit quenquam, sed propter timorẽ
minatus est. Quare enim redimeret homi-
3 nem, si vellet eum perire. 3 Non attenden-
tes, quod minimum peccatum, si homo de-
lectatur in eo, satis est ei ad supplicium æter-
num. Et quia non minimum peccatum di-
mittit Deus impunitum, sicut nec minimum
bonum sine remuneratione. Ideo sempiter-
num erit eis supplicium, quia & sempiter-
nam habent voluntatem peccandi, quam fi-
lius meus, qui videt cor, reputat pro opere.
Quia sicut habent voluntatem, sic etiam o-
pera complerent, si permitteret filius meus.
Deinde crucifigunt sinistram manum eius,
quando virtutem vertunt in vitium, volen-
tes vsque in finem peccare, dicentes. Si di-
xerimus in fine semel, miserere mei Deus,
tanta est misericordia Dei, quod habebi-
mus veniam, hoc non est virtus, velle pec-
care, & non emendare. Velle præmium ha-
bere sine labore, nisi esset contritio in cor-
de, quod libenter vellet emendare si posset
præ infirmitate, vel aliquo alio impedimen-
to. Postea crucifigunt pedes eius, quando
delectantur in faciendo peccatum, & non
semel cogitant amaram passionem filii mei,
nec regratiantur ei semel de intimo corde,
dicentes. O quam amara erat passio tua
4 Deus, laus tibi sit pro morte tua, hoc nun-
var. quam procedit de ore eorum. 5 Coronant
lect. eum deinde corona derisionis, quando deri-
5 dent seruitores eius, & vanitatem reputant
var. seruire ei. Dant ei enim fel bibere, quando
lect. gaudent, & exultant in peccato. Nec ascen-

dit

vidit semel in corde eorum, quam graue, & quam multiplex sit. Pungunt latus eius quãdo voluntatem habent perseuerandi in peccato. Vere dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris, quod tales sunt ante filium meum iniustiores iudicantibus eum, immitiores crucifixoribus eius, impudentiores venditoribus eius, & maior pœna debetur istis, quam illis. Pilatus sciuit bene filium meum non peccasse, nec dignum aliqua morte: tamen quia timuit amissionem temporalis potestatis, & seditionem Iudæorum, iudicauit quasi inuitus filium meum ad mortẽ. Quid autem haberent isti timere si ei seruirent? aut quid de honore suo, & dignitate amitterent si ipsum honorarent? Ideo grauius isti iudicabuntur, & deteriores sunt Pilato in conspectu filij mei, quia Pilatus iudicauit eum propter petitionem, & voluntatẽ aliorum, cum timore quodam. Isti autem iudicant eum propter voluntatem propriam absque timore, quãdo inhonorant eum per peccatum, a quo si vellent possent abstinere. Sed nec a peccato abstinent, nec pro peccato facto verecundantur, quia non attendũt, quod indigni sunt beneficijs eius, cui non seruiunt. Deteriores sunt Iuda, quia Iudas tradito domino sciuit ipsum bene esse Deũ,
6 & grauiter se contra eum peccasse, 6 sed desperauit suspendens seipsum, & properauit dies suos ad infernum, credens se indignum viuere. Isti autem bene sciunt peccatum suũ & tamen perseuerant in eo, nullam pro eo in corde compunctionem habentes. Sed volunt cum violentia, & potentia quadam sumere regnum cælorum, quando hoc non operibus, sed propter spem vanam habere cogitant, quod nulli dabitur, nisi operanti, & patienti aliquid pro Deo. Deteriores sunt etiam crucifixoribus eius, quia cũ illi viderunt opera filij mei bona, scilicet quia resuscitauit mortuos, leprosos mũdauit, cogitabãt apud se: Hic facit inaudita, & mirabilia insuitata, nã prosternit quos vult vno verbo, scit cogitationes nostras, facit quæcunque vult. Si processum suum habebit, omnes subijciemur potestati eius, & sub diti eius erimus. Ideo ne subijcerentur ei
7 crucifixerunt eum propter inuidiam. 7 Si enim sciuissent, quod fuisset Rex gloriæ, nunquam crucifixissent eum. Isti autem vident opera eius quotidie, & magna mirabilia, vtuntur beneficiis eius, & audiunt quomodo ei seruire debent, & ad eum venire. Sed cogitant apud se, si omnia temporalia sunt relinquenda. Si voluntas eius, & non nostra facienda est, graue est hoc, & intolerabile. Ideo contemnentes voluntatem eius, ne sit super voluntatem eorum, crucifigunt filium meũ per indurationem, addentes contra consciẽtiam suam peccatum super peccatum. Isti autem peiores sunt crucifixoribus, quia Iudæi fecerunt propter inuidiam, & quia nesciebant eum esse Deum. Isti autem sciunt eum esse Deum, & ex malitia sua, & præsumptione causa propriæ cupiditatis, crucifigunt eum amarius spiritualiter, quam illi carnaliter, quia isti redempti sunt. Illi nondum redempti erant. Ergo sponsa obedi filio meo, & time eum, quia ipse sicut est misericors, sic etiam est iustus.

NOTAE.

1 PRrimo, quia nullus sic delicatum corpus habuit sicut ipse, eo quod erat de duabus naturis optimis, scilicet Deitate, & humanitate.

Nulli dubium esse potest Christum Dominum optimam corporis complexionem, ac temperamentum accepisse, tum ratione principij efficientis, à quo illud corpus formatum erat nimirum à Spiritu sancto, tum ratione humanæ naturæ, quia fuerat productum ex purissimis sanguinibus B. Virginis. Postremo etiam ratione diuinæ naturæ, cui erat vnitum, quæ ipsi innumerabiles easque singulares perfectiones conferebat, cum autem hoc loco legimus huiusmodi corpus fuisse de duabus naturis intelligendum naturam diuinam non concurrisse ad corporis compositionem, vt pars eius, Deus enim nec corpus est, nec pars corporis, neque corpus habet, sed spiritus est, vt Ioan. 4. scribitur, sed dicitur corpus Christi constare de duabus naturis, quoniam in Christo diuina, & humana natura vnitæ erant hipostaticè, qualis autem fuerit complexio Christi pendet ex dispositione physica, existimarunt aliqui fuisse ad pondus, sed quidquid sit dicendum videtur, si omnes partes corporis eius aggregate sumantur fuisse in eo qualitates, ita temperatas, & ad pondus assumptas, vt vnam aliam non excederet, vel minimum. quod & idcirco grauissimi quidam doctores affirmarunt Christum ab intrinseco non fuisse capacem ægritudinis, sic D. Thom. 3. par. q. 14. art. 4. & plures etiam ex scholasticis in 3. dist. 15. & 16. Caietanus 2. Tomo opusc. opus. 13. Glossa, Lyranus, & alij Matth. 8. ex quo fit consequens eum non fuisse propriæ illius complexionis ex his, quæ a Philosophis, & Medicis describuntur, sed delegisse ex omnibus optimam, & ex complexione colerica habuisse vim, & acrimoniã, ex flegmatica maturitatem, & grauitatem, ex melancolia acumen, & iudicium, ex sanguinea pulchritudinem, & venustatem, hinc David Psalm. 44. scriptum reliquit de Christo speciosus forma præ filijs hominum, ex quibus verbis deducitur Saluatorem nostrum corpore fuisse miræ pulchritudinis, sic D. Augustinus, & Cassiodorus ibidem admonuerunt D. Chrysost. hom. 18. in Matth. D. Bernar. ser. 1. de omnibus sanctis quamquam Theodoretus,

Remi-

Remigius, & Arnobius illa verba Psalmi intellexerint de pulchritudine gratiæ, & Cyrillus lib. 5. super cap. 53 Isaiæ, & Basilius in psal. 44. de pulchritudine diuinitatis, ex dictis constat, quod Christus non fuisset immortalis, etiam si extrinsecus non illata esset mors, quoniam vera vita Christi erat eiusdem rationis cum nostra, & calor agebat in humidum, & consumabat: peruenisset tamen ad extremam senectutem, & per resolutionem obiisset, licet Rupertus Abbas Abacuc 3. affirmet, vitam Redemptoris nostri non futuram fuisse nisi septuaginta annorum, vel circiter, quod mihi non videtur probabile, tum quia hoc gratis dicit, nec probat, tum quia plures homines fuerunt, qui eam ætatem superauerunt.

2 Ipse autem moriebatur sic propter inimicos suos. sicut propter me, & amicos eius.

Dubitare quispiam probabiliter posset, quomodo verum sit quod hoc loco legimus Christum Dominum pro Beatissima Virgine, cæterisque amicis eius mortuum esse; cum enim Maria nullum vnquam commiserit, nec originale, nec actuale peccatum, non videtur Christi morte indiguisse, qua Deo reconciliaretur, cum quo nullam prorsus inimicitiam contraxerat, de aliis autem nec minima relinquitur dubitatio, quippe qui, vt ait Apostolus Rom. 5. cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: verum antequam propositam dubitatiõ solvamus, explicandum breuiter est, quid sibi velit quod scribitur hic Christum obiisse pro inimicis, et amicis, & quidem arbitror hoc dictum esse vt passionis Christi sufficientia, & efficacia insinuaretur ipsa enim Saluatoris mors sufficientissima pro omnibus est tam pro inimicis, quam amicis: efficacissima uero est pro his, qui eius sibi fructus applicant, nec ponunt obicem, vnde in canone Missæ legimus (Hic est calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur) dicitur pro vobis efficaciter, & pro multis sufficienter: sed quoniam hæc manifesta sunt, superest vt gradum faciamus ad explicandum, quomodo verum sit, quod Redemptor noster etiam pro Virgine mortuus sit, & qua ratione ipsa redempta fuerit, cum illa nunquam dæmonis seruituti extiterit obnoxia, neque commiserit aliquod peccatum, nec originale, nec actuale, vt a nobis probatum est lib. 3. Reuelat. cap. 8. nota 1. & hinc est, quod aliquibus visum est quod Maria necessitatem aliquam non habuerit, vt filii sui passione redimeretur, verum huic obiectioni facile satisfaciemus, si dupplicem redimendi modum distinguamus, vnum erigendo lapsum, alterum ne iam lapsurus præueniendo cadat ex his duobus. Postremus modus sicut nobilior est, & efficacior, ita nobiliori creaturæ nimirum Mariæ competebat, & conueniens erat, vt Christus excellentiori, ac efficaciori modo matrem suam redimeret, cum vterque modus ad illius dignitatem, ac gloriam spectaret, nec ei erat impossibile vtrunque redemptionis modum adhibere, quod quidẽ nullus vnquam sanæ mentis negare poterit quandoquidẽ merita Christi sufficient, non solum ad tollendas ab aliquo culpas iam admissas, sed etiam ad præueniendum, ne quis in eas labatur, cum in periculo cadendi positus est, & tali pacto optimæ Mariam Virginem fuisse redemptam, & redemptioni operæ indiguisse dicimus, quod patere potest ex D. Augustino in Exposit. Psalmi 85. ad eum versiculum eruisti animam meam ex inferno inferiori, vbi dicit cum Medicus imminentem alicui de proximo ægritudinem videt, si medicinæ remediis præuenit, ne in periculo constitutus in eum morbum incidat, certe potest is dicere Medico me ab ægritudine non in qua iam eram, sed in qua futurus eram liberasti; sic etiam nescio quis habens molestam causam mittendus erat in carcerem, venit alius defendit eum, gratias agens dicit eruisti animam meam de carcere, vel suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio.

3 Non attendentes, quod minimum peccatum, si homo delectatur in eo satis est ei ad æternum supplicium.

Iam notauimus supra hoc eodem libro cap. 32. nota 4. quod minimo peccato nimirum veniali nullatenus æterna pœna debetur nisi poneretur in eo, vel vltimus finis, vel intercederet contemptus, vel ratione alicuius circunstantiæ, quæ esset mortale peccatum.

4 Hoc nunquam procedit de ore eorum.

var. lect. *M. S Farnesianus legit, Hoc nunquam procedit, vel raro de ore eorum.*

5 Coronant eum corona derisionis, quando derident seruitores eius.

var. lect. *Farnesianus Codex M. S. legit, Quando deridens sermones eius, quod ita legendum esse patet ex sequentibus ibi, & vanitatem putant seruire ei, quod ex eo procedit, quia spernunt verba eius.*

6 Sed desperauerit suspendens se ipsum, & properauit dies suos ad infernum.

Ex verbis præsentis notæ aperte deducitur Iudam proditorem suspendio è vita discessisse, quicquid dicant Euthimius, Oecumenius, & Theophilatus. Euthimius enim in caput 27. Matth. ea verba edisserens, & abiens laqueo se suspendit affirmat Iudam a quibusdam, qui eum agnouerant, ex arbore fuisse depositum antequam laqueo præfocaretur. Demum post aliquod temporis spatium præcipitio deiectum effusis intestinis obiisse, probat hanc sententiam ex Luca Actorum 1. qui scribit Iudam possedisse Agrum de mercede iniquitatis. si enim statim periisset non possedisset, eandem opinionem secutus est Thophilatus ibidem, qui dicit: inclinatam fuisse Arborem, cui se suspenderat, nec tunc interiisse, sed aliquantulum superuixisse, & postmodum Hydropico morbo animam egisse cum Medius crepuisset, fauet Euthimio, & Theophilato Oecumenius, qui in Comment. in acta Apostolorum cap. 1. ex antiquissimo Auctore Papia refert Iu-

dam

dam rupto laqueo non solum superuixisse: verum post illud tempus corpore adeo fuisse inflatum, vt nec posset progredi, caputq. eius, ac oculorum palpebras sic intumuisse, vt lumen omnino non videret: sanies etiam, ac vermes ex toto corpore confluentes, tandem post plurimas pœnas, ac tormenta cum in suo prædio mortuus esset, ibique sepultus, prædium illud præ fœtore permansisse desertum: sed reicit hanc opinionem concors Patrum consensus Leo serm. 3. de passione. Beda Actorum 1. Origen. & Chrisost. loc. cit. August. lib. ... contra Felicem Manichæum c. 4. Collum, inquit, sibi alligauit, & deiectus in faciem disruptus est medius, idem affirmarunt Lyranus Matth. 27. Iansenius in Concord. Euang. p. 4. cap. 140. Sixtus Senensis in sua Bibliotheca lib. 4. annotatione 222. ad Argumentum autem, cui innitebatur contraria sententia respondetur D. Lucam asseruisse a Iuda fuisse agrum eum possessum, non quia vere illum viuens possederit, sed quod ipsius fuit pretium agri, per quod possessio eius transiuit ad alios, & possedisse dicitur, quia possidere fecit alios, proiectis namque argenteis in templo, quibus impie Redemptorem, & Magistrum vendiderat, Principes Sacerdotum emerunt agrum pro sepultura Peregrinorum, sic Rabanus Gloss. Interlinearis, & Lyranus Matth. 27. vel etiam dicendum possedisse, quia in illo agro secundum aliquos sepultus fuit.

7 Si enim sciuissent, quod fuisset Rex gloriæ nunquam crucifixissent eum.

Eandem sententiam habet Paulus Apostolus 1. Corinth. 2. si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, quæ verba a pluribus doctissimis viris, vel de Iudæorum Principibus, vel in vniuersum de principibus cæteris huius sæculi sapientibus intelliguntur, sic Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 6. Origenes Hom. 2. in Cant. Hieron. Chrysost. Theophilactus, & Anselmus ibi, cæterum an Iudæi vere cognouerint ex Christi Miraculis Iesum fuisse Messiam in lege promissum tradidimus infra lib. 6. Reuelat. cap. 1. nota 1.

COLLOCVTIO GRATA Dei Patris, & Filij adinuicem, & qualiter Pater tradidit filio nouam sponsam, & filius eam in suam gratanter recepit, & quomodo sponsus informat sponsam de patientia, & simplicitate per exemplum.

CAP. XXXVIII.

1 PATER loquebatur ad filium. Ego veni cum charitate ad Virginem, & sumpsi verum corpus tuum ex ea. Ideo tu in me, & ego in te. Sicut ignis, & calor nunquam separantur, sic deitatem ab humanitate impossibile erit separari. Respondit filius. Omnis gloria, & honor sit tibi Pater, fiat voluntas tua in me, & mea in te. Respondit iterum Pater. Ecce fili, hanc nouam sponsam assigno tibi quasi ouem ad regendum, & nutriendum, de qua tanquam possessor ouis, habebis caseum ad reficiendum, & lac ad bibendum, & lanam ad vestiendum. Tu autem sponsa debes obedire ei. Ad te enim pertinent tria. Oportet te esse patientem, obedientem, & libentem.
1 Tunc ait filius ad patrem. Tua voluntas cum potestate, potestas cum humilitate, humilitas cum sapientia, sapientia cum misericordia, fiat voluntas tua, quæ est, & erit sine prin-
2 cipio, & sine fine in me. Ego assumo eam mihi in meam charitatem, in tuam potentiam, & Spiritus sancti regimen, qui non tres Dij, sed vnus Deus. Tunc ait filius ad sponsam suam. Audisti quomodo pater assigna-
3 uit te mihi quasi ouem. Oportet ergo te esse simplicem, & patientem quasi ouem, & fructuosam ad nutriendum, & vestiendum. Tres enim in mundo sunt. Primus est totus nudus. Secundus est sitiens. Tertius est esuriens. Primus significat fidem Ecclesiæ meæ, quæ nuda est, quia omnes erubescunt loqui fidem & mandata mea, & si sunt, qui loquuntur, contemnuntur, & mendacij arguuntur. Ideo verba mea, quę de ore meo procedunt, vestire debent hanc fidem quasi lana. Sicut enim lana crescit in corpore ouis ex calore, sic de calore deitatis meæ, & humanitatis verba mea procedunt in cor tuum, quæ vestiant fidem meam sanctam, testimonio veritatis, & sapientiæ, & probabunt eam esse veram, quæ nunc inanis reputatur, vt qui vsque ad hunc tepidi fuerant vestire fidem operibus charitatis, audita charitate verborum meorum conuertantur, & reaccendantur ad loquendum fiducialiter, & agendum fortiter. Secundus significat amicos meos, qui desiderant more sitientis perfici honorem meum, & turbantur ex inhonoratione mea. Hi ex dulcedine verborum meorum audita inebriabuntur charitate mea maiori, & alij cum eis nunc mortui accendentur ad amorem meum, audito qualem gratiam facio cum peccatoribus. Tertius significat illos, qui cogitant sic in corde suo. Si sciremus inquiunt voluntatem Dei, & quomodo viuere possemus, & si bene instrueremur de via bona, libenter faceremus, quæ possemus. Hi sunt quasi esurientes scire viam meam, & nullus satiat eos, quia nemo perfecte ostendit eis, quæ agenda sunt, & si ostenditur, nullus secundum ea viuit. Et ideo videntur eis verba quasi mortua, quia nemo secundum ea viuit. Propterea ego ipse ostendam eis quæ facient, & satiabo eos dul-

cedine mea. Nam temporalia, quæ videntur & nunc ferè ab omnibus appetuntur, satiare non possunt hominem, sed excitant magis, ac magis desiderium acquirendi. Verba autem mea, & charitas iatiabunt homines, & replebunt eos consolatione abundanti. Ergo tu sponsa mea, quæ es ouis mea, patientiam, & obedientiam cura seruare. Tu enim mea ex omni iustitia facta es. Et ideo oportet te sequi voluntatem meam. Qui autem sequi vult voluntatem alterius, debet habere tria. Primo, cum eo vnum consensum. Secundo, similia opera. Tertio, recedere ab inimicis eius. Qui autem sunt inimici mei, nisi superbia, & omnia peccata. Ab his ergo debes recedere si cupis sequi voluntatem meam.

NOTAE.

1 PAter loquebatur ad filium, ego veni cũ charitate ad Virginem, & sumpsi verum corpus tuum ex ea, ideo tu in me, & ego in te.

Hoc loco omnino animaduertendum est, quod quando Pater dicit venisse ad Virginem, & ex eá corpus assumpsisse, non esse intelligendum quod ipsemet fuerit incarnatus, & vt Doctores scholastici affirmant, terminauerit, ac sustentauerit humanam naturam, quandoquidem hoc fuit proprium filii qui ex Virgine carnem assumpsit, & ad hoc dicitur à Patre missus in mundum. ad Galat. 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Cum ergo legimus hic patrem venisse ad Virginem, & ex ea corpus assumpsisse, intelligendum ab ipso, cum verbo, & Spiritu sancto, tanquam ab efficiente principio hoc sacrosanctum incarnationis mysterium manasse, & ab his tribus personis Christi corpus fuisse formatum: sunt enim actiones ad extra communes toti Trinitati, vt egregie explicat D. Augustin lib. de Eccles. dogmat. non longe ab initio, exemplo cytharæ. O Iudæe, inquit, respice Cytharam, in qua tria adsunt, ars, manus, & chorda, vnus tamen sonus auditur, ars dictat, manus tangit, chorda resonat; nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur; sic nec Pater, nec Spiritus sanctus carnem susceperunt, tamen cum filio pariter operantur, sola chorda excitat sonum, carnem solus Christus accepit: Sed hac de re videndus est D. Tho. 3 p. q. 3. art. 4. & ibi Thomistæ, vbi probant tantummodo filium fuisse incarnatum; & Magister cum schola in 3. d. 1. An autem de possibili potuerint omnes tres personæ eandem assumere naturã, affirmarunt D. Thom. 3. p. q. 3. art. 8. Henric. quodlibet. 7. Marsil. in 3. q. 2. art 3. Ocham q. 1. art. 3. Alens. 3. p. q. 2. memb. 4. Capreol. Caetan. & ferè omnes discipuli S. Thomæ, eandẽ tenet sententiam Durand. in 3. d. 1. q. 3. & Gabriel d. 1. q. 1. art. 3.

QVALITER IN CHRISTO tempore suæ mortis, fides, spes, & charitas fuerunt perfectibiliter, & in miseris nobis sunt defectibiliter.

CAP. XXXIX.

1 EGO habui tria in morte mea. Primo fidem, quando flectebam genua mea, & orabam, sciens, quod
2 posset me pater eripere de passione. 2 Secundo spem, quando tam constanter expectabam, & dicebam: Non sicut ego volo. Tertio charitatem, quando dice-
3 bam: Fiat voluntas tua. 3 Ego etiam habui angustias corporis ex timore naturali passionis, quando sudor sanguinis exiuit de corpore; ideo ne amici mei trepidarent se relictos, cũ instat eis tribulatio, ego ostendi eis in me, quod caro infirma semper refugit molestias. Sed potes quærere, quomodo sudor sanguinis exiuit de corpore meo? Vtiq. sicut sanguis infirmi in omnibus venis siccatur, & consumitur; sic ex dolore naturali mortis sanguis meus consumebatur. Pater denique ostendere volens viam, per quam aperiretur cælum, & homo exclusus ingrederetur, tradidit me ex charitate in passionem, vt corpus meum consummata passione
4 glorificaretur in gloria. Non enim sine passione humanitas mea in gloriam venire posset ex iustitia, licet potuissem ex potentia deitatis meæ fecisse. Quomodo ergo illi merentur intrare gloriam meam, qui modicam habent fidem, spem vanam, & charitatem nullam? Si denique haberent fidem gaudij æterni, & supplicij horribilis, nihil concupiscerent nisi me. Si crederent quod ego omnia video, & scio, & in omnia potens su, & de omnibus iudicium requiro, vilesceret eis mundus, & timerent magis coram me peccare propter timorem mei, quam pro hominibus. Si haberent spem firmam, tunc tota mens, & cogitatio eorum esset ad me, Si haberent charitatem diuinam, cogitarent saltem in animo quid feci pro eis, quantus mihi labor in prædicatione, quantus dolor in passione, quanta mihi charitas in morte, scilicet, quia prius volui mo-
ri, quam eos relinquere. Sed fides eorum 5
est infirma, & quasi pendet in eis, citius minans casum, quia credunt absente tentationis impulsu, diffidunt autem accedente aliquo contrario. Spes eorum est vana, quia sperant peccatum sine iusti-

iustitiæ, & veritate iudicij dimitti. Regnum cælorum confidunt obtinere gratis, misericordiam absque temperamento iustitiæ obtinere cupiunt. Charitas eorum ad me tota est frigida, quia nunquam accenduntur ad quærendum me, nisi tribulatione cogantur. Quomodo cum talibus possum calefieri, qui nec fidem habent rectam, nec spem firmam, nec charitatem ad me feruentem? Ideo cum clamauerint ad me, & dixerint, miserere mei Deus, nõ merentur audiri, nec intrare in gloriam meam, quia nolunt sequi Dominum suum ad passionem, ideo nec sequentur eum ad gloriam. Nullus enim miles placere potest Domino suo, & in gratiam eius post lapsum recipi, nisi prius aliquam humilitatem ei fecerit pro contemptu suo.

NOTAE.

1 Ego habui tria in morte mea, Primo fidem quando flectebam genua mea.

In Christo non fuisse fidem, prout habitus est infusus, & theologica virtus patet euidenter, quoniam cum ipse comprehensor; ac Beatus extiterit omnia illi præsentia erant, cunque fides obscuritatem quandam inuoluat, sitque de rebus non apparentibus, vt Hebræorum 11. Paulus definit fides est substantia rerum argumentum non apparentium, optime infertur repugnasse statui beatifico Christi fidem habere, quæ communis est sententia scholasticorum in 3. d. 26. & probat D. Augustinus in genere de omnibus Beatis lib. 14. de Trinit. cap. 2. illud autem quod Isaiæ 11. legimus, & fides erit cinctorium renum eius intelligendum de fidelitate, & veracitate, iuxta illud Matth. 22. Magister scimus, quod verax es; & viam Dei in veritate doces, sic interpretantur hunc locum Isaiæ, Cyrillus, & Hieronymus, & in hunc quoque sensum explicanda sunt verba præsentis notæ, aut etiam possumus dicere; quod hoc loco sermo non est de habitu fidei infuso in ordine ad primarium obiectum, quod est res diuina non visa, vt annotauit Caietanus super 3. par. S. Thomæ quæst. 7. art. 3. sed de scientia Christi, qua certo sciebat posse a Patre liberari de manibus Iudæorum, si vellet, & ideo ipsum dicentem legimus hic flectebam genua mea, & orabam, sciens quod posset me Pater eripere de passione mea.

2 Secundo spem habui, quando constanter expectabam, & dicebam, non sicut ego volo.

Quemadmodum fides est de rebus non visis, ita & spes eorum est, quæ aliquis expectat, nec dum habet, vnde Rom. 8. scripsit Apostolus, quod videt, quis quid sperat; ideo eadem ratione dicendũ est nobis, quod sicut in Christo non fuit fides, vt superiori nota probauimus, ita nec spes quandoquidẽ a principio suæ conceptionis cum plenam diuinarũ rerum habuerit fruitionem, ideo nec spem habuit, quia nulla in eo ratio erat, vt id speraret, quod plene possidebat, habuit tamen spem respectu aliquorũ, quæ nondum erat adeptus nimirum immortalitatẽ, & gloriam corporis, & cæterorum, quæ ex passione eius pendebant, vt tradidit D. Thomas 3. p. q. 7. art. 4. & propterea subditur hic spem habui, quando expectabam &c.

3 Ego etiam habui angustias corporis ex timore naturali passionis.

Ex his liquido constat Christi Domini humanitatem suapte natura fuisse doloris, ac miseriæ capacem, vt famis, sitis, mœroris, timoris, cæterasq. etiã corporis ægritudines illi fuisse connaturales, vt Mat. 4. ieiunauit quadraginta diebus, & noctibus postea esuriit Io. 4. da mihi bibere Matt. 26. & Mar. 14. cœpit tædere, & pauere, qua in re lapsi sunt quidã hæretici, qui affirmarunt dolorum sensibilium Christum fuisse expertem, quorum meminit Damas. in lib. de centum hæresibus cap. 84. & Niceph. lib. 2. hist. cap. 29. & damnatus est huiusmodi error in Conc. Ephes. & Calcedon. & a Cyrillo lib. de Incar. c. 27. sunt etiam caute legendi Clemens Alex li. 6. stromat. Hilar. lib. 10. de Trinit. & in Psalm. 68. Hieron. Matth. 4. & videtur quoque accedere Aug. relatus a Magistro in 4 sent. d 15 quem tamen excusans ait Aug. in Ps. 3 significasse, Christũ vere non timuisse secundum passionẽ, in Psal. vero 39. ostendisse, quod vere timuerit secundum propassionem, cæterum dicendum nobis est citatos Patres vere non negasse in Christo dolorẽ, aut timorem, sed affirmasse propria in eo illor non extitisse, quia poterant a diuinitate impediri, vel in eo non fuisse dolores, & timorẽ debitum, quatenus debitus ex peccato oritur; quod nunquam commisit, aut etiam, quia dolor, & tristitia, sic erant in Christo, vt non potuerint rationem impedire.

4 Non enim sine passione humanitas mea in gloriam venire posset ex iustitia, licet potuissem ex potentia deitatis meæ.

Hoc loco Redemptoris nostri necessitas passionis ostenditur, quæ ex triplici capite pensanda est. Primo ex parte nostra, quoniam per eam a dæmonis potestate liberati sumus. Secundo etiã ex parte ipsius met Dei ex cuius mandato cum plurima ad passionẽ spectantia per Prophetas in veteri lege fuissent prædicta, ac figurata debebant in noua lege compleri, quod egregie admonuit doctor Angelicus 3. par. q. 46. art. 1. Postremo respectu etiam ipsiusmet Christi necessaria videbatur, quoniam sua morte, quam plurima sibi meruit, vt gloriam corporis, & sui nominis exaltationem, sicut ad Philip. 2. scribitur humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum. & ad Hebr. 2. vidimus autem Iesum per passionem gloria, & corona coronatum, vbi hoc idem tradunt Theophilact. Oecumenius, Ambros. Beda, Anselmus, qui explicant duo citata loca ad Philippenses 2. & ad Hebr. 2 hoc etiam docuit D. Basilius lib. 4. contra Eunomium, Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 3. Chrysostom. Hom. 7. ad Philippen. Positio ordi nis diuina

D. Aug. lib. 3. contra Maximinum c. 2. & lib. 2. cap. 5. addit Dionysius Carthusianus ad Philippen. 2. fuisse Christum etiam exaltatum quantum ad naturam diuinam, quæ hominibus est manifestata per miracula a Christo facta, possumus, & nos adiungere fuisse quoque necessariam passionem, quoniam Saluator noster meruit per eam excellentiæ potestatem externa testimonia, quæ declarabant dignitatē eius, regnum speciale in Ecclesia, cuius est caput. iudiciariam potestatem, vt Iob 36 scribitur, causa sua, quæ quasi impij iudicata est, causam, iudiciumque recipies, & hoc est, quod legimus hic Christum non potuisse venire in gloria ex iustitia, absque passione sua.

VERBA QVALITER CREATOR proponit sponsæ tres benignas quęstiones: Primam de mariti seruitute, & dominio vxoris. Secundam de viri labore, & vxoris consumptione. Tertiam de contemptu domini, & de serui honore.

CAP. XL.

EGO sum Creator tuus, & dominus. Dic mihi tria, quæ quæro a te. Quomodo stat illa domus, vbi vxor vestitur sicut domina, & maritus eius quasi seruus? Nunquid decet sic. Tunc respondit illa intus in conscientia sua. Non domine decet sic. Et dominus. Ego sum dominus omnium, & Rex Angelorum. Ego vestiui seruum meum, idest humanitatem meam, non nisi ad vtilitatem, & necessitatem. Nihil enim quæsiui in mundo, nisi solummodo tenuem victum, & vestitum. Tu autem, quæ es sponsa mea, tu vis esse sicut domina habere diuitias, & honores, & honorifice incedere. Ad quid enim valent omnia ista? Certe omnia vana sunt, & omnia relinquentur. Homo quippe non creatus fuit ad tantam superfluitatem, sed ad necessitatem naturæ. Hanc autem superfluitatem inuenit superbia, quæ nunc habetur, & diligitur pro lege. Secundo dic mihi: Nunquid decens est vt vir laboret de mane vsque ad vesperam, & vxor in vna hora consumat omnia, quæ congregata sunt? Tunc illa respondit: Non decet sic, sed iuxta voluntatem viri viuere, & facere tenetur vxor. Et dominus; Ego feci sicut vir, qui a mane, vsque ad vesperam laborat: Ego enim a iuuentute mea, vsque ad passionem meam laboraui, ostendens viam eundi ad cælum prædicando, & opere complendo prædicata, hunc omnem laborem meum vxor, idest anima, quæ deberet esse mea, quasi vxor tunc consumit, quando luxuriose viuit, vt nihil ei profit, quæ ego feci, nec inuenio in ea aliquid virtutis, in quo possum cum ea delectari. Tertio dic mihi; In quacunque domo dominus contemnitur, & seruus honoratur. Nunquid non indecens est, & abominabile? Et illa: Vere sic est. Et dominus; Ego sum Dominus omnium. Domus mea mundus est, & homo seruus meus de iure esse deberet. Sed ego dominus nunc in mundo contemnor, & homo honoratur. & ideo tu quam elegi, cura facere voluntatem meam, quia omnia, quæ in mundo sunt, non sunt nisi quædam spuma maris, & quædam visio vana.

VERBA CREATORIS præsentibus cęlesti exercitu, & sponsa, qualiter conquæritur de quinque viris, scilicet de Papa cum suo clero, & de malis laicis, & de Iudæis, & de Paganis, & de auxilio misso amicis suis, per quos omnes homines intelliguntur, & de crudelissima sententia contra inimicos illata.

CAP. XLI.

EGO sum creator omnium. Ego ante luciferum a Patre genitus, & inseparabiliter in patre, & pater in me, & vnus spiritus in ambobus. Ideo vnus Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, non tres Dij. Ego sum, qui Abrahæ promisi hæreditatem æternam, & per Moysen eduxi populum meum de Ægypto. Ego idem sum, qui in Prophetis loquebar. Pater misit me in visceribus Virginis, non separans se a me, sed manens inseparabiliter mecum, vt homo a Deo recedens, ad Deum per charitatem meam rediret. Nunc autem præsente exercitu meo, qui omnia videtis in me, & scitis in me, tamen propter cognitionem, & instructionem istius adstantis sponsæ, quę spiritualia non potest percipere, nisi per corporalia. Conquæror coram vobis super istos quinque viros hic adstantes, quia multipli-

tipliciter offendunt me. Sicut enim olim per nomen Israel in lege intelligebam totum populum Israeliticum, sic nunc per quinque viros istos intelligo omnes homines in mundo. Primus est rector Ecclesiæ, & eius clerici. Secundus est mali laici. Tertius Iudæi. Quartus Pagani. Quintus amici mei. * Sed de te ò Iudææ, excipio omnes Iudæos, qui occulte sunt Christiani, & seruiunt mihi sincera charitate, & recta fide, & opere perfecto in occulto. De te autem Pagane excipio omnes, qui libenter incederent per viam mandatorum meorum, si scirent quomodo, & si instruerentur, qui & opere faciant quantum sciunt, & possunt, hi nullatenus vobiscum iudicabuntur. Nunc ergo conqueror super te caput Ecclesiæ meæ, qui sedes in sede mea, quam Petro, & successoribus eius tradidi ad sedendum in ea, triplici dignitate, & auctoritate. Primo, vt potestatem haberent ligandi animas, & soluendi a peccato. Secundo, vt aperirent cælum pœnitentibus. 1 Tertio, vt clauderent cælum maledictis, & contemnentibus. Sed tu qui deberes soluere animas, & ad me præsentare, tu vere es animarum interfector. Ego enim institui Petrum Pastorem, & seruatorem ouium mearum: Tu autem es dispersor, & lacerator earum. Tu autem peior es Lucifero. Ipse enim habebat ad me inuidiam, & nullum concupiuit occidere nisi me, vt pro me dominaretur. Tu autem tanto deterior es, quod non solum occidis me remouendo me a te per mala opera tua, sed & animas occidis per malum exemplum tuum. Ego redemi animas sanguine meo, & commisi eas tibi tanquam amico fideli. Tu autem tradis eas iterato inimico, a quo redemi eas. Tu es iniustior Pilato, qui nullum iudicabat ad mortem nisi me. Tu autem non solum iudicas me quasi nullius dominatorem, & nullius boni dignum, immo & animas innocentes condemnas, & nocentes dimittis. Tu es immitior Iuda, qui me solum vendidit, tu autem non solum me vendis, sed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo, & vano nomine. Tu es abhominabilior Iudæis. Ipsi crucifixerunt corpus meum solum, tu autem crucifigis, & punis animas electorum meorum, quibus malitia tua, & transgressio amarior est omni gladio. Et ideo quia tu similis es Lucifero, iniustior Pilato, immitior Iuda, abhominabilior Iudæis, Ideo merito conqueror super te. Ad secundum autem, idest ad laicos ait Dominus. Pro vtilitate tua omnia creaui. Tu consensisti in me, & ego in te. Dedisti mihi fidem tuam, & promisisti mihi cum iuramento tuo, te mihi seruiturum. Nunc autem discessisti a me, quasi homo ignorans Deum suum. Verba mea habes pro mendacio, opera mea pro vanitate, voluntatem meam, & mandata mea dicis nimis grauia. Tu factus es violator fidei promissæ. Tu fregisti iuramentum tuum, & dereliquisti nomen meum. Tu dissociasti te a numero sanctorum meorum, & venisti ad numerum dæmonum, & eorum es factus socius. Tibi videtur neminem laude, & honore dignum, nisi teipsum. Omnia quæ mea sunt, & quæ mihi facere teneris, sunt tibi difficilia, quæ autem tibi ipsi placent, facilia. Ideo merito conqueror super te, quia fregisti fidem tuam, quam mihi in baptismo, & deinceps dedisti. Insuper, & pro charitate mea, quam verbo, & opere tibi monstraui, arguis me mendacem. Pro passione mea dicis me fatuum. Ad tertium autem, idest ad Iudæos ait. Ego vobiscum incœpi charitatem meam, elegi vos in populum meum, eduxi vos de seruitute, dedi vobis legem meam, & introduxi vos in terram, quam promisi patribus vestris, misi vobis Prophetas in consolationem. Deinde ex vobis elegi Virginem mihi, ex qua suscepi humanitatem. Nunc autem conquæror super vos, quia adhuc non vultis credere, dicentes. Nondum venit Christus, sed adhuc venturus est. Ad quartum vero, idest ad gentilem ait Dominus. Ego creaui te, & redemi sicut Christianum, & omnia bona feci propter te, tu autem es quasi homo amens, quia nescis quid facis, quasi homo cæcus, quia nescis quo vadis. Colis enim creaturam pro Creatore, falsum pro vero, & curuas genu tuum ante inferiorem tuum. Ideo conquæror super te. Ad quintum autem ait. Procede amice vicinius; & statim ait ad cælestem exercitum. Amici dilecti, ego habeo vnum amicum per quem intelligo plures. Ipse est quasi homo inclusus inter malos, & captiuatus duriter. Si loquitur vera ipsi lapidant os eius. Si facit bona, lanceam mittunt in pectus eius. Ecce amici mei, & omnes Sancti, quamdiu patiar istos, & quamdiu sufferam talem contemptum. Respondit sanctus Ioannes Baptista. Tu es quasi speculum mundissimum. In te enim quasi in speculo videmus omnia sine verbo, & scimus. Tu es dulcedo incomparabilis, in qua omne bonum sapit nobis. Tu es quasi gladius acutissimus, qui iudicas in æquitate. Tunc respondit ei Dominus. Vere amice mi tu dicis verum, in me enim electi mei vident omne bonum

* vid. præfatio. 7.

3 & omnem iustitiam, 3 & etiam spiritus maligni, licet non in luce, sed in conscientia sua. Sicut enim homo positus in carcere, qui prius didicerat litteras, qui licet in tenebris sit, nihilominus scit ea, quæ didicit quamuis non videat. Sic dæmones quãuis non videant iustitiam meam in luce claritatis meæ, tamen sciunt, & vident in conscientia sua. Ego etiam sum quasi gladius, qui diuidit duo, sic ego vnicuique do sicut meretur. Deinde subiungens Dominus ait ad beatum Petrum. Tu es fundator fidei, & Ecclesiæ meæ. Dic audiente exercitu meo iustitiam de his quinque viris. Respondit Petrus. Laus, & honor sit tibi Domine pro charitate tua, quam facis cum terra tua. Benedictus sis tu ab omni exercitu tuo, quia facis nos videre, & scire in te omnia, quæ facta sunt, & futura sunt, in te enim omnia videmus, & scimus. Hæc est autem vera iustitia, vt primus, qui sedet in sede tua, & opera habet Luciferi, amittat cum contemptu sedem, in qua præsumpsit sedere, & particeps sit pœnæ Luciferi. De secundo est iustitia, vt qui recessit a fide tua descendat ad infernum, capite inferius, & pedibus sursum, quia contempsit te, qui deberes esse caput suum, & seipsum dilexit. De tertio est iustitia, vt non videat faciem tuam, sed & puniatur iuxta malitiam, & cupiditatem suam, quia perfidi non merentur videre visionem tuam. De quarto est iustitia, vt sicut homo amens recludatur, & in locis tenebrosis deputetur. De quinto est iustitia, vt ei mittatur auxilium. Quibus auditis respondit Dominus. Iuro per Deum Patrem, cuius vocem Ioannes Baptista in Iordane audiuit. Iuro per corpus, quod Ioannes in Iordane baptizauit, vidit, & attrectauit. Iuro per spiritum, qui in columbæ specie in Iordane apparuit, quod faciam iustitiam super istos quinque. Tunc deinde addens Dominus, dixit ad primum hominẽ de supradictis quinque. Gladius meæ seueritatis in corpus tuum intrabit, qui a superiori capitis ingredietur, & sic profunde, & valenter infigetur, vt nunquam extrahatur. Sedes tua demergetur quasi lapis põderosus, qui non subsistat antequam venerit in nouissimũ profundi. Digiti, idest assessores ardebunt igne sulphureo, & inextinguibili. Brachia tua, idest vicarij, qui ad animarum profectum extendi deberent, sed extenduntur ad vtilitatem mundi, & honorẽ, iudicabuntur pœna, quam dicit Dauid. Fiãt filij eius orphani, & vxor eius vidua, & alieni recipient substantiam eius. Quæ est vxor eius nisi anima? quæ relinquetur a gloria cælesti, & erit vidua a Deo? Filij eius, idest virtutes, quas habere videbantur, & simplices mei, qui sub ipsis erant, separabuntur ab eis, & dignitas eorum, & bona ad alios deuoluentur. Et ipsi pro dignitate æternam confusionem hæreditabunt. Deinde ornatus capitis eorum demergetur in lutum inferni, a quo nunquam consurgent. Vt sicut hic per honorem, & superbiam super alios ascenderunt, sic in inferno præ alijs demergentur, ita profunde, vt impossibile sit eis consurgere. Membra eorum, idest omnes sequaces eorum, & fautores clerici abscindentur ab eis, & disiungentur sicut murus destruendus, vbi non relinquitur lapis super lapidem, nec cæmentum adhærebit lapidibus, nec veniat super eos misericordia, quia charitas mea nunquam calefaciet eos, nec ædificabit eos in æternam mansionem in cælis, sed sine fine cum capitibus suis, dissoluti ab omni bono cruciabuntur. Ad secundum autem dico. Quia non vis tenere fidem mihi promissam, nec charitatem ad me habere, mittam ad te animal, quod de torrente impetuoso procedit, & absorbebit te. Et sicut torrens semper ad inferiora deriuatur, sic animal illud deducet te ad inferiora inferni. Et sicut impossibile est tibi contra torrentem impetuosum ascendere, sic difficile est tibi ab inferno vnquam consurgere. Ad tertium dico, quia tu Iudeę iam non vis credere me venisse, ideo cum venero ad secundum iudicium videbis me, non in gloria mea, sed in conscientia tua, & probabis, quod omnia erant vera, quæ dixeram. Tunc restat tibi pœna iuxta merita tua. Ad quartum dico, quia iam non curas credere, nec vis scire, lucebunt tibi tenebræ tuę, & cor tuum illustrabitur, vt scias iudicia mea esse vera, nec tamen venias ad lucem. Ad quintum dico. Tria tibi faciam. Primo implebo te intus calore meo. Et secundo faciam os tuum
4 var. lect. durius omni lapide, & stabilius, 4 ita vt lapides in te iacientes redeant. Tertio armabo te sic armis meis, quod nulla lancea nocebit tibi, sed omnia mollescant ante te, quasi cera a facie ignis. Ergo confortare, & sta viriliter. Sicut enim miles, qui in bello sperat auxilium Domini sui, tamdiu pugnat quamdiu aliquis liquor est in eo, sic tu sta firmiter, & pugna, quia Dominus Deus tuus dabit tibi auxilium, cui nullus potest resistere. Et quia paucum habes numerum, honorabo te, & multiplicabo te. Ecce amici mei, hæc videtis in me, & scitis, & sic stant ante me. Verba mea, quæ nunc dicta sunt complebuntur. Illi autem nunquam intrabunt in regnum meum quandiu ego sum Rex, nisi se emẽdauerint.

Nullis

Nullis enim dabitur cælum, nisi humiliantibus se, & penitentibus. Tunc respondit omnis exercitus: Laus sit tibi domine Deus, qui es sine principio, & sine fine.

NOTAE.

1 Tertio, vt clauderent cælum maledictis & contemnentibus.

var. lect. *M.S. Farnesianus legit, Vt clauderent cælum maledictis, & impœnitentibus.*

2 In me enim electi mei vident omne bonum, & omnem iustitiam.

Ad veram horum verborum intelligentiam, animaduertendum est nullum intellectum creatum videntem Deum per essentiam, in ea videre omnem iustitiam, & omne bonum, quod manat, vel manare potest ab ipso, & multo minus omnia, vel quæ ipse facit, & facere potest, vt probat D. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 56 & in 4. sent d 49. q. 2. & 1. p. q. 12 art. 8. quem sequuntur D. Bonauentura, Marsilius, & alij plures grauissimi viri in 4. dist. 49. Cuius rei ratio esse potest, quandoquidem nullus creatus intellectus potest Deum comprehendere, tum quia cum ex sacris litteris constet, nec Angelos in verbo videre omnia mysteria gratiæ, quanto magis verum hoc erit de cæteris beatis inferioris ordinis; scribitur enim Isaiæ 63. Quis es iste qui venit de Edom tinctis vestibus? & psalm. 23. Quis est iste Rex gloriæ? ex quibus testimonijs sancti Patres colligunt Angelos interrogasse de quibusdam mysterijs spectantibus ad Christum dominum, & humani generis reparationem, quæ ipsi ignorabant; sic D. Ambr. lib de Instit. Virg cap. 5. D. Dionysius cap. 7. cælestis Hierarch D. Hieron. super Isaiam loc. cit. Cum ergo hoc verissimum sit, dicendum est cum legimus hic, quod sancti vident omne bonum in Deo, quod illud quilibet Beatus in verbo videat, quod ad eum perfecte Beatum constituendum sufficit, quodque eius rationabile, & iustum desiderium satiat, & hoc est diuina essentia, quæ est omne bonum, in qua tanquam in speculo relucent omnia bona, cuius visio pro vniuscuiusque dignitate, ac merito communicatur: vnusquisque, tamen ad illius visionem est perfecte Beatus, vt egregie explicauit D. Greg. Nazianz. in orat. de pauperibus amandis: Vt, inquit, sunt variæ viuendi rationes, ita multæ sunt apud Deum sedes pro sua cuique dignitate distributæ, & clarius idem docuit D. Prosper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 4 his verbis: Sicut corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet quamuis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes Sancti si fuerint aliqua graduum diuersitate distincti, vna beati vdine perfecti sunt, & vna perfectione Beati: qua de re legendi sunt Diuus Gregorius libro 4. Moralium c. 31. & Lyran. & alij explicantes illa verba Ioan. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

3 Et etiam spiritus maligni, licet non in luce, sed in conscientia sua.

Hoc loco de naturali cognitione dæmonum sermo fit, quam per peccatum non amiserunt, vt tradit D. Dionysius ca. 4. de diuinis nominibus, & per hanc sicut homines per sua naturalia ex creaturis ad Dei cognitionem perueniunt; ita quoque dæmones possunt ad eandem sic peruenire, & hoc duplici via, vel per species intelligibiles, quas habent omnium effectuum creatorum, vt patet ex Paulo Ro. 1 Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur &c. aut etiam per essentiam propriam concurrentem ad hanc cognitionem, non solum per modum effectus repræsentantis suam causam, sed etiam per modum similitudinis, sic probat Ferrariensis lib. 2. contra gentes cap. 98. Capreolus in 2. d. 3. q. 2. ad primum argumentum Scoti. Caietanus super primam partem S. Thomæ q. 56. art. 1. Verum dæmones non sic dicuntur Dei essentiam videre, quoniam nulla similitudo creata potest inueniri sufficiens ad eam perfectam repræsentandam, vt auctor est D. Thomas 1. p q. 12. art. 2. & hoc est, quod legimus hoc loco dæmones videre Deum in conscientia sua, nimirum in natura sua, in qua impressa existit similitudo Dei, non vero in luce, quia non est similis visioni Beatorum, quæ illis per lumen gloriæ communicatur: Vnde recte Diuus Thomas 1. p q. 56. art. 3. comparat hanc dæmonum visionem ei quæ fit per speculum, in quo rei tantummodo similitudo conspicitur non ipsamet res.

4 *Circa finem præsentis capitis; vbi hactenus impressa exemplaria legunt,* Ita vt lapides in te iacientes redeant.

var. lect. *Manuscriptus Codex Farnesianus habet, Ita vt lapides in te iactati redeant, atque sic esse corrigendum hunc textum censeo.*

VERBA EXHORTATIONIS Virginis ad Sponsam, qualiter filium suum debeat diligere super omnia, & qualiter in Virgine gloriosa omnes virtutes, & gratiæ includuntur.

CAP. XLII.

MATER loquebatur. Ego habui tria, quibus placui filio meo: Humilitatem, vt nulla creatura, nec Angelis, nec homo esset me humilior. Secundo habui obedientiam, quia studui obedire filio meo in omnibus. Tertio habui præcipuam charitatem. Ideo tripliciter honorata sum a filio meo. Nam primo facta sum Angelis, & hominibus honora-

1 norabilior, 1 ita vt nulla sit virtus in Deo,
quæ non fulgeat in me, licet ipse sit fons,&
& omnium Creator. Ego autem sum creatura eius, cui gratiam suam concessit præ cæteris. Secundo pro obedientia tantam potestatem obtinui, quod nullus tam immundus peccator est, si ad me cum emendationis proposito conuertitur, & cum corde contrito, quod non habebit veniam.
2 2 Tertio pro charitate sic appropinquat
Deus mihi, quod qui videt Deum, videt me, & qui videt me, deitatem, & humanitatem videre potest in me quasi in speculo, & me in Deo. Quicunque enim videt Deũ videt in eo tres personas. Et quicunque videt me, videt quasi tres personas. Nam deitas conclusit me in se cum anima,& corpore, & impleuit me omni virtute, vt non sit virtus in Deo, quæ non splendeat in me quamuis ipse Deus est Pater, & dator omnium virtutum. Sicut enim duo corpora insimul coniuncta, quicquid vnum receperit hoc recipit aliud. Sic fecit mihi Deus. Nam non est dulcedo, quæ non est in me. Quemadmodum aliquis habens nucleum,& partem alteri communicat. Anima, & corpus meum puriora sunt sole, & mundiora
3 speculo. 3 Vnde sicut in speculo viderentur tres personæ si astarent, sic in puritate mea videri potest, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Ego enim habui filium in vtero meo cum deitate. Nunc ipse videtur in me cum deitate, & humanitate quasi in speculo, quia glorificata sum. Ergo sponsa filii mei, stude sequi humilitatem meam,& nihil diligas nisi filium meum.

NOTAE.

1 ITa vt nulla sit virtus in Deo, quæ non fulgeat in me.

Hoc loco Beatissima Virgo asserit cunctas virtutes, quæ in Deo sunt in ea fulgere, quod esse intelligendum arbitror, non de quacunque virtute, ac perfectione absolute, sed de perfectione communicabili puræ creaturæ, qua in re, & Angelos, & homines, cæterasque creaturas præstitit, vt scribitur circa medium præsentis capitis ibi, cui Deus gratiã suam præ cæteris concessit, & ideo ab Angelo his verbis merito saluta est (Aue gratia plena) quod exponens D. Hieron. serm. de Assumpt. bene plena est, quia cæteris per partes præstatur gratia Mariæ vero simul se tota infudit gratiæ plenitudo: aut etiã dicendum est verba præsentis notæ intelligi de Virgine pro tempore, quo Christum gestabat in vtero, tunc enim sicut in eo Christum habebat, in quo erat plenitudo diuinitatis corporaliter, vt dixit Apostolus ad Coloss. 2. sic in Maria splendere poterant virtutes omnes per quandam refulgentiam, quæ erant ipsius Christi, tunc secundum diuinitatem, & humanitatem realiter existentis in ea, & hæc interpretatio aperte colligi potest ex contextu paulo ante medium huius capitis ibi, Qui videt me deitatem, & humanitatem videre potest, & circa finem ex illis verbis, sicut in speculo viderentur tres personæ, si astarent, sic in puritate mea videri potest Pater Filius, & Spiritus sanctus, ego enim habui filium meum in vtero meo cum deitate.

2 Tertio pro charitate, sic appropinquat Deus mihi, quod qui videt Deum videt me, & qui videt me deitatem, & humanitatem videre potest.

Ad horum verborum intelligentiam sciendum est, quod præter cæteros modos, quibus Deus est in creaturis, quos hoc eodem cap. nota 3. attulimus, quidam alius inuenitur, qui tantummodo rationalibus competit creaturis, quo Deus esse dicitur in illis sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, & quia cognoscendo, & amando rationalis creatura operatione sua attingit ad ipsum Deum, ideo secundum hunc specialem modum Deus non solum esse dicitur in creatura, sed & habitare in ea, sicut in templo, vnde Apostolus hac de causa nos templum Dei appellat 1. Cor. 3. nescitis, quia templũ Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis, & infra eadem Epist. templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, his positis, quis non videat cum Maria diuinæ scientiæ, & charitatis dono cæteros antecelluerit peculiari quadam ratione in ea singulariter habitasse Deum, vt hoc loco merito dicat, quod Deus, sic ei per charitatem vicinus erat, quod qui Deum videt, eam videt, & è contra, qui Mariam videt, Deum videt, verissimum nanque est, quod 1. Io. 4. legitur, qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, aut etiam dicendum est, quod cum in Deo omnium creaturarum Ideæ, ac similitudines existant singulari quodam modo, sicut inter puras creaturas Maria erat nobilissima, sic excellentiori quodam modo in essentia diuina fulgere, & in Patria Beati essentiam diuinam videndo, Mariam videre cuius visione summopere lætantur, & gaudent, ideo hic dicit, qui Deum videt, me videt, cum vero sequitur, qui videt me, videt deitatem hoc apertissimum est, quandoquidem cum Deus ad imaginem suam, ac similitudinem creasset hominẽ, certè hoc etiam singulariter concessisse Virgini credendũ est, per quod ipsamet Deitas, secundum hanc imaginem in Maria videri poterat, quod etiam alia via patere potest, si enim verum est, quod quidam grauissimi viri affirmarunt, in iustificatione non solum dari Dona charitatis, & gratiæ, sed ipsammet personam Spiritus sancti secundum substantiam, cui sententiæ fauere videtur D. Thomas 1. par. q. 93. art. 3. & insinuat D. Leo serm. de Pentecost. his verbis Spiritus sanctus, datur non solum secundum virtutem, & operationem, sed etiam secundum præsentiam maiestatis, & D. August. tract. 74. in Ioan. & lib. 15. de Trinit. cap. 26. quomodo inquit Deus non est, qui dat Deum, idem indicat Ambros. lib.

1. de

1. de Spiritu sancto cap. 4. sequitur hanc sent. Magister, & plures ex scholasticis in 1. sent. d. 14. & patet ex illo Rom. 5. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, & Paulus distinguit inter ipsum donum charitatis, & personam Spiritus sancti, quæ datur nobis: quæ sententia, si vera est, vt verissimam esse censeo, etiam verum erit, quod hoc loco legimus, quod qui Mariam videt, potest & ipsammet deitatem videre in ea per effectus saltem, qui manabant à Virgine virtute deitatis latentis in ea, aut etiam hæc vera sunt de Virgine habente in vtero Christum, in quo erant diuinitas, & humanitas hipostatice vnita.

3 Vnde sicut in speculo viderentur tres personę si astarent, sic in puritate mea videri potest Pater Filius & Spiritus sanctus.

Hic textus ansam præbet, vt quæramus an in Christi Domini humanitate, & in vtero Beatiss. Virg. peculiari aliqua ratione fuerit tota Trinitas, & quidem primo certum est, ibi tres personas adfuisse secundum communem modum, quo dicere solemus Deum esse vbique, per essentiam, præsentiam, & potentiam, Secundo etiam dicendum est Trinitatem fuisse in Christi humanitate, ac etiam in vtero Virginis per identitatem, ac circumsessionem, quod probari potest ex illo ad Colossenses 2. vbi Paulus Apostolus affirmat in Christo habitasse plenitudinem diuinitatis corporaliter; tertio quoque possumus asserere vtrobique fuiße Trinitatem iuxta triplicem modum allatum a D. Thoma 1. par. quæst. 42. art. 5. & 4. vbi docet vnam personam esse in alia ratione essentiæ, relationis, & originis. Postremo etiam dici potest ratione immanentiæ, secundum quem modum Ioan. 10. 12. & 14. legimus vnam personam diuinam esse in alia, idem annotarunt plures ex sanctis Patribus D. Dionysius 2. de diuinis nominibus, D. Basil. Hom. 24. Cyrillus lib. 3. Thesauri cap. 1. Hilarius lib. 3. & 7. de Trinit. Magister sent. in 1. d. 19. D. Augustinus de fide ad Petrum cap. 1. atque in hunc sensum interpretanda sunt verba præsentis notæ, cum dicitur, quod in Maria videri poterat Pater Filius & Spiritus sanctus, qua de re etiam egimus lib. 2. Reuelat. cap. 13. nota 1. si quis autem quærat an ratione Incarnationis dicendæ sint omnes tres extitisse in vtero Virginis, respondendum est, quod si sumatur incarnatio, prout dicit præcise rationem terminandi, ac sustentandi naturam humanam, tunc in vtero Virginis, secundam tantummodo fuisse personam, verbum enim solus carnem assumpsit, & humanam naturam sustentauit, ac terminauit, secus vero dicendum est si sumatur Incarnatio, vt dicit actum assumentis, qui actus procedens ex diuina virtute communis est tribus personis, & tres personæ fecerunt, vt humana natura vniretur secundæ personæ diuinæ, quod etiã explicauimus supra hoc eodem lib. cap. 38. nota 1.

VERBA FILII AD Sponsam, qualiter ex modico bono homo ascendit ad perfectum bonum & ex modico malo descendit ad summum supplicium.

CAP. XLIII.

FILIVS Dei loquebatur. Ex modico bono oritur quandoque magna merces. Dactilus mirifici odoris est, & in fructu eius lapis, Si ponitur in pingui terra pinguescit, & fructificat, & crescit in magnam arborem. Si autem ponitur in arida terra arescit. Arida est nimis terra illa a bono, quæ delectatur in peccato. In qua si semen virtutum seritur nõ pinguescit. Pinguis autem est terra mentis illius, qui cognoscit peccatum, & gemit se peccasse. In qua si ponitur lapis dactili, idest seritur seueritas iudicij mei, & potentiæ meæ, radicatur tribus in mente radicibus. Primo cogitat se nihil posse facere sine auxilio meo; ideo aperit os suum ad rogandum me. Secundo incipit etiam modicam dare eleemosynam pro nomine meo. 1 Tertio exoccupat se 2 negocijs suis ad seruiendum mihi. 2 Deinde incipit abstinere in ieiunio, & in abdicatione voluntatis proprie, & hoc est corpus arboris. Postea crescunt charitatis rami, quando trahit omnes quos potest ad bonum. Deinde crescit fructus; quando etiam alios docet inquantum scit, & tota deuotione intendit, quomodo honorem meum possit ampliare. Talis fructus mihi summe placet. Sic igitur ex modico ascendit ad perfectum. Quando primo radicatur per modicam deuotionem, crescit corpus per abstinentiam. Multiplicantur rami per charitatem. Pinguescit fructus per prædicationem. Simili modo per modicum malum descendit homo ad summam maledictionem, & summum supplicium. Nunquid scis quid est onus grauissimum de his, quæ crescunt? Certe hoc est infans, qui venit ad partum, & non potest nasci, sed intra viscera matris moritur, & ex hoc etiam mater rumpitur, & moritur, quam pater cum filio defert ad sepulchrum & cum putredine sepelit. Sic diabolus facit animæ. 1 Anima quippe vitiosa est quasi vxor diaboli, cuius in omnibus sequitur voluntatem, quæ tunc concipit ex diabolo, quando peccatum placet ei, & gaudet in eo. Sicut enim mater ex modico semine, quod

1 var. lect. 2 var. lect.

quod non est nisi putredo concipit, & fructificat, sic & anima cum delectatur in peccato, facit magnum fructum diabolo. Inde formantur membra, & robur corporis, quando peccatum super peccatum additur, & quotidie augmentatur. Augmentatis itaque peccatis, mater intumescit, volens parere, sed non valet. Quia consumpta natura in peccato, tædio habetur vita, & libenter vellet plus peccare, sed non potest, nec permittitur a Domino. Tunc adest timor, quod non potest voluntatem suam perficere, abest fortitudo, & lætitia. Vndique est dolor, & sollicitudo. Tunc rumpitur venter, quando desperat se posse facere bona. Tunc quoque moritur, quando blasphemat iudicium Dei, & reprehendit, & sic ducitur a diabolo patre ad sepulchrum inferni, vbi cum putredine peccati, & filio delectationis prauæ, sepelitur sine fine. Ecce quomodo ex modico augetur peccatum, & crescit ad damnationem.

NOTAE.

1 var. lect. Tertio exoccupat se in negotijs, sic habent impressa exemplaria.
M. S. Farnesianus legit, Tertio exoccupat se a negotijs sæcularibus.

2 var. lect. Deinde incipit abstinere in ieiunio.
Codex M. S. rectius habet, deinde incipit abstinere a victu, hoc est a cibo, & potu.

VERBA CREATORIS ad sponsam, qualiter nunc despicitur, & vituperatur ab hominibus, non attendentibus quid fecerit ex charitate monendo in prophetis, & etiam patiendo pro ipsis, nec curantibus de eius ira, quam contra obstinatos exercuit crudeliter corrigendo.

CAP. XLIV.

EGO sum Creator omniũ, & Dominus. Ego feci mundum, & mundus spreuit me. Ego audio de mundo vocem quasi apis maioris, qui in terra congregat mel. Nam sicut apis maior cum volat, statim ad terram se iterum deprimit, & nimis raucam vocem emittit, sic in mundo nunc audio vocem illam raucam dicentem. Non curo quid sequitur post hæc. Omnes quippe iam clamant, non curo. Vere homo non attendit, nec curat quid feci ex charitate, monendo in Prophetis, prædicando per me ipsum, patiendo pro ipsis. Non curat quid feci in ira mea, corripiendo malos, & inobedientes. Vident se mortales, & incertos de morte, & non curant. Audiunt, & vident iustitiam meam, quam exercui propter peccata in Pharaone, & Sodomitis, quam feci in Regibus, & alijs Principibus, quam permitto quotidie fieri in gladio, & alijs tribulationibus, & hæc sunt eis quasi cæca omnia. Ideo sicut apes maiores volant ad quodcunque volunt. Volant quippe quandoque quasi saltando, quia superbia sua se eleuant, sed deprimunt se citius, quando ad luxuriam, & gulam suam reuertuntur. Congregant etiam dulcedinem, sed sibiipsis, & in terra, quia homo laborat, & congregat ad vtilitatem corporis non animæ, & ad honorem terrenum non æternum. Vertunt sibi temporale in pœnam illud, quod ad nihilum est vtile in supplicium sempiternum. Ideo propter preces matris meæ, mittam apibus istis a quibus exempti sunt amici mei, qui non sunt in mundo, nisi corpore, vocem meam claram, quæ prædicabit misericordiam, quam si audierint, saluabuntur.

RESPONSIO MATRIS Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, & dæmoniorum ad Deum, præsente sponsa, testificando eius magnificentiam in creatione, & incarnatione, & redemptione, & qualiter nunc homines omnibus istis contradicunt, & de seuero eorum iudicio.

CAP. XLV.

MATER Dei loquebatur. Vesti te sponsa filij mei, & sta stabilis, quia appropinquat tibi filius meus. Caro eius fuit pressa quasi in torculari. Sicut enim in omnibus membris homo deliquit, sic ipse filius meus in omnibus satisfecit. Crines filij mei erant extensi, nerui distenti, iunturæ extractæ de compagibus, 1 ossa laniata, manus, & pedes confixi, mens turbabatur, cor dolore afficiebatur. Intestina ad dorsum contrahebantur, quia in omnibus membris peccauit homo. Deinde loquebatur filius astante cælesti exercitu, & ait.

& ait. Licet omnia scitis in me, tamen
propter istam spōsam meam, quæ adstat lo-
quor. Quæro à vobis, Angeli dicite mihi,
quid est hoc, quod fuit sine principio, & sine
fine? Et quid est hoc, quod omnia creauit,
& a nullo creatum est? Dicite, & perhibete
testimonium. Responderunt Angeli quasi
vna voce dicentes. Domine tu es ille.
Perhibemus enim tibi testimonium de tri-
bus. Primo, quod tu es Creator noster, &
omnium, quæ sunt in cælo, & in terra. Se-
cundo, quod tu es sine principio, & eris sine
fine, dominatio tua, & potestas tua in æter-
num. Sine te enim nihil factum est, & sine
2 te nihil fieri potest. 2 Tertio testificamur,
quod omnem iustitiam, & omnia, quæ facta
sunt, & futura sunt videmus in te, & omnia
sunt in tua præsentia sine principio, & sine
fine. Deinde dixit ad Prophetas, & Patriar
chas. Quæro a vobis. Quis adduxit vos
de seruitute in libertatem? Quis diuisit co
ram vobis aquam? Quis dedit vobis legem?
Quis dedit vobis Prophetiæ spiritum loquen
di? Responderunt ei. Tu Domine. Tu e-
duxisti nos de seruitute. Tu dedisti legem.
Tu suscitasti spiritum nostrum ad loquen-
dum. Deinde ait ad Matrem. Dic testimo
nium veritatis, quod scis de me. Respon-
dit illa. Antequam Angelus missus a te ve
niret ad me, fui sola cum corpore, & ani-
ma. Dicto autem verbo Angeli, corpus
tuum fuit in me cum deitate, & humanita-
te, & sensi in meo corpore corpus tuum.
Ego portaui te sine dolore, peperi sine an-
gustia. Ego inuolui te pannis, paui te lacte
meo, ego fui tecum a natiuitate vsque ad
mortem. Deinde ad Apostolos ait dicens.
Dicite quis est ille quem vidistis, audistis,
& sensistis? Responderunt illi. Nos audi-
uimus verba tua, & scripsimus ea, nos audi-
uimus magnalia tua cum dedisti nouam le-
gem. Cum verbo præcepisti dæmonibus,
& exierunt. Cum verbo suscitasti mortuos,
& sanasti infirmos. Nos vidimus te in huma
no corpore. Nos vidimus magnalia tua in
diuina gloria in humanitate. Nos vidimus
te traditum inimicis, & pendere in ligno.
Nos vidimus in te passionem amarissimam,
& in sepulchro positum. Nos sensimus te
3 cum resurrexisti. 3 Attrectauimus crines
var. tuos, & faciem tuam. Attrectauimus loca
lect. vulnerum tuorum, & membra tua. Tu co-
medisti nobiscum, & dabas eloquia tua. Tu
vere es filius Dei, & filius Virginis. Sensi-
mus etiam cum ascendisti ad dexteram pa-
tris cum humanitate, vbi es sine fine. Dein
de dixit Deus ad spiritus immundos, licet
in conscientia vestra celetis veritatem, præ
cipio tamen vobis dicere, quis minuit pote-
statem vestram? Responderūt ei. Sicut fures
nisi duro ligno grauentur pedes eorū, non
dicūt veritatē, sic nec nos nisi coacti diuina,
& terribili potentia tua, non diceremus ve-
4 ritatem. 4 Tu es, qui ad infernum cum for-
titudine tua descendisti. Tu minuisti pote-
5 statem nostram in mundo. 5 Tu ius tuum
de inferno suscepisti. Tunc ait Dominus.
Ecce omnes, qui habent spiritum, & non
vestiuntur corpore, perhibent mihi testimo
nium veritatis, qui autem habent spiritum,
& corpus, scilicet homines contradicunt mi
hi. Quidam autem sciunt, sed non curant.
Alij nesciunt, ideo non curant, sed dicunt
omnia esse falsa. Iterum ait ad Angelos.
Ipsi dicunt testimonium vestrum esse fal-
sum, quod non sum creator, nec omnia
sciuntur in me. Ideo diligunt magis crea-
turam quam me. Ad Prophetas autem
ait. Vobis contradicunt, dicentes legem
esse vanitatem. Fortitudine vestra vos esse
liberatos, & solertia. Spiritum fuisse fal-
sum, & vos propria voluntate locutos esse.
Ad Matrem autem ait. Aliqui dicunt te
non esse Virginem. Alij me non sumpsisse
corpus de te. Alij sciunt, sed non curant.
Ad Apostolos autem ait. Vobis contradi-
cunt, quia dicunt vos esse mendaces, le-
gem nouam ad nihil vtilem, & sine ratio-
ne. Alij sunt, qui credunt esse verum, sed
non curāt. Nunc igitur quæro à vobis, Quis
erit iudex istorum. Responderunt ei om-
nes. Tu Deus qui es sine principio, & sine
fine. Tu Iesu Christe, qui es cum Patre, ti-
bi datum est iudicium a patre, tu es iudex
istorum. Respondit Dominus. Ego qui
conquærebar super eos, nunc sum iudex eo-
rum, sed licet omnia possim, & nouerim,
tamen vos date iudicium vestrū super eos.
Responderunt ei. Sicut totus mundus in
principio mundi aquis diluuij perijt, sic
nunc dignus est mundus igne perire, quia
abundat nunc magis iniquitas, & iniustitia,
quam tunc. Respondit Dominus. Quia
sum iustus, & misericors, nec iudicium facio
sine misericordia, nec misericordiam sine
iustitia. Ideo adhuc semel propter preces
Matris meæ, & sanctorum meorum mittam
mundo misericordiam meam. Si autem
noluerint audire, tanto seuerior sequetur
iustitia.

NOTAE.

1 MEns turbabatur, cor dolore afficie-
batur.

Redemptor noster Christus, vt susceptæ carnis veritatem probaret, quosdam corporis defectus assumpsit, vt famem, sitim, & si qua sunt huiusmodi, vtque etiam veram assumpsisse animam ostenderet,

deret, eiusdem quoque passiones, & affectiones suscepit, vt tristitiam, timorem, dolorem, eas tamen, quæ imperfectionem aliquam importabant sicut ignorantia, & alia huiusmodi nullatenus decebat eum habere, quandoquidem ipse Deus erat, & homo perfectissimus, & ad perfectionis scholam aperiendam, & legis Euangelicæ doctrina populos imbuendos venerat, cum autem scribitur hic, quod eius mens turbabatur, & cor dolore afficiebatur, non est intelligendum de timore, vel tristitia, quibus ratio a Dei contemplatione, ac rectitudine mouetur, nam potentiæ eius sic perfectæ rationi suberant, vt nec tantillum quidem a recto dictamine flectere possent, dicendum ergo nobis est, quod cum hoc loco legimus, mentem eius turbatam esse, intelligendum quantum ad humanæ rationis affectum, vel inferiorem portionem, qua & mortem timebat, & mori fugiebat secundum illud Lucæ 22. & Matt. 26. Pater si possibile est transeat a me calix iste, affectu tamen rationis superioris conformabatur diuinæ voluntati, & pati, & mori volebat, ideo dicebat non mea, sed tua voluntas fiat, & in eodem sensu interpretanda sunt ea verba Psalmi sexti: Anima mea turbata est, si de Christo intelliguntur, ibi enim anima sumitur pro parte sensitiua, cui passiones insunt, sed hac de re vide plura hoc eodem libro cap. 39. nota 3.

2 Testificamur quod omnem iusticiam, & omnia, quæ facta sunt, & futura sunt, videmus in te, & omnia sunt in tua præsentia.

Explicauimus supra hoc eodem lib. cap. 42. nota secunda, qua nam Beati in Patria in verbo videant, nunc autem quia scribitur hic, quod omnia Deo præsentia sunt expediret, vt traderemus modum, quo id intelligendum sit, sed quoniam hoc Scholasticorum Doctorum negotium est, sat erit in præsentia nosse, creaturas omnes Deo esse præsentes, vel secundum modum essendi, quem habent in essentia diuina, in qua sunt eminenter, & virtualiter, aut etiam secundum realem existentiam, & illud esse, quod habent extra suas causas, si productæ sunt, vel habiture si producentur, sicq. cognosci a Deo, quantum ad eorum realem existentiam, quia sic coexistunt æternitati, sic docet Diuus Thomas 1. par. quæst. 14. art. 13. & hoc colligitur ex D. Augustino super illud Psalm. 49. pulchritudo agri mecum est, & serm. 11. de verbis Apostoli, & lib. 11. de ciuitate cap. 21. & fauere videntur Boetius 5. de Trinitate prosa vltima, & Magister in primo distinct. 35. sequuntur hanc sententiam D. Thomæ, Ferariensis primo, contra gentes cap. 67. Capreolus in primo distinct. 38. quæst. vnica art. 2. Cardinalis Caetanus super sanctum Thomam loco citato, cæterum vt hæc manifestiora fiant sciendum est res creatas dupliciter considerari posse, primo modo secundum esse virtuale suæ causæ, secundum quod dicuntur in sua causa præexistere a qua pendent tanquam a suo principio productiuo, & conseruatiuo, secundum quem sensum D. Dionysius de diuinis nominibus cap. quinto, affirmat Deum in vna existentia omnia præhabere, & D. Anselmus in Monolog. cap. 36. dicit, quod res verius sunt in Deo, quam in se ipsis, cuius dicti ratio esse potest, quia potentia productiua, & conseruatiua in illo non distinguitur ab essentia eius: esse autem diuinum verius est, & perfectius, quam esse creatum, & ideo creaturæ verius sunt in Deo, quam in propria natura, si vero illæ considerentur formaliter, & secundum naturam propriam sui generis, sic esse in Deo dicuntur, quia in eius scientia sunt, & potentia, scit enim Deus eas, & producit, & producta potest destruere, non vero dicuntur esse proprie in essentia, sic quia creatura secundum genus suum considerata, non est idem, quod diuina essentia, quod declarauit D. Augustinus lib. septimo confessionum cap. 11. creaturas inquit sunt, & non sunt, sunt quia a Deo sunt, non sunt, quia quod ipse est, non sunt, id enim vere est, quod incommutabiliter manet.

3 Attrectauimus crines tuos.

var. lect. *Rectius M. S. Farnesianus, Attrectauimus carnes tuas, & congruit cum ea sententia primæ Ioan. 1. quæ vidimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.*

4 Tu es qui ad infernum cum fortitudine tua descendisti.

Si de Christi Domini descensu ad inferos tractamus, dicendum est, Animam eius ad infernum damnatorum non descendisse nisi per aliquem effectum, in quantum ibi existentes de eorum delictis, ac infidelitate redarguit, & confutauit, sic enim docet D. Damascen. lib. 3. de fide cap. 29. quod inquit, sicut his, qui in terra sunt Euangelizauit, ita & his, qui in inferno non quidem, vt incredulos ad fidem conuerteret, sed vt eorum infidelitatem confutaret, idem docuit D. Thomas, & Caetanus 3. par. quæst. 52. art. 2. per essentiam vero secundum animam Saluator noster descendit ad locum inferni, in quo iusti detinebantur, sic tradunt D. Thomas loco citato, & in tertio sentent. dist. 22. & ibidem D. Bonauent. Ricardus, Gabriel, Palud. & Marsilius quæst. 13. rationem autem tradit D. Thomas, vbi supra cum dicit, vt eos secundum animam visitaret, quos secundum diuinitatem per gratiam visitabat. Cæterum non defuerunt, qui opinati sunt, etiam Christum secundum animam descendisse ad infernum damnatorum, sic Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Anima Christi cap. 16. probabilior tamen sententia est, non descendisse ibi, nisi secundum effectum, vt egregie annotauit Franciscus Suarez super tertiam partem S. Thomæ q. 52. disp. 43. sect. 4. vbi respondens Arg. Card. Bellarmini asserit hanc opinionem communiter ab omnibus esse receptam, & probatur ex eo, quod Christus nullam occasionem habebat descendendi, sic ad infernum damnatorum, descendit enim ad infernum, tum vt Patres liberaret, qui morabantur in limbo, tum propter se, supposito diuinæ prouidentiæ ordine, Anima namque Christi a corpore separata alicubi erat futu-

futura ; & nullus erat aptior locus limbo, in quo moraretur, qui deputatus fuerat pro sanctis animabus vsque ad consummatam hominum redemptionem, & Christi Resurrectionem, debuit ergo illa anima ibi collocari, donec iterum corpori vniretur.

5 Tu ius tuum de inferno suscepisti.

Sermo fit hoc loco de liberatione Patrum ex limbo vbi detinebantur captiui propter originale peccatum, per quod eis ad cælestem gloriam aditus non patebat; ibique descendens Dominus cum passione sua pro illis de rigore iustitiæ satisfecisset, eos liberauit, secumque ad cælum traxit; quod quia sibi de iure ex rigorosa satisfactione competebat, ideo in præsenti capite ius suum de inferno suscepisse dicitur, immo momordisse etiam infernum Oseæ 13. Mors tua morsus tuus ero inferne. & Paulus ad Collossenses 2. affirmat Christum expoliasse Principatus, & potestates infernales extrahendo iustos ex inferno, eosque ad suam gloriam secum deducendo. Quod egregie explicauit Diuus Chrysostomus sermone 3. de Christi Domini Ascensione nuper a Gerardo Vossio in lucem edito, notisque illustrato, qui sermo habetur inter opera D. Gregorij Thaumaturgi in Miscellaneis, sic enim habet non longe ab initio. Nam incorrupto resurgens, & glorioso corpore, hostis vires fregit, & eius machinis contritis, telis dissipatis, vinculis disruptis, dolorum, ac perturbationum Iugo proiecto, ad Plutonis Regiam descendit, eius thronum diuulsit, Diadema distraxit, sceptra perdidit, eum, qui tenebatur exsoluit, Tyrannum pessumdedit, vocem emisit dicens; Venite omnes patriæ gentium, ad Deum Patrem, Venite, & pro seruitute libertatem reportate, vos è seruitute in libertatem adduco, ex tenebris ad lucem, de morte ad vitam, ex Tyrannide ad Regiam, vitæ vobis lætum nuntium fero, ego sum Christus, itaque ne amplius timueritis Tyrannum, sed metum, ac mortem, famem, atque pressuram vinculorum Gladij, & angustiæ despicite, hæc enim Tyranni perimescit exercitus, qui profligatus est, solus autem omnium ego Rex sum victor, qui & in carne pro vobis passus sum, hæc Chrysostomus, cui adstipulantur etiam Gloss. ordinaria, Lyranus, & Chartusianus super citatum locum ad Ephes. 2. quo loco idem adnotarunt.

VERBA LAVDIS MATRIS & filij præsente sponsa adinuicem, & qualiter nunc Christus ab hominibus inhonestus, turpissimus, & vilissimus reputatur, & dicitur de æterna malorum damnatione.

CAP. XLVI.

MARIA loquebatur ad filium suum dicens. Benedictus sis tu, qui es sine principio, & sine fine. Tu habuisti corpus honestissimum, & decentissimum. Tu fuisti vir strenuissimus,
1 var. lect. & virtuosissimus. 1 Tu fuisti dignissima creatura. Respondit filius. Verba tua, quæ procedunt de ore tuo sunt mihi suauia, & delectant intima cordis tanquam potus suauissimus. Tu es mihi præ omni creatura suauissima. Sicut enim in speculo diuersæ facies considerantur, sed nulla magis placet, quam propria. Sic ego licet sanctos meos diligam, te tamen præcipua dilectione diligo, quia de carne tua generatus sum. Tu es quasi mitra electa, cuius odor ascendit ad deitatem, & deduxit eam in corpus tuum. Hic idem odor traxit corpus tuum, & animam in deitatem, vbi nunc es cum corpore, & anima. Benedicta sis tu, quia ex pulchritudine tua gaudent Angeli. Ex virtute tua omnes, qui inuocant te sincero corde liberantur. 2 In luce tua omnes dæmones contremiscunt, nec audent ad tuum fulgorem subsistere, quia semper volunt esse in tenebris. Tu dedisti mihi triplicem laudem, quia dixisti me habere honestissimum corpus. Secundo virum strenuissimum. Tertio dixisti me esse dignissimum creaturarum. Sed his tribus contradicunt illi solummodo, qui habent corpus, & animam. Dicunt enim me habere corpus inhonestum, virum esse abiectissimum, creaturam vilissimam. Quid enim est inhonestius, quam alios prouocare ad peccatum? Sic dicunt corpus meum trahere ad peccatum. Dicunt quippe peccatum non esse sic deforme, vt dicitur, nec tantum displicere Deo. Non enim inquiunt esse aliquid nisi Deus vellet, nec aliquid est sine ipso creatum. Quare ergo non debemus vti his, quæ facta sunt ad vtilitatem nostram? Fragilitas naturæ hoc exigit, & sic omnes ante nos vixerunt, & viuunt. Sic nunc loquuntur mihi homines. Humanitatem autem meam, in qua verus

Deus inter homines apparui, quia dissuasi peccatum, & ostendi quam graue est. Dicunt inhonestatem quasi suaserim inutilitatem, & inhonestatem. Nihil quippe dicunt honestum, nisi peccatum, & quod placet voluntati eorum. Dicunt etiam me esse virũ turpissimum. Quid enim est illo turpius, qui cum loquitur veritatem, os eius contunditur, lapidibus in facie ceditur, insuper & audit opprobrium dicentium, si esset virilis vindicaret se. Sic faciunt mihi. Ego loquor eis per doctores, & sanctam scripturam, sed dicunt, quod loquor mendacium. Contundunt os meum lapidibus, & pugno, quando faciunt adulterium, homicidium, & mendacium, & dicunt. Si esset virilis, si esset Deus potentissimus, vindicaret transgressionem talem. Ego autem suffero per patientiam meam, & audio quotidie eos dicentes. Quia pœna non est æterna, nec amara, sicut dicitur, & iudicant verba mea mendacium esse. Tertio iudicant me vilissimam creaturam. Quid enim abiectius in domo est, quã canis, & murilegus, pro quibus qui commutare vellet libenter reciperent equum. Sed homo habet me deteriorem cane, ad hoc enim vt careret cane, nollet me recipere, & antequam careret pelle, potius me abijceret, & abiuraret. Quæ autem res tam modica menti alludens, non feruentius, quam ego cogitatur, & concupiscitur? Si enim me plus quam aliam creaturam æstimarent, plus me diligerent, quam alia. Ipsi nihil habent tam modicum, quod non diligant præter me. De omnibus dolent præter de me. Dolent damna propria, & amicorum. Dolent læsionem vnius verbi. Dolent quod offendunt alios homines se excellentiores, sed non dolent, quod offendunt me omniũ Creatorem. Quis homo est tam abiectus, quia si peteret non audiretur, si daret, non retribueretur ei aliquid? Ego autem sum abiectissimus, & vilissimus in conspectu eorum, quia me nullius boni reputant dignum, qui omnia bona dedi eis. Ergo Mater mea, quia tu plus de sapientia mea gustasti, & nunquam de ore tuo nisi veritas processit, sic de ore meo nunquam nisi veritas procedit. Ego excusabo me in conspectu omniũ Sanctorum coram primo, qui dixit me corpus habere indecentissimum, & probabo me habere veraciter corpus honestissimum sine deformitate, & peccato, & ipse veniet in opprobrium sempiternum, quod omnes videbunt. Ille autem qui dicebat mea verba mendacium, & nescire, vtrum Deus sim an non. Probabo me esse veraciter Deum, & ipse quasi lutum defluet in infernum. Tertius autem, qui iudicauit me vilissimum, ego iudicabo eum ad æternam damnationem, vt nunquam videat gloriam meam, & gaudium meum. Deinde ait ad sponsam. Sta firmiter in seruitio meo, tu venisti quasi in quendam murum, in quo clausa non poteris fugere, nec fodere fundamentum. Suffer ergo voluntarie modicam tribulationem, & senties æternam requiem in brachio meo. Tu nosti voluntatem Patris. Tu audis verba filij, & sentis spiritum meum. Tu habes consolationem, & delectationem in allocutione Matris meæ, & Sanctorum meorum. Ergo sta firmiter alioquin senties iustitiam meam, per quam cogeris facere, quæ nunc de te moneo beneuole.

NOTAE.

1 var. lect. TV fuisti dignissima creatura.

Beatissima Virgo verba faciens cum Christo, cumque summis laudibus extollens dignissimã creaturam, hoc loco illum appellat, qua loquendi formula, quanquam ex sanctis Patribus plures vsi sunt ratione humanæ naturæ, vt Leo Pont. serm. 3. de Natali, Passione, & Pentecost. Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 15. Damasc. lib. 3. de fide cap. 4. Hilar. lib. 12. de Trinit. D. August. de fide, & symbolo cap. 4. D. Thomas etiam videtur concedere 3. p. q. 16. art. 10. tamen ob Arrianorum periculum cauendum est nobis, ne hac propositione absolute vtatur, quam ob causam eam reiciunt Magister sent. in 3. d. 11. & D. Thom. ibidem, D. Bonauent. Ricardus, & alij plures, videtur tamen dicendum, quod si nomine creaturæ intelligamus, non id quod habet esse simpliciter per creationem, sed id quod per aliquam actionem constituitur in genere creato admitti posse, quandoquidem ratione humanæ naturæ per vnionem hipostaticam, Deus factus est homo, & in hunc sensum interpretanda sunt verba præsentis notæ, quæ etiam legendum cum M. S. Farnesiano, Tu es dignissimus Creaturarum, prout etiam hoc eodem capite paulo ante medium legitur, & comparatio fit non inter creaturam, & creaturam simpliciter, sed inter creatorem, & creaturam, & dicitur, quod dignissimus sit omnium creaturarum, quoniam in eo sunt omnes perfectiones, ac dignitates vnite, quæ sparsim reperiuntur in creaturis.

2 In luce tua omnes dæmones contremiscunt, nec audent ad tuum fulgorem subsistere.

Veluti si magnam ceræ copiam etiam exiguo igni quis ponat, statim cera liquefit, & in diuersas effunditur partes, ita quoque Dæmones audito Mariæ nomine contremiscunt, ac fugiunt. non sic inquit Bernardus serm. de Natiuitate eiusdem timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem, sicut illæ Aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum hoc

autem

autem hæc dicitur in Luce Mariæ timere, quia cum tenebræ sint oderunt lucem, & hanc præsertim, quæ lucem mundo peperit, de qua ortus est sol, cuius splendore vniuersa illustrata sunt, idem annotauimus lib. 4. Reuelat. cap. 11. nota secunda, vbi ostendimus Beatiss. Virginem peculiari priuilegio super dæmones obtinuisse potestatem.

VERBA DOMINI AD Sponsam de legis nouæ obiectione, & qualiter nunc ipsa lex reprobatur, & contemnitur à mundo, & quomodo mali sacerdotes non sunt Dei sacerdotes; sed Dei proditores, & de maledictione talium, & damnatione.

CAP. XLVII.

EGO sum Deus ille, qui olim dicebatur Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Ego sum Deus, qui dedi legẽ Moysi. Hæc erat quasi vestis. Sicut enim Mater, quæ habet infantem in ventre, præparat vestes puero, sic Deus præparauit legem, quæ non erat nisi vestis, & vmbra, & signa futurorum faciendorum. Ego autem vestiui me, & inuolui me istis vestibus legis. Deinde sicut crescente puero mutatur habitus antiquus & assumitur nouus, sic ego completa, & deposita veste antiquæ legis, assumpsi nouam vestem, id est nouam legem, & dedi omnibus, qui voluerunt habere vestes mecum. Vestis autem ista non est stricta, vel difficilis, sed vbique moderata. Non enim præcepi nimis ieiunare, vel laborare, vel se occidere, vel aliquid vltra possibilitatem facere, sed proficua est ad animam, & corpus moderandum, & castigandum apta. Corpus
a enim cum nimium peccato adhæret, a ipsum peccatum corpus consumit. In lege ergo noua duo inueniuntur. Primo, discreta temperantia, & rectus vsus omnium rerum animæ, & corporis. Secundo facilitas seruandi legem, quia qui non potest stare in vno, potest in alio. Ibi inuenitur, quod qui non potest esse Virgo, licite potest esse in coniugio. Qui cadit, potest resurgere. Sed ista lex nunc reprobatur, & contemnitur a mundo. Dicunt enim legem ipsam strictam esse grauem, & deformem. Strictam dicunt eam, quia lex præcipit contentari de necessariis, & fugere superflua, ipsi autem volunt habere omnia extra rationem quasi iumenta super vires corporis, ideo stricta est eis? Dicunt eam secundo esse grauem, quia lex dicit voluptatem cum ratione habere, & temporibus constitutis. Sed ipsi volunt suam voluptatẽ perficere plusquam expedit, & plus quã constitutum est. Tertio dicũt eam esse deformẽ quia lex iubet diligere humilitatem, & Deo omne bonum ascribere. Ipsi autem volunt de bonis a Deo datis superbire, & se extollere, ideo est eis deformis. Ecce sic contempta est vestis mea. Ego omnia prius compleui, & incepi noua, quia antiqua nimis erant difficilia, vt durarent vsquequo venirem ad iudicium. a Sed viliter proiecerunt vestem qua tegitur anima, id est fidem rectam. Insuper & peccatum peccato addũt, quia me volunt etiam prodere. Nunquid Dauid dicit in Psalmo. Qui edebant panem meum, cogitauit aduersum me proditionẽ? In illis verbis volo te duo notare. Primo non dicit, quia cogitat, sed cogitauit, quasi iam præteritum est. Secundo quod notat ibi non nisi vnum hominem, qui prodidit. Ego autem dico, quod ipsi sunt proditores mei, qui sunt in præsenti, non qui fuerant, vel futuri sunt, sed qui iam viuunt. Ego etiam dico, quod non solum vnus homo, sed quia multi sunt. Sed tu forte potes quærere a me. Nonne duo sunt panes, vnus inuisibilis, & spiritualis, quo viuunt Angeli, & Sancti. Secundus de terra, quo vescuntur homines? Sed Angeli, & Sancti nihil aliud volunt, nisi iuxta tuam voluntatem, & homines nihil aliud possunt, nisi sicut tibi placuerit. Quomodo ergo possunt te prodere? Respondeo tibi audiente cælesti exercitu meo, qui omnia sciunt, & vident in me, sed propter te, vt scias. Vere duplex est panis, vnus Angelorum, qui comedunt panem meũ in regno meo, vt satientur ineffabili gloria mea. Ipsi enim non produnt me, quia nihil aliud volunt, nisi sicut ego. Sed illi me produnt, qui comedunt panem meum in altari. Ego vere sum ille panis, In pane illo videntur tria. Figura, sapor, & rotunditas, Ego vero sum panis. Ego nanque sicut panis habeo in me tria, saporem, figuram, & rotunditatem. Saporem, quia sicut sine pane omnis cibus est quasi insipidus, & quasi nullius confortationis, sic sine me omne quodcunque est, est insipidum, & omne infirmum, & vanum. Ego habeo etiam figuram panis, quia de terra sum. Ego enim sum de Matre Virgine, Mater de Adam, Adam de terra. Habeo etiam rotunditatem, vbi non inuenitur finis, nec principiũ, quia ego sum sine principio, & sine fine. Nullus potest considerare, vel inuenire finem, vel principium in sapientia mea, potẽtia, vel charitate. Ego sum intra omnia, super omnia, & extra omnia, etiam si aliquis volaret quasi sagitta sine

a var. lect.

sine cessatione in perpetuum, nunquam inueniret finem, vel profundum, in potentia, & virtute mea. Propter ista ergo tria scilicet saporem, figuram, & rotunditatem, ego sum panis ille, qui in altari panis videtur, & sentitur, sed in corpus meum, quod crucifixum est conuertitur.
3 Sicut enim aliquid aridum, & cito arsurum, si igni apponeretur, cito consumitur, & nihil remanet de figura lignorum, sed totum est ignis; sic dictis verbis illis, scilicet. Hoc est corpus meum, quod prius fuit panis fit statim corpus meum, nec incenditur sicut ligna igne, sed deitate mea. Ideo qui comedunt panem meum, produnt me. Quę autem poterit esse abominabilior interfectio, quam illa, vbi aliquis interficit seipsum? Aut quæ deterior proditio, quam vbi duo indissolubili vinculo iuncti, alius alium prodit, vt puta coniuges? Quid autem facit consors cum prodere voluerit consortem? Verè dicit ei sub simulatione. Eamus ad locum illum, vt impleam tecum voluntatem meã. Illa autem in vera simplicitate, parata ad omnem voluntatem consortis, vadit cum eo. Sed cum opportunum tempus, & locum inuenerit, producit contra eam tria instrumenta proditionis. Aut enim habet aliquid ita ponderosum, quod vno ictu interficit eam. Aut ita acutum, quod statim intrat in viscera. Aut aliquid quo suffocatur statim & intercluditur spiritus vitalis. Cum autem mortua fuerit coniux, cogitat proditor apud se. Nunc male feci, si apertum, & publicum erit facinus meum, condemnabor ad mortem, ideo vadit, & ponit corpus illud consortis mortuę in occulto loco, ne detegatur peccatum suum. Sic faciunt mihi, nunc sacerdotes, qui proditores mei sunt. Ipsi enim, & ego vno vinculo ligamur, quando sumunt panem, & proferendo verba faciunt inde corpus meum verum, quod de Virgine sumpsi,
4 hoc non possent oēs Angeli facere, quia sacerdotibus solis illam dignitatem dedi, & ad summos ordines ipsos elegi. Sed ipsi faciunt mihi sicut proditores. Nam ostendunt mihi faciem lætam, & blandam, & ducunt me in occultum locum, vt prodant. Sacerdotes ipsi tunc ostendunt faciem lætam, cum videntur esse boni, & simplices, ducunt me in conclaui cũ procedunt ad altare. Tunc ego paratus sum quasi sponsa, vel sponsus, facere omnem voluntatem eorum, sed ipsi produnt me. Primo adhibent mihi ponderosum, quando diuinũ officium, quod dicunt mihi, est eis onerosum, & graue. Magis enim loquuntur centum verba pro mundo, quam pro honore meo vnum. Magis darent cētum marchas auri pro mundo, quam vnum denarium pro me. Magis centies laborarent pro propria vtilitate, & mundi, quam semel pro honore meo. Hoc onere deprimunt me, quasi mortuus sim in cordibus eorum. Secundo pungunt me quasi acuto ferro, quod intrat in viscera, quando sacerdos accedit ad altare, cogitans se peccasse, & pœnitet, habens firmam voluntatem peccandi iterum peracto officio, cogitando secum. Bene pœniteo de peccato, sed non relinquam illam, cum qua peccaui, ita quod non amplius faciam, isti quasi ferro acutissimo me pungunt. Tertio quasi suffocatur spiritus, cum cogitant secum sic. Bonum & delectabile est esse cum mundo, bonum est luxuriari, & non possum continere. Faciam voluntatem meam in iuuentute, cũ autem senuero tunc abstinere volo, & me emendare. Ex ista pessima cogitatione suffocatur spiritus. Sed quæritur quomodo? vtique cor eorum sic frigidatur, & tepescit à me, & ab omni bono, vt nunquam calefieri poterit, nec resurgere ad charitatem meam. Sicut enim ex glacie, etiam si adhibeatur ignis non surgit flamma, sed liquescit, sic isti etiam si dedero eis gratiam meam, & audierint verba ammonitionis, non tamen exurgunt ad viam vitæ, sed arent, & deficiunt ab omni bono. Sic ergo produnt me ex eo, scilicet quod ostendunt se simplices, & non sunt, & quia grauantur, vel turbantur ex honore meo, quo deberent delectari. Sic ex eo, quod habent voluntatem peccandi, & promittunt se vsque in fine peccaturos. Tūc etiam quasi abscondunt me, & ponunt me in loco occulto, quando cogitant apud se. Scio me peccasse, si abstineo a sacrificio confundor, & diiudicor ab omnibus. Et accedunt ad altare impudenter, & ponunt me ante se, & tractant me Deum verum, & hominem, cum quibus sum quasi in occulto loco, quia nullus scit, nec considerat, quam praui, & deformes sunt ante quos quasi in occulto iaceo Deus, quia etiam si pessimus homo fuerit sacerdos, & dixerit verba illa, scilicet hoc est corpus meum, ipse consecrat verum corpus meum, & iaceo ante eum verus Deus, & homo.
5 Sed cum ipse applicuerit me ad os suum, tunc ego desum per gratiam, cũ deitate, & humanitate mea ab ipso, forma autem panis, & sapor remanet sibi, non quod non veraciter ibi sim cum malis sicut cũ bonis, propter sacramēti institutionē, sed quia similem effectum non habent boni, & mali. Ecce tales sacerdotes non sunt mei sacerdotes, sed veri proditores. Ipsi enim & me vendunt quasi Iudas, & produnt. Ego conspicio Paganos, & Iudæos, sed nullos video eis deteriores, quia ipsi sacerdotes sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer. Nunc etiā dico tibi iudicium eorum, & cui sunt similes.

Horum

Horum iudicium est maledictio. Sicut maledixit Dauid eis, qui non obedierunt Deo, qui cum esset iustus Propheta, & Rex, non maledixit ex ira, vel mala voluntate, seu ex impatientia, sed ex iustitia Dei. Sic ego qui melior sum Dauid, maledico eis, qui sunt sacerdotes, non ex ira, vel voluntate mala, sed ex iustitia. Maledictum ergo sit omne, quod de terra vtilitatem suam receperint, quia non laudant Deum, & Creatorem suũ, qui dedit eis hæc. Maledictus sit cibus, & potus eorum, qui intrat in os eorum, qui pauit corpus in cibum vermium, & animam ad infernum. Maledictum sit corpus eorũ, quod resurget in infernum sine fine arsurũ. Maledicti sunt anni eorum, quibus vixerunt inutiliter. Maledicta sit hora, quæ incipit eis in inferno, & nunquàm finietur. Maledicti sint oculi eorum quibus viderunt lumen cæli. Maledicti sint aures eorum quibus audierunt verba mea, & non curabant. Maledictus sit gustus eorum, quo gustauerunt dona mea. Maledictus sit tactus eorum, quo tractauerunt me. Maledictus sit odoratus eorum, quo odorauerunt delectabilia, & me neglexerunt delectabiliorem super omnia. Sed quæritur. Quomodo maledicuntur? vtique. Maledictus erit visus eorum, quia non videbunt visionem Dei in me, sed tenebras, & pœnas inferni. Maledictæ sunt aures eorum, quia non audient verba mea, sed clamorem inferni, & horrorem. Maledictus est gustus eorum, quia non gustabunt de bonis meis æternis gaudium, sed amaritudinẽ æternam. Maledictus est tactus eorum, quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum. Maledictus est odoratus eorum, quia non odorabunt odorem illum suauissimum in regno meo, excedentem omnia aromata, sed fœtorem in inferno habebunt amariorem felle, & peiorem sulphure. Maledicti sunt à cælo, & terra, & ab omnibus creaturis insensatis, quia ipsa obediunt Deo, & laudant, & isti spreuerunt. Propterea iuro in veritate mea, quia sum veritas, quod si sic moriuntur, & in tali dispositione, qua nunc constituti sunt, nunquam charitas mea, nec virtus concludet eos in se, sed sine fine damnabuntur.

NOTAE.

1 IPsum peccatum corpus consumit.

Quemadmodum si magno flauerint impetu venti, & arbores, aliquando radicitus eueluntur, & plantæ commouentur, semina agitantur, herbæ quoque in diuersas partes impelluntur, ita prorsus accidit homini si peccati vento flante succumbat, commouetur, ac concutitur, per omnes animæ, corporisque partes, tunc enim virtutes extirpantur, intellectus densa quadam caligine effunditur, voluntas ad bonum inhabilis redditur, ad malum procliuis, memoria in his, quæ Dei sunt labitur, & cuncta corporis membra in sordido terrenarum rerum cœno morantur, corpus quoque per peccatum, quoad naturales facultates infirmatur, sicque sensim si homo diu remoretur, in eo consumitur.

2 Sed viliter proiecerunt vestem, qua tegitur anima, idest fidem rectam.

var. lect. *M. S. Farnesianus habet, Sed viliter proiecerunt vestem, quæ tegit Animam, & hæc fides est recta, quæ merito in præsenti nota vesti comparatur, quæ qui non est indutus in tenebras exteriores mittitur, sicut legimus Lucæ 14. & Matth. 22. per vestem vero fidem designari admonuerunt Gloss. interlinearis Matth. 22. D. Greg. hom. 38. explicans illa verba Matthæi loc. cit. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem Origen. in Matth. hom. 20. D. Hieron. in Isaiam c. 42. & 52. & in Psal. 44. edisserens illa verba astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato. Beda, Exodi 21. D. Ambros. in Lucam cap. 14. & 22. & primo de pœnitentia cap. 6.*

3 Sicut enim aliquid aridum, & cito arsurum si igni aponeretur cito consumitur, & nihil remanet de figura lignorum, sed totum est ignis, sic dictis verbis illis, scilicet Hoc est corpus meum, quod prius fuit panis fit statim corpus meum.

Hoc loco in quo de Eucharistiæ sacramento agitur tria a nobis breuiter notanda sunt. Primo quidem exemplum allatum conuersionis ligni in ignem non esse per omnia simile conuersioni illi, quo substantia panis transit in corpus Christi, & vinum in sanguinem, quandoquidem illa non est totalis conuersio cum lignorum materia supersit, hæc vero transubstantiatio dicitur, quia est totius substantiæ in aliam substantiam conuersio, vt patet ex Conc. Rom. sub Greg. 7. ex Conc. Lateranens. sub Innocentio 3. & cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Cathol. & Conc. Constantiensi Sess. 8. & Conc. Florentino. & Tridentino Sess. 13. cap. 4. verba vero, quæ sequuntur scilicet nihil remanet de figura 4
lignorum indicant, quod sicut omnis lignorum figuris post conuersionem penitus deperditur, ita quo-
5 *que prolatis verbis nihil de substantia panis sub his speciebus reperitur, & ex hac parte adductum exemplum quadrat. Secundo animaduertendum est nobis, quod cum legimus hic, quod prius fuit panis, fit statim corpus Christi, verbum fieri non esse summendum secundum proprietatem sermonis, quia in rigore formaliter hæc propositio non est vera, substantia panis fit corpus Christi, sumitur ergo pro actu conuersionis & transubstantiationis, quia vere substantia panis conuertitur, & transubstantiatur in corpus Christi, atque sic explicandi sunt plures ex sanctis*

ctis Patribus, qui hac loquendi formula vsi sunt, vt Ambr. 4. de sacram. c. 4. Euseb. Emisenus Hom. 5. de Paschate D. Aug. de consecr. d. 2. Can. non omnis, Cyrillus Hierosolymitanus chatechesi 5. D. Iacobus in sua liturgia. Postremo admonere lectorem censui huiusmodi conuersionem, & transubstantiationem non fieri per motum localem, sed motu instantaneo, quia scribitur hic dictis illis verbis statim sit corpus meum, & in eodem instanti, quo desinit panis incipit esse corpus Christi sub illis speciebus, neque enim aliqua successionis ratio excogitari potest, cum præsertim principium efficiens sit infinitæ potentiæ, quod sicut potest eleuare creaturam ad effectum, quem viribus proprijs non valet producere, ita potest eleuare eam ad modum operandi independenter à motu à tempore, & successione vt quod annotauit D. Thom. 3. p. q. 75. art. 7.

4 Hoc non possent omnes Angeli facere, quia solis sacerdotibus illam dignitatem dedi.

Quemadmodum Deus potestatem suam non alligauit sacramentis, vt sine ipsis sacramentalem conferre effectum non posset, ita quoque suam virtutem non sic Ecclesiæ ministris, ac sacerdotibus alligauit, vt etiam sanctis Angelis sacramentorum administerium committere minime posset, quod satis aperte ipsemet Christus Dominus testatur lib. 4. Reuelat. cap. 138. paulo ante medium cum dicit elegi sacerdotes præ omnibus Angelis, & iustis, & dedi eis solis potestatem, vt corpus meum tractarent, si enim voluissem potuissem bene elegisse Angelum aliquem ad tale officium, cum autem legimus hoc loco, quod Angeli, nec possunt hoc facere, intelligendum est secundum ordinariam potestatem, per quam solis sacerdotibus sacramenti Eucharistiæ administratio commissa est à Deo, quippe qui cum sacrorum ordinum susceptione, & sacerdotalis characteris impressione diuinitus acceperunt potestatem corpus dominicum consecrandi, quod sanctis Angelis non est concessum. Vide infra lib. 4. Reuelat. cap. 58. nota 1. vbi plura hac de re annotauimus, & latius hoc probant D. Thomas 3. p. q. 64. art. 7. Alexander Alensis 4. p. q. 16. membro 4. Gabriel d. 6. q. 1. Sotus d. 1. q. 5. art. 7.

5 Sed cum ipse applicuerit me ad os suum, tunc ego desum per gratiam cum deitate, & humanitate mea.

Hæc verba non indicant Deum desinere esse sub speciebus sacramentalibus quotiescunq. aut malus sacerdos, aut quilibet alius indigne hoc sacrosanctū suscipit sacramentū, sed intelligēdū est, quod Christus ibi desit esse per gratiam, quatenus indigne illius effectum denegat, qui est spiritualis refectio, & robur, & alia quæ digne sumentibus concedi solent, & dicitur desinere esse cum Deitate, & humanitate, quia cum neutro eorum Christus concurrit ad effectū sacramentalē conferendum, atque sic esse huiusmodi verba interpretanda patet [illegible] scribitur, non quod non veraciter ibi sim cum malis sicut cū bonis propter sacramenti institutionem, sed quia similem non habent effectum boni, & mali, quod egregie explicat D. August. lib. 5. de Baptismo, sicut Iudas, inquit, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit, sic si indigne quisque sumpserit Dominicum sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est, malus sit, aut quia non ad salutem accepit nihil acceperit: corpus enim Domini, & sanguis nihilominus erat illis quibus dicebat Apostolus, qui enim manducat indigne iudicium sibi manducat, & bibit, idem tradidit D. Th. 3. p. q. 80. ar. 3.

QVALITER CAELI EXERcitu, & sponsa præsentibus deitas loquitur humanitati contra Christianos, sicut Deus, Moysi contra populum Israel, & qualiter maledicti sacerdotes diligunt mundum, & despiciunt Christum, & de eorum maledictione, & damnatione.

CAP. XLVIII.

1 VIDEBATVR magnus exercitus in cælo, ad quem dixit Deus. Ecce audientibus amicis meis, qui omnia scitis, & intelligitis, & videtis in me, loquor propter istam sponsam meam quæ hic astat. Ecce quemadmodum aliquis ad seipsum, sic deitas mea loquitur ad humanitatem meam. Moyses fuit cum Domino in monte quadraginta diebus, & noctibus, quem cum populus abesse tamdiu vidisset, receperunt aurum, & proiecerunt in ignem, & inde conflatus est vitulus, quem vocauerunt Deum suum. Tunc dixit Deus ad Moysen. Populus peccauit, ego delebo eum sicut aliquid scriptum abraditur de libro. Respondit Moyses: Non Domine mi, Recordare quod eduxisti eos de mari rubro, & fecisti eis mirabilia. Si ergo deleueris eos, vbi tunc est promissio tua.
2 Ne quæso facias hoc. Quia tunc dicent inimici tui. Malus est Deus Israel, qui eduxit populum de mari, & interfecit eos in deserto. Et placatus est Deus verbis istis. Ego sum Moyses ille in figura. Deitas mea loquitur ad humanitatem, quasi ad Moysen dicens. Vide quid populus tuus fecit, quomodo contempserunt me, omnes Christiani interficientur, & delebitur fides eorum. 3
Respondit humanitas mea. Non Domine, Recordare quia eduxisti populum per mare in sangui-

2 sanguine meo, 2 quando a planta pedis vs-
var. que ad verticem laceratus sum. Ego promi
lect. si eis vitam æternam, miserere eis propter
passionem meam. His auditis placata est dei
tas ex verbis istis, & ait. Fiat voluntas tua,
quia omne iudicium tibi datum est. Ecce
amici mei qualis charitas? Sed nunc corã
vobis amicis meis spiritualibus, scilicet An
gelis, & Sanctis, & coram amicis meis cor-
poralibus, qui sunt in mundo, qui tamen non
sunt in mundo, nisi corpore, conqueror quod
populus meus collegit ligna, & incendit
ignem, & proiecit in eum aurum, & inde sur
rexit eis vitulus, quem adorant, vt Deum.
Ipse stat quasi vitulus super quatuor pedes,
habens caput cum gutture, & cauda. Moyse
autem tardante in monte, dixit populus:
Nescimus quid acciderit ei. Et displicuit
eis quod eduxerit eos de captiuitate, dicen-
tes, quæramus alium Deum, qui nos præce-
dat. Sic nunc faciunt mihi isti maledicti
3 sacerdotes, dicunt enim: 3 Cur magis nos
var. austeriorem vitam agemus quam alij? aut
lect. quæ merces nostra? Melius est nobis esse
in pace nostra, & voluntate. Diligamus er-
go mundum, de quo certi sumus, de promis-
sione enim eius incerti sumus. Deinde colli
gunt ligna, idest omnes sensus suos applicãt
ad amorem mundi, incendunt ignem, cum
voluntatem perfectam habent ad mundum.
Ardent autem, cum voluptas feruet in men
te, & prodit in actum. Postea proijciunt
aurum, id est omnem charitatem, & hono-
rem, quem mihi deberent facere, faciunt
pro mundi honore. Tunc surgit vitulus, id
est completus amor mundi, qui habet qua-
tuor pedes, scilicet accidiam, impatientiã,
4 gaudium superfluum, & auaritiam. 4 Ipsi
var. enim sacerdotes, qui deberent esse mei, acci
lect. diosi sunt ad honorem meum, impatientes
ad ferendum, nimij in gaudia, & nunquam
contentantur de obtentis. Iste vitulus habet
etiam caput, & guttur, idest voluntatem
omnem ad gulam, vt nunquam satiari pos-
sit, etiam si influeret totum mare. Cauda
vero huius vituli est malitia eorum, quia
nullum permitterent possidere sua si pos-
sent. Vulnerant enim & subuertunt omnes
qui seruiunt mihi exemplo suo prauo, &
contemptu. Talis amoris vitulus est in cor-
dibus eorum, ad talem gaudent, & delectan-
tur: De me sicut illi de Moyse cogitant, diu
inquiunt desiit. Verba sua videntur vana,
& opera onerosa. Habeamus voluntatem
nostram, potestas nostra, & voluntas sit
Deus noster. Nec etiam his contentantur,
nec ex toto me obliuiscuntur, sed habent
me pro idolo. Gentiles colebant ligna, &
5 lapides, & homines mortuos. 5 Inter quos
colebatur vnum idolum nomine Beelzebub,

cuius sacerdotes offerebant ei thus, & facie bant ei genuflexiones, & clamores laudis. Totum etiam quod de sacrificio eorum erat inutile, cecidit in terram, & aues, & muscæ comederunt illud. Omnia autem quæ vtilia erant, sacerdotes reseruabant sibi. Ipsi quoque clauserunt portam super idolum suum, & personaliter seruabant clauem, ne quis alius ingrederetur. Sic sacerdotes mihi faciunt isto tempore. Ipsi offerunt mihi thus, id est loquuntur, & prædicant verba pulchra ad laudem propriam, & ad habendũ aliquid temporale, non ex charitate mea. Ideo sicut odor thuris non capitur, sentitur, & videtur sic verba eorum non veniunt ad effectum animarum, vt radicari, vel teneri possint corde, sed audiuntur solummodo verba, & quasi ad tempus delectare videntur. Offerunt preces, sed nullo modo mihi placabiles. Sicut illi qui clamant ore laudem, & silent corde. Stant quasi iuxta me ore clamantes, sed corde circumuagantes mundum. Si enim deberent loqui homini alicuius dignitatis, cor haberent cum locutione, ne deuiarent in loquendo, ne forte in aliquibus notarentur. Apud me autem orant sacerdotes, quasi homines, qui sunt in extasi, qui aliud loquuntur ore, & aliud habent in corde, de quorum verbis auditor nullam potest habere certitudinem. Flectunt genua mihi, id est humilitatem, & obedientiam mihi promittũt. Sed vere humiles sunt quasi Lucifer, obedientes sunt desiderijs suis non mihi, claudunt etiam super me, & personaliter habent clauem, tunc aperiunt super me, & laudant quando dicunt. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, Sed claudũt super me cum voluntas eorum perficitur; mea autem quasi clausi hominis, & nullius potentis, nec audiri, nec videri potest. Seruant personaliter clauem cum etiam alios, qui voluntatem meam facere volunt, retrahunt exemplo suo. Et si possent libenter etiam prohiberent, ne voluntas mea egrederetur, & perficeretur, nisi iuxta voluntatem eorum. Deinde in sacrificio custodiunt omnia, quæ sunt eis necessaria, & vtilia, & omnem honorem, & debitum suum exigunt; sed de corpore hominum, quod cadit in terram per mortem, pro quo potissimum sacrificium offerre teneretur quasi inutile iudicant tradentes muscis, id est vermibus. De debito autem eius aut de salute animæ, minimum curant, nec attendunt. Sed quid dictum est Moysi? Interfice eos qui hoc idolum fecerunt vbi si aliqui sunt interfecti, nõ tamen omnes. Sic nunc venient verba mea quæ occident eos. Alios ad corpus, & animã per æternam damnationem. Alios ad vitam, vt conuertantur, & viuant. Alios ad

celerem

celerem mortem, quia ipsi sacerdotes sunt mihi omnino odiosi. Et cui eos similabo, ipsi vero sunt similes fructui spinæ, qui exterius est pulcher, & rubicundus; interius vero plenus immunditia, & aculeis. Sic ipsi accedunt ad me quasi homines rubicundi charitate, & mundi videntur hominibus, sed intus pleni sunt omni spurcitia. Hic fructus si ponatur in terram, inde iterum aliæ spinæ succrescunt. Sic ipsi in corde, quasi in terra occultant peccata sua, & malitias, & sic radicantur in malo, quod etiam non erubescunt prodire foras, & gloriari de peccato suo. Vnde alij non solum sumunt occasionem peccandi, sed etiam grauiter vulnerantur ad animam, cogitantes secum sic; Si sacerdotes hoc faciunt, multo magis est nobis licitum. Ipsi quippe non solum fructui, sed etiam spinæ similes sunt, quia dedignantur tangi correctionibus, & admonitionibus, & nullos reputant seipsis sapientiores, sed omnia posse facere quæ volunt. Ideo iuro in deitate mea, & humanitate, Angelis omnibus audientibus, quod frangam ostium, quod clauserunt super voluntatem meam, & ipsa complebitur, & eorum voluntas annihilabitur, & claudetur sine fine in pœna.

6 Propterea sicut antiquitus dictum est; Incipiam iudicium meum in clero, & ab altari meo.

NOTAE.

1 SI ergo deleueris eos, vbi tunc est promissio tua; ne quæso facias hoc, quia tunc dicent inimici tui: Malus est Deus Israel, qui eduxit populum de mari, & interfecit eos.

Eandem prorsus sententiam legimus Exodi 32. vbi annotare debemus ad horum intelligentiam Moysen cum Deo exibuisse se perfectissimum oratorem, cum enim Deus decreuisset populum, quem de Aegyptiorum potestate liberauerat, maximis punire supplicijs: quippe qui conflatilem vitulũ adorauerat, eique hostias immolauerat, opponens se Moses duabus rationibus persuadere conatus est, ne decretum populo inferret supplicium: Omnes, inquit Moses, te bonum, ac veracem credunt, si ergo deleueris eos, quos liberasti, aut te patribus promissa non reddere arbitrabuntur, aut etiam impotentem, vel mendacem estimabunt, & hoc est quod legimus hic, si deleueris eos, vbi tunc est promissio tua, & dicent inimici tui, malus est Deus Israel.

2 Quando a planta pedis, vsque ad verticẽ
var. laceratus sum.
lect. *Sic omnes habent impressi codices. M.S. Farnesianus legit, A planta pedis, vsque ad verticem capitis laceratus sum; sic etiam habetur Isaiæ 1. A planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas.*

3 Cur magis nos vitam austeriorem agemus
var. quam alij.
lect. *Manuscrip. rectius, Cur nos austeriorem vitam agimus.*

4 Ipsi enim sacerdotes, qui deberent esse
var. mei, accidiosi sunt ad honorem meum, impa-
lect. tientes ad ferendum nimis in gaudia, & nunquam contentantur de obtentis.

Aliter legit M.S. & hunc locum corruptum sic restituit: Ipsi enim sacerdotes, qui deberent esse mei accidiosi sunt, ad ferendum onus meum, impatienter, in gaudio mundi deducunt dies suos, & nunquam de terrenis diuitijs contentatur.

5 Inter quos colebatur vnum idolum nomine Belzebub.

Belzebub Muscarum principem appellabant Iudæi ob earum multitudinem, quæ reperiebantur in templo ob immolati sanguinis sordes, quas consueuerunt sequi muscæ: In hoc simulacro Dæmoniorum principem habitare affirmabant, quia in eo principium fuit idolatriæ: tum etiam quia cultus eius apud gentes latius patebat, & generalior erat: tum quia nullum idolum eo fortius, ac efficacius inueniri putabant, & in virtute eius existimarunt Pharisæi Christum Dominum fecisse miracula: vnde dicebant, Lucæ 11. In Belzebub eijcit dæmonia.

6 Propterea sicut antiquitus dictum est, incipiam iudicium in clero, & ab Altari meo.

Clericos in vniuersali iudicio fore prius iudicandos, etiam Ezechiel Propheta cap. 9. affirmauit his verbis; A sanctuario meo incipitam; & 1. Pet. 4. Tempus est, vt iudicium incipiat a domo Dei, & tradit Diuus Augustinus psalm. 54. & 93. & hoc est quod scribitur hoc loco (sicuti antiquitus dictum est.

VERBA CHRISTI AD Sponsam, qualiter ipse Christus similatur Moysi in figura educenti populum de Aegypto, & qualiter maledicti sacerdotes, quos loco Prophetarum in maiores amicos elegit, nunc clamant discede a nobis.

CAP. XLIX.

FILIVS Dei loquebatur, Ego similaui me prius Moysi in figura, qui cum educerer populum, stabat aqua quasi murus a dextris, & sinistris. Ego certe sum ille Moyses in figura, qui eduxi populum Christianum, idest aperui eis cęlum, & ostendi eis viam. Sed nunc elegi mihi alios amicos, Prophetis specia-
liores,

illores, & secretiores, videlicet sacerdotes, qui non solum verba mea audiunt, & vident eum meipsum vident, immo etiam tractant me manibus suis, quod nullus Prophetarũ, vel Angelorum facere poterat. Isti sacerdotes quos loco Prophetarum in amicos elegi clamant ad me non cum tali desiderio, & charitate quali Prophetæ, sed clamant duabus contrarijs vocibus. Non enim clamant sicut Prophetæ: Veni Domine, quia dulcis, sed clamant, discede à nobis, quia verba tua sunt amara, & opera tua grauia, & scandalum nobis faciunt. Ecce maledicti sacerdotes quid dicunt. Ego sto ante eos quasi ouis mitissima, de qua sumũt lanam ad vestiendum, & lac ad reficiendũ, & adhuc pro tanta dilectione abhominantur me. Ego sto ante eos quasi hospes, qui dicit: Amice da mihi necessaria vitæ, quia indigeo, & recipe mercedem optimam à Deo. Sed ipsi pro ouis simplicitate repellunt me quasi lupum insidiantem ouibus patrisfamilias. Pro hospitalitate confundunt me, quasi proditorem indignum hospitio, & colligere me renuunt. Sed quid facturus est hospes repulsus? nunquid debet producere arma contra domesticum repellentem se? Nequaquam, hoc enim non est iustitia, quia possessor sui potest dare, & negare sua cui voluerit. Quid ergo hospes facturus est? Vtique tenetur dicere repellenti se. Amice, quia tu non vis colligere me, vadam ad alium, qui faciet misericordiam mecum. Qui veniens ad alium, audit ab illo. Bene venisti Domine mi, omnia mea tua sunt. Tu sis nunc Dominus, ego autem volo esse seruus, & hospes, in tali hospitio, vbi ego talem vocem audio, placet mihi habitare. Ego quippe sum quasi hospes repulsus ab hominibus, sed licet vbique possum ingredi per potentiam, tamen dictante iustitia non ingredior, nisi ad eos, qui bona voluntate me tanquàm verum Dominum, non quasi hospitem suscipiunt. Et qui voluntatem suam in manus meas relinquunt.

VERBA MATRIS, ET FILII benedictionis, & laudis ad inuicem, & de gratia à Filio Matri concessa pro in Purgatorio existentibus, & in hoc mundo manentibus.

CAP. L.

MATER Dei loquebatur ad filium, dicens: Benedictum sit nomen tuum fili mi sine fine cum Deitate tua, quæ est sine principio, & sine fine. In Deitate tua sunt tria mirabilia, scilicet potentia, sapientia, & virtus. Potentia tua est quasi ignis ardentissimus, ante cuius faciem omne quodcumque est firmum & forte, tanquàm stramen desiccatum in igne reputat. Sapientia tua est quasi mare, quod præ magnitudine hauriri non potest, quod etiam cum excrescit & effluit, valles & montes operit, sic sapientia tua comprehendi, & inuestigari non potest. Quàm sapienter creasti hominem, & constituisti eum super omnem creaturam tuam. Quam sapienter disposuisti aues in aere, bestias in terra, pisces in mari, & vnicuique dedisti tempus suum, & ordinem. Quam mirabiliter das omnibus vitam, & aufers. Quam sapienter insipientibus das sapientiam, & aufers à superbis. Virtus tua est quasi lumen solis, quod lucet in cælis & terram sua luce replet. Sic virtus tua supra, & infra satiat, & omnia replet. Ideo sis tu benedictus fili mi, qui es Deus meus, & Dominus meus. Respondit filius: Charissima Mater mea, verba tua dulcia sunt mihi, quia de anima tua procedunt. Tu es quasi aurora procedens cum serenitate. Tu radiasti super omnes cælos, lux tua, & serenitas tua excellit omnes Angelos. Tu attraxisti ad te serenitate tua solem verum, idest deitatem meam. In tantum, quod sol deitatis meæ veniens in te, fixit se in te, & ex cuius calore calefacta es super omnes charitate mea. Ex cuius splendore illuminata es plus omnibus sapientia mea. Tenebræ terræ fugatæ sunt, & omnes cæli illustrati sunt per te. In veritate mea dico, quod puritas tua, quæ mihi super omnes Angelos placuit, traxit deitatem meam in te, vt de calore spiritus inflammareris, quo verum Deum, & hominem in vtero tuo conclusisti, quo homo illuminatus est, & Angeli lætificati sunt. Ideo benedicta sis tu à benedicto filio tuo. Propterea, & nulla erit petitio tua

tua ad me, quæ non exaudiatur, & per te omnes, qui petunt misericordiam, cum voluntate emendandi, gratiam habe-
2 bunt. 2 Quia sicut calor procedit a sole, sic
3 per te omnis misericordia dabitur. 3 Tu enim es quasi fons largifluus, de quo misericordia miseris fluit. Respondit Mater iterum filio. Omnis virtus, & gloria sit tibi fili mi. Tu es Deus meus, & misericordia, a te est omne bonum quod habeo. Tu es quasi semen, quod non est seminatum, & tamen creuit, & dedit ex se fructum centesimum, & millesimum. De te enim procedit omnis misericordia, quę quia innumerabilis, & indicibilis est, bene significari potest in centenario numero, in quo notatur perfectio, quia a te est omnis profectus, & perfectio. Respondit Matri filius. Vere Mater bene simulasti me semini, quod non seminabatur, & tamen creuit, quia cum deitate veni in te, & humanitas mea non ex commistione seminabatur, & tamen creuit in te, ex qua omnibus profluxit misericordia, ideo bene dixisti. Nunc ergo quia per dulcissima verba oris tui trahis misericordiam a me, pete quodcunque vis, & dabitur tibi. Respondit Mater: Fili mi, quia misericordiam ego a te consequta sum, ideo misericordiam, & auxilium peto miseris. Quatuor quippe sunt loca. Primus est cælum, in quo Angeli, & Sanctorum animæ nullo indigent, nisi te, quem habent, in te enim habent omne bonum. Secundus locus est infernus, & habitantes in eo impleti sunt malitia, & exclusi ab omni misericordia. Ideo nihil ad eos potest amplius intrare de bono. Tertius locus est Purgatorium, ipsi enim indigent triplici misericordia, quia tripliciter affliguntur. Turbantur quippe auditu, quia nihil aliud audiunt nisi dolores, pœnæ, & miseriæ. Affliguntur visu, quia nihil vident nisi miseriam suam. Affliguntur tactu, quia sentiunt calorem ignis intolerabilis, & grauis pœnæ. Da eis domine mi, & fili misericordiam tuam propter preces meas. Respondit filius: Libenter propter te dabo eis triplicem misericordiam. Primo, auditus eorum alleuiabitur, visus mitigabitur, pœna remissior, & mitior erit, insuper quicunque ab ista hora sunt in summa pœna purgatorij, venient ad mediā: & qui sunt in media, venient in leuissimam pœnam: qui autem in leuissima pęna sunt, transibunt ad requiem. Respondit Mater: Laus, & honor sit tibi domine mi. Et statim Mater subiunxit ad filium. Quartus locus est mundus, & habitatores eius indigent tribus. Primo, contritione pro peccatis. Secundo, satisfactione. Tertio, fortitudine ad faciendum bona. Respondit filius: Omnis quicunque inuocauerit nomen tuum, & spem habeat in te cum proposito emendandi commissa, ista tria dabuntur ei, insuper & regnum cæleste. Tanta enim est mihi dulcedo in verbis tuis, vt non possim negare quæ petis, quia nihil aliud vis, nisi quod ego. Tu denique es quasi flamma lucens, & ardens, qua luminaria extincta accenduntur, & inaccensa conualescunt, sic ex charitate tua, quæ ascendit in cor meum, & attraxit me ad te, reuiuiscent, qui in peccatis sunt mortui, & tepidi, quasi fumus nigri in charitate mea conualescunt.

NOTAE.

1 TV es quasi aurora procedens cum serenitate, tu radiasti super omnes cælos, lux tua, & serenitas tua excellit omnes Angelos.

Hoc loco Christus Dominus de B. Virg. Matris suæ laudibus agit, eamq. ob maximam gratiarum copiam, ac ingentem puritatem comparat Auroræ; quemadmodum enim illa finis est noctis, & initium lucis, sic B. Virgo finem imposuit nocti, & lucem intulit mundo, quandoquidem peperit eum, quem scripsit Ioan. Lucem esse mundi, cuius virtute peccatorum sublatis tenebris, gratiæ, ac Euangelij lumen hominibus contulit; Auroræ quoque similis est Maria, quæ solem præcedens, verum solem induxit in mundum; de qua Cant. 6. scribitur. Aurora consurgens, quod etiam annotauit Rupertus Abbas, atque huius Auroræ lumen tantum esse asserit D. Bernardus in ser. de Natiu. eiusdem, vt eo sublato cuncta tenebrescerent; Tolle, inquit, hoc corpus solare, vbi dies: tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur.

2 Quia sicut calor procedit a sole, sic per te omnis misericordia dabitur.

Quemadmodum a sole, per reflexionem calor emanat, sic à Beatiss. Virgine quando se se conuertit ad filium suum, verum solem, omnis charitatis ardor in nos infundit, ac soluto nostrarum actionum gelu, verum diuini amoris ardorem, & calorem immittit.

3 Tu es quasi fons largifluus, de quo misericordia miseris fluit.

Optime hoc loco Virgo Mariā fonti similem facit Christus; ea enim fons est ille signatus, cuius Cant. 4. mentio fit, & hoc ob summam eius integritatem, vt annotauit D. Greg. & Ruper. Abbas ibi, & D. Hieron. Isaiæ 35. Est etiam fons Maria quandoquidem ex ea omnis bonorum copia fluit, omnis diuinorum beneficiorum vbertas emanat, omnis peccatorum nostrorum remissio obtinetur, & qui ex hoc fonte vel vnam biberit guttam, in eo omnis huius seculi sitis penitus extinguetur.

VERBA

VERBA BENEDICTIONIS Matris ad filium audiente ſponſa, & qualiter filius glorioſus figurat pulcherrime ſuam dulciſſimam Matrem per florem natum in valle.

CAP. LI.

MATER Dei loquebatur ad filium, dicens: Benedictum ſit nomen tuum fili mi Ieſu Chriſte. Honor ſit humanitati tuæ ſuper omnia, quæ creata ſunt. Gloria ſit deitati tuæ ſuper omnia bona, quæ eſt cum humanitate tua vnus Deus. Reſpondit filius: Mater mea tu es ſimilis flori, qui creuit in vna valle, circa quam vallem erant quinque alti montes, & creuit flos ipſe de tribus radicibus, cum recto haſtili, quod nullos habebat nodos. Hic flos habebat quinque folia plena omni ſuauitate. Vallis autem excreuit cum flore ſuo ſuper iſtos quinque montes, & folia floris dilatauerunt ſe ſuper omnem altitudinem cæli, & ſuper omnes choros Angelorum. Tu dilecta Mater mea, tu es Vallis illa propter humilitatem tuam, quam præ alijs habuiſti. Hæc exceſſit quinque montes. Primus mõs erat Moyſes, propter poteſtatẽ. Ipſe enim habuit poteſtatem in lege ſuper populum meum, ac ſi fuiſſet concluſus in pugno ſuo. Tu autem concluſiſti omnium legum Dominum in vtero tuo, ideo tu altior
1 illo monte. 1 Secundus mons erat Helias, qui ſic ſanctus fuit, quod cum anima, & corpore fuit aſſumptus in ſanctum locum. Tu autem chariſſima Mater mea anima tua aſſumpta fuit ſuper omnes choros Angelorum ad thronum Dei, & cum ea eſt mundiſſimum corpus tuum, ideo tu altior Helia. Tertius mons erat fortitudo Sampſonis, quã habuit ſuper omnes homines, tamen vicit eum diabolus fallacia ſua. Tu autem viciſti diabolum fortitudine tua. Ideo tu fortior Sampſone. Quartus mons erat Dauid, qui fuit vir ſecundum cor meum, & voluntatem meam, & tamen cecidit in peccatum. Tu autem Mater mea ſequebaris omnem voluntatem meam, nunquam peccaſti. Quintus mons erat Salomon, qui fuit plenus ſapientia, tamen fuit infatuatus. Tu vero Mater mea plena fuiſti omni ſapientia, & nunquam fuiſti inſipiens, nec decepta. Ideo altior Salomone. Flos autem prodijt de tribus radicibus, quia tu à iuuentute tua habuiſti tria, ſcilicet, obedientiam, charitatẽ, & diuinam intelligentiam. De his enim tribus radicibus, creuit haſtile rectiſſimum ſine omni nodo, id eſt voluntas tua, quæ nunquam flectebatur niſi ad velle meum. Flos etiam iſte habuit quinque folia, quæ excreuerunt ſuper omnes choros Angelorum. Vere tu Mater mea flos iſtorum quinque foliorum es. Primum folium eſt, honeſtas tua, in tantum quod Angeli mei, qui ſunt honeſti ante me, conſiderantes honeſtatem tuam, viderunt eam ſupra ſe eſſe, & eminentiorem illorum ſanctitate, & honeſtate. Ideo tu altior es Angelis. Secundum folium eſt miſericordia tua, quæ tanta fuit, quod cum videres omnium animarum miſeriam compatiebaris eis, & paſſa es maximam pœnam in morte mea. Angeli ſunt pleni miſericordia, tamen nunquam patiuntur dolorem, ſed tu pijſſima Mater miſerta es miſeris, quando ſentiebas omnem dolorem de morte mea, & propter miſericordiam voluiſti magis pati dolorem, quam exempta eſſe ab eo. Ideo miſericordia tua exceſſit omnium Angelorum miſericordiam. Tertium folium eſt, mititas tua. Angeli quippe mites ſunt, & cupiunt omnibus bonum, ſed tu Mater mea chariſſima, ante mortem tuam habuiſti in anima tua, & corpore voluntatem quaſi Angelus, & feciſti omnibus bonum. Et nulli adhuc negas, qui rationabiliter petit ſuam vtilitatem. Et ideo mititas tua excellentior eſt Angelis. Quartum folium eſt pulchritudo tua. Angeli enim conſiderant alter alterius pulchritudinem, & pulchritudinem omnium animarum, & omnium corporum admirantur, ſed animæ tuæ pulchritudinem vident eſſe ſuper omnia, quæ creata ſunt, & corporis tui honeſtatem excellere omnes homines, qui creati ſunt. Et ſic omnes Angelos, & omnia, quæ creata ſunt, exceſſit pulchritudo tua. Quintum folium erat diuina delectatio tua, quia nihil delectabat te niſi Deus, ſicut nec delectat Angelos aliud niſi Deus, & quilibet eorum ſentit, & ſentiebat delectationem in ſe. Cum autem viderunt delectationem tuam in te ad Deum, videbatur eis in conſcientia ſua, quod delectatio eorum arderet in eis, quaſi lumen in diuina charitate. Videntes autem delectationem tuam eſſe tanquam ardentiſſimum rogum, ardentem feruentiſſimo igne, & ſic altum, quod flamma eius appropinquabat deitati meæ. Et ideo Mater dulciſſima bene ardebat delectatio tua diuina ſuper omnes choros Angelorum. Hic flos quia habuit hæc quinque folia, honeſtatem ſcilicet, miſericordiam, mititatem, & pulchritudinem, & ſummam delectationem. Erat plenus omni dulcedine. Quicunque autem voluerit guſtare

stare suauitatem debet appropinquare suauitati, & recipere eam in se, sic & fecisti tu bona Mater. Tu enim fuisti sic dulcis Patri meo, quod ipse recipit te totam in spiritum suum, & dulcedo tua super omnes placuit ei. Flos etiam portat semen ex calore, & virtute solis, ex quo crescit fructus. Sed benedictus ille sol, scilicet deitas mea, quæ suscepit humanitatem de Virgineis tuis visceribus. Nam sicut semen vbicunque seminatur, tales flores germinat, quale
2 semen fuerit. 2 Sic membra mea conformia fuerunt membris tuis in forma, & facie, tamen ego fui Vir, tu Virgo fœmina. Hæc vallis exaltata est super omnes montes cum flore suo, quando corpus tuum exaltatum est super omnes choros Angelorum cũ sanctissima anima tua.

NOTAE.

1 SEcundus Mons erat Elias, qui sic Sanctus fuit, quod cum anima, & corpore fuit Assumptus in sanctum locum.

1 In præsenti nota Eliam Prophetam ad locum quempiam sanctum fuisse translatum anima, corporeque legimus, in specie autem quis fuerit ille locus, nec hic, neque lib. 4. Regum cap. 2. vbi raptus eius mentio fit traditur, neque Ecclesiastici 44. quo capite de translatione Enoch sermo fit, est enim par vtriusque ratio, & Enoch & Eliæ, & Doctores de translatione horum disserentes idem de vtroque sentiunt, certe D. Greg. scribit Hom. 29. in Euangelia, Eliam ad secretam aliquam regionem fuisse translatum, ibique in ingenti carnis, & spiritus tranquillitate viuere, & permansurum esse in eo loco vsque ad sæculi consummationem, verum Lyranus in 4. Reg. cap. 2. arbitratus est Eliam in Paradisum terrestrem fuisse translatum, quod adeo verum esse censuit Sixtus Senensis lib. quinto suæ Bibliothecæ annotat. 36. vt affirmare fuerit ausus, contrariam sententiam esse contra sacras litteras, & a fidei regula exorbitare, sed hæc Sixti Senensis oppinio sicuti nimis est rigorosa, ita quoque falsa est, quippe quæ grauissimorum Patrum doctrinis contrariatur, & in primis D. Augustino, qui lib. 2. contra Celestem, & Pelagium cap. 23. asseuerat opinari Enoch, & Eliam non manere in paradiso Terrestri non esse contra fidem, nec ad fidem spectare, immo & in eo morari negat Rupertus lib. 3. de Trinitate, & operibus eius cap. 33. cum in sacris litteris nullibi scriptum reperiatur, & D. Chrysostomus Hom. 21. in Genesim scribit non esse curiose quærendum quem in locum illos Deus transtulerit, cum illud scriptura non dicat, idem admonuit Theodoretus in quæst. in Genesim quæst. 45. nec obstat locus citatus Ecclesiastici 44. in quo dicitur Enoch fuisse raptum ad paradisum, nam in sacris litteris per paradisum frequenter intelligendus est locus quidam secretissimus, amœnissimus, & summæ iucunditatis, in quo magna cum tranquillitate carnis, & iucunditate spiritus Deo conseruante viuitur, & hic est sanctus locus, ad quem fuisse translatum Eliam in præsenti nota legimus.

2 Sic membra mea conformia fuerunt mẽbris tuis in forma, & facie.

Omnino videbatur consentaneum Christum, & Virginem similimos fuisse inter se, non solum moribus, sed etiam corporis statura, facie, cæterisque sicut legimus hic, hæc enim similitudo & ad conciliandum amorem, & mutuam beneuolentiam, ac etiam perfectionem pertinet, tum quia si Christus pulcherrimus fuit, vt nos late ex Patribus prolauimus hoc eodem lib. cap. 37. nota prima consequens videbatur, Mariam quoque eadem corporis venustate excelluisse, siquidem filio simillimam extitisse: frequenter enim accidit parentes esse similes filijs non moribus tantummodo, sed etiam facie, corporisque lineamentis, libet autem hoc loco eiusdem Virginis effigiem ex Nicephoro afferre: ipse namque lib. 2. cap. 23. ex Epiphanio Mariæ mores, staturam, faciemque describens, erat inquit in rebus omnibus honesta, & grauis, pauca admodum, eaque necessaria loquens, & ad audiendum facilis, & per quam affabilis honorem suum, & venerationem omnibus exhibens, statura mediocri, quamuis sint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excelluisse dicant, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maxime colore fuit, triticum referente, flauo capillo, oculis acribus, sub flauas, & tamquam oliuæ colore pupillas in eis habens, supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena, facies non rotunda, vel acuta, sed aliquanto longior, manus simul, & digiti longiores, erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil molliciei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens, vestimentis natiui coloris contenta fuit, plura hac de re annotarunt Canisius de B. Virgine lib. 1. cap. 13. aliquanto post medium, & Cardinalis Baronius Tomo 1. Annal. Anno Christi 48. circa finem. 2

VERBA

VERBA MATRIS BENEDIctionis, & rogationis ad filium, vt verba sua dilatentur per mundum, & radicentur in cordibus amicorum suorum, & qualiter ipsa Virgo per florem in horto natum mirabiliter designatur, & de verbis Christi per sponsam transmissis ad Papam, & alios Prælatos Ecclesiæ.

CAP. LII.

BEATA Virgo loquebatur ad filium dicens. Benedictus sis tu fili mi, & Deus meus, & Dominus Angelorum, & Rex gloriæ. Rogo te, vt verba tua, quæ locutus es radicētur in cordibus amicorum tuorum, & ita firmiter mentibus inhæreant, sicut bitumen quo arca Noe linita est, quam nec procellæ, nec venti dissoluere potuerunt. Dilatentur etiam per mundum sicut rami, & flores suauissimi, quorum odor late spargitur. Fructificent insuper, & dulcescāt sicut dactilus, cuius suauitas animā delectat. Respōdit filius. Benedicta sis tu charissima Mater mea. Gabriel Angelus meus dixit tibi. Benedicta, inquit, sis tu Maria præ mulieribus. Et ego perhibeo tibi testimonium, quod tu benedicta, & sanctissima es, super omnes Angelo-
1 rum choros. 1 Tu es quasi flos in horto, quē licet diuersi odoriferi flores circumstent, tamen ipse omnes excellit in odore, in pulchritudine, & virtute. Flores isti sunt omnes electi ab Adam vsque ad finem mundi, qui in horto mundi plantati diuersis virtutibus nituerunt, & floruerunt. Sed inter omnes, qui fuerunt, & qui post futuri sunt, tu excellentior fuisti in odore bonæ vitæ, & humilitatis. In pulchritudine gratissimæ virginitatis, in virtute abstinentiæ. Testimonium enim perhibeo tibi, quod tu in passione mea plus fuisti, quam Martyr. In abstinentia tua plus quam aliquis confessorum. In misericordia, & bona voluntate plus quam Angelus. Ideo propter te verba mea radicabo quasi bitumen fortissimum in cordibus amicorum meorum. Dilatabuntur quasi flores odoriferi, & fructificabunt quasi dactilus suauissimus, & dulcissimus. Deinde loquebatur Do-
2 minus ad sponsam. 2 Dic amico meo patri tuo, cuius cor est secundum cor meum, quod hæc verba conscripta exponat diligenter, & ipse Archiepiscopo, & postea alij Episcopo assignabit. Quibus diligenter informatis postea transmittat ad tertium Episcopum. Dic etiam ei ex parte mea, ego sum Creator tuus, & Redemptor animarum. Ego sum Deus, quem præ cæteris diligis, & amas. Considera & vide, quod animæ quas redemi
3 sanguine meo, 3 sunt sicut illorum animæ,
var. qui ignorant Deum, & sunt captiuæ a diabo-
lect. lo tā horribiliter, quod in omnibus mēbris punit eas quasi in prelo arcto. Propterea si vulnera mea sapiunt tibi in animo, si flagellationem meam, & dolorem alicuius reputationis habes, ostende operibus tuis quantum me diligis. Et verba mea, quæ proprio ore locutus sum, in publicum venire facias, & ad caput Ecclesiæ personaliter defer. Dabo enim tibi spiritum meum, quod vbicunque duorum fuerit dissensio, in nomine meo ex virtute tibi data confederare possis, si crediderint. Insuper & ad maiorem euidentiam verborum meorum, eorum testimoniū tecum ad Pontificem deferes, quibus verba
4 mea sapiunt, & delectant. 4 Verba enim mea sunt quasi adeps, qui quanto maior calor intus fuerit tanto citius liquescit. Vbi autem calor non fuerit, reijcitur, & non peruenit ad interiora. Sic verba mea sunt, quia quanto homo plus charitate mea feruens mandit ea, & terit, tanto plus impinguatur ex dulcedine cælestis gaudij, & interim amoris, & tanto plus inardescit ad amorem meū. Quibus autem non placent verba mea quasi aruinam habent in ore, quia degustata statim eijciunt ab ore, & conculcant. Sic verba mea ab aliquibus despiciuntur, quia dulcedo spiritualium non sapit eis. Princeps autem terræ, quem in membrum meum elegi, & vere meum feci, viriliter adiuuabit te, & necessaria pro via de bonis bene acquisitis ministrabit.

NOTAE.

1 TV es quasi flos in horto, quem licet diuersi odoriferi flores circumstent tamen ipse omnes excellit in odore, in pulchritudine, & virtute.

Tribus florum generibus similem fuisse Beatam Virginem legimus, In præsenti nanque cap. floribus hortorum, Cant. 2. Floribus campi, Ego flos campi, in superiori vero cap. lilijs conuallium comparatur, & hoc non nisi propter innumerabiles, easque insignes eius virtutes, ac perfectiones quas sub florum similitudinibus sacræ litteræ, sanctique Patres exprimunt, est autem Maria similis floribus productis in hortis, qui sicut non omnibus patēt, nec cuique eos colligendi aditus datur, sed soli Dn̄o, & quibus

ipse permiserit. conceditur, vt & colorum varietate, ac odoris flagrantia delectentur, ita Deus Opt. Max. florem hunc tanta suæ gratiæ copia decorauit, vt nec hostium pateret incursibus, nec eorum insidias, aut arma timeret, vt mirum non sit, si eam nunquã quoquomodo offenderint, sed ipse solus Deus, & quibus concesserit mira hac varietate, & odore delectantur; & ideo Cant. 4. Hortus conclusus appellatur, est etiam flos campi Maria, qui vt ait D. Bernard. Hom. de aduentu, sicut non humano flores adminiculo non seminatus ab aliquo non desossus sarculo, non impinguatus fimo, sic Virginis floruit Aluus, sic inuiolata integra, & casta Mariæ viscera tanquam pascua æternæ viroris floruerunt, cuius pulchritudinem non vidit corruptionem. Postremo lilium vocatur conuallium, quia duobus montium Maria inclusa latebris Christi, scilicet diuinitate, ac humanitate solis non fuit concupiscentiæ ardoribus exposita, sed ab huius sæculi segregata periculis, vt Angelicam vitam traduxit in terris, sic super Angelicos choros euecta est ad cælos.

2 Dic amico meo patri tuo, cuius cor est secundum cor meum.

Hic fuit Magister Mathias Beatæ Brigittæ Confessor, qui vitæ sanctitate, ac doctrina erat conspicuus quique has reuelationes conscripsit, prout ipsamet Beata Brigitta ei dictabat, de quo pluribus in locis in his Reuelationum libris mentio fit.

3 Sicut illorum Animæ, qui ignorant Deũ, var. lect. & sunt captiue a Diabolo.

Corrige cum Manuscripto captiuatæ a Diabolo.

4 Verba mea sunt quasi adeps.

Optime hoc loco verba Dei adipi comparantur, qui sicut prouenit ex abundantia nutrimenti, & inde pinguescunt corpora, ita ex verbis Dei nutritur anima, virtutibus pinguescit, & in charitate proficit, vnde egregie annotauit D. Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel, quod in sacris litteris per adipem significatur charitas, sine qua anima est arida erga Deum, & proximum, & ideo Genes. 4. legimus, quod Abel obtulit adipem cum primogenitis, idest charitatem cum operibus, & Dauid Psal. 62. optabat animam suam repleri adipe sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, per adipem vero charitatem hoc loco designari patet ibi, sic verba mea sunt quasi adeps, quia quanto homo plus charitate mea feruens mandit, & terit, tanto plus impinguatur.

VERBA MATRIS, ET FILII benedictionis, & laudis adinuicem, & qualiter Virgo figuratur per Arcam, vbi erant virga, manna, & tabulæ legis, in qua figura multa mirabilia continentur.

CAP. LIII.

MARIA loquebatur ad filium. Benedictus sis tu fili mi Deus meus, & Dominus Angelorum. Tu es ille cuius vocem Prophetæ audierunt, cuius corpus Apostoli viderunt, quem Iudæi, & inimici tui senserunt.* Tu es cum deitate, & humanitate, & Spiritu sancto vnus Deus. Nam spiritum audierunt Prophetæ. Deitatis gloriam viderunt Apostoli, humanitatem tuam crucifixerunt Iudæi. Ideo sis tu benedictus sine principio, & sine fine. Respondit filius. Benedicta sis tu, quia Virgo es, & Mater. Tu es arca illa quæ erat in lege, in qua erant tria, scilicet virga manna, & tabulæ. Cum virga facta sunt tria. Primo mutata est in serpentem, qui erat sine veneno. Secundo per eam mare diuisum est. Tertio de petra educta est aqua. Ego sum virga illa in figura, qui in vtero tuo iacui, & humanitatem de te accepi. Ego primo sicut serpens Moysi sic terribilis sum inimicis meis. Ipsi quippe fugiunt a me quasi ab aspectu serpentis. Pauent me, & abhominantur quasi serpentem, cum ego tamen sine veneno malitiæ, plenus omni misericordia sim. Ego patior me teneri ab eis si voluerint. Ego reuertar ad eos si me quæsierint. Curro ad eos quasi Mater ad filium perditum, & inuentum, si me inuocauerint. Exhibeo eis misericordiam, & dimitto peccata eorum, si clamauerint. Hoc facio eis, & adhuc abhominantur me quasi serpentẽ. Secundo per virgam istam diuisum est mare, quando via ad cælum, quæ clausa erat per peccatum, per sanguinem, & dolorem meum aperiebatur. Tunc certe rumpebatur mare, & inuium factum est via, quando dolor omnium membrorum meorum accessit ad cor, & cor præ violentia doloris ruptum est. Postea traducto populo per mare, non duxit eos Moyses statim in terram promissionis, sed in desertum, vt ibi probarentur, & instruerentur. Sic & nunc accepta fide, & mandato meo, non statim introducitur populus in cælum, sed necesse est, vt in deserto, id est, in mundo probentur homines quomo-

* vid. pr. fin.

by Google

quomodo diligant Deum. Sed per tria prouocauit populus Deum in deserto. Primo, quia fecerunt sibi idolum, & adorauerunt ipsum. Secundo, quia concupierunt carnes quas habuerunt in Aegypto. Tertio per superbiam, quando sine voluntate Dei ascendere voluerunt, & pugnare cum inimicis. Sic nunc etiam peccat homo contra me in hoc mundo. Primo colit idolum, quia plus amat mundum, & quæ in eo sunt, quam me, qui eorum Creator sum. Sed mundus quippe est Deus eorum non ego. Ego enim dixi in Euangelio meo. Vbi est thesaurus hominis, ibi est cor eius, sic thesaurus hominis est mundus, quia ad hunc habet cor suum, non ad me. Ideo sicut illi in deserto corruerunt gladio in corpore, sic isti cadent in gladio æternæ damnationis ad animam, in qua sine fine viuent. Secundo peccauerunt per concupiscentiam carnium. Ego enim dedi homini omnia necessaria ad honestatem, & moderantiam, sed ipse omnia vult habere immoderate, & indiscrete. Ipse enim si sufficeret natura, sine cessatione vellet commisceri, sine refrænatione bibere, sine modo cōcupiscere. Quandiu enim posset peccare nunquam cessaret a peccato. Ideo continget eis sicut illis in deserto, quod morientur subita nea morte. Quid enim est vita istius temporis nisi quidam punctus ad æternitatem. Propterea quasi subitanea morte morientur in corpore, propter breuitatem huius vitæ, & viuent in pœna ad animam sine fine. Tertio peccabant in deserto per superbiā, quia sine voluntate Dei volebant ascendere in pugnam. Sic homines per superbiam suam volunt ascendere in cælum, & non confidunt in me, sed in se, facientes voluntatem suam, & meam relinquentes. Propterea sicut illi ab hostibus, sic isti interficientur a dæmonibus in anima, & cruciatus eorum erit sempiternus. Sic ergo odiunt me quasi serpentem, colunt pro me idolum, affectant concupiscentiam suam plus quam me, diligunt superbiā suam pro humilitate mea. Veruntamen adhuc sic misericors sum, quod si conuersi fuerint ad me cum contrito corde, ego conuerto me ad eos sicut pater pius, & suscipio eos. Tertio per virgam istam petra dedit aquā. Petra hæc, est cor durum hominis, hoc enim si percutitur timore, & amore meo, statim effluunt lacrymæ contritionis, & pœnitentiæ. Nullus sic indignus, nullus sic malus, si vertit se ad me, si passionem meam intime

1 considerat, 1 si potentiam meam attendit, si

var. bonitatem meam qualiter terra fructificat,

lect. & arbores perpendit, quod non fluunt ora eius lacrymis, & omnia membra eius ad deuotionem excitantur. Secundo in arca Moysi iacuit manna. Sic in te Mater mea, & Virgo iacuit panis Angelorum, & sanctarum animarum, & iustorum in terra, quibus nil placet nisi dulcedo mea, quibus mundus omnis mortuus est, qui libenter si esset voluntatis meæ essent sine corporali cibo. Tertio in arca illa erant tabulæ legis, sic in te iacuit Dominus omnium legum. Ideo benedicta sis tu præ omnibus, quæ sunt in cęlo, & in terra creata. Postea loquebatur ad sponsam dicens. Dic amicis meis tria. Ego cum corporaliter conuersabar in mundo, sic temperaui verba mea, quod boni fiebant ex ipsis fortiores, & feruentiores. Mali vero fiebāt meliores, vt patuit in Magdalena, Matthæo & alijs multis. Sic etiam temperaui verba mea, vt inimici mei non possent infirmare ea. Propterea laborent illi feruenter, quibus verba mea mittuntur, vt boni ex verbis meis fiant ardentiores in bono. Mali resipiscant a malo, & ab inimicis meis caueant ne verba mea impediantur.

2 Ego quippe non maiorem iniuriam facio diabolo, quam Angelis in cælo. Si enim vellem bene possem loqui verba mea, vt totus mundus audiret. Ego sufficerem etiam aperire infernum, vt omnes viderent pœnas eius, sed hoc non esset iustitia, quia tunc homo seruiret mihi ex timore, sed ex charitate deberet mihi homo seruire. Nam nullus, nisi qui charitatem habet, intrabit in regnum cælorum. Tunc denique iniuriam facerem diabolo, si iuri eius mancipatum reciperem ab eo sine bonis operibus. Angelo in cælo etiam facerem iniuriam, si ei qui mundus est, & charitate feruentissimus, spiritus hominis immundi coæquaretur. Ideo nullus intrabit cælum, nisi qui quasi aurum in igne purgatorio probatus est, aut bonis operibus, sic diutina probatione in mundo exercitatus est, quod non sit in eo macula, quæ debeat purgari. Si ignoras quibus mitti debeant verba mea, ego dicam tibi. Ille dignus est habere verba mea, qui promereri vult operibus, vt veniat ad regnum cælorum. Vel qui operibus bonis præcedentibus promeruerat, illis aperientur verba mea, & ad illos ingredientur. Nam illi quibus sapiunt verba mea, & qui nomen suum humiliter sperant scriptum in libro vitæ, hi tenent verba mea. Quibus autem non sapiunt, considerant quidem verba, & statim proijciunt, & euomunt.

NOTAE.

1 ALiquanto post medium, vbi legitur si
var. potentiam meam attendit, si bonita-
lect. tem meam qualiter terra fructificat, & Arbores perpendit, quod non fluunt ora eius lacrymis.

Hactenus impressa exēplaria, sic legunt, sed puta-

cum M. S. Farnesiano esse legendum, si potentiam meam attendis, & bonitatem meam qualiter terra fructificat, & Arbores, perpendat homo, tunc fluet ab oculis eius lacrymæ.

2 Ego quippe non maiorem iniuriam facio diabolo, quam Angelis in cælo.

Quia scilicet paratus sum sicut bonis Angelis, ita quoque dæmonibus, si conuerterentur ad me gloriam conferre.

VERBA ANGELI AD SPONsam de spiritu cogitationum suarum, an bonus, vel malus sit, & qualiter duo sunt spiritus, scilicet vnus increatus, & alius creatus, & de eorum qualitatibus.

CAP. LIV.

ANGELVS loquebatur ad sponsam dicens. Duo spiritus sunt vnus increatus, alter creatus. Increatus habet tria. Primo est calidus. Secundo dulcis. Tertio mūdus. Primo calefacit, non de aliquibus rebus creatis, sed à seipso, quia ipse cum Patre, & filio est omnium Creator, & omnipotens. Calefacit autem, quando anima tota ardet ad amorem Dei. Secundo est dulcis, quando animæ nihil placet, nihil dulcescit nisi Deus, & recordatio operum eius. Tertio est mundus, vt nullum peccatum in eo inueniri possit, nihil deforme, nihil corruptibile, & mutabile. Calefacit autem non sicut ignis materialis, nec sicut sol visibilis aliquid liquefaciens, sed calor eius internus animæ amor est, & desiderium replens, & absorbens animam in Deum. Dulcescit etiam animæ non sicut vinum desiderabile, aut voluptas, vel aliquid aliud mundanum, sed dulcedo illa spiritus incomparabilis est omnibus dulcoribus temporalibus, & inexcogitabilis non sapientibus illam. Tertio est spiritus ille sic mundus, quemadmodum radij solis, in quibus nulla macula inueniri possit. Secundus spiritus, qui est creatus similiter habet tria. Est enim ardens, est amarus, est & immundus. Primo est ardens, & consumens quasi ignis, quia animam quam possidet, totam incendit luxuriæ igne, & prauæ cupiditatis, vt anima præter eius expletionem, nihil aliud cogitare, nil desiderare possit, in tantum quod quandoque per illam amittitur vita temporalis, & omnis honor, & consolatio. Secundo est amarus quasi fel, quia animam sic sua delectatione inflammat, quod gaudia futura videntur ei esse nulla, & bona æterna fatuitas. Omnia quoque quæ de Deo sunt, & quæ tenetur ei facere, amarescunt ei, & abominabilia sunt ei quasi vomitus, & quasi fel. Tertio est immundus, quia animam sic vilē facit, & pronam ad peccatum, vt de nullo peccato erubescat, & à nullo peccato desisteret, si non plus hominum timeret verecundiam quam Dei. Ideo est spiritus ille ardēs quasi ignis, quia ipse ardet ad iniquitatem, & alios secum accendit. Ideo vero amarus, quia omne bonum est amarum ei, & alijs secum amarescere vult. Ideo autem est immundus, quia ipse delectatur in immunditia, & alios secum similes quærit habere. Sed nunc quærere potes, & dicere mihi. Nunquid non tu es etiam spiritus creatus sicut ille, quare ergo tu non es talis? Respondeo tibi. Vere ego creatus sum ab eodem Deo, quo & ipse, quia non est nisi vnus Deus, Pater, & filius, & Spiritus sanctus, & hi non tres dij, sed vnus Deus. Et ambo bene creati sumus, & ad bonum, quia Deus nihil nisi bonū creauit. Sed ego sum quasi stella, quia in bonitate, & charitate Dei, in qua creatus sum, steti. Ipse autem est quasi carbo, quia à charitate Dei discessit. Ergo sicut stella non est sine claritate, & splendore, nec carbo sine nigredine, sic Angelus bonus, qui est quasi stella, non est sine splendore, id est, Spiritu sancto. Omne enim quod habet, hoc habet a Deo Patre, scilicet, & Filio, & Spiritu sancto, huius amore incalescit, huius splendore nitescit, & ei iugiter inhæret, & ad voluntatem eius se conformat, nec vnquam vult aliud nisi quod Deus, ideo ardet, ideo & mundus est. Diabolus autē est quasi carbo deformis, & omnium creaturarum deformior, quia sicut pulchrior erat cæteris, sic deformior alijs deberet fieri, quia Creatori suo se opposuit. Sicut Angelus Dei splendet luce Dei, & ardet charitate eius incessanter, sic dæmon malitia sua semper inardescit, & angustiatur. Cuius malitia insatiabilis est, sic & bonitas spiritus Dei, & gratia Dei inenarrabilis. Nā nullus est in mundo sic radicatus cum diabolo, cuius cor non quandoq. visitet, & cōmoueat spiritus bonus, sic etiā nullus est sic bonus, quem diabolus non apponit libenter tangere tentatione. Multi quippe boni, & iusti tentantur ex permissione Dei a diabolo, hoc non est pro malo eorum, sed ad maiorem eorum gloriam. Dei quippe filius, vnus in deitate cum Patre, & Spiritu sancto, in assumpta humanitate tentatus est, quanto magis electi eius ad maiorem eorū remunerationem. Multi etiā boni quandoq. cadunt in peccata, & obumbratur conscientia eorum fallacia diaboli, sed virtute Spiritus sancti robustius surgūt, & fortius stant. Verun-

Veruntamen nullus est, qui in conscientia sua non intelligat vtrum suggestio diaboli ducat ad deformitatem peccati, an ad bonum, si diligenter cogitare, & examinare
1 voluerit. 1 Ideo tu sponsa Domini mei non habes dubitare de spiritu cogitationum tuarum, vtrum bonus sit, an malus. Conscientia enim tua dicit tibi, quæ omittenda
2 sunt, & quæ eligenda. 2 Quid autem faciet
var. ille, cum quo plenus est diabolus? Non enim
lect. in eum ingredi potest bonus spiritus, quia plenus est malo. Tria sunt ei facienda, scilicet, quod habeat puram, & integram peccatorum confessionem, quæ licet in contrito corde non statim poterit esse, propter obduratum cor, tamen prodest tantum, quod propter hanc dat diabolus quasi quandam cessationem, & saltum bono spiritui. Secundo habeat humilitatem, scilicet, quod proponat emendare peccata, quæ commisit, & facere bona, quæ poterit, & tunc incipit egredi diabolus. Tertio, vt obtineat iterum spiritum bonum humili prece supplicare debet Deo, & conteri de peccatis factis cum charitate vera, quia charitas ad Deum interficit diabolum. Ipse denique mallet centies mori, quam quod homo exhiberet minimũ bonum charitatis Deo suo, sic inuidus, & maliciosus est. Postea loquebatur beata Virgo ad sponsam dicens. Sponsa noua filij mei, indue te vestibus tuis, impone tibi monile tuum, idest, passionem filij mei. Cui illa respondit: Impone tu Domina mea. Et illa. Ego vtique faciam. Ego volo tibi dicere, quomodo filius meus dispositus erat, & quare à patribus sic feruenter desiderabatur, ipse stabat quasi homo in medio interstitio duarum vrbium, & vox de patria vrbe clamauit ad eum dicens. Tu homo, qui stas in media via inter vrbes, tu es homo sapiens, scis enim cauere ab imminentibus periculis. Tu quoque fortis es ad patiendum mala incumbentia, tu es etiam magnanimus, quia nihil times. Nos enim desiderauimus te, & expectamus te. Aperi ergo portam nostram, inimici enim obsident eam ne aperiatur. Vox de secunda vrbe audiebatur dicens. Tu homo humanissime, & fortissime, audi querimoniam nostram, & gemitum. Nos sedemus in tenebris, & patimur famem, & sitim intolerabilem. Considera ergo miseriam nostrã, & penuriam miserabilem. Sumus enim percussi quasi fœnum excissum falcastro. Aruimus ab omni bono, & defecit omne robur nostrum. Veni ad nos, & salua nos, quia te solum expectauimus, te liberatorem nostrũ sperauimus. Veni, & dissolue penuriam nostram, conuerte planctum nostrum in gaudium, tu esto auxilium nostrum, & salus. Veni ò dignissimum, & benedictũ corpus, quod de Virgine pura processit. Has duas voces audiuit filius meus de duabus vrbibus, sci-
3 licet de cælo, & inferno, 3 ideo misertus aperuit per amarissimam passionem suam, & effusionem sanguinis sui, portam inferni, & eripuit amicos suos. Aperuit & cælum lætificans Angelos, introduxit in eum ereptos de inferno. Hæc filia mea cogita, & habeto semper præ oculis.

NOTAE.

1 IDeo tu sponsa Domini mei non habes dubitare de spiritu cogitationum tuarũ vtrum bonus sit, an malus.

De signis secernentibus diuinas Reuelationes a dæmonum illusionibus pluribus in locis egimus, præcipuum autem signum illud esse annotauimus hoc eodem lib. c. 4. nota 1. quod in his libris nihil inuenitur, quod non sit, & rationi, & conscientiæ conforme, ideo hoc loco Maria B. Brigittæ dicit, quod minime de cogitationum suarũ spiritu dubitet, quia conscientia sua dictat illi, & quæ facienda, & quæ eligenda, plura de his vide in Præludijs ad Reuel. cap. 10. & lib. 3. cap. 20. nota 3. & cap. 78. nota 2. & lib. 4. cap. 23. nota 5.

2 Quid autem faciet ille, cum quo plenus
var. est diabolus.
lect. *M. S. Farnesianus rectius legit, Quid autem faciet ille, qui plenus est diabolo.*

3 Ideo misertus aperuit per amarissimam passionem suam, & effusionem sanguinis sui portam inferi, & eripuit amicos suos.

Per infernum hoc loco, vt etiam infra ad finem præsentis capitis intellige limbum Patrum ad quẽ Christus Dominus descendens, eos qui captiui ibidẽ detinebantur liberauit, secumque ad cælum duxit iuxta illud Dauidis Psal. 67. Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, qua de re late egimus supra hoc eodem lib. cap. 15. nota 3. & cap. 45. nota 4. & 5.

QVALITER CHRISTVS similatur potenti Domino ædificanti magnam ciuitatem, & optimum palatium, per quæ mundus, & Ecclesia designantur, & qualiter iudices, & defensores, & laboratores in Ecclesia Dei, conuersi sunt in arcum prauum.

CAP. LV.

EGO sum similis potenti Domino, qui ædificans ciuitatẽ, imposuit sibi nomen ex suo nomine. Deinde construxit in ciuitate palatium, in qua mansiunculę diuersę pro necessarijs capiendis erant. Constructo vero

palatio, & rebus suis ordinatis, populum suum disposuit in tres partes dicens. Viæ meæ sunt ad remotas partes, state, & laborate viriliter pro honore meo. Constitui enim vobis necessaria vestra, & victualia, habetis & iudices, qui vos iudicent, habetis defensores, qui vos ab inimicis defendant. Constitui & laboratores, qui vos pascant, & de labore suo mihi decimam partem persoluent, & vtilitati meæ, & honori reseruabunt. Interfecto absente aliquo tempore nomen ciuitatis oblitum est, tunc dixerunt iudices. Dominus noster ad remotas partes profectus est, iudicemus rectum iudicium, & faciamus iustitiam, vt redeunte Domino nostro non arguamini, sed reportemus honorem, & benedictionem. Tunc dixerunt defensores. Dominus noster confidit in nos, & reliquit nobis custodiam domus suæ, abstineamus ergo à superfluitate cibi, & potus, ne ad pugnam simus inepti. Abstineamus & ab inordinato somno, ne incauti decipiamur. Simus & bene armati, & continue vigilantes, ne venientibus hostibus imparati inueniamur. In nobis enim honor Domini nostri maxime pendet, & salus populi eius. Tunc & laboratores dixerunt magna est gloria Domini nostri, & remuneratio eius gloriosa, laboremus ergo fortiter, & demus ei non solum decimam partem laboris nostri, sed & quicquid vltra victum nostrum superfuerit offeramus ei, tanto enim gloriosior erit merces, quo maiorem charitatem nostram viderit. Post hęc procedente iterum aliquo tempore, obliuioni datus est Dominus ciuitatis, & palatij. Tunc dixerunt iudices ad seipsos, longa est mora Domini nostri, nescimus verũ reuertetur an non, iudicemus ergo secundũ voluntatem nostram, & quod nobis placuerit faciamus. Deinde dixerunt defensores. Fatui sumus, quia laboramus, & nescimus propter quam mercedem. Confœderemus nos potius inimicis nostris, dormiamus, & bibamus cum eis, non enim curandum est nobis, cuius fuerint inimici. Postea dixerunt laboratores. Quare seruamus aurum nostrum alteri, & quis reportet illud post nos ignoramus? Melius est ergo, vt vtamur eo nosipsi, disponendo ad voluntatem nostram. Demus enim iudicibus decimam partem, & placatis eis, facere possumus, quod volumus. Ego vere sum similis illi potenti Domino, qui ædificaui mihi ciuitatem, id est mundum, in quo constitui palatium, id est Ecclesiam. Nomen mundi fuit diuina sapientia, quia à principio mundus hoc nomen habuit, quod erat factus in diuina sapientia. Hoc nomen venerabatur ab omnibus, & laudabatur Deus à creaturis sua in sapientia sua, & mirabiliter prædicabatur, nunc autem inhonoratum est nomen ciuitatis, & immutatum, & accessit nouum nomen, id est, humana sapientia. Iudices enim qui prius iudicabant in iustitia, & in timore Domini, nunc conuersi sunt ad superbiam, & homines simplices supplantant. Appetunt esse eloquentes, vt habeant laudes hominum, loquuntur placentia, vt obtineant fauores. Verba leniter ferunt, vt boni, & mites vocentur, recipiunt munera, & peruertunt iudicium. Sapientes sunt pro temporali vtilitate sua, & voluntate propria, sed muti pro laude mea. Simplices conculcant sub pedibus, & obmutescere faciunt. Cupiditatem suam dilatant ad omnes, & de recto faciunt falsum. Hæc sapientia nunc diligitur, mea autem data est obliuioni. Defensores vero Ecclesiæ, qui curiales, & milites sunt, vident inimicos meos, & impugnatores Ecclesiæ meæ, & dissimulant, audiunt verba improperij eorum, & non curant. Intelligunt, & sentiunt opera impugnatorum mandatorum meorum, & tamen patienter ferunt. Aspiciunt eos quotidie licite perpetrare omnia mortalia peccata, & non compunguntur, sed dormiunt, & conuersantur cum eis, & alligant se iuramento ad societatem eorum. Laborantes vero, qui sunt communitas tota, respuunt mandata mea. Retinent dona mea, & decimas meas. Offerunt dona iudicibus suis, & eis reuerentiam exhibent, vt eos beneuolos, & placabiles inueniant. Vere audacter dicere possum, quod gladius timoris mei, & Ecclesiæ meæ, in mundo abiectus est, & pro eo assumptus est sacculus pecuniæ.

VERBA QVALITER DOMInus capitulum superius immediate dictum declarat, & de sententia contra tales illata, & qualiter Deus ad tempus propter bonos sustinet malos.

CAP. LVI.

DIXI tibi prius. Quia gladius Ecclesię meæ abiectus est, & pro eo assumptus est saccus pecunię, qui ex vna parte apertus est, & ex alia sic profundus, quod quicquid ingreditur nunquam capit fundum, nec vnquam impletur. Hic saccus est cupiditas, quæ omnem modum, & mensuram excedit & in tantum inualuit, quod contempto Domino nil deside-

desideratur nisi pecunia, & propria voluntas. Attamen ego sum sicut Dominus, qui & Pater, & Iudex est. Cui eunti ad iudicium dicunt circumstantes. Domine procede citius, & fac iudicium. Quibus respondit Dominus. Expectate modicum vsque cras, quia forte filius meus adhuc interim emendabit se. Veniente autem eo altero die, dicunt ei populi. Procede Domine, & fac iudicium. Vsquequo protrahis iudicium, & non iudicas nocentes! Respondit Dominus. Adhuc modicum expectate, si filius meus emendet se. Et tunc si non resipiscet, faciam quod iustum est. Sic ego patienter suffero hominem vsque ad nouissimum punctum, quia Pater, & Iudex sum. Veruntamen quia iustitia mea incommutabilis est, & quamuis diu protrahitur, tamen aut puniam si non emendauerint se peccatores, aut misericordiam faciam in conuersos. Dixi etiam tibi prius, quod populum diuisi in tres partes, scilicet in iudices, in defensores, & laboratores. Quos enim significant isti iudices, nisi clericos, qui diuinam sapientiam verterunt in prauam, & vanam. Sicut illi clerici solent facere, qui recipiunt multa verba, & componunt in pauca, & illa pauca verba sonant idem quod illa multa. Sic clerici huius temporis, receperunt decem mandata mea, & composuerunt in vnum verbum. Quid est hoc vnum verbum? Porri-

1 ge manum, & da pecuniam.

vari tia eorum, loqui pulchre, & agere male.

lect. Simulare se meum, & agere nequiter contra me. Ipsi denique pro muneribus, peccantes libenter patiuntur in peccatis. Simplices exemplo suo prauo præcipitant. Insuper euntes per viam meam odiunt. Secundo defensores Ecclesiæ, idest, curiales sunt infideles, qui fregerunt promissionem suam, & iuramentum, & peccantes contra fidem Ecclesiæ meæ, & constitutionem, libenter tolerant. Tertio laboratores, id est, communitas, sunt sicut tauri indomiti, qui habent tria. Effodiunt enim terram pedibus. Secundo implent se ad satietatem. Tertio complent voluptatem suam iuxta desiderium suum. Sic communitas, nunc totis affectionibus inhiat temporalibus. Implet se immoderata gula, & vanitate mundi. Complet absque ratione carnis suæ delectationem. Sed licet inimici mei sint multi, tamen inter eos multos habeo amicos, quamuis

2 occultos. 2 Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum putabat superesse amicum meum, nisi se solum. Habeo inquit septem milia virorum, qui non flectebant genua sua ante Baal. Sic ego licet multi sint inimici, habeo tamen occultos amicos inter eos, qui quotidie plorant, quod inimici mei praualuerunt, & quod nomen meum despicitur. Propterea propter preces eorum, sicut Rex charitatiuus, & bonus sciens opera ciuitatis mala, patienter tolerat inhabitantes, & mittit litteras amicis suis, faciens eos cautos de periculo suo. Sic ego verba mea mitto amicis meis, quæ non sic obscura sunt, vt Apocalypsis, quam Ioanni ostendi sub obscuritate, vt à spiritu meo in suo tempore, cum mihi placeret explanarentur. Nec ita occulta sunt, vt non annuncientur, sicut Paulus videbat de mysterijs meis, quæ non licebat loqui. Sed sic aperta sunt, vt omnes tã parui, quam magni intelligant. Tam leuia, vt omnes, qui velint possunt capere. Ergo amici mei, verba mea venire faciant ad inimicos meos, si forte conuertantur, & innotescat eis periculum, & iudicium eorum, vt compungantur de factis suis. Alioquin iudicium erit ciuitatis, & sicut interrumpitur murus, vbi non relinquitur lapis super lapidem, nec in fundamento duo lapides sibi mutuo adhærebunt, sic ciuitati, id est, mundo fiet. Iudices vero ardebunt igne ardentissimo. Nullus autem ignis est ardentior, quam qui nutritur aliqua pinguedine. Isti iudices pingues fuerunt, quia plus occasionem habuerunt complendi voluntatem suam. Plus alijs excedebant honore, & abundantia temporalium. Plus alijs abundabãt malitia, & iniquitate, ideo in sartagine feruentissima ardebunt. Defensores vero suspendentur in altissimo patibulo. Patibulũ enim constat ex duobus lignis erectis, & tertio posito ex transuerso, vt superliminare. Hoc patibulum cum duobus lignis est pœna eorum sæuissima, quæ constat quasi ex duobus lignis. Primum est, quod non sperabant premium meum æternum, nec pro eo operibus laborabant. Secundum lignum est, quod diffidebant de potentia, & bonitate mea, quod non omnia possem, nec vellem dare eis ad sufficientiam. Lignum autem ex transuerso est conscientia eorum praua ex eo videlicet, quod intelligebant bene, & faciebant mala, nec verecundabantur facere contra conscientiam suam. Funiculus autem patibuli est ignis æternus, qui non extinguitur aqua, nec rescinditur forficibus, nec finietur, nec rumpetur vetustate. In hoc patibulo vbi pœna est sæuissima, & ignis inextinguibilis, pendebunt, & habebunt confusionem sicut proditores sentient miserias quia fuerant infideles. Audient opprobria, quia displicuerunt eis verba mea. Erit væ in ore eorum, quia laus, & honor proprius dulcis fuit eis. In hoc patibulo, lacerabũt eos corui viui, id est, dæmones, qui numquam satiantur, sed nec lacerati consumentur, sine fine viuent cruciati, & sine fine viuent

uent cruciatores. Ibi erit væ, quod nunquam finietur, miseria, quæ nunquam mitigabitur. Væ eis quia vnquam nati fuerunt. Væ eis quia vita eorum prolongata fuerat. Tertio iustitia laboratorum est qualis taurorum. Tauri habent carnem, & pellem nimis duram, ideo iudicium eorum est ferrum acutissimum. Hoc ferrum acutissimum est mors inferni, quæ cruciabit eos, qui me contempserunt, & propriam voluntatem pro mandato meo dilexerunt. Littera igitur, id est, verba mea scripta est, laborent amici mei, vt ad inimicos meos sapienter, & discrete veniant, si forte audire velint, & resipiscere. Si autem aliqui auditis verbis meis dixerunt, expectemus adhuc modicũ, tempus nondum veniet, nondum est tempus
3 eius. 3 Ego iuro in deitate mea, quæ Adam expulit de paradiso, Pharaoni decem plagas immisit, quod venio eis citius, quam credunt. Ego iuro in humanitate mea, quam de Virgine assumpsi sine peccato pro salute hominum, in qua tribulationem habui in corde, pœnam sum passus in carne, & mortem pro vita hominum, in qua resurrexi, & ascendi, & sedeo ad dexteram Patris verus Deus, & homo in vna persona, quod complebo verba mea. Ego iuro in spiritu meo, qui super Apostolos in die Pentecostes est missus, & inflammauit eos, vt omnium gentium linguis loquerentur, quod nisi cum emendatione ad me quasi serui, & fragiles redierint vindicabor in eos in ira mea. Tunc ve erit eis in corpore, & anima. Væ quia viui in mundum venerunt, & in mundo vixerunt. Væ quia modica fuit eorum voluptas, & adhuc illa vana, & cruciatus eorum erit perpetuus. Tunc sentient quod nunc credere contemnunt, quod verba mea fuerunt charitatis. Tunc intelligent, quod quasi pater monui eos, & me noluerunt audire. Ecce si verbis noluerint credere beniuole, credent operibus cum venerint.

NOTAE.

1 var. lect. Haec est sapientia eorum loqui pulchre, & agere male, simulare se meũ, & agere contra me.

Sic in vulgatis habetur, sed Codex Farnesianus M. S. sic habet, Hæc est sapientia eorum loqui pulchre, & agere male, simulant enim seruire mihi, & agunt contra me.

2 Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum putabat superesse amicum, nisi se solum, habeo, inquit, septem millia virorum, qui non flectabant genua sua ante Baal.

Eãdem penitus sententiam legimus 3. Reg. cap. 19. & Rom. 11. ad horum intelligentiam sciendum est primo, Baal esse nomen Idoli, quod D. Hieron. in Genesim. cap. 9. & super Sophon. cap. 1. interpretatur, aut dominans, vel subyciens, aut possidens, de quo in pluribus scripturæ locis mentio fit, vt num. 22. Hyeremiæ 2. Oseæ 2. Sophon. 1. sed Theodoretus in Hyeremiã cap. 22. affirmat Baal esse nomen Idolorum generale, & Dionys. Carthusianus in Epistolam ad Rom. loco citato esse Deum Achab, Iezabel, sed quidquid sit de nominis ethimologia dicendum est Christũ Dominũ hoc loco insinuare voluisse B. Brigittæ, quod quamuis multi ex clericis ei terga verterint, & legẽ suã, ac præcepta deseruerint non tamen deesse sibi alios, qui amici eius sint, quique pro delictis suis, ac etiam inimicis preces ad Deum quotidie fundant, sicut enim dictum est Heliæ Prophetæ, qui existimabat in se solo saluas esse religionis, ac pietatis reliquias, quod adhuc sibi superessent septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, sic Christus Dominus hic B. Brigittæ dicit quod licet multos inimicos habeat, plures tamen sibi esse inter eos occultos, qui quotidie pro suis, cæterorumque peccatis plorant.

3 Ego iuro in Deitate mea, quæ Adam expulit de Paradiso, Pharaoni decẽ plagas immisit, quod venio eis citius, quam credunt.

Hic de vltimo Christi D. aduentu ad vniuersale iudicium sermo fit, quod aperte colligi potest ex his verbis, quæ aliquanto post hoc eodem cap. leguntur, vbi scribitur, tunc væ erit eis in corpore, & anima, cruciabuntur enim post latam sententiam in corpore, & anima: cum autem legimus tunc venio citius, quam credent, innuitur extremum vniuersale iudicium, quam citissime esse peragendum, quod etiam ex sanctis Patribus docent D. Chrysost. Hom. 30. operis imperfecti, & Hom. 33. in Ioannem circa finem explicans illa verba Pauli ad Philippenses 4. Dominus prope est. D. Cyprianus Epistola 54. de his, inquit, iudicat occultorum scrutator cito venturus, & epistola 56. & 58. idem repetit, hoc etiam indicat D. Gregorius lib. 4. epistolarum. epistola 72. & 38. & Hom. 1. in Euangelia, late prosequitur, fauent etiã Tertullianus lib. de fuga in persequutione cap. 11. Antichristo, inquit, iam instante. Hieronymus epistola 11. ad Ageruchiam. Ambrosius oratione in Satyrum fratrẽ ante medium. Bernardus ser. sexto in psal. 90. & Dyonisius Charthusianus Apocalyp. 1. edisserens ea verba D. Ioan. quæ oportet fieri cito, quod etiam plures alij his annotarunt, & colligitur Iacobi 5. Ecce iudex ad Ianuam stat, & 1. Ioann. 2. nouissima hora hæc est. Sap. 6. Horrĩde, & cito apparebit; quando autem futurum sit ex sacris litteris non constat. Vnde Matt. 24. & Marci 14. dicit Christus de die illa nemo scit neque filius hominis, hoc vero intellige, quod Christus nesciat ad reuelãdum alijs, propterea D. Aug. lib. 21. & 18. de Ciuit. Dei affirmat, quod si nobis expedisset Apostolis reuelasset. Si quis autem curiosius sciscitetur, quo mense, quaue hora vniuersale iudiciũ

futurum

futurũ sit posse probabiliter dici, ꝗ eo tempore, quo factus est mundus, & redemptus eo. quoque iudicabitur mense nimirum Martij, vt tradit D. Tho. in 4. d. 3. ar. 3. q. 4. & in supplemento ad 3. p. q. 77. ar. 3. Sole etiam existente in Oriente, & Luna in Occidente in eadem dispositione, quo creata sunt, vt inde eorum motus terminetur, vnde cœpit moueri: si vero loquamur de hora Cassiod. in Psal. 18. ad eum vers. media nocte surgebam, arbitratur media nocte Christũ esse uẽturũ ad iudicandũ, ꝗ etiã videtur innuere Paulus Apost. 1. ad Tessalonicen. c. 5. Dies Domini sicut fur in nocte veniet, & Matt. 25. Parab. Virgin. hoc idem videtur probare, vbi legimus media nocte clamor factus est, his non obstantibus communis opinio est, futurum vniuersale iudiciũ summo mane, quo tempore sicut Christus resurrexisse creditur, qui nostræ resurrectionis causa fuit, ita probabile est, hoc tempore nos esse resurrecturos, ꝗ probari posset ex illo Lucæ 12. vbi Christus loquens de finali iudicio dicit, & si venerit in tertia vigilia, & inuenerit, beati sunt serui illi, quos inuenerit Dominus vigilantes, tertia autem vigilia notat tempus trium horarũ post mediã noctem. & hoc est tẽpus, quando dicimus Christum ad iudiciũ venturũ esse. ꝗ etiam docuit Lactan. Firmian. l. 7. diu. inst. c. 9. & hanc esse causam tradunt aliqui, quapropter consueuerint Religiosi noctis tempore consurgere ad Deum laudandum, vt scilicet nõ dormientes, sed vigilantes, & orationibus vacantes a Christo iudice inueniantur, quam laudabilem consuetudinem, vel a principio nascentis Ecclesiæ suũ sũpsisse initiũ plures annotarũt, et in specie Nicep. l. 3. c. 17.

VERBA DOMINI AD SPONSAM qualiter ipsa sit in christianorum animabus cibus abhominabilis, & despectus, & per contrarium mundus in eis sit delectabilis, & dilectus, & de iudicio terribili contra tales illato.

CAP. LVII.

FILIVS loquebatur ad sponsam. Sic faciunt mihi Christiani nũc sicut iudęi fecerunt mihi. Ipsi eiecerũt me de templo, & habebant perfectam voluntatem interficiendi me, sed quia nõ dum venerat hora mea, exiui de manibus eorum. Sic christiani faciunt mihi nunc. Ipsi eiiciunt me de templo suo, idest, de anima eorum, quæ templum meum esse deberet, & libenter occiderent me si possent. Ego sum in ore eorum, quasi caro putrida, & fœtens, & videor eis quasi homo loquens mendacium, & nihil curant de me. Ipsi vertunt ad me dorsum, & ego ad eos vertã occiput, quia in ore eorũ nihil est nisi cupiditas. In carne luxuria quasi iumenti. In auditu eorũ placet sola superbia. In visu delectabilia mundi. Passio vero mea, & charitas est eis abhominabilis, & vita mea grauis. Propterea ego faciam sicut animal illud facit, ꝗ multa latibula habet, quod cũ persecutum a venatoribus fuerit in vno latibulo, fugit in aliud. Sic ego faciam, quia christiani persequuntur me malis operibus suis, & eiiciũt me de latibulo cordis sui. Ideo ingredi volo ad paganos, in quorũ ore nunc sum amarus, & insipidus, & ero in ore eorum dulcis super mel. Attamen adhuc ita misericors sum, quod quicunque petierint veniã, & dixerint. Domine ego cognosco me grauiter peccasse, & libenter volo me emendare per gratiam tuã miserere mei propter amarã passionem tuã, ego gaudẽter suscipio eum. Qui aũt perstiterint in malo suo, veniã eis quasi gygas, qui habet tria, scilicet terribilitatem, fortitudinem, & asperitatem. Sic veniam christianis terribilis, vt non minimum digitum audeant mouere contra me. veniam, & sic fortis, quod quasi culex erunt ante me. Tertio veniam eis sic asper, quod ve sentient in præsenti, & ve sine fine.

VERBA MATRIS AD SPONSAM, & matris, & filij dulciter ad inuicem, & qualiter iniquis Christus est amarus, amarior, amarissimus, & bonis dulcis, dulcior, dulcissimus.

CAP. LVIII.

MATER loquebatur ad sponsam. 1 Considera sponsa nouã passionẽ filii mei, cuius passio omnium sanctorum passionẽ in amaritudine superauit. Sicut .n. mater, si filium suum viuum incidi videret amarissime turbaretur, sic ego in passione filij mei, visa amaritudine eius turbabar. Deinde loquebatur ad filium. Benedictus sis tu fili mi, quia sanctus es sicut cantatur. Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus Deus sabaoth. Benedictus sis tu, quia dulcis es, dulcior, & dulcissimus. Tu sanctus eras ante incarnatione, sanctus in vtero, sanctus post incarnationẽ. Tu etiam dulcis fuisti ante mundi creationem, dulcior Angelis, dulcissimus mihi in incarnatione. Respondit filius. Benedicta sis tu Mater præ omnibus Angelis. Sicut .n. ter, vt nunc dixisti fui dulcissimus, sic malis sũ amarus, amarior, amarissimus. Amarus sum illis, qui dicunt me creasse multa sine causa, qui blasphemant me hominẽ creasse ad mortem, non ad vitã. O misera, & insensata cogitatio. Nunquid ego iustissimus, & virtuosissimus Angelos creaui sine ratione. Nunquid ego tanta bonitate ditassem hominẽ, si creassẽ eũ ad dãnationẽ? Nequaquã. Ego quippe omnia bene feci, & ex charitate oẽ bonum dedi homini. Ipse

Ipse aūt oīa bona vertit sibi in malū. Non ꝙ
ego aliquod malum fecerim, sed quia ipse ho
mo cū aliter quā secundū diuinam constitu-
tionē mouet voluntatē suā, hoc est ad malū.
2. His aūt sum amarior, qui dicunt me liberū
arbitriū dedisse ad peccandū, & nō faciendū
2 bonū. Qui dicunt me iniustū esse, a eo ꝙ alios
iustifico. Qui imputant mihi, quod mali sunt,
quia subtraho eis gratiā meā. *His* vero sum
amarissimus, qui dicunt legē, & mādata mea
difficillima, & neminem posse implere ea, qui
dicunt passionē meā eis nihil valere, ideo, &
pro nihilo reputant eā. Propterea iuro in vi
ta mea, sicut olim iurabā Prophetis, quod ex
cusabo me corā Angelis, & omnibus Sanctis
meis, & ꝓbabunt hi, quibus amarus sum, me
oīa rationabiliter, & bene creasse, & ad vtili-
tatem, & eruditionem hominis, nec minimū
vermē sine causa subsistere. *Hi* vero, qui me
amariorē habent, probabunt me, liberū arbi
trium pro bono hominibus sapiēter dedisse.
Scient, & me esse iustum, qui bono homini do
æternum regnum. Malo vero æternum suppli
cium. Non.n. deceret diabolum, qui á me be
nefactus est, & ex malitia sua lapsus, vt cum
bono societatem haberet. Probabunt etiā ma
li homines non esse propter meam culpam,
quod ipsi mali sunt, sed propter suam culpā
ꝓpriam. Ego.n. si possibile esset libenter pro
vno quoq; homine talē pęnam exciperē, qua
lem semel in cruce pro oībus recepi ad hoc,
vt ad ꝓmissam hæreditatem redirent. Sed ho
mo voluntatem suam semper habet mihi cō
trariam. Cui ideo dedi libertatem, vt serui-
ret mihi si vellet, & haberet ęternū premiū, si
autē nollet, haberet supplicium cum diabolo,
propter cuius malitiā, & eius sequacium in-
fernus iuste factus est. Ego.n. qa charitatiuus
sum, nolo, vt hō seruiat mihi ex timore, vel
coactus quasi aīal irrationale, sed ex diuina
charitate. Quia nullus videre pōt faciē meā,
qui inuitus seruit mihi, ex timore pœnæ. Illi
vero, quibus amarissimus sum, intelligent in
conscientia sua legem meam fuisse leuissi-
mam, & iugum meum suauissimum, & dole-
bunt inconsolabiliter, quod spreuerunt le-
gem meam, & quod dilexerunt magis mun-
dum, cuius iugum grauius est, & difficilius
multo, quam meum. Tunc respondit mater.
Benedictus sis tu fili mi, Deus meus, & Do-
minus meus. Rogo te, vt quia tu mihi fuisti
dulcissimus alii participes fiant dulcedinis
meæ. Cui respondit filius. Benedicta sis tu
charissima mater, verba tua sunt dulcia, &
charitate plena. Ideo quicunque de dulcedi-
ne tua in os suum receperit, & perfecte te-
nuerit proficiet ei. Qui autem receperit, &
& reiecerit tanto amrius supplicium habe-
bit. Tunc respondit Virgo. Benedictus sis
tu fili mi pro omni dilectione tua.

NOTAE.

1 CVius passio omnium sanctorum passionem in amaritudine superauit.

Christi Domini dolores fuisse omnium maximos, Threnorum 1. insinuatur ibi (omnes, qui transitis per viam) & quamquam aliqui existimarint, aliquando Martyres secundum aliquas particulares conditiones, vt puta quantum ad passionis diuturnitatem, & alia maiores sustinuisse dolores, tamen quoad omnes causas doloris, nullus æqualem dolorem Christi doloribus passus est, quod procedere non solum quoad externum dolorem sensibilem, qui ex corporali nocino nascitur, sed etiam quoad internum, qui ex alicuius nocini apprehensione emanat, tradit D. Thom. 3. p. q. 46. art. 6. vbi magnitudinem dolorum Christi ex quatuor perpendit causis, ex patientis primo complessione corporis, in qua maxima sensus tactus viget, ex passionum generalitate, & magnitudine læsionis, ex quantitate doloris proportionata ad finē, quia quātitatem passionum assumpsit proportionatam magnitudini fructus, qui inde manare debebant, postremo ex efficacia animæ & interiori apprehensione, ex qua vis doloris maxime pendet, vnde optime annotauit Hylar. li. 10. de Trinit. vbi ait: Christum ad peragendum mortis suæ sacramentum, consumasse omnē humanarum genus passionum, cum inclinato capite emisit spiritum, & ratio huius esse potest, quia hæc quatuor cum fuerint in Christo perfectissima omnium, si quoque dolores fuerunt grauissimi, eoque magis, quo Christus eas causas poterat voluntate sua impedire, aut etiam lenire, quod non fecit, & vnicuique causæ secundum suam naturalem potestatē permisit operari, & quæ eius erant propria agere. vt Damasc. dixit li. 3. de fid. c. 19. & 20. & hoc videbatur decere, tum propter maiorem excellentiam suæ satisfactionis, tum vt assumptæ carnis veritatem ostenderet, tum etiam vt nobis exemplum patiendi relinqueret.

2 His autem sum amarior, qui dicunt me &c.

Quemadmodū totius mali radix est liberū arbitriū, nisi secundū rationis dictamen operetur, ita prorsus homo nequaquam recte viuere, aut mereri posset nisi gratia Dei adiutus, & suis actionibus peculiari Dei beneficio liber factus, libere quoq. operetur, ex quo nullatenus licet inferre, fuisse homini ad peccandū liberū a Deo collatū arbitriū, quia per illud peccare pōt, non .n. inquit D. Aug li. 2. de lib. arb. nō lōge a principio, quia per illud etiā peccatur, ad hoc Deū illud dedisse credēdū est, satis ergo causæ est, cur dare debuerit, quia sine illo homo recte viuere minime pōt, ad hoc aūt datū, vel hinc pōt intelligi, quia si quis eo fuerit vsus ad peccādū diuinitus in eo vindicatur, ꝙ iniuste fieret, si vt peccaretur libera esset voluntas data; Vnde egregie Lyr. super illud Eccl. 15. & reliquit hoīē in manu cōsilij sui, vocat hāc lib. arb. facultatē conseruādi iustitiā pōtatē nō propriæ voluntatis faciēdæ facultatē, sed hac de re latius egimus li. 5. Ren. inter. 3. q. 3. et l. 8. c. 56. scribitur Deū homini liberū dedisse arbitriū, ut cælestia desideraret, et terrena cōtēmneret, & serm. de excell. Virg. c. 6. datū ē homini lib. arbit. ut per illud in bono perseuerās staret ad boni premium, & in malum non caderet.

VER-

VERBA CHRISTI PRAESENTE sponsa, scilicet qualiter Christus per rusticum, boni sacerdotes per bonum pastorem, mali sacerdotes per malum pastorem, & boni Christani per vxorem designantur, & figurantur. In qua figura multa vtilia continentur.

CAP. LIX.

EGO sum qui nunquam dixi falsum. Ego reputor in mũdo quasi rusticus, cuius nomen videtur contemptibile. Verba mea reputantur fatua, & domus mea reputatur tugurium vile. Iste rusticus habuit vxorem, quæ nihil voluit nisi iuxta voluntatem eius, quæ possidebat omnia cum viro, & habuit eum pro domino suo obediens ei in omnibus quasi domino suo. Iste rusticus habuit etiam multas oues, ad quarum custodiam conduxit sibi pastorem pro quinque aureis, & vt ministraret ei necessaria vitæ suæ. Iste pastor, quia bonus erat, auro vtebatur ad vtilitatem suam victualibus ad necessitatem vitæ. Post istum pastorem transeunte tempore aliquo venit alius deterior, qui cum auro emit sibi vxorem, ad quam detulit cibaria sua, continue requiescens cum illa, non curans de ouibus, quæ miserabiliter a bestijs crudelibus dispergebantur. Tunc rusticus videns dispersionem ouium suarum clamabat dicẽs:
1 Pastor meus est mihi infidelis 1. Oues meæ
var. dispersæ sunt, & a bestijs ferocissimis aliquæ
lect. deuoratæ penitus cum corpore, & vellere.
Aliquæ mortuæ sunt, sed corpora incommesta. Tunc dixit rustico viro suo vxor. Domine mi, corpora quæ deuorata sunt certum est, quod non rehabebimus, ergo corpora illa, quæ remanent intacta quamuis sine spiritu sunt deferamus domum, & vtamur eis. Si enim ex toto caruerimus intolerabile erit nobis. Respondit ei maritus. Quid ergo faciemus, quia animalia venenata erant dentibus, caro ouium similiter infecta est veneno mortifero, pellis corrupta, lana conglobata in vnum. Respondit vxor, si omnia maculata sunt, & omnia auferuntur vnde tunc viuemus. Respondit maritus. Ego video in tribus locis viuentes oues. Quædam sunt similes mortuis ouibus, quæ præ timore non audẽt
2 respirare. Secundæ iacent in luto profundo,
var. nec sufficiunt eleuare se 2. Tertiæ stant in
lect. latebris, nec audent procedere. Ergo vxor
mea veni, & erigamus oues, quæ conantur surgere, & sine auxilio non sufficiunt, & vtamur eis. Ecce ego dominus sum ille rusticus quia ab hominibus reputor quasi ansius nutritus in cubili suo, iuxta modum, & mores suos. Nomen meum est sanctæ Ecclesiæ dispositio. Hæc reputatur contemptibilis, quia sacramẽta Ecclesiæ, scilicet baptismus, chrisma, vnctio, pęnitentia, & coniugium recipiuntur quasi pro derisione, & dantur alijs pro cupiditate. Verba mea iudicantur fatua, quia verba, quæ proprio ore loquebar cum similitudinibus, vertuntur de spirituali intelligentia ad corporis alleuiationem. Domus mea videtur contemptibilis, quia terrena diliguntur pro cælestibus. Per pastorem istum primum, quem habui, intelligo amicos meos sacerdotes, quos olim in sancta Ecclesia habui, quia per vnius vocabulũ intelligo plures. His commisi oues meas, idest corpus meum dignissimum sanctificandum, & animas electorum meorum gubernandas, & defendendas. Quibus etiam dedi quinque bona praeciosiora omni auro, scilicet conscientiam, intelligentem super omnia irrationabilia, vt discernerent inter bonum, & malum, inter verum, & falsum. Secundo dedi eis spiritualium rerum, intelligentiam, & sapientiam, quæ nunc oblita est, & diligitur pro ea humana sapientia. Tertio dedi eis castitatem. Quarto temperantiam omnium rerum, & abstinentiam ad corporis moderationem. Quinto stabilitatem in bonis moribus, verbis, & operibus. Post istum primum pastorẽ, idest amicos meos, qui antiquitus erant in Ecclesia mea, subintrauerunt nunc aliqui pastores, qui pro auro emerunt sibi vxorem, idest pro castitate, & illis quinque bonis assumpserunt sibi femineum corpus, idest incontinentiam, per quam spiritus meus discessit ab eis. Quando enim voluntatem habent completam peccandi, & satiandi coniugem suam, idest voluptatem suam ad libitum suum, tunc spiritus meus abest ab eis, quia non curant de ouium dãno si possint voluptatem suam perficere. Oues autem, quæ ex toto sunt deuoratæ, illi sunt, quorum animæ in inferno sunt, & corpora condita in sepulchris, expectantia resurrectionem damnationis æternæ. Oues vero, quarum carnes remanent, & spiritus ablatus es, sunt illi, qui nec diligunt, nec timent me, nec aliqua deuotione, & cura afficiuntur circa me. Ab illis enim longe est spiritus meus, quia caro eorum ex venenatis bestiarum dentibus venenata est, idest anima eorum, & cogitationes, quæ designantur in carne ouium, & intestinis sic amara sunt mihi, & abominabilia ad delectandum in eis, quemadmodum caro venenata. Pellis eorum, idest, corpus eorum

aridum

aridum est ab omni bono; & ab omni charitate, & nulli vsui aptum in regno meo, sed tradetur igni perpetuo in inferno post iudicium. Lana eorum, idest opera eorum ex toto inutilia sunt, vt nihil inueniatur in eis, pro quibus charitatem meam, & gratiam digni sint habere. Quid ergo nunc o vxor mea, idest boni Christiani, quos in vxore intelligo faciemus. Ego video in tribus locis viuentes oues, quædam sunt similes mortuis ouibus, quæ præ timore non audent respirare. Hi sunt gentiles, qui libenter vellent habere fidem rectam si scirent quomodo, sed ipsi non audent respirare, idest non audent præ timore dimittere fidem, quam habent, nec audent recipere rectam. Secundę oues sunt, quæ stant in latebris, nec audent procedere. Hi sunt Iudæi, qui stāt quasi sub velamine, qui libēter procederent si scirent pro certo me natū. Occultant autē se quasi sub velamento, quia in figuris, & signis, quæ me in lege significabant, & in me veraciter completa sunt sperant salutem, & ex illa vana spe timent ad fidem rectam procedere. Tertiæ oues, quæ in luto stant, sunt Christiani in mortalibus peccatis constituti. Ipsi enim propter timorem supplicij libenter surgerent, sed non possunt propter peccata grauia, & quia nullam habent charitatem. Ergo vxor, idest Christiani boni iuuate me. Nam sicut vxor, & vir vna caro, & vnum membrum esse tenentur, sic Christianus membrum meum est, & ego suum, quia ego in eo, & ipse in me. Ideo o vxor, idest boni Christiani currite mecum ad oues, quæ adhuc habent spiritum, & erigamus eas, & refoueamus. Compatimini mihi, quia multum carę emi oues, recipe mecum, & ego tecum. Tu in deorsum, & ego in caput, gaudenter duco eas inter manus meas. Ego portaui eas omnes semel in dorso meo, & quando erat totum sauciatum, & stipiti affixum. O amici mei sic tenere diligo oues istas, quod si possibile esset, adhuc mori propter quamlibet ouem speciali morte, qualem in cruce semel pro omnibus passum sum, magis eas re-

3 dimerem, quam eis carerem 3. Ergo cla-
var. mo ad amicos meos toto corde, quod non
lect. parcant labori pro me, non bonis, & si mihi de verbis improperij non parcebatur dum eram in mundo, non parcant ipsi veritatem loqui de me. Ego non erubui illam contemptibilem mortem pro eis. Ego sicut natus fui stabam nudus ante oculos inimicorum meorum. Ego fui percussus cum pugno in dentes. Ego tractus in crinibus cum digitis eorum. Ego flagellatus flagellis eorum. Ego affixus ligno cum instrumentis eorum, & pendebam cum furibus, & latronibus in cruce. Propterea amici mei non parcatis laborare pro me, qui talia sustinui ex charitate propter vos. Laborate viriliter, & ferte quibus indigentibus auxiliū. Ego iuro in humanitate mea, quę est in patre, & pater in me, & per Deitatem, quę est in spiritu meo, & spiritus in ea, & idē spiritus in me, & ego in eo, & hi tres vnus Deus in tribus personis, quod quicunque laborauerint, & portauerint oues meas mecum, occurram eis in media via ad succurrendum, & dabo eis stipendium pretiosissimum, idest meipsum in gaudium sempiternum.

NOTAE.

1 OVes meæ dispersæ sunt, & a bestijs fe-
var. rocissimis aliquę deuoratę penitus
lect. cum corpore, & vellere.

Sic legunt omnes impressi codices, sed Farnesianus M. S. habet, & a bestijs ferocissimis deuoratæ penitus cum corpore pelle, & vellere. & hic nota quod vellus dicitur lana ex oue detonsa, & significat in sacris litteris bona opera, quæ quidem cum ab existente in mortali peccato fiunt mortua dicuntur, & a bestijs deuorata: hoc est a dæmonibus, qui homines ad peccatum instigantibus, inhabiles reddunt ad meritorie operandum. ideo Genes. 30. scribitur fuisse oues diuersi velleris separatas, vt quod mistice diuersorum operum multiplicitas designetur, quod etiam indicauit glossa ordinaria ibidem.

2 Et paulo post vbi exemplaria impressa le-
var. gunt tertiæ sunt in latebris, nec audent pro-
lect. cedere.

M.S. Farnesianus habet, nec audent se præsentare.

3 Ego clamo ad amicos meos toto corde
var. quod non parcant labori pro me non bonis.
lect. *Hic locus corrigendus est si cum M.S. ego clamo ad amicos meos toto corde, quod non parcant labori pro me, & pro meis bonis omnibus amicis.*

VERBA FILII AD SPONSAM de tribus generibus Christianorum figuratis per Iudæos in Aegypto existentes, & qualiter ista ad sponsam reuelata sunt transferenda, & testificanda, & prædicanda per Dei amicos personis ignorantibus.

CAP. LX.

FILIVS Dei loquebatur ad sponsam dicens. Ego sum Deus Israel, & ille, qui cum Moyse loquebatur. Moyses cum ad populum meum mitteretur, petijt signum aliquod dicens

non

non credit mihi aliter populus. Si ergo erat populus Domini, ad quem Moyses mittebatur quare diffidebat? Sed scire debes, quod in illo populo tria genera hominum erant. Quidam credebant Deo, & Moysi. Secundi erant, qui credebant Deo, & diffidebant de Moyse, reputantes, ne forte ex ad inuentione propria, & præsumptione talia loqui, vel facere præsumeret. Tertij erant, qui nec Deo, nec Moysi credebant. Sic nunc tria genera hominum sunt inter Christianos, qui in Hebræis signantur. Aliqui sunt, qui bene credunt Deo, & verbis meis. Alij sunt, qui credunt Deo, sed diffidunt de verbis meis, quia nesciunt discernere inter spiritum bonum, & spiritum malum. Tertij sunt, qui nec credunt mihi, nec tibi, cum qua verba mea locutus sum. Sed sicut dixi, licet Hebræorum quidam diffidebant de Moyse, tamen omnes cum eo Mare rubrum transierunt in hæremum, vbi qui diffidebant colebant idola, & prouocauerunt Deum ad iram, ideo, & consumpti sunt misera morte, sed hoc non fecerunt nisi illi soli, qui malam fidem habuerunt. Propterea quia humanus animus tardus est ad credendum. Ideo amicus transferret verba mea ad eos, qui credunt ei. Ipsi postmodum diffundent ad alios, qui nesciunt discernere inter bonum spiritum, & ma-
1 lum. 1 Si autem audientes petierint signũ, ostendant eis virgam, sicut Moyses fecit, id est, verba mea explanent eis. Sicut enim virga Moysi recta erat, & terribilis propter mutationem in serpentem. Sic verba mea recta sunt, & nulla in eis inuenitur falsitas. Terribilia sunt, quia iudicium rectum sonant. Præponant, & testificentur, quod ad verbum, & sonum vnius oris cessit, & recessit diabolus à Dei creatura, 2 qui nisi po-
2 testate mea refrenaretur, etiam mouere posset montes. Qualis tunc eius potentia cum permissione Dei, qui ad vnius vocis sonitum fugebatur. Propterea sicut illi Hebræi, qui nec crediderunt Deo, nec Moysi, processerunt de Aegypto in terram promis-
3 sionis quasi coartando se cum aliis. 3 Sic nunc multi Christiani quasi inuiti procedunt cum electis meis, quia non confidunt de potentia mea, quod saluare eos possim. Nullatenus credunt verbis meis, falsam spẽ
4 habent ad virtutem meam. 4 Attamen verba mea sine voluntate eorum complebuntur, & quasi arctabunt se ad perfectionem, 5 vsque-
5 quo veniant ad locum,
var. lect. qui mihi placuerit.

NOTAE.

1 SI autem audientes petierint signũ, ostẽdant eis virgam sicut Moyses fecit, idest, verba mea explanentur eis.

Verba Dei Virgæ Mosis comparantur, quia sicut illa in terram proiecta in serpentem mutabatur, sic verbum Dei, quod semen esse scribitur Lucæ 8 in corde fidelium proiectum eorum conuersionem operatur, secundum illud Psalm. 18. Lex Domini conuertens animas. Secundo, quia sicut serpens ex virga Mosis Verbum caro factum designabat, & iterum serpens per conuersionem in virgam rediẽs resurrexisse Christum notabat, vt tradunt Tertullianus aduersus Iudæos Greg. Nissenus de vita Mosis D. August. super Psal. 73. & lib. 12. contra Faustum Manichæum cap. 28 D. Chrysost. in Ioan. Hom. 26. D. Ambros. 3. de Spiritu sancto c. 9. explicans ea verba redemisti virgam hæreditatis tuæ, ita & qui verbum Dei libenter audiunt, illudque eorum cordibus imprimunt, & eos Christum Dominum in eorum animis concepisse, & cum eo quoque resurrexisse notatur.

2 Qui nisi a potestate mea refrænaretur etiam mouere posset montes.

Agitur hoc loco de potestate dæmonis, quam tantam esse Iob 41. cap. scribis, vt non sit super terram potestas, quæ comparetur ei, & idcirco Dauid Psal. 71. eum absolute potentem vocat, quia liberauit inquit pauperem a potente, quod etiam ibi annotauit Theodoretus, & late explicat D. Greg. lib. 33 Moral c. 17. & alij plures, hanc vero potestatem exercere in hominem minime potest, nisi permittente iusto iudicio Dei, & ideo legimus hic, nisi potestate mea refrænaretur, quod egregiè annotauit D. August. lib. 7. de ciuit. Dei c. 35 non enim inquit possunt, quod non sinuntur efficere, sinuntur autem alto Dei summi, iustoque iudicio pro meritis eorum, quos ab eis affliguntur, idem habet lib. 10. c. 21. vbi affirmat hanc dæmonibus à Deo permissã potestatem, non solum non esse perniciosam, sed Ecclesiæ proficuam, vt Martyrũ numerus impleatur, quos ciuitas Dei tanto clariores ciues habet quanto fortius aduersus impietatem potestatum, etiam vsq; ad sanguinem certant.

3 Sic nunc multi Christiani quasi inuiti procedunt cum electis meis.

Christus Dominus hic de his Christianis verba facit, qui videntur obseruare legem Dei, eiusque monitis obtemperare, non quia verbis eius credunt & in diuina potentia cõfidunt, sed propter aliquod eorum temporale commodum, cum electis Dei procedunt, simul præcepta obseruando, & dicuntur hoc loco quasi inuiti id facere, quia non sponte, & eo fine, vt Deo inseruiant illud præstant, sed vt suis priuatis commodis consulant.

4 Attamen verba mea sine voluntate eorum complebuntur, & quasi arctabunt se ad perfectionem.

Digitized by Google

Ex his verbis colligi minime potest, Deum Opt. Max. libero nostro vim inferre Arbitrio, nosque absque voluntatis nostræ concursu iustificare, & 1 ad perfectionem trahere: legimus enim hic, quod quasi ad perfectionem arctabunt se, vbi particula (quasi) indicat nos nõ cõpelli, nec ad diuinas recipiendas vocationes cogi, sed quod tanta est gratia, & verbi Dei efficacia, vt diuinis inspirationibus libere consentientes, & de facto non resistentes statui perfectionem sectabimur. quæ vero antecedunt nimirum verba mea sine voluntate eorum complebuntur, explicanda sunt sic, quod sicut quæ futura sunt ab æterno à Deo ordinata sunt independenter ab hominum voluntate, ita quoque quæ per Prophetas prædicta sunt in sacris litteris, perficientur in tempore, quando Deo placuerit, ac expedire indicabit.

Ad finem præsentis Capitis, vbi hactenus
var. impressa exemplaria legunt, vsque quo ve-
lect. niant ad locum, qui mihi placuerit.

M. S. Farnesianus addit, & gentem, quæ mihi placuerit, hoc est ad electorum pertinens numerum, & cum his connumerabuntur.

Finis Primi Libri Reuelationum S. Brigittæ.



INCIPIT

INCIPIT SECVNDVS LIBER

REVELATIONVM CÆLESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

INFORMATIO FILII AD SPONSAM CONTRA diabolum, & responsio filij ad sponsam, qualiter non subtrahit malos antequam veniant in peccatum. Et qualiter baptizatis morientibus infra annos discretionis datur Regnum Cælorum.

CAPVT PRIMVM.

FILIVS loquebatur ad sponsam dicens. Quando diabolus tentat te dic ei ista tria. Verba Dei non possunt esse nisi vera. Secundo, Deo nihil est impossibile. Tertio, quod etiam tu diabole non poteris mihi dare talem feruorem charitatis, qualẽ dat mihi Deus. Item ait Dominus ad sponsam dicens. Ego video hominem tripliciter. Primo corpus extra, qualiter dispositum est. Secundo conscientiã intus, ad quid tendit, & qualiter. Tertio cor eius quid desiderat. Sicut enim auis, quæ videns piscem in mari, considerat profunditatem, attendit, & procellas.
1 var. lect. 1 Sic ego vias omnium scio, & considero, & quid vnicuique debetur attendo; quia perspicatioris visus, & considerationis sum ad sciendum, quæ sunt circa hominem, quam
2 ipse sit ad cognoscendum se, 2 Ergo quia omnia sic video, & scio, potes quærere à me, quare non subtraho malos, antequam venerint in profundũ peccati. Ad quod ego personaliter, qui quærebam. Respondeo tibi. Ego sum Creator omniũ, & omnia sunt in præscientia mea, & quæ facta, & quæ futura sunt omnia scio, & video. Sed licet omnia possũ, & scio, ex iustitia tamen non facio magis contra naturalem dispositionẽ corporis, quã contra dispositionẽ animæ. Omnis quippe homo secundum naturalẽ dispositionem corporis, quæ est in præscientia mea, & erat ab æuo subsistit. Quod autẽ vnus longioris vitæ erit, alter breuioris, hoc est secundũ fortitudinẽ, & infirmitatẽ naturæ, & secundũ quod
3 corporalis dispositio habet se. 3 Quod autẽ vnus cæcus, alter claudus efficitur, vel aliquid huiusmodi, hoc nõ est propter præscientiam meam, cũ omnia ita præscio, quod nullus fiet ex ea deterior, vel aliquibus obsit præscientia mea. Nec fit ex elementorũ cursu, & statione, sed ex occulta iustitia, in dispositione, & conseruatione naturæ. Peccatum enim & indispositio naturæ multipliciter deformitatem adducunt membrorũ. Nec ideo fit quia volo, sed quia ex iustitia permitto

 fieri,

fieri, quãuis enim omnia possim, iustitiæ tamen non resisto. Ergo quod aliquis minus, vel plus viuit, hoc est secundũ naturę infirmæ, vel fortis dispositionem, quæ in præsciẽtia mea est, contra quam venire nullus potest. Similiter per similitudinem intelligere potes. Dato quod essent duę viæ, & ad eas vna sola via duceret. In illis autem vijs essent innumerabiles fossæ, vna contra aliam, & super aliam. Finis vero vnius illarũ duarum viarũ directe tendebat in infimũ, & finis alterius tendebat sursũ. In cõpitis vero viarũ sic erat scriptum, quicunq. vadit per istam viã, incipit eã cum delectatione, & voluptate carnis, & terminat eã in magna miseria, & confusione. Qui aũt vadit per istam aliam viam, incipit cum modico, & tolerabili labore, & terminatur cum maximo gaudio & consolatione. Ille vero qui incedebat primo per illam vnam viã, cęcus ex toto erat, sed cum venisset ad compita viarum aperiebantur oculi eius, & videbat scripturam illã in qua cõtinebatur finis illarum duarum viarum. Quam quidem scripturam cum ille attenderet, & secum deliberaret, apparuerunt statim duo viri iuxta eum, ad quorum custodiam pertinebant illæ duæ viæ. Qui considerantes viatorem in compitis, loquẽtes inter se dixerunt: Cõsideremus diligenter per quã viam magis incedere voluerit, & eius cuius via magis elegerit proprius erit. Viator aũt considerans secum fines viarum, & merita, prudenti vsus consilio eligebat magis viam cuius principium erat modici doloris, & finis gaudium, quã illã, quæ in gaudio incipiebat, & terminabatur in dolore. Tolerabilius enim credebat, & sanius fore modico fatigari labore in principio, & in fine quiescere secure. Nunquid scis tu quid ista significent? Ego certe dicam tibi. Duæ istæ viæ sunt bonum, & malum, quod ante hominẽ est; quod magis eligere velit in potestate sua, & libero arbitrio suo constitutum est, cum venerit ad annos discretionis. Ad has duas vias .s. electionis boni, & mali, vna via ducit .s. ætas adolescentiæ, ducens ad annos discretionis. Qui hanc viam primum ambulat quasi cæcus est, quia ab adolescentia vsquequo homo venerit ad annos discretionis, quasi cæcus est, nesciens discernere inter bonum, & malũ, inter peccatum, & virtutem, inter mãdata, & prohibita. Ergo homo ambulans in vna sola via .s. in ætate puerili, similis cæco est. Cum autẽ venerit ad cõpita viarum, id est ad annos discretionis, tunc aperiuntur ei oculi intelligentiæ. Nam tunc scit considerare quid sit melius, modicum habere dolorem, & æternum gaudium; quam modicum gaudium, & æternum dolorẽ. Et tunc quamcunq. viã elegerit, non deerunt illi, qui gressus eius diligenter numerabunt. In istis autẽ vijs multæ sunt fossæ, vna contra aliam, & vna ante aliam, quia in ætate iuuentutis, & in ætate senectutis, vnus moritur citius, alter tardius, vnus in iuuentute, alter in senectute. Ergo finis huius vitæ bene in fossis significari potest, quem habebunt oẽs, vnus sic, alius vero sic, prout naturalis dispositio exigit, & prout in præscientia mea est. Si .n. aliquem contra naturalem dispositionẽ corporis subtraherem, statim contra me occasionem haberet diabolus. Et ideo, ne diabolus in minimo inueniat in me aliquid contra iustitiam, non magis facio contra naturalem dispositionem corporis, quã animę. Attamen considera bonitatem, & misericordiã meam. Ego .n. sicut dicit magister, facio illis virtutem, qui non habent virtutem. Ego ex multa charitate omnibus illis, qui baptizati sunt, & infra annos discretionis moriuntur do regnum cælorum, sicut scribitur. Complacuit patri meo talibus dare regnum cælorum. Adhuc etiam ex pietate mea facio cum infantibus paganorum misericordiam. Nam quicunque eorum infra annos discretionis moriuntur, quia ad cognitionem faciei meæ venire non possunt, veniẽt in locum quendam tibi non licitum scire,
4 vbi sine cruciatu morabuntur. Qui autem ab vna via progressi veniunt ad illas duas, idest ad annos discretionis boni, & mali, tũc in eorum potestate est eligere quod magis eis placuerit, & secundum quod tunc flectunt voluntatem suam, talis eorum sequitur remuneratio,
5 quia tunc sciebant legere scripturam scriptam in compitis viarum,
var. lect. .s. quod melius esset modicum habere dolorem in principio, & in procinctu gaudium, quam in principio gaudium, & in fine dolorem. Veruntamen contingit quandoq. quod ante naturalem dispositionem corporis, aliqui subtrahuntur, vt puta per homicidium, ebrietatem, & aliquid huiusmodi, quia diaboli malitia tanta est, quod nimis longam peccator ille haberet pœnam, si diutius perseuerares in mundo. Et ideo exigente iustitia, & peccatis, aliqui ante naturalem dispositionem corporis subtrahuntur; quæ quidẽ subtractio in præscientia mea ab æuo fuit, contra quam aliquem venire impossibile est. Sic etiam quandoq. boni, ante naturalem dispositionem corporis subtrahuntur, quia ex nimia charitate, quam ad eos habeo, & ipsi ex feruore dilectionis, & ex labore refrenationis corporis, quam habent ad me, sicut in præscientia mea ab æuo fuerat, exigente iustitia, quandoq. subtrahuntur. Ergo non magis facio contra naturalem dispositionem corporis, quam animæ.

CON-

CONSALVI DVRANTI PRESBYTERI ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES Ad Librum Secundum Cælestium Reuelationum Sanctæ Brigittæ.

CAPVT PRIMVM.

1 var. lect. SIC ego vias omnium scio.

Farnesianus Codex M. 6. habet, Vias hominum scio. Scrutator enim Deus est cordium, & discretor cogitationum, ac intentionum, vt dicit Apostolus ad Hebr. 4. & Hierem. 17. & 1. Reg. 16. & 1. Paralip. 28. & ideo legimus hic, Quod ipse attendit, quod vnicuique debetur.

2 Ergo quia omnia sic video, & scio potes a me quærere, cur non subtraho malos antequam venerint in profundum peccati.

Hoc loco difficilis admodum proponitur dubitatio, quare Deus eos peccatores de medio non tollat, quos præsciuit in profundum peccatorum fore demergendos, hoc enim videtur spectare ad misericordiam eius, ne ipsi fiant quotidie grauioris pœnæ rei, sibique iram Dei thesaurizent, cui breuiter respondetur hic, quod licet posset Deus eos destruere, hoc tamen non facit, ne suæ resistat iustitiæ, quod innuitur infra hoc eodem cap. cum legimus, quod licet omnia possim, & sciam ex iustitia tamen non facio, ad cuius rei intellectum nota, quod sicut Deus conferens hominibus naturalem corporis dispositionem permittit homines regulariter longioris, vel breuioris esse vitæ, prout perfectioris, ac deterioris complexionis existunt, vtque talis dispositio exigit, nisi forte occulto eius iudicio aliter fiat, ita quoque posita naturali animæ dispositione, quæ in libertate consistit Arbitrij, cum hominem liberum creauerit, illumque in manu consilij sui reliquerit, vt Ecclesiastici 15. scribitur, statim eum quando ipse vult de medio tollit, quia spectat ad iustitiam eius, vt quem libere condidit, eum etiam libere viuere sinat, iuxta naturalem animæ corporisque dispositionem, vnumquodque enim Deus gubernat secundum rerum naturas, omnia namque suauiter disponit, Sapientiæ 8. scribitur, vnde liberum hominem non cogit, nec detinet, quominus libere agat. 2. quia vt auctor est D. Dyonis. 4. cap. de diuinis nominibus, ipsa rerum natura hoc habet, vtque deficere possint quandoque deficiant, & ideo aliquanto post initium huius cap. legitur, quod nec idcirco fit, quia volo, sed quia ex iustitia permitto fieri, quamuis enim omnia possim a iustitia tamen non resisto, sed huius quoque rei sexcentas possem afferre causas, aliquas tamen potiores indicabo.

Mali primo permittuntur a Deo ad bonorum probationem, & meritum sic enim habetur lib. 1. cap. 2. sicut enim Rosa, quæ suauiter redolet, crescit inter spinas, & vinum optime seruatur in fæce sic boni inter malos, neque enim valde laudabile est inquit D. Greg. 1. Moral. cap. 1. bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis, & D. August. lib. 16. cap. 21. contra faustum ad aliquem vsum sanctorum ordinatur omnis cæcitas impiorum a summo Deo, qui pro sui regiminis æquitate bene vtitur etiam malis, & de Genesi ad litteram lib. 11. cap. 6. cur non crearet quos præsciebat bonis profuturos, & ex sent. decerptis ex eodem sent. 49. Tom. 3. melior est hoc tempore causa iustoris, qui quanto acrius impetuntur tanto gloriosius coronantur, quomodo autem mali prosint bonis fuse tradit Lodulphus de vita Christi 1. par. cap. 63. & idem August. lib. 83. quæst. q. 27. Tomo 4.

Secundo sustinentur mali, vt tempus eorum compleatur a iustitia Dei decretum, vt quem aliis eorum malitia, ac etiam diuina innotescat iustitia.

Tertio, vt diuina misericordia, & patientia propaletur, per quam ad conuersionem impij expectantur, & præsertim si hi aliorum casus, ac nequitiam considerauerint forte resipiscent veluti, cum quis

a scorpione percussus, si oleo inungitur, in quo fuerit scorpio infusus sanatur.

Quarto, quia fortasse bona fecerunt, pro quibus remunerari debent vsque ad vltimum punctum.

Quinto, vt diuina charitas ostendatur, quoniam cum æterna pœna semper sit duratura, eam non subito infert, vt ex temporis protractione tardius inchoetur.

Sexto, ne impiis mors temporalis sit amarissima, per peccatum enim natura consumitur, vnde impiis mors esset amarior, si eorum natura esset recentior, & hæc causa desumitur ex libr. 1. Reuelationum cap. 25.

Septimo, quæ habetur lib. 2. cap. 19. tolerantur mali ad auxilium bonorum, ne illis infideles noceant, sed timeant magis quo fuerint numero plures, vtque sic boni, & mali se ad inuicem adiuuent ad infideles comprimendos.

Octauo, vt boni Deo semper gratias agant, quod ex diuina gratia facti sunt ex electorum numero, & ex comparatione malorum plus nitantur ad bonum.

Nono permittuntur mali ad vniuersi perfectionem, & pulchritudinem, nisi enim quædam corrumperentur, alia non generarentur, & nisi esset infidorum persequutio, non palam fieret bonorum patientia: & ratio est D. Thom. 1. p. q. 48. art. 2. & D. August. in Enchirid, cap. 11. & de ciuit. cap. 18 & cap. 23. vbi affert exemplum imaginis, quæ ex colore nigro, suo loco posito pulchrior apparet; hac de re vide etiam lib. 5 Reuelat. interrog. 6. q. 2.

3 Quod autem vnus cœcus, alter claudus efficitur, vel aliquid huiusmodi, hoc non est propter præscientiam meam, cum omnia ita præscio, quod nullus ex ea fiat deterior.

Ex verbis præsentis notæ satis aperte colligitur præscientiam, ac prouidentiam Dei rebus præuisis necessitatem minime imponere; neque enim quod Deus ab æterno præuidit, aut præscinit omnia futura, sequitur necessario ita fieri, aut sic futura, quod verum esse arbitror non solum de actionibus liberis, sed etiam de effectu naturali contingente, & propterea scribitur hic, omnia ita præscio quod nullus fiat ex ea deterior, ac aliquibus, obsit præscientia mea, & hoc fuit olim definitum in Concil. Constant. sess. 8. qua de re fuse egit D. August. lib. 5. de ciuitate c. 9. & 10. vbi confutat opinionem stoicorum, qui negarunt prouidentiam, ac præscientiam Dei, vt liberum homini tribuerent arbitrium, videndus est etiam Gratian. 23. q. 4. cap. Nabucodonosor, vbi multa congerit testimonia contra hunc errorem, sed ad maiorem huius rei intelligentiam, duo notanda sunt. Primo nullum effectum dici posse formaliter contingentem, si consideretur in ordine ad prouidentiam, & præscientiam Dei, secus vero in ordine ad particulares causas defectiuas, & ratio est, quia effectus in ordine ad Deum est infallibiliter eueniens, nec impedibilis, ergo nec contingens: in ordine vero ad causas secundas, quia defectiuæ sunt, & impedibiles, ideo contingentes dicuntur. Notandum secundo effectus contingentes comparatos ad præscientiam, ac prouidentiam Dei dici necessarios secundum quid, & ex suppositione, quæ necessitas dicitur conditionalis, & consequentiæ non consequentis, quæ non tollit libertatem, & patet, quia hæ consequentiæ sunt bonæ, Deus præuidit hoc futurum ergo erit, Deus præsciuit futurum peccatum, ergo erit illud peccatum, & quia antecedens non potest dari verum, & consequens falsum, ideo istæ Cond. sunt necessariæ ex suppositione, hoc est supposito quod antecedentia sint vera, necesse est verificari, quæ necessaria consequentia deducuntur ex ea, plura de hac dubitatione, vide apud Durandum in 1. sent. d. 38 q. 3.

4 Vbi sine cruciatu morabuntur.

Dubitari minime potest, pueros, qui sine baptismo ante rationis vsum obierunt, & si pœna sensus non crucientur, pœna tamē damni affectos esse, quæ maxima est vt habetur in c. firmissime. & c. Nulla præter, cum Gloss. de consecr. d. 4. & probat D. Th. 3. p. q. 1. art. 3. ad 2. Hoc ergo quod scribitur hic, sine cruciatu morabuntur, vel intelligendum de pœnā sensus, vel etiam damni, quæ in diuinæ visionis priuatione consistit, de qua quia illos non dolere plures Doctores affirmant, ideo hoc loco sine cruciatu esse dicuntur, quare autem non doleant multæ rationes afferri solent, sunt qui dicunt, quia non propria voluntate, sed alterius culpa in illam pœnā inciderunt, per quam damnati sunt, alij vero eos non dolere opinati sunt, quia sapiens non dolet regulariter de eius amissione, ad quod nec ius obtinuit, nec facultatem aliquam, aut proportionem habuit, neq; enim Rustici filius tristatur, quod ad imperium nunquam possit peruenire, cum nullum ad id, nec ius, nec proportionem habeat, cum ergo Pueri non baptizati nullam ad videndum Deum habuerint proportionem, nec facultatem, nec ex principijs naturalibus, neque ex baptismi sacramento, vt sic ex meritis Christi ad eam visionem eleuarentur, inde consequens fit, nec eos ea de re dolere. Postremo quidam non improbabiliter asseruerunt, id prouenire ex defectu cognitionis, quam non habuerunt illius visionis. Dolor enim, & gaudium cognitionem supponunt illius, de quo quispiam, vel tristatur, vel gaudet, & licet Pueri non baptizati naturalem cognitionem visionis diuinæ habuissent, non tamen fuisset satis, exigitur enim cognitio fidei, quæ in baptismo infunditur, nec obstat huic, quod quispiam posset obijcere, quod etiam sic nec baptizati possent gaudere diuina visione, ad quam euecti sunt, nam cum ipsi fidem receperint in baptismo, & ad Dei visionem venerint, non potest eis tantum bonū latere, quo summopere gaudent, sed hac de re legendus est D. Tho. in 2. d. 33. q. 2. & in q. disputatis de malo, & Henricus Gand. quodlib. 6. q. 21. Durand. in 2. d. 33. q. 3.

5 Quia tunc sciebant legere scripturam scriptam.

var. lect. M. S. habet legem scriptam.

Digitized by Google

FILII QVAERIMONIA DE quadam anima damnanda præsente sponsa,& responsio Christi ad diabolum, cur permisit istam animam, & permittit malos suum verum corpus contingere, & sumere, vel recipere.

CAP. II.

VIDEBATVR DEVS iratus, & ait. Opus manuum mearum hoc me plus contemnit, quod in maiorem honorem constitui. Ista anima cui omnē curam adhibui charitatis meæ, tria mihi fecit. Auertebat oculos suos a me,& vertebat ad inimicum. Voluntatem suam firmauit ad mundum. Fiduciā sibi posuit, quod libere posset contra me peccare. Propterea quia non curauit respicere me, ego feci ei iustitiam meam subitā. Quia vero firmauit velle suum contra me,& fiduciam sibi posuit falsam, ego abstuli ei desiderium suum. Tunc quidam diabolus exclamauit dicens Iudex, hæc anima mea est. Respondit Iudex. Quid causæ habes contra eam. Respondit ille. Propositio quærimoniæ tuæ, mea est accusatio, quod scilicet contempsit te Creatorem suum, propter quod facta est ancilla mea. Et quia subito sublata est, quomodo subito poterat te placare. Nam & cum in mundo vixisset sano corpore, non tibi seruiuit sincero corde, quia dilexit feruentius creaturam, non patienter tulit ægritudinem,& quia non cōsiderauit opera sua, vt debuit. In fine vero non arsit charitatis igne, & quia subito abstulisti eam,ideo mea est. Respondit iudex. Non damnaret subitus finis nisi discordaret opera. Nec voluntas sine diligenti deliberatione, perpetuo damnatur. Tunc Mater Dei veniens ait. Fili seruus negligens, qui habet amicum familiarissimum Domino, nunquid ille familiarissimus non astabit ei? Aut non debet propter eum si petierit saluari? Respondit iudex. Omnis iustitia debet esse cū misericordia,& sapientia. Misericordia ad remittendum rigiditatem, sapientia, vt tamen seruetur equitas. Sed si talis fuerit trāsgressio, quæ non est digna remitti, propter familiaritatem tamen salua iustitia poterit mitigari. Tunc ait Mater. Benedicte fili mi, hæc anima continue habuit me in memoria, & exhibuit mihi reuerentiam, & pro me solennitatem suam afficiebatur facere, quamuis frigidus erat ad te. Ideo miserere ei. Respondit iterum filius. Scis Mater benedicta,& vides omnia in me. Hæc anima quāuis te in memoria habuerit plus tamen propter bonum temporale faciebat, quam proter spirituale. Nam corpus meum mundissimum non sic tractabat vt debuit. Os nanque fœtidum prohibuit meæ charitatis dilectionem.
1 var. lect. 1 Amor mundi,& dissolutio abscondit ei meam passionem. Præsumptio nimia veniæ,& finis, sua inconsideratio, accelerauit vitam suam. Et quamuis me sumpsit continue,non tamen ex hoc multum meliorabatur, quia non se præparauit vt debuit. Qui enim colligere vellet hospitem bonum,& Dominum, præparare debet non solum hospitium, sed & omnia vtensilia. Sic non iste, qui & si mundauit domum non tamen scopauit eam reuerenter, & diligenter, nec pauimentum strauit virtutum floribus. Nec vtensilia membrorum suorum impleuit abstinentijs. Ideo quid ei faciendum sit satis vides,& quid promeruerit. Quamuis enim incomprehensibilis sim, & inuiolabilis,& vbique sum per deitatem meam, tamen certe cum homine mundo est mihi delectatio, licet & cum bono ingredior, & cum damnato.
2 2 Nam boni suscipiunt corpus meum hoc, quod crucifixum est, & ascendit in cælum, quod præfigurabatur in manna, & in farina viduæ. Similiter & mali, sed boni ad confortationem maiorem: mali vero ad maiorem iudicij iustitiam, quia non timent indigni accedere ad tantam dignitatem. Respondit diabolus.
3 3 Si accessit ad te indigne & iudicium suum ex hoc augumentabatur, cur permisisti eum accedere ad te, & contingere te tam dignum. Respondit iudex. Non quæris ex charitate, quā non habes, sed quia ex virtute mea compelleris, propter istam sponsam meam, quę hęc audit. Sicut enim in humanitate mea,& boni, & mali tetigerunt me, ad ostendendum veram humanitatem,& patientiæ humilitatem, sic & boni, & mali comedunt me in altari. Boni ad maiorem perfectionem, mali autem ne credant se esse damnatos,& ex eo quod possunt hoc corpore meo sumpto, si volunt personaliter mutare voluntatem,& conuerti. Et quam charitatem maiorem possum ego ostendere, quam quod mundissimus ingredior etiam ad immundissimum vas? quamuis sicut sol materialis à nullo possum inquinari. Hanc enim charitatem tu,& amici tui contemnitis, quia vos contra charitatem obfirmastis. Tunc ait iterum Mater. O bone fili, quotiescunq. accessit ad te, tamen timebat te, licet non vt debuit. Pœnituit etiam offendisse te, licet nō perfecte, hoc fili mi proficiat sibi propter me. Respondit iterum filius. Ego sum sicut

cut dixit Propheta, sol verus, sed tamen longe melior sole materiali. Sol materialis non penetrat montes, nec mẽtes, sed ego possum vtrunque. Si ergo mons obsistit soli materiali, vt non tangat terræ propinquitatem, quod mihi obsistit nisi peccatum, ne hæc anima afficeretur charitate mea? Quod & si pars aliqua montis remoueretur, necesse tamen est, vt quod vicinius est à calore euacuetur. 1 Ego autem si intrauero in partem vnam mentis mundæ, quæ mihi erit consolatio, si ex parte alia sentiatur fœtor? Ideo depelli debet, quod sordidum est, & tunc post pulchritudinem subsequitur dulcedo. Respondit Mater. Fiat voluntas tua cum omni misericordia.

Declaratio.

Hic sacerdos fuit sæpe ammonitus de incontinentia sua, & nolens resipiscere. Cum quadam die exisset in pratum ad curandum equum suum, venerunt fulgura, & tonitrua quibus combustus est, & mortuus omni corpore illæso præter verenda, quæ ex toto cõbusta apparuerunt. Tunc dixit spiritus Dei. Filia, talia mærentur illi in anima, sicut iste in corpore, qui talibus miserijs, & delectationibus implicantur.

NOTAE.

1 var. lect. PAulo post initium, vbi impressi Codices legunt. Amor mundi, & dissolutio abscondit ei meam passionem.

Hoc loco addendum videtur cum M. S. (Et dissolutio carnis abscondit ei meam passionem) & ita legendum esse patet ex declaratione præsentis cap. quæ in fine ponitur, vbi habetur, quod hic sermo sit, de quodam sacerdote, qui vitio carnis deditus, & sæpissime admonitus, nunquam resipuit, ideo postea fulmine correptus, huius vitij debitam pœnam exoluit.

2 Nam boni suscipiunt corpus meum hoc, quod crucifixum est, & ascendit in cælum, quod præfigurabatur in Manna, & in farina viduæ.

Inter cæteras Eucharistiæ sacramenti figuras, quæ in sacris litteris continentur hæ duæ potissimæ sunt, Manna scilicet, cuius mentio fit Exodi 16. Deut. 8. Psalm. 77. Ioan. 6. & subcinericius panis, qui Christum Dominum sub sacramentalibus speciebus latentem significabat, de quo lib. 3 Reg. cap. 17. & de Manna quidem affirmarunt Origenes in Matth Ho. 35. D. Augustinus in Psal. 77. & in Ioan. tract. 11. Cyrillus lib. 3. in Ioan. 34. D Ambrosius lib. 1. Epistola 61. D Thomas 3. par. q. 80. art. 10. ad secundum. Et sane si Manna aliquas requiramus conditiones, reperiemus huius sacramenti exutusse figuram, legimus enim Exodi 16. quod erat albi coloris, & corpus Christi ob summam puritatem, ac virginitatem, & de purissima conceptum Virgine album erat. Secundo Manna ad solis calorem liquescebat, & ad ignem indurabatur, ita & hoc sacramentum in eorum cordibus, qui illud magno dilectionis, ac pietatis feruore recipiunt liquefit, ac dulcescit, his vero, qui cupiditatis, ac concupiscentiæ carnalis igne vruntur, induratur, vt non dulcedinẽ, ehusq. saporem, sed perpetuam inde hauriant damnationem. Tertio præceperat Dominus, vt septem diebus colligeretur, die autem sabbati non reperiretur: sic quoque toto vitæ nostræ tempore singulari Dei beneficio hoc nobis sacramentum subministrabitur, secundum illud Matth. 27. ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi, sabbato autem in quo vita æterna figuratur non inuenietur quoniam in ea videbimus eum sicuti est, 1 Ioan. 3. quarto eius erat Mannæ conditio, quod sat erat ei, qui minus, sicut illi, qui plus colligebat ex ea, vt insinuaretur, quod sicut totus Christus est in tota hostia, ita totus est in qualibet parte minima hostiæ, & totum summit, qui integram hostiam, vt etiam qui aliquam partem hostiæ, Quinto quod de Manna populus non comedit, donec submersis Ægyptijs transisset Mare rubrum, sic & nos nequaquam ad hoc sacramentum debemus accedere, nisi sublatis vitijs Mare rubrum transiuerimus, cuius amaritudo contritionem, aqua lacrymarum effusionem Rubedo corporis indicat mortificationem.

3 Si accessit ad te indigne, & iudicium suũ ex hoc augumentabitur, cur permisisti eum accedere ad te.

Quemadmodum Christus Dominus in vltima cœna proditori Iudæ corpus suum tradidit, ne eum iam tunc peccatorem occultum absque accusatore, ac sufficiente probatione propalaret, ac ab aliorum communione seiungeret, quod affirmant D. Aug. tract. 62. in Ioan. D. Chrysost Hom. 46. in eundem non longe a fine D Dyonis. Ecclès. Hierarchiæ c. 3. D Thom. 3. p. q. 81. art. 2. licet D. Hilar Can. 30. in Matth & Lodulphus de vita Christi 2. p. c. 55. videantur negare, ita quoque nunc permittit Deus, vt impijs corpus suum tradatur, ne se esse damnatos credant, & inde desperandi de misericordia Dei ansam sumant, & hoc est, quod legimus hic paulo post huius notæ verba (Mali autem ne credant se esse damnatos, & cætera) & sicut ad ostendendum veram assumpsisse carnem, ac etiam humilitatis causa permissit, vt suum boni, & mali corpus passibile contrectarent, ita quoque non dedignatur ad suam misericordiam propalandam, suum corpus impassibile, nunc sub illis speciebus à malis contrectari, tum maxime, quia ex hoc mundissimæ carnis contactu innumerabilia bona emanant. Postremo hac in re charitatem suam, & patientiam ostendit eximiam, dum immaculatum corpus suum peccatoribus tangendum præbet: cum præsertim ex hoc ne in minima

quidem

quidem contaminetur, ac polluatur, sciens, inquit D. Chrisost. Hom. 14. oper. imperf. quia si contaminatus fueris in nobis, ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet.

VERBA MATRIS DEI admirationis ad sponsam, & qualiter in hoc mundo sunt quinque domus, quarum habitatores sunt quinq; status hominum, scilicet infideles Christiani, Iudæi indurati, pagani per se, Iudæi simul & pagani, & amici Dei, & nota in isto capitulo multa vtilia.

CAP. III.

MARIA loquebatur. Magna res est, quod Dominus omnium, & Rex gloriæ contemptus est.
1 rix contemptus est. 1 Ipse
quasi peregrinus fuit in terra vadens de loco in locum, & quasi viator pulsans ostia multorum, vt suscipi mereretur. Mundus enim quasi quidam fundus erat, in quo quasi quinque domus erant. Ad primã autem domum cum filius meus in habitu peregrini venisset, Pulsans ad portam ait. Amice aperi mihi, & introduc me in requiem, & cohabitationem tuam, ne forte feræ noceant mihi, ne imber, nec pluuiæ veniant super me. Da mihi de vestibus tuis quibus frigidus calefiam, nudus cooperiar. Da mihi de cibo tuo, quo esuriens reficiar. De potu tuo, quo sitiens refocillari merear, & recipe mercedem à Deo tuo. Tunc respondit, qui erat intus. Tu nimis es impatiens, ideo non potes concordare, & cohabitare nobiscum. Tu nimis longus es, propterea non sufficimus vestire te. Tu nimis cupidus es, & gulosus, ideo non sufficimus satiare te, quia cupiditas tua nullum habet fundum. Respondit iterum Christus peregrinus, qui erat extra. Amice induc me hilariter, & voluntarie, quia in modico ego concludor loco. Da mihi de vestibus tuis, quia non est tam paruum vestimentum in domo tua, quin non ad calefaciendum me sufficiat. Da mihi de cibo tuo, quia etiam mica satiare me potest, & stilla aquæ dabit mihi refrigerium, & fortitudinem. Respondit iterum, qui erat intus, Nos bene cognoscimus te, tu es humilis in verbis, & importunus ad rogandum. Tu videris modestus ad contentandum, sed tamen insatiabilis es ad implendum. Frigidissimus, & difficillimus ad cooperiendum, vade quia non colligam te. Tunc venit ad secundam domum
2 & ait. 2 Amice aperi, & vide me. Ego e-
var. nim dabo tibi quibus indigueris. Ego defen
lect. dam te ab inimicis tuis. Respondit qui erat intus. Oculi mei debiles sunt, noceret eis, si videro te. Ego abundo in omnibus, & non indigeo tuis. Ego potens, & fortis sum quis mihi nocere potest? Tunc veniens ad tertiam domum. Ait. Amice leua aures tuas, & audi me, extende manus tuas, & contrecta me. Aperi os tuum, & gusta me. Respondit habitator domus. Clama altius,
3 quia bene audiam te. 3 Si lænis fueris at-
var. traham te. Si dulcis fueris recipiam te.
lect. Tunc iuit ad quartam domum, cuius porta quasi ad dimidium aperta erat, & ait. Amice si considerares tempus tuum inutiliter expensum colligeres me. Si intelligeres, & audires, quæ ego feci pro te compatereris mihi. Si attenderes quantum offendisti me, ingemisceres, & peteres veniam. Respondit ille. Nos sumus quasi mortui in expectatione, & desiderio tui, compatere ergo miseriæ nostræ, & libentissime damus nos tibi. Respice miseriam nostram, & considera corporis nostri angustiam, & ad omnia quæ vis parati erimus. Tunc venit ad quintam domum, quæ ex toto aperta erat, & ait. Amice hic libenter ingredi volo, sed scito, quod requiem quæro molliorem, quam plumæ præstare solent. Calorem ferventiorem, quam qui fieri ex lana solet. Recentiorem cibum, quam caro recens animalis præstare poterit. Responderunt, qui erant intus. Mallei iacent ad pedes nostros, his libentissime confringemus pedes, & crura nostra, & medullam de hoc fluentem dabimus tibi in requiem. Viscera nostra, & interiora omnia libenter tibi aperiemus etiam ingredere in hæc. Sicut enim medulla nostra nihil est mollius tibi ad requiescendũ, sic visceribus nostris nihil est tibi melius ad calorem. Cor nostrum recentius est inter animalia, hoc libenter scindimus in cibum tuum, tantummodo ingredere, dulcis enim es ad gustandum, & desiderabilis ad fruendum. Quinque domorum inhabitatores, hi sunt quinque status hominum in mundo. Primi sunt infideles Christiani, qui iudicia filij mei dicunt iniusta. Promissa eius falsa, & mandata eius intollerabilia. Isti sunt, qui ad predicatores filij mei dicũt cogitatione,
4 dicunt intellectu, dicunt blasphemia. 4 Omnipotens, & non si vere esset longissimus est, potest attingi. Latissimus & altissimus est, & non põt vestiri. Insatiabilis est, & non potest refici.

refici. Impatientissimus est, & non potest cohabitari. Longissimum eum dicunt, quia pusilli sunt opere, & charitate, & non conantur ad eius bonitatem assurgere. Latissimum eum dicunt, quia cupiditas eorum nescit modum. Causantur semper defectu, suspicantur malum antequam venerit. Insatiabilem quoque arguunt, quia cælum, & terra non ei sufficiunt, quin & ab homine dona potiora exigit omnia dare pro anima, secundum præceptum satuissimum reputant pro corpore pauciora graue damnum. Impatientissimum quoque eum dicunt, quia odit vitia, & immittit contraria voluntati eorum. Nihil reputantes pulchrum, & vtile nisi quæ suggerit eis voluptas corporalis. Nunc autem filius meus vere est omnipotens in cælo, & in terra Creator omnium, & à nullo creatus, ante omnia manens, & post eum nullus futurus. Ipse quippe est longissimus, altissimus, & latissimus inter omnia & extra, & super omnia. Quamuis autem sic potens est, tamen ex charitate ministerio hominis vestri desiderat, qui vestimento non indiget, quia vestit omnia vestitus ipse æternaliter, & immutabiliter honore perpetuo, & gloria. Refici charitate hominis desiderat, qui panis est Angelorum, & hominum, omnia reficiens, & ipse nullorum indigens. Pacem petiit ab homine, qui pacis reformator est, & conditor. Ergo quicunque ipsum colligere voluerit hilari mente satiare eum poterit etiam mica panis si voluntas fuerit bona. Vestire eum sufficit filo, si charitas est ardens. Potare eum poterit stilla, si affectus fuerit rectus. Recipere eum valet in cor, & loqui cum eo, si deuotio fuerit feruens, & stabilis. Spiritus enim est Deus, ideo & in spiritualia voluit commutari carnalia, & in æternalia, ea quæ sunt casura. Illud quoque sibiipsi fieri, & exhiberi reputat, quod exhibetur suis membris. Nec opus & facultatem solam attendit, sed feruentem voluntatem, & qua opus factum fuerit intentione. Verum, isti quo plus filius meus ad eos occultis inspirationibus clamat, quo plus in prædicatoribus suis eos admonuerit, eo plus mentem suam contra eum obfirmant, nec audiunt, nec ei ostium per voluntatem aperiunt, nec operibus charitatis eum introducunt. Ideo cum tempus eorum venerit, falsitas cui innituntur annihilabitur, veritas exaltabitur, & gloria Dei erit manifestata. Secundi sunt Iudæi indurati. Hi sibiipsis in omnibus videntur esse rationabiles, sapientiam suam habent pro legali iustitia. Opera sua prædicant, & tenent cæteris honoratiora. Isti si facta filii mei audierint reputant contemptibilia. Si verba eius, & mandata audierint dedignantur, immo & peccatores, & maculosos se existimant, si considerant, & audiunt, quæ pertinent ad filium meum, infeliciores quoque & miserabiliores, si eius imitarentur opera. Quamdiu autem mundus eis astiterit, reputant se felicissimos. Quamdiu sani sunt viribus, credunt se fortissimos. Ideo spes eorum cadet in nihilum, & gloria eorum in confusionem. Tertii sunt pagani, horum quidam deridendo clamant quotidie, quis est ille Christus. Si dulcis est in dando præsentia libenter recipiemus eum. Si mitis in condonando peccata, libentius honorabimus eum. Sed isti clauserunt oculos intelligentiæ suæ, ne intelligant iustitiã, & misericordiam Dei. Obturant aures suas, vt non audiant, quid filius meus fecit pro eis & pro omnibus. Contrahunt os suum, & non inquirunt quid futurum erit eis, & quid expedit. Complicant manus suas, & laborare renuunt, ad perquirendum viam quomodo fugiant mendacium, & inueniant veritatem. Propterea, quia nolunt intelligere, & cauere cum possunt, & tempus habent, cadent cum habitatione sua, & in tempestate inuoluentur. Quarti sunt illi Iudæi, & pagani, qui libenter essent Christiani si scirent quomodo, & quid filio meo esset placitum, & si haberent adiutorem. Hi audiunt quotidie a circumiacentibus, & intelligunt ex clamore interno amoris, & signis, quanta fecit filius meus, & passus est pro omnibus. Ideo in conscientia sua clamant ad filium meum dicentes. O Domine audiuimus, quod promisisti te nobis daturũ, ideo expectamus te, veni & comple promissum tuum. Intelligimus enim, & videmus de iis, qui dii coluntur, quod in eis est nulla deitatis virtus, nulla animarum charitas, nulla castitatis prædicanda magnitudo. Sed inuenimus in eis corporum amicitiam, honoris præsentis mundi dilectionem. Intelligimus quoque de lege tua, & audimus opera tua magnalia in omni misericordia, & iustitia. Audimus de Prophetarum tuorum dictis, quod te quem Prophetauerunt expectabant. Ergo piissime Domine veni, libenter enim nosmetipsos dabimus tibi, quia intelligimus, quod in te est animarum charitas, omnium rerum discretus visus, perfecta puritas, & vita sempiterna. Ergo veni citius, quia mortui sumus præ expectatione tui, & illumina nos. Sic igitur isti clamant ad filium meum. Et ideo quasi ad dimidietatem apertum est ostium eorum, quia completam habent voluntatem ad bonum, sed nondum peruenerunt ad effectum. Isti

sunt,

sunt, qui merentur habere gratiam filij mei & consolationem. In quinta domo sunt amici mei, & filij mei, quorum mentis ostium ad plenum apertum est filio meo. Isti filium meum vocantem libenter audiunt. Pulsanti non solum aperiunt, sed & venienti hilariter occurrunt. Isti frangunt malleis diuinorum præceptorum quicquid in eis est distortum. Et præparant filio meo requiem non in plumis auium, sed in concordia virtutum, & in refrænatione malarum affectionum, quæ est medulla omnium virtutum. Isti etiam filio meo exhibent calorem, non qui fit de lana, sed in charitate tam feruenti, quod non solum tribuunt sua filio meo, sed & seipsos. Insuper & refectionem ei præparant recentiorem omni carne, quæ est in corde perfectissimo, quo nihil desiderant, nihil diligunt nisi Deum suum. In istorum corde habitator cæli Dominus est, & ex istorum charitate Deus omnia reficiens sua uiter reficitur. Isti semper oculos habent ad ostia, ne intret inimicus aures ad Dominum, manus ad pugnandum contra inimicum. Hos tu filia in quantum potes imitare, quia fundamentum eorum in petra est firmissima. Aliæ vero domus fundamentum habent in luto, & ideo veniente vento concutientur.

NOTAE.

1 IPse quasi Peregrinus fuit in terra vadens de loco in locum, & quasi viator pulsans hostia multorum.

Agitur in præsenti Capite de interna Dei inspiratione, & continua motione, qua Deus Opt. Max. quotidie hominum cordibus assistit, id quod Redemptor noster Christus, quamdiu nobiscum vixit in mundo sexcentis innumerisque modis egregie perfecit, ipse enim per prædicationis officium, miraculorum patrationem, bonorum operum ostensionem, vitæ suæ exemplum nos ad bene, recteque viuendum hortatus est, & nostrorum cordium hostia pulsauit, & quotidie Deus Opt. Max. per gratiam præuenientem pulsat, sic enim Apocalyps. 3. scribitur, ego sto ad hostium, & pulso, quia hostio cordis, scilicet libero arbitrio, seu voluntati assistit, & pulsat, vt egregie notant Lyranus Gloss. ordinaria, & Carthusianus in Apocal loco citato, Rursus pulsasse dicitur Christus hortando per Apostolos, & prædicatores, ac etiam per internas motiones, hominum mentes ad supernaturalia eleuando, & postremo per beneficiorum collationem, & tribulationum immissionem, excitando, & ideo sic nostrorum cordium portas quotidie pulsans dicit soror mea aperi mihi, hoc est, consensum tuum vocationibus meis præbe, qua de re legendi sunt Rupertus Abbas, Agatius, Theodoretus, & Gloss. Cant. c. 5.

2 *Aliquanto post initium huius cap. Vbi in*
var. *impressis Codicibus legitur,* Amice aperi,
lect. & vide me.

Farnesianus Codex M. S. addit, & indue in domum tuam, atque ita esse legendum patet supra eodem cap. duobus locis, vbi sic legitur (tum quia Deus non vult à nobis tantummodo cognosci, & videri per hæc exteriora, sed & manibus nostris contrectari, & in cordibus introduci) non enim imperat, Deus vt eum per scientiam, ac contemplationem speculatiue quæramus solum, sed per affectionem, & operationem, vnde D. Bern. in principio meditationis hac de re verba faciẽs, multi inquit multa sciũt, se ipsos nesciunt, alios aspiciunt, se ipsos deserunt Deum per exteriora quærunt interiora deserunt.

3 Si lenis fueris attraham te.
var. *Sic omnes impressi Codices habent, sed M. S.*
lect. *legit, Si lenis fueris attrectabo te.*

4 Omnipotens & non si vere esset longissi-
var. mus est potest attingi.
lect. *Non video quis ex his verbis sensus elici possit. Textus omnino corruptus est, & ita cum Farnesiano Manuscripto sic corrigendus. Omnipotens si vere esset de suis iniurijs se vendicaret longissimus est, & non potest attingi.*

VERBA MATRIS DEI AD filium pro sponsa, & qualiter Christus per Salomonem figuratur, & de crudeli sententia contra falsos Christianos.

CAP. IIII.

MATER Dei loquebatur ad filium dicens. Ecce fili sponsa tua plorat, quia pauci sunt amici tui, & inimici multi. Respondit filius. 1 Scriptum est, quod
1 filij regni eijcientur, & fi-
2 lij non regni accipient hæreditatem. 2 Sic etiam scribitur, quod quædam regina de vltimis finibus, venit videre diuitias Salomonis, & audire sapientiam eius. Quæ cum vidit, vix præ admiratione habuit spiritum. Qui autem erant in regno eius, non attendebant sapientiam eius, nec admirabantur
3 diuitias. 3 Ego sum ille Salomon in figura, sed longe ditior, & sapientior Salomone, quia a me est omnis sapientia, & si quis sapiens est. Diuitiæ meæ sunt vita æterna, & gloria indicibilis: Has ego promisi Christianis, & præbui tanquam filijs. Vt si me imitarentur, & verbis meis crederent sine

fine

sine eos possiderem. Sed isti sapientiam meā non attendunt. opera despiciunt, promissionem meam, & diuitias meas habent pro nihilo. Quid ergo faciam eis? vtique, Quia filij nolunt habere hæreditatem, extranei, idest pagani recipient. Ipsi enim sicut regina extranea, per quam intelligo infideles
4 animas, venient, & 4 admirabuntur diui-
var. tias gloriæ meæ, & charitatis, in tantum,
lect. quod a spiritu infidelitatis suæ cadent, & spiritu meo replebuntur. Quid autem faciam filijs regni? Faciam eis sicut sapiens figulus, qui materiam quam prius de luto fecit, cum non perspexit eam honestam, & aptam, deprimit eam ad terram, & comminuit. Sic ego Christianis faciam, qui cum mei esse deberent, quia eos ad imaginem meam formaui, & per sanguinem meum redemi, sed deformati sunt contemptibiliter, propterea sicut terra conculcabuntur, & in infernum deprimentur.

NOTAE.

1 SCriptum est, quod filij regni eijcientur, & filij non regni accipient hæreditatem.

De Iudæorum reprobatione, & eiectione, & gentium vocatione in pluribus sacræ Scripturæ libris sermo fit; qua de re legendi sunt D. Hilarius in ps. 59. explicans ea verba psal. Deus repulisti nos D. Hieron. Isaiæ 2. & 23. & Micheæ 4. D. August. epist. 50. de coercendis hæreticis tom. 2. & contra Donatistas epist. 162 Gentes vocat Christi hæreditatem, citans illud psalm. 2. Postula a me, & dabo tibi hæreditatem: idem habet epist. 166. & alij plures sacrarum litterarum interpretes in 1. cap. Oseæ, & Hierem. 54. prædicitur, quod regnum Christi transferendum erat ad gentes: scribitur enim ibi, ad dexteram, & leuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & hoc est quod legimus hic. Filij regni eijcientur, & filij non regni accipient hæreditatem.

2 Sic etiam scribitur, quod quædam Regina de vltimis finibus venit videre diuitias Salomonis, & audire sapientiam eius.

Quæ fuerit hæc Regina habetur 3. Reg. cap. 10. vbi sic de ea scribitur, Sed & Regina Saba audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum: huius etiam mentio fit Ezech. 38 Matth. 12, & Luc. 11 qua de re legendus est Theodoret. in lib. 3. Reg. q. 32. Nomen autem Saba, conuersio in bonum interpretatur, a quo Sabei dicti sunt, & significat mistice animam ad Deum conuersam, vt optime annotauit D. Hieron. super Isaiam c. 60. & ad Aglusiam, & quia hoc loco conqueritur Dominus de Christianis, qui eum contemnunt, eiusque præcepta obseruare nolunt, ideo minatur quod nisi resipuerint vocaturum se alias gentes, quæ conuertentur ad eum, ac recipient eum, & subdit circa finem capitis, quia filij nolunt hæreditatem, extranei recipient me. Ipsi enim sicut Regina extranea, per quam intelligo infideles animas, venient, & admirabuntur diuitias gloriæ meæ. Vnde autem hæc Regina venerit, hoc loco non explicatur, sed ex Arabia venisse compertum est, quandoquidem ipsa erat Arabiæ regina, quæ Fœlix dicebatur; & Austri Regina, Matth. 12. & Luca 11. appellatur: est enim Regio Meridionalis, ob solis vicinitatē calore feruidissima, & aromatis, auroq; optimo refertissima, & ideo lib. 3. Reg. legimus fuisse Hierusalem ingressa multo cum comitatu & diuitijs, camelis aromata & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas portantibus: quid autem Salomoni hæc Regina in specie tulerit, tradit Iosephus lib. 8. antiquitatum, cap. 6.

3 Ego sum ille Salomon in figura.

Salomonem Christi seruatoris nostri gessisse figuram manifestum est, tum ob maximam eius sapientiam, potentiam, diuitiarum copias, tum etiam ex ipsiusmet nominis ethimologia: interpretatur enim pacificus, & Christus est, qui sublatis peccatis, nos cum patre reconciliauit pacificans, vt ait Apostolus Paulus ad Coloss. 1. per sanguinem crucis eius. siue quæ in cœlis, siue quæ in terris: quod fuse explicat D. Aug in enarrat. psal. 71. & lib. 17. de ciuit. cap. 8. vt autem legimus lib. 3. Reg cap. 3. Salomonem iudicasse inter duas meretrices, colligendum est etiam eum fuisse tunc typum Christi inter Synagogam & Ecclesiam iudicantis, sed vt felicissime regnauit, dicere possumus quod etiam fuerit figura Christi resurgentis & post resurrectionem in æternum regnantis, qua de re legendi sunt D. Aug in psal. 126. D. Hieron. de iudicio Salomonis, Origenes in Iosue hom. 3. & alij plures.

4 Admirabuntur diuitias gloriæ meæ, &
var. charitatis, in tantum, quod a spiritu infide-
lect. litatis suæ cadent, & spiritu meo replebuntur.

Sic omnia legunt impressa exemplaria, sed Farnesianus M.S. codex habet; Admirabuntur diuitias gloriæ meæ, & charitas in tantum eos accendet, quod a spiritu infidelitatis suæ cadent, & spiritu meo replebuntur.

VERBA

VERBA DEI PRAESENTE sponsæ, de sui magnificentia, & in figura mirabili qualiter Christus per Dauid, & Iudæi, & mali Christiani, & pagani per tres filios Dauid designantur, & qualiter Ecclesia subsistit in septem sacramentis.

CAP. V.

EGO sum Deus, non lapidens, vel ligneus, nec ab aliquo creatus, sed omnium Creator, manens sine principio, & fine fine. Ego sum, qui veni in virginem, & fui cum virgine, non tamen amittens deitatem. Sed ego, qui eram per humanitatem in Virgine manente deitate, ego idem cum Patre, & Spiritu sancto regnabam in cælo, & in terra per deitatem. Ego etiam spiritu meo inflammabam virginem, non quod spiritus meus, qui inflãmabat separaretur a me, sed idem qui inflammabat idem erat in Patre, & in me filio, & in eo Pater, & Filius, & hi
1 vnus Deus non tres dij. 1 Ego sum similis
Dauid Regi, qui habebat tres filios. Vnus eorum vocabatur Absalom, qui quærebat vitam patris. Secundus, eorum quærebat regnum patris sui, scilicet Adonias. Tertius
2 obtinuit regnum, scilicet Salomon. 2 Primus notat Iudæos, hi sunt, qui vitam meam, & mortem meam quærebant, & despiciebant consilium meum. Propterea nunc cognita retributione eorum, possum dicere, sicut dixit Dauid de filio suo mortuo. Fili mi Absalom, idest, ò filij Iudæi, vbi est, nunc desiderium vestrum, & expectatio? O filij mei, vbi est nunc finis vester? Compatiebar vobis ex eo, cum me desideraſtis venturum, quem tot signis audistis venisse. Cum desideraſtis fugitiua, quæ omnia iam fugerunt. Sed nunc magis compatior, sicut Dauid reiterans verbum primum, quia video finem vestrum in miseria mortis. Ideo adhuc ex maxima charitate dico, sicut Dauid dixit. Fili mi, quis det mihi, vt moriar pro te? Dauid enim bene sciuit, se non posse morte sua filium reuocare mortuum, sed vt ostenderet affectum charitatis paternæ, & voluntatis bonæ promptissimum, si possibile fuisset, libenter licet sciret impossibile esse, mortem suscepisset pro filio. Sic ego nunc dico. O filij Iudæi, qui licet habuistis malam voluntatem ad me, & inquantum potuistis fecistis contra me, si possibile esset, & patri sic placeret, libenter adhuc semel morerer pro vobis, quia compatior miseriæ vestræ, quam vobis exigente iustitia, vos ipsi fecistis. Dixi enim vobis facienda verbo, & ostendi exemplo. Præcessi vos quasi gallina alis charitatis fouendo, sed omnia spreuistis. Ideo omnia, quæ desideraſtis fugerunt. Finis vester est in miseria, &
3 labor omnis euacuatus. 3 In secundo filio
Dauid notantur mali Christiani, qui contra patrem suum in senectute deliquit. Cogitauit enim secum sic. Pater meus senex est, & deficit viribus. Si locutus ei aliqua sinistra fuero, non respondet. Si fecero aliqua contraria non vindicabit. Si attemtauero contra eum aliqua, patienter suffert. Propterea faciam, quæ volo. Hic cum quibusdam seruis Dauid patris sui ascendebat in locum, vbi paucæ erant arbores, vt regnaret. Sed apparente sapientia, & voluntate patris, immutatum est consilium eius, & ipsi qui cum ipso erant dehonestati sunt. Sic faciunt nunc mihi Christiani. Ipsi cogitant apud se sic. Signa Dei, & iudicia non aperta sunt, nunc vt prius, nos possumus loqui, quæ volumus, quia misericors est, & non attendit. Faciamus quæ nobis placent, quia faciliter indulget. Ipsi diffidunt de potentia mea, quasi nunc infirmior sim ad faciendum quæ volo, quam prius. Ipsi charitatem meam minorem arbitrantur, quasi noluerim iam eis, vt patribus eorum misereri. Ipsi & iudicium meum reputant ludibrium, & iustitiam meam vanitatem. Propterea, & ascendunt in locum cum quibusdam seruis Dauid, vt regnent fiducialiter. Quis est iste locus, vbi paucæ arbores stare solent, nisi sancta Ecclesia, quæ ex septem sacramentis, quasi ex paucis arboribus subsistit? In hanc Ecclesiam intrant, sed cum aliquibus seruis Dauid, idest, cum paucis operibus bonis, vt fiducialiter obtineant regnum Dei. Quia ipsi faciunt modica opera bona, ex quibus confidunt, quod in quocunque peccato fuerint, & qualecunque peccatum fecerint, nihilominus regnum cæleste quasi hæreditario iure habere possint. Sed sicut filius Dauid, qui contra voluntatem Dauid regnum obtinere voluit, repulsus est cum dedecore, quia ambiuit iniuste, & iniustus erat, & dabatur sapientiori, & meliori. Sic ipsi a regno meo expellentur, & dabitur eis, qui voluntatem Dauid faciunt, quia nullus nisi qui charitatem habuerit, regnum meum obtinere poterit. Nec nisi mundus, secundum

cor meum se dirigens, mihi mundissimo poterit appropinquare.
4 Tertius filius Dauid erat Salomon. hic significat paganos. Cũ audiuit Bersabee, quod alter quã Salomon, cui Dauid promisit post se regnaturũ a quibusdam electus esset, intrauit ad Dauid, & ait: Dñe mi, tu iurasti mihi quod Salomon post te regnaret. Nunc autem alter electus est, si sic contingit, & si sic habebit processum, tũc ego quasi adultera iudicor ad ignẽ, & filius meus erit illegitimus. Quibus auditis Dauid erexit se, & dixit; Iuro per Deum, quod Salomon in sede mea sedebit, & post me regnabit. Et præcepit seruis suis, vt Salomonẽ exaltarent in sede regni sui, & prædicarent regem, quem Dauid elegisset. Qui præceptum domini sui complentes, cum potestate magna exaltauerunt Salomonem, & omnes alij qui fratri suo consenserunt fugati sunt, & in seruitutem redacti. Quæ est ista Bersabee, quæ se pro adultera si alius Rex eligitur reputabit nisi fides paganorum.
5 Nullum impeius adulterium est, quam fornicari a Deo & a fide recta, & alium Deum credere quam creatorem omnium. Sed tanquam Bersabee quidam gentilium, cum humili corde, & contrito veniunt ad Deum dicentes. Dñe nos in futurum esse Christianos promisisti, perfice ergo promissum tuum. Si alius rex, idest alia fides amplius quam tua super nos surrexit. Si tu separaueris te a nobis incedemus miseri, & quasi adultera, quæ pro legitimo suscepit adulterum, moriemur. Et tu licet in æternum viuas, tu tamen morieris a nobis, & nos a te, cum tu per gratiam tuam elongas te a cordibus nostris, & nos per diffidentiam nostram opponimus nos tibi. Propterea comple promissum tuũ, & conforta infirmitatẽ nostrã, & illumina tenebras nostras. Nã si distuleris, idest, si te a nobis elongaueris, perhibimus. Quibus auditis ego quasi alter Dauid volo nunc erigere me per gratiã meam, & misericordiam. Iuro igitur per deitatem meam, quæ est cum humanitate mea, & per humanitatem, quæ est in spiritu meo & per spiritum meum, qui est in deitate, & humanitate mea, & hi tres non tres dij, sed vnus Deus, quod complebo promissionem meam. Mittam enim amicos meos, qui Salomonem filium meum, idest, paganos, introducant in lacum, idest in ecclesiã, quæ ex septem sacramentis quasi ex septem arboribus subsistit. s. baptismo, pœnitentia, confirmatione chrismatis, sacramento altaris, & sacerdotio, coniugio, & vnctione; & requiescẽt in sede mea, idest fide recta sanctæ Ecclesiæ, Christiani autem mali fient eorum serui. Illi gaudebunt de hæreditate perpetua, & dulcedine, quam eis præparabo. Isti autem in miseria ingemiscent, quæ incipiet eis in præsenti, & in perpetuum durabit. Ergo amici mei, quia iam tempus est vigilandi, non dormitent, non attedientur, nam merces gloriosa sequitur laborem eorum.

NOTAE.

1 Ego sum similis Dauid Regi, qui habuit tres filios.

Quot filios habuerit Dauid, eiusq. res gestæ, latissime lib. 1. & 2. Reg. & 1. Paralip. habentur, hoc autem loco Christus Dominus Dauid comparatur Primo ob nominis ethimologiam, interpretatur enim dilectus, & de Christo scribitur Matth. 17. & Marci 9. & Luc. 9. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; vt autem Dauid filius fuit Isai Bethlehemitæ, Christi quoque [illegible] qui in Bethlehem ortus est, scilicet [illegible] & vnctus in Regem [illegible] psal. 44. Vnxit te Deus, Deus tuus [illegible] sic D. August. in enarrat psal. 26. Christum [illegible] interpretatur, & psal. 33. 56. & 58. [illegible] super Isaiam cap. 22. [illegible]

2 Primus notat Iudæos, hi sunt qui vitam meam, & mortem meam quærebant.

Dauid tres habuisse filios legimus hic, qui mistice tres hominum statum notant. Per primum enim, qui fuit Absalom Iudæi, per secundũ, qui Adonias mali Christiani, per tertium, qui Salomon pagani notantur: Et vt a primo d. Absalom [illegible] Iudæos designare, qui in Christum Dominum iniuste [illegible] interpretatur Patris pax, quia pater pacem habuit ad ipsum, quam ipse [illegible] habuit, ita [illegible] Christus pacem habuit cum Iudæis, [illegible] conuersio cum illo pacem noluerunt habere [illegible] Dauid [illegible] Abbas super 2. Reg. [illegible] post legitur [illegible] pro te [illegible] Christi [illegible] Dauid [illegible] verbo proferebat, fili mi, quis det mihi [illegible] pro te, quæ habentur lib. 2. Reg. [illegible] Christus hoc in loco [illegible] dicit, O fili Iudæe [illegible] Patris [illegible] mortem pro vobis.

3 In secundo filio Dauid notantur mali Christiani.

[illegible] secundum filium Dauidis Adoniam fuisse, qui cum dominator, dominatus, vel dominari interpretetur, optime [illegible] per eum, eos Christianos designari, [illegible] inflatos, [illegible] rẽ expetere [illegible] nec debito ordine, nec iustis quærunt modijs, quod etiam animaduertit Lyranus super 3. lib. Regum cap. 1. & sunt

viuen-

viuente patre Adonias sibi regnum iniuste vsurpare voluit, sic impij Christiani regnum cælorum iniuste capere posse existimant, quamuis innumerabilibus vitijs refertam vitam ducant, & hoc est, quod infra scribitur ipsi faciunt modica opera, ex quibus confidunt, quod in quocunque peccato fuerint, & qualecunque peccatum fecerint nihilominus Regnum cæleste quasi hæreditario iure habere possint.

4 Tertius filius Dauid, erat Salomon, hic significat paganos, cum autem audiuit Bersabea, quod alter, quam Salomon, cui Dauid promisit post se regnaturum, a quibusdam electus esset, intrauit ad Dauid, & ait, Domine mi, tu iurasti mihi, quod Salomon post te regnaret, nũc autẽ alter electus est, si sic contingit, & si sic habebit processum ego quasi adultera iudicor ad ignem, & filius meus erit illegitimus.

Hæc omnia ad amussim habentur lib. 3. Reg. c. 1. hoc tamen loco notandum est, quod vbi in impressis Codicibus legimus, & ego quasi adultera iudicor M. S. Farnesianus habet, Iudicabor quæ lectio arridet magis, quandoquidem Bersabea persuadere conabatur Regi, vt filium suum Salomonem exaltaret ad Regnum, iuxta factam promissionem, illudque filio iure hæreditario competere affirmabat, probans ex eo, quod alias, & ipsa iudicaretur adultera, & filius eius Salomon illegitimus existimaretur, quod sane diligenter sacrarum litterarum interpreti animaduertendum est, ad intelligentiam textus supra citati lib. 3. Reg. c. 1. vbi nec adulterij, nec alterius vitij mentio fit, sed tantummodo scribitur in genere, quod peccatores, & Mater, & Filius reputarentur, nisi filius eius Salomon subleuaretur ad Regnum, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores, sic legitur ibi, quem locum Lyranus ad literam, sic explicat, quia inquit Adonias imponet nobis crimina ad priuandum nos vita.

5 Nullum maius adulterium, quam fornicari a Deo, & a fide recta, & alium Deum credere, quam Creatorem omnium.

Quemadmodum committitur Adulterium cum altera coniugum à fide in matrimonio præstita fornicando recedit, & propter hoc grauissimæ pœnæ reus fit, quia graue scelus committit, ita quoque adulteratur is, qui fidem in baptismate datam infringit, & ob id æternæ pœnæ debitor secundum diuinæ iustitiæ leges constituitur, vnde animam à fide, & veritate recedentem, & a lege, & præceptis Dei dissidentem, & alteri viro, nempe diabolo adhærentem adulteram vocant Orig. super Matth. c. 16. & D. Hieron. super Oseam c. 1. edisserens illa verba sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum.

VERBA FILII PRAESENTE sponsa, de quodam rege existente in campo cum amicis ad dextram, & inimicis ad sinistram, & qualiter per talem regem Christus habens Christianos ad dextram, & paganos ad sinistram designatur, & qualiter reiectis Christianis suos mittit prædicatores ad paganos.

CAP. VI.

FILIVS loquebatur. Ego sum quasi Rex, qui stabat in campo, ad cuius dexteram stabant amici, & ad sinistram inimici. Quibus stantibus vox vna cuiusdã clamantis venit ad dexteram, vbi omnes bene armati stabant, galeas habebant ligatas, & facies conuersas ad Dominum. Clamabat autem vox sic, vertite vos ad me, & credite mihi, ego habeo aurum dare vobis. Qui audientes verterunt se ad eum, quibus versis dixit vox secundo. Si volueritis videre aurum soluite galeas vestras & si possidere desideratis, ego iterum ligabo galeas vestras ad voluntatem meam. Quibus fauentibus ei, ligauit galeas eorum ex trãsuerso, ita quod anteriora foramina, per quæ videre debebant erant in occipite, & poste-
1 riora galeæ obumbrabant oculos, ne viderent, & sic ille clamans cæcos duxit eos post se. Quibus gestis, nunciauerunt amici, quidã regis domino suo, quod homines sui ab inimicis suis essent supplantati. Qui ait ad amicos suos. Exite inter illos, & clamate sic. Soluite galeas vestras, & videte, quia decepti estis. Conuertimini ad me, & ego recipiam vos in pace. Qui noluerunt audire, sed habuerunt pro derisu. Quod serui audientes nun-
2 ciauerũt hoc domino suo, qui ait. Ergo quia ipsi contempserunt me cito procedite ad sinistram, & dicite eis, qui ad sinistram stant hæc tria. Via quæ ducit vos ad vitam parata est vobis, porta aperta est, & Dominus personaliter cum pace vult occurrere vobis. Ergo credite firmiter viam esse paratam, sperate stabiliter portam esse apertam & verba eius esse vera. Occurrite cum charitate Domino, & ipse cum charitate, & pace suscipiet vos, & ducet in perpetuam pacem. Qui audientes verba nunciorum crediderunt, & suscepti sunt in pace. Ego sum ille Rex, qui Christianos habui ad dexteram, quibus æternum bonum præparaui.

Quorum galeæ, tunc ligatæ, & facies ad me versæ erant, quando voluntatem perfectam habuerunt facere voluntatem meam. Obedire mandatis meis. & desiderium totum erat ad cælum. Tandem vox diaboli, idest, superbia sonuit in mundo, quæ ostendit mundi diuitias, & carnalem voluptatem, ad quam tunc se verterunt, cum affectum, & consensum superbiæ dederunt. Pro qua, & tunc galeas deposuerunt, cum affectum opere compleuerunt, & temporalia spiritualibus præposuerunt. Depositis ergo galeis diuinæ voluntatis, & armis virtutum, tantum nunc superbia præualuit in eis, & tan-
1 tum eos sibi obligauit, 1 quod libenter vsque in finem volunt peccare, & libenter in æternum vellent viuere, vt in æternum possent peccare. Quæ etiam sic obumbrauit eos quod foramina galearum, per quæ videre deberent, stant in occipite, & in fronte tenebræ sunt. Quæ enim sunt foramina galearum, nisi consideratio futurorum, & prouida circumspectio præsentium. Per primum foramen deberent considerare premia æterna, quam delectabilia sunt, & futura supplicia, quam horribilia sunt, ac Dei iudicia, quam terribilia. Per secundum foramen deberent considerare, quæ essent præcepta a Deo, & quæ prohibita, quantum excederent a mandatis Dei, & quomodo emendarent. Sed hæc foramina stent in occipite, vbi nihil videtur, quia consideratio cælestium tradita est obliuioni. Amor Dei refriguit, amor autem mundi tam suauiter consideratur, & amplectitur, quod eos ducit tanquam rotam bene vnctam ad quodcunque velit. Veruntamen amici mei videntes dehonestatem meam, animarum casum, & diaboli dominium, quotidie pro eis ad me precibus suis clamant, quorum preces penetrauerunt cælum, & intrauerunt aures meas, & flexus precibus eorum, misi eis quotidie prædicatores meos, ostendi signa, & multiplicaui eis gratiam meam, Sed omnia spernentes peccata peccatis addiderūt. Propterea dicam nunc seruis meis, & in veritate complebo. Procedite serui mei ad sinistram, idest, ad paganos, qui tanquam ad sinistram in contemptu vsque huc fuerunt. Procedite inquam & dicite sic. Dominus cæli, & Creator omnium facit vobis dici. Via cæli aperta est vobis, habete voluntatem intrandi cum firma fide. Porta cæli stat vobis aperta sperate firmiter, & intrabitis in eam. Rex cæli, & Dominus Angelorum vult personaliter occurrere vobis, & dare pacem, & perpetuam benedictionem. Occurrite ei, & suscipite eum cum fide eius quam vobis ostendit, qua via cæli præparatur, suscipite eum cum spe qua speratis, cum ipse habet iam velle dare vobis cęlum. Diligite eum toto corde, & opere complete, & ingredimini portas Dei, a quibus Christiani, qui eas ingredi nolūt, & se indignos per opera sua faciūt repellentur. In veritate mea dico vobis, quod complebo verba mea, & non dimittam. Suscipiam vos in filios, & ero vobis in patrem, quem Christiani contemptibiliter contempserūt. Vos ergo amici mei, qui estis in mundo, procedite securi, & clamate annunciate eis voluntatem meam, & iuuate, vt possint complere. Ego ero in corde, & in ore vestro. Ego ero dux vester in vita, & conseruator in morte. Non relinquam vos, procedite audacter, quia ex labore crescit gloria. Omnia enim possem in vno puncto, & verbo, sed volo, vt ex certamine crescat vobis merces, & ex virilitate vestra crescat honor meus. Nec mireminì quod loquor. Nam si sapientissimus in mundo posset considerare, quod animæ descendunt quotidie in infernum plures essent, quam arena maris dinumerata; & la-
2 pilli riparum. 2 Hæc enim est iustitia, quia
var. se a Deo, & Domino suo separauerunt.
lect. Propterea vt minuatur numerus diaboli, sciatur periculum, & impleatur exercitus meus loquor, si forte audierint, & resipiscant.

NOTAE.

1 QVod libenter vsque ad finem volunt peccare, & libenter in æternum vellent viuere, vt in æternum possent peccare.

Eandem prorsus sententiam habet D. Bernardus in Epi. 252. ita vt inquit, si nunquā moreretur, nunquam velle peccare desineret, immo semper viuere velles, vt in æternum posset peccare, idem habet D. Gregor. 4. Dialog. cap. 4. voluissent sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere.

2 Hæc enim est iustitia, quia se a Deo, & Do-
var. mino suo separauerunt.
lect. *Sic legunt omnia hactenus impressa exemplaria, sed locus mancus est, & cum M.S. Farnesiano Codice, ita corrigendus, Hæc enim est iustitia, vt si a Deo, & Domino suo se separauerint cum diabolo coniungantur.*

VERBA

VERBA IESV CHRISTI ad sponsam qualiter eius deitas coronæ comparatur, & quomodo status clericorum, & laicorum per Petrum, & Paulum designatur, & de modis contra inimicos tenendis, & de conditionibus pœnes milites sæculares habendis.

CAP. VII.

FILIVS loquebatur ad sponsam dicens. Ego sum Rex coronæ. Numquid scis tu quare dixerim Rex coronæ. Certe deitas mea sine principio erat,& sine fine erit, & est,hæc deitas mea coronæ assimilatur, quia sine initio, & sine fine est. Sicut autem in regno corona seruatur Regi futuro,sic deitas mea seruabatur humanitati meæ,quia ipsa coronaretur. Ego autem habui duos famulos, vnus erat clericus alter laicus. Primus erat Petrus clerici officium habens. Paulus autem quasi
1 laicus. Petrus fuit alligatus coniugio,1 qui
var. videns coniugium cum officio clerici non
lect. posse conuenire,& rectitudinem mentis suæ
in continentia periclitari perpendens,separauit se quantum ad commixtionem à coniugio quamuis licito, & perfecta mente ad-
2 hæsit mihi. 2 Paulus autem castitatem seruauit, & se immaculatum à thoro custodiuit. Ecce qualem charitatem cum istis duobus feci. Primo idest, Petro dedi claues cæli,vt quæcunque ligaret, & solueret in ter-
3 ra,ligatã,& soluta essent in cælo. 3 Secundo
idest Paulo dedi, vt similis Petro fieret in gloria, & honore. Sicut enim in terra pares fuerunt, & coniuncti, sic nunc in cælo in gloria perpetua coniuncti sunt, & glorificati. Sed licet istos duos expresse nominauerim, tamen cum eis, & in eis alios amicos meos intelligo. Sicut enim olim in lege ad solum Israel quasi ad vnum hominem loquebar,cum tamen totum Israeliticum populum in illo nomine notabam. Sic nunc in istis duobus plures intelligo, quos gloria mea, & charitate repleui.Procedente autem aliquo tempore,cœperunt mala multiplicari, & caro infirmari, & procliuior solito ad malum esse. Propterea vtrique statui clericorum, scilicet,& laicorum, quos in Petro, & paulo intelligo,misericorditer consulens, permisi clericos bona Ecclesiæ ad vtilitatem corporis moderate habere, vt eo feruentiores,& frequẽtiores essent in seruitio meo. Permisi,& laicis coniugium iuxta ritum Ecclesiæ. Inter clericos erat quidam bonus homo,qui cogitabat apud se. Caro trahit me ad prauam voluptatem, mundus ad nociuũ visum, diabolus ponit mihi multipliciter peccati insidias. Ideo ne supplanter a carne,& a voluptate, ponam modum in omnibus actibus meis, moderabo me in refectione, & quiete. Seruabo tempus debitum in
4 labore,& oratione,4 refrænabo carnem meã
var. ieiunijs. Secundo, ne mundus trahat me
lect. ab amore Dei, omnia quæ mundi sunt, quia caduca sunt, relinquere volo, paupertate Christum sequi tutius est. Tertio,ne diabolus decipiat me, qui semper falsa ostendit pro vero, subijciam me regimini, & obedientiæ alterius. Omnem voluntatem pro-
5 priam abijciam, 5 & paratum me exhibeo
var. ad omnia quæcunque mihi ab alio fuerint
lect. imperata. 6 Hic est, qui primum instituit
6 Monasterium,& laudabiliter in eo perseuerans alijs vitam suam imitãdam dereliquit, Status laicorum bene erat ad tempus dispositus. Quidam eorum excolebant terram, & labori agrorum viriliter instabant. Alij velificabant nauibus, & mercimonia alijs regionibus deferebant, vt vnius regionis fertilitas, alterius subleuaret inopiam. Quidam instabant operi manuum, & diuersarũ artium. Inter istos quidam erant defensores Ecclesiæ meæ, qui nunc dicuntur curiales, qui assumpserunt sibi arma ad vltionem Ecclesiæ sanctæ, ad expugnationem inimicorum eius. In istis curialibus apparuit quidam bonus homo, & amicus meus, qui cogitabat apud se. Non excolo terram,vt agricultor. Non desudo in fluctibus maris, vt mercator. Non insisto labori manuum, vt operator egregius. Quid ergo faciam? aut quibus operibus placabo Deum meum? Sed nec virilis sum in labore Ecclesiæ. Corpus meum debile est, & molle ad patiendum vulnera. Manus remissa ad feriendum inimicos. Mens fastidiosa ad cogitandum cælestia. Quid ergo faciendum est modo? Certe scio quid faciam. Surgam, & obligabo me cum iuramento stabili, sub temporali principe, quod defensurus sim viribus meis,& sanguine meo fidem sanctæ Ecclesiæ. Veniens autem ille amicus meus ad Principem ait. Domine, ego sum de defensoribus Ecclesiæ. Corpus meum nimis molle est ad patiendum vulnera. Manus remissa ad feriendum. Mens instabilis ad cogitandum bona, & laborandum. Voluntas mihi placet propria, requies non sinit me fortiter pro domo Dei stare. Ideo constringo me cum iuramento

to publico, sub obedientia sanctæ Ecclesiæ, & tua ò princeps, quod eam defensurus sim omnibus diebus vitæ meę. Vt si forte tepida mens, & voluntas fuerit ad certandum, propter iuramentum teneo, & compelli possum ad laborandum. Cui respondit princeps. Vadam tecum ad domum Domini, & ero testis iuramenti tui, & promissionis tuæ. Venientes autem ambo ad altare meum amicus meus flexo genu ante altare meum dixit. Ego nimis infirmus sum in carne mea ad patiendum vulnera. Voluntas propria nimis est mihi cara. Manus tepida ad percutiendum. Ideo in præsenti promitto obedientiam Deo, & tibi, qui caput es, cum iuramento meo firmiter astringens me, sanctam Ecclesiam contra inimicos eius defensurum. Amicos Dei confortaturum. Viduis orphanis, & fidelibus Dei benefacturum. Contra Ecclesiam Dei, & fidem eius, nunquam aliquid contrarium acturum. Insuper obligo me correctioni tuæ, si errare me contingat, ad hoc, vt obligatus ad obedientiam, tanto magis cauere possim peccata, & voluntatem propriam, & tanto feruentius, & facilius insistere voluntati Dei, & tuæ: Sciamque tanto mihi esse damnabilius cæteris, & contemptibilius si violata obedientia mandatis tuis contraire præsumpsero. Facta autem ista professione ad altare meum. Princeps sapienter considerans, disposuit sibi habitum ab aliis sæcularibus distinctum, in signum abdicationis voluntatis propriæ, & vt sciret se superiorem habere, & debere ei obtemperare. Dedit etiam princeps in manu eius gladium dicens. Hoc gladio inimicos Dei comminues, & interficies. Dedit & in brachio eius clypeum dicens. Hoc clypeo defende te contra inimicorum iacula, & patienter tolera illata, vt prius crepet clypeus quam fugias. Iste amicus meus hæc omnia audiente clerico meo, qui præsens erat firmiter seruaturum se promisit, qui clericus facta promissione, dedit ei corpus meum in robur, & fortitudinem, vt amicus meus per corpus meum mihi vnitus, nunquam a me separaretur. Talis fuit amicus meus Georgius, & plures alij, tales & deberent esse milites, qui nomen deberent habere propter dignitatem, habitum propter operationem, & defensionem fidei sanctæ. Audi nunc quid inimici mei faciunt contra ea, quæ amici mei prius fecerunt. Denique amici mei ingrediebantur monasteria, ex discreto timore, & diuina charitate. Sed hi, qui nunc sunt in monasterijs, vadunt in mundum pro superbia, & cupiditate, habentes propriam voluntatem facientes corporis sui delectamenta. Istorum qui in tali voluntate moriuntur iustitia est, quod non sentiant, nec obtineant cæleste gaudium, sed pœnam in inferno sine fine. Scito etiam quod claustrales, qui coguntur contra velle proprium ex diuina charitate fieri prælati, non sunt in eorum numero computandi. Milites quoque qui mea portabant arma fuerunt parati dare vitam pro iustitia, & effundere sanguinem propter fidem sanctam, indigentes promouendo ad iustitiam, malosque deprimere, & humiliare. Sed nunc audi quomodo auersi sunt. Placet quippe nunc eis magis mori in bello, pro superbia, cupiditate, & inuidia, iuxta diabolicas suggestiones, quam secundum mandata mea viuere, ad obtinendum gaudium sempiternum. Ergo omnibus, qui in tali voluntate moriuntur, dabitur stipendium ex iudicio iustitiæ, scilicet animabus eorum in æterna diaboli coniunctione. Hi vero, qui mihi seruiunt, tenentur habere stipendium cum cælesti exercitu sine fine. Hæc verba, ego Iesus Christus locutus sum, verus Deus & homo, vnus cum Patre, & Spiritu sancto semper Deus.

NOTAE.

1 var. lect. QVi videns coniugium cum officio Clericali non posse conuenire, & rectitudinem suæ mentis in incontinentia periclitari.

M. S. Farnesianus habet, Ex incontinentia periclitari.

2 Paulus autem Castitatem seruauit, & se immaculatum a Thoro custodiuit.

Paulum Apostolum non solum castitatem seruasse, sed & virginem quoque extitisse affirmauit D. Dyonisius Carthusianus in 1. Epistola ad Corinth. cap. 7. explicans illa verba: volo omnes vos esse sicut ego: idem sentit et Lyranus ibidem, sic textum illum exponens, volo omnes virginitatem seruare sicut ego: dicitque quod in testimonium suæ virginitatis fluxit lac de corpore eius, cæterum mihi videtur constanter asserendum, Paulum uxorem nunquam duxisse, quicquid dixerint Caietanus super 4. cap. Epistolæ ad Philippens. & Ambrosius Catherinus ibidem, qui affirmat id contineri in revelationibus sanctæ Brigittæ, cum tamen contrarium habeatur in præsenti Capite ubi, & se immaculatum a thoro custodiuit; eandem sententiam secuti sunt, Eusebius Cæsariensis lib. 3. Ecclesiasticæ historiæ cap. 30. & Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum paulo ante medium libri; citatus ab eodem Eusebio, qui opinionem suam probat ex his eiusdem Pauli verbis 1. Corinth. 9. nunquid non habemus potestatem sororem

rem

rem mulierem circunducendi, quæ sane verba non indicant Paulum Apostolum habuisse vxorem, sed vt docent Chrysost. Ambros. Oecumenius, Theophilactus, Haymo, Dyonisius Carthusianus, Theodoretus, & Beda ibi significant, quod sicut Dominum sequebantur fideles mulieres necessarium alimentum suppeditantes, ita etiam quosdam ex Apostolis sequebantur aliquæ fœminæ ardentiorem fidem ostendentes, & ab eorum doctrina pendentes, eis necessaria subministrantes, sed rem hanc fusius explicat D. Augustinus lib. de operibus Monachorum cap. 4. & 5. ex quo poterit legenti constare, vnde sumpserit id affirmandi occasionem Clemens Alexandrinus ex illis verbis 1. Corinth. 9. quandoquidem, inquit, hoc quidam non intelligentes non sororem mulierem circunducendi, sed vxorem interpretati sunt, fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quod scilicet, & vxor, & mulier eodem verbo Græce exprimitur, quamquam hoc ita posuerit Apostolus, vt falli non debuerint, quia neque mulierem tantummodo ait, sed sororem mulierem, neque ducendi, sed circunducendi, verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, & mulierem, non vxorem interpretantur; sunt etiam qui Paulum habuisse vxorem probent ex illis verbis ad Philippenses 4. etiam rogo, & te germane compar adiuua illas, &c. quæ verba secundum Græcam versionem sic possunt verti, & te germana coniux, verum hoc non obstat, quia Paulus ibi agit non de vxore, sed de quopiam viro, quem vocat germanum compare, quibus verbis indicare voluit illum pariter cum ipso iugum portare, non tamen, quale est in Matrimonio, sed quale est in professione religionis Christianæ, aut etiam dicendum meminisse cuiusdam, qui erat Maritus alicuius ex fœminis in ea Epistola nominatis vt Euodiæ, & Sintichen, sicut annotarunt Chrysost. & Theophilactus, ex quibus colligi minime potest Paulum habuisse vxorem atque hæc fuit oppinio Antiquorum Patrum D. Hieron. in Epistola ad Eustochium, August. de gratia, & libero arbitrio cap. 4. Hilar. in Psalm. 127. Epiphanius hæresi 58. Ambros. in cap. 7. prioris Epistolæ ad Corinth. Tertullianus in vtroque libro ad vxorem, Chrysost. & Theodoretus, aliique plures in locum citatum ad Philipp. Cardin. Bellarm. de Clericis lib. 1. cap. 20. Cardin. Baron. Tomo 1. Annalium Anno Christi 57. Benedictus Pererius super Epistolam ad Roman. in Prolegomenis disputatio. prima, Tomo secundo selectarum disputationum.

3 Secundo, idest Paulo dedi, vt similis Petro esset in gloria, & honore.

Hic textus nobis ansam præbet, vt examinemus, an Paulus fuerit Petro dignitate par, an vero Petrus extiterit Paulo, cæterisque Apostolis superior, ad cuius intelligentiam notandum est in Petro præter ordinis potestatem, quam etiam alij Apostoli obtinuerunt duplicem fuisse, alteram Apostolatus, quam habebat communem cum cæteris Apostolis, quandoquidem, & ipse Petrus, aliique Apostoli Euangelij prædicandi munus à Christo Domino susceperunt, quam ob causam fuisse pares, quoad hanc potestatem scribitur hic, his verbis dedi Paulo, vt similis esset Petro in gloria, & in honore) scilicet Apostolatus, hac de re legendus est doctissimus Caetanus, qui hoc disertis verbis affirmat Tom. 1. opusc. tract. 3. cap. 5. agens de auctoritate Papæ. & in hunc sensum explicandi quoque sunt, hi doctores, qui Apostolum Petrum Paulo, aliisque parem constituunt, vt D. Chrysost. in Epist. ad Galat. explicans ea verba post annos tres ascendi Hierosolymam, vt viderem Petrum. post inquit, tanta taliaque benefacta, cum nihil opus haberet Petro, nec illis egeret, sed honore par esset illi. idē docet Ho. 18. in Epistola ad Rom. & D. Cyprianus vt habetur 24. q. 1. & D. Hieron. contra Iouinianum lib. 1. cap. 14. & in Comment. in cap. secundum ad Galat. super illud, qui operatus est Petro in Apostolatu. loquens in persona Pauli, ego in nullo sum Petro inferior. quia ab vno Deo sumus ambo in ministerium ordinati. Secunda potestas, quæ erat in Petro, dici potest potestas Regni, quæ erat in solo Petro, secundum quam ipse erat caput omnium, & auctoritatem super omnes Episcopos, & Ecclesias à Christo immediate accepit, vt patet Matth. 16. & Ioan. vltimo, vbi scribitur, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & vt annotarunt D. Cyprianus, vbi supra. & D. Hieron. in Matth. D. August. in lib. retract. per hanc petram ipse Petrus demonstratur, & sermo dirigitur ad ipsum, & ideo legimus ibi, tibi dabo claues Regni cælorum, qua in re superiorem esse Petrum cæteris alijs, nulli dubium est, & definitum in pluribus concilijs, & præcipue sess. vltima Concil. Florentini, & communi consensu Patrum, tam Latinorum, quam Græcorum comprobatum, & fatetur D. Hieron. contra Luciferianos, & Iouinianum, Petrum esse omnium Prælatum, & caput, & Diuus Chrysost. Hom. 55. in Matth & D. Cyprianus, vbi supra, & alij innumerabiles, quos recensere hic longum esset.

4 Refrænabo carnem meam in ieiunijs.

v. l. *M. S. addit in Castigatione, & in ieiunijs.*

5 *Et paulo post. vbi omnes impressi Codices legūt,*

var. Paratum me exhibeo.

lect. *Corrige cum Manuscripto, Paratum me exhibebo.*

6 Hic est, qui primum instituit mihi Monasterium.

Quis primus vitam monasticam instituerit, quique primum vota paupertatis, obedientiæ, & castitatis emiserit. In specie non traditur hic, de quo diuersæ sunt Doctorum virorum, ac historicorum Ecclesiasticorum opiniones, hac de re legendi sunt D. Hieron. de vita solitaria, & contra Iouinianū, Eusebius Cæsariensis Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 17. qui multa ex Philone Hebræo ad hæc pertinentia refert, videndi sunt quoque, D. Antoninus

in sua

in sua summa p. 2. tit. 15. Volaterran. li. 20. Vinc. Beluacen. in Speculo doctrinali c. 16. Ex his ergo omnibus nihil certi statui potest, & ea de re adhuc sub iudice lis est: sunt qui monasticæ vitæ principatum tribuant Heliæ prophetæ, alij D. Ioanni Baptistæ, alij vero D. Antonio, & alij alijs, quos recenset Polydorus Virg. de inuentoribus rerum lib. 7. cap. 1. & 2. & inter Christianæ Reip. religiosos primum locum tenere Regulares Canonicos Lateranenses, tradiderunt D. Antoninus, Vincen. Beluacensis, & Volaterran. vbi supra, quos, & ab Apostolis fuisse institutos, & a B. Augustino instauratos, & pristino splendori restitutos, colligi potest ex Bulla Pij IV. Pont. Max. edita anno 1564. mense Ianuarii die 18 quæ incipit (Sedis Apost.) in qua ob eorũ antiquitatẽ definit debere eos præcedere Monachis S. Iustinæ Pataniorũ, ipsi Canonici, dicitur ibi in bulla, fuerunt, & sunt de illis clericis a S. Augustino, quinimo a Sanctis Apostolis instituti, sed quicquid sit D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad tertium, docet Apostolos fuisse primos, qui vouerint pertinentia ad perfectionis statum, quando relictis omnibus sequuti sunt Christum.

VERBA CHRISTI AD SPONSAM de cuiusdam militis retrocessione a vera militia, idest ab humilitate, obedientia, patientia, fide, &c. ad falsam, idest ad superbiam, & per contrarium, & de suæ damnationis experientia, & de damnationis incursu propter malam voluntatem, sicut propter opus.

CAP. VIII.

EGO sum verus Dominus. Nullus enim dominus est me excellentior, nec ante me fuit, nec post me erit, sed omne dominium est a me, & per me, Ideo ego verus sum dominus, nec aliquis vere est dominus dicendus, nisi ego solus, quia a me est omnis potestas. Dixi tibi prius quod duos habui famulos, quorum alter vitam laudabilem viriliter assumpsit, & virilius consummauit, quem innumerabiles postea in eadem vita, & militia sequebantur. Nunc dicam tibi, quis de professione militiæ institutæ ab amico meo primo recessit. Nomen eius non dico tibi, quia non cognoscis eum ex nomine, sed intentionem eius, & affectum tibi ostendam qualis erat. Quidam volens fieri miles venit ad templum meum, qui ingrediens audiuit vocem; Si tu vis fieri miles, oportet te habere ista tria. Primo debes credere panẽ qui videtur in altari esse Deum verum, & hominem, cæli, & terræ creatorem. Secundo debes habere maiorem abstinentiam a voluntate tua post assumptam militiam, quam antea consueuisti. Tertio non debes curare de honore mundi, & dabo tibi delectationẽ diuinam, & honorem sempiternum. Quibus auditis, & ipse secum hæc tria deliberante, audiuit in mente sua vocem aliam pessimã, tribus primis tria contraria sonantem. Si inquit, volueris mihi seruire, dabo tibi alia tria. Dabo tibi possidere quæ vides, audire quæ delectant, obtinere quæ appetis. Qui audiens ista, cogitauit apud se. Ille dominus primus iubet me credere quæ non video, promittit quæ nescio. Iubet abstinere a delectationibus quas desidero, & video, Iubet sperare incerta. Alter autem promittit mihi mundi honorem quem video. Delectationem quam appeto. Auditum delectabilium, & visum non prohibet. Certe melius est mihi sequi eum, & habere quæ video, vti his de quibus certus sum, quam sperare incerta. Iste homo sic cogitans, cœpit primo de vera militia retrocedere. Ipse abnegauit professionem veram, & promissionem irritauit. Clypeum patientiæ proiecit ante pedes meos. Gladium defensionis fidei reiecit de manibus suis, & sic exiuit de templo meo. Cui dixit vox illa pessima, Si sicut dixi volueris esse meus, tunc debes procedere cũ omni superbia in campum, & in plateas, vt sicut ille dominus præcepit suis habere humilitatem in omnibus, sic nullum sit genus ostentationis, & superbiæ, quod te fugiat. Et sicut ille intrauit cum obedientia, & omni se subdidit obedientiæ, sic nullum tu patere te esse superiorem, nulli curues per humilitatem ceruicem tuam. Gladium assume in manibus ad hoc vt effundas sanguinem proximi tui, & fratris tui propter acquisitionem possessionis eius. Clypeum pone in brachio ad hoc vt libenter des vitam tuam pro acquisitione honoris. Pro fide, quã ille habet. Tu dilige templum corporis tui, vt a nulla voluptate, quæ te delectat abstineas. In talibus ergo homine illo firmante voluntatem suam, & intentionem. Princeps suus imposuit collo eius manum suam in loco ad hoc constituto. Locus enim qualiscunq. nõ obest alicui, si voluntas fuerit bona, nec prodest si intentio fuerit praua. Dictis autem verbis confirmationis militiæ suæ, recessit ille, militiam suam exercens ad omnem mundi superbiam, paruipendens miser, quod ad maiora, quam prius, & austeriorem vitam fuerat obligatus. Hunc militem infinitæ

militiæ

militię sequebantur, & sequuntur in superbia, & profundius propter militię professionem descendunt in abyssum. Sed potes quærere, quod multi volunt exaltari in mundo, & vocari magni, sed tamen non præualent. Nunquid isti propter voluntatem malam æque punientur, sicut ij, qui omnem processum iuxta desiderium habebunt? Ad hoc ego respondeo tibi. Quicunque completam habet voluntatem, & facit quantum potest, vt exaltari possit in mundo, & in mundi honore, & nomine vano vocari, nec tamen propter occultum iudicium meum permittitur effectus voluntati; pro certo dico tibi, quod secundum voluntatem illam malam ita punietur, sicut ille qui compleuit opere, nisi pœnitentia voluntas corrigatur. Ecce de duobus satis notis pluribus, dico tibi exemplum. Quorũ vnus iuxta voluntatem suã prosperabatur, & fere omnia quæ concupiuit obtinuit. Alter eandem voluntatem habuit, sed non obtinuit posse. Primus obtinuit honorem mundi, dilexit templum corporis sui in omni voluptate, dominabatur vt voluit, ad omnia quæ misit manum proficiebat. Alter eorum voluntate consimilis, minorem habuit honorem, qui gauderet centies fudisset sanguinem proximi sui, vt cupiditatem suam perficere potuisset. Qui & fecit quod potuit, & voluntatem suam iuxta desiderium suum adimpleuit. Isti duo pares sunt in supplicio horrendo, qui licet non vno tempore, & vna hora fuerunt mortui ambo, tamen sic loquor de anima vnius, sicut de duabus, quia ambarum vna est damnatio, vna & vox ambarum erat in separatione corporis, animæque egressu. Egressa ergo anima de corpore, ipsa loquebatur ad corpus sic: Dic mihi vbi est nunc visio oculorum delectabilis, quam mihi promisisti, vbi voluptas, quam mihi ostendisti? vbi verba delectabilia quibus me vti præcepisti? Adfuit mox dæmon, & respondit. Visio promissa non est nisi puluis, verba non sunt nisi aer. Voluptas non est nisi lutum, & putredo, hæc ad nihilum tibi valent. Tunc clamabat anima: Heu heu quam miserabiliter decepta sum. Ego video tria. Video enim illum, qui in similitudine panis promittebatur, ipse est Rex Regum, & Dominus dominantium. Ego video quod promisit, & hoc est indicibile, & inexcogitabile. Audio iam abstinentiam, quam suasit fuisse vtilissimam. Deinde altius clamabat cum tribus væ. Væ, inquit, quia nata sum. Væ quia tam longa fuit vita mea super terram. Væ, quia victura sum in morte perpetua, quæ nunquam potest terminari. Ecce quantam miseriam miseri habebunt pro contemptu Dei sui, & pro transitoria felicitate. Ideo sponsa mea regratiare mihi, quia vocaui te de tanta miseria. Obedi spiritui meo, & electis.

VERBA CHRISTI AD SPONSAM capituli immediate præcedens declaraationem inferentia, & de occursu diaboli ad supradictum militem, & de eius horribili condemnatione per iustitiam.

CAP. IX.

OMNE tempus huius vitæ non est nisi quasi vna hora apud me. Ideo quod dico tibi nunc, hoc fuit semper in præscientia mea. Dixi prius, quod vnus erat qui incepit veram militiam. Alter qui misere discessit ab ea. Ille vero qui discessit a vera militia, proiecit clypeum ante pedes meos. Gladium ad latus meum, quando scilicet fregit promissionem, & professionem sanctam. 1 Quid autem notat clypeus quem proiecit, nisi fidem rectam, quam contra inimicos fidei, & animæ suæ se defenderet? 2 Quid vero sunt pedes mei, quibus ad hominem vado, nisi diuina delectatio, qua hominem mihi attraho, & patientia mea qua eum suffero patienter? Hunc autem clypeum proiecit, quando ingrediens templum meum cogitabat apud se. Hunc Dominum sequi volo, qui consuluit mihi nullam abstinentiam, qui mihi dat, quæ desidero, qui permittit me audire, quæ delectant aures. 3 Sic ergo proiecit clypeum fidei meæ, quando magis sequi voluit voluntatem propriam, quam me quando plus dilexit creaturam, quam Creatorem. Si enim habuisset rectam fidem, si credidisset me omnipotentem, si iuste iudicantem, & datorem æternæ gloriæ, nihil nisi me desiderasset, nihil nisi me timuisset. Sed fidem meã abiecit, & hoc ante pedes meos, quando spreta fide mea, & pro nihilo reputata, nec gaudium meum quærebat, nec patientiam meam attendebat. Deinde proiecit gladium ad latus meum. Quid notat gladius nisi timorem Dei, quem verus miles Dei debet habere continue in manibus, idest, in operationibus suis. Quid vero significat latus meum, nisi custodiam, & protectionem meam, sub qua filios meos, sicut mater pullos suos foueo, & defendo, ne diabolus noceat eis, ne pericula intolerabilia adueniant eis. Sed ille abiecit gladium timoris mei, quando non curauit cogitare poten-

potentiam meam, nec attendebat charitatē
meam, & patientiam. Proiecit autem ad la-
tus meum, quasi dicat, non timeo, nec curo
de defensione tua, ex industria enim mea
est, & nobilitate quod habeo. Fregit etiam
promissionem mihi factam, Quæ est promis-
sio vera, quam homo tenetur vouere Deo,
vtique opus charitatis, vt quicquid fecerit
homo, hoc ex charitate Dei faciat. Sed
hanc irritauit quando charitatem Dei re-
torsit ad amorem proprium, omnem volu-
ptatem suam præposuit delectationi futuræ
& æternæ. Ecce sic separabatur a me, & exi-
uit de templo humilitatis meæ. Omnia quip
pe Christianorum corpora. In quibus re-
gnat humilitas, templum meum sunt. In.
In quibus autem est superbia, non templum
meum sunt, sed diaboli, qui eos iuxta vo-
luntatem suam regit ad mundi appetitum.
Egressus autem de templo humilitatis meæ
& reiecto clypeo fidei sanctæ, & gladio ti-
moris mei, ascendit in campum cum omni
superbia, exercuit se in omni voluptate, &
appetitu voluntatis propriæ, contempto ti-
more meo proficiens in peccato suo, & vo-
luptate. Dum autem venisset ad extremum
finem vitæ suæ, & anima exiret de corpore
dæmones occurrerunt ei cum impetu. Con
tra quam tres voces de inferno sonuerunt.
Prima dixit: Nunquid non est iste qui reces
sit de humilitate, & sequebatur nos in om-
ni superbia? Et adhuc duobus pedibus al-
tius in superbiam supra nos ascendere posset
vt excederet nos, & primatum haberet in
superbia, libenter fecisset. Cui anima respon
dit. Vere ego sum. Cui respondit iustitia.
Hæc est retributio tuæ superbiæ, vt de vno
dæmone cadas ad alium, vsquequo venias
ad nouissimum inferni. Et sicut nullus dæ-
monum erat, qui non sciebat certam pœnā
suam, & supplicium, pro omni cogitatu inu
tili, & operæ infligendum, sic nullius suppli-
cium effugies, quin omnis malitiæ, & nequi
tiæ particeps sis. Secunda vox clamabat
dicens. Nunquid non est iste, qui de mili-
tia Dei professa se separauit, & adhæsit mili
tiæ nostræ. Respondit anima. Vere ego
4 sum. 4 Et dixit iustitia, hæc est fons pre-
mij tui, vt omnis quicunque malitiam tuam
sequitur, malitia sua, & pœna, dolorem tuū,
& pœnā augmentabit, & in aduentu suo ad
te, quasi lethali vulnere percutiet te. Sicut
enim ille, qui haberet vulnus sæuum, si ei vul
nus super vulnus, vsquequo corpus vulneri-
bus plenum esse inferretur, intollerabiliter
affligeretur, & clamaret væ super væ: Sic mi
seria super miseriā veniet tibi. Dolor tuus
super omnem dolorem renouabitur. Pœ-
na tua nunquam deficiet, & vę tuum nunquā
5 diminuetur. Tertia vox clamabat. 5 Nun
var. lect. quid non est iste, qui vendidit Creatorem,
pro creatura, charitatem Creatoris, pro a-
more suo. Respondit iustitia: vtique ipse
est. Ideo aperientur ei quasi duæ aperturæ.
Per vnam ingredietur ei omnis pœna, con-
stituta pro minimo peccato vsque ad maxi
mum, quia vendidit Creatorem suum pro vo
6 luptate sua. 6 Per secundam ingredietur ei
var. lect. omnis labor, & confusio, nec vnquam ingre
dietur ei consolatio, & charitas diuina, quia
dilexit se pro Creatore suo. Ideo sine fine du
7 rabit vita, & sine fine durabit pœna, 7 quia
var. lect. ab eo omnes sancti auertunt faciem suam.
Ecce sponsa mea, quam miseri erunt, qui me
contemnunt, & quantum dolorem emunt
pro modica voluptate.

NOTAE.

1 QVid autem notat clypeus, qui proiecit
a me nisi fidem rectam, quæ contra
inimicos fidei, & animæ suæ se de-
fenderet.

Fidem optimum esse contra inimicos nostros cly
1 *peum traditur hic, a quibus cum premimur, vt ad*
nostram defensionem nos illum sumamus, hortatur Apostolus ad Ephes. 6. sumentes scutum fidei,
c *quam etiam in priori Epistola ad Thessalonicenses*
cap. 5. Paulus Loricam appellat: huius autem rei
ratio esse potest, quoniam cum quotidie nobis pu-
gnandum sit contra visibiles, & inuisibiles hostes,
prout legimus hic, & clypeo, & lorica indigemus,
quod etiam indicauit Augustinus, qui explicans
eiusdem locum ad Thessalonicenses: fides, inquit, est
scutum, sub quo tuta est iustitia, sicut sub munimi-
ne omnium virtutum, quod protenditur ante om-
c *nia arma, quod prius impugnat diabolum, vnde pri*
ma petit campum dubia sub fronte duelli pugnatura
fides, idem habet in Psalm. 34. ad eum versiculum
apprehende arma, & scutum, quod etiam admonue-
runt Primasius, Sedulius, & Dyonisius Carthusia-
nus, eundem locum explicantes.

3 Quid vero sunt pedes mei quibus ad ho-
minem vado, nisi diuina delectatio, qua ho-
minem mihi traho.

Ad horum verborum intelligentiam sciendum
est, quod pedes sunt, quibus ad gradiendum vti-
mur, & in sacris litteris prout, & hic aliquando di-
cuntur ipsi gressus hominis, sic Prouerb. 1. pedes
illorum ad malum currunt, gressus autem Dei, quo
vadit ad hominem, eumque trahit ad se mystice diui
na est delectatio, vt scribitur hic, vel vt habet alia
lectio, diuina dilectio, qua hominem sic vnice dili-
git, vt omnes suos gressus ad hominum salutem Chri
stus dirigat, vt etiam pro his carnem sumpserit, &
acerbam mortem subierit, hinc est, quod per pedes
Agni quorum mentio fit Exodi 12. & Isaiæ sexto,
sancti Patres Christi Domini humanitatem, & quid

quid

quid ad Incarnationem spectant intelligunt, sic D. August. de essentia diuinitatis. venerab. Beda Exo. 12 D Bernard. serm. 5. de verbis Isaiæ, Eucherius de spiritualibus formulis c. 1. Origenes super Isaiam Hom. 1.

3 Sic ergo proiecit clypeum fidei meæ, quando magis loqui voluit voluntatem propriam, quam me, quia plus dilexit creaturam, quam Creatorem.

Ex verbis præsentis notæ nullo modo est colligendum, Christianos homines, per quodlibet peccatum mortale donum fidei perdere, sed quod iusto Dei iudicio frequenter accidit, quod dum peccatum in dies peccato addunt, Deumque quotidie magis vitijs offendunt, iuste permitti, vt huiusmodi homines fidem aliquando perdant, quod etiam probat Concil. Triden. sess. 6. Cano. 28. vbi anathematizat eos, qui asserunt per peccatum mortale, semper fidem amitti, idem habetur in Conc. Arausicano Can. 5. & 6. & 7. & Mileuitano Cannone 4. sed hoc etiam annotarunt plures ex sanctis Patribus, qui veram fidem in peccatore reperiri posse affirmant. sic D Aug de fide. & operibus cap. 15. & lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 8. & lib. 15. de Trin. cap. 18. & D. Greg lib. 15 Moral. cap. 14. & fuse hac de re disputat. Sotus lib. 2. de Natura, & gratia cap. 5.

4 Et dixit iustitia, hæc est sors premij tui, vt omnis quicunque malitiam tuam sequitur, malitia sua, & pœna, dolorem tuum, & pœnam augmentabit.

Ex his liquido constat, quod hi, qui cæteris peccandi occasionem præbuerunt, suoque exemplo alios ad vitia incitarunt grauius esse etiam puniendos, & ex hoc fore illis pœnas augendas, quoties peccata multiplicarunt in ruinam aliorum, quapropter egregie D. Thomas p. 2. q. 67. art. 4. ad 2. tradit, quod non sic in beatis est spes gloriæ, sicut in damnatis timor pœnæ, quia inquit in illis est successio pœnarum, & sic remanet ibi ratio futuri, quod est obiectum timoris, sed gloria Sanctorum est absque successione, quod latius explicat Eusebius Emisenus hom. de initio Quadragesimæ, sicut inquit, quando aliquis peccat sub conscientia ad destructionem plurimorum, de pluribus incurrit reatum, & quantum per vnius membri vitium serpit late diffusum reliqua per membra contagium, tanto in actorem suum multiplicis mali recurrit augumentum, & quantos destruxerit, de tantis sibi materiam damnationis congregabit, commisso enim pessimo opere contristantur boni subuertuntur mali, vtinam non etiam boni.

5 Nunquid non est iste, qui vendidit Creatorem, pro creatura, charitatem Creatoris, pro amore suo, respondit iustitia, vtique ipse est.

var. lect.

M. 8. Fatentissimus legit, Respondit anima, vtiq. ipse est, atque ita esse legendum constat ex duabus alijs interrogationibus huic condemnandæ animæ factis, quibus ipsemet animam respondisse legimus.

6 Per secundam ingredietur, & omnis labor.

var. lect.

M. 9. habet, Omnis dolor.

7 *Et paulo infra, vbi omnes impressi Codices legunt,* Quia ab eo omnes Sancti auertunt faciem.

var. lect.

Rectius M. S. Codex, Omnes Sancti auertent faciem, agitur enim de pœna inferenda.

CHRISTI LOQVELA ad sponsam sicut ad Moysen de rubo qualiter per Pharaonem diabolus, & per populum Israel moderni milites, & per rubum corpus Virginis designantur, & qualiter milites, & moderni Episcopi modernis temporibus parant mansiones diabolo.

CAP. X.

1 SCRIBITVR in lege Moysi. Quod Moyses custodiens pecora in deserto, cum videret rubū, qui inflammabatur, & nō ardebat, timuit, & velabat faciem suam. Cui dixit vox de rubo. Afflictio populi mei ascendit in aures meas, & misereor eis, quia durissimo seruitio opprimuntur. Ego sum illa vox de rubo sonans, qui nunc loquor tecum. Miseria populi mei ascendit in aures meas. Quis erat populus meus nisi Israel? Per hunc intelligo milites in mundo, qui professi sunt militiam meam, qui deberent esse mei, sed nimis a diabolo affliguntur. Quid autem fecit Pharao populo meo Israel in Aegypto? Certe tria mala. Primo, quod in structura murorum suorum, non ministrabantur laboratoribus paleæ, quibus coquerent lapides, sed personaliter congregabant sibi per regionem, vbi possent. Secundo, quod ædificatores pro labore suo non reportabant grates, quamuis impositum numerum lapidum impleuissent. Tertio, quod affligebantur vehementer à præpositis, si in consueto numero defecissent. Iste populus meus duas vrbes in maxima afflictione ædificauerunt Pharaoni; 2
Quis est iste Pharao nisi diabolus, qui affligit populum meum, idest milites, qui tenentur esse populus meus. In veritate dico, quod milites steriles in dispositione, & 3
con-

constitutione ab amico meo primo incepta inter chariores fuissent mihi. Sicut enim Abraham accipiens primo mandatum circumcisionis, & obediens mihi, factus est meus amicus charissimus. Nec non quotquot sequebantur fidem Abrahæ, & operationem eius, facti sunt participes dilectionis, & gloriæ eius. Sic milites inter alios ordines mihi præcipue placuerunt, quia vouerunt, quod habebant charius, scilicet sanguinem suum pro me fundere, per quod votum mihi summe placuerunt, sicut Abrahã in circumcisione. Et purgabantur quotidie in obseruatione professionis, & assumptione sanctæ charitatis. Nunc autem milites isti miserabili seruitute diaboli opprimuntur, ita quod vulnerat eos diabolus læthali vulnere; insuper & detrudit illos in supplicium, & dolorem. Episcopi etiam Ecclesiæ ædificant ei, sicut filij Israel duas vrbes.
2 Prima vrbs est labor corporis, & superuacua solicitudo acquirendi mundialia. Secunda est inquietudo, & turbatio mentis, quia ab appetitu mundi nunquam sinuntur quiescere. Exterius est labor, & intus inquietudo, & anxietas spiritualia faciens onerosa. Sed sicut Pharao non ministrabat populo meo necessaria ad conficiendos lateres, nec areas dabat plenas frumento, non vinũ & alia vtilia; sed cum dolore & tribulatione spiritus, populus sibi personaliter acquirebat. Sic nunc facit eos diabolus, quamuis ipsi laborant, & totis medullis cordis inhiãt mundo, non tamen possunt perficere quod cupiunt, nec possunt satiare sitim cupiditatis suæ. Ideo vruntur dolore interius, & exterius labore. Ob quod compatior afflictioni eorum, quod milites mei, & populus meus diabolo ædificant mansiones, & laborant indesinenter, & quod non possunt complere quod cupiunt, & quod angustiantur in superuacuis, & pro ipsa angustia non reportant fructum benedictionis, sed retributionem confusionis. Propterea cum Moyses mitteretur ad populum, dedit ei Deus signum triplici de causa. Primo, quia vnusquisque in Aegypto colebat singulariter Deum suum, & innumerabiles erant, qui dicebantur dij, & ideo dignum erat fieri signum, vt ostenso mirabili signo, & potentia Dei, vnus Deus, & vnus omnium creator esse per signa crederetur, & idola omnia vana esse probarentur. Secundo dabatur Moysi signum in figura, & representatione corporis mei futuri.
3 3 Quid enim rubus ardẽs & non combustus designabat nisi Virginem de Spiritu sancto fœcundatam, & absque corruptione parientem? Ego certe de rubo illo processi. Ego de Virginea carne Mariæ
4 assumpsi humanitatem. 4 Similiter etiam
var. lect. serpens Moysi in signum datus, significabat cor meum. Tertio dabatur signum Moysi propter veritatem astruendam faciendorũ, & per figuram signorum implendorum, vt veritas Dei tanto verior, & certior esse probaretur, quo eaque signa significabant tempore suo euidentius fuissent adimpleta.
5 5 Nunc autem mitto verba mea ad filios Israel, & ad milites, quibus non est necesse fieri signum, triplici de causa. Primo, quia iam colitur, & scitur vnus Deus, & omnium Creator ex scriptura sancta, & multiplicibus signis. Secundo, quia non sperant me nasciturum, quia veraciter me sciunt natum, & sine corruptione incarnatum, quia scriptura omnis completa est. Nec melior fides & certior haberi, & credi debet, quam quæ nunc a me, & sanctis prædicatoribus meis prædicata est. Veruntamen tria tecum feci quibus credi potest. Primo quod verba mea
6 vera sunt, & non discrepant a vera fide. 6 Se-
var. lect. cundo quod ad verbum meum exiuit de homine possesso dæmonium. Tertio, quia vni dedi diffidẽtia corda ad charitatem mutuã reformare. Ideo non dubites de his qui credituri sunt mihi. Qui enim credunt mihi credunt, & verbis meis. Quibus ego sapio, eis &
1 sapiũt verba mea. Propterea scribitur quod Moyses ex collocutione Dei velabat faciẽ suam. Tu autem non debes velare faciem tuam. Ego quippe aperui tibi oculos spirituales, vt videas spiritualia, aperui aures, vt audias quæ spiritus sunt. Ego denique ostendam tibi corporis mei effigiem, qualis fuit in passione, & ante passionem, qualis fuit post resurrectionem, quod Magdalena, & petrus, & alij viderunt. Audies etiam vocem meam quæ loquebatur in rubo Moysi hæc eadem nunc loquitur in anima tua.

NOTAE.

1 Scribitur in lege Moysi, quod Moyses custodiens pecora in deserto, cum videret rubum.

Sic enim legimus Exodi c. 3. Moyses autem pascebat oues Ietro soceris sui sacerdotis Madian, cumq. minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, apparuitq. ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: quo loco notandum est cum Philone de vita Moysis, quod Rubus frutex spinosus est, vel solo contactu vulnerans, cuius folia serpenti superiniecta, ipsum serpentem occidere ferunt, quod autem mistice significet tradidimus hoc eodem cap. nota 3.

2 Episcopi etiam Ecclesiæ ædificant ei sicut filij Israel duas vrbes; prima vrbs est labor corporis, & superuacua sollicitudo acqui-

acquirendi mundialia, Secundo est inquietudo, & turbatio mentis, quia ab appetitu mundi nunquam quiescere sinuntur.

Hoc loco hi reprehenduntur Episcopi qui temporalia bona quærunt, & suas oues deserunt, qui in terrenis sibi comparandis diuitijs sollicitisunt, & in administrandis Ecclesiæ bonis pigri, de quibus Ezechielis 34. væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos, quod esse turpissimum vitium affirmauit D. Bernard. lib. 4. de Considerat. ad Eugenium Papã, quod inquit Episcopo turpius, quã incumbere supellectili, & substantiolæ suæ, scrutari omnia, & sciscitari de omnibus, morderi suspitionibus, moueri ad quæque perdita, vel neglecta, & paulo post infert ex his liquido datur intelligi, quod patientius ferimus iacturas Christi, quam nostras, detrimenta dominici gregis nescimus, expensas autem nostras quotidie scrutamur, eandem rem in pluribus locis prosequitur, & præsertim in expositione Regulæ B. Benedicti p. 3. cap. 7. & in Cant. Vgo quoque de claustro animæ lib. 1. c. 1. in hos acriter inuehit, domos ait non impares Ecclesiis magnitudine construunt, pictos delectantur habere thalamos, vestiuntur ibi imagines preciosis indumentis, Pauper autem sine vestibus incedit, & vacuo ventre clamat ad hostiũ, hac de re legendi sunt D. Gregor. & D. Ambros. in pastorali, D. August. de verbis Domini, & 19. de ciuitate D. Chrysost. in Dialog. lib. 2. & 3. D. Isidor. de summo bono lib. 3. cap. 40. 48. & 51. D. Prosper de vita contemplatiua lib. 1.

3 Quid enim rubus ardens, & non combustus designabat nisi Virginem de Spiritu sancto fœcundatam, & absque corruptione parientem.

Misticam hanc ardentis rubi significationem in eodem sensu, quo hoc loco traditur, inter cæteros referunt D. Aug. lib. de essentia diuinitatis circa finẽ D. Gregor. Tom. 27. Moral. c. 11. D. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 4. venerab. Beda Exodi 3. D. Hieron. de mansionibus.

4 Similiter etiam serpens Mosi in signum datus significabat cor meum.

var. lect. *M. S. Farnesianus aliter legit, Et meo iudicio rectius, quam impressi Codices, similiter etiam serpens Moysi in signum datus significabat corpus meum, & quidem huiusmodi lectio arridet magis, quoniam agitur de signis Mosi datis, quæ Redemptoris nostri Incarnationem figurabant, inter quæ præcipuum erat serpens, qui Christi Domini corpus figurabat, vt Num. 21. serpens æneus typus fuit Christi, qui vt non verus serpens, sed vt æneus erat suspensus Christum in veritate quidem corporis, sed sine veritate peccati speciem peccatoris gessisse notabat, & sicut omnes eum aspicientes curabantur, ita omnes viua fide credentes in Christum, sic tradidit D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 9. & serm. 3. super Psal. 118. Orig. in Iosue Hom. 4. vt autem virga Moysis conuertebatur in serpentem Christum carnem sumpsisse humanam indicabat, sed vt serpens iterum reuertebatur in virgam eum resurgentem insinuabat, quod explicans D. August in Psal. 73. ad ea verba Redimisti virgam hæreditatis tuæ, Quid est, inquit, intuendo serpentem sanari a serpente? est quidem credendo in mortuum Christum sanari a morte: & paulo post, Quid est caudam posteriora comprehende, hoc significauit, & illud posteriora mea videbis. Primo factus est serpens, sed cauda retenta facta est virga, quia primo occisus, postea resurrexit, sed de hac re legendi sunt Tertullianus aduersus Iudæos D. Greg. Nyssenus de vita Mosis, D. Chrysost. in Ioan. Hom. 26. Cyrillus de Incarnat. vnigeniti c. 14.*

5 Nunc autem mitto verba mea ad filios Israel, & ad milites, quibus non est necesse fieri signum.

In præsenti capite tres redduntur causæ, quare nostris his temporibus ea signa, ac miracula necessaria non sint, quæ in principio nascentis Ecclesiæ frequenter fiebant, & præter has, alias quoque sancti Patres probabiles adduxerunt, inter quas ea est potissima, quam affert D. Isidorus lib. primo, de summo bono cap. 27. vt nimirum fides confirmaretur, modo vero quia firmata est Ecclesia miraculis non eget, quod nunc inquit Ecclesia non ea miracula facit, quæ sub Apostolis faciebat, causa est, quia tunc oportebat mundum miraculis credere, nunc vero iam credentem oportet bonis operibus corruscare, eandẽ causam reddit D. Aug. in lib. de vtilitate credendi ad Honoratum c. 16. secunda causa, quam habet loc. cit. S. Isidorus, est, quoniam inquit antequam Antichristus appareat virtutes ab Ecclesia, & signa cessabunt, quatenus eã quasi abiectiorem prosequatur audacius, ob quam vtilitatem cessabunt miracula, & virtutes, vt per hoc sanctorum clareat patientia, & reproborum, qui scandalizabuntur leuitas ostendatur, & persequentium audacia fortior fiat, hoc idem annotauit Gloss. ord. in Iob c. 41. ad ea verba, & faciem eius præcedet egestas, tertiã huius rei causam attulit D. Aug. lib. 1. retract. c. 13. quia inquit miracula ad hæc vsque nostra tẽpora minime durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanũ quorum nouitate flagrauit. Postrema causa est eiusdem in lib. de vtilitate credendi c. 17. vbi dicit, quod si miracula quotidie fierent non mira essent: raritas enim spectat ad miraculorum excellentiam; cur inquit ista modo nõ fiunt, quia non mouerent, nisi mira essent, at si solita essent mira non essent, idem docet lib. 1. retractat. cap. 14. sed lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8. etiam hodierna die hæc fieri signa tradit, non tamen, ita esse euidentia, & apparere quemadmodum primis illis temporibus contingebat, nunc ait etiam fiunt miracula in eius nomine, siue per sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias Sanctorum, sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur, huic quoque alia probabilis causa addi posset, quia cum fides

propagata sit, & sufficienter probata non expedit, vt in Ecclesia frequenter miracula fiant, est enim fides de rebus non visis, miracula autem euidentiā quandam important: vnde recte D. Chrysost. tradit hom. 38. operis imperfect. si viro inquit perfecto in fide & maturo sensibus miracula ostendas, delectatur quidem aspectu, nihil autem ei proficit ad adificationem sensus, aut ad notitiam veritatis, sed hac de re legendi sunt D. Greg. Hom. 29. in Euang. & lib. 27. Moral c. 21. & D. Thom. 1. p. q. 105. art. 7. & 8. & q 110. art. 4. & q. 114. art. 4.

6 Secundo, quod ad verbum meum exiuit de homine possesso dæmonium.

var. lect. *M. S. legit, Secundo, quod ad verbum meum exiuit ab homine obsesso dæmonium.*

VERBA MELLIFLVA Christi ad sponsam, de gloria, & honore boni, & veri militis, & de occursu Angelorum ad ipsum mirifico, & qualiter ipsum gloriosa Trinitas piissime ad indicibilem requiem pro paruo labore recipit, & assumit.

CAP. XI.

DIXI tibi prius de fine, & pœna militis, qui primo recessit à militia mihi professa. Nunc dico tibi per similitudinem, quia aliter spiritualia non poteris intelligere de gloria, & honore illius, qui viriliter militiam veram primo incepit, & virilius consummauit. Iste amicus meus cum venit ad finem vitæ suæ, & anima de corpore exiret, quinque legiones Angelorum mittebantur in occursum eius. Inter quos venerunt innumerabiles dæmones, vt aliquid sui iuris inuenirent, quia pleni malitia sunt, & ab ea nunquam cessant. Tunc autem vna vox clare, & lucide sonuit in cælo dicens. Nunquid non est iste ô Domine pater, qui se ad volūtatem tuam alligauit, & eam perfecte compleuit? Tunc ipse personaliter respondit in conscientia sua. Vere ego sum: deinde tres voces audiebantur. Vna ex parte deitatis dicens. Nunquid non ego te creaui, & dedi tibi corpus & animam. Tu es filius meus, & voluntatem patris tui fecisti, veni ergo nunc ad potentissimum Creatorem tuum, & dulcissimum Patrem, tibi enim debetur æterna hæreditas; quia filius es. Tibi debetur hæreditas Patris, quia ei obedisti. Veni ergo dulcissime ad me, & ego recipiam te cum lætitia, & honore. Secunda vox audiebatur ex parte humanitatis dicens. Frater mi, veni ad fratrem tuum, ego enim obtuli me pro te in bellum, ego fudi sanguinem meum pro te, veni ad me, quia sequebaris voluntatem meā, veni ad me, quia rependisti sanguinem pro sanguine. Qui paratus fuisti dare mortem pro morte, & vitam pro vita. Ideo tu, qui sequebaris me in vitā tua, veni nunc in vitā meam, & gaudium meum, quod non finietur. Veraciter enim confiteor te fratrem meum. Tertia vox audiebatur ex parte spiritus, qui non tres dij, sed vnus. Veni inquit miles meus, qui fuisti sic desiderabilis intus, quod concupiui habitare tecum. Tu fuisti sic virilis extra, quod dignus eras, vt defenderem te. Ideo pro corporis tui inquietudine, intra in requiem. Pro mentis tuæ tribulatione, ingredere in consolationem ineffabilem. Pro charitate tua, & virili decertatione intra in meipsum, & habitabo in te, & tu in me. Veni ergo, egregie miles ad me, quia nihil desiderasti nisi me, veni, & repleberis diuina voluntate. Postea quinque legiones Angelorum, quasi quinque vocibus sonuerunt. Prima loquebatur dicens. Præcedamus egregium militem istum, & feramus ante eum arma sua, idest, præsentemus Deo nostro fidem suam, quam inconcussam conseruauit, & ab inimicis iustitiæ defensauit. Secunda vox ait: Feramus ante eum clypeum suum, idest; demonstremus Deo nostro patientiam suam, quæ quamuis Deo nostro nota sit, gloriosior tamen ex nostro erit testimonio. Per patientiam enim non solum aduersa sustinuit patienter, sed & pro aduersis gratias Deo referebat. Tertia vox ait. Præcedamus eum, & præsentemus conspectui Dei nostri gladium eius, id est, demonstremus obedientiam eius, quā in duris, & lenibus iuxta modum professionis suæ obediuit. Quarta vox ait. Venite, & ostendamus Deo nostro equum suum, id est, testimonium perhibeamus humilitatis eius. Sicut enim equus fert corpus hominis, sic humilitas eius præcedens eum, & subsequens ad omne bonum opus ferebat eum. Nihil quippe in eo inuenit superbia sui, ideo secure equitabat. Quinta vox ait. Veni te, & præsentemus Deo nostro galeam eius, idest, testimonium demus de diuino desiderio eius, quod habuit ad Deum, ipse denique omni hora meditabatur eum in corde, ipsum habebat in ore, ipsum in operibus, ipsum super omnia desiderabat. Pro eius amore, & honore exhibuit se mortuum mundo. Ergo præsentemus hæc Deo nostro; quia dignus est iste, pro modico labore æternam quietem, & cum domino suo lætari, quē tantum, & totiens desiderabat. Cum talibus vocibus, & mirabili choro Angelorum ferebatur

batur amicus meus in requiem perpetuam.
Quæ videns anima exultans intime ait. Fe-
lix ego, quod aliquando vnquam creata fui.
Felix ego, quia Deo meo seruiui, quem nunc
video. Felix ego, quia gaudium habeo, &
gloriam, quæ non finietur. Ecce taliter ami-
cus meus venit ad me, & tali premio remu-
neratus est. Et quamuis non omnes effu-
derint sanguinem pro nomine meo, nihilomi-
nus tamen eandem mercedem habebunt, si
habent voluntatem dare vitam suam pro
me tempore, se sic offerente, & necessitate fi-
dei ingruente. Ecce quantum voluntas bo-
na facit.

VERBA CHRISTI AD sponsam de suæ iustitiæ immutabilitate, & æternitate, & qualiter assumpta humanitate talis iustitia in charitate per ipsum fuerit illuminata. Et quomodo pie suam misericordiam exercet in damnatis, & dulciter ad misericordiam monet milites præliatos.

CAP. XIII.

EGO sum verus Rex. Et
nullus est dignus vocari
Rex nisi ego, quia a me est
omnis honor, & potestas.
1 1 Ego sum, qui iudicaui
primum Angelum, qui ce-
cidit propter superbiam
cupiditatem, & inuidiam. Ego sum, qui
iudicaui Adam, & Cain, & totum mundum,
immittendo propter hominum peccata dilu
uium. Ego idem sum, qui populum Israeli-
ticum permisi in captiuitatem venire, & eũ
mirabiliter in signis mirabilibus eduxi. In
me est omnis iustitia, & erat, & est sine prin-
cipio, & fine, nec aliquando imminuitur a-
pud me, sed semper vera in me permanet, &
immutabilis, & quamuis nunc isto tempore
iustitia mea videatur aliquantulum mitior,
& Deus quasi in iudicando, nunc patiẽtior.
2 2 Hoc tamẽ non est immutatio iustitię meę,
var. quæ nunquam immutatur, sed ostensio ma-
lect. ior charitatis meæ. Eadem quippe iustitia,
& eadem veritate iudicij, nunc mundum iu-
dico, qua tunc cum populum meum Aegy-
ptijs seruire permisi, qua & in deserto affli-
xi. Sed ante incarnationem meam occulta-
batur dilectio, quam in iustitia habui, quasi
lux abscondita, seu aliqua nube obumbrata.
Assumpta vero humanitate, licet mutabatur

lex data, non tamen mutabatur iustitia, sed
euidentius apparuit, & copiosius illuminaba
tur in charitate per filium Dei, & hoc tripli
citer. Primo, quia mitigabatur lex, quæ erat
dura, propter inobedientes, & induratos. Et
difficilis propter domandos superbos. Secun
do, quia filius Dei passus, & mortuus est. Ter
tio, quia iudicium, quasi longius nunc quam
antea ex misericordia, & protrahi videtur, &
mitius esse, nunc in peccantes. Multũ quippe
rigida, & stricta videtur iustitia in primis pa
tribus, in vnda diluuij. In morte in heremo
prostratorum, & eadem iustitia, nunc mecũ
est, & æternaliter fuit. Sed nunc magis miseri
cordia, & charitas apparet, quæ tunc ratio-
nabiliter in iustitia occultabatur, & miseri-
3 corditer. Licet occultius exhibebatur, 3 quia
nunquam iustitiã sine misericordia feci, nec
facio, nec sine iustitia pietatem. Nũc autem
potes quærere, si in omni iustitia habeo mise
ricordiam, quomodo misericors sum in dã-
2 natos? Respondeo tibi per exemplum, quasi
aliquis iudex sederet in iudicio, & frater e-
a ius veniret ad iudicium iudicandus, cui di-
var. cit index. Tu frater meus es, & ego iudex
lect. tuus, & licet te intime diligo, tamen non po
tero, nec debet facere contra iustitiam. Tu
vides omnem iustitiam in conscientia tua
secundum merita tua, secundũ hanc ergo o-
portet te iudicari. Si enim possibile esset ve-
nire contra iustitiam, libenter pro te iuditiũ
portarem. Ego sum sicut iudex ille. Homo
frater meus est per humanitatem. Quo ve-
niente ad iudicium meum, conscientia eius
dicit culpam suam, & intelligit, secundum
quam iudicandus est. Ego vero quia iustus
sum. Respondeo animæ per similitudinem di
cens sibi. Tu vides omnem iustitiam in con-
scientia tua, dic ergo quid mereris? Tunc re
spondet mihi anima. Iudicium meum dicit
1 mihi conscientia mea, & ipsum est pœna di-
gna pro meritis, quia non obediui tibi. Cui
ego respondeo. Ego iudex tuus suscepi om-
nem pœnam pro te, & notum feci tibi peri-
culum tuum, & viam eundi, ne tu venires in
pœnam. Iustitia quippe fuit, vt ante satisfa-
4 ctionem culpę cælum non intrares, 4 hãc ego
sustinui pro te, quia personaliter impotens
eras ad patiendũ. Ego ostendi tibi per Pro-
phetas, quæ mihi erat futura, & nec minimũ
punctũ, de quo Prophetæ vaticinabantur præ
teriui. Ego ostendi tibi omnem dilectionem,
quam poteram, vt verteres te ad me. Sed
quia auertisti te a me, ideo iustitia nunc es
dignus, quia misericordiam contempsisti.
Veruntamẽ adhuc ita misericors sum, quod
si possibile esset me iterato mori magis, ean-
dem pœnã, quam in cruce semel patiebar, ite
rum magis paterer pro te, quã tali iustitia
videre te iudicari. Sed iustitia dicit impos-

ſibile eſſe me iterato mori. Miſericordia vero dicit, ſi poſſibile eſſet morerer libenter pro te. Ecce quomodo miſericors ſum etiã in damnatos, & quam charitatiuus. Quicquid enim facio hoc facio, vt oſtendam charitatem meam. Ab initio quippe dilexi hominem, etiam cum iratus viderer, ſed dilectionem meam nullus curat, nec attendit. Nunc ergo quia iuſtus, & miſericors ſum, moneo eos qui dicuntur milites, vt quærant miſericordiam meã, ne inueniat eos iuſtitia mea, quæ eſt ſtabilis ſicut mons, ardẽs ſicut ignis, horribilis quaſi tonitruum, ſubita quaſi arcus extenſus ad ſagittandum. Ego moneo eos tripliciter. Primo ſicut pater filios vt reuertantur ad me, quia ego pater, & creator eorum ſum, reuertantur, & dabo eis patrimonium, quod paterno iure debetur eis. Reuertantur, quia licet contemptus ſum, attamen cum gaudio ſuſcipiam eos, & occurram eis cum charitate. Secundo rogo eos ſicut frater vt recordentur vulnerum, & operum meorum, reuertantur, & ſuſcipiam eos quaſi frater. Tertio rogo vt dominus, vt reuertãtur ad dominum ſuum, cui dederunt fidem, cui & obſequium tenentur, & iuramento ſe obligauerunt. Ergo o milites reuertimini ad me patrem veſtrum, qui cum charitate educaui vos. Conſiderate me fratrem veſtrum pro vobis, & vobiſcum factum ſimilem. Reuertimini ad me pium dominum, inhoneſtas quippe magna eſt alij domino dare fidẽ, alij obſequium. Vos enim dediſtis mihi fidem, quod defenderetis eccleſiam meam, quod miſeris ſubueniretis; & ecce inimico meo datis obſequium. Depoſitis etiam vexillum meum, & vexillum inimici mei erigitis. Ergo o milites redite ad me cum vera humilitate, qui a me per ſuperbiam diſceſſiſtis, ſi durum vobis videtur aliquid pro me pati, conſiderate quid ego feci pro vobis. Ego iui cauſa veſtri ſanguinolentis pedibus ad crucem, ego habui pro vobis manus, & pedes perforatos, ego nulli membro meo peperci pro vobis, & tamen hoc totum negligitis recedendo a me: redite ergo, & dabo vobis in auxilium tria. Primo fortitudinem contra inimicos corporales, & ſpirituales. Secundo magnanimitatem, qua nihil niſi me timebitis, qua delectabile videtur vobis pro me laborare. Tertio dabo vobis ſapientiam, qua intelligetis veram fidem, & Dei voluntatẽ. Ergo redite, & ſtate viriliter. Ego enim, qui moneo vos ſum ille, cui Angeli ſeruiunt, qui patres veſtros obedientes liberaui, inobedientes iudicaui, & ſuperbos humiliaui. Ego fui primus in bello, primus in paſſione, ſequimini ergo me, ne ſicut cera ab igne diſſoluamini. Cur reſcinditis promiſſionem veſtram? Cur iuramentum contemnitis? Nunquid ego minor, & indignior ſum amico veſtro temporali, cui ſi datis fidem ſoluitis? Mihi autem datori vitæ, & honoris, conſeruatori ſanitatis, non redditis promiſſum. Propterea boni milites ſoluite promiſſum, & ſi non ſufficitis opere, ſaltem conemini voluntate, ego enim compatiens ſeruituti veſtræ, qua diabolus opprimit vos, voluntatem recipiam pro opere. Si reditis ad me cum charitate, laborate pro fide Eccleſiæ meæ, & ego cum omni exercitu meo quaſi pius pater occurram vobis. Daboque vobis pro præmio quinque bona. Primo honor æternus nunquam recedet de auditu veſtro. Secundo facies, & gloria Dei nunquam recedet a viſione veſtra. Ter-
4 tio laus Dei nunquam recedet de ore veſtro. Quarto anima veſtra habebit omnia quæ deſiderabit, & nihil aliud deſiderabit niſi quod habet. Quinto nunquam ſeparabimini a Deo veſtro, ſed ſine fine durabit
5 gaudium veſtrum & ſine fine in gaudio viuet vita veſtra. Ecce o milites, talis erit re-
6 tributio, ſi fidem meam defenditis,
uar. & pro honore meo, plus quam ueſtro labo-
lect. ratis. Recordamini ſi intellectus eſt uobis; quia ego patiens in uos ſum, & quod infertis mihi talem contumeliam, qualem uos ipſi a ueſtris non uultis pati. Sed licet omnia ex potentia mea poſſum, & licet iuſtitia clamat ſuper uos uindictam, adhuc tamen miſericordia mea, quæ eſt in ſapientia, & bonitate, parcit vobis. Propterea quærite miſericordiam: ex charitate enim præbeo ea quæ cogari humiliter deberem.

NOTAE.

1 EGo ſum qui iudicaui primum angelum qui cecidit propter ſuperbiam, cupiditatem, & inuidiam.

Ex his verbis nobis aperte colligendum eſt, ex Angelis cecidiſſe ſupremum, licet enim ex quibuſdam Sacræ ſcripturæ locis, & ex D. Damaſc. lib. 2. de fide orthodoxa. cap. 4. deduci poſſe videatur Angelorum Principem non cecidiſſe, vt Ezechiel 28. Tu Cherub extentus, & protegens poſui te in monte ſancto Dei: Ordo autem Cherubin non eſt ſupremus inter eos, & Damaſc. loc. cit. affirmat, quod maior eorum Angelorum, qui peccauerunt fuit terreſtri ordini Angelorum prælatus: communis tamen Theologorum opinio eſt in 2. ſent. d. 6. ex Angelis fuiſſe ſupremum inter peccantes, prout traditur hic, & docent D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 12. & lib. 9. c. 2. D. Auguſt. lib. 11. ſuper Geneſim ad litteram, & lib. 1. de mirabilibus Sacræ ſcripturæ cap. 2. Origen. tract. 9. in Matth. explicans illa verba Erunt primi nouiſſimi. D. Chryſoſt. hom. 5. & 7.

ad

ad populum Antiochenum. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, circa medium. D. Isidorus de summo bono cap. 12. D. Bernard. in lib. de gradibus humilitatis, & serm. 1. Aduentus. D. Hieron. in Iob cap. 40. ad illa verba, ipse est principium viarum Dei. D. Gregor. Nazianzen. oratione secunda in Paschalem patet in Reuelat. extrauag. cap. 81. ibi vide, Iustitiam meam in primo Angelo, & in primo homine. Ad locum vero supra citatum Ezechielis responderi potest, quod ibi supremus Angelus vocatur Cherub a scientia, quæ simul cum mortali peccato esse potest, & remansit etiam in peccatoribus Angelis, non autem nominatur Seraphim, quod ardorem importat, & charitatem notat, quæ cum mortali peccato manere non potest, nec inconuenit nomina inferiorum superioribus Angelis aliquando tribui, quippe qui inferiorum virtutes, & excellentias habent.

2 Hoc tamen non est immutatio iustitiæ meæ, quæ nunquam immutatur, sed ostensio maior charitatis.

uar. lect.

M. S. legit. Maioris ostensio charitatis. Dicitur autem hic, postremis hisce temporibus Deum maiorem ostendisse charitatem, quandoquidem mitior est ad inferendas nunc pœnas, quam primis illis temporibus, cum Iudæis, & Israelitis extiterit, quibus multo maiora flagella intulit, quam nobis hodierna die inferre consueuerit, neque tamen ex hoc mutatur Deus quandoquidem, vt aliquanto post legimus, eadem iustitia, eademq; iudicij veritate mundum iudicat, qua tunc prius iudicabat, sed solum tunc diuina dilectio, non sic palam fiebat, vt post Christi Domini seruatoris nostri incarnationem propalata est, & ideo Paul. Apostolus ad Titum 3. apparuisse nobis benignitatem, & humanitatem Christi scripsit, sed hac de re egimus infra hoc eodem libro cap. 28. nota 1. vbi probaui Deum nullo pacto mutari posse, sed totam mutationem esse ex parte creaturarum.

5 Quia nunquam iustitiam sine misericordia feci.

D. Chrysost. super Matth. hanc eandem enarrãs sententiam sentire videtur omnino, iustitiam coniunctam esse debere cum misericordia, & e contra; itavt nunquam Deus nobiscum dignatus sit misericorditer esse, quin nõ fuerit iustus, immo iustitiam a misericordia seiunctam, appellat crudelitatem, & misericordiam sine iustitia fatuitatem: hæc autem eius sunt verba. Quoniam misericordia tunc est vere misericordia, si sic facta sit, vt iustitia per eam non contemnatur: si autem contempta iustitia misericordia obseruetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas: iustitia vero sine misericordia non est iustitia, sed crudelitas. Quare egregie D. Greg. Pontifex hom. 34. explicans illud Lucæ 15. Erant appropinquantes ad Iesum Publicani, & peccatores, dicit, Ex hoc colligite, quia vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem: sed clarius Leo Papa serm. 8. de Natali Domini, Sic, inquit, destruendum fuit peccatum voluntarium, & hostile consilium, vt dono misericordiæ non obesset dono iustitiæ: ex quibus inferendum est verum esse, quod hoc loco scribitur Deum nunquam iustitiam fecisse sine misericordia, imo in omnibus operibus eius inueniri misericordiam, & iustitiam, & opus iustitiæ in misericordia fundari, eleganter probat D. Thom. 1. p. q. 21. ar. 4.

4 Hanc ego substinui pro te, quia personaliter impotens eras ad patiendum.

Ex his verbis duo nobis deducenda sunt. Primũ quidem Christum Dominum redemptorem nostrũ pro nostris peccatis de rigore satisfecisse iustitiæ, eiusq; opera fuisse infiniti valoris, & efficaciæ ad satisfaciendum. Secundũ puram creaturã sic nullatenus satisfacere potuisse: & quantum spectat ad primum, licet Christi humanitas, quæ in hac satisfactione erat principium, vt quo, sicut affirmant scholastici doctores, finita fuerit, & proinde actiones Christi finitæ entitatis, suppositum tamen diuinum, quod ad eas eliciendas principaliter concurrebat, actionibus humanis infinitum valorem tribuebat, & ideo licet illæ actiones physice in genere entis finitæ essent, moraliter tamen in genere satisfactionis erant infinitæ: hoc enim non consistit in entitate aliqua physica, sed in morali dignitate proueniente ex connexione ad personam diuinam, quam ob causam dicendum est magis placuisse merita Christi quam hominum peccata displicuerint, per quod satisfactio huiusmodi non solum æqualis fuit, sed & superabũdans; & hoc colligi potest ex Scriptura sacra, vt Roman. 3. Quem posuit Deus propitiatorem ad ostensionem iustitiæ suæ. Rom. 8. Dedit per filium pater, vt peccato damnaret peccatum. ad Hebr. 11. Vna oblatione conseruauit vniuersum: idem tradunt Sãcti Patres, D. Athanasius de humanitate Verbi. D. Basilius Homi. 25. D. Chrysost. Hom. 10. in Ioã. D. Augustinus lib. 3. de Trinitate cap. 13. & in Enchiridion cap. 39. D. Leo serm. 2. & 12. de passione, & Epistola 81. & 95. D. Anselm lib. primo, & secundo, cur Deus homo. D. Bonauent. in 3. dist. 20. quæst. 3. & ibidem communiter Doctores, Ricardus q. 4. Palud. q. 2. art. 2. Capreolus Concl. 2. Alensis. 3. p. q. 1. membro 7. & q. 17. membro 3. Gulielmus Pariensis lib. cur Deus homo cap. 8. ex his infero secundum quod proposuimus supra, scilicet ad perfectam satisfactionem fuisse necessariam Christi Domini Incarnationem, quia pura creatura, vt scribitur hic impotens erat ad sic satisfaciendum, quandoquidem, vt docuit D. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. argumentum, iniuria erat infinita, ex parte Dei offensi, ergo satisfactio debebat esse infiniti valoris, quod pura creatura præstare non poterat, non tamen negarim puram creaturam potuisse imperfecte satisfacere Deo reddendo illi quantum ipsa posset, deficeret autem hæc satisfactio a rigorosa, quia re vera non esset ad æqualitatem offensæ, nec esset infiniti meriti.

5 Sic sine fine in gaudio viuet vita vestra.

Sic omnia impressa exemplaria habent, sed Codex Farnesianus M. S. legit, Et sine fine in gaudio viuet anima vestra, viuet, & vita vestra.

6 *Et paulo post vbi omnes legunt*, Si fidem
var. meam defenditis, & pro honore meo labo-
lect. ratis.

M. S. habet, Si fidem meam defenditis, & pro honore meo laboraueritis.

VERBA POTENTIAE Christi ad sponsam, contra huius temporis milites, & de forma tenenda in militibus procreandis, & quomodo Deus talibus robur, & auxilium in agendis præstat, & administrat.

CAP. XIII.

EGO sum cum Patre, &
Spiritu sancto vnus Deus,
trinus in personis, vnus
nō separatur ab alio, nec
diuiditur, 1 sed Pater est
1 in Filio, & Spiritu, & Fi-
lius in Patre, & Spiritu,
& spiritus in ambobus. Deitas misit Ver-
bum suum Mariæ Virgini per Angelum suum
Gabrielem, nihilominus tamen idem Deus
mittens, & missus à seipso erat cum Angelo,
erat in Gabriele, & ante Gabrielem in Vir-
2 gine. 2 Dicto autem verbo ab Angelo, Ver-
bum factum est caro in Virgine. Hoc Ver-
bum, ego sum, qui loquor tecum. Pater mi-
sit me per seipsum cum Spiritu sancto in
ventrem Virginis, non sic, quod Angeli ca-
ruerunt visione, & præsentia Dei, sed ego Fi-
lius, qui fui cum Patre, & Spiritu sancto in
ventre Virgineo, idem eram in cælo cum Pa-
tre, & Spiritu sancto in visione Angelorum,
omnia gubernans, omniaque sustentans,
3 3 licet humanitas mea a me solo filio assum
4 pta requieuit in ventre Mariæ. 4 Ego igi-
tur in deitate, & humanitate vnus Deus ad
ostensionem charitatis meæ, & in robur fi-
dei sanctæ, non dedignor loqui tecum. Et
licet humanitas mea videatur esse iuxta te,
& loqui tecum. Verisimilius est tamen,
quod anima tua, & conscientia tua mecum
est, & in me, nihil enim mihi impossibile est,
& nihil difficile in cælo, & in terra. Ego
quippe sum sicut Rex potens, qui cum exer
citu suo veniens ad ciuitatem omnia loca
implet, omnia occupat. Sic gratia mea om
nia membra tua implet, omnia fortificat.
Ego denique sum in te, & extra te. Ego
quamuis loquar tecum, idem tamen sum glo
ria. Quid mihi difficile est, qui potentiā
mea omnia sustento, sapientia mea omnia
dispono, virtuositate mea omnia supero.
Ego igitur cum Patre, & Spiritu sancto sine
principio, & sine fine vnus Deus, qui pro sa
lute hominum in humanitate assumpta, dei-
tate illæsa permanente, vere passus sum, resur
rexi, & ascendi, nunc veraciter loquor tecū.
Dixi tibi prius de militia, quæ mihi quondā
4 gratissima fuit, eo quod vinculo charitatis
mihi colligata fuit, nam voto suo obligabāt
se milites, dare carnem suam pro carne mea
sanguinem suum, pro sanguine meo, ideo &
ego consensi in eos, & coniunxi eos mihi in
vnum vinculum, & in vnam societatem. Sed
nunc conqueror super ipsos milites, qui te
nerentur esse mei, quod auersi sunt. Ego
quippe sum Creator eorum, & Redemptor,
ego & auxiliator, ego creaui eis corpus, &
membra. Et omnia quæ in mundo sunt ad 1
vtilitatem eorum feci. Ego redemi eos
5 sanguine meo. 5 Ego emi eis hæredita-
tem æternam passione mea. Ego in
omnibus periculis defendo eos, ego do eis
fortitudinem ad agendum, & laborandum.
Nunc autem ipsi auersi sunt a me. Ducunt
pro nihilo passionem meam, negligunt ver-
ba mea, quibus anima eorum delectari, &
pasci deberet. Contemnunt me effigenti
animo, & toto affectu carnem suam dare,
lacerare pro laude hominum, sanguinem
suum fundere propter expletionem cupidi-
tatis suæ, libenter mori propter mundum,
& verba diabolica, & inania. Adhuc tamen
licet sic auersi sunt misericordia mea, & iu-
stitia mea est in eis. Nam per misericor-
diam meam custodio eos, ne tradantur dia
bolo, per iustitiam meam tolero eos patien
ter. Et si adhuc reuerti voluerint, ego gau
denter suscipio eos, & occurro eis in auxilium.
Dic ergo illi, qui militiam suam ad me con 1
uertere vellet, quod sub hac forma mihi de-
uotus placere posset. Quicunque enim miles
fieri vellet, deberet cum equo suo, & armatu-
ra ad cimiterium Ecclesiæ procedere, &
ibi eum relinquere, quia equus non est crea-
tus ad superbiam hominum, sed ad vitæ vti
litatem, & ad defensionem, & inimicorum
Dei expugnationem. Deinde assumat man
tellum, cuius ligatura ponenda est super
frontem, vt sicut diaconus assumit stolam
in signum obedientiæ, & patientiæ diuinæ,
sic ipse miles assumit mantellum, & ligatu-
ram ponit super frontem in signum professæ
militiæ, & obedientiæ, pro crucis meæ de-
fensione assumendæ. Quem etiam præcedat
vexillum potestatis sæcularis, vt sciat se
potestati mundanæ in omnibus, quæ non
sunt contra Deum debere obedire. Ingres-
2 so autem eo cimiterium, clerici occurrant

ei

ei cum vexillo Ecclesiæ, in quo depicta sit passio mea, & vulnera mea, in signum quod Ecclesiam Dei, & fidem defendere deberet, & prælatis eius etiam obtemperare. Cum autem ingreditur Ecclesiam vexillum temporalis potestatis foras Ecclesiam remaneat, & vexillum meum præcedat eum in Ecclesiam, in signum quod diuina potestas præcedit sæcularem, & quod de spiritualibus plus est curandum, quam de temporalibus. Dicta vero Missa vsque ad Agnus Dei, prælatus scilicet Rex, vel alius, procedat ad militem, circa altare, & dicat. Vis tu fieri miles? Quo respondente volo, subiungat. Promitte inquit Deo, & mihi te fidem sanctæ Ecclesiæ defendere, & prælatis eius in omnibus, quæ ad Deum sunt obedire. Quo respondente volo, tradat gladium in manus eius, & dicat. Ecce trado tibi gladium in manus tuas, vt non parcas vitę tuæ pro fide, & Ecclesiæ Dei, vt inimicos Dei deprimas, & vt amicos Dei defendas. Postea committat ei clypeum, & dicat. Ecce do tibi clypeum, vt defendas te contra inimicos Dei, vt viduis, & orphanis tribuas auxilium, & vt honorem Dei in omnibus augmentes. Postea manum imponit collo eius dicens. Ecce obedientiæ subiectus es & potestati. Vide ergo, vt sicut ligasti te professione sic impleas, & opere. Post hoc autem mantellum adaptet sibi, & ligaturam vt quotidie habeat in memoria, quid Deo vouit, & quod ad Ecclesiæ Dei defensionem plus quam alij se professione in facie Ecclesiæ obligauit. His ergo peractis, & dicto Agnus Dei, sacerdos, qui Missam celebrat, tradat sibi corpus meum, vt fidem sanctæ Ecclesiæ defendat. Ego ero in eo, & ipse in me. Ego ministrabo ei auxilium in robur, & incendam eum flamma charitatis meæ, vt nihil velit nisi me, nihil timeat nisi me Deum suum. Quod si forte fuerit in campo, & ibi pro honore meo, & fide mea defendenda sumpserit militiam, nihilominus ei prodest, si intentio fuerit recta. Ego denique in omni loco sum per potentiam meã, & omnes mihi intentione recta, & voluntate bona placere possunt. Ego autem sum charitas, & nullus ad me venire potest nisi qui habeat charitatem; ideo nullis præcipio hoc facere, quia tunc seruirent mihi ex timore. Sed quicunque vellent sic assumere militiam, mihi placere possent. Dignum quippe esset, vt sicut per superbiam à vera professione militiæ excessum est, sic per humilitatem ad vere militiæ cultum, se reuerti velle ostenderent. Hic miles creditur fuisse dominus Carolus filius S. Brigittæ.

NOTAE.

1 Pater est in Filio, & Spiritu, & Filius in Patre, & Spiritu, & Spiritus in ambobus.

D. Hilarius lib. 3 de Trinitate non longe a principio, huius rei difficultatem considerans, nec ratione aliqua, nec exemplo eam aperte explicari posse affirmat, Natura enim inquit humanæ intelligentia rationem huius dicti non capit, nec exemplum aliquod rebus diuinis humana comparatio præstabit, sed quod non homini est intelligibile, Deo possibile est, in fine tamen libri docet unam personam esse in alia tum per virtutis similitudinem, tum per deitatis plenitudinem, tum ratione diuinæ naturæ, quia in singulis est eadem diuinitatis plenitudo, quod etiam tradit D. August. de fide ad Petrũ cap. 1. & D. Ambros. cap. 5. posterioris Epistolæ ad Corinth. & latius D. Thomas 1. p. q. 42. art. 5. & 6. vbi affert tres modos, quibus vna diuina persona dicitur esse in alia, scilicet ratione essentiæ ratione relationis, ratione originis, alij vero addunt etiam ratione circumsessionis, & immanentiæ atque sic intelligendum est, quod scribitur hic, & c. 14. vnã scilicet personam esse in alia, qua de re late egimus supra lib. 1. c. 42 nota 1.

2 Dicto autem verbo ab Angelo, Verbum caro factum est in Virgine.

Ex his, quæ hoc loco scripta sunt non videtur aperte colligi posse, quando Verbum in Virgine caro factum sit, licet enim hic legamus dicto verbo ab Angelo Mariam concepisse, tamen id quo tempore fuerit, an cum Maria consensum præstitit, an vero in principio salutationis Angelicæ, cum Gabriel ea verba protulit, Dominus tecum, mihi incertum est, videtur tamen dicendum, id factum esse cum beatissima Virgo consensum præbuit, quod indicare videntur illa verba, dicto autem verbo ab Angelo, quam sententiam secuti sunt D. August. de sancta Virginit. cap. 4. & de fide ad Petrum cap. 18. Damascenus de fide lib. 3. cap. 2. Athan. in Orat. de sancta Deipara, D. Ambros. Lucæ 1. ad ea verba gratia plena. Gregorius Emissenus, hom. 1. super Missus est. Petrus Chrysologus serm. 142. Beda Hom. 1. de Virg. Rupertus Hom. 6 in Cant. Canisius de B. Virgine lib. 3 cap. 2. Ioannes Maldonatus in Comment. in Lucam cap. 1. explicans illa verba, Gratia plena. Cæterum sunt etiã, qui existimarunt Mariam concepisse ante consensum præstitum, vt primum Angeli salutationem accepit cum dictum est ei, Aue gratia plena, huius opinionis fuere Chrysostomus in Liturgia, & plures etiam ex patribus Græcis, quos citat Canisius, eandem sententiam secuti sunt D. Hieron. & Gregor. Neocæsariensis in Hom. de Annunciatione B. Mariæ, sed quidquid sit priorem opinionem puto esse communiorem, & probabiliorem, quæ etiam ex sacris litteris probari potest, & præcipue ex illis verbis

bis

bis, Ecce concipies, & paries filium: particula nanq. (Ecce) inſinuat Mariam concepturam fuiſſe, vt admonuit Titus Boſtrenus, non vero concepiſſe, vel in principio ſalutationis Angelicæ, vel antequam ab Angelo ſalutaretur, ſicut opinati ſunt Hieron. & Gregorius Neocæſarienſis, ex his ergo probabiliſſimum eſt in Virgine verbum carnem factum eſſe cũ Maria conſenſum præſtitit, quod fecit cum illa verba protulit, Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum.

3 Licet humanitas mea a me ſolo filio aſſumpta requieuit in ventre Mariæ.

Sacroſanctum Incarnationis myſteriũ totius Trinitatis opus fuit, ſicut enim diuinæ perſonæ ad inuicem inſeparabiles ſunt, ſic & Trinitatis operationes ad extra inſeparabiles, ac indiuiſæ ſunt; fuit autem ſolus incarnatus filius, quia ipſe ſolus erat, qui humanam naturam aſſumpſerat, & terminauerat, & hoc factum eſt, vt per eandem ſapientiam, qua mundum primo creauerat per eandem recrearet, vtque ipſe, qui verus erat in diuinis filius, idem verus eſſet in humanis, vnde D. Auguſt. ſerm. 9. de Natali Domini, non quæſiuit de Verbo niſi Matrem in terris, quia Patrem ab æterno habuit in cælis, ſed de hac re fuſius egimus ſupra lib. 1. cap. 38. nota 1. & legendus eſt D. Aug. 1. de Trinit. c. 4. & 5. & de Eccleſ. dogmatibus in initio.

4 Ego igitur in deitate, & humanitate vnus Deus ad oſtenſionem charitatis meæ, & in robur fidei ſanctę non dedignor loqui tecum.

Quoniam paſſim in his B. Brigittæ Reuelationũ libris legimus Deum Patrem, Chriſtum Dominum, Mariam Virginem, alioſq. Sanctos allocutos fuiſſe B. Brigittam, poſſet etiam hic dubitare probabiliter quiſquam poſſet quomodo id fieri potuerit, cum locutio externa ſit proprie actus rationalis creaturæ, quæ per linguam corporis, mentis internos conceptus alijs manifeſtat, ſed ſciendum eſt, quod ſicut duplex eſt verbum, interius ſcilicet, quod verbum mentis appellamus, & exterius, quod communi nomine materialiter vocem appellamus, ſic duplex eſt locutio; alia interior, exterior altera: interior eſt cum Deus ſua benignitate ad creaturam conuertitur, vultque ſua communicare ſecreta, ad quæ agnoſcenda ingentem ſui luminis confert ſplendorem; tunc optime dicitur interna locutione, ac inſpiratione hominum alloqui: quod egregie explicans D. Auguſtinus de eſſentia diuinitatis circa finem libri. D. Bernardus ſerm. 32. in Cant. Verbum, ait, eſt non ſonans, ſed penetrans, non loquax, ſed efficax, non obſtrepens auribus, ſed affectibus blandiens, idem habet D. Gregorius lib. 28. Moralium cap. 2. cum per ſemetipſum loquitur Deus, de verbo eius ſine verbis, ac ſillabis, cor docetur, quia virtus eius intima quadam ſubleuatione cognoſcitur, ſed aperte ipſemet Chriſtus explicat hoc B. Brigittæ lib. 6. Reuelationum cap. 18. cum dicit, licet non voce corporis loquar, & verba mea non aperte audiantur, tamen ſpiritus meus in electis meis occulta inſpiratione monet eos ad bona facienda: ſi vero de externa locutione ſermo fiat, di-
1 *cendum mihi videtur potuiſſe Chriſtum Dominum, & Beatiſſimam Virginem, qui ſua corpora habent in patria proprie loqui, & miniſterio linguæ formare voces, ſuoſque communicare conceptus B. Brigittæ, nec obſtat huic, quod ad locutionem requiratur aer, vt eo percuſſo ſonus efformetur, qui non eſt in corpore Chriſti, & B. Virginis glorioſo, procedit enim difficultas in corporibus glorioſis exiſtentibus ſupra cælum, vbi aere non circundatur, ſed hoc inquam non obſtat, quia vt admonuit D. Thom. in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. & in 4. d. 44. q. 2. art. 1. q. 4. ad formandam vocem non eſt neceſſarius externus aer, qui trahatur, vel expellatur, ſed ſufficit internus, qui eſt in humano corpore, huiuſmodi enim aer etiam inuenitur in glorioſis corporibus in pulmone, aliiſque partibus corporis, quæ neque alio corpore replentur, neque vacuæ eſſe debent. Beatus ergo format vocem mittendo aerem per aſperam arteriam, vſque ad os, ibique & labijs, & lingua illum refrangendo in palato ſonum vocis format. Poſtremo ſi loquamur de cæteris ſanctis, qui ante vniuerſalem corporum reſurrectionem non habent in cælo animabus vnita corpora, quos frequenter cum B. Brigitta eſſe locutos legimus, dico eos vel po-*
2 *tuiſſe miniſterio aliquorum corporum vti, ſicque formare voces, ſuoſque B. Brigittæ propalare conceptus, quod etiam Angelos ſæpiſſime feciſſe in ſacris litteris paſſim legimus, vt Zachariæ 2. ſcribitur, Alius Angelus egrediebatur in occurſum eius, & dicit ad eum curre, & loquere, & Tobiæ 12. & in Apocalypſi, & alibi centies Angelorum locutiones cum hominibus perhibentur. Tertio dico potuiſſe Angelos, cæteroſque Beatos ſuos manifeſtare conceptus, per quaſdam rerum imagines, ac ſimilitudines in quibus ea apparerẽt, quæ illi oſtendere contendebant, quemadmodum feciſſe D. Ambroſium Mediolanen. Epiſc. legimus lib. 2. Reuel. cap. 3. ego ſum ſcribitur ibi Ambroſius Epiſc. qui tibi appareo tecum loquens per ſimilitudinem, atque hunc loquendi modum probat D. Greg. 28. Moral. cap. 2. paulo ante medium, aliquando, inquit, rebus per Angelos loquitur Deus, cũ nihil verbo dicitur, ſed ea quæ futura ſunt aſſumpta de elementis imagine nuntiantur, ſic etiam quamplurima oſtenſa fuiſſe Prophetis, & D. Ioanni in Apocalypſi, exiſtimandum eſt. Poſtremo concludendum eſt potuiſſe etiam Angelos, alioſque Sanctos formare quoſdam in aere ſonos ſimiles vocibus ſignificatiuis, quibus Beata Brigitta, quid ſignificarent perciperet, & huiuſmodi ſonos formantium conceptus apprehenderet, quod etiam tradit Durandus in 2. diſt. 11. q. 2. & d. 7. q. 3. ſed latius Franciſcus Suarez Tomo 2. in Comment. ſuper 3. p. S. Thomæ q. 51. art. 4. diſput. 47. ſect. 1. & Pererius in Geneſ. lib. 6. Tomo 1. verſ. 9. ad ea verba, vocauitque Dominus Adam.*

Ego

3 Ego emi eis hæreditatem æternam paſſione mea.

Quæ ad huius textus intelligentiam conducere addebantur, attulimus ſupra lib. 1. cap. 2. nota 3. vbi eadem prorſus ſententia legitur.

QVALITER CHRISTVS per fabrum, & Dei verba per aurum deſignantur, & quomodo talia verba charitatem diuinam, conſcientiam rectam, ſenſus ordinatos habentibus ſunt proponenda, & quomodo Dei prædicatores debent eſſe ſolliciti, & non deſidioſi ad aurum vendendum, ideſt ad verba Dei proponendum.

CAP. XIV.

EGO ſum quaſi bonus aurifaber. Qui mittens famulum ſuum ad vendendum aurum ſuum per terram, dicit ei. Tria debes facere. Primo, non debes aliquibus committere aurũ meum, niſi eis, qui ſerenos, & lucidos habent oculos. Secundo, non committas eis, qui nullam habent conſcientiam. Tertio, habe aurum meum venale pro decem talentis, ponderis duplicati. Qui enim bis ponderare renuerit aurum meum non habebit. Sed inimicus meus tria habet aduerſum te, pro quibus tibi cauendum eſt. Primo vult te facere deſidioſum in proferendo, & demonſtrando aurum meum. Secundo deſiderat plantare, & inſerere aliquid vitioſum in aurum meum, vt videntes, & probantes aurum, credant aurum meum eſſe lutum, & putredinem. Tertio ponit in os amicorum ſuorum quomodo reſiſtant tibi, & dicant, conſtanter aurum meum non eſſe bonum. Ecce ego ſum quaſi aurifex ille, ego omnia, quæ ſunt in cælo, & in terra fabricaui, non malleis, & inſtrumentis, ſed potentia mea,

1 & virtute. 1 Et omnia quæcunque ſunt, & fuerunt, & futura ſunt, omnia in præſcientia mea ſunt, nam non minus vermis, & non minimũ granũ ſine me eſt, nec ſine me ſubſiſtere poteſt, nec tam minimum, quod ſe à præſcientia mea occultare poſſit, quia omnia à me ſunt, & omnia in præſcientia mea. Inter omnia tamen, quæ feci, verba mea, quæ proprio ore locutus ſum digniora ſunt, tanquam aurum cæteris metallis. Ideo famulis meis, cum quibus aurum meum per

2 terras mitto, tria facienda ſunt. 2 Primo vt non committant aurum meum illis, qui non habent lucidos, & claros oculos. Sed potes quærere. Quid ſibi hoc vult habere clarum viſum? Vtique, ille clare videt, qui diuinam ſapientiam habet cum diuina charitate. Sed quomodo hoc cognoſcendum eſt? Certe hoc manifeſte patet. Ille enim qui ſecundum hoc, quod intelligit viuit, qui ſe a mundi vanitate, & curioſitate ſubtrahit, qui nihil ſic quærit, ſicut Deum ſuum, hic habet clarum viſum. Huic committendum eſt aurum meum. Ille autem qui habet ſcientiam, ſed non diuinam charitatem in operando, quod intelligit. Ipſe eſt ſimilis cœco, qui videtur quidem oculos habere ad Deum, ſed non habet, quia vertit eos ad mundum, & occipite ad Deum. Secundo, non eſt committendum aurum meum ei, qui non habet conſcientiam. Quis habet conſcientiam, niſi qui diſponit temporalia iſta, & caduca in æterna? Qui animum habet in cælo, & corpus in terra, qui quotidie ruminat quomodo exeat de terra, & reſpondeat Deo de factis ſuis, huic committetur aurum meum. Tertio debet habere aurum meum venale, pro decem talentis bis ponderatis. Quid notatur in ſtatera, in qua ponderatur aurum niſi conſcientia. Quid vero manus,

3 quæ ponderare debent, niſi voluntas bona, & deſiderium. Quid autem ſunt pondera imponenda, niſi corporalia, & ſpiritualia opera. Aurum ergo meum, ideſt verba mea, qui emere, & habere voluerit, debet in conſcientiæ ſuæ ſtatera examinare, & conſiderare cum bona voluntate, vt reddantur pro eo decem talenta ad voluntatem meam bene ponderata. Primum talentum eſt viſus hominis modeſtus, vt homo cogitet quantũ diſtat inter corporalem viſum, & ſpiritualẽ. Quæ vtilitas in pulchritudine, & viſu corporali, quæ honeſtas in pulchritudine, & honore Angelorum, & virtutum cæleſtium, qui vincunt ſplendore omnia cæli ſidera. Quæ dulcedo, & quale animi gaudium in mandatis Dei, & eius honore. Hoc talentum ſcilicet corporalis viſus, & ſpiritualis, quod eſt in mandatis Dei, & pudicitia, non equa lance appendi debent. Sed ſpiritualis viſus corporali præponderet, & plus in ſtatera appendat. Quia ad animæ vtilitatem, & cor-

4 poris neceſſitatem aperiendi ſunt oculi, ad inania vero, & ſcurrilia ſunt claudendi. Secundum talentum eſt auditus bonus. Conſideret ergo homo ad quid valent verba ſcurrilia, ad quid inepta, & riſoria, recte non ſunt niſi vanitas, & aer quaſi pertranſiens. Ergo audire debet laudes Dei, & cantica eius, audire debet facta, & dicta ſanctorum meorum. Audire debet neceſſaria animæ, &

corpo-

corporis in bono ædificatoria. Iſte auditus
plus appendet in ſtatera, quam auditus ſcur
rilium. Iſte bonus auditus cum alio appen-
ſus in ſtatera, totum pondus contineat; a-
lius vero quaſi vacuus aſcendens euane-
ſcat. Tertium talentum eſt talentum o-
ris: appendat enim homo in ſtatera con-
ſcientiæ ſuæ verba ædificatoria, & modeſta,
quantum ſint vtilia, & honeſta. Attendat
etiam verba vana, & otioſa quantum ſint no
ciua, & inutilia, & dimittat verba vana, & di
ligat bona. Quartum talentum eſt guſtus.
Quid enim eſt guſtus mundi niſi miſeria?
In principio ingreſſionis labor, in progreſſu
dolor, & amaritudo in fine. Ergo appen-
dat homo diligenter ſpiritualem guſtum
cum temporali, & ſpiritualis temporali gu-
ſtui præponderet, qui ſpiritualis guſtus nũ-
quam terminatur, nunquam tædio habetur,
nunquam minuitur. Hic guſtus incipit in
præſenti in refrænatione voluptatis, & mo-
deſta diſpoſitione vitæ ſuæ, & durat ſine fine
in cælis in fruitione, & dulcedine Dei.
Quintum talentum, eſt talentum tactus,
appendat enim homo quantam ſollicitu-
dinem, & miſeriam ſentit ex corpore,
quantam inquietudinem à mundo, quantã
contrarietatem à proximo, & vbique ſentit
miſeriam. Appendat etiam qualis requies
eſt animæ, & animi bene diſciplinati, quan-
ta dulcedo non ſollicitari in ſuperuacuis, &
tunc vbique ſentiet conſolationem. Qui
ergo bene ponderare voluerit apponat ad
ſtateram tactum ſpiritualem, & corporalẽ,
& ſic appendat, vt ſpiritualis plus appen-
dat, & ponderet, quam corporalis. Hic ta-
ctus ſpiritualis, incipit, & progreditur in pa
tientia contrariarum rerum. In perſeue-
rantia mandatorum Dei, & durat æternali-
ter in gaudio, & pace quietiſſima. Qui au-
tem plus appendit corporalem requiem, &
tactum mundi, & eius gaudij, quam æterni,
non eſt dignus tangere aurum meum, nec
frui lætitia mea. Sextum talentum eſt opus
hominis. Appendat homo diligenter in cõ-
ſcientia ſua ſpirituale opus, & corporale;
illud ducit ad cæleſtia, & iſtud ad mundum.
Illud ad æternam vitam ſine ſupplicio, iſtud
vero ad tribulationem magnam cum ſuppli
cio. Sed qui aurum meum deſiderat, appen
dat plus ſpirituale opus, quod eſt in dile-
ctione mea, & ad honorem meum, quam
corporale opus, quia ſpiritualia manent;
corporalia autem opera caſura ſunt. Septi
mum talentum eſt diſpoſitio temporis. A-
liud tempus accepit homo ad ſolam ſpiritua
lium rerum vacationem, aliud ad corporis
neceſſitatem, ſine qua non poteſt eſſe, quod
& inter ſpiritualia, ſi rationabiliter ſit repu
tatur. Aliud ad corporalis vtilitatis exer-
citationem, & quia homo rationem tempo-
ris ſui, ſicut & operum redditurus eſt, ideo
tempori corporalis laboris ſpirituale tem-
pus præponderet, & ſic diſponatur tempus,
vt ſpiritualia plus reputentur, quam tempo
ralia, & nullum tempus ſine diſcuſſione, &
equa iuſtitiæ libratione pertranſire permit-
tatur. Octauum talentum eſt equa diſpen-
ſatio temporalium bonorum conceſſorum,
vt qui diues eſt, inquantum facultas ſe ex-
tendit cum charitate diuina pauperibus tri
buat. Sed potes quærere quid debet dare
pauper, qui nihil habet? Vtique habeat vo
luntatem, & conſideret ſic ſecum, ſi haberẽ
aliquid libens largiter darem, hæc enim vo-
luntas reputatur ei pro opere. Si autem ta-
lis fuerit voluntas pauperis, quod libenter
haberet temporalia ſicut, & cæteri non ta-
men vellet dare pauperibus niſi modicum,
& abiectiora, talis voluntas reputatur ei
pro modico opere. Ergo homo diues, qui
habet bona, faciat opera cum charitate, qui
vero non habet habeat voluntatem dandi, &
proderit ei. Qui autem plus appendit tem
porale, quam ſpirituale, qui vnum denariũ
dant mihi, & centum mundo, & ſibi mille,
non eque menſurat, & talis menſurator indi
gnus eſt habere aurum meum. Quia ego,
qui omnia dedi, & omnia poſſum auferre,
3 digniori parte dignus ſum. 3 Temporalia
autem ad vtilitatem hominis, & neceſſitatẽ
creata ſunt, non ad ſuperfluitatem. Nonũ
talentum eſt, diligens conſideratio tempo-
ris ſui, tranſacti, & præteriti. Conſideret
enim homo facta ſua qualia fuerint, & quan
ta, & quomodo emendata, & quam digne.
attendat etiam ne forte opera bona minora
fuerunt, quam mala, quod ſi inuenerit mala
ſua maiora quam bona, aſſumat ſibi volun-
tatem perfectam emendandi, & contritionẽ
veram de commiſſis. Et ſi fuerit hæc vera,
& firma, plus ponderabit coram Deo, quam
omnia peccata ſua. Decimum talentum eſt
conſideratio, & diſpoſitio temporis ſui futu
ri. Si homo talem habet intentionem, quod
nihil vult diligere niſi quæ Dei ſunt. Nihil
deſiderare, niſi quæ placere nouerit Deo om
nem tribulationem libenter, & patienter
amplecti etiam inferni pœnas, ſi Deus habe
ret inde conſolationem, & ſi ſic eſſet volon- 1
tas Dei ferre. Hoc talentum omnia exce-
4 var. lect. dit, 4 per hoc talentum omnia venientia
facile vitantur. Quicunque ergo hæc decẽ
talenta dederit ipſe habebit aurum meum.
Sed eos, qui aurum meum deferunt, tripli-
citer ſicut dixi vult impedire inimicus. Pri-
mo vult facere eos deſidioſos. Alia enim eſt
deſidia corporalis, & alia ſpiritualis. Corpo
ralis eſt, quando corpus attediatur ad labo
randum, ad ſurgendum, & huiuſmodi. Spi-
ritua-

ritualis deſidia eſt, quando homo ſpiritualis
ſentiens ſpiritus mei dulcedinem, & gratiã
magis vult in illa dulcedine quieſcere ſolus
quam ad alios egredi, & alios ſecum iuua-
re, vt & illi de dulcedine ſua participarent.
Nunquid non Petrus, & Paulus habuerunt
dulcedinem copioſam ſpiritus mei? Qui, ſi
mihi fuiſſet acceptabile, magis cum dulce-
dine interna, quam habuerunt in profundiſ-
ſimo loco terræ iacuiſſent abſconditi, quam
exiſſent in mundum. Attamen vt alij fie-
rent participes dulcedinis eorum, & alios
ſecum ædificare poſſent, magis elegerunt
egredi ad aliorum profectum, & maiorem
eorum gloriam, quam ſoli eſſe, & nullos de
gratia eis data confortare. Sic etiam ami-
ci mei nunc, quamuis libenter ſoli vellent
eſſe, & lætari de dulcedine quam habent,
attamen egredi debent, vt & alij participes
fiant gaudij eorum. Sicut enim temporali-
bus aliquibus abundans non vtitur eis ſo-
lus, ſed committit alijs, ſic etiam verba, &
gratia mea non occultari debent, ſed dif-
5 fundi in alios, vt & ipſi ædificentur. 5 Tri-
bus enim generibus hominum amici mei
ſuccurrere poſſunt. Primo damnatis. Secun
do peccatoribus, ſcilicet, cadentibus in pec
cata, & reſurgentibus. Tertio bonis ſtanti-
bus. Sed potes quærere, quomodo quis po-
teſt ſuccurrere damnatis, cum indigni ſint
gratia, & impoſſibile eſt eis redire ad gra-
tiam? Ad quod ego volo reſpondere tibi
per exemplum. Sicut enim ſi in profundiſſi-
mum aliquod præcipitium eſſent infinitæ
foſſæ, per quas qui in profundum caderet
neceſſe eſſet vt deſcenderet. Si aliquis autẽ
obſtrueret aliquam illarum foſſarum, non
tam profunde propter obſtructionem deſcẽ
deret, ſicut aliter ſi nulla foſſa eſſet obſtru-
cta, ſic etiam in damnatis eſt. Quamuis .n.
ex iuſtitia mea, & malitia eorum indurata,
præfinito tempore, & præſcito damnandi
ſunt, leuius tamen ſupplicium fieret eis ſi
per aliquem à malis aliquibus refrænaren-
tur, & incitarentur ad aliquod bonum. Ecce
quam miſericors ſum etiam in damnatos,
6 6 quibus & ſi miſericordia diceret parcere,
var. iuſtitia tamen, & eorum malitia contradi-
lect. cit. Secundo poſſunt ſuccurrere cadentibus
& reſurgentibus, ſi docent eos quomodo re-
ſurgant, præcautos contra caſum faciunt,
inſtruunt quomodo proficiant, & cupidita-
7 tibus ſuis reſiſtant. 7 Tertio poſſunt profi-
cere iuſtis, & perfectis. Nunquid & ipſi ca-
dunt? Vtique, ſed ad maiorem eorum glo-
riam, & diaboli confuſionem. Sicut enim mi
les in bello leuiter percuſſus, amplius ex
percuſſione excitatur, & ad bellum fortius
exacuitur. Sic electi mei ex tentatione dia
bolicæ aduerſitatis, amplius excitantur ad
ad ſpiritualem laborem, & humilitatem, &
eo ſecuritius proficiunt ad coronam gloriæ
acquirendam. Ergo verba mea ab amicis
meis non occultentur, quia audita gratia
mea amplius ad deuotionem meam poſſunt
excitari. De ſecundo, ſcilicet, quod inimi-
cus meus laborat, vt aurum meum videatur
lutum per aliquam infidelitatem. Ideo cum
transcribuntur aliqua, adducat ſcriptor in
teſtimonium duos fideles, vel vnum probatæ
conſcientiæ, & examinato ab eo, quod ſcri-
ptum eſt, tranſmittat ad quos velit. Ne for-
te ſi abſque teſtimonio in manus inimicorũ
venerit, addatur eis aliquid falſitatis, ex
quo verba veritatis apud ſimplices poſſint
denigrari. De tertio, ſcilicet, quod inimicus
meus ponit in os amicorum ſuorum, vt re-
ſiſtatur auro meo. Ideo dicant amici mei
contradicentibus iſta verba. In auro ver-
borum oſtenſorum non ſunt niſi quaſi tria
verba. Docent enim timere recte, diligere
pie, deſiderare cæleſtia ſapienter. Probate
verba, & videte, & ſi aliter inueneritis con-
tradicite.

NOTAE.

1 OMnia quæcunq. ſunt, & fuerunt, & fu
tura ſunt, omnia in præſcientia mea
ſunt, nam non minus vermis, & non minimũ
granum ſine me eſt.

*Hoc loco duo nobis potiſſimum indicantur, pri-
mo quidem omia præſentia, præterita, & futura cõ-
tineri ſub diuina præſcientia, & eſſe Deo nota, cum
enim Deus ſe ipſum perfecte cognoſcat, neceſſe
eſt etiam quod ſuam virtutem, & quouſque
ipſa ſe extendat agnoſcat, neque dubitari poteſt,
quod ad hæc tria diuina virtus minime pertingat,
Vnde Geneſis 1. ſcribitur, vidit Deus cuncta, quæ
fecerat, & ad Hebræos 4. omnia nuda, & aperta
ſunt oculis eius, & Roman. 4. vocat ea, quæ non
ſunt tanquam ea, quæ ſunt. & Eccleſiaſtici 23. le-
gimus eum lucidiores habere oculos ſole, & hoc,
quia cuncta intuetur, vnde D. Auguſtinus in enar-
rat. pſal. 49. Explicans ea verba, & pulchritudo
agri mecum eſt, ideo inquit, mecum eſt qui apud
Deum nihil præteriit, nihil futurum eſt, idem pro-
bat D. Ambroſius lib. quinto de fide cap. 8. & D.
Thomas 1. p. quæſt. 14. art. 5. Magiſter cum ſcho-
la, in primo ſententiarum, diſtinct. 35. quoniam
autem, ut tradidit D. Auguſt. 15. de Trinit. c. 13.
circa medium, Deus hac ſcientia cuncta produxit
quia inquit, non ideo nouit creaturas, quia ſunt,
ſed ideo ſunt, quia nouit, quod etiam ſatis aperte
deduci poteſt ex verbis Pſalmi 103. Omnia
in ſapientia feciſti, propterea poſtquam hoc loco di-
ctum eſt, quod Deus cuncta prænouit, ſubditur,
& non minus vermis, nec minimum granum ſine
me eſt.*

Primo

2 Primo vt non committant talentum meum illis, qui non habent lucidos, & claros oculos.

Hoc loco satis proficua verbi Dei concionatoribus doctrina traditur. Primo quidem tres conditiones exiguntur ab eis nimirum, quod charitatem in primis habeant. Secundo conscientiam bonam, postremo optimam intentionem, & quidem hæc tria illis esse omnino necessaria manifestissimum est, quandoquidem concionatores nullatenus poterunt alios diuino amore inflammare, si ipsi fuerint eiusdem amoris ardore destituti, nec alios illuminare, si lumine fuerint orbati, nec aliorum vitia extirpare, si iisdem fuerint referti, neque enim extincta lucerna aliam poterit vnquam accendere. & ideo tertio Regum cap. 7. & 2. Paralipomenon 4. legimus forcipes, quæ in templo Salomonis ad emungendas lampades seruabantur ex auro fuisse purissimo, vt eorum puritas significaretur, per quam populorum mundities purgare tenebantur: ideo optime illos admonet Diuus Gregorius Nazianzenus in Apologetico, mundari prius oportet, & sic alios mundare sapientem prius fieri, & sic alios facere sapientes, lumen fieri, sic alios illuminare, & Orig. libro decimo comment. in Epistola ad Romanos cap. 16. sicut inquit Pontifices cum offerebant, necessario eis erat prouidendum, ne macula inesset hostiæ, vt posset esse accepta Deo, & grata, ita & qui Euangelium sanctificat, & verbum Dei annunciat, curare omnino debet, nec qua in prædicando macula, ne quod in dicendo vitium, ne qua in magisterio culpa nascatur, sed si fieri potest semetipsum primo immolet, se primum vitiis iugulet, seque primo mortificet, sed latius explicat Diuus Gregorius tertio libro moralium cap. 5. qui concionatores gallo similes facit, gallus inquit cum edere cantus parat, prius alas solerter excutit, & semetipsum feriens vigilantiorem reddit, ita prædicatores cum verba prædicationis assumunt, prius se in sanctis actionibus exerceant, & paulo infra antequam verba exortationis proferunt omne, quod loquuti sunt operibus clament, idem habet in pastorali tertia parte cap. 26 Diuus Hieronymus in Epistola ad Neoptianum, & in Ezechiel. libro primo. Diuus Augustinus de doctrina Christiana, annotauit etiam multa, Lodulphus de vita Christi 2. p. cap. 29.

3 Temporalia autem ad vtilitatem hominis, & necessitatem creata sunt, non ad superfluitatem.

Cum vltra, quam vsus postulat, & ratio proprii cōmodi honeste exigit diuitias homo congerit certe non ad finem, ob quē hæ factæ sunt, & homini traditæ, illis vtitur: noli igitur, inquit D. Chrisost. Homilia 14. de Auaritia plus concupiscere, quam exigit necessitas, ne totum amittas, noli quæ superant vsum congregare, ne perdas etiam necessaria, noli præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus vniuersis exuaris, atque huius sententiæ Diui Chrisostomi ratio esse potest, quoniam sæpe Deus permittit quempiam sua bona perdere, quæ cum suo statui superflua sint deberet pauperibus erogare, marcescet namque scribit D. Iacob. in sua canonica cap. 1. Diues in itineribus suis, Putei enim qui exhauriuntur melius fluunt, quibus si suas aquas relinquas intactas, fœtorem contrahunt, ita diuitiarum quies inutilis, motus vero vtilis est, & fructuosus, sic Basilius Homilia in ditescentes, & Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum.

4 Per hoc talentum omnia venientia facile vitantur.

Sic habent omnes impressi codices, sed Farnesianus M. S. addit omnia venientia facile vitantur. & difficilia facilia reputantur.

5 Tribus enim generibus hominum amici mei succurrere possunt.

Hic de concionatoribus sermo fit, qui si optime, vt par est prædicationis officio fungerentur tribus generibus hominum prodesse poterit, vt scribitur hic, Primo quidem damnatis. Secundo cadentibus, & resurgentibus, postremo vero iustis, & quidem dubitare merito quispiam poterit, quomodo iuuare damnatos queant, cum iam extra statum merendi, ac demerendi positi sint, sed hoc intelligendum necessario est, de his, qui in via adhuc sunt, quique præsciti, ac reprobi sunt, quibus tunc prædicatores opem ferant, quando eos acriter reprehendentes causa sunt, ne quotidie peccatis peccata addentes, ac maiora vitia committentes grauioris quoque pœnæ fiunt rei, & ideo paulo infra legimus, quamuis enim ex iustitia mea, & malitia eorum indurato, præfinito tempore, & præscito damnandi sint, leuius tamen supplicium fieret eis, si per aliquem a malis aliquibus refrenarentur.

6 *Et aliquanto post, vbi in impressis codicibus legitur.* Quibus si misericordia diceret parcere, iustitia tamen, & eorum malitia contradicit.

var. lect.

Farnesianus M. S. Quibus si misericordia deberes parcere, vel si misericordia diceres parce.

7 Tertio possunt proficere iustis, & perfectis, numquid & ipsi cadunt, vtique, sed ad maiorem eorum gloriam, & diaboli confusionem.

Deus Optimus Maximus permittit aliquando iustos cadere, vt fortius resurgentes, ac subinde diuino seruitio se strictius mancipantes maiorem sibi postea gloriæ coronam comparent, sæpe enim contingit, vt quo se grauius peccasse perpendunt, eo humiliores, & feruentiores reddantur, & inde fit, vt postea præ cæteris a Deo vnice diligantur, vnde D. Gregorius Homilia 34. in Euangelia paulo post initium affirmat Ducem in prælio eum militem magis diligere, qui post fugam conuersus fortius hostem premit, & in hoc sēsu scribitur Lucæ 15. quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia, licet enim innocentia cæteris paribus præstantior sit, ac maiori di-

lectione

ſolitione dignior, dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitente, quam de innocente, quoniam ipſi plerumque, vt inde minus ſuperbi, ferventiores; humiliores, & cautiores reſurgunt, aut etiam, vt ait Gloſſ. in Lucam loco citato, quia ſpecialem rationem habet Deus gaudendi de reductione errantium, quam non habet de non errantibus, atque ita verum eſt quod legimus interdum iuſtos aliquando, vt maiorem deinde gloriam caderent; quod etiam admonet D. Tho. 3. p. q. 89. art. 3. ad 4. D. Dyoniſius Carthuſianus in Epiſt. ad Rom. cap. 8. ad ea verba diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Cornelius Ianſenius in concordantia Euangelica cap. 59. vbi explicat citatum locum Lucæ 15. & ſuper Ezechielem cap. 33. & habetur etiam hoc eodem lib. cap. 2.

VERBA CHRISTI AD ſponſam, de via paradiſi in ſui aduentu aperta, & de ardenti eius charitate nobis oſtenſa multas paſſiones a ſui natiuitate vſque ad mortem pro nobis ſuſtinendo, & qualiter nunc via inferni eſt lata, & via paradiſi ſtricta.

CAP. XV.

1 var. lect. MIRARIS quare talia loquor, & tanta oſtendi tibi. Nunquid propter te ſolam? Non vtique, ſed propter aliorum eruditionem, & ſalutem, nam mundus erat quaſi quædã ſolitudo, in qua non erat niſi vna via, quæ
2 deducebat ad maximum abyſſum. 2 In abyſſo autem duo erant receptacula, vnum erat, ſic profundum, quod nullum habebat ſub ſe fundum, in quod qui deſcenderunt nunquã
3 aſcenderunt. 3 Secundum vero non erat, ſic profundum, vt primum, nec ita horribile, ſed quicumque deſcenderunt in ipſum, ſperabant ſibi auxilium, deſiderium, & dilationẽ quandam habebant non miſeriam, tenebras experiebantur non pœnas. Iſti autem qui habitabant in iſto ſecundo receptaculo, clamabant quotidie ad quandam ciuitatem optimam prope iacentem, quæ plena erat omnibus bonis, & delectationibus. Clamabant autem valenter, quia ſciebant viam ad ciuitatem, quam irent. Sed ſolitudo, & ſilua ſic arcta, & denſa erat, quod præ denſitate nec tranſmigrare, nec incedere valebant, ſed nec fortitudinem ad præparãdam viam habebant. Sed quod clamabat, Vere clamabant ſic: O Deus veni, & da auxilium, monſtra viam & illumina nos, qui expectamus te. In alio enim non eſt ſalus nobis niſi in te. Iſte clamor aſcendebat in cælum ad aures meas; iſte me traxit ad miſericordiã.
4 4 Ego autem mitigatus clamore tanto, veni in ſolitudinem ſicut peregrinus. Sed antequam incederem, & laborare inciperem vox ante me ſonuit, quæ dixit, ſecuris iam poſita eſt ad arborem. Quæ fuit vox iſta niſi Ioannes Baptiſta, qui ante me in heremo miſſus
5 clamabat. 5 Securis ad arborem poſita eſt, quaſi diceret: Homo iam paratus ſit, quia iam ſecuris parata eſt, & venit ille quaſi præparando viam ad ciuitatem, & extirpabat omnia obſtacula. Ego autem veniens ab ortu ſolis vſque ad occaſum laboraui, ideſt, ab incarnatione mea, vſque ad mortem crucis, operatus ſum ſalutem hominis, fugiens in principio ingreſſionis in ſolitudinem iſtam, propter inimicos meos, ſcilicet Herodem, perſequentem; tentatus a diabolo fui, & perſecutiones paſſus ab hominibus. Deinde labores multiplices paſſus, comedebam, & bibebam; & alias naturæ neceſſitates expleui abſque peccato, ad fidei inſtructionem, & veræ naturæ aſſumptæ oſtenſionem. Deinde viam ad ciuitatem, ſcilicet cæleſtem præpa-
6 rans, & contraria ſuborta extirpans. 6 Aculei, & ſpinæ acutiſſime pupugerunt latus
var. lect. meum, & acerbi claui vulnerauerunt manus & pedes meos. Dentes mei, & genæ meæ male contractæ ſunt. Ego autem patienter ſuſferens non retroceſſi, ſed eo feruentius proceſſi tanquam animal, quod inedia confectum, cum conſpicit hominem lanceam contra ſe tendentem, irruit in lanceam propter deſiderium viri, & quo plus homo lanceam in viſcera animalis intruſerit, tanto plus animal propter deſiderium hominis, ſeipſum e contra intrudit in lanceam, donec viſcera, & totum corpus perfodiuntur. Sic ego tanta charitate arſi ad animam, quod cum viderem omnia acerbiſſima tormenta, & experirer, quo magis homo voluntarius fuit ad occidendum me, tanto plus ardentior eram ad patiendum propter ſalutem animarum. Sic igitur ego in ſolitudine iſta mundi, in labore, & miſeria proceſſi, & præparaui viam in ſanguine, & ſudore meo. Qui quidem mundus bene ſolitudo dici poteſt, quia ab eo omnis virtus deficiebat, & ſolitudo vitiorum remanebat, in quo non erat niſi vna via, per quam omnes ad infernum deſcendebant, ſed damnati ad damnationem, boni autem ad tenebras ſolas. Longũ igitur futuræ ſaluationis deſiderium miſericorditer audiens, veni ſicut peregrinus ad laborandum, & incognitus ſecundum potentiam, & deitatem meam, præparaui viam, quę ducit

ad cælum. Hanc viam amici mei videntes, & difficultates laboris mei, & alacritatem animi conſiderantes, gaudentes ſecuti ſunt multi, & multo tempore. Sed nunc vox immutata eſt, quę clamabat eſtote parati. Via mea immutata eſt, & ſuccreuerunt iterum fructeta, & ſpineta, ceſſaueruntque incedentes per eam. Via autem inferni aperta eſt, & lata, & tranſeunt per eam plurimi. Attamē via mea ne eſſet omnino oblita, & neglecta, pauci amici mei præ deſiderio cæleſtis patriæ, tranſeunt adhuc per eam, quaſi aues tranſmigrantes de rubo in rubum, & quaſi occulte, & præ timore ſeruientes; quia per viam mundi tranſire omnibus iam videtur felicitas, & gaudium. Propterea quia via mea facta eſt arcta, & via mundi lata, clamo, nunc in ſolitudine, id eſt, in mundo ad amicos meos, vt à via, quæ ducit ad cælum extirpent ſpinas, & tribulos, & proponent viam
2 meam incedentibus. Nam ſicut ſcriptum eſt. Beati illi ſunt, qui non viderunt me, & crediderunt. Similiter felices ſunt illi, qui nunc credunt verbis meis, & opere ea complent. Ego quippe ſum ſicut mater occurrens filio ſuo erranti, quæ in manu porrigit ei lumen, vt videat iter, obuiamque præ amore in via breuiando viam eius, & appropin-
3 quans amplectitur eum, & gratulatur. Sic ego omnibus reuertentibus ad me, & amicis meis occurram cum charitate, & illuminabo cor, & animam eorum ad diuinam ſapientiam: Amplecti eos volo cum omni gloria, & cæleſti curia, vbi non eſt cælum ſuperius, vel terra inferius, ſed Dei viſio, vbi non eſt cibus, & potus, ſed diuina delectatio. Malis autem aperitur via ad infernum, in quem ingredientes nunquam aſcendent, carebunt enim gloria, & lætitia, & implebuntur miſeria, & opprobrio ſempiterno. Ideo loquor verba iſta, & oſtendo charitatem meam, vt reuertantur ad me, qui auerſi ſunt, & recognoſcant me Creatorem ſuum, quem obliti ſunt.

NOTAE.

1 var. lect. *IN principio præſentis Capitis, vbi impreſſa hactenus exemplaria habent*, Miraris quare talia loquor, & tanta oſtendi tibi nunquid propter te ſolam non vtique, ſed propter aliorum eruditionem.

Farneſianus Codex M.S. addit, Et ædificationē.

2 In abyſſo duo erant receptacula.

Hæc duo receptacula ſunt infernus, & limbus Patrum, de quibus in præſenti capite ſermo fit. & de primo receptaculo ſcribitur hic, quod qui deſcenderunt, nunquam aſcenderunt, quia qui ſemel damnati ſunt, & ad inferos detruſi, nunquam exibunt, & perpetuas ibi luent pœnas, ſecundū illud Matth. 25. hi vero ibunt in ſupplicium æternum, dicitur autem infernus ſecundū D. Iſidor. lib. 14. Ethimol. cap. 9. quia infra nos eſt. Secundum autem receptaculū limbus eſt, vbi ſancti Patres ante Christi Domini paſſionem detinebantur, à quo per deſcenſum Chriſti liberati ſunt, vt admonuit D. Baſil. in Pſ. 48. explicans ea verba. Veruntamen Deus redimet animā meam de manu inferi, vbi nomen inferni ſumitur pro limbo, vt etiam alibi ſæpe in ſacris litteris, & annotauit D. Greg. libro 12. Moral. c. 6. vbi diſtinguit duo iſta loca, ſed eſſe inquit ſuperiora inferni loca, alia inferiora credenda ſunt, vt & in ſuperioribus iuſti requieſcerent, & in inferioribus iniuſti cruciarentur, ſed & videndus eſt D. Aug. Epiſt. 99. ad Euodium, vbi latè explicat locum illū 1. Petri cap. 3. in quo & eis qui in carcere erant ſpiritibus prædicauit plura etiam tradiderunt Iuſtinus Martyr, in Dialo. cum Triphone Chryſoſt. ho. de Lazaro, & diuite, & alios quos citauimus lib. 1. Reuel. cap. 15. & lib. 4. cap. 41. & 4.

2 Secundum vero non erat ſic profundum, vt primum, nec ita horribile, ſed quicunque deſcendebant in ipſum ſperabant ſibi auxilium, deſiderium, & dilationem.

Hoc loco de ſecundo receptaculo ſermo fit, quod non eſſe ita horribile dicitur quia Patres exiſtentes in limbo ſolam damni pœnam, quæ in priuatione diuinæ viſionis conſiſtit patiebantur, non vero ſenſus, & hoc eſt, quod paulo poſt medium huius capitis legimus, quod boni ad tenebras ſolas deſcendebant, damnati vero ad damnationem. illud autē, quod ſequitur, ſcilicet quod auxilium, deſiderium, & dilationem quandam habebant corrigendum cum M. S. Farneſiano delectationē non dilationem, quæ in eo poſita erat, quod proculdubio ſibi perſuadebant ſtatuiſſe, vt aliquando Chriſtus Dominus carnem humanam aſſumeret, & ad limbum deſcendens eos educeret, ſecumque ad regnum cælorum traheret, vnde legimus hic, Patres his verbis, Chriſtum inuitaſſe, O Deus veni, & da auxilium, monſtra viam, illumina nos, qui expectamus te, in alio enim non eſt ſalus nobis niſi in te. Hinc D. Bernar. ſer. 2. in Cantica noſtri temporis Chriſtianos acriter reprehendit, quod in diligendo Deum eiuſque auxilium implorando, non ita ſint ferueates, vt patres veteris legis extiterant, deſiderium inquit, ſuſpirantium Chriſti præſentiam frequentiſſime recogitans compungor, & confundor in me metipſo, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet temporis, torporiſque miſerabilium temporum horum, cui namque noſtrum tantum ingerat gaudium huius gratiæ exhibitio, quantum accenderat veteres, deſiderata ſola promiſſio.

4 Ego autem mitigatus clamore tanto veni in ſolitudinem, ſicut Peregrinus.

Verba præſentis notæ nobis anſam præbent, vt hoc loco quæramus, an vere Patres veteris teſtamenti, de congruo meruerint incarnationis prædeſtinationem, aut ſaltem eius accellerationem, ſed quoniam noſtrum non eſt hic adamuſim quæſtiones examinare, vt ſcholaſtici Doctores facere conſueuerunt,

ſerunt, ideo ſat erit ad eorum cognitionem, quæ in præſenti capite traduntur breuiter ſcire, quod cum legimus hic, Chriſtum veniſſe in mundum clamore patrum mitigatum, non eſſe intelligendum, quod ipſimet Patres ſimpliciter meruerint de congruo incarnationis prædeſtinationem, quoniam omne meritum eorum fundabatur in fide Chriſti venturi, ergo ipſum venturum, & iam prædeſtinatum ad veniendum ſupponebant, tum quia incarnationis prædeſtinatio eſt prior omni gratia, & bono motu antiquorum Patrum, & eſt radix eius: ergo non poteſt eſſe ex illorum meritis, & hæc eſt communis doctrina Scholaſticorum, & præcipue D. Tho. 3. p. q. 2. art. 11. Dicendum ergo eſt, Patres veteris teſtamenti potuiſſe mereri de congruo aliquas circumſtantias incarnationis. Primo, vt Chriſtus ex ſuo genere naſceretur, quod videtur ſatis aperte ex ſacris litteris, ac etiam ſanctis Patribus colligi poſſe, & quidem de Abraham Gen. 2. ſcribitur. Quia feciſti rem hanc benedicam, &c. quo loco id docent Orig. Chryſoſt. & D. Ambr. & ex illo etiam Io. 8. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem ſuum, vidit & gauiſus eſt, ex quibus verbis id deducit Irenæus lib. 4. cap. 13. & 14. D. Aug. 16. de Trin. cap. 12. D. Greg lib. 1. in 1. Reg. cap 9. denique colligitur etiam ex D. Paulo ad Galat. 2. & 3. An autem ipſi quoque huius myſterij accelerationem de congruo mereri potuerint, videtur poſſe deduci ex his verbis, Ego mitigatus clamore tanto veni, ſed clarius infra paulo poſt medium, hoc eodem cap. vbi legitur, Longum igitur futuræ ſaluationis deſiderium miſericorditer audiens, veni; quod etiam plures ex Doctoribus affirmarunt, ſic Alex. Alenſis 3. p. q. 8. membr. 3. art. 2. Marſilius q. 5. art. 2. Concluſ. 8. art. 3. dubio 1. Bonauent. in 3. d. 4. art. 2. q. 2. Gabr. d. 3. dub. 5. Ricard. art. 3. q. 1. Almainus q. 1. dubio 3. Cæterum ad huius rei intelligentiam notandum eſt, cum dicimus Patres potuiſſe mereri accelerationem Incarnationis non eſſe inde deducendum, quod diuinum decretum fuerit immutatū; non enim Deus mutabilis eſt vt Malac. 3. ſcribitur, ſed ſenſus eſt, ita Deum huius myſterij exequutionē in ſua prædeſtinatione diſpoſuiſſe, vt voluerit, ſic homines præparari, & diſponi ad huiuſmodi ſuſcipiendum beneficium, vt per eam diſpoſitionem de congruo mererentur, ne illud amplius differretur: quod egregie animaduertit Franciſcus Suarez in 3. p. S. Thomæ q. 2. diſput. 10. ſect. 6. & ad hunc ſenſum reuocanda ſunt verba huius notæ, ac etiam intelligenda, quæ Pſ. 11. ſcripſit David, Propter miſeriā inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, & Pſal. 78. Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, & Iſaiæ 51. Cito veniet ſalus tua, & Daniel. 9. ſeptuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſunt, quibus locis particula (cito) & particula (nunc) accellerationem temporis indicant.

5 Securis ad arborem poſita eſt.

Sic quoque legimus Mat. 3. & Lucæ 3. per hanc autem ſecurim Chriſtū Dominum ſignificari tradit D. Greg. ho. 20. explicans hunc textū D. Lucæ. Securis, inquit, eſt Redēptor noſter, qui velut ex manubrio, & ferro tenetur ex humanitate, ſed incidit ex diuinitate. quæ videlicet ſecuris, iā ad radicem arboris poſita eſt, quia & ſi per patientiā expectat, videtur autē, quod factura eſt. hactenus D. Greg. atq. in eodē ſenſu ſecuris hoc loco miſtice ſumitur, vt deduci pōt ex illis verbis ibi, iam ſecuris parata eſt, & venit ille præparando viam ad ciuitatem, & extirpabit omnia obſtacula, ſed D. Hilar. ſuper Matth. Can. 2. ſecurim ad arborum radices poſitam affirmat ſignificare Iudæos per infidelitatem eſſe abijciendos, aut etiam iudicium de Iudæorum infidelitate, ita vt per arborem Iudæi intelligantur per ſecurim iudicium diuinum de his habendum, ſic Chryſoſt. & Theophilactus in Matth. loc. cit.

6 Hactenus omnes impreſſi Codices habent. Aculei, & ſpinę acutiſſimę pupugerūt latus meū.

var. lect. Corrige cum Farneſiano M. S. Pupugerunt caput meum.

VERBA CHRISTI AD ſponſam, quare ei magis loquitur, quam alijs ipſa melioribus, & de tribus a Chriſto ſponſæ præceptis, & de tribus prohibitis, & tribus permiſſis, & de tribus conſultis optimum documentum.

CAP. XVI.

MIRANTVR Multi, cur tecum loquor, & non cum
1 alijs, qui meliorem habent vitam, & longiori tempore mihi ſeruierunt. Quibus per exemplum reſpondeo: Eſt Dominus, qui habet plures vineas, & in pluribus terrarum locis, & vniuſcuiuſq. vineæ vinum ſapit de terra illa, in qua plantatū eſt. Cum vero vinum expreſſum fuerit, Dominus vinearum, quandoque bibit de vino mediocri, & leniori, & non de meliori. Quod ſi forte aliquis videntium, & aſtantium dixerit, ſic Domino, cur ſic voluerit facere? Reſpondebit Dominus. Quia hoc vinum magis ſapuit ſibi, & dulcius fuit tūc
2 tēporis, nec ideo Dominus meliora vina effundit, & contemnit, ſed & ea ad honorem, & vtilitatem ſuam tempore congruo reſeruat,
3 vnumquodque ad quod tunc eſt aptum. Sic ego feci tibi. Ego multos habeo amicos, quorum vita dulcior eſt mihi melle, delectabilior omni vino, lucidior in conſpectu meo ſole. Attamen, quia mihi ſic placuit elegi te in ſpiritum meū, non quia tu illis es melior, aut eis cōparanda, vel meritis eorū dignior, ſed quia ſic volui, qui de inſipientibus facio

ſapientes, de peccatoribus iuſtos, nec quia tecum talem gratiam feci, ideo eos contemno. Sed magis eos ad aliam meam vtilitatem, & honorem, prout tunc iuſtitia exiget reſeruabo. Ideo humilia te in omnibus, & non turberis niſi de peccatis tuis. Dilige omnes etiam, qui te odire videntur, & tibi detrahere, quia ipſi maiorem occaſionem dant tibi ad coronam. Tria præcipio non facere. Tria permitto tibi facere. Tria conſulo tibi facere. Primo præcipio tibi tria facere, ſcilicet nil deſiderare, niſi Deum tuũ. Secundo abijcere omnem ſuperbiam, & arrogantiam. Tertio odire in perpetuum carnis luxuriam. Tria mando tibi non facere. Primo non diligere, ſcilicet verba vana, & ſcurrilia. Secundo exceſſum ciborum, & aliarũ rerum ſuperfluitatem. Tertio fugere mundi gaudium, & leuitatem. Tria permitto tibi facere. Primo moderatum ſomnum ad habitudinem bonam. Secundo temperatas vigilias ad corporis exercitationem. Tertio moderatum cibum ad corporis fortitudinem, & ſuſtentationem. Tria conſulo tibi, Primo laborem in ieiunijs, & operibus bonis, quibus promittitur regnum cælorum. Secundo ea quæ habes ad honorem Dei diſponere. Tertio conſulo tibi cogitare duo continuo in corde tuo. Primo, quæ feci pro te, patiendo & moriendo pro te. Hęc cogitatio excitat charitatem ad Deum. Secundo conſidera iuſtitiam meam, & futurum iudicium, hæc incutit timorem in animo. Quartum demũ eſt, quod & præcipio, & mando, & conſulo, & permitto, hoc eſt, obedire, vt teneris. Hoc præcipio, quia Deus tuus ſum. Hoc mando, vt non aliter facias, quia Dominus tuus sũ, hoc permitto tibi, quia ſponſus tuus ſum, hoc conſulo, quia amicus tuus ſum.

VERBA CHRISTI AD ſponſam qualiter deitas, virtus veraciter eſt nuncupanda, & de multiplici ſupplantatione hominis per diabolum inſtigata, & de multiplici remedio in hominis adiutorium per Chriſtum addito, & ſuppleto.

CAP. XVII.

FILIVS Dei loquebatur ad ſponsã dicens. Credis tu firmiter, quod hoc quod presbyter tenet in manibus ſit corpus Dei? Reſpondit illa. Ego credo firmiter, quod ſicut verbum miſſum Mariæ factum eſt in ventre eius caro, & ſanguis; ſic hoc quod nunc video in manibus ſacerdotis credo eſſe verum Deum, & hominem. Cui reſpondit Dominus. Ego sũ, idem qui loquor tecum æternaliter in deitate manens, & in vtero Virginis humanatus, non tamen amittendo deitatem. Deitas mea merito poteſt vocari virtus, quia in ipſa sũt duo, ſcilicet potentia potentiſſima, à qua eſt omnis potentia. Secundo ſapientia ſapientiſſima, de qua, & in qua eſt omnis ſapientia. In ipſa quippe deitate omnia quæcunque ſunt rationabiliter, & ſapienter ordinata ſunt. Nam non eſt vna titella in cælo, quæ non eſt in ea, & per eam conſtituta, & præuiſa. Non eſt vnus athomus in terra, non vna ſcintilla in inferno eſt, quæ eius conſtitutionem
a excedat, & quod ab eius ſe præſcientia ſe poſſit occultare. Nunquid miraris quare dixi vnam titellam in cælo? Denique ſicut titella eſt perfectio verbi gloſſati, ſic Verbum Dei perfectio omnium, & in honore omnium inſtitutum. Quare autem dixi vnum athomum in terra, niſi quia omnia terrena tranſitoria ſunt. Nec tamen illa quantuncunque modica diſpoſitionem, & prouidentiam Dei excedunt. Quare autẽ dixi vnam ſcintillam in inferno, niſi quia in inferno nihil eſt niſi inuidia. Sicut enim ſcintilla procedit ab igne, ſic ab immundis ſpiritibus procedit omnis malitia, & inuidia, vt ſemper ipſi & eorum fautores habeant inuidiam, charitatem vero nullam. Ergo quia in Deo eſt perfecta ſcientia, & potentia, ideo vnumquodq. ſic diſpoſitum eſt, vt potentiæ Dei nihil præualeat, nec irrationabiliter aliquid cauſari poteſt factũ, [1] ſed omnia ratio-
1 var. lect. nabiliter facta ſunt, ſicut vnicuiq. rei cõgruebat. Deitas igitur, quia veraciter virtus nuncupari poteſt, virtutem ſuam maximã oſtendit in creatione Angelorum. Creauit quippe eos ſibi in honorem, & ſibiipſis in delectationem, vt charitatem haberent, & obedientiã. Charitatem qua nihil diligerent niſi Deum, obedientiã quã Deo in omnibus obedirent. Contra hæc duo quidã Angelorũ male errantes, male mouerunt voluntatẽ ſuam. Verterunt quippe voluntatẽ ſuam directe contra Deum, ita quod virtus erat eis odioſa, & ideo quod erat Deo contrarium eis erat charum.
2 [2] Et ex iſto inordinato motu mouerunt caſũ. Non quod deitas eum ipſis creaſſet, ſed quia ipſi ex inordinatione ſcientię ſuę ſibiipſis pro-
3 curauerunt eundem caſum. [3] Cum ergo vidiſſet Deus in exercitu ſuo cæleſti diminutionẽ, ex proprio vitio ipſorum factam, fecit iterum deitas virtutẽ ſuam, nam creauit hominem cum corpore, & anima, eiſdem verò dedit duo bona, ſcilicet libertatẽ faciẽdi bona, & omittendi mala, quia cũ plures Angeli creari non deberent, iuſtum fuit, vt homo

haberet

haberet libertatem aſcendendi ſi vellet, in
dignitatem angelorum. Animæ etiam ho-
minis Deus dedit duo bona, rationem ſcili-
cet diſcernendi contraria à contrarijs, &
meliora ab optimis. Secundo dedit fortitu-
dinem in bono ſtandi. Cunque iſtam chari
tatem Dei ad hominem videret diabolus, co
gitauit ſecũ ex inuidia ſic. Ecce Deus quod-
dam nouum fecit, quod in locum noſtrum
poteſt aſcendere, & pugnando vincere, quod
nos negligenter reliquimus. Si poterimus
illud ſupplantare, & decipere, deficiet à pu-
gna, & tunc ad tantam dignitatem non aſcẽ-
4 det. 4 Deinde excogitato conſilio deceptio-
var. nis deceperunt ex malitia ſua primum ho-
lect. minẽ, & in eum ex iuſtitia permiſſione mea
præualuerunt. Sed quomodo, vel quando vi-
ctus eſt homo? Vtique quando dimiſit vir-
tutem, & fecit prohibitum. Quando magis
delectabat promiſſio ſerpentis, quam obe-
dientia mea. Propter hanc igitur inobedien
tiam non debebat eſſe in cælo, quia contem
pſit Deum, nec etiam in inferno, quia anima
ſuccurrente ratione conſiderabat diligenter
quid fecit, & aſſumpſit ſibi contritionem pro
commiſſo. Propterea virtuoſus Deus conſi-
derans miſeriam hominis, diſpoſuit ei quaſi
vnam cuſtodiam, & locum captiuitatis, vt
in ea homo experiretur infirmitatem ſuam,
& lueret inobedientiam ſuam, donec mere-
retur aſcendere ad dignitatem, quam ami-
ſit. Hoc iterum perpendens diabolus, voluit
interficere animam hominis per ingratitu-
5 dinem. 5 Et immittens ſtercus ſuum in ani-
mam, ſic obumbrabat intellectum eius, quod
nec habebat Dei charitatem, nec timorem.
6 6 Obliuiſcebatur, quippe iuſtitia Dei, & iudi
var. cium eius contemnebatur, & ideo non time
lect. batur, & dabatur obliuioni bonitas Dei, &
donũ eius. Et tũc ideo nõ diligebatur, ſed ſic
obumbrata conſcientia miſerabiliter ſtabãt
homines, & miſerabilius ceciderunt. Quãuis
vero ſic diſpoſitus erat homo, Non tamen ad
7 huc defuit virtus Dei, 7 imo oſtendit miſe-
ricordiam ſuam, & iuſtitiam. Miſericordiã
quando oſtendit hominibus, ſcilicet Adæ, &
alijs bonis, quod tempore definito obtine-
rent auxilium, per quod feruor, & dilectio
ad Deum excitabatur. Oſtendit, & iuſtitiam
ſcilicet in diluuio ſub Noe, per quod timor
Dei in cordibus infundebatur. Poſt hæc autẽ
diabolus non deſtitit adhuc iterum inquie-
tare hominem, ſed duabus malitijs alijs ag-
greſſus eſt eum. Primo immiſit ei perfidiam.
Secundo deſperationem. Perfidiam, ne crede
rent homines verbo Dei, & vt mirabilia eius
fato deputarent. Deſperationem vero, ne
ſperarent ſalutem, & gloriæ amiſſæ adeptio-
nem. Contra hæc duo Deus virtuoſus non
deſtitit alia duo remedia apponere. Nam
contra deſperationem dedit ſpem, nominãs
nomen Abrahæ, & promittens ſe de ſemine
eius naſciturum, qui ad amiſſam hæreditatẽ
reduceret eum, & eius fidei ſequaces. Inſu-
per & inſtituit Prophetas. Quibus modum
redemptionis, & loca, & tempora paſſionis
ſuæ oſtendit. Contra ſecundum, ſcilicet con-
tra perfidiam, loquebatur Deus Moyſi, & o-
8 ſtendit ei legem, & voluntatem ſuam, 8 &
var. verba ſua ſignis, & operibus adimplebat.
lect. His impletis, nec adhuc malitia diaboli de-
ſtitit, ſed hominem ad deteriora ſemper in-
ſtigans, immiſit cordi eius alia duo. Primo,
ſcilicet cogitare legem nimis intolerabilẽ, &
inquietari in eius obſeruatione. Secundo
immiſit ei quod quaſi incredibile videretur,
& nimis difficile ad credendum, quod Deus
ex charitate vellet mori, & ex charitate tri-
bulari. Contra hæc duo Deus iterum alia
duo remedia dedit. Primo, ne homo inquie-
taretur in legis duritia, miſit filium ſuum in
virginis vterum, qui aſſumpta humanitate
compleuit ea quæ legis erãt, & deinde ipſam
legem mitigauit. Contra ſecundum oſtendit
Deus virtutem maximam, nam mortuus eſt
Creator pro creatura, iuſtus pro impijs, tri-
bulatus eſt innocens vſque ad vltimum pun
ctum, ſicut per Prophetas fuit Prophetatũ.
Nec adhuc ceſſauit nequitia diaboli, ſed ere-
xit ſe adhuc contra hominem alia duo im-
mittendo. Primo enim immiſit cordi eius,
vt verba mea haberentur pro deriſione. Se-
cundo, vt opera mea quaſi darentur obliuio
ni. Contra hæc duo, virtus Dei iterum inci-
pit demonſtrare alia duo remedia. Primo, vt
verba mea reducantur in honorem, & opera
mea ad imitationem aſſumantur. Ideo duxit
te Deus in ſpiritum ſuum, & oſtendit per te
voluntatem ſuam in terra amicis ſuis ſpe-
cialiter propter duo. Primo, vt miſericordia
Dei oſtendatur, qua reuocari addiſcant ho-
mines ad memoriam charitatis, & paſſionis
Dei. Secundo vt iuſtitia Dei attendatur, &
ſeueritas iudicij mei timeatur. Propterea
didiciſti, vt quia miſericordia mea iã venit,
proferat eam in lucem, vt diſcant homines
quærere miſericordiam, & de iudicio ſibi
præcauere. Inſuper dic ei, quod licet verba
mea ſcripta ſint, tamen prius annunciari de
bent, & ſic venire in opera. Sicut per exem-
plum intelligere poteris. Cum Moyſes acce-
pturus eſſet legem, præparata erat virga, &
dolatæ tabulæ. Non tamen fecit miracula
cum virga, antequam neceſſitas eſſet, & tem
pus requirebat, veniente vero tempore acce
ptabili, tunc oſtenſa ſunt miracula, & verba
mea operibus declarata. Similiter & venien
te noua lege, primo corpus meum creſcebat
& proficiebat ad ætatem debitam. Deinde
verba audiebantur. Attamen licet verba au-

dicebantur; non tamen habebant in ſe vim, & fortitudinem, antequam venerunt opera. Nec completionem habebant, antequam per paſſionem compleui omnia, quæ de me erant prophetata. Sic etiam nunc eſt. Nã licet verba charitatis meæ ſcripta ſint, & portari debeãt in mundum, non tamen vim habere poterunt antequam in lucem plenariam venerint.

NOTAE.

1 *PAulo poſt initium in impreſſis exemplaribus, vbi legitur.* Sed omnia rationabiliter
var. facta ſunt ſicut vnicuique rei congruebat,
lect. Deitas igitur, quia veraciter virtus nuncupari poteſt.

MS. Farneſianus habet. Sed omnia rationabiliter facta ſunt, ſicut vnicuique rei congruebat, ſcias etiam tu, quod Deitas veraciter virtus nuncupari poteſt.

2 Et ex iſto inordinato motu meruerunt caſum, non quod Deitas cum ipſis creaſſet, ſed quia ipſi ex inordinatione ſcientiæ ſuæ ſibi ipſi procurauerunt eundem caſum.

Ex his verbis palam fit, caſum Angelorum nullo pacto eſſe in Deum retorquendum, ſed in ipſoſmet Angelos, qui intenſius ſuæ naturæ pulchritudinem conſiderantes: exiſtimarunt beatitudinem illis, non ex gratia, ſed ex ſuæ nobilitate naturæ, & a Deo etiam independenter ſibi competere, atque hinc patet huius textus intelligentia: cum enim legimus, & ex iſto inordinato motu, vel vt infra, ex inordinatione ſcientiæ ſuæ procurauerunt ſibi ipſis caſum, intellige motum conuerſionis inordinatum, qui proceſſit ex conſideratione ſuæ excellentiæ, quod illis præbuit anſam delinquendi, ad ea vero verba nimirum (non quod Deitas cum ipſis creaſſet eum) ſubintellige eum motum inordinatum, qui ex libera eorum manauit voluntate, & nullatenus a Deo poterat prouenire, quia non poteſt eſſe cauſa peccati, & mali culpæ, vt teſtatur D. Iacobus in ſua Canonica, cap. 1. Deus enim intentator malorum eſt, & Rom. 9. Paulus Apoſtolus, nunquid iniquitas eſt apud Deum (abſit) ſed de caſu Angelorum, vide ſupra lib. 1. cap. 34. nota 4. & lib. 2. cap. 12. nota 1. & libro 4. cap. 106. nota 1.

3 Cum ergo vidiſſet Deus in exercitu ſuo cæleſti diminutionem ex proprio vitio ipſorum factam, fecit iterum Deitas vitutem ſuam, nam creauit hominem cum corpore, & anima.

Verba huius textus indicare videntur, lapſum Angelorum præbuiſſe cauſam creationi hominum, quod etiam apertius probant ea verba, quæ aliquanto poſt in perſona dæmonum referuntur, nimirum (ecce Deus quoddã nouum fecit, quod in locum noſtrum poteſt aſcendere, & pugnando vincere, quod nos negligenter reliquimus) cæterum ex his verbis dubitare merito quiſquam poterit, an prius fuerint creati Angeli, quã homines, & quidẽ Angelos præceſſiſſe hic ſatis clare colligi poſſe videtur, quod etiam docuit D. Chriſoſt. hom. 21. in Geneſim, & D. Aug. lib de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 2. D. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 12. quam opinionem putat eſſe veram doctiſſimus Bannes in commentarijs ad primam partem S. Thomæ q. 61. art. 3. qui plures pro ea opinione citat, verum ſi loquamur de Angelorum creatione in ordine ad hunc mundum viſibilem, fateri omnino neceſſe eſt eos fuiſſe creatos ſimul cum vniuerſo, & nullatenus præceſſiſſe, ſuoq. creatori coeternos minime extitiſſe, quod quam plures ex ſanctis patribus tradiderunt, vt D. Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 6. & 9. & Epiphanius lib. 1. contra hæreſes hæreſi 65. Theodoretus q. 3. in Geneſim D. Greg. Pont. 32. moral cap. 10. 24. & 25. D. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. fauet etiã D. Eucherius in Geneſim cap 1. & eſt communis opinio omnium fere ſcholaſticorum cum Magiſtro in 2. d. 2. & colligitur etiam ex illo Eccleſiaſt. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. plures etiam alij ſequuntur hanc opinionem, quos citat Lipomanus in catena Gene. ad ea verba, In principio creauit &c. Poſtremo videtur hoc definitum in concilio Lateranenſi Romæ celebratum ſub Innocentio III. & refertur in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi habetur, Creator omnium inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam, ſed quoniam multi magnæ ſanctitatis, ac nominis viri contrariam ſententiam ſequuti ſunt, quos referunt Dominicus Bannes vbi ſupra, & Sixtus Senenſis in ſua Bibliateca, lib. quinto, annotatione quinta ideo dicendum videtur, opinionem aſſerentium Angelos fuiſſe creatos ante hunc mundum viſibilem, non eſſe cenſendam contra fidem, quicquid dixerit Ferarienſis 2. contra gentes cap. 83. & hoc tradit D. Aug. 11. de Ciuitate cap. 32. nefas enim eſſet dicere, tot ſanctos Patres, qui eam ſequuntur tã turpiter in fide erraſſe, & idcirco ad locũ concil. Lateranen. reſpõdendũ eſt cũ Caietano ſuper 1. p S. Thomæ art. 3. q. 61. quod eius decretalis intentio fuit repellere Origenis errorem, ſiue eorum, qui dixerunt ſpirituales ſubſtantias primum a Deo eſſe productas, vt ſpirituali dignitate potirentur, deinde cũ peccaſſent creata fuiſſe corpora omnia, quibus veluti detruſæ carceribus peccatorũ luerent poenas, ſed hunc errorem Origenis confutat egregie Cyrillus libro primo in Ioann. cap. 4. qua de re etiam egimus libro quinto reuelat. interrogat. 9. quæſtio ſecunda.

4 Deinde excogitato conſilio deceptionis
var. ex malitia ſua primum hominem, & in eum
lect. ex iuſtitia, & ex permiſſione mea præualuerunt.

Rectius

Rectius M. S. Farnesianus legit, Et in eum ex iusta permissione mea praeualuerunt.

Et imittens stercus suum in anima.

Sensus est, & proponens dæmon terrenas delitias & carnales voluptates hominibus, sic decepit eos, vt amplius, nec Deum diligant, nec timeant, vnde D. Greg. Hom. 31. explicans illud Ioelis 1. computruerunt iumenta in stercore suo, iumenta inquit, in stercore suo computrescere, est carnalis quosque in fœtore luxuriæ vitam finire, & paulo supra, peccata etenim carnis stercora vocantur idem annotauit ibidem D. Hieron. & super Ezechiel. c. 4.

6 *Paulo post vbi in vulgatis legitur,* Obliuiscebatur quippe iustitia Dei.

var. lect. *M. S. habet, Negligebatur quippe iustitia Dei.*

7 Immo ostendit misericordiam suam, & iustitiam, misericordiam, quando ostendit hominibus, scilicet Adæ, & alijs bonis, quod tempore definito obtinerent auxilium.

Nimirum quando per Prophetas propalauit Deus gentibus verbum fore incarnandum, & a seruitute dæmonis per eum homines esse liberandos, & hoc est, illud auxilium, quod definito tempore erat eis tribuendum, de quo D. Paul. Apost. ad Galat. 4. verba faciens ait, at vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.

8 Et verba sua signis, & operibus adimplebat.

var. lect. *M. S. habet, Adimplenit.*

DE TRIBVS MIRABIlibus, quæ Christus fecit cum sponsa, & quomodo visio Angelorum propter pulchritudinem, & visio dæmonum propter turpitudinem est intolerabilis in sua essentia, & quare dignatus est Christus talem viduam hospitari.

CAP. XVIII.

TRIA mirabilia tecum feci. Vides enim spiritualibus oculis. Tu etiam audis spiritualibus auribus. Tu sentis corporali manu spiritum meum in tuo viuente pectore.
1 1 Visio quam vides non tibi videtur sicut est. Si enim videres spiritualem pulchritudinem Angelorum, & animarum sanctarum, corpus tuum non sufficeret videre, sed rumperetur quasi vas corruptum, & putridum, propter gaudium animæ ex visione. Si autem videres dæmones sicut sunt, aut viueres cum pimio dolore, aut morereris per subitaneam mortem, propter terribilem visionem eorũ. Ideo videntur tibi spiritualia quasi corporalia. Angeli, & animæ videntur tibi in similitudine hominum, qui habent vitam, & animam, quia Angeli viuunt cum spiritu suo.
2 2 Dæmones videntur tibi in forma, quæ est ad mortem, & mortalis, vt in forma animalium, vel aliarum creaturarum. Illa enim habent mortalem spiritum, quia moriente carne moritur spiritus, diaboli autem non moriuntur in spiritu, sine fine enim moriuntur, & sine fine viuunt. Spiritualia vero verba cum similitudine tibi dicũtur, spiritus enim tuus aliter non potest capere. Inter omnia auté [illegible]mirabilius, quod spiritus meus in corde tuo sentitur moueri. Tunc illa respondit.
3 3 O Domine mi, & filius Virginis,
var. quare dignatus es tu tam vilem viduam ho
lect. spitari, quæ sum pauper in omnibus bonis operibus, & modica in conscientiæ intellectu, & consumpta in omni peccato longiturnitate temporis? Cui ille respondit. Ego habeo tria. Primo ego possum pauperem ditare, insipientem, & modici intellectus facere sufficientem, & intelligentem. Ego sufficio etiam antiquum renouare ad iuuentutem.
4 4 Sicut enim fœnix comportat in vallem stipulas siccas, inter quas comportat stipulas vnius arboris, quæ exterius est sicca ex natura, & intus calida,
5 5 in quam primo venit ca
var. lor radij solis, & incenditur. Deinde ex ipsa
lect. omnes stipulæ accenduntur. Sic oportet te congregare virtutes, quibus a peccatis renouari possis. Inter quas vnum lignum habere debes, quod interius est calidum, & exterius siccum, idest, cor quod purum sit, & siccatum exterius ab omni mundi delectatione, & interius plenum omni charitate, vt nihil velis nihil desideres, nisi me. Tunc in hoc primo
1 veniet ignis charitatis meæ, & sic incenderis omnibus virtutibus, in quibus concremata, & a peccatis purgata, resurges quasi auis renouata, deposita pelle delectationis.

NOTAE.

1 VIsio quam vides non tibi videtur sicuti est.

Quoniam impossibile est, dum in hac vita mortali sumus diuinam corporalibus oculis immediate intueri essentiam, quandoquidem, vt ait Apostolus 1. Corinth. 13. videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, ideo legimus hic visio quam vides non tibi videtur sicuti est, cognitio enim Dei per similitudinem non est visio diuinæ essentiæ, vt docet D. Thom. 1. par. q. 12. art. 2. 9. & 11. quam facie ad faciem videre tantũmodo Beatis in Patria conceditur sicut 1. Io. 3. scribitur quoniã

tum

cum apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt, quod explicans Dionyſius Carthuſianus, videbimus, inquit ipſam ſuperadorandæ Deitatis ſuperſubſtantialem eſſentiam in ſe ipſa, & per ſe ipſam clare, & mediate, quod etiam annotarunt Dydimus Alexandrinus, Lyranus, & Gloſſ ibidem, hinc eſt, quod in his cæleſtium reuelationum libris frequenter legimus, omnia fere B. Brigittæ ſub diuerſis rerum imaginibus fuiſſe oſtenſa, vt patet lib. 3. 4. 5. & 6. cuius rei teſtis eſt etiam S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, qui alloquens B. Brigittam lib. reuelat 3. cap. 6. ait loquor tecum per ſimilitudinem, quoniam cor tuum non poteſt capere intelligentiam ſpiritualium ſine aliqua corporali ſimilitudine, an vero in via peculiari Dei beneficio alicui datum ſit, vt Deum [redacted] *abſq. ſimilitudine aliqua viderit, noſtrum non eſt hoc loco definire, & quidem de Moyſe, & Paulo aſſirmarunt D. Augu. 12. ſuper Geneſim ad litteram cap. 27. & ad Paulinum Epiſt. 112. & ſerm. 47. ad fratres in heremo D. Ambroſ. lib. 1. exam cap. 2. & in poſteriori Epiſt. ad Corint. cap. 12. & ibi D. Anſelm. & venerab Bed. & de Moyſe D. Baſil. Hom. 1. exameron, Lyranus, & Burgen. in Epiſt. ad Corint. 2 loco cit. D. Thomas 2. 2. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 3. Durandus in 4. diſtinct. 49 qu. 6. & alij plures quamquam non deſint grauiſſimi Doctores, qui contrarium etiam ſentiunt, vt D. Greg. lib. 18. moral. cap. 37. & 38. D. Hieron. lib. 3. contra pelagianos prope fi. D. Chriſoſt. hom. 14 in Ioan. D. Greg. Nazianzenus lib. 2. ſuæ Theologiæ non longe ab initio D. Cyrillus ſuper Io. lib. 1. cap. 28. ſed hac de re fuſius egimus infra lib. 5. interrogat. 8. q. 2.*

2 Demones videntur tibi in forma, quæ eſt ad mortem.

Nulli mirum videri debet, ſi dæmones hominibus frequenter in forma mortuorum appareant animalium, quandoquidem ſicut Chriſtus vita eſt, ita Dæmon mors eſt, de quo Apocalip. 6. & nomen illi mors eſt, non quidem quia ipſe mors ſit, vt annotauit D. Aug. in pſal. 48. ſed quia per illum mors, & de eo Dauid in hoc pſalmo ſcripſit Mors depaſcet eos, vbi dicit D. Aug. ſi ergo in inferno oues ſunt quibus paſtor mors eſt, in cælo ſunt oues, quibus paſtor vita eſt, idem tradidit D. Greg. Magnus libro 19. moral cap. 2. & D. Hieron. ſuper Iſaiam cap. 28. & ſuper Oſeam cap. 13.

3 O Domine mi, & filius Virginis, quare
var. dignatus es tu tam vilem viduam hoſpitari.
lect. *M. S. habet, Tam vilem viduam viſitare.*

Et paulo poſt, vbi in impreſſis codicibus legitur.

4 Sicut enim ſenix comportat in vallem ſtipulas ſiccas.

Hic locus mancus eſt, & cum M. S. Farneſiano ſic reſtituendus, ſicut enim ſenix cum ſenectute grauatur comportat in vallem ſtipulas ſiccas.

5 In quam primo venit calor radij ſolis, &
var. inceditur.
lect. *Farneſianus codex M. S. habet, In quam primo venit calor, & ex ſolis radijs incenditur.*

VERBA CHRISTI AD ſponſam qualiter Deus loquitur amicis ſuis per ſuos prædicatores, & per tribulationes, & quomodo Chriſtus per apum poſſeſſorem, & Eccleſia per Alueolum, & Chriſtiani per apes deſignantur, & qualiter mali Chriſtiani inter bonos permittuntur viuere.

CAP. XIX.

EGO ſum Deus tuus. Spiritus meus introduxit te audire, & videre, & ſentire. Audire verba mea, videre ſimilitudines, ſentire ſpiritum meum cum gaudio, & deuotione animæ. In me eſt omnis miſericordia cum iuſtitia, & iniuſtitia miſericordia. Ego ſum ſicut ille, qui videt amicos ſuos cadere a ſe in viam, vbi chaos horrēdum eſt, de quo impoſſibile eſt conſurgere. Quibus amicis loquor per eos, qui habent intelligentiam ſcripturæ. Loquor per flagella, præcaueo eos de periculo eorum. Sed ipſi contra vadunt in meipſum nō curantes de verbis meis. Verba mea non ſunt niſi quaſi vnum verbum, hoc eſt conuertere peccatorem ad me. Vadis enim periculoſe, quia niſi die ſunt in via, & pro tenebris cordis tui a te quales ſunt abſconduntur. Hoc verbum meum contemnitur, nec miſericordia mea negligitur. Verumtamen quamuis ſic miſericorditer, quod eos peccantes moneo, tamen [illegible] iuſtus, quod etiam ſi

1 omnes Angeli traherent eos, Non poſſent conuerti, niſi ipſimet mouerint voluntatem ſuam ad bonum. Si vero ipſi voluntatem ad me verterint, & affectu in me conſenſerint, non omnes dæmones eos retinere poſſunt. Eſt enim vermis quidam, qui dicitur apis in poſſeſſione domini ſui. Quæ apes regi ſuo [illegible]

2 etiam exhibent, & ab eo triplicem virtutem habent. Primo apes portant ad regem ſuum optimam dulcedinem, quam poſſunt acquirere. Secundo ſtant ad nutum eius, & exeunt, quocunque volant, & quocunque proceſſerint, ſemper charitas, & amor eorum eſt ad regem. Tertio ſequuntur eum, & ſtabiliter ei inhærendo obſequuntur. Primo his tribus apes habent a rege ſuo triplex bonum. Primo ex voce eius habent certum tempus exeundi, & laborandi. Secundo habent ab eo regimen, & mutuam charitatem. Ex eius quippe

quippe præſentia, & principatu, & eius cha-
ritate, quã ipſe habet ad eas, & ipſæ ad eũ,
vnaquæque coniungitur charitate cum alia
vnaquaque de alia, & ex alterius profectu
gratulatur. Tertio ex charitate mutua, &
gaudio capitis ſui fructiferæ fiunt. Sicut e-
nim piſces in mari colludendo emittũt oua
ſua, quæ cadentia in mari fructificant. Sic
apes ex mutua charitate, & dilectione ca-
pitis ſui, & gaudio fructiferæ fiunt, ex qua-
rum charitate mirabili, & virtute mea, pro-
greditur quoddam ſemen quaſi mortuum,
& bonitate mea habebit vitam. Dominus ve-
ro, ideſt poſſeſſor apũ, ſollicitus de eis loqui
tur ſeruo ſuo. Serue inquit meus, mihi vide-
tur, quod apes meæ quædam infirmæ ſunt,
& nihil volantes. Reſpondit ſeruus. Huius in
firmitatis non habeo intelligentiam, ſed ſi
ſic eſt quæro quomodo poſſum hæc ſcire.
Reſpondit Dominus ex tribus ſignis earum
infirmitatem, ſeu defectum colligere pote-
ris. Primo, quia inualidæ ſunt, & deſides in
volatu, & hoc prouenit, quia amiſerunt re-
gem ſuum, a quo ſolatium, & infirmitatem
deberent habuiſſe. Secundo, quia incertis, &
indiſpoſitis exeunt horis, & hoc eſt, quia de
voce capitis nullum habent ſignum. Tertio,
quia nullam charitatem habent ad Alueo-
lum, ideo vacuæ redeunt ſatiantes ſe, & ni-
hil dulcedinis, vnde in futurum viuant re-
portantes. Apes vero, quæ ſunt ſanæ, & habi
les, ſunt ſtabiles in volatu, & fortes. Tempus
exeundi, & redeundi habent debitum, repor
portantes ceram ad conſtruendum loca ſua
mel vero ad fruendum. Tunc reſpondit ſe
ruus Domino. Si ergo inutiles ſunt, & infir-
mæ, cur diutius pateris eas, & non interfi-
ciuntur? Reſpõdit Dñs. Ego permitto eas vi
uere triplici de cauſa, quia triplex ferũt cõ-
modum, ſed non virtute ſua. Primo occu-
pant loca præparata, ne venientes fuci oc
cupent loca vacua, conturbãdo alias bonas,
& vtiles apes. Secũdo, vt aliæ apes fructiferæ
fiant, ex malarum apum malitia fructuoſio-
res, & ſolliciciores in laborando. Quando e-
nim fructiferæ apes vident infructuoſas, &
malas apes laborare ad cupiditatis propriæ
ſolam repletionem, tanto fiunt in congre-
gando ad regem ſuum ſollicitiores, quo ma
las viderint ad ſolam cupiditatem feruen-
tiores. Tertio valent bonis apibus ad mu-
tuam defenſionem. Eſt enim vermis quidam
ſolitus comedere apes, quem apes intelli-
gentes venire omnes communiter odiunt
eũ, & licet malæ apes impugnant, & odiunt
eum propter inuidiam, & pro vita ſua tuen
da, bonæ vero ex charitate, & iuſtitia, mu-
tuo tamen ad expugnationem vermis labo
rant bonæ apes, & malæ. Alioquin ſi omnes
apes malæ ſubtractæ eſſent, bonæ vero ſolæ
remanerent, citius in eas vermis, quia pau-
ciores eſſent præualeret. Et ideo inquit Do
2 minus ſuffero apes inutiles 2. Verumta-
men cum autumnus veniet, prouidebo api-
bus bonis, & ſeparabo eas a malis, quæ ſi
modo extra Alueolum relinquerentur, mo-
rerentur frigore. Si vero intra fuerint, & nõ
congregauerint fame præfocabuntur, quia
neglexerunt congregare cum potuerunt.
3 Ego Dominus creator omnium. 3 Ego ſum
dominus apum iſtarum. Ego ex intima cha-
ritate, & ſanguine meo, fundaui mihi alueo
lum apum iſtarum, ideſt Sãctam Eccleſiam,
in qua Chriſtiani per vnitatem fidei, & mu-
tuæ dilectionis congregari deberent, & mo-
rari. Horum loca ſunt eorum corda, in qui-
bus dulcedo cogitationum bonarum, & affe
ctionum habitare deberet, quæ trahi debe-
ret ex conſideratione charitatis meæ in
creando, & ex redemptione mea, & patien-
tia in ſupportando, & ex miſericordia mea
in reuocando, ſeu renouando. In hoc alueo-
lo, ſcilicet Sancta Eccleſia, duo ſunt genera
hominum tamquam duo genera apum. Pri-
mi ſunt mali Chriſtiani, qui non congregant
mihi, ſed ſibi ipſis, qui vacui redeunt, & ne-
ſciunt caput, quia ſtimulum habent pro dul
cedine, cupiditatem pro charitate. Bonæ ve
ro apes boni Chriſtiani ſunt, hi exhibent
mihi triplicem reuerentiam. Primo habent
me pro ſuo capite, & Domino, offerentes
mihi mel dulcedinis, ideſt, opera charitatis,
quæ mihi ſunt ſuauiora, & ſibi ipſis vtiliora.
Secundo ſtant ad voluntatem meam, horum
voluntas eſt ſecundum voluntatem meam,
cogitatio tota ad meam paſſionem, opera-
tio tota ad meum honorem. Tertio ſequun-
tur me, ideſt obediunt mihi in omnibus vbi
cunque fuerint, ſiue extra, ſiue intra, ſiue in
tribulatione, ſiue in lætitia, ſemper cor eo-
rum eſt cum corde meo. Ideo triplicem vir-
tutem habent a me. Primo ex voce virtu-
tis, & inſpirationis meæ, tempus debitum, &
certum habent, ſcilicet noctem tempore no
ctis, & lucem tempore lucis. Nec non, & no-
ctem mutant in lucem, ideſt gaudium mun-
di, in æternum gaudium, & caſurum gau-
dium in perpetuam felicitatem. Hi in omni-
bus ſunt rationabiles, quia præſentibus vtũ
tur ad neceſſitatem, ſtabiles in aduerſitati-
bus, cauti in proſperitate, moderati in
cura carnis, ſolliciti, & circumſpecti in agen
dis. Secũdo ſicut bonæ apes mutuam habent
charitatem, ita, & ipſi omnes vnum cor ha-
bent ad me, & proximum diligunt tamquã
ſe, me autem ſuper omnia, & ſuper ſe ipſos.
Tertio fiunt a me fructiferi. Quid vero eſt
fructificare, niſi ſpiritum meum ſanctum ha
bere, & eo impleri. Quicunque enim eum
non habet, & qui eius caret dulcedine, infru
ctuoſus

20. & piſcem aſſum, & fauum mellis ei Apoſtolos obtuliſſe ſcribunt, vt indicent, quod ipſe erat piſcis aſſus per humanæ naturæ paſſionem, & fauus mellis per naturæ diuinæ dulcedinem; & ſicut in fauo mellis, mel ceræ coniungitur, ita in Chriſto diuinitas, & diuinitatis dulcedo in humanitate copulatur.

4 Non conſiderantes miſericordiam, quod ego Rex gloriæ potentiſſimus aſſumpſi in me impotentiam.

Chriſtus Saluator noſter hic eos redarguit, qui Dei miſericordiæ obliti minime aduertunt, ipſum pro eorum redemptione carnem humanam aſſumpſiſſe, eiuſque naturales proprietates, ac infirmitates, vt ſitim, famem, triſtitiam, & mortem, cæteraſque, quæ imperfectionem aliquam non importabant, eique dignitati eius non repugnabant, & hoc eſt, quod dicit hic, aſſumpſiſſe impotentiam: non quod ipſe factus ſit impotens, ſed quod ita ſe geſſerit, quaſi fuerit factus impotens, vt infirmitates noſtras ſubleuaret, noſque ad cælum ſecum duceret.

5 Dico tibi, quod tales apes deberent eſſe illi cruciferi, quos in illis finibus terrarum Chriſtianorum poſui.

Per Cruciferos hoc loco intelligendi ſunt Religioſi Sanctiſſ. Mariæ de Mercede, quorum ſocietas inſtituta eſt ad captiuos Chriſtianos redimendos; huius auctor præcipuus Iacobus Aragoniæ Rex fuiſſe fertur; poſt vero hunc Regem, quidam Noloſcus natione Gallus ducem ſecuturus ſe exhibuit, bonis legibus naſcentem familiam temperauit: Regia inſignia cruci impoſita in rubro clypeo ad veſtem candidam, & cucullum toti familiæ diſtinctionis cauſa data ſunt. Ipſe coram Rege, & Proceribus de manu S. Raymundi Depennaforti nuper à Clemente VIII. Pontif. SS. num. relati, qui tunc Regi à confeſſionibus erat, ſolemni ceremonia veſtem albam, & cucullum cum S. Crucis ſigno ſuſcepiſſe ſcribitur Anno Domini M. CC. XVIII.

VERBA QVAERIMONIAE Dei de tribus, quæ nunc per mundum tranſeunt, & qualiter Deus elegit tres ſtatus ab initio, ſcilicet clericorum, defenſorum, & laboratorum; & de pœna hominibus ingratis parata; & de gloria gratis illata, & conceſſa hominibus.

CAP. XX.

VIDEBATVR exercitus cæleſtis magnus, ad quem Dominus loquutus eſt dicens. Licet omnia videtis, & ſcitis in me, tamen quia mihi ſic placet, conquæror coram vobis tribus, quod apiaria illa ſuauiſſima, quæ in cælo ab æterno ædificata ſunt, de quibus apes illæ inutiles exierunt vacua ſunt. Secundo, quod abyſſus illa inſatiabilis, cui non lapi-
1 des, non arbores reſiſtunt, ſemper aperta eſt; in quam animæ deſcendunt ſicut nix de cælo in terram. Et ſicut a facie ſolis nix diſſoluitur in aquam; ſic animæ ad magnitudinem ſupplicii diſſoluuntur ab omni bono, & renouantur ad omnem pœnam. Tertio conqueror, quod pauci ſunt, qui attendunt vacuitatem locorum, de quibus præuaricati ſunt angeli mali, & animarum caſum, ideo merito conqueror. Ego enim ab initio elegi tres viros, per quos intelligo triplicem ſtatum in mundo. Primo elegi clericum, qui clamaret voluntatem meam voce, & oſtenderet opere. Secundo defenſorem elegi, qui amicos meos defenderet vita ſua, & paratus eſſet pro me ad omnem laborem. Tertio elegi laboratorem, qui laboraret manibus ſuis, vt paſceret corpora labore ſuo. Primus ſcilicet clericus nunc factus eſt leproſus, & mutus, quia omnis, qui quærit in clerico videre pulchritudinem morum, & virtutum, recurrit retro, turbatur viſu, & abhorret accedere ad eum propter lepram ſuperbiæ, & cupiditatis ſuæ. Si vero quærit eum audire, mutus factus eſt ipſe clericus a laude mea, & garrulus ad laudem propriam. Quomodo ergo tunc aperietur via ad tantam ſuauitatem acquirendam, ſi ille debilis eſt
2 qui deberet præcedere, & ille mutus eſt, qui deberet clamare, quomodo tunc audietur ſuauitas illa cæleſtis? Secundus ſcilicet defenſor trepidat in corde vacuus eſt manibus, quia trepidat pro ſcandalo mundi, & amiſſione honoris eius. Vacuus eſt manibus, quia nulla diuina opera facit, ſed omnia quæ facit, facit pro mundo. Quis ergo tunc defendet populum meum, ſi ille, qui caput deberet eſſe timet? Tertius eſt velut aſinus, qui caput inclinat ad terram, & ſtat quatuor pedibus iunctis ſimul. Vere ſicut aſinus eſt populus, qui nulla deſiderat niſi terrena, qui negligit cæleſtia, & quærit caduca. Ipſe quaſi quatuor pedes habet, quia modicam habet fidem, & vacuam ſpem. Tertio nulla opera bona. Quarto voluntatem completam ad peccatum. Inde os gulæ, & cupiditati ſem-
3 per apertum ſtat. Ecce amici mei quo-
var. modo per tales poteſt abyſſus illa inſatia-
lect. bilis minui; quomodo fauus poterit impleri? Tunc reſpondit mater Dei. Benedictus ſis tu fili mi, quærimonia tua iuſta eſt. Ego, & amici tui non habemus ad te pro humano genere aliquam excuſationem, niſi vnum verbum, in quo ſaluari poteſt. Hoc eſt, miſerere Ieſu Chriſte fili Dei viui. Hoc ego clamo, hoc & amici tui. Reſpondit filius. Verba tua ſunt ſuauia in auribus meis, ſapiunt delectabiliter

lectabiliter in ore, intrant cum charitate in cor. Ego habeo vnum clericum, & vnum defensorem, & vnum rusticum. Primus est delectabilis sicut sponsa, quam sponsus honestissimus cum diuina charitate toto desiderio desiderat, huius vox erit sicut vox, quæ ex clamore, & colloquutione resultat in filiis. Secundus erit paratus dare vitam suam pro me, non timebit mundi opprobrium. Hunc ego armabo armis Spiritusancti.

2 2 Tertius habebit tam firmá fidem, quod dicet sic. Tam firmiter credo, quod quasi videam, quæ credo, spero etiam omnia, quæ promiserat Deus, voluntatem habebit faciẽdi bona, & proficiendi in bono, & omittere mala. In os primi hominis dictorũ trium ponam tria verba, quæ clamabit. Primo clamabit, qui habet fidem faciat opere, quę credit. Secũdo, qui sperat, firmiter sit stabilis in omnĩ bono. Tertio, qui diligit perfecte, & charitatiue, desideret feruenter videre, quæ diligit. Secundus erit quasi leo fortis in laborando in insidijs præcauendis, sollicitus, &

3 stabilis in perseuerando. 3 Tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum. Isti complebunt voluntatem meam, hos sequentur alij. Et licet tres nomino, & per eos tamen plures intelligo. Deinde loquebatur ad sponsam dicẽs. Sta stabilis noli sollicitari de mundo, non de opprobrio, quia qui omnia opprobria audiui, ego sum Deus tuus, & Dominus.

NOTAE.

1 var. lect. ECce amici mei quomodo per tales potest abyssus illa insatiabilis minui, quomodo famus poterit impleri.

1 In præsenti capite conqueritur Dominus de clericis, aliisque Ecclesiæ ministris, quod suo officio, ut par est non fungantur, & quidem a clericis sumẽs exordiũ dicit, eos factos esse leprosos, & mutos leprosos quidem ob vitiorum turpitudinẽ, ac fœtorem, mutos vero, quia nec verba, nec laudes Dei populis prædicãt, secundo dicit etiam illos, qui ad Ecclesiam defendendã constituti sunt, nil aliud facere, quam sua quærere, & quæ Dei sunt negligere, postremo eos, quos ad laborandum in vinea Dei posuit, similes esse asinis docet, qui caput inclinantes ad terram nil aliud, quam terrena, & caduca quærunt, & ex his infert, quod scribitur hoc loco, quomodo per tales potest abyssus illa insatiabilis minui, quod explicans circa initium præsentis capitis, dicit, via semper aperta est, in quam animæ descendunt sicut nix de cælo in terram, & sicut a facie solis nix dissoluitur, in aquã, sic animæ a magnitudine supplicij dissoluentur ab omni bono, & renouantur ad omnem pœnam, id vero, quod ex his deducit nimirum, quomodo famus poterit impleri cum M.S. Farnesiano corrigendum arbitror, quomodo Paradisus poterit impleri.

2 Tertius habet tam firmam fidem, quod dicet sic, tam firmiter credo, quod quasi videam quæ credo.

Nulli dubium esse potest, fidei certitudinem, etiam prout est in nobis maiorem esse quacunque alia certitudine, imo vero constanter asseuerandum esse arbitror posse Christianum hominem certiorem esse de rebus fidei, quæ tantummodo credit, quam de his, quæ corporalibus oculis videt, ideo certiora tenenda sunt, quæ fidei sunt, quam quæ oculis videmus, aut quopiam alio sensu percipimus, quãdoquidẽ illi decipi, & allucinari possunt, non vero diuina virtus, quæ infallibilis est, quæue intellectum hominis determinat ad assentiendum rebus fidei, quod egregie explicat D. Chris. ho. 21. super Ep. ad Hebr. Fides inquit, dici non potest, nisi circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur satisfactionem, quisquam habuerit, & D. Aug. lib. 8. confess. c. 10. clamat, inquit ad Dñm de longinquo, ego sum, qui sum, & audiui sicut audiri solet in corde, & non erat vnde dubitarem, faciliusque me dubitarem viuere, quam non esse veritatem.

3 Tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cęlum, isti complebunt voluntatem meam, & hos sequuntur alij.

Serpentum naturam, hominum designare prudentiam, colligi potest ex illo Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, quo loco elegantes allegorias afferunt Hieronymus, Hilarius, & Chrisost. & plura hac de re tradiderunt D. August. serm. 87. circa finem, & lib. 13. confessionum. cap. 21. Euchenius de spiritalibus formulis cap. 5. Origen. super Ezechiel hom. 1. & in Iosue hom. 4. vt autem hoc explicemus apertius, sciendum est in tribus præcipue serpentum prudentiam nosci, Primo, quia cum frigidæ sint naturæ, cumque senescunt visum amisunt, ideo frequenter solis radijs se se exponunt, vt inde, & calorem hauriant, & lumen obtineant, secundo, vt caput, a quo totius suæ vitæ ratio pendet conseruent intactum, corpus flagellis exponunt postremo ad arctum etiam foramen veterem pellem deponunt, atque hæc sunt, quæ Christianis quoque sapientibus obseruanda sunt. Primo, vt se se diuinæ gratiæ soli exponant, caputque ad Deum verum solem attollant, vt inde, & charitatis feruorem & sacrarum litterarum lumen, ac intelligentiam recipiant, & hoc est, quod scribitur hic, tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum, 2. debet more serpentis etiam totum corpus morti tradere, vt mentẽ quæ caput est 1

N hominis

ad cælum. Hanc viam amici mei videntes, & difficultates laboris mei, & alacritatem animi conſiderantes, gaudentes ſecuti ſunt multi, & multo tempore. Sed nunc vox immutata eſt, quę clamabat eſtote parati. Via mea immutata eſt, & ſuccreuerunt iterum fructeta, & ſpineta, ceſſaueruntque incedentes per eam. Via autem inferni aperta eſt, & lata, & tranſeunt per eam plurimi. Attamẽ via mea ne eſſet omnino oblita, & neglecta, pauci amici mei præ deſiderio cæleſtis patriæ, tranſeunt adhuc per eam, quaſi aues tranſmigrantes de rubo in rubum, & quaſi occulte, & præ timore ſeruientes, quia per viam mundi tranſire omnibus iam videtur felicitas, & gaudium. Propterea quia via mea facta eſt arcta, & via mundi lata, clamo nunc in ſolitudine, id eſt, in mundo ad amicos meos, vt à via, quæ ducit ad cælum extirpent ſpinas, & tribulos, & proponent viam meam incedentibus. Nam ſicut ſcriptum eſt. Beati illi ſunt, qui non viderunt me, & crediderunt. Similiter felices ſunt illi, qui nunc credunt verbis meis, & opere ea complent. Ego quippe ſum ſicut mater occurrens filio ſuo erranti, quæ in via porrigit ei lumen, vt videat iter, obuiat ei præ amore, in via breuiando viam eius, & appropinquans amplectitur eum, & gratulatur. Sic ego omnibus reuertentibus ad me, & amicis meis occurram cum charitate, & illuminabo cor, & animam eorum ad diuinam ſapientiam: Amplecti eos volo cum omni gloria, & cæleſti curia, vbi non eſt cælum ſubtus, vel terra inferius, ſed Dei viſio, vbi non eſt cibus, & potus, ſed diuina delectatio. Malis autem aperitur via ad infernum, in quem ingredientes nunquam aſcendent, carebunt enim gloria, & lætitia, & implebuntur miſeria, & opprobrio ſempiterno. Ideo loquor verba iſta, & oſtendo charitatem meam, vt reuertantur ad me, qui auerſi ſunt, & recognoſcant me Creatorem ſuum, quem obliti ſunt.

NOTAE.

1 var. lect. *IN principio præſentis Capitis, vbi impreſſa hactenus exemplaria habent.* Miraris quare talia loquor, & tanta oſtendi tibi nunquid propter te ſolam non vtique, ſed propter aliorum eruditionem.

Farneſianus Codex M.S. addit, Et ædificationẽ.

2 In abyſſo duo erant receptacula.

Hæc duo receptacula ſunt infernus, & limbus Patrum, de quibus in præſenti capite ſermo fit, & de primo receptaculo ſcribitur hic, quod qui deſcenderunt, nunquam aſcenderunt, quia qui ſemel damnati ſunt, & ad inferos detruſi, nunquam exibunt, & perpetuas ibi luent pœnas, ſecundũ illud Matth. 25. Ibunt hi in ſupplicium æternum, dicitur autem infernus ſecundum D. Iſidor. lib. 14. Etymol. cap. 9. quia infra nos eſt. Secundum autem receptaculum limbus eſt, vbi ſancti Patres ante Chriſti Domini paſſionem detinebantur, è quo per deſcenſum Chriſti liberati ſunt, vt admonuit D. Baſil. in Pſ. 48. explicans ea verba. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, vbi nomen inferni ſumitur pro limbo, vt etiam alibi ſæpe in ſacris literis, & annotauit D. Greg. lib. 12. Moral. c. 6. vbi diſtinguit duo iſta loca, ſed eſſe inquit ſuperiora inferni loca, alia inferiora credenda ſunt, vt & in ſuperioribus iuſti requieſcerent, & in inferioribus iniuſti cruciarentur, ſic etiam docuit D. Aug. Epiſt. 99. ad Euodium Tom. 2. vbi explicat locum illum 1. Petri cap. 3. in quo, & eis, qui in carcere erant ſpiritibus prædicauit plura etiam tradiderunt Iuſtinus Martyr, in Dialo. cum Triphone Chryſoſt. ho. de Lazaro, & diuite, & alios quos citauimus lib. 1. Reuel. Cap. 5. nũ. 1. & lib. 4. cap. 45. num. 4.

2 Secundũ vero non erat ſic profundum, vt primum, nec ita horribile, ſed quicunque deſcendebant in ipſum ſperabant ſibi auxilium, deſiderium, & dilationem.

Hoc loco de ſecundo receptaculo ſermo fit, quod non eſſe ita horribile dicitur, quia Patres exiſtentes in limbo ſolam damni pœnam, quæ in priuatione diuinæ viſionis conſiſtit patiebantur, non vero ſenſus,

3 *& hoc eſt, quod paulo poſt medium huius capitis legimus, quod boni ad tenebras ſolas deſcendebant, damnati vero ad damnationem: illud autẽ, quod ſequitur, ſcilicet quod auxilium, deſiderium, & dilationem quandam habebant corrigendum cum M.S. Farneſiano delectationẽ non dilationem, quæ in eo poſita erat, quod pro certo ſibi perſuadebant ſaluos eſſe, vt aliquando Chriſtus Dominus carnem humanam aſſumeret, & ad limbum deſcendens eos educeret, ſecumq. ad regnum cælorum traheret, vnde legimus hic, Patres his verbis, Chriſtum inuitaſſe; O Deus veni, & da auxilium, monſtra viam, illumina nos, qui expectamus te, in alio enim non eſt ſalus nobis niſi in te. Hinc D. Bernar. ſer. 2. in Cant. noſtri temporis Chriſtianos acriter reprehendit, quod in diligendo Deum eiuſq. auxilium imperando, non ita ſint feruentes, vt patres veteris legis extiterunt; deſiderium inquit, ſuſpirantium Chriſti præſentiam frequentiſſime recogitans compungor, & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet temporis, torporisq. miſerabilium temporum horum, cui namq. noſtrum tantum ingerat gaudium huius gratiæ exhibitio, quantum accenderat veteres, deſiderata ſola promiſſio.*

4 Ego autem mitigatus clamore tanto veni in ſolitudinem, ſicut Peregrinus.

Verba præſentis notę nobis anſam præbent, vt hoc loco quæramus, an vere Patres veteris teſtamenti, de congruo meruerint incarnationis prædeſtinationem, aut ſaltem eius accellerationem; ſed quoniam noſtrum non eſt hic adamuſſim quæſt. examinare, vt ſcholaſtici Doctores facere conſueuerunt,

ſeruit, ideo ſat erit ad eorum cognitionem, quæ in præſenti capite traduntur breuiter ſcire, quod cum legimus hic, Chriſtum veniſſe in mundum clamore patrum mitigatum, non eſſe intelligendum; quod ipſimet Patres ſimpliciter meruerint de congruo incarnationis prædeſtinationem, quoniam omne meritum eorum fundabatur in fide Chriſti venturi, ergo ipſum venturum, & iam prædeſtinatum ad veniendum ſupponebant, tum quia incarnationis prædeſtinatio eſt prior omni gratia, & bono merito antiquorum Patrum, & eſt radix eius: ergo non poteſt eſſe ex illorum meritis, & hæc eſt communis doctrina Scholaſticorum, & præcipue D. Tho. 1. p. q. 2. art. 11. Dicendum ergo eſt, Patres veteris teſtamenti potuiſſe mereri de congruo aliquas circumſtantias incarnationis. Primo, vt Chriſtus ex ſuo genere naſceretur, quod videtur ſatis aperte ex ſacris litteris, ac etiam ſanctis Patribus colligi poſſe, & quidem de Abraham Gen. 2. ſcribitur. Quia feciſti rem hanc benedicam, &c. quo loco id docent Orig. Chryſoſt. & D. Ambr. & ex illo etiam Io. 8. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem ſuum, vidit & gauiſus eſt, ex quibus verbis id deducit Irenæus lib. 4. cap. 13. & 14. D. Aug. 16. de Trin. cap. 32. D. Greg lib. 1. in 1. Reg. cap 9. denique colligitur etiam ex D Paulo ad Galat. 2. & 3. An autem ipſi quoque huius myſterij accelerationem de congruo mereri potuerint, videtur poſſe deduci ex his verbis, Ego mitigatus clamore tanto veni, ſed clarius infra paulo poſt medium, hoc eodem cap vbi legitur, Longum igitur futuræ ſaluationis deſiderium miſericorditer audiens, veni; quod etiam plures ex Doctoribus aſſirmarunt, ſic Alex. Alenſis 3. p. q. 8. membr. 3. art. 2. Marſilius q. 5. art. 2. Concluſ. 8. art. 3. dubio 1. Bonauent. in 3. d. 4. art. 2. q. 2. Gabr. a. 3. dub. 5. Ricard. art. 3. q. 1. Almainus q. 1. dubio 3. Cæterum ad huius rei intelligentiam notandum eſt, cum dicimus Patres potuiſſe mereri accelerationem Incarnationis non eſſe inde deducendum, quod diuinum decretum fuerit immutatum, non enim Deus mutabilis eſt vt Malac. 3. ſcribitur, ſed ſenſus eſt, ita Deum huius myſterij exequutionē in ſua prædeſtinatione diſpoſuiſſe, vt voluerit, ſic homines præparari, & diſponi ad huiuſmodi ſuſcipiendum beneficium, vt per eam diſpoſitionem de congruo mererentur, ne illud amplius differretur: quod egregie animaduertit Franciſcus Suarez in 3. p. S. Thomæ q. 2. diſput. 10. ſect. 6. & ad hunc ſenſum reuocanda ſunt verba huius notæ, ac etiam intelligenda, quæ Pſ. 11. ſcripſit Dauid, Propter miſeriā inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, & Pſal. 78. Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, & Iſaiæ 51. Cito veniet ſalus tua, & Daniel. 9. ſeptuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſunt, quibus locis particula (cito) & particula (nunc) accellerationem temporis indicant.

5 Securis ad arborem poſita eſt.

Sic quoque legimus Mat. 3. & Lucæ 3. per hanc autem ſecurim Chriſtū Dominum ſignificari tradit D. Greg. ho. 20. explicans hunc textū D. Lucæ. Securis, inquit, eſt Redēptor noſter, qui velut ex manubrio, & ferro tenetur ex humanitate, ſed incidit ex diuinitate, quæ videlicet ſecuris, iā ad radicem arboris poſita eſt; quia & ſi per patientiā expectat, videtur autē, quod factura eſt. hactenus D. Greg. atq. in eodē ſenſu ſecuris hoc loco miſtice ſumitur, vt deduci pōt ex illis verbis ibi, iam ſecuris parata eſt, & venit ille præparando viam ad ciuitatem, & extirpabit omnia obſtacula, ſed D. Hilar. ſuper Matth. Can. 2. ſecurim ad arborum radices poſitam affirmat ſignificare Iudæos per infidelitatem eſſe abijciendos, aut etiam iudicium de Iudæorum infidelitate, ita vt per arborem Iudæi intelligantur per ſecurim iudicium diuinum de his habendum, ſic Chryſoſt. & Theophilactus in Matth. loc. cit.

6 var. lect. *Hactenus omnes impreßi Codices habent.* Aculei, & ſpinę acutiſſimę pupugerūt latus meū. *Corrige cum Farneſiano M. S. Pupugerunt caput meum.*

VERBA CHRISTI AD ſponſam, quare ei magis loquitur, quam alijs ipſa melioribus, & de tribus a Chriſto ſponſæ præceptis, & de tribus prohibitis, & tribus permiſſis, & de tribus conſultis optimum documentum.

CAP. XVI.

1 MIRANTVR Multi, cur tecum loquor, & non cum alijs, qui meliorem habent vitam, & longiori tempore mihi ſeruierunt. Quibus per exemplum reſpondeo. Eſt Dominus, qui habet plures vineas, & in pluribus terrarum locis, & vniuſcuiuſq. vineæ vinum ſapit de terra illa, in qua plantatū eſt. Cum vero vinum expreſſum fuerit, Dominus vinearum, quandoque bibit de vino mediocri, & leniori, & non de meliori. Quod ſi forte aliquis videntium, & aſtantium dixerit, ſic Domino, cur ſic voluerit facere? Reſpondebit Dominus. Quia hoc vinum magis ſapuit ſibi, & dulcius fuit tūc

2 tēporis, nec ideo Dominus meliora vina effundit, & contemnit, ſed & ea ad honorem, & vtilitatem ſuam tempore congruo reſeruat,

3 vnumquodque ad quod tunc eſt aptum. Sic ego feci tibi. Ego multos habeo amicos, quorum vita dulcior eſt mihi melle, delectabilior omni vino, lucidior in conſpectu meo ſole. Attamen, quia mihi ſic placuit elegi te in ſpiritum meū, non quia tu illis es melior, aut eis cōparanda, vel meritis eorū dignior, ſed quia ſic volui, qui de inſipientibus facio

ſapientes, de peccatoribus iuſtos, nec quia tecum talem gratiam feci, ideo eos contemno. Sed magis eos ad aliam meam vtilitatem, & honorem, prout tunc iuſtitia exiget reſeruabo. Ideo humilia te in omnibus, & non turberis niſi de peccatis tuis. Dilige omnes etiam, qui te odire videntur, & tibi detrahere, quia ipſi maiorem occaſionem dant tibi ad coronam. Tria præcipio non facere. Tria permitto tibi facere. Tria conſulo tibi facere. Primo præcipio tibi tria facere, ſcilicet nil deſiderare, niſi Deum tuũ. Secundo abijcere omnem ſuperbiam, & arrogantiam. Tertio odire in perpetuum carnis luxuriam. Tria mando tibi non facere. Primo non diligere, ſcilicet verba vana, & ſcurrilia. Secundo exceſſum ciborum, & aliarũ rerum ſuperfluitatem. Tertio fugere mundi gaudium, & leuitatem. Tria permitto tibi facere. Primo moderatum ſomnum ad habitudinem bonam. Secundo temperatas vigilias ad corporis exercitationem. Tertio moderatum cibum ad corporis fortitudinem, & ſuſtentationem. Tria conſulo tibi, Primo laborem in ieiunijs, & operibus bonis, quibus promittitur regnum cælorum. Secundo ea quæ habes ad honorem Dei diſponere. Tertio conſulo tibi cogitare duo continue in corde tuo. Primo, quæ feci pro te, patiendo & moriendo pro te. Hæc cogitatio excitat charitatem ad Deum. Secundo conſidera iuſtitiam meam, & futurum iudicium, hæc incutit timorem in animo. Quartum demũ eſt, quod & præcipio, & mando, & conſulo, & permitto, hoc eſt, obedire, vt teneris. Hoc præcipio, quia Deus tuus ſum. Hoc mando, vt non aliter facias, quia Dominus tuus ſũ, hoc permitto tibi, quia ſponſus tuus ſum, hoc conſulo, quia amicus tuus ſum.

VERBA CHRISTI AD ſponſam qualiter deitas, virtus veraciter eſt nuncupanda, & de multiplici ſupplantatione hominis per diabolum inſtigata, & de multiplici remedio in hominis adiutorium per Chriſtum addito, & ſuppleto.

CAP. XVII.

FILIVS Dei loquebatur ad ſponſã dicẽs. Credis tu firmiter, quod hoc quod presbyter tenet in manibus ſit corpus Dei? Reſpondit illa. Ego credo firmiter, quod ſicut verbum miſſum Mariæ factum eſt in ventre eius caro, & ſanguis: ſic hoc quod nunc video in manibus ſacerdotis credo eſſe verum Deum, & hominem. Cui reſpondit Dominus. Ego ſũ idem qui loquor tecum æternaliter in deitate manens, & in vtero Virginis humanatus, non tamen amittendo deitatem. Deitas mea merito poteſt vocari virtus, quia in ipſa sũt duo, ſcilicet potentia potentiſſima, à qua eſt omnis potentia. Secundo ſapientia ſapientiſſima, de qua, & in qua eſt omnis ſapientia. In ipſa quippe deitate omnia quæcunque ſunt rationabiliter, & ſapienter ordinata ſunt. Nam non eſt vna titella in cælo, quæ non eſt in ea, & per eam conſtituta, & præuiſa. Non eſt vnus athomus in terra, non vna ſcintilla in inferno eſt, quæ eius conſtitutionem

a excedat, & quod ab eius ſe præſcientia ſe poſſit occultare. Nunquid miraris quare dixi vnam titellam in cælo? Denique ſicut titella eſt perfectio verbi gloſſati, ſic Verbum Dei perfectio omnium, & in honore omnium inſtitutum. Quare autem dixi vnum athomum in terra, niſi quia omnia terrena tranſitoria ſunt. Nec tamen illa quantuncunque modica diſpoſitionem, & prouidentiam Dei excedunt. Quare autẽ dixi vnam ſcintillam in inferno, niſi quia in inferno nihil eſt niſi inuidia. Sicut enim ſcintilla procedit ab igne, ſic ab immundis ſpiritibus procedit omnis malitia, & inuidia, vt ſemper ipſi & eorum fautores habeant inuidiam, charitatem vero nullam. Ergo quia in Deo eſt perfecta ſcientia, & potentia, ideo vnumquodq. ſic diſpoſitum eſt, vt potentia per nihil præualeat, nec irrationabiliter aliquid

1 var. lect. cauſari poteſt factũ, 1 ſed omnia rationabiliter facta ſunt, ſicut vnicuiq. rei congruebat. Deitas igitur, quia veraciter virtus nuncupari poteſt, virtutem ſuam maximã oſtendit in creatione Angelorum. Creauit quippe eos ſibi in honorem, & ſibiipſis in delectationem, vt charitatem haberent, & obedientiã. Charitatem qua nihil diligerent niſi Deum, obedientiã quæ Deo in omnibus obedirent. Contra hæc duo quidã Angelorũ male errantes, male mouerunt voluntatẽ ſuam. Verterunt quippe voluntatẽ ſuam directe contra Deum, ita quod virtus erat eis odioſa, & ideo quod erat Deo contrarium eis erat charum.

2 2 Et ex iſto inordinato motu mouerunt caſũ. Non quod deitas cum ipſis creaſſet, ſed quia ipſi ex inordinatione ſcientiæ ſuæ ſibiipſis pro

3 curauerunt eundem caſum. 3 Cum ergo vidiſſet Deus in exercitu ſuo cæleſti diminutionẽ, ex proprio vitio ipſorum factam, fecit iterum deitas virtutẽ ſuam, nam creauit hominem cum corpore, & anima, eiſdem vero dedit duo bona, ſcilicet libertatẽ faciẽdi bona, & dimittendi mala, quia cũ plures Angeli creari non deberent, iuſtum fuit, vt homo haberet

haberet libertatem aſcendendi ſi vellet, in
dignitatem angelorum. Animæ etiam ho-
minis Deus dedit duo bona, rationem ſcili-
cet diſcernendi contraria a contrarijs, &
meliora ab optimis. Secundo dedit fortitu
dinem in bono ſtandi. Cumque iſtam chari
tatem Dei ad hominem videret diabolus, co
gitauit ſecũ ex inuidia ſic. Ecce Deus quod-
dam nouum fecit, quod in locum noſtrum
poteſt aſcendere, & pugnando vincere, quod
nos negligenter reliquimus. Si poterimus
illud ſupplantare, & decipere, deficiet à pu-
gna, & tunc ad tantam dignitatem non aſcẽ-
4 det. 4 Deinde excogitato conſilio deceptio-
var. nis deceperunt ex malitia ſua primum ho-
lect. minẽ, & in eum ex iuſtitia permiſſione mea
præualuerunt. Sed quomodo, vel quando vi-
ctus eſt homo? Vtique quando dimiſit vir-
tutem, & fecit prohibitum. Quando magis
delectabat promiſſio ſerpentis, quam obe-
dientia mea. Propter hanc igitur inobedien
tiam non debebat eſſe in cælo, quia contem
pſit Deum, nec etiam in inferno, quia anima
ſuccurrente ratione conſiderabat diligenter
quid fecit, & aſſumpſit ſibi contritionem pro
commiſſo. Propterea virtuoſus Deus conſi-
derans miſeriam hominis, diſpoſuit ei quaſi
vnam cuſtodiam, & locum captiuitatis, vt
in ea homo experiretur infirmitatem ſuam,
& lueret inobedientiam ſuam, donec mere-
retur aſcendere ad dignitatem, quam amiſ-
ſit. Hoc iterum perpendens diabolus, voluit
interficere animam hominis per ingratitu-
5 dinem. 5 Et immittens ſtercus ſuum in ani-
mam, ſic obumbrabat intellectum eius, quod
nec habebat Dei charitatem, nec timorem.
6 6 Obliuiſcebatur, quippe iuſtitia Dei, & iudi
var. cium eius contemnebatur, & ideo non time
lect. batur, & dabatur obliuioni bonitas Dei, &
donũ eius. Et tũc ideo nõ diligebatur, ſed ſic
obumbrata conſcientia miſerabiliter ſtabãt
homines, & miſerabilius ceciderunt. Quãuis
vero ſic diſpoſitus erat homo. Non tamen ad
7 huc defuit virtus Dei, 7 imo oſtendit miſe-
ricordiam ſuam, & iuſtitiam. Miſericordiã
quando oſtendit hominibus, ſcilicet Adæ, &
alijs bonis, quod tempore definito obtine-
rent auxilium, per quod feruor, & dilectio
ad Deum excitabatur. Oſtendit, & iuſtitiam
ſcilicet in diluuio ſub Noe, per quod timor
Dei in cordibus infundebatur. Poſt hæc autẽ
diabolus non deſtitit adhuc iterum inquie-
tare hominem, ſed duabus malitijs alijs ag-
greſſus eſt eum. Primo immiſit ei perfidiam.
Secundo deſperationem. Perfidiam, ne crede
rent homines verbo Dei, & vt mirabilia eius
fato deputarent. Deſperationem vero, ne
ſperarent ſalutem, & gloriæ amiſſæ adeptio-
nem. Contra hæc duo Deus virtuoſus non
deſtitit alia duo remedia apponere. Nam
contra deſperationem dedit ſpem, nominãs
nomen Abrahæ, & promittens ſe de ſemine
eius naſciturum, qui ad amiſſam hæreditatẽ
reduceret eum, & eius fidei ſequaces. Inſu-
per & inſtituit Prophetas. Quibus modum
redemptionis, & loca, & tempora paſſionis
ſuæ oſtendit. Contra ſecundum, ſcilicet con-
tra perfidiam, loquebatur Deus Moyſi, & o-
8 ſtendit ei legem, & voluntatem ſuam, 8 &
var. verba ſua ſignis, & operibus adimplebat.
lect. His impletis, nec adhuc malitia diaboli de-
ſtitit, ſed hominem ad deteriora ſemper in-
ſtigans, immiſit cordi eius alia duo. Primo,
ſcilicet cogitare legem nimis intolerabilẽ, &
inquietari in eius obſeruatione. Secundo
immiſit ei quod quaſi incredibile videretur,
& nimis difficile ad credendum, quod Deus
ex charitate vellet mori, & ex charitate tri-
bulari. Contra hæc duo Deus iterum alia
duo remedia dedit. Primo, ne homo inquie-
taretur in legis duritia, miſit filium ſuum in
virginis vterum, qui aſſumpta humanitate
compleuit ea quæ legis erãt, & deinde ipſam
legem mitigauit. Contra ſecundum oſtendit
Deus virtutem maximam, nam mortuus eſt
Creator pro creatura, iuſtus pro impijs, tri-
bulatus eſt innocens vſque ad vltimum pun
ctum, ſicut per Prophetas fuit Prophetatũ.
Nec adhuc ceſſauit nequitia diaboli, ſed ere-
xit ſe adhuc contra hominem alia duo im-
mittendo. Primo enim immiſit cordi eius,
vt verba mea haberentur pro deriſione. Se-
cundo, vt opera mea quaſi darentur obliuio
ni. Contra hæc duo, virtus Dei iterum inci-
pit demonſtrare alia duo remedia. Primo, vt
verba mea reducantur in honorem, & opera
mea ad imitationem aſſumantur. Ideo duxit
te Deus in ſpiritum ſuum, & oſtendit per te
voluntatem ſuam in terra amicis ſuis ſpe-
cialiter propter duo. Primo, vt miſericordia
Dei oſtendatur, qua reuocari addiſcant ho-
mines ad memoriam charitatis, & paſſionis
Dei. Secundo vt iuſtitia Dei attendatur, &
ſeueritas iudicij mei timeatur. Propterea
didiciſti, vt quia miſericordia mea iã venit,
proferas eam in lucem, vt diſcant homines
quærere miſericordiam, & de iudicio ſibi
præcauere. Inſuper dic ei, quod licet verba
mea ſcripta ſint, tamen prius annunciari de
bent, & ſic venire in opera. Sicut per exem-
plum intelligere poteris. Cum Moyſes acce-
pturus eſſet legem, præparata erat virga, &
dolatæ tabulæ. Non tamen fecit miracula
cum virga, antequam neceſſitas eſſet, & tem
pus requirebat, veniente vero tempore acce
ptabili, tunc oſtenſa ſunt miracula, & verba
mea operibus declarata. Similiter & venien
te noua lege, primo corpus meum creſcebat
& proficiebat ad ætatem debitam. Deinde
verba audiebantur. Attamen licet verba au-

 dieban-

diebantur; non tamen habebant in ſe vim, & fortitudinem, antequam venerunt opera. Nec completionem habebant, antequam per paſſionem compleui omnia, quæ de me erant prophetata. Sic etiam nunc eſt. Nã licet verba charitatis meæ ſcripta ſint, & portari debeãt in mundum, non tamen vim habere poterunt antequam in lucem plenariam venerint.

NOTAE.

1 *PAulo poſt initium in impreſſis exemplaribus, vbi legitur*. Sed omnia rationabiliter
var. facta ſunt ſicut vnicuique rei congruebat,
lect. Deitas igitur, quia veraciter virtus nuncupari poteſt.

M S. Farneſianus habet. Sed omnia rationabiliter ſacta ſunt, ſicut vnicuique rei congruebat, ſcias etiam tu, quod Deitas veraciter virtus nuncupari poteſt.

2 Et ex iſto inordinato motu meruerunt caſum, non quod Deitas cum ipſis creaſſet, ſed quia ipſi ex inordinatione ſcientiæ ſuæ ſibi ipſi procurauerunt eundem caſum.

Ex his verbis palam fit, caſum Angelorum nullo pacto eſſe in Deum retorquendum, ſed in ipſoſmet Angelos, qui intenſius ſuæ naturæ pulchritudinem conſiderantes: exiſtimarunt beatitudinem illis, non ex gratia, ſed ex ſuæ nobilitate naturæ, & a Deo etiam independenter ſibi competere, atque hinc patet huius textus intelligentia: cum enim legimus, & ex iſto inordinato motu, vel vt infra, ex inordinatione ſcientiæ ſuæ procurauerunt ſibi ipſis caſum, intellige motum conuerſionis inordinatum, qui proceſſit ex conſideratione ſuæ excellentiæ, quod illis præbuit anſam delinquendi, ad ea vero verba nimirum (non quod Deitas cum ipſis creaſſet eum) ſubintellige eum motum inordinatum, qui ex libera eorum manauit voluntate, & nullatenus a Deo poterat prouenire, quia non poteſt eſſe cauſa peccati, & mali culpæ, vt teſtatur D. Iacobus in ſua Canonica, cap. 1. Deus enim intentator malorum eſt, & Rom. 9. Paulus Apoſtolus, nunquid iniquitas eſt apud Deum (abſit) ſed de caſu Angelorum, vide ſupra lib. 1. cap. 34. nota 4. & lib. 2. cap. 12. nota 1. & libro 4. cap. 106. nota 1.

3 Cum ergo vidiſſet Deus in exercitu ſuo cæleſti diminutionem ex proprio vitio ipſorum factam, fecit iterum Deitas vitutem ſuam, nam creauit hominem cum corpore, & anima.

Verba huius textus indicare videntur, lapſum Angelorum præbuiſſe cauſam creationi hominum, quod etiam apertius probant ea verba, quæ aliquanto poſt in perſona dæmonum referuntur, nimirum (ecce Deus quoddã nouum fecit, quod in locum noſtrum poteſt aſcendere, & pugnando vincere, quod nos negligenter reliquimus) cæterum ex his verbis dubitare merito quiſquam poterit, an prius fuerint creati Angeli, quã homines, & quidẽ Angelos præceſſiſſe hic ſatis clare colligi poſſe videtur, quod etiam docuit D. Chriſoſt. hom. 21. in Geneſim, & D. Aug. lib de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 2. D. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 12. quam opinionem putat eſſe veram doctiſſimus Bannes in commentarijs ad primam partem S. Thomæ q. 61. art. 3. qui plures pro ea opinione citat, verum ſi loquamur de Angelorum creatione in ordine ad hunc mundum viſibilem, fateri omnino neceſſe eſt eos fuiſſe creatos ſimul cum vniuerſo, & nullatenus præceſſiſse, ſuoq. creatori coeternos minime extitiße, quod quam plures ex ſanctis patribus tradiderunt, vt D. Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 6. & 9. & Epiphanius lib. 1. contra hæreſes hæreſi 65. Theodoretus q. 3. in Geneſim D. Greg. Pont. 32. moral cap. 20. 24. & 25. D. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. fauet etiã D. Eucherius in Geneſim cap 1. & eſt communis opinio omnium fere ſcholaſticorum cum Magiſtro in 2. d. 2. & colligitur etiam ex illo Eccleſiaſt. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, plures etiam alij ſequuntur hanc opinionem, quos citat Lipomanus in catena Gene. ad ea verba, In principio creauit &c. Poſtremo videtur hoc definitum in concilio Lateranenſi Romæ celebratum ſub Innocentio III. & refertur in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi habetur, Creator omnium inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam, ſed quoniam multi magnæ ſanctitatis, ac nominis viri contrariam ſententiam ſequuti ſunt, quos referunt Dominicus Bannes vbi ſupra, & Sixtus Senenſis in ſua Bibliateca, lib. quinto, annotatione quinta ideo dicendum videtur, opinionem aſſerentium Angelos fuiſſe creatos ante hunc mundum viſibilem, non eſſe cenſendam contra fidem, quicquid dixerit Ferarienſis 2. contra gentes cap. 83. & hoc tradit D. Aug. 11. de Ciuitate cap. 32. nefas enim eſſet dicere, tot ſanctos Patres, qui eam ſequuntur tã turpiter in fide erraſſe, & idcirco ad locũ concil. Lateranen. reſpõdendũ eſt cũ Caietano ſuper 1 p S. Thomæ art. 3. q. 61. quod eius decretalis intentio fuit repellere Origenis errorem, ſiue eorum, qui dixerunt ſpirituales ſubſtantias primum a Deo eſſe productas, vt ſpirituali dignitate potirentur, deinde cũ peccaſſent creata fuiſſe corpora omnia, quibus veluti detruſæ carceribus peccatorũ luerent poenas, ſed hunc errorem Origenis confutat egregie Cyrillus libro primo in Ioann. cap. 4. qua de re etiam egimus libro quinto reuelat. interrogat. 9. quæſtio ſecunda.

4 Deinde excogitato conſilio deceptionis
var. ex malitia ſua primum hominem, & in eum
lect. ex iuſtitia, & ex permiſſione mea præualuerunt.

Rectius

Rectius M. S. Farnesianus legit, Et in eum ex Christa permissione mea praeualuerunt.

Et imittens stercus suum in anima.

Sensus est, & proponens dæmon terrenas delitias & carnales voluptates hominibus, sic decepit eos, vt amplius, nec Deum diligant, nec timeant, vnde D. Greg. Hom. 31. explicans illud Ioelis 1. computruerunt iumenta in stercore suo, iumenta inquit, in stercore suo computrescere, est carnalis quosque in fœtore luxuriæ vitam finire, & paulo supra, peccata etenim carnis stercora vocantur idem annotauit ibidem D. Hieron. & super Ezechiel. c. 4.

6 *Paulo post vbi in vulgatis legitur,* Obliuisce-
var. batur quippe iustitia Dei.
lect. *M. S. habet, Negligebatur quippe iustitia Dei.*

7 Immo ostendit misericordiam suam, & iustitiam, misericordiam, quando ostendit hominibus, scilicet Adæ, & alijs bonis, quod tempore definito obtinerent auxilium.

Nimirum quando per Prophetas propalauit Deus gentibus verbum fore incarnandum, & a seruitute dæmonis per eum homines esse liberandos, & hoc est, illud auxilium, quod definito tempore erat eis tribuendum, de quo D. Paul. Apost. ad Galat. 4. verba faciens ait, at vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.

8 Et verba sua signis, & operibus adimplo-
var. bat.
lect. *M. S. habet, Adimplebit.*

DE TRIBVS MIRABILIBVS, quæ Christus fecit cum sponsa, & quomodo visio Angelorum propter pulchritudinem, & visio dæmonum propter turpitudinem est intolerabilis in sua essentia, & quare dignatus est Christus talem viduam hospitari.

CAP. XVIII.

TRIA mirabilia tecum feci. Vides enim spiritualibus oculis. Tu etiam audis spiritualibus auribus. Tu sentis corporali manu spiritum meum in
1 tuo viuente pectore. 1 Visio
quam vides non tibi videtur sicut est. Si enim videres spiritualem pulchritudinem Angelorum, & animarum sanctarum, corpus tuum non sufficeret videre, sed rumperetur quasi vas corruptum, & putridum, propter gaudium animæ ex visione. Si autem videres dæmones sicut sunt, aut viueres cum pio dolore, aut morereris per subitaneam mortem, propter terribilem visionem eorū. Ideo videntur tibi spiritualia quasi corporalia. Angeli, & animæ videntur tibi in similitudine hominum, qui habent vitam, & animam, quia Angeli viuunt cum spiritu suo.
2 2 Dæmones videntur tibi in forma, quæ est
ad mortem, & mortalis, vt in forma animalium, vel aliarum creaturarum. Illa enim habent mortalem spiritum, quia moriente carne moritur spiritus, diaboli autem non moriuntur in spiritu, sine fine enim moriuntur, & sine fine viuunt. Spiritualia vero verba cum similitudine tibi dicūtur, spiritus enim tuus aliter non potest capere. Inter omnia autē [illegible]bilius, quod spiritus meus in corde tuo sentitur moueri. Tunc illa re-
3 spondit. 3 O Domine mi, & filius Virginis,
var. quare dignatus es tu tam vilem viduam ho
lect. spitari, quæ sum pauper in omnibus bonis
operibus, & modica in conscientiæ intellectu, & consumpta in omni peccato longiturnitate temporis? Cui ille respondit. Ego habeo tria. Primo ego possum pauperem ditare, insipientem, & modici intellectus facere sufficientem, & intelligentem. Ego sufficio etiam antiquum renouare ad iuuentutem.
4 4 Sicut enim fœnix comportat in vallem stipulas siccas, inter quas comportat stipulas vnius arboris, quæ exterius est sicca ex natu
5 ra, & intus calida, 5 in quam primo venit ca
var. lor radij solis, & incenditur. Deinde ex ipsa
lect. omnes stipulæ accenduntur. Sic oportet te
congregare virtutes, quibus a peccatis renouari possis. Inter quas vnum lignum habere debes, quod interius est calidum, & exterius siccum, idest, cor quod purum sit, & siccatum exterius ab omni mundi delectatione, & interius plenum omni charitate, vt nihil velis nihil desideres, nisi me. Tunc in hoc primo
1 veniet ignis charitatis meæ, & sic incenderis
omnibus virtutibus, in quibus concremata, & a peccatis purgata, resurges quasi auis renouata, deposita pelle delectationis.

NOTAE.

1 VIsio quam vides non tibi videtur sicuti est.

Quoniam impossibile est, dum in hac vita mortali sumus diuinam corporalibus oculis immediate intueri essentiam, quandoquidem, vt ait Apostolus 1. Corinth. 13. videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, ideo legimus hic visio quam vides non tibi videtur sicuti est, cognitio enim Dei per similitudinem non est visio diuinæ essentiæ, vt docet D. Thom. 1. par. q. 12. art. 2. 9. & 11. quam facie ad faciem videre tantūmodo Beatis in Patria conceditur sicut 1. Io. 3. scribitur quoniā

cum

eum appparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt, quod explicans Dionyſius Carthuſianus, videbimus, inquit ipſam ſuperadorandæ Deitatis ſuperſubſtantialem eſſentiam in ſe ipſa, & per ſe ipſam clare, & mediate, quod etiam annotarunt Dydimus Alexandrinus. Lyranus. & Gloſſ ibidem, hinc eſt, quod in his cæleſtium reuelationum libris frequenter legimus, omnia fere B. Brigittæ ſub diuerſis rerum imaginibus fuiſſe oſtenſa, vt patet lib. 3. 4. 5. & 6. cuius rei teſtis eſt etiam S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis qui alloquens B. Brigittam. lib. reuelat. 3. cap. 6. ait loquor tecum per ſimilitudinem, quoniam cor tuum non poteſt capere intelligentiam ſpiritualium ſine aliqua corporali ſimilitudine, an vero in via peculiari Dei beneficio alicui datum ſit, vt Deum [redacted] abſq. ſimilitudine aliqua viderit, noſtrum non eſt hoc loco definire, & quidem de Moyſe, & Paulo affirmarunt D. Augu. 12. ſuper Geneſim ad litteram cap. 27. & ad Paulinum Epiſt 112. & ſerm. 47. ad fratres in heremo D. Ambroſ. lib. 1. exam cap. 2. & in poſteriori Epiſt ad Corint. cap. 12. & ibi D. Anſelm. & venerab Bed. & de Moyſe D Baſil. Hom. 1. exameron, Lyranus, & Burgen. in Epiſt ad Corint. 2 loco cit D Thomas 2. 2. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 3. Durandus in 4. diſtinct. 49 qu. 6. & alij plures quamquam non deſint grauiſſimi Doctores, qui contrarium etiam ſentiunt, vt D. Greg lib. 18. moral. cap 37. & 38. D. Hieron. lib. 3. contra pelagianos prope fi D. Chriſoſt. hom. 14 in Ioan. D. Greg. Nazianzenus lib. 2. ſuæ Theologiæ non longe ab initio D Cyrillus ſuper Io. lib. 1. cap. 28. ſed hac de re fuſius egimus infra lib. 5. interrogat 8. q. 2.

2 Dæmones videntur tibi in forma, quæ eſt ad mortem.

Nulli mirum videri debet, ſi dæmones hominibus frequenter in forma mortuorum appareant animalium, quandoquidem ſicut Chriſtus vita eſt, ita Dæmon mors eſt, de quo Apocalip. 6. & nomen illi mors eſt. non quidem quia ipſe mors ſit, vt annotauit D. Aug. in pſal. 48. ſed quia per illum mors, & de eo Dauid in hoc pſalmo ſcripſit Mors depaſcet eos, vbi dicit D Aug. ſi ergo in inferno oues ſunt quibus paſtor mors eſt, in cælo ſunt oues, quibus paſtor vita eſt, idem tradidit D. Greg. Magnus libro 19. moral cap. 2. & D. Hieron. ſuper Iſaiam cap. 28. & ſuper Oſeam cap. 13.

3 O Domine mi, & filius Virginis, quare var. dignatus es tu tam vilem viduam hoſpitari. lect.

M. S. habet, Tam vilem viduam viſitare.

Et paulo poſt, vbi in impreſſis codicibus legitur.

4 Sicut enim fenix comportat in vallem ſtipulas ſiccas.

Hic locus mancus eſt, & cum M. S. Farneſiano ſic reſtituendus, ſicut enim fænix cum ſenectute grauatur comportat in vallem ſtipulas ſiccas.

5 In quam primo venit calor radij ſolis, & var. incenditur.

lect. *Farneſianus codex M. S. habet, In quam primo venit calor, & ex ſolis radijs incenditur.*

VERBA CHRISTI AD

ſponſam qualiter Deus loquitur amicis ſuis per ſuos prædicatores, & per tribulationes, & quomodo Chriſtus per apum poſſeſſorem, & Eccleſia per Alueolum, & Chriſtiani per apes deſignantur, & qualiter mali Chriſtiani inter bonos permittuntur viuere.

CAP. XIX.

EGO ſum Deus tuus. Spiritus meus introduxit te audire, & videre, & ſentire. Audire verba mea, videre ſimilitudines, ſentire ſpiritum meum cum gaudio, & deuotione animæ. In me eſt omnis miſericordia cum iuſtitia, & iniuſtitia miſericordia. Ego ſum ſicut ille, qui videt amicos ſuos cadere a ſe in viam, vbi chaos horrendum eſt, de quo impoſſibile eſt conſurgere. Quibus amicis loquor per eos, qui habet intelligentiam ſcripturæ. Lo- 8
quor per flagella, præcaueo eos de periculo
7 eorum. Sed ipſi contra vadunt in meipſum nô curantes de verbis meis. Verba mea non ſunt niſi quaſi vnum verbum, hoc eſt conuertere peccatorem ad me. Vadis enim periculoſe, quia niſi die ſunt in via, & pro tenebris cordis tui a te quales ſunt abſconduntur. Hoc verbum meum contemnitur, hæc miſericordia mea negligitur. Veruntamen quamuis ſic miſericors ſum, [illegible] quod etiam ſi
1 omnes Angeli traherent eos, Non poſſent conuerti, niſi ipſimet mouerint voluntatem ſuam ad bonum. Si vero ipſi voluntatem ad me verterint, & affectu in me conſenſerint, non omnes dæmones eos retinere poſſunt. Eſt enim vermis quidam, qui dicitur apis in poſſeſſione domini ſui. Quæ apes regi ſuo [illegible] triplicem reuerentiam exhibent, & ab eo triplicem virtutem habent. Primo apes portant ad regem ſuum omnem dulcedinem, quam poſſunt acquirere. Secundo ſtant ad nutum eius, & exeunt, quocunque volant, & quocunque proceſſe- 1
rint, ſemper charitas, & amor eorum eſt ad regem. Tertio ſequuntur eum, & ſtabiliter inhærendo obſequuntur. Primo his tribus apes habent a rege ſuo triplex bonum. Primo ex voce eius habent certum tempus exeundi, & laborandi. Secundo habent ab eo regimen, & mutuam charitatem. Et eius

quippe

quippe præſentia, & principatu, & eius charitate, quã ipſe habet ad eas, & ipſe ad eũ; vnaquæque coniungitur charitate cum alia vnaquaque de alia, & ex alterius profectu gratulatur. Tertio ex charitate mutua, & gaudio capitis ſui fructiferæ fiunt. Sicut enim piſces in mari colludendo emittũt oua ſua, quæ cadentia in mari fructificant. Sic apes ex mutua charitate, & dilectione capitis ſui, & gaudio fructiferæ fiunt, ex quarum charitate mirabili, & virtute mea, progreditur quoddam ſemen quaſi mortuum, & bonitate mea habebit vitam. Dominus vero, ideſt poſſeſſor apũ, ſollicitus de eis loquitur ſeruo ſuo. Serue inquit meus, mihi videtur, quod apes meæ quædam infirmæ ſunt, & nihil volantes. Reſpondit ſeruus: Huius infirmitatis non habeo intelligentiam, ſed ſi ſic eſt quæro quomodo poſſum hæc ſcire? Reſpondit Dominus ex tribus ſignis harum infirmitatem, ſeu defectum colligere poteris. Primo, quia inualidæ ſunt, & deſides in volatu, & hoc prouenit, quia amiſerunt regem ſuum, a quo ſolatium, & infirmitatem deberent habuiſſe. Secundo, quia incertis, & indiſpoſitis exeunt horis; & hoc eſt, quia de voce capitis nullum habent ſignum. Tertio, quia nullam charitatem habent ad Alueolum, ideo vacuæ redeunt ſatiantes ſe, & nihil dulcedinis, vnde in futurum viuant reportantes. Apes vero, quæ ſunt ſanæ, & habiles, ſunt ſtabiles in volatu, & fortes. Tempus exeundi, & redeundi habent debitum, reportantes ceram ad conſtruendum loca ſua mel vero ad fruendum. Tunc reſpondit ſeruus Domino. Si ergo inutiles ſunt, & infirmæ, cur diutius pateris eas, & non interficientur? Reſpõdit Dñs. Ego permitto eas viuere triplici de cauſa, quia triplex ſerũt cõmodum, ſed non virtute ſua. Primo occupant loca præparata, ne venientes bruci occupent loca vacua, conturbãdo alias bonas, & vtiles apes. Secũdo, vt aliæ apes fructiferæ fiant, ex malarum apum malitia fructuoſiores, & ſollicitiores in laborando; Quando enim fructiferæ apes vident infructuoſas, & malas apes laborare ad cupiditatis propriæ ſolam repletionem, tanto fiunt in congregando ad regem ſuum ſollicitiores, quo malas viderint ad ſolam cupiditatem feruentiores. Tertio valent bonis apibus ad mutuam defenſionem. Eſt enim vermis quidam ſolitus comedere apes, quem apes intelligentes venire omnes communiter odiunt eũ, & licet malæ apes impugnant, & odiunt eum propter inuidiam, & pro vita ſua tuenda, bonæ vero ex charitate, & iuſtitia, mutuo tamen ad expugnationem vermis laborant bonæ apes, & malæ. Alioquin ſi omnes apes malæ ſubtractæ eſſent, bonæ vero ſolæ

remanerent, citius in eas vermis, quia pauciores eſſent præualeret. Et ideo inquit Do-
2 minus ſuffero apes inutiles. 2. Verumtamen cum autumnus veniet, prouidebo apibus bonis, & ſeparabo eas a malis, quæ ſi modo extra Alueolum relinquerentur, morerentur frigore. Si vero intra fuerint, & nõ congregauerint fame præfocabuntur, quia neglexerunt congregare cum potuerunt.
3 Ego Dominus creator omnium. 3 Ego ſum dominus apum iſtarum. Ego ex intima charitate, & ſanguine meo, fundaui mihi alueolum apum iſtarum, ideſt Sãctam Eccleſiam, in qua Chriſtiani per vnitatem fidei, & mutuæ dilectionis congregari deberent, & morari. Horum loca ſunt eorum corda, in quibus dulcedo cogitationum bonarum, & affectionum habitare deberet, quæ trahi deberet ex conſideratione charitatis meæ in creando, & ex redemptione mea, & patientia in ſupportando, & ex miſericordia mea in reuocando, ſeu renouando. In hoc alueolo, ſcilicet Sancta Eccleſia, duo ſunt genera hominum tamquam duo genera apum. Primi ſunt mali Chriſtiani, qui non congregant mihi, ſed ſibi ipſis; qui vacui redeunt, & neſciunt caput; quia ſtimulum habent pro dulcedine, cupiditatem pro charitate. Bonæ vero apes boni Chriſtiani ſunt, hi exhibent mihi triplicem reuerentiam. Primo habent me pro ſuo capite, & Domino, offerentes mihi mel dulcedinis, ideſt, opera charitatis, quæ mihi ſunt ſuauiora, & ſibi ipſis vtiliora. Secundo ſtant ad voluntatem meam, horum voluntas eſt ſecundum voluntatem meam, cogitatio tota ad meam paſſionem, operatio tota ad meum honorem. Tertio ſequuntur me, ideſt obediunt mihi in omnibus vbicunque fuerint, ſiue extra, ſiue intra, ſiue in tribulatione, ſiue in lætitia, ſemper cor eorum eſt cum corde meo. Ideo triplicem virtutem habent a me. Primo ex voce virtutis, & inſpirationis meæ, tempus debitum, & certum habent, ſcilicet noctem tempore noctis, & lucem tempore lucis. Necnon; & noctem mutant in lucem, ideſt gaudium mundi, in æternum gaudium, & caſurum gaudium in perpetuam felicitatem. Hi in omnibus ſunt rationabiles, quia præſentibus vtuntur ad neceſſitatem, ſtabiles in aduerſitatibus, cauti in proſperitate, moderati in cura carnis, ſolliciti, & circumſpecti in agendis. Secũdo ſicut bonæ apes mutuam habent charitatem. Ita, & ipſi boni vnum cor habent ad me; & proximum diligunt tamquã ſe, me autem ſuper omnia, & ſuper ſeipſos. Tertio fiunt a me fructiferi. Quid vero eſt fructificare, niſi ſpiritum meum ſanctum habere, & eo impleri. Quicunque enim eum non habet, & qui eius caret dulcedine, infru

ctuoſus

ctuoſus eſt, & inutilis ipſe cadit, & adnihilatur. Spiritus vero ſanctus accendit illum, quem inhabitat charitate diuina, aperit intelligentiæ ſenſum. Extirpat ſuperbiam, & incontinentiam, excitat mentem ad Dei honorem, mundique contemptum. Hunc ſpiritum apes infructiferæ neſciunt, & ideo contemnunt regimen, refugiunt vnitatem, & charitatis ſocietatem. Vacuæ ſunt in bonis operibus, mutant lucem in tenebras, conſolationem in luctum, gaudium in dolorem. Veruntamen propter tria patior eas viuere. Primo ne in ſpatia præparata ingrediantur bruci, id eſt infideles. Si enim mali homines inſimul ſubtraherentur, pauci remanerent boni, propter quorum paucitatem infideles, quia plures ſunt ingrederentur ad eos, & cohabitantes eis nimium moleſtarent. Secundo tolerantur ad bonorum probationem. Ex malitia quippe malorum, probatur bonorum conſtantia. Nam in aduerſitate oſtenditur quãtum quiſq; patiens eſt. In proſperitate vero quantum quiſque conſtans eſt, & moderatus. Quia ergo vitia quandoque ſubrepunt iuſtis, & virtutes frequenter extollunt, ideo permittuntur mali viuere cum bonis, ne boni diſſoluantur nimia lætitia, vel dormitent accidia, & vt frequenter habeant ad Deum oculos. Vbi enim minor eſt pugna, minor datur & merces. Tertio tolerantur ad auxilium, ne gentiles, vel inimici alij infideles noceant, ſed timeant eo magis, quo plures fuerint, qui videntur boni. Et ſicut boni reſiſtunt malis ex iuſtitia cum diuina charitate, ſic & mali pro ſola vita tuenda, & ira Dei vitanda. Et ſic omnes mali, & boni adiuuant ſe inuicem, vt mali propter bonos ſupportentur, boni vero propter malitiam malorum ſublimius coronentur. Cuſtodes vero apum hi ſunt prælati Eccleſiarum, & Principes terræ boni, ſiue mali. Ad bonos vero cuſtodes loquor, quos, & ego Deus, & cuſtos eorum admoneo, vt cuſtodiant apes meas. Conſiderent enim exitũ earum, & ingreſſum. Attendant ſi fuerint infirmæ, vel ſanæ. Quod ſi forte diſcernere neſciunt, ecce tribus ſignis dico eis quomodo cognoſcant. Hæ apes inutiles ſunt, quæ ſunt ſegnes in volatu, in diſpoſito tempore, vacuæ in apportatione dulcedinis. Segnes in volatu ſunt illi, qui plus curant de temporalibus, quam æternis, plus timent mortem corporis, quam animæ, qui ſic loquitur ſecum dicens. Cur debeo habere inquietudinem, cum poſſim habere quietem? Cur de-
4 beo me dari morti cum poſſim viuere. 4
Nõ cõſiderãtes miſeri, quod ego Rex gloriæ potentiſſimus, aſſumpſi in me impotentiam. Sum etiam quietiſſimus, & ipſa vera quies, & tamen aſſumpſi pro eis inquietudinem, quos & morte mea liberaui. Illi vero indiſpoſiti ſunt tempore, quorum affectus quæ-
c rit terrena. Quorum loquutio ad ſcurrilia. Quorum opus ad propriam vtilitatẽ. Quorum tempus tale eſt, quale quærit corpus. Illi autẽ charitatẽ non habent ad alueolum, nec etiam congregant dulcedinem, quia opera quædam faciunt mihi bona, ſed tantum ex timore ſupplicij. Qui licet opera
E quædam pietatis habent, non tamen relinquunt propriam voluntatem, & peccatum. Qui ſic habere uolunt Deum, vt tamen, nec mundum relinquant, nec aliquem defectum & turbationem patiantur. Illi tales vacuis pedibus currunt in domum, quia currunt, ſed indiſcrete volant, ſed non charitate debita. Propterea cum autumnus venerit, id eſt, tẽpus ſeparationis. Apes inutiles ſeparabuntur a bonis, quæ pro amore ſui, & cupiditate, fame æterna cruciabuntur. Pro contemptu vero Dei, & tedio boni, nimio frigore diſſoluentur, ſed non conſumentur. Veruntamen amici mei de triplici malitia malarũ apum ſibi cauere debent. Primo ne putredo earum veniat in aures eorum, quia venenatæ ſunt. Ablato quippe melle vacuæ ſunt a dulcedine, pro qua abundant amaritudine venenata. Secundo caueant pupillæ oculorum ſuorum pro alis earum, quia acutiſſimæ ſunt, quaſi acus. Tertio ſeruent corpus ſuum ne nudum ſit pro caudis earum, habent enim aculeos, quibus amare nimis pungunt. Quid autem iſta ſignificent ſapientes ſciunt exponere, qui mores earum attendunt, & affectus. Qui vero neſciunt intelligere timeant periculum, fugiant conſortium earum, & exempla. Alioquin addiſcent experiendo, quæ non nouerunt audiendo. Deinde loquebatur Mater. Benedictus ſis tu fili mi, qui es, & qui eras, & qui æternaliter eris, miſericordia tua dulcis eſt, & iuſtitia tua magna. Mihi videtur fili mi per ſimilitudinẽ loquendo, quod nunc ſic tecum eſt, quaſi, quod quædam nubes aſcenderet in cęlum, hanc vero præcederet leuis aer. In nube autem apparuit quaſi quoddam tenebroſum, ſed qui erat extra domum ſentiens lenitatẽ aeris, eleuauit oculos, & vidit nubem tenebroſam, & conſiderans ſecum ait. Obſcuritas iſtius nubis videtur mihi ſignificare futuram pluuiam, & mox ſano vſus conſilio feſtinauit in latibulum a pluuia ſe abſcondens. Alij vero, qui erant cæci, vel qui forte non curabant paruipendentes lenitatem aeris, nec formidantes obſcuritatem nubis experiebantur hoc, quod nubes ſignificabat. Quæ quidem nubes creſcens per totum cælum, venit cum maxima commotione, & igne impetuoſo tamquam forti, quod ad commotionem eius exibat vita. Ad ignem vero

omnia

omnia consumebantur interiora homini, & posteriora, ita quod nihil remaneret. Hæc nubes fili mi verba tua sunt, quæ multis tenebrosa videntur, & incredibilia, quia non multoties audita, quia idiotis ministrata, nec signis declarata. Hæc verba præcedit petitio mea, & misericordia tua, qua misereris omnibus, & allicis quasi mater omnes ad te. Hæc misericordia lenis est quasi aer lenissimus in patientia, & sufferentia, & calida est in charitate, qua prouocantes te ad iram mones ad misericordiam, & offers côtemptoribus pietatem. Ergo omnes, qui audierint verba hæc eleuent oculos, & videbunt in intelligentia, vnde processerint verba: Inquirant si sonuerunt misericordiam, & humilitatem. Attendant si sonant præsentia an futura, veritatem an falsitatem, & si vera inuenerint fugiant ad latibulum, idest, ad veram humilitatem cum diuina charitate, nam cum iustitia venerit, tunc præ timore separabitur anima a corpore, animam vero claudet in se ignis, & ardebit interius, & exterius. Ardebit quidem, sed non consumetur. Propterea ego regina misericordiæ clamo ad habitatores mūdi, vt eleuēt oculos, & videant misericordiam. Ego moneo, & rogo quasi mater, consulo quasi domina. Cum enim venerit iustitia, impossibile erit resistere. Ergo credite firmiter, & respicite, probate in conscientia veritatem, mutate voluntatem, & tunc qui ostenderit verba charitatis, ostendet, & opera, & signa charitatis. Deinde filius mihi loquebatur dicens. Ostendi tibi supra de apibus, quod habent
5 triplex bonum de apiastro suo. 5 Dico tibi nunc, quod tales apes deberent esse illi cruciferi, quos in illis finibus terrarum Christianorum posui. Sed iam ipsi pugnant contra me, nam de animabus non curant, non compatiuntur corporibus, conuersorum ad fidē Catholicam, & ad me de errore. Opprimunt enim eos laboribus, priuant libertatibus, in fide non instruunt eos, sacramentis priuant, & cum maiori dolore mittunt eos ad infernum, quam si starent in suo assueto paganismo. Nec etiam pugnant nisi vt dilatent superbiam suam, & augeant cupiditatem suam. Ideo veniet eis tempus, quo confringentur dentes eorum manus dextra mutilabitur, & subneruabitur dexter pes eorum, vt viuant, & seipsos cognoscant.

NOTAE.

1 Non possent conuerti nisi ipsimet mouerint voluntatem suam ab bonum.

Cum iustificatio motus quidam sit, quo homo excitatus a Deo recedit a statu peccati, & ad Deum conuertitur, quis non videat, ad huiusmodi conuersionem liberi arbitrij motionem requiri: cum autem homo in hoc iustificationis actu respiciat vtrunque statum recessum, scilicet a peccato, & accessum ad Deum, vtique necesse erit, quod eius mens per liberi motum arbitrij recedat a peccato illud detestando, & accedat ad Deum eum diligendo, eiusque gratiam acceptando, & hoc est mouere voluntatem suā ad bonum, vt legimus hic, vnde Ioan. 6. scribitur, omnis qui audit a Patre, & didicit venit ad me; sicut enim nequit intelligi, aliquem discentem nisi doctrinæ Magistri consentiat, ita nec Deum iustificantem aliquem per gratiam, nisi iustificandus conetur ad Deum ire per liberum arbitrium, sed hic diligenter aduertendum cum D. Thoma p. 2. q. 113. art. 3. quod sicut Deus est, qui iustificat impium, vt dicitur Rom. 3. ipse quoque est, qui mouet impij voluntatem ad iustitiam, mouet autem secundum vniuscuiusque modum, omnia namque suauiter disponit Sapientiæ 8. scribitur, & quia homo liber est, ita impēdit homini donum gratiæ iustificantis, quod etiam simul cum hoc liberum moueat arbitrium ad illud donum acceptandum, nullam libertati vim inferendo.

2 Veruntamen cum autumnus veniet prouidebo apibus bonis, & separabo eas a malis.

Quemadmodum in autumno eos colligit fructus homo, quos prius seminauerat, eosque in horreo collocat, vt inde postea reliquo suæ vitæ tempore habeat vnde de cætero viuere possit, ita quoque cum ex hac vita mortali decesserit, vt sementem fecerit, ita tunc temporis metet, si enim bonorum operum ediderit fructus, eos colliget, hisque perpetuo in alia vita fruetur, quandoquidem illi Deus copiosam tunc rependet remunerationem. Designat namque autumnus remunerationis tempus, vt tradit D. Hieron. super Isaiam cap. 28. explicans illa verba, & erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneū ante maturitatem autumni, & hoc est, quod scribitur hic. veruntamen cum autumnus veniet prouidebo apibus bonis.

3 Ego Dominus creator omnium, ego possessor apum illarum.

Hoc loco Christus Dominus se vniuersalis Ecclesiæ caput esse, ac principem docet, quod sibi iure competere probat, quoniam eam sanguine suo acquisiuit, vt actorum 20. D. Lucas tradidit optime autem se regi apum similem facit, qui, & habet misericordiam mel, & aculeum iustitiæ: per misericordiam namque peccatoribus ad se reuertentibus parcit, sed per iustitiam si in peccatis persistunt eosdē grauiter punit; hanc etiam ob causam Lucas 21. cap. & 10.

20. &

20 & piſcem aſſum, & fauum mellis ei Apoſtolos obtuliſſe ſcribunt, vt indicent, quod ipſe erat piſcis aſſus per humanæ naturæ paſſionem, & fauus mellis per naturæ diuinæ dulcedinem, & ſicut in fauo mellis, mel ceræ coniungitur, ita in Chriſto diuinitas, & diuinitatis dulcedo in humanitate copulatur.

4 Non conſiderantes miſericordiam, quod ego Rex gloriæ potentiſſimus aſſumpſi in me impotentiam.

Chriſtus Saluator noſter hic eos redarguit, qui Dei miſericordiæ obliti minime aduertunt, ipſum pro eorum redemptione carnem humanam aſſumpſiſſe, eiuſque naturales proprietates, ac infirmitates, vt ſitim, famem, triſtitiam, & mortem, cæteraſque, quæ imperfectionem aliquam non importabant, eique dignitati eius non repugnabant, & hoc eſt, quod dicit hic, aſſumpſiſſe impotentiam, non quod ipſe factus ſit impotens, ſed quod ita ſe geſſerit, quaſi fuerit factus impotens, vt infirmitates noſtras ſubleuaret, noſque ad cælum ſecum duceret.

5 Dico tibi, quod tales apes deberent eſſe illi cruciferi, quos in illis finibus terrarum Chriſtianorum poſui.

Per Cruciferos hoc loco intelligendi ſunt Religioſi Sanctiſſ. Mariæ de Mercede, quorum ſocietas inſtituta eſt ad captiuos Chriſtianos redimendos; huius auctor præcipuus Iacobus Aragoniæ Rex fuiſſe fertur, poſt vero hunc Regem, quidam Nolaſcus natione Gallus Ducem ſecuturis ſe exhibuit, bonis legibus naſcentem familiam temperauit: Regia inſignia cruci impoſita in rubro clypeo ad veſtem candidam, & cucullum toti familiæ diſtinctionis cauſa data ſunt. Ipſe coram Rege, & Proceribus de manu S. Raymundi Depennaforti nuper à Clemente VIII. Pont. in SS. num. relati, qui tunc Regi à confeſſionibus erat, ſolemni ceremonia veſtẽ albam, & cucullum cum S. Crucis ſigno ſuſcepiſſe ſcribitur Anno Domini M. CC. XVIII.

VERBA QVAERIMONIAE Dei de tribus, quæ nunc per mundum tranſeunt, & qualiter Deus elegit tres ſtatus ab initio, ſcilicet clericorum, defenſorum, & laboratorum, & de pœna hominibus ingratis parata, & de gloria gratis illata, & conceſſa hominibus.

CAP. XX.

VIDEBATVR exercitus cæleſtis magnus, ad quem Dominus loquutus eſt dicens. Licet omnia videtis, & ſcitis in me, tamen quia mihi ſic placet, conqueror coram vobis tribus, quod apiaria illa ſuauiſſima, quæ in cælo ab æterno ædificata ſunt, de quibus apes illæ inutiles exierunt vacua ſunt. Secundo, quod abyſſus illa inſatiabilis, cui non lapi-
1 des, non arbores reſiſtunt, ſemper aperta eſt; in quam animæ deſcendunt ſicut nix de cælo in terram. Et ſicut a facie ſolis nix diſſoluitur in aquam, ſic animæ ad magnitudinem ſupplicii diſſoluuntur ab omni bono, & renouantur ad omnem pœnam. Tertio conqueror, quod pauci ſunt, qui attendunt vaſtitatem locorum, de quibus præuaricati ſunt angeli mali, & animarum caſum, ideo merito conqueror. Ego enim ab initio elegi tres viros, per quos intelligo triplicem ſtatum in mundo. Primo elegi clericum, qui clamaret voluntatem meam voce, & oſtenderet opere. Secundo defenſorem elegi, qui amicos meos defenderet vita ſua, & paratus eſſet pro me ad omnem laborem. Tertio elegi laboratorem, qui laboraret manibus ſuis, vt paſceret corpora labore ſuo. Primus ſcilicet clericus nunc factus eſt leproſus, & mutus, quia omnis, qui quærit in clerico videre pulchritudinem morum, & virtutum, recurrit retro, turbatur viſu, & abhorret accedere ad eum propter lepram ſuperbiæ, & cupiditatis ſuæ. Si vero quærit eum audire, mutus factus eſt ipſe clericus a laude mea, & garrulus ad laudem propriam. Quomodo ergo tunc aperietur via ad tantã ſuauitatem acquirendam, ſi ille debilis eſt
2 qui deberet procedere, & ille mutus eſt, qui deberet clamare, quomodo tunc audietur ſuauitas illa cæleſtis? Secundus ſcilicet defenſor trepidat in corde vacuus eſt mani-
bus, quia trepidat pro ſcandalo mundi, & 3
amiſſione honoris eius. Vacuus eſt manibus, quia nulla diuina opera facit, ſed omnia quæ facit, facit pro mundo. Quis ergo tunc defendet populũ meũ, ſi ille, qui caput deberet eſſe timet? Tertius eſt velut aſinus, qui caput inclinat ad terram, & ſtat quatuor pedibus iunctis ſimul. Vere ſicut aſinus eſt populus, qui nulla deſiderat niſi terrena, qui negligit cæleſtia, & quærit caduca. Ipſe quaſi quatuor pedes habet, quia modicam habet fidem, & vacuam ſpem. Tertio nulla opera bona. Quarto voluntatem completam ad peccatum. Inde os gulæ, & cupiditati ſemper apertum ſtat. Ecce amici mei quo-
var. modo per tales poteſt abyſſus illa inſatia-
lect. bilis minui, quomodo fauus poterit impleri? Tunc reſpondit mater Dei. Benedictus ſis tu fili mi, quærimonia tua iuſta eſt. Ego, & amici tui non habemus ad te pro humano genere aliquam excuſationem, niſi vnum verbum, in quo ſaluari poteſt. Hoc eſt, miſerere Ieſu Chriſte fili Dei viui. Hoc ego clamo, hoc & amici tui. Reſpondit filius. Verba tua ſunt ſuauia in auribus meis, ſapiunt dele-

lectabiliter in ore, intrant cum charitate in cor. Ego habeo vnum clericum, & vnum defensorem, & vnum rusticum. Primus est delectabilis sicut sponsa, quam sponsus honestissimus cum diuina charitate toto desiderio desiderat, huius vox erit sicut vox, quæ ex clamore, & colloquutione resultat in filiis. Secundus erit paratus dare vitam suam pro me, non timebit mundi opprobrium. Hunc ego armabo armis Spiritusancti.

2 2 Tertius habebit tam firmã fidem, quod dicet sic. Tam firmiter credo, quod quasi videam, quæ credo, spero etiam omnia, quæ promiserat Deus, voluntatem habebit faciẽdi bona, & proficiendi in bono, & omittere mala. In os primi hominis dictorũ trium ponam tria verba, quæ clamabit. Primo clamabit, qui habet fidem faciat opere, quę credit. Secũdo, qui sperat, firmiter sit stabilis in omñi bono. Tertio, qui diligit perfecte, & charitatiue, desideret feruenter videre, quæ diligit. Secundus erit quasi leo fortis in laborando in insidijs præcauendis, sollicitus, &

3 stabilis in perseuerando. 3 Tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum. Isti complebunt voluntatem meam, hos sequentur alij. Et licet tres nomino, & per eos tamen plures intelligo. Deinde loquebatur ad sponsam dicẽs. Sta stabilis noli sollicitari de mundo, non de opprobrio, quia qui omnia opprobria audiui, ego sum Deus tuus, & Dominus.

NOTAE.

1 var. lect. ECce amici mei quomodo per tales potest abyssus illa insatiabilis minui, quo modo sanus poterit impleri.

In præsenti capite conqueritur Dominus de clericis, alijsque Ecclesiæ ministris, quod suo officio, ut par est non fungantur, & quidem a clericis sumẽs exordiũ dicit, eos factos esse leprosos, & mutos lepro sos quidem ob vitiorum, turpitudinẽ, ac fœtorem, mutos vero, quia nec verba, nec laudes Dei populis prædicãt. secundo dicit etiam illos, qui ad Ecclesiam defendendã constituti sunt, nil aliud facere, quam sua quærere, & quæ Dei sunt negligere, postremo eos, quos ad laborandum in vinea Dei posuit, similes esse asinis docet, qui caput inclinantes ad terram nil aliud, quam terrena, & caduca quærunt, & ex his infert, quod scribitur hoc loco, quomodo per tales potest abyssus illa insatiabilis minui, quod explicans circa initium præsentis capitis, dicit, via semper aperta est, in quam animæ descendunt sicut nix de cælo in terram, & sicut a facie solis nix dissoluitur, in aquã, sic animæ a magnitudine supplicij dissoluentur ab omni bono, & renouantur ad omnem pœnam, id vero, quod ex his deducit nimirum, quomodo sanus poterit impleri cum M.S. Farnesiano corrigendum arbitror, quomodo Paradisus poterit impleri.

2 Tertius habet tam firmam fidem, quod dicet sic, tam firmiter credo, quod quasi videam quæ credo.

Nulli dubium esse potest, fidei certitudinem, etiam prout est in nobis maiorem esse quacunque alia certitudine, imo vero constanter asseuerandum esse arbitror posse Christianum hominem certiorem esse de rebus fidei, quæ tantummodo credit, quam de his, quæ corporalibus oculis videt, ideo certiora tenenda sunt, quæ fidei sunt, quam quæ oculis videmus, aut quopiam alio sensu percipimus, quãdoquidẽ illi decipi, & allucinari possunt, non vero diuina virtus, quæ infallibilis est, quæue intellectum hominis determinat ad assentiendum rebus fidei, quod egregie explicat D. Chris. ho. 21. super Ep. ad Hebr. Fides inquit, dici non potest, nisi circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur satisfactionem, quisquam habuerit, & D. Aug. lib. 8. confess. c. 10. clamat, inquit ad Dñm de longinquo, ego sum, qui sum, & audiui sicut audiri solet in corde, & non erat vnde dubitarem, faciliusque me dubitarem viuere, quam non esse veritatem.

3 Tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cęlum, isti complebunt voluntatem meam, & hos sequuntur alij.

Serpentum naturam, hominum designare prudentiam, colligi potest ex illo Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, quo loco elegantes allegorias afferunt Hieronymus, Hilarius, & Chrisost. & plura hac de re tradiderunt D. August. serm. 87. circa finem, & lib. 13. confessionum. cap. 21. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5. Origen. super Ezechiel hom. 1. & in Iosue hom. 4. vt autem hoc explicemus apertius, sciendum est in tribus præcipue serpentum prudentiam nosci, Primo, quia cum frigidæ sint naturæ, cumque senescunt visum amittunt, ideo frequenter solis radijs se se exponunt, vt inde, & calorem hauriant, & lumen obtineant, secundo, vt caput, a quo totius suæ vitæ ratio pendet conseruent intactum, corpus flagellis exponunt postremo ad arctum etiam foramen veterem pellem deponunt, atque hæc sunt, quæ Christianis quoque sapientibus obseruanda sunt. Primo, vt se se diuinæ gratiæ soli exponant, caputque ad Deum verum solem attollant, vt inde, & charitatis feruorem & sacrarum litterarum lumen, ac intelligentiam recipiant, & hoc est, quod scribitur hic, tertius erit 1
sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum, 2. debet more serpentis etiam totum corpus morti tradere, vt mentẽ, quæ caput est

hominis ab omni scelere conseruet immunem, postremo expedit, vt veterem pellem deponat, pristinas vitiorum relinquendo vitia, & virtutes sectando, vt nouam vitam instituat, sicut indicat Apostolus ad Colosens. 3. deponentes, inquit veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius, qui creauit illum, sed hoc idem egregie explicat gl. ordin in locum citatum Matthæi his verbis, serpentis astutia est, quod toto corpore, caput, in quo vita est occultat, & protegit, ita, & nostri periculo corporis caput nostrum, quod est Christus custodiamus, vel quod per angustias se coarctans veteri tunica exutus, innouatur, sic intrans per angustam portam veterem exuit hominem. alteram etiam Epiphanius hæresi 37. proprietatem affert, ex qua serpentis prudentia noscitur. quando inquit siti pressus a latibulo procedit, ad aquam, vt bibat non simul secum accipit venenum, sed in latibulo relinquit, & sic progressus potum aquarum sumit. proinde & ipsi hoc imitemur, vt quando ad sanctam Dei Ecclesiam, aut ad preces, aut ad mysteria venerimus, malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid in cogitationibus nostris nobiscum ne feramus.

VERBA VIRGINIS GLOriosæ ad filiam de modo Christum de cruce deponendi, & de suis amaritudine, & dulcedine in filij passione, & qualiter anima per Virginem, & amor Dei, & mundi per duos iuuenes designantur, & de conditionibus, quas anima debet habere tanquam virgo.

CAP. XXI.

MARIA loquebatur. quinque cogitare debes filia mea. Primo, quod omnia membra filij mei in morte diriguerunt, & frigescebant, & sanguis, qui de vulneribus eius in passione effluxit, membris omnibus adhesit coagulatus. Secundo, quod in corde punctus erat tam amare, & immisericorditer, quod pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent
1 in lancea. 1 Tertio cogita, quomodo deponebatur de cruce. Hi duo, qui deponebant eum de cruce tres applicabant scalas, vna protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, & ad brachia, tertia ad medietatem coporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium. Secundus ascendens per aliam scalam, excussit primo vnum clauum de vno brachio. Deinde applicata scala excussit clauum alterius manus. Qui quidem claui longe vltra stipitem crucis protendebantur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis paulatim, & modice, pro-
2 ut poterat. 2 Ille alius ascendit, scalam, quæ
var. tendebatur ad pedes, & excussit clauos pe-
lect. dibus. Cumq. appopinquaret ad terrã, vnus
eorum tenuit corpus per caput, alius per pe
des, ego verò, quæ Mater erã tenui per me-
3 diũ. 3 Et sic nos tres portauimus eum ad
quandam petram, quæ in linteo mundo per
me operta erat, in qua obuoluimus corpus,
4 sed non consui lynteum. 4 Sciebã enim pro
certo, quod non in tumulo putresceret. Postea Mariæ Magdalenæ, & aliæ sanctæ mulieres venerunt, nec non, & Angeli sancti multi, quasi athomi solis affuerunt, obsequium exhibentes creatori suo. Qualem autem tristitiam tunc temporis habui, non est, qui valeat dicere. Eram enim sicut mulier pariens cuius omnia membra post partum tremula sunt. Quæ licet præ dolore vix respirare possit, tamen gaudet interius quantum potest eo quod scit filium suum natum, in eandem miseriam, de qua exiuit nunquam reditu-
5 rum. Sic ego licet ex morte filij mei eram incomparabiliter tristis, tamen quia scim filium meum non amplius moriturum, sed in æternum victurum gaudebã in anima mea, & sic cum tristitia mea quædam lætitia miscebatur. Vere dicere possum, quod sepulto filio meo, quasi duo corda in vno sepulchro fuerunt. Nunquid non dicitur, vbi est thesaurus tuus ibi est, & cor tuũ? Sic in sepulchro filij mei, sẽper cogitatio, & cor meum versabatur. Deinde adijciens Mater Dei dixit. Dicã tibi de illo tali per modum exẽpli, quomodo, & in quo statu positus erat, & quomodo nũc constitutus est, quasi quod quædam virgo cuidã desponsata esset, & ante ipsã duo iuuenes starent, quorum vnus a virgine vocatus dixit ei. Consulo tibi ne credas ei quem desponsasti, ipse enim rigidus est in operibus suis, tardus in remuneratione, auarus in donis. Crede ergo magis mihi, & verbis, quæ tibi dico, & mõstrabo tibi aliũ, qui non est durus, sed lenis in omnibus, qui dat tibi statim, quod desideras, qui dat etiã tibi copiose, quę placent, & delectant. Quibos auditis virgo cogitans secum respondit. Verba tua sunt dulcia ad audiendũ. Tu personaliter lenis es, & pulcher ad sentiendum, consultum credo verba tua sequi. Et cum extraheret anulũ de digito, vt porrigeret iuueni,

vidit

Vidit superius vnam scripturam, in qua erãt tria verba. Primum erat, cum veneris in cacumen arboris, caue, ne apprehendas aridum ramum arboris ad sustentandum te, ne forte cadas. Secundum verbum erat, caue, ne recipias consilium ab inimico. Tertium erat, non ponas cor tuum inter dentes leonis. Cunque Virgo videret hæc, retraxit manum, & retinuit anulum cogitans secum sic. Hæc tria quæ video, forte notant, quod iste, qui me in sponsam habere cupit non est fidelis: Mihi videtur, quod verba sua sunt vana, & plenus est odio, & interficiet me. Et cum sic cogitaret iterum respexit, & vidit aliam scripturam, in qua etiam erant tria verba. Primum erat. Da ei qui tibi dedit. Secundum verbum erat. Da sanguinem pro sanguine. Tertium erat, non alienes possessori, quod suum proprium est. Quibus visis, & auditis cogitauit iterum sic Virgo. Prima tria verba informant me, quomodo fugiam mortem, sequentia tria quomodo obtineam vitam, ergo iustum est, vt magis sequar verba vitæ, tunc Virgo sapienti vsa consilio vocauit ad se seruum illius, qui eam primo desponsauit, & eo appropinquante, ille qui eam decipere voluit se ab eis elongauit. Talis est anima illius desponsata Deo suo. Duo iuuenes, qui ante eam stabant, sunt amicitia Dei, & amicitia mundi. Nam amici mundi magis, & vicinius appropinquant ei vsque nunc, qui loquebantur ei de diuitijs, & honore mundi, ad quos pene extendisset annulum amoris sui, & eis in omnibus consensisset.
5 Sed succurrente gratia
var. lect. filij mei, vidit scripturam quandam, idest, audiunt misericordiæ eius verba, in quibus intellexit tria. Primo quod caueret sibi, nedum altius ascenderet, & rebus casuris inniteretur, grauior ei casus immineret. Secundo intellexit nihil esse in mundo nisi dolorem, & sollicitudinem. Tertio, quod mala est diaboli retributio. Deinde aliam scripturam vidit, scilicet audiuit verba eius consolatoria. Primo, vt daret sua Deo, à quo habet omnia. Secundo, vt redderet ei seruitium corporis sui, qui sanguinem suum fudit pro eo. Tertio, vt non alienaret animam suam a Deo suo, qui eam creauit, & redemit. Istis auditis, & diligenter consideratis, appropinquant ei, nunc serui Dei, & placent, & elongant se ab eo serui mundi. Sed nunc anima eius est, quasi Virgo, quæ de brachio sponsi sui nouiter surrexit, quæ tenetur habere tria. Primo vestes decoras, ne forte derideatur a famulis Regis, si in vestibus deprehenditur aliqua deformitas. Secundo debet esse morigerata, iuxta voluntatem sponsi, ne si aliquid in actibus suis inueniatur inhonestũ, dehonestetur sponsus propter eam. Tertio debet esse mundissima, vt sponsus non inueniat in ea vnam maculam, pro qua contemni, & repudiari possit. Deinde habeat ductores ad cubiculum sponsi sui, ne forte in ambitibus, vel in subtili aditu errare contingat. Qui vero ductor esse debet, duo habeat. Primo, vt videatur a sequente. Secundo, vt audiatur quid docet, & quo itur. Ille autem qui sequitur aliquem præcedentem tria tenetur habere. Primo, vt non sit segnis, & piger in sequendo. Secundo, vt non abscondat se à præcedente. Tertio, vt diligentius attendat, & consideret vestigia præcessoris, & eum sollicite sequatur. Ergo anima eius, vt ad cubiculum sponsi perueniat, necesse est, vt a ductore ducatur, qui eam ad sponsum suum Deum feliciter perducat.

NOTAE.

1 Tertio cogita quomodo deponebatur de cruce, hi duo, qui deponebant eum de cruce tres applicabant scalas.

In præsenti Capite modus describitur, quo Redemptor noster Christus de cruce depositus fuit, qua de re Euangelistæ nil aliud scriptum reliquerunt, nisi Iosephum ab Arimathea nobilem virum obtenta à Pilato facultate deposuisse corpus Domini, sic Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. ex his vero, quæ hoc loco traduntur, intelligimus Christi Domini corpus fuisse de cruce depositum, Cruce in terra fixa manente, & erecta, non vero, quod fuerit simul cum corpore sublata, & e foramine petræ euulsa, & in terram collocata, & ex his duobus modis primus, qui traditur hic probabilior est, quem communis Ecclesiæ pictura probat, tum quia Pilatus, qui facultatem corpus Christi de cruce deponendi dederat minime existimandum est, etiam concessisse, vt inde crux quoque tolleretur, tum etiam, vt annotauit Franciscus Suarez in Comment. super 3. par. S. Thomæ quæst. 51. disput. 41. sect. 2. Tomo 2. illud esse in more positum, vt cum quispiã ob delictum aliquod publicum patibulo publice traditur, si quando corpus eius è patibulo deponitur, manet tamen patibulum, quasi in signum supplicij ad cæterorum terrorem, & hinc deducit accidisse forsitan in depositione Christi de cruce, vt eius corpus de cruce fuerit depositum, crux vero in proprio loco erecta maneret, vt & mansisse scribitur hic, & propterea, qui deposuerant eum per tres scalas ascenderunt ad Crucem, & ibi excussis è manibus, pedibusque clauis Christi corpus deposuerunt cruce in terra fixa, ac vt prius erecta manente, sed hac de re plura videri possunt apud Emericum de Campo Doctorem Louaniensem, qui tractatum edidit de imagine CHRISTI de cruce depositi, & in sinu matris

diebantur; non tamen habebant in ſe vim, & fortitudinem, antequam venerunt opera. Nec completionem habebant, antequam per paſſionem compleui omnia, quæ de me erant prophetata. Sic etiam nunc eſt. Nã licet verba charitatis meæ ſcripta ſint, & portari debeãt in mundum, non tamen vim habere poterunt antequam in lucem plenariam venerint.

NOTAE.

1 var. lect. P*Aulo poſt initium in impreſſis exemplaribus, vbi legitur*. Sed omnia rationabiliter facta ſunt ſicut vnicuique rei congruebat, Deitas igitur, quia veraciter virtus nuncupari poteſt.

M S. Farneſianus habet. Sed omnia rationabiliter facta ſunt, ſicut vnicuique rei congruebat, ſcias etiam tu, quod Deitas veraciter virtus nuncupari poteſt.

2 Et ex iſto inordinato motu meruerunt caſum, non quod Deitas cum ipſis creaſſet, ſed quia ipſi ex inordinatione ſcientiæ ſuæ ſibi ipſi procurauerunt eundem caſum.

Ex his verbis palam fit, caſum Angelorum nullo pacto eſſe in Deum retorquendum, ſed in ipſoſmet Angelos, qui intenſius ſuæ naturæ pulchritudinem conſiderantes: exiſtimarunt beatitudinem illis, non ex gratia, ſed ex ſuæ nobilitate naturæ, & a Deo etiam independenter ſibi competere, atque hinc patet huius textus intelligentia: cum enim legimus, & ex iſto inordinato motu, vel vt infra, ex inordinatione ſcientiæ ſuæ procurauerunt ſibi ipſis caſum, intellige motum conuerſionis inordinatum, qui proceſſit ex conſideratione ſuæ excellentiæ, quod illis præbuit anſam delinquendi, ad ea vero verba nimirum (non quod Deitas cum ipſis creaſſet eum) ſubintellige eum motum inordinatum, qui ex libera eorum manauit voluntate, & nullatenus a Deo poterat prouenire, quia non poteſt eſſe cauſa peccati, & mali culpæ, vt teſtatur D. Iacobus in ſua Canonica, cap. 1. Deus enim intentator malorum eſt, & Rom. 9. Paulus Apoſtolus, nunquid iniquitas eſt apud Deum (abſit) ſed de caſu Angelorum, vide ſupra lib. 1. cap. 34. nota 4. & lib. 2. cap. 12. nota 1. & libro 4. cap. 106. nota 1.

3 Cum ergo vidiſſet Deus in exercitu ſuo cæleſti diminutionem ex proprio vitio ipſorum factam, fecit iterum Deitas vitutem ſuam, nam creauit hominem cum corpore, & anima.

Verba huius textus indicare videntur, lapſum Angelorum præbuiſſe cauſam creationi hominum, quod etiam apertius probant ea verba, quæ aliquanto poſt in perſona dæmonum referuntur, nimirum (ecce Deus quoddã nouum fecit, quod in locum noſtrum poteſt aſcendere, & pugnando vincere, quod nos negligenter reliquimus) cæterum ex his verbis dubitare merito quiſquam poterit, an prius fuerint creati Angeli, quã homines, & quidẽ Angelos præceſſiſſe hic ſatis clare colligi poſſe videtur, quod etiam docuit D. Chriſoſt hom. 21. in Geneſim, & D. Aug. lib de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 2. D. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 12. quam opinionem putat eſſe veram doctiſſimus Bannes in commentarijs ad primam partem S. Thomæ q. 61. art. 3. qui plures pro ea opinione citat, verum ſi loquamur de Angelorum creatione in ordine ad hunc mundum viſibilem, fateri omnino neceſſe eſt eos fuiſſe creatos ſimul cum vniuerſo, & nullatenus præceſſiſſe, ſuoq. creatori coæternos minime extitiße, quod quam plures ex ſanctis patribus tradiderunt, vt D. Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 6. & 9. & Epiphanius lib. 1. contra hæreſes hæreſi 65. Theodoretus q. 3. in Geneſim D. Greg. Pont. 32. moral cap. 10. 24. & 25. D. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. fauet etiã D. Eucherius in Geneſim cap 1. & eſt communis opinio omnium fere ſcholaſticorum cum Magiſtro in 2. d. 2. & colligitur etiam ex illo Eccleſiaſt. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. plures etiam alij ſequuntur hanc opinionem, quos citat Lipomanus in catena Gene. ad ea verba, In principio creauit &c. Poſtremo videtur hoc definitum in concilio Lateranenſi Romæ celebratum ſub Innocentio III. & refertur in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi habetur, Creator omnium inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & corporalium ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam, ſed quoniam multi magnæ ſanctitatis, ac nominis viri contrariam ſententiam ſequuti ſunt, quos referunt Dominicus Bannes vbi ſupra, & Sixtus Senẽſis in ſua Bibliotheca, lib. quinto, annotatione quinta ideo dicendum videtur, opinionem aſſerentium Angelos fuiſſe creatos ante hunc mundum viſibilem, non eſſe cenſendam contra fidem, quicquid dixerit Ferarienſis 2. contra gentes cap. 83. & hoc tradit D. Aug. 11. de Ciuitate cap. 32. nefas enim eſſet dicere, tot ſanctos Patres, qui eam ſequuntur turpiter in fide erraſſe, & idcirco ad locũ concil. Lateranen. reſpõdendũ eſt cũ Caietano ſuper 1. p S. Thomæ art. 3. q. 61. quod eius decretalis intentio fuit repellere Origenis errorem, ſiue eorum, qui dixerunt ſpirituales ſubſtantias primum a Deo eſſe productas, vt ſpirituali dignitate potirentur, deinde cũ peccaſſent creata fuiſſe corpora omnia, quibus veluti detruſæ carceribus peccatorũ luerent pœnas, ſed hunc errorem Origenis confutat egregie Cyrillus libro primo in Ioann. cap. 4. qua de re etiam egimus libro quinto reuelat. interrogat. 9. quæſtio ſecunda.

4 var. lect. Deinde excogitato conſilio deceptionis ex malitia ſua primum hominem, & in eum ex iuſtitia, & ex permiſſione mea præualuerunt.

Rectius

Rectius M. S. Farnesianus legit, Et in eum ex iusta permissione mea praeualuerunt.

Et imittens stercus suum in anima.

Sensus est, & proponens daemon terrenas delitias & carnales voluptates hominibus, sic decepit eos, vt amplius, nec Deum diligant, nec timeant, vnde D. Greg. Hom. 31. explicans illud Ioelis 1. computruerunt iumenta in stercore suo, iumenta inquit, in stercore suo computrescere, est carnalis quosque in faetore luxuriae vitam finire, & paulo supra, peccata etenim carnis stercora vocantur idem annotauit ibidem D. Hieron. & super Ezechiel. c. 4.

6 *Paulo post vbi in vulgatis legitur,* Obliuiscebatur quippe iustitia Dei.

var. lect. *M. S. habet, Negligebatur quippe iustitia Dei.*

7 Immo ostendit misericordiam suam, & iustitiam, misericordiam, quando ostendit hominibus, scilicet Adae, & alijs bonis, quod tempore definito obtinerent auxilium.

Nimirum quando per Prophetas propalauit Deus gentibus verbum fore incarnandum, & a seruitute daemonis per eum homines esse liberandos, & hoc est, illud auxilium, quod definito tempore erat eis tribuendum, de quo D. Paul. Apost. ad Galat. 4. verba faciens ait, at vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.

8 Et verba sua signis, & operibus adimplebat.

var. lect. *M. S. habet, Adimplens.*

DE TRIBVS MIRABIlibus, quae Christus fecit cum sponsa, & quomodo visio Angelorum propter pulchritudinem, & visio daemonum propter turpitudinem est intolerabilis in sua essentia, & quare dignatus est Christus talem viduam hospitari.

CAP. XVIII.

TRIA mirabilia tecum feci. Vides enim spiritualibus oculis. Tu etiam audis spiritualibus auribus. Tu sentis corporali manu spiritum meum in tuo viuente pectore.

1 Visio quam vides non tibi videtur sicut est. Si enim videres spiritualem pulchritudinem Angelorum, & animarum sanctarum, corpus tuum non sufficeret videre, sed rumperetur quasi vas corruptum, & putridum, propter gaudium animae ex visione. Si autem videres daemones sicut sunt, aut viueres cum gramio dolore, aut morereris per subitaneam mortem, propter terribilem visionem eorũ. Ideo videntur tibi spiritualia quasi corporalia. Angeli, & animae videntur tibi in similitudine hominum, qui habent vitam, & animam, quia Angeli viuunt cum spiritu suo.

2 Daemones videntur tibi in forma, quae est ad mortem, & mortalis, vt in forma animalium, vel aliarum creaturarum. Illa enim habent mortalem spiritum, quia moriente carne moritur spiritus, diaboli autem non moriuntur in spiritu, sine fine enim moriuntur, & sine fine viuunt. Spiritualia vero verba cum similitudine tibi dicũtur, spiritus enim tuus aliter non potest capere. Inter omnia autē [illegible]mirabilius, quod spiritus meus in corde tuo sentitur moueri. Tunc illa respondit.

3 O Domine mi, & filius Virginis,

var. lect. quare dignatus es tu tam vilem viduam hospitari, quae sum pauper in omnibus bonis operibus, & modica in conscientiae intellectu, & consumpta in omni peccato longiturnitate temporis? Cui ille respondit. Ego habeo tria. Primo ego possum pauperem ditare, insipientem, & modici intellectus facere sufficientem, & intelligentem. Ego sufficio etiam antiquum renouare ad iuuentutem.

4 Sicut enim foenix comportat in vallem stipulas siccas, inter quas comportat stipulas vnius arboris, quae exterius est sicca ex natura, & intus calida,

5 in quam primo venit calor radij solis, & incenditur.

var. lect. Deinde ex ipsa omnes stipulae accenduntur. Sic oportet te congregare virtutes, quibus a peccatis renouari possis. Inter quas vnum lignum habere debes, quod interius est calidum, & exterius siccum, idest, cor quod purum sit, & siccatum exterius ab omni mundi delectatione, & interius plenum omni charitate, vt nihil velis nihil desideres, nisi me. Tunc in hoc primo

1 veniet ignis charitatis meae, & sic incenderis omnibus virtutibus, in quibus concremata, & a peccatis purgata, resurges quasi auis renouata, deposita pelle delectationis.

NOTAE.

1 VIsio quam vides non tibi videtur sicuti est.

Quoniam impossibile est, dum in hac vita mortali sumus diuinam corporalibus oculis immediate intueri essentiam, quandoquidem, vt ait Apostolus 1. Corinth. 13. videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, ideo legimus hic visio quam vides non tibi videtur sicuti est, cognitio enim Dei per similitudinem non est visio diuinae essentiae, vt docet D. Thom. 1. par. q. 12. art. 2. 9. & 11. quam facie ad faciem videre tantummodo Beatis in Patria conceditur sicut 1. Io. 3. scribitur quoniã

cum

eum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, quod explicans Dionysius Carthusianus, videbimus, inquit ipsam superadorandæ Deitatis supersubstantialem essentiam in se ipsa, & per se ipsam clare, & mediate, quod etiam annotarunt Dydimus Alexandrinus. Lyranus. & Gloss ibidem, hinc est, quod in his cælestium reuelationum libris frequenter legimus, omnia fere B. Brigittæ sub diuersis rerum imaginibus fuisse ostensa, vt patet lib. 3. 4. 5. & 6. cuius rei testis est etiam S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis qui alloquens B. Brigittam. lib. reuelat. 3. cap. 6. ait loquor tecum per similitudinem, quoniam cor tuum non potest capere intelligentiam spiritualium sine aliqua corporali similitudine, an vero in via peculiari Dei beneficio alicui datum sit, vt Deum [redacted] *absq. similitudine aliqua viderit, nostrum non est hoc loco definire, & quidem de Moyse, & Paulo affirmant D. Augu. 12. super Genesim ad litteram cap. 27. & ad Paulinum Epist. 112. & serm. 47. ad fratres in heremo D. Ambros. lib. 1. exam cap. 2. & in posteriori Epist. ad Corint. cap. 12. & ibi D. Anselm & venerab Bed. & de Moyse D. Basil. Hom. 1. exameron, Lyranus, & Burgen. in Epist. ad Corint. 2 loco cit D Thomas 2. 2. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 3. Durandus in 4. distinct. 49 qu. 6. & alij plures quamquam non desint grauissimi Doctores, qui contrarium etiam sentiunt, vt D. Greg lib. 18. moral. cap 37. & 38. D. Hieron. lib. 3. contra pelagianos prope fi D. Chrisost. hom. 14 in Ioan. D. Greg. Nazianzenus lib. 2. suæ Theologiæ non longe ab initio D Cyrillus super Io. lib. 1. cap. 28, sed hac de re fusius egimus infra lib. 5. interrogat 8. q. 2.*

2 Dæmones videntur tibi in forma, quæ est ad mortem.

Nulli mirum videri debet, si dæmones hominibus frequenter in forma mortuorum appareant animalium, quandoquidem sicut Christus vita est, ita Dæmon mors est, de quo Apocalip. 6. & nomen illi mors est, non quidem quia ipse mors sit, vt annotauit D. Aug. in psal. 48. sed quia per illum mors, & de eo Dauid in hoc psalmo scripsit Mors depascet eos, vbi dicit D. Aug. si ergo in inferno oues sunt quibus pastor mors est, in cælo sunt oues, quibus pastor vita est, idem tradidit D. Greg. Magnus libro 19. moral cap. 2. & D. Hieron. super Isaiam cap. 28 & super Oseam cap. 13.

3 O Domine mi, & filius Virginis, quare dignatus es tu tam vilem viduam hospitari.

var. lect. *M.S. habet, Tam vilem viduam visitare.*

Et paulo post, vbi in impressis codicibus legitur.

4 Sicut enim senix comportat in vallem stipulas siccas.

Hic locus mancus est, & cum M.S. Farnesiano sic restiuendus, sicut enim senix cum senectute grauatur comportat in vallem stipulas siccas.

5 In quam primo venit calor radij solis, & incenditur.

var. lect. *Farnesianus codex M. S. habet, In quam primo venit calor, & ex solis radijs incenditur.*

VERBA CHRISTI AD sponsam qualiter Deus loquitur amicis suis per suos prædicatores, & per tribulationes, & quomodo Christus per apum possessorem, & Ecclesia per Alucolum, & Christiani per apes designantur, & qualiter mali Christiani inter bonos permittuntur viuere.

CAP. XIX.

EGO sum Deus tuus. Spiritus meus introduxit te audire, & videre, & sentire. Audire verba mea, videre similitudines, sentire spiritum meum cum gaudio, & deuotione animæ. In me est omnis misericordia cum iustitia, & iniustitia misericordia. Ego sum sicut ille, qui videt amicos suos cadere a se in viam, vbi chaos horrendum est, de quo impossibile est consurgere. Quibus amicis loquor per eos, qui habent intelligentiam scripturæ. Loquor per flagella, præcaueo eos de periculo eorum. Sed ipsi contra vadunt in me, non curantes de verbis meis. Verba mea non sunt nisi quasi vnum verbum, hoc est conuertere peccatorem ad me. Vadis enim periculose, quia nisi dic sunt in via, & pro tenebris cordis tui a te quales sunt absconduntur. Hoc verbum meum contemnitur, hæc misericordia mea negligitur. Veruntamen quamuis sic talis ... verbum, quod eis prædicantes moneo, tamen ... quod dicunt si omnes Angeli traherent eos, Non possent conuerti, nisi ipsimet mouerint voluntatem suam ad bonum. Si vero ipsi voluntatem ad me verterint, & affectu in me consenserint, non omnes dæmones eos retinere possunt. Est enim vermis quidam, qui dicitur apis in possessione domini sui. Quæ apes regi suo sicut est Apis triplicem reuerentiam exhibent, & ab eo triplicem virtutem habent. Primo apes portant ad regem suum omnem dulcedinem quam possunt acquirere. Secundo stant ad nutum eius, & eunt quocunque volunt, & quocunque processerint, semper charitas, & amor eorum est ad regem. Tertio sequuntur eum, & stabiliter inhærendo obsequuntur. Primo his tribus apes habent a rege suo triplex bonum. Primo ex voce eius habent certum tempus exeundi, & laborandi. Secundo habent ab eo regimen, & mutuam charitatem. Et eius

quippe

quippe præſentia, & principatu, & eius charitate, quã ipſe habet ad eas, & ipſe ad eũ, vnaqueque coniungitur charitate cum alia vnaquaque de alia, & ex alterius profectu gratulatur. Tertio ex charitate mutua, & gaudio capitis ſui fructifere fiunt. Sicut enim piſces in mari colludendo emittũt oua ſua, quæ cadentia in mari fructificant. Sic apes ex mutua charitate, & dilectione capitis ſui, & gaudio fructifere fiunt, ex quarum charitate mirabili, & virtute mea, progreditur quoddam ſemen quaſi mortuum, & bonitate mea habebit vitam. Dominus vero, ideſt poſſeſſor apũ, ſollicitus de eis loquitur ſeruo ſuo. Serue inquit meus, mihi videtur, quod apes meæ quædam infirmæ ſunt, & nihil volantes. Reſpondit ſeruus. Huius infirmitatis non habeo intelligentiam, ſed ſi ſic eſt quæro quomodo poſſum hæc ſcire. Reſpondit Dominus ex tribus ſignis harum infirmitatem, ſeu defectum colligere poteris. Primo, quia inualidæ ſunt, & deſides in volatu, & hoc prouenit, quia amiſerunt regem ſuum, a quo ſolatium, & infirmitatem deberent habuiſſe. Secundo, quia incertis, & indiſpoſitis exeunt horis, & hoc eſt, quia de voce capitis nullum habent ſignum. Tertio, quia nullam charitatem habent ad Alueolum, ideo vacuæ redeunt ſatiantes ſe, & nihil dulcedinis, vnde in futurum viuant reportantes. Apes vero, quæ ſunt ſanæ, & habiles, ſunt ſtabiles in volatu, & fortes. Tempus exeundi, & redeundi habent debitum, reportantes ceram ad conſtruendum loca ſua mel vero ad fruendum. Tunc reſpondit ſeruus Domino. Si ergo inutiles ſunt, & infirmæ, cur diutius pateris eas, & non interficientur? Reſpõdit Dñs. Ego permitto eas viuere triplici de cauſa, quia triplex ferũt cõmodum, ſed non virtute ſua. Primo occupant loca præparata, ne venientes bruci occupent loca vacua, conturbãdo alias bonas, & vtiles apes. Secũdo, vt aliæ apes fructiferæ fiant, ex malarum apum malitia fructuoſiores, & ſolliciciores in laborando; Quando enim fructiferæ apes vident infructuoſas, & malas apes laborare ad cupiditatis propriæ ſolam repletionem, tanto fiunt in congregando ad regem ſuum ſollicitiores, quo malas viderint ad ſolam cupiditatem ferventiores. Tertio valent bonis apibus ad mutuam defẽſionem. Eſt enim vermis quidam ſolitus comedere apes, quem apes intelligentes venire omnes communiter odiunt eũ, & licet malæ apes impugnant, & odiunt eum propter inuidiam, & pro vita ſua tuenda, bonæ vero ex charitate, & iuſtitia, mutuo tamen ad expugnationem vermis laborant bonæ apes, & malæ. Alioquin ſi omnes apes malæ ſubtractæ eſſent, bonæ vero ſolæ remanerent, citius in eas vermis, quia pauciores eſſent præualeret. Et ideo inquit Do-
2 minus ſuffero apes inutiles. 2. Verumtamen cum autumnus veniet, prouidebo apibus bonis, & ſeparabo eas a malis, quæ ſi modo extra Alueolum relinquerentur, morerentur frigore. Si vero intra fuerint, & nõ congregauerint fame præocitabuntur, quia neglexerunt congregare cum potuerunt.
3 Ego Dominus creator omnium. 3 Ego ſum dominus apum iſtarum. Ego ex intima charitate, & ſanguine meo, fundaui mihi alueolum apum iſtarum, ideſt Sãctam Eccleſiam, in qua Chriſtiani per vnitatem fidei, & mutuæ dilectionis congregari deberent, & morari. Horum loca ſunt eorum corda, in quibus dulcedo cogitationum bonarum, & affectionum habitare deberet, quæ trahi deberet ex conſideratione charitatis meæ in creando, & ex redemptione mea, & patientia in ſupportando, & ex miſericordia mea in renocando, ſeu renouando. In hoc alueolo, ſcilicet Sancta Eccleſia, duo ſunt genera hominum tamquam duo genera apum. Primi ſunt mali Chriſtiani, qui non congregant mihi, ſed ſibi ipſis; qui vacui redeunt, & neſciunt caput, quia ſtimulum habent pro dulcedine, cupiditatem pro charitate. Bonæ vero apes boni Chriſtiani ſunt, hi exhibent mihi triplicem reuerentiam. Primo habent me pro ſuo capite, & Domino; offerentes mihi mel dulcedinis, ideſt, operã charitatis, quæ mihi ſunt ſuauiora, & ſibi ipſis vtiliora. Secundo ſtant ad voluntatem meam, horum voluntas eſt ſecundum voluntatem meam, cogitatio tota ad meam paſſionem, operatio tota ad meum honorem. Tertio ſequuntur me, ideſt obediunt mihi in omnibus vbicunque fuerint, ſiue extra, ſiue intra, ſiue in tribulatione, ſiue in lætitia, ſemper cor eorum eſt cum corde meo. Ideo triplicem virtutem habent a me. Primo ex voce virtutis, & inſpirationis meæ, tempus debitum, & certum habent, ſcilicet noctem tempore noctis, & lucem tempore lucis. Necnon, & noctem mutant in lucem, ideſt gaudium mundi, in æternum gaudium, & caſurum gaudium in perpetuam felicitatem. Hi in omnibus ſunt rationabiles, quia præſentibus vtuntur ad neceſſitatem, ſtabiles in aduerſitatibus, cauti in proſperitate, moderati in cura carnis, ſolliciti, & circumſpecti in agendis. Secũdo ſicut bonæ apes mutuam habent charitatem. Ita, & ipſi omnes vnum cor habent ad me; & proximum diligunt tamquã ſe, me autem ſuper omnia, & ſuper ſeipſos. Tertio ſiunt a me fructiferi. Quid vero eſt fructificare, niſi ſpiritum meum ſanctum habere, & eo impleri. Quicunque enim eum non habet, & qui eius caret dulcedine, infructuoſus

ctuoſus

ctuoſus eſt, & inutilis ipſe cadit, & adnihilatur. Spiritus vero ſanctus accendit illum, quem inhabitat charitate diuina, aperit intelligentiæ ſenſum. Extirpat ſuperbiam, & incontinentiam, excitat mentem ad Dei honorem, mundique contemptum. Hunc ſpiritum apes infructiferæ neſciunt, & ideo contemnunt regimen, refugiunt vnitatem, & charitatis ſocietatem. Vacuæ ſunt in bonis operibus, mutant lucem in tenebras, conſolationem in luctum, gaudium in dolorem. Veruntamen propter tria patior eas viuere. Primo ne in ſpatia præparata ingrediantur bruci, ideſt infideles. Si enim mali homines inſimul ſubtraherentur, pauci remanerent boni, propter quorum paucitatem infideles, quia plures ſunt ingrederentur ad eos, & cohabitantes eis nimium moleſtarent. Secundo tolerantur ad bonorum probationem. Ex malitia quippe malorum, probatur bonorum conſtantia. Nam in aduerſitate oſtenditur quãtum quiſq. patiens eſt. In proſperitate vero quantum quiſque conſtans eſt, & moderatus. Quia ergo vitia quandoque ſubrepunt iuſtis, & virtutes frequenter extollunt, ideo permittuntur mali viuere cum bonis, ne boni diſſoluantur nimia lætitia, vel dormitent accidia, & vt frequenter habeant ad Deum oculos. Vbi enim minor eſt pugna, minor datur & merces. Tertio tolerantur ad auxilium, ne gentiles, vel inimici alij infideles noceant, ſed timeant eo magis, quo plures fuerint, qui videntur boni. Et ſicut boni reſiſtunt malis ex iuſtitia cum diuina charitate, ſic & mali pro ſola vita tuenda, & ira Dei vitanda. Et ſic omnes mali, & boni adiuuant ſe inuicem, vt mali propter bonos ſupportentur, boni vero propter malitiam malorum ſublimius coronentur. Cuſtodes vero apum hi ſunt prælati Eccleſiarum, & Principes terræ boni, ſiue mali. Ad bonos vero cuſtodes loquor, quos, & ego Deus, & cuſtos eorum admoneo, vt cuſtodiant apes meas. Conſiderent enim exitũ earum, & ingreſſum. Attendant ſi fuerint infirmæ, vel ſanæ. Quod ſi forte diſcernere neſciunt, ecce tribus ſignis dico eis quomodo cognoſcant. Hæ apes inutiles ſunt, quæ ſunt ſegnes in volatu, in diſpoſito tempore, vacuæ in apportatione dulcedinis. Segnes in volatu ſunt illi, qui plus curant de temporalibus, quam æternis, plus timent mortem corporis, quam animæ, qui ſic loquitur ſecum dicens. Cur debeo habere inquietudinem, cum poſſim habere quietem? Cur de-
4 beo me dari morti cum poſſim viuere. Nõ cõſiderãtes miſeri, quod ego Rex gloriæ potentiſſimus, aſſumpſi in me impotentiam. Sum etiam quietiſſimus, & ipſa vera quies, & tamen aſſumpſi pro eis inquietudinem, quos & morte mea liberaui. Illi vero indiſpoſiti ſunt tempore, quorum affectus quærit terrena. Quorum loquutio ad ſcurrilia. Quorum opus ad propriam vtilitatẽ. Quorum tempus tale eſt, quale quærit corpus. Illi autẽ charitatẽ non habent ad alueolum, nec etiam congregant dulcedinem, quia opera quædam faciunt mihi bona, ſed tantum ex timore ſupplicij. Qui licet opera quædam pietatis habent, non tamen relinquunt propriam voluntatem, & peccatum. Qui ſic habere uolunt Deum, vt tamen, nec mundum relinquant, nec aliquem defectum & turbationem patiantur. Illi tales vacuis pedibus currunt in domum, quia currunt, ſed indiſcrete volant, ſed non charitate debita. Propterea cum autumnus venerit, ideſt tẽpus ſeparationis. Apes inutiles ſeparabuntur a bonis, quæ pro amore ſui, & cupiditate, fame æterna cruciabuntur. Pro contemptu vero Dei, & tedio boni, nimio frigore diſſoluentur, ſed non conſumentur. Veruntamen amici mei de triplici malitia malarũ apum ſibi cauere debent. Primo ne putredo earum veniat in aures eorum, quia venenatæ ſunt. Ablato quippe melle vacuæ ſunt a dulcedine, pro qua abundant amaritudine venenata. Secundo caueant pupillæ oculorum ſuorum pro alis earum, quia acutiſſimæ ſunt quaſi acus. Tertio ſeruent corpus ſuum ne nudum ſit pro caudis earum, habent enim aculeos, quibus amare nimis pungunt. Quid autem iſta ſignificent ſapientes ſciunt exponere, qui mores earum attendunt, & affectus. Qui vero neſciunt intelligere timeant periculum, fugiant conſortium earum, & exempla. Alioquin addiſcent experiendo, quæ non nouerunt audiendo. Deinde loquebatur Mater. Benedictus ſis tu fili mi, qui es, & qui eras, & qui æternaliter eris, miſericordia tua dulcis eſt, & iuſtitia tua magna. Mihi videtur fili mi per ſimilitudinẽ loquendo, quod nunc ſic tecum eſt, quaſi quod quædam nubes aſcenderet in cęlum, hanc vero pręcederet leuis aer. In nube autem apparuit quaſi quoddam tenebroſum, ſed qui erat extra domum ſentiens leuitatẽ aeris, eleuauit oculos, & vidit nubem tenebroſam, & conſiderans ſecum ait. Obſcuritas iſtius nubis videtur mihi ſignificare futuram pluuiam, & mox ſano vſus conſilio feſtinauit in latibulum a pluuia ſe abſcondens. Alij vero, qui erant cæci, vel qui forte non curabant paruipendentes lenitatem aeris, nec formidantes obſcuritatem nubis experiebantur hoc, quod nubes ſignificabat. Quæ quidem nubes creſcens per totum cælum, venit cum maxima commotione, & igne impetuoſo tamquam forti, quod ad commotionem eius exibat vita. Ad ignem vero

omnia

omnia consumebantur interiora hominis, & exteriora, ita quod nihil remaneret. Hæc nubes fili mi verba tua sunt, quæ multis tenebrosa videntur, & incredibilia, quia non multoties audita, quia idiotis ministrata, nec signis declarata. Hæc verba præcedit petitio mea, & misericordia tua, qua misereris omnibus, & allicis quasi mater omnes ad te. Hæc misericordia lenis est quasi aer lenissimus in patientia, & sufferentia, & callida est in charitate, qua prouocantes te ad iram mones ad misericordiam, & offers cōtemptoribus pietatem. Ergo omnes, qui audierint verba hæc eleuent oculos, & videbunt in intelligentia, vnde processerint verba. Inquirant si sonuerunt misericordiam, & humilitatem. Attendant si sonant præsentia an futura, veritatem an falsitatem, & si vera inuenerint fugiant ad latibulum, idest, ad veram humilitatem cum diuina charitate, nam cum iustitia venerit, tunc præ timore separabitur anima a corpore, animam vero claudet in se ignis, & ardebit interius, & exterius. Ardebit quidem, sed non consumetur. Propterea ego regina misericordiæ clamo ad habitatores mūdi, vt eleuēt oculos, & videant misericordiam. Ego moneo, & rogo quasi mater, consulo quasi domina. Cum enim venerit iustitia, impossibile erit resistere. Ergo credite firmiter, & respicite, probate in conscientia veritatem, mutate voluntatem, & tunc qui ostenderit verba charitatis, ostendet, & opera, & signa charitatis. Deinde filius mihi loquebatur dicens. Ostendi tibi supra de apibus, quod habent triplex bonum de apiastro suo.
5 Dico tibi nunc, quod tales apes deberent esse illi cruciferi, quos in illis finibus terrarum Christianorum posui. Sed iam ipsi pugnant contra me, nam de animabus non curant, non compatiuntur corporibus, conuersorum ad fidē Catholicam, & ad me de errore. Opprimunt enim eos laboribus, priuant libertatibus, in fide non instruunt eos, sacramentis priuant, & cum maiori dolore mittunt eos ad infernum, quam si starent in suo assueto paganismo. Nec etiam pugnant nisi vt dilatent superbiam suam, & augeant cupiditatem suam. Ideo veniet eis tempus, quo confringentur dentes eorum manus dextra mutilabitur, & subneruabitur dexter pes eorum, vt viuant, & seipsos cognoscant.

NOTAE.

1 Non possent conuerti nisi ipsimet mouerint voluntatem suam ab bonum.

Cum iustificatio motus quidam sit, quo homo excitatus à Deo recedit a statu peccati, & ad Deum conuertitur, quis non videat ad huiusmodi conuersionem liberi arbitrij motionem requiri: cum autem homo in hoc iustificationis actu respiciat vtrunque statum recessum, scilicet a peccato, & accessum ad Deum, vtique necesse erit, quod eius mens per liberi motum arbitrij recedat à peccato illud detestando, & accedat ad Deum eum diligendo, eiusque gratiam acceptando, & hoc est mouere voluntatem suā ad bonum, vt legimus hic, vnde Ioan. 6. scribitur, omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me; sicut enim nequit intelligi, aliquem discentem nisi doctrinæ Magistri consentiat, ita nec Deum iustificantem aliquem per gratiam, nisi iustificandus conetur ad Deum ire per liberum arbitrium, sed hic diligenter aduertendum cum D. Thoma p. 2. q. 113. art. 3. quod sicut Deus est, qui iustificat impium, vt dicitur Rom. 3. ipse quoque est, qui mouet impij voluntatem ad iustitiam, mouet autem secundum vniuscuiusque modum, omnia namque suauiter disponit Sapientiæ 8. scribitur, & quia homo liber est, ita impēdit homini donum gratiæ iustificantis, quod etiam simul cum hoc liberum moueat arbitrium ad illud donum acceptandum, nullam libertati vim inferendo.

2 Veruntamen cum autumnus veniet prouidebo apibus bonis, & separabo eas a malis.

Quemadmodum in autumno eos colligit fructus homo, quos prius seminauerat, eosque in horreo collocat, vt inde postea reliquo suæ vitæ tempore habeat vnde de cætero viuere possit, ita quoque cum ex hac vita mortali decesserit, vt sementem fecerit, ita tunc temporis metet, si enim bonorum operum ediderit fructus, eos colliget, hisque perpetuo in alia vita fruetur, quandoquidem illi Deus copiosam tunc rependet remunerationem. Designat namque autumnus remunerationis tempus, vt tradit D. Hieron. super Isaiam cap. 28. explicans illa verba, & erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneū ante maturitatem autumni, & hoc est, quod scribitur hic. veruntamen cum autumnus veniet prouidebo apibus bonis.

3 Ego Dominus creator omnium, ego possessor apum illarum.

Hoc loco Christus Dominus se vniuersalis Ecclesiæ caput esse, ac principem docet, quod sibi iure competere probat, quoniam eam sanguine suo acquisiuit, vt actorum 20. D. Lucas tradidit optime autem se regi apum similem facit, qui, & habet misericordiæ mel, & aculeum iustitiæ: per misericordiam namq. peccatoribus ad se reuertentibus parcit, sed per iustitiam si in peccatis persistunt eosdē grauiter punit; hanc etiam ob causam Lucas 19. cap. & 20. &

20. &

20. & piſcem aſſum, & fauum mellis ei Apoſtolos obtuliſſe ſcribunt, vt indicent, quod ipſe erat piſcis aſſus per humanæ naturæ paſſionem, & fauus mellis per naturæ diuinæ dulcedinem, & ſicut in fauo mellis, mel ceræ contingitur, ita in Chriſto diuinitas, & diuinitatis dulcedo in humanitate copulatur.

4 Non conſiderantes miſericordiam, quod ego Rex gloriæ potentiſſimus aſſumpſi in me impotentiam.

Chriſtus Saluator noſter hic eos redarguit, qui Dei miſericordiæ obliti minime aduertunt, ipſum pro eorum redemptione carnem humanam aſſumpſiſſe, eiuſque naturales proprietates, ac infirmitates, vt ſitim, famem, triſtitiam, & mortem, cæteraſque, quæ imperfectionem aliquam non importabant, eique dignitati eius non repugnabant, & hoc eſt, quod dicit hic, aſſumpſiſſe impotentiam, non quod ipſe factus ſit impotens, ſed quod ita ſe geſſerit, quaſi fuerit factus impotens, vt infirmitates noſtras ſubleuaret, noſque ad cælum ſecum duceret.

5 Dico tibi, quod tales apes deberent eſſe illi cruciferi, quos in illis finibus terrarum Chriſtianorum poſui.

Per Cruciferos hoc loco intelligendi ſunt Religioſi Sanctiſſ. Mariæ de Mercede, quorum ſocietas inſtituta eſt ad captiuos Chriſtianos redimendos; huius auctor præcipuus Iacobus Aragoniæ Rex fuiſſe fertur, poſt vero hunc Regem, quidam Nolaſcus natione Gallus Ducem ſecuturis ſe exhibuit, bonis legibus naſcentem familiam temperauit: Regia inſignia cruci impoſita in rubro clypeo ad veſtem candidam, & cucullum toti familiæ diſtinctionis cauſa data ſunt. Ipſe coram Rege, & Proceribus de manu S. Raymundi Depennaforti nuper à Clemente VIII. Pont. in SS. num. relati, qui tunc Regi à confeſſionibus erat, ſolemni ceremonia veſtem albam, & cucullum cum S. Crucis ſigno ſuſcepiſſe ſcribitur Anno Domini M.CC.XVIII.

VERBA QVAERIMONIAE Dei de tribus, quæ nunc per mundum tranſeunt, & qualiter Deus elegit tres ſtatus ab initio, ſcilicet clericorum, defenſorum, & laboratorum, & de pœna hominibus ingratis parata, & de gloria gratis illata, & conceſſa hominibus.

CAP. XX.

VIDEBATVR exercitus cæleſtis magnus, ad quem Dominus loquutus eſt dicens. Licet omnia videtis, & ſcitis in me, tamen quia mihi ſic placet, conquæror coram vobis tribus, quod apiaria illa ſuauiſſima, quæ in cælo ab æterno ædificata ſunt, de quibus apes illæ inutiles exierunt, vacua ſunt. Secundo, quod abyſſus illa inſatiabilis, cui non lapi-
1 des, non arbores reſiſtunt, ſemper aperta eſt; in quam animæ deſcendunt ſicut nix de cælo in terram. Et ſicut a facie ſolis nix diſſoluitur in aquam, ſic animæ ad magnitudinem ſupplicii diſſoluuntur ab omni bono, & renouantur ad omnem pœnam. Tertio conqueror, quod pauci ſunt, qui attendunt vacuitatem locorum, de quibus præuaricati ſunt angeli mali, & animarum caſum, ideo merito conqueror. Ego enim ab initio elegi tres viros, per quos intelligo triplicem ſtatum in mundo. Primo elegi clericum, qui clamaret voluntatem meam voce, & oſtenderet opere. Secundo defenſorem elegi, qui amicos meos defenderet vita ſua, & paratus eſſet pro me ad omnem laborem. Tertio elegi laboratorem, qui laboraret manibus ſuis, vt paſceret corpora labore ſuo. Primus ſcilicet clericus nunc factus eſt leproſus, & mutus, quia omnis, qui quærit in clerico videre pulchritudinem morum, & virtutum, recurrit retro, turbatur viſu, & abhorret accedere ad eum propter lepram ſuperbiæ, & cupiditatis ſuæ. Si vero quærit eum audire, mutus factus eſt ipſe clericus a laude mea, & garrulus ad laudem propriam. Quomodo ergo tunc aperietur via ad tantam ſuauitatem acquirendam, ſi ille debilis eſt
2 qui deberet præcedere, & ille mutus eſt, qui deberet clamare, quomodo tunc audietur ſuauitas illa cæleſtis? Secundus ſcilicet defenſor trepidat in corde vacuus eſt mani-
bus, quia trepidat pro ſcandalo mundi, & 3
amiſſione honoris eius. Vacuus eſt manibus, quia nulla diuina opera facit, ſed omnia quæ facit, facit pro mundo. Quis ergo tunc defendet populũ meũ, ſi ille, qui caput deberet eſſe timet? Tertius eſt velut aſinus, qui caput inclinat ad terram, & ſtat quatuor pedibus iunctis ſimul. Vere ſicut aſinus eſt populus, qui nulla deſiderat niſi terrena; qui negligit cæleſtia, & quærit caduca. Ipſe quaſi quatuor pedes habet, quia modicam habet fidem, & vacuam ſpem. Tertio nulla opera bona. Quarto voluntatem completam ad peccatum. Inde os gulæ, & cupiditati ſemper apertum ſtat. Ecce amici mei quo-
var. lect. modo per tales poteſt abyſſus illa inſatiabilis minui; quomodo fauus poterit impleri? Tunc reſpondit mater Dei. Benedictus ſis tu fili mi, quærimonia tua iuſta eſt. Ego, & amici tui non habemus ad te pro humano genere aliquam excuſationem, niſi vnum verbum, in quo ſaluari poteſt. Hoc eſt, miſerere Ieſu Chriſte fili Dei viui. Hoc ego clamo, hoc & amici tui. Reſpondit filius. Verba tua ſunt ſuauia in auribus meis, ſapiunt de-

dele-

lectabiliter in ore, intrant cum charitate in cor. Ego habeo vnum clericum, & vnum defensorem, & vnum rusticum. Primus est delectabilis sicut sponsa, quam sponsus honestissimus cum diuina charitate toto desiderio desiderat, huius vox erit sicut vox, quæ ex clamore, & colloquutione resultat in filiis. Secundus erit paratus dare vitam suam pro me, non timebit mundi opprobrium. Hunc ego armabo armis Spiritusancti.
2 2 Tertius habebit tam firmã fidem, quod dicet sic. Tam firmiter credo, quod quasi videam, quæ credo, spero etiam omnia, quæ promiserat Deus, voluntatem habebit faciẽdi bona, & proficiendi in bono, & omittere mala. In os primi hominis dictorũ trium ponam tria verba, quæ clamabit. Primo clamabit, qui habet fidem faciat opere, quę credit. Secũdo, qui sperat, firmiter sit stabilis in omñi bono. Tertio, qui diligit perfecte, & charitatiue, desideret feruenter videre, quæ diligit. Secundus erit quasi leo fortis in laborando in insidijs præcauendis, sollicitus, &
3 stabilis in perseuerando. 3 Tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum. Isti complebunt voluntatem meam, hos sequentur alij. Et licet tres nomino, & per eos tamen plures intelligo. Deinde loquebatur ad sponsam dicẽs, Sta stabilis noli sollicitari de mundo, non de opprobrio, quia qui omnia opprobria audiui, ego sum Deus tuus, & Dominus.

NOTAE.

1 var. lect. ECce amici mei quomodo per tales potest abyssus illa insatiabilis minui, quomodo sanus poterit impleri.

In præsenti capite conqueritur Dominus de clericis, alijsque Ecclesiæ ministris, quod suo officio, vt par est non funguntur, & quidem a clericis sumẽs exordiũ dicit, eos factos esse leprosos, & mutos leprosos quidem ob vitiorum, turpitudinẽ, ac fœtorem, mutos vero, quia nec verba, nec laudes Dei populis prædicãt. secundo dicit etiam illos, qui ad Ecclesiam defendendã constituti sunt, nil aliud facere, quam sua quærere, & quæ Dei sunt negligere, postremo eos, quos ad laborandum in vinea Dei posuit, similes esse asinis docet, qui caput inclinantes ad terram nil aliud, quam terrena, & caduca quærunt, & ex his infert, quod scribitur hoc loco, quomodo per tales potest abyssus illa insatiabilis minui, quod explicans circa initium præsentis capitis, dicit, via semper aperta est, in quam animæ descendunt sicut nix de cælo in terram, & sicut a facie solis nix dissoluitur, in aquã, sic animæ a magnitudine supplicij dissoluentur ab omni bono, & renouantur ad omnem pœnam, id vero, quod ex his deducit nimirum, quomodo sanus poterit impleri cum M.S. Farnesiano corrigendum arbitror, quomodo Paradisus poterit impleri.

2 Tertius habet tam firmam fidem, quod dicet sic, tam firmiter credo, quod quasi videam quæ credo.

Nulli dubium esse potest, fidei certitudinem, etiam prout est in nobis maiorem esse quacunque alia certitudine, imo vero constanter asseuerandum esse arbitror posse Christianum hominem certiorem esse de rebus fidei, quæ tantummodo credit, quam de his, quæ corporalibus oculis videt, ideo certiora tenenda sunt, quæ fidei sunt, quam quæ oculis videmus, aut quopiam alio sensu percipimus, quãdoquidẽ illi decipi, & allucinari possunt, non vero diuina virtus, quæ infallibilis est, quæue intellectum hominis determinat ad assentiendum rebus fidei, quod egregie explicat D. Chris. ho. 21. super Ep. ad Hebr. Fides inquit, dici non potest, nisi circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur satisfactionem, quisquam habuerit, & D. Aug. lib. 8. confess. c. 10. clamat, inquit ad Dñm de longinquo, ego sum, qui sum, & audiui sicut audiri solet in corde, & non erat vnde dubitarem, faciliusque me dubitarem viuere, quam non esse veritatem.

3 Tertius erit sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cęlum, isti complebunt voluntatem meam, & hos sequuntur alij.

Serpentum naturam, hominum designare prudentiam, colligi potest ex illo Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, quo loco elegantes allegorias afferunt Hieronymus, Hilarius, & Chrisost. & plura hac de re tradiderunt D. August. serm. 87. circa finem, & lib. 13. confessionum. cap. 21. Euchérius de spiritualibus formulis cap. 5. Origen. super Ezechiel hom. 1. & in Iosue hom. 4. vt autem hoc explicemus apertius, sciendum est in tribus præcipue serpentum prudentiam nosci, Primo, quia cum frigidæ sint naturæ, cumque senescunt visum amisunt, ideo frequenter solis radijs se se exponunt, vt inde, & calorem hauriant, & lumen obtineant, secundo, vt caput, a quo totius suæ vitæ ratio pendet conseruent intactum, corpus flagellis exponunt postremo ad arctum etiam foramen veterem pellem deponunt, atque hæc sunt, quæ Christianis quoque sapientibus obseruanda sunt. Primo, vt se se diuinæ gratiæ soli exponant, caputque ad Deum verum solem attollant, vt inde, & charitatis feruorem & sacrarum litterarum lumen, ac intelligentiam
recipiant, & hoc est, quod scribitur hic, tertius erit 1
sapiens sicut serpens, qui stabit in cauda, & caput leuabit ad cælum, 2. debet more serpentis etiam totum corpus morti tradere, vt mentẽ, quæ caput est

hominis ab omni scelere conseruet immunem, postremo expedit, vt veterem pellem deponat, pristina nimirum relinquendo vitia, & virtutes sectando, vt nouam vitam instituat, sicut indicat Apostolus ad Colosens. 3. deponentes, inquit veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius, qui creauit illum, sed hoc idem egregie explicat gl. ordin. in locum citatum Matthæi his verbis, serpentis astutia est, quod toto corpore, caput, in quo vita est occultat, & protegit, ita, & nostri periculo corporis caput nostrum, quod est Christus custodiamus, vel quod per angustias se coarctans veteri tunica exutus, innouatur, sic intrans per angustam portam veterem exuit hominem. alteram etiam Epiphanius hæresi 37. proprietatem affert, ex qua serpentis prudentia noscitur, quando inquit siti pressus a latibulo procedit, ad aquam, vt bibat non simul secum accipit venenum, sed in latibulo relinquit, & sic progressus potum aquarum sumit. proinde & ipsi hoc imitemur, vt quando ad sanctam Dei Ecclesiam, aut ad preces, aut ad mysteria venerimus, malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid in cogitationibus nostris nobiscum ne feramus.

VERBA VIRGINIS GLORIOSÆ ad filiam de modo Christum de cruce deponendi, & de suis amaritudine, & dulcedine in filij passione, & qualiter anima per Virginem, & amor Dei, & mundi per duos iuuenes designantur, & de conditionibus, quas anima debet habere tanquam virgo.

CAP. XXI.

MARIA loquebatur. quinque cogitare debes filia mea. Primo, quod omnia membra filij mei in morte diriguerunt, & frigescebant, & sanguis, qui de vulneribus eius in passione effluxit, membris omnibus adhesit coagulatus. Secundo, quod in corde punctus erat tam amare, & immisericorditer, quod pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent
1 in lancea. 1 Tertio cogita, quomodo deponebatur de cruce. Hi duo, qui deponebant eum de cruce tres applicabant scalas, vna protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas, & ad brachia, tertia ad medietatem coporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium. Secundus ascendens per aliam scalam, excussit primo vnum clauum de vno brachio. Deinde applicata scala excussit clauum alterius manus. Qui quidem claui longe vltra stipitem crucis protendebantur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis paulatim, & modice, pro-
2 ut poterat. 2 Ille alius ascendit, scalam, quę
var. tendebatur ad pedes, & excussit clauos pe-
lect. dibus. Cumq. appropinquaret ad terrā, vnus
eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego vero, quæ Mater erā tenui per me-
3 diū. 3 Et sic nos tres portauimus eum ad quandam petram, quæ in linteo mundo per me operta erat, in qua obuoluimus corpus,
4 sed non consui lynteum. 4 Sciebā enim pro certo, quod non in tumulo putresceret. Postea Mariæ Magdalenæ, & aliæ sanctæ mulieres venerunt, nec non, & Angeli sancti multi, quasi athomi solis affuerunt, obsequium exhibentes creatori suo. Qualem autem tristitiam tunc temporis habui, non est, qui valeat dicere. Eram enim sicut mulier pariens cuius omnia membra post partum tremula sunt. Quæ licet præ dolore vix respirare possit, tamen gaudet interius quantum potest eo quod scit filium suum natum, in eandem miseriam, de qua exiuit nunquam rediturum. Sic ego licet ex morte filij mei eram incomparabiliter tristis, tamen quia sciui filium meum non amplius moriturum, sed in æternum victurum gaudebā in anima mea, & sic cum tristitia mea quædam lætitia miscebatur. Vere dicere possum, quod sepulto filio meo, quasi duo corda in vno sepulchro fuerunt. Nunquid non dicitur, vbi est thesaurus tuus ibi est, & cor tuū? Sic in sepulchro filij mei, sēper cogitatio, & cor meum versabatur. Deinde adijciens Mater Dei dixit. Dicā tibi de illo tali per modum exēpli, quomodo, & in quo statu positus erat. & quomodo nūc constitutus est, quasi quod quædam virgo cuidām desponsata esset, & ante ipsā duo iuuenes starent, quorum vnus a virgine vocatus dixit ei. Consulo tibi ne credas ei quem desponsasti, ipse enim rigidus est in operibus suis, tardus in remuneratione, auarus in donis. Crede ergo magis mihi, & verbis, quæ tibi dico, & mōstrabo tibi aliū, qui non est durus, sed lenis in omnibus, qui dat tibi statim, quod desideras, qui dat etiā tibi copiose, quę placent, & delectant. Quibus auditis virgo cogitans secum respondit. Verba tua sunt dulcia ad audiendū. Tu personaliter lenis es, & pulcher ad sentiendum, consultum credo verba tua sequi. Et cum extraheret anulū de digito, vt porrigeret iuueni,

vidit

vidit superius vnam scripturam, in qua erat tria verba. Primum erat, cum veneris in cacumen arboris, caue, ne apprehendas aridum ramum arboris ad sustentandum te, ne forte cadas. Secundum verbum erat, caue, ne recipias consilium ab inimico. Tertium erat, non ponas cor tuum inter dentes leonis. Cumque Virgo videret hæc, retraxit manum, & retinuit anulum cogitans secum sic. Hæc tria quæ video, forte notant, quod iste, qui me in sponsam habere cupit non est fidelis. Mihi videtur, quod verba sua sunt vana, & plenus est odio, & interficiet me. Et cum sic cogitaret iterum respexit, & vidit aliam scripturam, in qua etiam erant tria verba. Primum erat. Da ei qui tibi dedit. Secundum verbum erat. Da sanguinem pro sanguine. Tertium erat, non alienes possessori, quod suum proprium est. Quibus visis, & auditis cogitauit iterum sic Virgo. Prima tria verba informant me, quomodo fugiam mortem, sequentia tria quomodo obtineam vitam, ergo iustum est, vt magis sequar verba vitæ, tunc Virgo sapienti vsa consilio vocauit ad se seruum illius, qui eam primo desponsauit, & eo appropinquante, ille qui eam decipere voluit se ab eis elongauit. Talis est anima illius desponsata Deo suo. Duo iuuenes, qui ante eam stabant, sunt amicitia Dei, & amicitia mundi. Nam amici mundi magis, & vicinius appropinquant ei vsque nunc, qui loquebantur ei de diuitijs, & honore mundi, ad quos pene extendisset annulum amoris sui, & eis in omnibus consensisset.

5 Sed succurrente gratia

var. lect. filij mei, vidit scripturam quandam, idest, audiunt misericordiæ eius verba, in quibus intellexit tria. Primo quod caueret sibi, nedum altius ascenderet, & rebus casuris inniteretur, grauior ei casus immineret. Secundo intellexit nihil esse in mundo nisi dolorem, & sollicitudinem. Tertio, quod mala est diaboli retributio. Deinde aliam scripturam vidit, scilicet audiuit verba eius consolatoria. Primo, vt daret sua Deo, à quo habet omnia. Secundo, vt redderet ei seruitium corporis sui, qui sanguinem suum fudit pro eo. Tertio, vt non alienaret animam suam a Deo suo, qui eam creauit, & redemit. Istis auditis, & diligenter consideratis, appropinquant ei, nunc serui Dei, & placent, & elongant se ab eo serui mundi. Sed nunc anima eius est, quasi Virgo, quæ de brachio sponsi sui nouiter surrexit, quæ tenetur habere tria. Primo vestes decoras, ne forte derideatur a famulis Regis, si in vestibus deprehenditur aliqua deformitas. Secundo debet esse morigerata, iuxta voluntatem sponsi, ne si aliquid in actibus suis inueniatur inhonestū, dehonestetur sponsus propter eam. Tertio debet esse mundissima, vt sponsus non inueniat in ea vnam maculam, pro qua contemni, & repudiari possit. Deinde habeat ductores ad cubiculum sponsi sui, ne forte in ambitibus, vel in subtili aditu errare contingat. Qui vero ductor esse debet, duo habeat. Primo, vt videatur a sequente. Secundo, vt audiatur quid docet, & quo itur. Ille autem qui sequitur aliquem præcedentem tria tenetur habere. Primo, vt non sit segnis, & piger in sequendo. Secundo, vt non abscondat se a præcedente. Tertio, vt diligentius attendat, & consideret vestigia præcessoris, & eum sollicite sequatur. Ergo anima eius, vt ad cubiculum sponsi perueniat, necesse est, vt a ductore ducatur, qui eam ad sponsum suum Deum feliciter perducat.

NOTAE.

1 Tertio cogita quomodo deponebatur de cruce, hi duo, qui deponebant eum de cruce tres applicabant scalas.

In præsenti Capite modus describitur, quo Redemptor noster Christus de cruce depositus fuit, qua de re Euangelistæ nil aliud scriptum reliquerunt, nisi Iosephum ab Arimathea nobilem virum obtenta à Pilato facultate deposuisse corpus Domini, sic Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. ex his vero, quæ hoc loco traduntur, intelligimus Christi Domini corpus fuisse de cruce depositum, Cruce in terra fixa manente, & erecta, non vero, quod fuerit simul cum corpore sublata, & e foramine petræ euulsa, & in terram collocata, & ex his duobus modis primus, qui traditur hic probabilior est, quem communis Ecclesiæ pictura probat, tum quia Pilatus, qui facultatem corpus Christi de cruce deponendi dederat minimę existimandum est, etiam concessisse, vt inde crux quoque tolleretur, tum etiam, vt annotauit Franciscus Suarez in Comment. super 3. par. S. Thomæ quæst. 51. disput. 41. sect. 2. Tomo 2. illud esse in more positum, vt cum quispiā ob delictum aliquod publicum patibulo publice traditur, si quando corpus eius è patibulo deponitur, manet tamen patibulum, quasi in signum supplicij ad cæterorum terrorem, & hinc deducit accidisse forsitan in depositione Christi de cruce, vt eius corpus de cruce fuerit depositum, crux vero in proprio loco erecta maneret, vt & mansisse scribitur hic, & propterea, qui deposuerant eum per tres scalas ascenderunt ad Crucem, & ibi excussis è manibus, pedibusque clauis Christi corpus deposuerunt cruce in terra fixa, ac vt prius erecta manente, sed hac de re plura videri possunt apud Emericum de Campo Doctorem Louaniensem, qui tractatum edidit de imagine CHRISTI de cruce depositi, & in sinu matris

funerali linteo inuoluti. Idem ipse probat F. Daniel Mallonius in elucidationibus stigmatum sacræ syndonis impress. cap. 1. n. 12. vbi asserit, quod si tunc crux humi iacuisset, non proprie Christus de cruce depositus diceretur, sed clauis reuulsis, diceretur a cruce sublatus, depono enim verbum significat quasi deorsum pono.

2 Ille alius ascendit scalam, quæ tendebatur ad pedes, & excussit clauos pedibus.

var. lect. *Hic textus cum M.S. codice Farnesiano sic restituendus est. Ille alius ascendit scalam, quæ protendebatur ad pedes, & excussit clauos de pedibus.*

3 Et sic nos tres portauimus eum ad quandam petram, quæ linteo mundo per me operta erat.

Hoc loco duo nobis breuiter inuestiganda sunt. Primo, qui fuerint hi tres, qui Christum de cruce deposuerunt. Secundo quid sentiendũ sit de linteo illo mundo, quo Christi corpus fuisse obuolutum legimus hic, & quantum spectat ad primum, dicendum est, illos tres fuisse Beatissimam Virginem, Iosephum, & Nicodemum, & de Beatissima Virgine, licet Euangelistæ nihil dixerint; pie tamen credendum est depositioni filij sui de cruce piam operã dedisse, & maternis manibus tunc temporis cooperatam esse sicut scribitur hic, & admonuit Card. Baronius tomo 1. annalium anno Christi 34. Et nos tradidimus lib. 7. reuelat. cap. 15. nota 5. & fauet Suarez loco superiori nota citato, alij vero duo, quorum hic mentio fit, & Iosephum, & Nicodemum extitisse, ex sacris litteris colligi potest. Matt. 27. Marci 15. Lucæ 23. qui de hac depositione ab his facta duo verba facientes, sic loquuti sunt, tulit, vel deposuit corpus Iesu, quæ verba indicant manibus proprijs id ab his factum esse, & quanquam fuerint viri nobiles, est tamen rationi, ac religioni magis consentaneum, vt illud per se ipsos, non per alios fecerint, cum ad id pietatis, & charitatis affectu mouerentur de linteo autem Matt. 27. & Marcus 15. cap. scribunt, Iosephum ab Arimathea, postquam deposuit corpus Iesu illud inuoluisse in syndone munda, de qua in præsenti nota sermo fit, hanc autem summo honore in Ecclesia Taurinensi asseruari omnes norunt, & ea est, quæ corporis Christi Domini delibuta vnguento in sepulchro posita fuit, quæ & in se imaginem Christi habet expressam. de hac syndone plura extant apud Alphonsum Paleottum Archiepiscopum Bononiensem in libro quem Iesu Christi stigmata sacræ syndoni impressa inscripsit, multa etiam de ea congerit F. Daniel Mulonius in elucidationibus eiusdem libri. cæterum fuisse in more positum apud Iudæos, & Christianos vt defunctorum corpora linteo obuoluerentur asseuerant Dionysius Alexandrinus epistola ad fratres quæ extat apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 17. & ex D. Hieron. epist. 49. ad Innocentium, & D. Athanas. in vita S. Antonij, verum si quis rationem aliquam quærat, quapropter Christi corpus in syndone hac fuerit inuolutum D. Thomas 3. p. q. 51. art. 2. in solut. ad tertium huius facti litteralem causam reddens, dicit hoc fuisse conuenientissimum ob quandam honestatem: moraliter vero significatum esse illo facto, nos simplicibus, ac niuoribus (?) repus (?) contentos esse debere, mistica vero ratio esse potest, quod voluerit Deus nobis inde insinuare, Christum pura mente, ac simplici a nobis esse suscipiendum, quam ob causam ab Ecclesia statutum est, vt corpus Domini tantũ in panno lineo consecraretur, vt tradunt Concilium Rhemense cap. 3. apud Burchardum, lib. 3. cap. 98. & cap. consulto de consecrat. d. 1. Rabanus Maurus lib. de instit. clericorum cap. 33. D. Hieron. in Matt. cap. 27. Beda in Marcum cap. 44. Innocentius 3. lib. 2. de misterijs Missæ c. 56. Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ li. 1. cap. 15. n. 1. Alcuinus, Amalarius, Rupertus & alij qui de diuinis officijs scripserunt Isidorus etiam Pelusiota lib. 1. ep. 123.

4 Sciebam enim pro certo, quod in tumulo non putresceret.

Beatissimam Virginem fuisse de sui filij resurrectione penitus certã ex his verbis colligitur, idcirco affirmat, non consuisse linteum, quo corpus eius erat inuolutum, eo quod omnino credebat illud in 1 *sepulchro non fore incinerandum, & hoc est, quod psal. 15. Dauid testatur, non dabis sanctum tuum videre corruptionem, quod D. Aug. exponens neque inquit sanctificatum corpus, per quod & alij sanctificandi sunt corrumpi patieris, idem tradit epistola 120. ad Honoratum, & quamplures, alij sacrarum litterarum interpretes super eundem psal. vt Hieron. & Basil. & Theodoretus. & in eodem sensu interpretatus est hunc locum Paulus actorum 13. vbi probat non posse de Dauide illa verba intelligi, dicit enim Dauid in sua generatione cũ administrasset voluntatem Dei, dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem, quem vero Deus suscitauit non vidit corruptionem, & colligit hoc etiam D. Thom. ex illis verbis eiusdem ps. quæ vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionẽ, quasi dicat, si corpus meũ putrescat perdetur effusi sanguinis vtilitas, quod confirmat ipse pluribus rationibus 3. p. q. 51. art. 3. hoc idem indicat Damascenus lib. 3. de fide, cap. 28. Durandus & alij in 3. d. 21. q. 2. Ludolphus de vita Christi 2. p. cap. 68. non longe a principio capitis, Iacobus de Valentia in psalm. 15.*

5 *Aliquanto post medium, vbi hactenus impressa exemplaria legunt.* Sed succurrente gratia filij mei vidit scripturam quandam, idest, audiuit misericordiæ eius verba.

Manuscriptus habet. Idest audiuit misericordiæ eius verba, sic etiam infra legimus aliam scripturam vidit, idest audiuit. quo loco lector aduertat verbum videre, sumi pro audire: sic etiam in sacris litteris vnum pro alio sumitur frequenter. vt Exo. 20. Populus autem videbat voces, hoc est audiebat; sic etiam 2. Cor. 12. Paulus audiuit arcana verba, ibi namque audire, est videre, quia tunc Apost. per eam visionem instructus est de mysterijs gratiæ, tanquam per doctrinam altissimi magisterij.

VER-

VERBA DOCTRINAE Virginis gloriosæ ad filiam de spirituali, & temporali sapientia, & quam ipsarum quis debeat imitari, & qualiter spiritualis sapientia post paucos labores ducit hominem ad perpetuã consolationem, temporalis vero ad æternam damnationem.

CAP. XXII.

1 MARIA loquebatur. 1 Scribitur, quod qui vult sapiẽs esse addiscat sapientiam à sapiente. Vnde per exemplum dico tibi, quasi esset vnus, qui volens addiscere sapientiam, vidit duos magistros ante se stare, ad quos ait. Libentissime addiscerem sapientiam, si scirem, quo me duceret, qualem haberet vtilitatem, & qualem finem. Respondit alter magistrorum, si meam sapientiam sequi volueris, ducet te in altissimum montem, sed in via duritia lapidum est sub pedibus, difficultas, & præruptum est in ascensu. Si laboraueris in ista sapientia, habebis quod exterius est tenebrosum, sed intus fulgidum. Si tenueris eam firmiter, habebis quod vis. Sed quasi circulus circumuoluitur, & attrahet te sibi magis, ac magis, dulciter, ac dulcius, donec lætitia ab omni parte tempore suo perfundaris. Secundus magister ait. Si sapienciam meam secutus fueris, ducet te in vallem floridam, & ex omni terræ fructu amænam. Mollicia est in via sub pedibus, & in descensu modicus labor. Si perstiteris in ista sapientia habebis, quod extra est fulgidum, sed cum frui eo volueris fugiet a te, habebis etiam quod non durat, sed statim finitur, & cum liber perlectus fuerit, simul & liber, & lectura annihilatur, & vacuus relinqueris. Quibus auditis cogitabat ille secum. Audio hic duo mirabilia, si ascendero in montem debilitantur pedes, & grauatur dorsum. Si vero obtinuero, quod extra est obscurum, quid mihi prodest? Si autem laborauero, in quod nullum habebit finem, quando tunc erit consolatio? Alter quoque magister promittit, quod fulgidum est extra, sed non mansurum, sapientiam cum lectura finituram. 2 Quæ ergo mihi in istis vtilitas, si carent stabilitate? Cumque sic cogitabat in animo, affuit ex improuiso quidam homo inter duos magistros, & ait. Licet mons altus est, & difficilis est in ascensu, tamen supra montem nubes est lucida, ex qua habebis refrigerium. Si autem, quod promittitur exterius est tenebrosum, frangi quidem potest; 3 & sic obtinebis aurum, quod intus latet, quod cum lætitia æternaliter possidere. Duo isti magistri duplex est sapientia, spiritualis videlicet, & carnalis. Spiritualis est voluntatem propriam Deo relinquere, & toto desiderio, & opere in cælestia suspirare. Non enim veraciter sapientia dici potest, nisi cum verbis concordat opus, hæc sapientia ducit ad vitam beatam. Sed ista sapientia est petrosa in perueniendo, & prærupta in ascendendo. Durum quippe est, & petrosum videtur, affectionibus suis resistere. Præruptum est consueta delectabilia calcare, mundi honorem non amare. Quamuis autem sic difficile est. Attamen quicunque cogitat secum, quia tempus breue est, & mundus finiturus, animumque constanter firmauerit ad Deum, huic supra 1
montem apparebit nubes, idest, consolatio Spiritu sancti. Is denique erit dignus consolatione, qui non alium consolatorem quærit nisi Deum? Quomodo enim incepissent tam ardua, & amara omnes electi Dei, nisi bonæ voluntati hominis, tanquam instrumento bono cooperatus fuisset spiritus Dei? Hunc autem spiritum adduxit eis voluntas bona, inuitauit diuina charitas, quam habebant ad Deum, quia laborabant voluntate, & affectu, donec opere fiebant fortes. Adepta vero consolatione spiritus, obtinebatur, & mox aurum diuinæ delectationis, & charitatis, quia non solum patiebantur multa contraria, sed in patiendo considerata retributione delectabantur. Hæc delectatio videtur mundi amatoribus tenebrosa, quia diligunt tenebras. Dei vero amatoribus lucidior est sole, & fulgentior auro, quia frangunt tenebras vitiorum, & ascendunt in montem patientiæ, contemplantes nubẽ consolationis, quæ non finitur, sed incipit in præsenti, & quasi circulus circumuoluitur, donec venerit ad perfectionem. Mundi vero sapientia ducit ad vallem huius miseriæ, quæ florida videtur in abundantia rerum, amœna in honoribus, mollis in voluptate. Ista sapientia citius finietur, nec aliquid plus vtilitatis habet, nisi quod solummodo videbat, & audiebat. Ergo filia mea inquire sapientiam a sapiente, idest, a filio meo. Ipse quippe est sapientia, a quo est omnis sapientia, circulus ille ipse est, qui nunquam terminatur. Ego clamo ad te quasi mater ad filium, dilige sapientiam, quæ intus est, quasi aurũ extra contemptibilis. Intus feruens charitate, extra laboriosa, & opere fructuosa, &

2 var. lect.

3 var. lect.

si turbaris ex onere, spiritus Dei erit consolator tuus. Accede, & conare tanquam homo progrediens donec assuescit, non retrocedas, donec venias ad montis summitatē. Nihil enim tam difficile est, quod in continuatione stabili, & rationabili non erit facile. Nihil tam honestum in principio aggressionis, quod ex imperfectione consummationis non obfuscetur. Ergo accede ad spiritualem sapientiam, hæc ducet te ad labores corporis, ad mundi contemptum, ad modicam tribulationem, & perpetuam consolationem. Mundi vero sapientia fallax est, & pungitiua, hæc ducet te ad temporalium congregationem, & ad præsentem honorem, sed in fine ad maximam infelicitatem, nisi sollicite præuideatur, & caueatur.

NOTAE.

1 SCribitur, quod qui vult sapiens esse ad, discat sapientiam à sapiente.

Sic enim Ecclesiastici cap. 8. legimus Ne despicias narrationem Presbyterorum Sapientum, & in Prouerbijs eorum conuersare, ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam. Hoc loco de spirituali, & temporali sapientia agitur, & vtriusque discrimen diligenter excutitur, atque eas ad inuicem differre potissimum docet Beatissima Virgo hic, primo quidem, quia spiritualis sapientia aliqualem in principio videtur habere laborem, in fine tamen quietem maximam, ac gustum affert, temporalis vero è contra in initio voluptates pollicetur, in fine tamen animi sollicitudinem, & rancorem præstat, Secundo, quia spiritualis sapientia ducit homines ad æternam requiem, temporalis vero ad perpetuam damnationem. describitur autem hic circa mediū præsentis Capitis spiritualis sapientia, & dicitur, quod est, voluntatem propriam Deo relinquere, & toto desiderio, & opere ad cælestia suspirare, & hanc sapientiam appellat primam scientiam D. Greg. Nazian. in Apologetico, quam aliud non esse tradit ibi, quam vitā laudabilem, & apud Deum mentem puram, per quā puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur, sed d. Leo serm. de Epiphania Domini scribit, diuinam hanc sapientiam, non in abundantia verbi, nec in astutia disputandi, neque in appetitu laudis, & gloria, sed in vera humilitate consistere: plura etiam de illa habet Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 11. Qualis autem temporalis sapientia sit, explicat D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 27. exponens illud Iob 12. deridetur iusti simplicitas: sapientia, inquit, mūdi est cor machinationibus tegere, sensū verbis velare, quæ falsa sunt vera ostēdere, quæ vera sunt falsa demōstrare: qua de re fuse agit D. Bern. ser. 36. in Cant. & Paul. Apost. 1. Cor. 2. hanc vocat sapientiā huius sæculi. sapientiam inquit, non huius sæculi, neque principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in ministerio, quod absconditum est, cæterum hæc temporalis sapientia à B. Iacobo Apostolo in sua Canonica cap. 3. appellata est terrena, animalis, & diabolica, terrena quidem, inquantum, per eam anima terrenā gloriam quærit, & procedit ex concupiscentia oculorum. Animalis vero in quantum procedit ex concupiscentia carnis. Postremo diabolica dicitur, in quantum per dæmonis suggestionem comparatur, vel quia procedit ex superbia vitæ, & ideo mundana sapientia vocatur, quia omnia, quæ sunt in mundo ad ista tria reducuntur, sic annotarunt Lyranus, & Beda Iacobi 4.

2 var. lect. *Et aliquanto post, vbi in vulgatis legitur,* Quæ ergo mihi in istis vtilitas, si carent stabilitate.

Farnesianus Codex M S. habet, Quæ ergo in istis stabilitas, si desit vtilitas, sed vulgata lectio magis probatur, & quadrat textui, quia quidem agitur de temporali sapientia, quam non habere stabilitatem aliquam, & cito perituram supra legimus.

3 var. lect. Et sic obtinebis aurum, quod intus latet, quod cum lætitia æternaliter possideres.

Hic desideratur verbum poteris, quod Farnesianus Codex addit. Et legit, quod cum lætitia æternaliter possidere poteris.

VERBA VIRGINIS GLOriosæ suæ humilitatis declarationis ad filiam, & qualiter humilitas per mantellum designatur, & de conditionibus veræ humilitatis, & de eius fructu mirabili.

CAP. XXIII.

MVLTI mirantur, cur tecum loquor. Certe ideo vt humilitas mea ostendatur. Sicut enim cor de membro corporis infirmo non gaudet, antequam iterum receperit sanitatem, & recepta sanitate plus lætatur: Sic ego quantumcumque homo peccat, si ex toto corde, & vera emendatione ad me reuersus fuerit, statim parata sum recipere reuertentem. Nec attendo quantum peccauerit, sed cum quali intentione, & voluntate redit. Ego vocor ab omnibus Mater misericordiæ, vere filia misericordia filij mei fecit me misericordem, & misericordia eius visa compatientem. Ideo miser erit, qui ad misericordiam cum possit non accedit. Ergo tu filia mea veni, & abscondere sub mantello meo, hic est exterius contemptibilis, intus vero vtilis

pro-

propter tria. Primo obumbrat ab aere tempeſtuoſo. Secundo munit a frigore vrente. Tertio defendit contra nubium imbrem. His mantellus humilitas mea eſt; hæc videtur a mundi amatoribus valde contemptibilis, & ſuperſtitioſa ad imitandum. Quid enim contemptibilius eſt, quam vocari fatua & non iraſci, vel verba reddere? Quid deſpectius quam omnia relinquere, & omnibus indigere? Quid doloroſius apud mundiales, quam iniuriam ſuam diſſimulare, & omnibus ſe credere, & tenere indigniorem, & humiliorem? Talis o filia erat humilitas mea, hoc gaudium meum, hæc voluntas tota, quæ nulli niſi filio meo placere cogitabam. Veruntamen hæc humilitas ſequentibus me valet ad tria. 1 Primo pro aere corruptiuo,

1 var. lect. & tempeſtuoſo, id eſt pro opprobrio hominum, & deſpectione. Sicut enim aer impetuoſus, & fortis, ab omni parte impellit hominem, & infrigidat, ſic hominem impatientem, & futurorum inconſiderantium, opprobria faciliter deijciunt, & animum a charitate remittunt. Sed quicunque ad humilitatem meam ſedule attendit, cogitet qualia ego domina omnium audiui, quærat laudem meam non ſuam. Conſideret, quod verba non ſunt niſi aer, & mox habebit refrigerium. Vt quid enim mundiales tam impatientes ſunt ad verba, & opprobria, niſi quia plus quærunt laudem propriam, quam Dei, & humilitas in eis eſt nulla, quia obturatum habent oculum a peccatis. Ergo quamuis iuſtitia ſcripta dicit, verba contumelioſa non debere audiri ſine cauſa, vel ſuſtineri, virtus tamen eſt, & merces, illata patienter propter Deum audiuiſſe, & ſuſtinuiſſe. Secundo humilitas mea defendit a frigore vrente, id eſt ab amicitia carnali. Eſt enim quædam amicitia, qua diligitur homo propter præſentia iſta, ſicut illi, qui loquuntur ſic. Ciba tu me, & ego te in præſenti, quia non curo quis te cibabit poſt mortem. Honora tu me, & ego te, nam pro minimo eſt mihi qualis ſequatur honor futurus, hæc enim eſt amicitia frigida abſque calore Dei, dura quaſi nix congelata in amore, & compaſſione proximi indigentis. Infructuoſa ad præmium. Disiuncta enim ſocietate, & depoſita menſa ſtatim diſſoluta eſt omnis amicitiæ vtilitas, & fructus euacuatus. Quicunque vero humilitatem meam imitatur, ipſe benefacit omnibus propter Deum, tam inimicis, quã amicis. Amicis, quia in honore Dei ſtabiliter perſiſtunt. 2 Inimicis ve-

2 var. lect. ro, quia creatura Dei ſunt, & forte futuri boni. Tertio defendit humilitatis meæ conſideratio ab imbribus, & immunditia aquæ, quæ procedit de nubibus. Vnde enim procedit nubes, niſi de humoribus, & vaporibus procedentibus de terra, quæ cum calore aſcendentes in cælum denſantur in ſuperioribus, & ſic fiunt inde tria, ſcilicet, pluuia, grando, & nix. Hæc nubes corpus hominis ſignificat, quod de immunditia procedit. Habet autem corpus tria ſecum, ſicut & nubes ſecum. Habet enim corpus audire, videre, & ſentire. Ex eo enim, quod corpus habet videre concupiſcit ea, quæ videt, concupiſcit bona, & pulchras facies; cõcupiſcit latas poſſeſſiones. Quid autẽ ſunt omnia iſta, niſi quaſi quædam pluuia procedens de nubibus, maculans animum in affectu congregationis, inquietans per ſollicitudines, diſtendens per inutiles cogitatus, & perturbans in congregatorum amiſſione. Ex eo vero, quod corpus habet audire, libenter audit honorem proprium, mundi amicitiam. Audit quæcunque corpori ſunt delectabilia, animæque nociua. Hæc omnia quid aliud ſunt, niſi quaſi nix citius diſſoluenda. Frigidam faciens animam ad Deum, & obduratam ad humilitatem. Ex eo vero, quod corpus habet ſentire, ſentit libenter ſuam voluptatem, & corporis quietudinem; hoc quid aliud eſt, niſi quaſi grando ex aquis immunditiæ congelata animam infractiferam reddens ad ſpiritualia, fortem ad mundialia, & mollem ad corporis oblectamenta. Ergo quicunque ab hac nube defendi deſiderat, confugiat ad humilitatem meam, & imitetur eam. Per hanc enim defenditur a cupiditate viſus, ne concupiſcat illicita. Defenditur a delectatione auditus, ne audiat contra veritatem. Defenditur a voluptate carnis, ne ſuccumbat in illicitis motibus. Vere dico tibi, quod humilitatis meæ conſideratio ipſa eſt tamquam bonus mantellus calefaciens portantes ſe, eos ſcilicet, qui non ſolum eum portant cogitatione, ſed & opere. Non enim calefacit mantellus corporalis, niſi portetur. Nec humilitas mea proficit eam cogitantibus, niſi & pro modulo ſuo vnuſquiſque ſtuduerit eã imitari. Ergo filia mea indue te hac humilitate pro viribus tuis, quia mulieres mundi mantellos portant, qui extra habent ſuperbiam, intus vero modicam vtilitatem. Has veſtes omnino fuge, quia niſi vileſcat tibi prius amor mundi, niſi continuo penſaueris circa te Dei miſericordiam, & tuam circa eum ingratitudinem, niſi cogitaueris ſemper ea, quæ feciſti, & quæ facis, & qualem ſententiam iudicij pro his mereris, non poteris apprehendere mantellum humilitatis meæ. Vt quid enim ego me tantum humiliabam, aut vnde promerui tantam gratiam, niſi quia cogitaui, & ſciui me nihil a me eſſe, vel habere? Ideo, & nolui laudem meam, ſed ſolius datoris, & Creatoris. Ergo filia fuge ad mantellum humilitatis meæ, & cogita

-gita te peccatricem ſuper alios. Quia etiam ſi aliquos videris malos, neſcis quid eis cras futurum eſt, neſcis etiam qua intentione, & qua ſcientia hoc faciunt. Verum in infirmitate an induſtria. Ideo nulli te præferas, nulloſque in corde tuo debes iudicare.

NOTAE.

1 var. lect. PRo aere corruptiuo, & tempeſtuoſo. *Sic habent omnia impreſſa exemplaria M. S. Pro aere corrupto.*

2 var. lect. *Et aliquanto poſt, vbi legitur.* Inimicis vero quia creatura Dei ſunt, & forte futuri boni. *Hic addendum eſſe arbitror cum M. S. Participes erunt, quia aliàs ex illis verbis nullus ſenſus haberi poteſt.*

VERBA EXHORTATIONIS Virginis ad filiam querimoniam inuentia de paucitate ſuorum amicorum, & qualiter Chriſtus loquitur ad ſponſam inquiens, quod per flores intelliguntur eius ſacra verba, & in quibus talia verba habeant fructificare.

CAP. XXIV.

MARIA loquebatur. Vbi magnus exercitus eſſet, quicunque procederet iuxta eum habens dorſum nimis grauatum aliquo magno pondere, & brachia ſimiliter, & oculos plenos lacrymis, reſpiceret ad exercitum, ſi forte eſſet aliquis, qui compateretur ei, & releuaret onus. Talis ego eram, nam ego plena fui tribulatione a natiuitate filij mei, vſque ad mortem eius. Igo in dorſo meo portaui maximum onus, cum labori diuino iugiter inſtabam, & omnia aduenientia mihi portabam patienter. Inter brachia mea tolerabam oneroſum pondus, cum tribulationem, & dolorem cordis, vltra omnẽ creaturã patiebar. Ego habui oculos meos plenos lacrymis, quando conſiderabam in membris filij mei loca clauorum, & paſſionem eius futuram, & cum viderem in eo omnia compleri, quę audiebam a prophetis vaticinata. Sed nunc reſpicio ad omnes, qui in mundo ſunt, ſi forte ſint aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum, & valde paucos inuenio, qui cogitant tribulationem, & dolorem meum. Ideo filia mea licet a multis oblita, & neglecta ſum, tu tamen non obliuiſcaris me, vide dolorem meum, & imitare quantum potes. Conſidera dolores meos, & lacrymas, & dole, quia amici Dei pauci ſunt. Sta ſtabilis, ecce filius meus venit. Qui ſtatim veniens ait. Ego ſum Deus tuus, & Dominus, qui loquor tecum. Verba mea ſunt quaſi flores arboris bonæ, & quamuis omnes flores de vna radice arboris prodeunt, non tamen omnes flores veniunt ad effectum fructus. Sic verba mea ſunt quaſi quidam flores de radice charitatis diuinæ prodeuntes, quæ quidem multi ſuſcipiunt, non tamen in omnibus faciunt fructum, nec in omnibus matureſcunt. Quia quidam ſuſcipiunt ea, & retinent ad tempus, & ſic poſtea reijciunt, quia ſpiritui meo ingrati ſunt. Quidam ſuſcipiunt, & retinent, quia charitate pleni ſunt, & his faciunt fructum deuotionis, & ſanctæ operationis. Tu ergo ſponſa mea, quia ſum diuino meo iſta eſſe oportet te habere tres domos. In prima debẽt eſſe neceſſaria, quę intrãt in corpus. In ſecunda veſtes, quæ veſtiunt corpus exterius. In tertia neceſſaria inſtrumenta ad vtilitatem domus. In prima debẽt eſſe tria, primo panis, ſecundo potus, tertio edulium. In ſecunda domo debent eſſe etiam tria. Primo veſtimentum lineum, ſecundo laneum, tertio, quod fit de opere vermium. In tertia domo etiam tria, Primo inſtrumenta, & vaſa, quæ implenda ſunt liquore, ſecundo inſtrumenta viuentia, quibus promouentur corporalia, vt puta equi, aſini, & ſimilia, tertio inſtrumenta, quæ per viua mouentur. 1 var. lect.

VERBA ADMONITIONIS Chriſti ad ſponſam de promiſſione in tribus domibus fienda, & quomodo bona voluntas per panem, præmeditatio diuina per potum, ſapientia diuina per edulium deſignantur, & qualiter ſapientia diuina non in litteratura eſt, ſed in corde, & vita bona.

CAP. XXV.

EGO ipſe, qui loquor tecum, ſum creator omnium & a nullo creatus. Ante me nihil erat, nec poſt me aliquid eſſe poterit, quia ego ſemper eram, & ſemper ſum. Ego etiam ſum Dominus, cuius potentiæ nullus reſiſtere poterit, & a quo eſt omnis poteſtas, & dominatio. Ego loquor tibi ſicut vir loqui- 2 var. lect.

tur

tur ad vxorem ſuam. Vxor mea, nos debemus habere tres domus. In vna debet eſſe
1 panis, & potus, & edulium. 1. Sed potes quærere: quid notat panis iſte? Nunquid noto panem, qui in altari eſt, hic vtique ante verba illa. Hoc eſt corpus meum panis eſt, ſed dicto verbo illo non eſt panis, ſed corpus meum, quod de Virgine ſumpſi, & in cruce veraciter crucifixum eſt, hunc ego non noto
2 hic, ſed panis, quem in domum noſtram congregare debemus eſt voluntas bona, & ſincera. Corporalis panis ſi mundus, & purus eſt, duo bona habet. Primo confortat, & dat venis, arterijs, & neruis omnibus fortitudinem. Secundo recipit ad ſe omnem putredinem interiorem, & cum hac diſcedit, & in ſeceſſum vadit, & homo emundatur. Sic voluntas pura, primo confortat. Nam ſi homo nihil velit niſi quæ Dei ſunt, nihil laborat niſi ad honorem Dei, toto deſiderio deſiderat exire de mundo, & eſſe cum Deo. Hæc voluntas confortat hominem in bono augmentat amorem Dei, facit ei mundum viileſcere, patientiam fortificat, & ſpem gloriæ adipiſcendæ roborat, in tantum quod omnia aduenientia hilariter amplectitur. Secundo voluntas bona, omnem putredinẽ extrahit. Quæ eſt putredo nocens animæ, niſi ſuperbia, cupiditas, & luxuria. Sed cum putredo ſuperbiæ, vel alicuius alterius vitij venerit in mentem, tunc diſcedit ſi homo cogitat ſic. Superbia vana eſt, quia non decet accipientem laudari de bonis datis, ſed datorem. Cupiditas vana eſt, quia omnia terrena relinquentur. Luxuria non eſt niſi fœtor, propterea nolo eam, ſed magis volo ſequi voluntatem Dei mei, cuius præmium non finietur, cuius bona nunquam veteraſcunt. Tunc omnis ſuperbiæ, & cupiditatis tentatio diſcedit, & voluntas bona in bono perſeuerat. Potus quem debemus habere in domibus noſtris, eſt diuina præmeditatio in omnibus agendis. Corporalis enim potus, duo bona habet. Primo facit bonam digeſtionem. Quicunque enim aliqua bona facere proponit, ſi conſiderat ſecum, & diligenter reuoluit priuſquam faciat, quis honor Dei ex hoc prouenit, quæ vtilitas ad proximum, quæ commoditas ad animam, & noluerit facere, niſi aliquam vtilitatem diuinam in opere ſuo perpenderit eſſe. Tunc opus illud habebit bonum proceſſum, quaſi bonam digeſtionem. Tunc ſi qua indiſcretio in opere faciendo occurrere poterit, citius deprehenditur. Tunc ſi quid diſtortum fuerit citius corrigitur, & opus ſuum rectum, & rationabile, & ædificatiuum, coram hominibus erit. Nam qui in opere ſuo diuinam præmeditationem non habet, nec vtilitatem quærit animæ, & honorem Dei, etiam ſi opus ſuum proceſſum habebit ad tempus, in fine tamen niſi corrigatur intentio, erit in nihilum.
2 Secundo potus extinguit ſitim, quæ eſt ſitis peior, quam peccatum prauę cupiditatis, & iræ. Et ſi homo præmeditatur, quæ inde prouenerit vtilitas; quam miſere finitur, quæ remuneratio, ſi reſiſtitur mox per gratiam Dei extinguitur ſitis illa praua, accedit ardor diuinæ charitatis, & boni deſiderij, ſurgit lætitia, ex eo quod non fecit ea quæ venerunt in mentem eius. Inquirit occaſionem quomodo ea de cætero poterit cauere, quibus ſupplantatus fuiſſet, niſi ſuccurriſſet præmeditatio, & ſollicitior fiet, de cætero in cauendo talia. Hic ſponſa mea eſt potus, qui in fiſcum noſtrum debet congregari. Tertio debet ibi eſſe edulium, hoc facit duo. Primo facit in ore meliorem ſaporem, & melius conuenit corpori, quam ſi eſſet ſolus panis. Secundo facit delicatiorem carnem, & meliorem ſanguinem, quam ſi eſſet ſolus panis, & potus. Sic etiam ſpi-
3 rituale edulium facit. 3 Quid eſt autem edulium hoc, vtique ſapientia diuina. Quicunque enim habet bonam voluntatem nihil volens, niſi quæ Dei ſunt, & diuinam præmeditationem, nihil faciendo niſi prius nouerit ibi honorem Dei, huic ſapit valde be-
4 ne ſapientia. Nunc potes quærere, quę eſt diuina ſapientia. Multi enim ſunt ſimplices qui neſciunt niſi vnum, ſcilicet Pater noſter, & hoc vix rectum. Alij ſunt magnæ litteraturæ, & profundę ſcientiæ. Nunquid eſt diuina ſapientia? Nequaquam. Diuina enim ſapientia non eſt præciſe in litteratura, ſed in corde, & bona vita. Quicunque cogitat ſedule viam ad mortem, qualitatem ipſius mortis, & iudicium poſt mortem hic ſapiẽs eſt. Quicunque abijcit à ſe vanitatem mundi, & ſuperflua, quicunque contentatur de ſolis neceſſarijs, & laborat in amore Dei, quantum poteſt, hic habet edulium ſapientiæ, quo voluntas bona, & diuina præmeditatio ſapiunt melius. Quando enim homo cogitat mortem, & in morte nuditatem, quando enim homo perpendit iudicium Dei terribile, vt nihil occultatur nihil dimittitur impunitum, quando & cogitat mundi inſtabilitatem, & vanitatem. Nunquid non tunc gaudet, & dulciter ſapit in corde reliquiſſe voluntatem ſuam Deo, & abſtinuiſſe ſe a peccatis? Nunquid non tunc confortatur caro, & ſanguis melioratur, id eſt, omnis infirmitas animæ, ſcilicet accidia, & morum diſſolutio propellitur, ſanguis diuinæ charitatis fit recentior. Quia conſiderat rationabilius fore diligenda ea, quæ æterna ſunt, quam quæ caſura. Ergo diuina ſapientia non eſt præciſe in litteratura, ſed in bono opere, quia multi ſapientes ſunt ſecundũ

mundum

mundum, & ad desideria sua, sed omninò insipientes sunt ad Dei mandata, & voluntatem eius, & refrenationem corporis sui. Et hi non sunt sapientes, sed insipientes, & cœci, quia sciunt ea quæ casura sunt, & ad momentum vtilia. Aeterna vero despiciunt,
4 & obliuiscuntur. 4 Alij sunt insipientes ad mundi delectabilia, & honorem eius, & sapientes ad considerandum, quæ Dei sunt feruentes in obsequio eius. Hi veraciter sapientes sunt, quia sapit eis præceptum Dei, & voluntas eius. Isti veraciter illuminati sunt, & apertos habent oculos, quia semper considerant quomodo veniant ad veram vitam, & veram lucem. Alij veró ambulant in tenebris, & delectabilius eis videtur, esse in tenebris, quam viam inquirere, per quam venire possent ad lucem. Propterea sponsa mea congregemus in domos nostras hæc tria, scilicet bonam voluntatem, præmeditationem diuinam, & diuinam sapientiam. Hæc enim sunt, ex quibus lætari debemus, licet autem te moneo, attamen omnes electos meos in mundo in te noto, quia anima iusti sponsa mea est, ego enim Creator sum, & Redemptor.

NOTAE.

1 Sed potes quærere, quid notat panis iste nunquid noto panem, qui in Altari est hic, vtique ante verba illa, Hoc est corpus meum, panis est, sed dicto verbo illo, non est panis, sed corpus meum.

De transubstantiationis materia, & qua ratione de ea loquendum sit, & de propositionibus quibusdam, quæ vel concedendæ, vel negandæ sunt egimus supra lib. 1. cap. 48. nota 3. vbi à nobis afferuntur plura, quæ ad intelligentiam huius textus facere videntur.

2 Sed panis, quem in domum nostram congregare debemus, est voluntas bona, & sincera.

Quemadmodum eorum quibus homo nutritur, & pascitur panis præcipuum est alimentum, cuius consueuerunt homines tempore messis tantundem sibi prouidere, quantum eo anno illis sufficere possit ad victum, ita quoque Christiano homini toto vitæ suæ tempore voluntas bona, veluti quodam alimentum necessarium est, sine qua spiritualem vitam traducere nequaquam potest, quandoquidē ab optima voluntate concurrente gratia Dei, bona emanant opera, mala vero à praua: atque hunc esse panem, quem comedisse inimicum scripsit Hierem. cap. 5. Diabolus enim panem nostrum, hoc est, opera bona peccantibus nobis comedit, & aufert, quod etiam annotauit D. August. serm. Domini in monte 2. Lyranus, & Gloss. ordinar. in locum citatum Hieremiæ, & hic est panis bonæ voluntatis, cuius hic mentio fit, quem in domum nostram congregare debemus.

3 Quid est autem edulium hoc, vtique sapientia diuina.

Hoc loco non de rerum diuinarum cognitione agitur, quam homines sacrarum litterarum studijs sibi comparare student, nec de ea sapientia, quæ humanis rationibus quæritur, sed quæ bonarum operationibus comparatur, quæ in actione potius consistit, quam in contemplatione, quæue, vt ait D. Gregor. Nazianzenus in Apolog. de virtutibus animi commonet, & proloquitur, quæ plura in suis actibus, atque operibus ostendit, fidemque verbis operum suorū adstipulatione confirmat, hac Gregorij atque de hac sapientia Christum Dominum cum S. Brigitta loqui hic, patet aperte, hoc eodem capite aliquanto post his verbis (diuina enim sapientia non est præcise in litteratura, sed in corde, & bona vita) & hanc eam esse arbitror, quam habere Paulus Apostolus profitebatur 1. Corinth. 2. cum dixit, non enim iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum, vnde Theodoretus exponens illud Hieremiæ 5. Sapientes sunt, vt faciant mala, illam asserit esse veram sapientiam, quæ cum timore Dei coniungitur, vbi autem insidiæ, & tergiuersatio est, non sapientia, sed versutia, & calliditas vocatur.

4 Alij sunt insipientes ad mundi delectabilia, & honorem eius, & sapientes ad considerandum, quæ Dei sunt.

Ad horum intelligentiam notanda sunt, quæ tradit Origen. lib. 10. in Epistola ad Romanos cap. 16. vbi explanans illa verba Apostoli, volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo, respondet obiectioni cuiusdam, qui quærebat quomodo fieri posset, vt vnus, & idem sit sapiens, & insipiens, prout etiam legimus hic, respice inquit, ad artes illas, quæ in vsum hominum habentur, quomodo ille, qui sapientissimus est grammaticus, in arte fabrili insipientissimus est, vel rursus sapientissimus gubernator, quomodo in arte medicinæ inuenitur insipiens, sic ergo possibile est in his, quæ ad Deum pertinent esse sapientem, in his, quæ ad sæculum insipientem hactenus Origenes, ex cuius verbis præsentis notæ sensus aperte colligi potest, quibus & nos addimus sapientem esse in bono, vt dicit Apostolus aliud non esse, quam sapientem se exhibere ad considerandū, quæ Dei sunt, discernendo etiam pretiosum à vili, virtutem à vitio, verum à falso, simplicem vero in malo, est esse insipientem ad mundi delectabilia, hoc est, ignarum, nec aptum ad ea, ita vt nec per approbationem sciamus ea, nec per sedulam inquisitionem discamus, nec per operationem experiamur.

VER-

VERBA ADMONITIONIS vitæ Virginis ad filiam, & Christi ad sponsam de vestimentis habendis in secunda domo, & qualiter per talia vestimenta pax Dei, & proximi, & opera misericordiæ, & abstinentia pura designantur, & omnium istorum declaratio optima.

CAP. XXVI.

MARIA loquebatur. Imprime tibi monile passionis filij mei, sicut iste sanctus Laurentius impressit sibi. Ipse enim cogitabat quotidie in mente sua sic, Deus meus ipse est Dominus meus, ego vero seruus. Ipse Dominus Iesus Christus fuit nudatus, & derisus, quomodo ergo decet, vt ego seruus vestiar delicatioribus? Ipse fuit flagellatus, & affixus ligno, non decet ergo, vt ego qui seruus sum, si vere seruus sum, sim absque dolore, & tribulatione. Cumque igitur super prunas extenderetur, & cum adeps liquidus in ignem decurreret, & omnia membra ignis inflammaret, respexit oculis in cælum dicens. Benedictus sis tu Deus meus, & Creator meus Iesu Christe, ego cognosco me non bene in diebus meis vixisse, cognosco etiam me in honore tuo modicum fecisse. Ideo quia misericordia tua maxima est, rogo te, vt facias mecum secundum misericordiam tuam, & cum illo verbo anima à corpore separata est. Ecce filia mea, qui tantum filium meũ dilexit, qui talia pro honore eius passus est adhuc indignum se dixit obtinere cælum. Quomodo ergo illi digni sunt, qui secundum voluntatem suam viuunt? Propterea considera semper passionem filij mei, & sanctorum eius. Non enim sine causa tanta passi sunt, sed vt alijs exemplum viuendi darent, & vt ostenderent quantam districtionem filius meus pro peccatis exiget, qui non minimum peccatum vult esse sine emendatione. Deinde filius veniens loquebatur sponsæ dicens. Dixi tibi prius quæ debent esse in domibus nostris. Inter cætera enim debent tibi esse vestes sub triplici genere. Primo vestimentum lineum, quod nascitur, & crescit de terra. Secundo pelliceum, quod fit de animalibus. Tertio sericum, quod fit de vermibus. Lineum vestimentum habet duo bona. Primo molle est, & lene ad nuda corporis. Secundo non perdit colorem suum, sed quo frequentius abluitur, tanto fit mundius. Secundum vestimentum, scilicet pelliceum etiam habet duo. Primo cooperit turpitudinem, secundo calefacit contra frigus. Tertium vestimentum, scilicet sericum habet etiam duo. Primo videtur esse valde pulchrum, & delicatum. Secundo valde charum ad emendum. Lineum vero indumentum, quod ad nuda corporis habile est, notat pacem, & concordiam. Hanc debet deuota anima habere ad Deum, vt pacem habeat cum Deo suo, nihil aliud, vel aliter volendo, quam quod Deus. Non exacerbando eum per peccata,
1 var. lect. 1 quia inter Deum, & animam non est pax, nisi peccare desistatur, & concupiscentia refrenetur. Debet etiam pacem habere ad proximum, scilicet non inferendo ei mala, succurrendo ei si habet, sufferendo si contra eum peccauerit.
2 var. lect. 2 Quid enim infelicius distendit animã quam semper peccatum appetere, & nunquam eo repleri, semper desiderare, & nunquam quiescere? Quid vero amarius pungit animam, quam contra proximum irasci, & bonis eius inuidere? Ideo pacem debet anima habere ad Deum, & ad proximum, quia nihil quietius esse potest, quam quiescere a peccato, & non sollicitari de mundo. Nihil etiam lenius, quam gaudere de bono proximi, & ei velle, quod sibi ipsi. Hoc quoque lineum indumentum debet esse ad nuda corporis, quia cordi, in quo Deus quiescere vult, pax vicinior inter cæteras virtutes propinquius, & principalius inhærere debet. Hæc enim est virtus, quæ Deum inducit in cor, & introductum tenet. Quæ pax tanquam lineum nascitur, & crescit de terra, quia vera pax, & patientia oritur de consideratione infirmitatis propriæ. Homo enim qui de terra est consideret infirmitatẽ suam, scilicet quod statim irascitur, si offenditur, quod statim dolet si læditur, & si sic cogitauerit non faciat alteri, quod ipse non potest personaliter ferre, cogitando secum, quia sicut ego, sic & proximus meus infirmus est. Sicut ego nolo talia pati, sic nec ipse potest. Tunc pax non amittit colorem suum, idest, stabilitatem suam, sed eo fit constantior, quia consideratio infirmitatis proximi in seipso, facit hominem beneuole tolerare illata. Si autem per impatientiam pax denigratur aliquo modo, tanto fit candidior apud Deum, quanto frequentius, & citius lauatur per pœnitentiam. Fit etiam lætior, & cautior ad ferendum, quo plus exasperantur, & frequentius abluitur, quia gaudet de spe retributionis, quam sperat sibi futuram propter pacem, & eo sollicitius cauet sibi, ne per impatientiam cadat. Secundum vestimentum, scilicet pelliceum notat

tat opera miſericordiæ. Quæ quidem veſtimenta pellicea, fiunt de pellibus mortuorum
3 animalium. 3 Quid ſunt animalia niſi ſancti mei, tanquam animalia ſimplices. Horum pellibus debet tegi anima, ideſt, opera miſericordiæ eorum debet imitari, & facere. Hæc faciunt duo. Primo cooperiunt turpitudinem animæ peccatricis, & emundant eam, ne in conſpectu meo maculoſa appareat. Secundo defendunt animam contra frigus. Quid eſt frigus animæ niſi obduratio animæ ad amorem meum? Contra hoc frigus valent opera miſericordiæ, quæ veſtiunt animam, ne frigore diſſoluatur. Per hæc enim Deus viſitat animam, & ipſa Deo ſemper vicinius appropinquat. Tertium veſtimentum, ſcilicet ſericum, quod fit de vermibus, quod videtur valde charum ad emendum, notat abſtinentiam puram. Hæc enim eſt pulchra in conſpectu Dei, & Angelorum, & hominum. Ipſa eſt etiam chara ad emendum, quia durum videtur homini coercere os ſuum à multiloquio, & vaniloquio. Durum videtur refrenare carnis ſuæ cupiditatem, a nimia ſuperfluitate, & delectabilitate ſua. Durum etiam videtur contra voluntatem ſuam ire. Sed licet durum ſit, eſt tamen vtile omnimode, & pulchrum. Ideo ſponſa mea, per quam intelligo omnes fideles, congregemus in ſecundam domum noſtram pacem ad Deum, & proximum. Opera miſericordiæ compatiendo, & ſubueniendo miſeris. Abſtinentiam a concupiſcentijs. Hęc ſicut charior cęteris, ſic etiam pulchior eſt alijs, in tantum, quod ſine ea nulla videtur alia virtus eſſe pulcra. Quæ quidem abſtinentia trahi debet de vermibus, inde cogitatione exceſſuum ſuorum contra Deum ſuum. De humilitate mea, & de abſtinentia
4 mea, 4 qui factus ſum ſimilis vermi propter hominem. Conſideret nanque homo in animo ſuo quomodo, & quoties contra me peccauerit, & qualiter emendauerit, & inueniet in ſe, quod nulla abſtinentia, & nullo labore ſuo ſufficeret emendare, quoties contra me peccauerit. Perpendat etiam pœnam meam & Sanctorum meorum, quæ talia paſſi ſumus, & intelliget veraciter, quod ſi tantam diſtrictionem exegi a me, & ſanctis meis, qui mihi obedierunt, quanto diſtrictiorem vltionem exigam ab eis, qui mihi non obediunt. Ergo bona anima aſſumat ſibi abſtinentiam libenter, recordetur peccata ſua quam mala ſunt, quæ quaſi vermes rodunt animam, & ſic de vilibus vermibus precioſum ſericum congregabit, ideſt, abſtinentiam puram in omnibus membris ſuis. De qua Deus gaudet, & omnis cæli exercitus, & pro qua congregans merebitur æternum gaudium, qui niſi ipſa ſubueniret habuiſſet æternum luctum.

NOTAE.

1 var. lect. PAulo ante medium huius capitis, vbi impreſſi Codices habent, Quia inter Deum, & animam non eſt pax, niſi peccare deſiſtatur*, & concupiſcentia refrenetur.

* *M. S. Farneſianus legit, Niſi peccatum relinquatur, & carnis concupiſcentia refrenetur.*

2 var. lect. Et infra, quid enim infelicius diſtendit animam.

Corrige cum M. S. Quid enim infelicius deſtruit animam.

3 Quid ſunt animalia, niſi Sancti mei tanquã animalia ſimplices.

Hoc loco animalibus viri ſanctitate conſpicui propter ſimplicitatem comparantur, quod eſſe propriũ columbæ Matth. 10. ſcribitur, eſtote ſimplices, ſicut columbæ, & huius rei cauſam eſſe arbitror, quoniam columba animal eſt, ſine felle non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum, ſed manſuetum, & blandos habet oculos, & eſt dulcis aſpectu, ita Sancti viri fellis carent amaritudine, nulli enim nocent, ſed omnibus blandiuntur, pro illatis iniurijs non iniurias, ſed beneficia refferunt, ſuntque in moribus manſueti, ac in verbis ſuaues, vnde Beda lib. 1. de templo Salomonis, Iob deſcribens ſimplicitatem de B. Iob, inquit, erat vir ſimplex, & rectus ſimplex per innocentiam manſuetudinis, rectus per cautelam diſcretionis ſimplex, quia nullum lædere, immo prodeſſe deſiderabat, rectus, quia ſe à nullo corrumpi patiebatur. Cæterum iuſti viri alijs quoque animantibus ob eorum puritatem, ac vitæ integritatem comparari ſolent, & his præcipue, quæ offerri conſueuerant in ſacrificio, quæ animalia munda dicebantur, de quibus Leuitici 27. ſermo fit, ſic tradunt, Origen. ho. 2. in Geneſim., Tertullianus de cibis Iudaicis, D. Thom. p. 2. q. 102. art. 3.

4 Qui factus ſum ſimilis vermi propter hominem.

Chriſtum Dominum vermi ſimilem eſſe palam fiet, ſi eius animalis generatio perpendatur, vermis enim non per ſeminis aliquam deciſionem generatur, ſed ex terra ſimpliciter producitur, quod etiam ſic nominatur, quod ſeſe torquendo vertat, & repat, ita prorſus Chriſtus Dominus dicitur vermis Pſal. 21. Ego ſum vermis, & non homo, quia non ex ſemine extrinſecus adueniente, ſed de puriſſimis ſanguinibus B. Virg. genitus eſt. Vnde D. Augu. ſuper hunc verſiculum dicit, ego ſum non iam ex perſona Adæ loquens, ſed ego proprie Ieſus Chriſtus ſine ſemine in carne natus, vt eſſem in homine vltra homines, vt vel ſic dignaretur imitari humana ſuperbia humilitatem meam, & in expoſit. ſecunda eiuſdem Pſalmi ad eundem verſum ſic habet, quare ergo ſic ſe abiecit, vt diceretur vermis, an quia vermis de carne ſine concubitu naſcitur ſicut

Chriſtus

Christus de Maria Virgine, & vermis tamen non homo dicitur, quare vermis, quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus, quare non homo, quia, in principio erat Verbum, idem habet Epistola 49. ad Deo gratias, & Epistola 120. ad Honoratum, & tradit Origen. hom. 14. super Lucam, D. Dionysius de cælesti Hierarchia cap. 2. Hieronymus super Psal. 21. & ibidem Theodoretus, Cassiodorus, Iacobus de Valentia, & alij plures, vide infra de eadem re lib. 4. Reuelat. cap. 99. nota prima.

VERBA CHRISTI AD Sponsam, de instrumentis in tertia domo reponendis, & qualiter per talia instrumenta bonæ cogitationes sensus disciplinati, & vera confessio designantur, & omnium istorum optima declaratio, & de clausura istarum domorum in generali.

CAP. XXVII.

FILIVS Dei loquebatur ad sponsam dicens. Dixi tibi prius, quod in tertia domo deberent esse instrumenta sub triplici genere. Primo instrumenta, in quibus insundentur liquores. Secundo instrumenta quibus terra foris præparetur, vtputa rastrum, & securis, & huiusmodi quibus contrafacta restaurentur. Tertio instrumenta viua, sicut asini, & equi, & similia, quibus, & viua, & mortua promoueantur. In prima autem domo, in qua sunt liquores, debent esse duo instrumentorũ genera. Primo instrumenta, in quibus infundantur liquores fluidi, & dulces sicut aqua, & oleum, vinum, & huiusmodi. Secundo instrumenta, in quibus infundantur liquores amari, & spissi, sicut synapis, & farina, & consimilia. Nunquid potes tu intelligere quid ista significant? Liquores certe significant cogitationes animæ bonas, & malas.
1 1 Cogitatio enim bona est, sicut oleum dul-
2 ce, & sicut vinum delectabile. 2 Cogitatio
vero mala est, sicut synapis amara, quia amaram facit animam, & turbidam. Et sicut homo quandoque habet necesse de liquoribus spissis, qui licet nõ multũ proficiunt ad corporis sustentationem, prosunt tamen ad corporis, & cerebri purgationem, & sanationem. Sic etiam cogitationes malæ sunt, quia quãuis non impinguant, & satiant animam, vt oleum bonarum cogitationum, tamen proficiunt ad animæ purgationem, sicut synapis ad purgationem cerebri. Nisi enim non quandoq. interuenirent cogitationes male, tunc homo esset Angelus, & non homo, & putaret homo omnia habere a seipso. Ideo vt homo intelligat infirmitatem suam, quam habet a seipso, & fortitudinem quam habet a me, necesse est, vt permittatur ex magna misericordia, quandoq. tentari cogitationibus malis, quibus si homo non cõsentit, purgatio sunt animæ, & custodia virtutum suarũ. Et licet amaræ sint quasi synapis, ad ferẽdum tamen multum sanant animam, & ducunt eam ad æternam vitam, & sanitatem, quæ nõ potest haberi sine amaritudinibus. Ergo vasa animæ, vbi cogitationes bonę reponentur sedule præparentur, & continue mundentur, quia vtile est, vt etiam cogitationes malæ adueniant propter probationem, & maius meritum, laboret autem anima diligenter, ne cõsentiat eis, vel delectetur in eis. Alioquin dulcedo, & incrementum animæ effundetur, & sola amaritudo remanebit. In secunda domo debent esse instrumenta etiã sub duplici genere. Primo instrumenta exteriora, quibus terra foris præparetur ad semen, & spinæ eradicentur, vtputa aratrum, & rastrum. Secundo instrumenta vtilia ad necessaria interiora, & exteriora, vtputa securis, & consimilia. Instrumenta autem quibus terra excolitur significant sensus hominis, qui ad vtilitatem proximi, tanquam aratrum ad terram ordinandi sunt. Mali enim homines sunt, sicut terra, quia terrena semper cogitant. Ipsi namque sunt arida a compunctione pro peccatis suis, quia peccatum nihil reputant. Ipsi sunt frigidi in diuina charitate, quia nihil nisi suam voluntatem quærunt. Ipsi sunt ponderosi ad agendum bona, quia alacres sunt, pro honore mundi. Ideo vir bonus istos excolere debet per sensus exteriores, sicut & bonus rusticus terram excolit per aratrum. Primo enim debet excolere per os suum, loquendo eis vtilia animæ, & informando ad viam vitæ. Deinde opere faciendo bona, quæ poterit, vt proximus informetur per verba, & excitetur ad faciendum bona. Deinde excolet reliquis membris proximum suum, vt fructifer fiat, scilicet oculis simplicibus, ne videat impudica, vt proximus impudicus addiscat in omnibus membris modestiã. Auribus suis excolat, ne audiat inepta, & pedibus, vt alacer sit ad opus Dei. Huic terræ sic exculte ego dans pluuiam gratiæ meę per laborem excoleatis tribuam, & gaudebit laborans de fructu terræ prius aridæ cum cœperit germinare. Instrumenta vero quæ ad interiora præparanda necessaria sunt, sicut securis, & consimilia, significãt intentionem discretam, & diuinam, discussionem operis sui.

sui. Quia quicquid boni homo fecerit, non debet facere propter honores, & laudem hominum, sed ex diuina charitate ad æternam retributionem. Ideo examinet homo diligẽter opera sua qua intentione, & qua mercede hæc fecit, & si inuenerit in opere suo aliquam superbiam, abscidat statim securi discretionis, vt sicut foris excolit proximum suum, qui quasi extra domum est, idest, extra societatem amicorum meorum per opera mala, sic intus per diuinam charitatem fructificet sibi. Quia sicut opus rustici, qui non habuit instrumenta, quibus repararet destructa citius erit in uacuum. Sic nisi discreta discretione, homo examinet opera sua quomodo alleuientur, si laboriosa videntur, quomodo reparentur, si franguntur, non peruenient ad profectum. Propterea non solum laborandum est efficaciter exterius, sed & intus sollicite considerandum quomodo, & qua intentione laboratur. In tertia domo debent esse instrumenta viua, quæ promoueant mortua, & viua, scilicet equi asini, & alia animalia. Hæc instrumenta sunt confessio vera. Ipsa enim est, quæ viua, & mortua promouet. Quid notat viuum nisi animam, quæ Deitate mea creata est, & in æternum viuit. Ipsa enim per confessionem verã, quotidie magis, ac magis appropinquat Deo. Sicut enim animal, quo frequentius, & melius nutritum fuerit, tanto fortius est ad portandum, & pulchrius ad intuendum. Sic, & confessio, quo frequentius facta fuerit, & quanto diligentius tam de minimis, quam de maximis: tanto magis animam promouet, & in tantum Deo placet, quod etiam animam in cor Dei inducit. 3 Quid autem significat mortua, quę etiam confessio promouet, nisi opera bona, quę per mortale peccatum moriuntur. Nam ipsa opera bona in mortalibus peccatis morientia, mortua sunt apud Deum, quia nullum bonum placere poterit Deo, nisi prius peccatum, vel voluntate perfecta corrigatur, vel opere. Nec in vno vase suauia, & fętẽtia bene cõuenire poterunt. Si autem aliquis opera bona mortalibus peccatis mortificat, & veram confessionem de commissis assumpserit, cum voluntate emẽdandi, & cauendi de cætero, mox per confessionẽ, & virtutem humilitatis reuiuiscũt opera bona, quę prius fuerunt mortua, & proficiunt ei ad salutẽ æternam, qui si moritur nõ facta cõfessione, opera ipsa bona, quę mori, & adnihilari non possunt, nec tñ propter mortale peccatum æternã vitam mereri poterunt, proficiũt ei ad leuiorẽ pęnã, vel alijs ad salutem. Si tñ fecit ipsa opera bona cũ diuina intẽtione, & ad Dei honorem. Si vero fecit ipsa opera, propter honorem mundi, & ipsius vtilitatem, tunc ipsa opera moriente factore moriuntur, quia mercedem suam recepit de mundo, pro quo laborauit.

4 Propterea sponsa mea, per quam intelligo omnes amicos meos, congregemus in domos nostras illa, vnde spiritualiter Deus vult delectari cum anima sancta. Primo in domum primam, scilicet panem sinceræ voluntatis nihil volẽdo, nisi quod Deus. Secundo potum diuinæ præmeditationis, nil agendo, nisi ibi cogitetur Dei honor. Tertio edulium diuinæ sapientiæ, cogitando semper, quæ futura sunt, & quomodo præsentia ordinanda sunt. In secundam domum congregemus pacem a peccatis ad Deum, & pacẽ a rixa ad proximum. Secundum opera misericordiæ, quibus etiam opere vtiles simus proximo. Tertio abstinentiam perfectam, qua coarceamus ea, quæ turbare volunt pacem. In tertiam domum congregemus rationabiles, & bonas cogitationes ad ornandum domum nostram interius. Secundo sensus bene disciplinatos, & temperatos, ad lucendum amicis nostris exterius. Tertio confessionem veram quasi si infirmamur reuiuiscere possimus. Sed quamuis domus habeantur, non tamen possunt conseruari congregata in eis nisi habeantur ostia, nec ostia possunt pendere sine cardinibus, nec serari sine seris. Ideo vt congregata maneant salua ponatur in domo ostium, scilicet spes firma, vt nullius frangatur aduersitatibus. Quę spes habeat duos cardines, scilicet, vt homo non desperet de adipiscenda gloria, nec de fugiendo supplitio, sed in omni aduersitate semper de misericordia Dei confidens speret meliora. Sera autem ostij debet esse diuina charitas, qua muniatur ostium ne ingrediatur inimicus. Quid enim prodest habere ostium sine sera. Quid spem sine charitate? Si enim quis sperat præsentia æterna, & desperat de Dei misericordia, nõ tamẽ diligit Deum, & timet, ostium quidem habet quasi sine sera, per quod inimicus capitalis ingredi potest cum voluerit, & occidere. Sed spes recta est, vt qui sperat faciat etiam bona, quæ potest, sine quibus non potest obtinere cęlestia, si sciuit, & potuit facere bona, & noluit. Si vero quis excessisse se intelligit, vel non fecisse cum potuit, habeat bonam voluntatẽ faciendi bona, quæ potest, & quod facere non poterit, & speret firmiter se ad Deum posse accedere, etiam per bonã voluntatem, & diuinam charitatem. Ergo ostium, idest spes muniatur diuina charitate, vt sicut sera multa habet intus retinacula, ne hostis aperiat, sic in diuina charitate sit quędã sollicitudo ne Deus offẽdatur, sic charitatiuus timor ne discedat ab eo. Feruor etiam igneus quomodo Deus diligatur, & cura quomodo imitetur. Sic Et

dolor, eo quod non sufficit tantum facere ficut vellet, & ficut obligatum se intelligit. Humilitas quoque qua homo, quod agit reputat nihilum, respectu peccatorum suorũ. His retinaculis muniatur sera, ne diabolus faciliter seram charitatis aperiat, & immittat amorem suum. Clauis vero, qua aperitur, & clauditur sera, debet esse desiderium solius Dei, conueniens cum diuina charitate, & diuino opere, vt scilicet nihil velit habere homo etiam si posset nisi Deum, & hoc propter maximam charitatem eius. Hoc enim desiderium claudit Deum in anima, & animam in Deo, quia vna vtriusque voluntas. Hanc vero clauem vxor, & vir debent habere soli, idest, Deus, & anima, vt quoties Deus ingredi voluerit, & delectari in bonis, scilicet animæ virtutibus, liberum habeat accessum per clauem stabilis desiderii. Quoties etiam anima ingredi voluerit ad cor Dei libere possit, quia ipsa nihil desiderat nisi Deum. Hæc clauis custoditur per animæ vigilantiam, & humilitatis suæ custodiam, qua Deo adscribit omne bonum, quod habet, & custoditur etiam clauis hæc per Dei potentiam, & Dei charitatem, ne anima à diabolo supplantetur. Ecce sponsa mea, qualis charitas Dei est ad animam. Sta ergo firmiter, & fac voluntatem meam.

NOTAE.

1 Cogitatiò enim bona est ficut oleum dulce, & ficut vinum delectabile.

Quemadmodum oleum optimum est cibi condimentum, quo deficiente, nec fercula sapiunt, nec vllam comedentibus delectationem afferunt, ita quoque vinum, & gustui suaue est, & sua natura callidum, & quam plurimos generat spiritus, sic prorsus optima cogitatio, cæterarum virtutum est condimentum, sine qua opera bona Deo minime placent, nec operanti Religionis feruor adijcitur, nec charitatis spiritus multiplicantur, immo totus frigidus, ac tepidus, sic operans manet, neque in spirituali vita quidquam proficit, & idcirco Diuus Hieronymus in Epistola ad Demetriadem admonet, vt assuescat animus sollicita semper, & peruigili custodia, suas cogitationes discernere, & ad primum animi motum, vel probare, vel reprobare, quod cogitat, vt & bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat, hinc namque ait, fons est boni, & origo peccandi.

2 Cogitatio vero mala est, ficut synapis amara.

Synapis herba est, aut semen quoddam, quod tritum, & contusum tantam habet acrimoniam, vt etiam frequenter lacrymas excitet comedenti, ita quoque cogitatio praua, quæ vt notauimus supra, cum fons sit, & radix malorum omnium, nobis veluti synapis tristitiæ, ac lacrymarum causas affert.

3 Quid autem significant mortua, quæ etiã confessio promouet, nisi opera bona, quę per mortale peccatum moriuntur.

Ad huius textus intelligentiam breuiter est notandum ex Scholasticis, opera nostra posse dici viua, mortua, viuificata, & mortificata, hæc autem dicuntur per comparationem ad illa, quæ in naturalibus sunt, ea enim nos viuere asseueramus, quibus inest principium vitæ, & vitalis operatio ab hoc emanans, vt brachium, vel quodpiam aliud membrum mouendo, mortuum vero, quod nec vitæ habet principium, nec operationem, habere tamen hæc poterat, vt homo mortuus, mortificata autem vocamus ea, quibus quidem vitæ est principiũ, deest tamen operatio, ob aliquod impedimentum, vt stupidum membrum, quod non potest moueri ob aliquod impedimentum, habet tamen principium in se vitale, quod impedimentum, si remoueretur. Huiusmodi membrum viuificatum diceretur, quandoquidem à mortificatione, per vitalem operationem causata, ad pristinas operationes restitueretur His declaratis dicendum mihi videtur, quod hic primo sermo fit, de his operibus, quæ licet ex genere suo bona sint, quia tamen in peccato mortali fiunt mortua dicuntur, quandoquidem carent vitali principio, quod charitas est, atque ad hunc sensum fides sine operibus Iacobi 2. mortua dicitur, hæc autem opera promoueri per confessionem legimus hic, non quidem, quod per pœnitentiam reuiuiscant, vt de mortificatis operibus infra dicemus, quia vt auctor est D. Thom. 3. par. quæst. 89. art. 6. non possunt iterum à principio procedere, quoniam transeunt, & iterum eadem numero resumi non possunt, tum quia nunquam habuerunt vitam, nec valorem, sed quia pœnitens, qui sacramentali absolutione accepta in gratiam restituitur, sacramenti fomento, ad ea facienda feruentius resurgit, sciens modo illa sibi ad salutem consequendam proficere, cum prius deficiente vitali principio, scilicet charitatis, ad eam sibi comparandam minime adiuuarent, verba vero quæ immediate sequuntur nimirum (si autem aliquis opera bona mortalibus peccatis, peccatis mortificat) intelligenda sunt de mortificatis operibus, quæ sic appellantur, quia cum prius ex charitate processerint, quæ spiritualis vitæ principium est, adueniente postea peccato mortificantur, cum ad vitam gloriæ consequendam posito peccati impedimento efficaciter perducere non possint, viuificantur autem peccato sublato per confessionem quæ illam efficaciam recuperant, perducendi eum ad vitam æternam, qui fecit ea, & ideo legimus hic, si veram confessionem de commissis assumpserit cum voluntate emendandi,

& cauendi de cætero mox reuiuiscunt, & proficiunt ei ad salutem æternam, & hoc est, quod Deus nobis pollicitus est Ioelis 2. reddam vobis annos, quos comedit locusta, vbi Gloss. interlinearis habet non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione animi amisistis, ea vero vbertas bonorum operum est meritum, quod per peccatum amisimus, sed de horum operum meritis videndi sunt Vega quæst. septima de iustificat. Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 4. Nauarrus in Manuali Præludio 7. & cap. 3. num. 8. vbi agit de satisfactione, & cap. 27. nu. 267. & de pœnit. d. 6. cap. 1. nu. 45.

4 Propterea sponsa mea, per quam intelligo omnes amicos meos congregemus in domos nostras illa, vnde spiritualiter vult Deus delectari.

Hic hactenus exposita colligit Epilogo, & breuiter, quæ duobus superioribus capitibus tradiderat perstringit, & sponsæ ad memoriam reuocat.

VERBA CHRISTI AD Sponsam, de sui immutabilitate, nec non, & de suorum verborum perfectione, quamuis statim opera non sequuntur, & quomodo voluntas nostra committenda est in omnibus diuinæ voluntati.

CAP. XXVIII.

FILIVS loquebatur ad
sponsam dicens. Cur sic
turbaris, ex eo quod ille
dixit verba mea esse falsa?
Nunquid ego sum
eo deterior ex vituperio
eius, aut fierem eo melior
ex laude eius? Ego nempe immutabilis
sum, nec minui, nec augeri possum, nec
laude indigeo. Sed homo me laudans, ex
laude mea proficit non mihi, sed sibi ipsi.
Nec vnquam de ore meo (qui sum veritas)
falsitas processit, vel procedere potest,
quia omnia quæcunque locutus sum per Pro
phetas, siue per alios amicos meos, aut spi-
ritualiter, aut corporaliter, sicut tunc in-
1 tellexi perficientur. 1 Nec ideo erant fal-
sa, quia vnum dixi semel, aliud secundo, vnum
expressius, aliud obscurius, quia ad proban
dam fidei meæ constantiam, & amicorum
meorum sollicitudinem, multa ostendi, quæ
secundum diuersos effectus spiritus mei,
diuersimode à bonis, & malis intelligi be-
ne, & male possunt, vt haberent in diuersis
statibus, vnde diuersi diuersa exercere pos-
2 sent in bono. 2 Nam sicut deitatem meam
var. assumpsi humanitatem meam in vna perso-
lect. na, sic & quandoque loquebar ex parte hu-
manitatis meæ, inquantum subiecta erat
deitati, quandoque ex parte deitatis in-
quantum creatrix erat humanitatis, vt pa-
tet ex euangelio meo. Et sic quamuis di-
uersa videantur a calumniantibus, & ne-
scientibus, tamen vera erant verba secun-
3 dum veritatem. 3 Nec etiam sine causa
4 erat quod obscure tradidi aliqua, 4 quia
sic erat iustitia, vt occultaretur consilium
meum aliquantulum a malis, & vnusquisque
bonorum feruenter expectaret gratiam
meam, & pro expectatione obtineret pre-
mium, ne si certo tempore consilium meũ
insinuatum fuisset, omnes ab expectatione,
& charitate propter longiturnitatem tem-
poris desisterent. Plurima etiam promisi,
quæ tamen a præsentibus propter ingrati-
tudinem subtracta sunt. Si enim ipsi a ma-
litia sua destitissent, ego vtique quod pro-
miseram præstitissem. Ideo non debes tur-
bari, quod verba mea arguantur mendacij.
Quod enim impossibile videtur apud homi-
5 nes, hoc possibile est apud me. 5 Mirantur
var. etiam amici mei, cur non est sine causa.
lect. Nunquid non Moyses missus erat ad Pha-
raonem, non tamen statim ostendebantur
signa. Quare? Quia si enim statim signa
venissent, & opera, non manifesta fuisset du
ritia Pharaonis, nec potentia Dei, nec mira-
bilia ostensa. Nihilominus tamen Pharao
propter malitiam vsam damnaretur, etiam
si non venisset Moyses, quamuis duritia eius
non fuit ita manifesta. Sic etiam nunc fiet.
Propterea state viriliter. Aratrum quippe
quamuis a bobus trahitur, tamen secundum
voluntatem regentis regitur. Sic etiam
quod verba mea audiatis, & sciatis, non
tamen vadunt, vel proficientur secundum
voluntatem vestram, sed secundum
meam. Ego enim scio, quomodo
terra est disposita, & quo-
modo excolenda. Vos
autem omnem vo-
luntatem ve-
stram
mihi committite, & dicite:
Fiat voluntas
tua.

NO-

NOTAE.

1 NEc ideo erant falsa, quia vnum dixi semel aliud secundo, vnum expressius aliud obscurius.

In præsenti capite Christus Dominus Beatæ Brigitæ ostendit, quod ipse, & immutabilis sit, ac etiam verax, quodque nec mutabilitatis, nec falsitatis redargui nequaquam potest, etiam si in sacris litteris frequenter legamus quædam, quæ contrarium videantur innuere, aliquando enim præcepit Deus, vt obseruarentur legalia, aliquando vero prohibuit, sæpe etiam aliquibus populis, vt Niniuitis vrbium subuersiones, ac flagella per Prophetas prædixit, & postea pepercit: Ezechiæ mortem per Isaiam annunciauit, vt Isaiæ 38. scribitur dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues neque tamen sic euenit, sed quindecim annos vitæ et adiecit Dominus. Item Genesis 8. Moyses dixit pœnituisse Deum, quod fecerit hominem, & Ieremias capite decimo octauo in persona Dei scribit. Loquar aduersus gentes, & aduersus regnum vt eradicam destruam, & disperdam illud, sed si pænitentiam egerit agam, & ego pænitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei hæc, & alia plura, quæ possemus hic ex sacris litteris afferre testimonia indicare videntur, & Deum mutabilem esse, & falsitatis posse reuinci, quod asserere, & impossibile est, & blasphemia esse maxima, quia Deus immutabilis est sicut hoc eodem capite dicitur, & Malachiæ tertio, & Iacobi primo, apud quem non est transmutatio, & Psalm. 101. Tu autem idem ipse es, & Numerorum 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, neque filius hominis, vt mutetur, 2. Thimot. 2. Se ipsum negare non potest, cæterum, vt hoc declaremus apertius, sciendum est, quod licet Deus aliquando rerum velit mutationes, non tamen inde inferre licet eum mutabilem esse, quia contingit eadem voluntate manente, quod aliquis velit, vt hoc modo fiat, postea velit contrarium, & ratio est, quia aliud est rerum velle mutationes, aliud voluntatem mutare, nec aliquo modo dici potest, quod Dei voluntas mutata sit, quandoquidem ab æterno præuidit hoc nunc esse voliturum & postea contrarium, est ergo tota mutatio ex parte creaturarum, quod vt aliquo exēplo palā fiat si per impossibile sol semper in nostro moraretur hemisphærio in eodē situ. Luna vero mouente quandoque interponeretur inter nos, & solem, contingeret, quod sol aliquando nos illuminaret, & aliquando non illuminaret, nulla tamen in eo facta mutatione, ita prorsus æterna Dei voluntate manente, noua sæpe producit, frequenter etiam prohibet, quæ prius volebat, & alia sexcenta facit, quæ in creaturis tantummodo mutationem inuoluunt. Rursus ex Diuo Thoma notandum est, prima parte quæstione 19. articulo 7. ad secundum, quod voluntas est causa prima, quæ ad agendum non excludit causas secundas, sed quia causa secunda non adæquat virtutem primæ, ideo multa reperiuntur in causa prima, nimirum in voluntate, ac scientia Dei, quæ sub inferiorum causarum ordine minime sunt, vnde respiciens ad inferiores causas quis dicere poterit Lazarus non resurget, respiciens ad primam resurget, ex quo infertur, quod si aliquando Deus aliquid pronunciat futurum, & non sequitur illud prædicit secundum dispositionem secundarum causarum, qua dispositione deficiente non sequitur, vt de Ezechia, cuius mors fuit pronunciata, nisi plangeret, fleuit ergo, ideo non est mortuus, atque ex his aperte intelligi possunt, quæ scribuntur hic, nimirum Dei verba non esse falsa, quia vnum semel dicat, & aliud secundo, sed Deum aliquando illud permisisse ad probandam fidei suæ constantiam, & amicorum suorum sollicitudinem, plura quoque secundum diuersos effectus spiritus sui ostendisse, quæ possent a bonis, & malis diuersimode intelligi, vt inde homines haberent in diuersis statibus, vnde diuersi diuersa possent se in bono exercere, sed hac de re videnda est glossa ordinaria Isaiæ 38. ad ea verba, Dispone domui tuæ, vbi plura affert ex Diuo Gregorio, & Diuo Augustino, quæ ad præsentis notæ intelligentiam facere possunt.

2 Nam sicut deitatem meam assumpsi humanitatem meam in vna persona, sic quandoque loquebar ex parte humanitatis meæ (var. lect.) in quantum subiecta erat deitati, quandoq. ex parte deitatis, &c.

Hunc textum sic corrigendum esse arbitror, cum Manuscripto Farnesiano, nam sicut in Deitate mea assumpsi humanitatem meam; atque etiam ex hoc deducitur, quod licet in sacris litteris quædam de Christo scripta inueniantur, quæ ad inuicem pugnare videntur, non tamen esse falsa, sed verissima, vt legimus ad Philippenses secundo, quod Christus æqualis est patri, deinde quod minor est Patre, & quod paulo minus est minoratus ab Angelis, vt Psalm 8. & ad Hebræos secundo, & quod Christus obedit Patri secundo, quod Christus manet in æternum. Ioann. 12. postea, quod mortuus est. Roma. 5. & alia sexcenta, quæ secundum duarum naturarum distinctionem accipienda sunt, & ideo egregie Diuus Augustinus lib. 1. de Trinitate capit. 1. dicit se ipso Christus factus est minor, formam serui accipiens, neque enim sic accepit formam serui, vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri, vt in forma serui, & in forma Dei, idem sit ipse vnigenitus filius Patris, idem quoque probat Diuus

Hieronymus in explanat. simboli ad Damasum, D. Damasc. 4. lib. de fide cap. 19. & fuse D. Athan. in simbolo.

3 Nec etiam sine causa erat, quod obscure tradidi aliqua.

Innuitur hoc loco non sine causa factum esse, quod plurima in sacris litteris reperiantur, quæ intellectu difficillima sunt, & præter has causas, quæ hic afferuntur, duæ quoque huius rei admodum probabiles redduntur lib. 8. cælestis Imperatoris ad Reges cap. 48. quarum altera est, ne quis præsumat improbe Dei verba discutere, ipse enim est, qui de sublimi humilem facit, & de inimico amicum, secunda causa est, vt qui occasionem discendi quærit inueniat, & sane sacrarum litterarum obscuritas doctis viris ansam præbet difficiliora loca interpretandi, sensus obscuros inuestigandi, paruulis panem verbi Dei frangendi, si enim omnia, quæ sacræ paginæ referunt, aut etiam liber hic Cælestium Reuelationum facillime ab vnoquoque intelligerentur fortasse contingeret, vt nec studiose, aut sollicite quærerentur, neque eorum veritas suauiter inueniretur, quod optime explicat Petrus Chrisolog. serm. 96. si dicta inquit, vel facta Christi carnalibus sensibus subijcerentur torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quidquid humani vigoris est, & caloris, & sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis lapidis collisione flammatur. sic obscurum verbum, verbi, ac sensus collatione resplendet.

4 Quia sic erat iustitia, vt occultaretur consilium meum aliquantulum a malis.

Cum consilium proprie quædam sit inquisitio rationis in rebus dubijs, cumque præsupponat inquisitionem mediorum, & ignorantiam certi medij ad consecutionem finis, vt ex D. Damascen. lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 22. & D. Thoma par. 2. quæst. 14. art. primo ad secundum colligi potest; ideo nobis dicendum videtur, proprie in Deo minime esse ponendū. & propterea Dama. vbi supra affirmauit, quod Deus non consiliatur, ignorantis enim est consiliari, sed sciendum est, dupliciter posse sumi consilium. Primo quidem pro ipsa inquisitione cum discursu, & quia sic imperfectionem quandam, & ignorantiam connotat, ideo non potest in Deo poni, qui perfectissimus est, & scientissimus. Secundo sumi potest pro certitudine, ac resolutione alicuius rei, vnde dicere solemus consilium habet, talis est resolutio, & sententia consilij eius, & ita sumptum proprie in Deo esse affirmamus, qui rerum omnium certitudinem, ac scientiam habet, & sic sumitur hic cum scribitur, vt occultaretur consilium eius. hoc est, vt celaret a malis quidquid decreuit esse facturum. & in hoc etiam sensu paulo post legimus hoc eodem capite, ne si certo tempore consilium meum insinuatum fuisset, omnes ab expectatione, & charitate propter longiturnitatem temporis desisterent, & ad Ephes. 1. Paulus Apostolus scribit, quod omnia operatur secundum consiliū voluntatis suæ, hoc est, secundum certissimam suæ voluntatis rationem, & decretum, vel vt habet ibi Gloss. Interlinearis, secundum voluntatem, quæ est ex ratione: vel vt annotauit ibidem Carthusianus, secundum certissimam rationem suæ voluntati consonam, & placentem.

5 *Circa finem Capitis, vbi hactenus impressa exemplaria habent,* Mirantur etiam amici mei, cur

var. lect. non est sine causa.

Hic textus, Sic cum Farnesiano Codice M.S. restituendus est. Mirantur etiam amici mei, cur post verba non sequantur opera, hoc enim non est sine causa.

VERBA MONITIONIS Ioannis Baptistæ ad sponsam in figura, in qua Deus per pullos, corpus per nidum mundi, delectationes per animalia ferocia, superbia per aues rapaces, mundi lætitia per laqueum designantur.

CAP. XXIX.

1 IOANNES Baptista loquebatur ad sponsam Christi dicens. Dominus Iesus vocauit te de tenebris in lucem, de immunditia in perfectam munditiam. De angustia in latitudinem. Quantum ergo sibi pro his regratiari teneris, quis explicare valet, aut quando sufficeres? Veruntamen facito quantum vales. Est auis quædam quæ dicitur pica. hæc enim diligit pullos, quia oua vnde processerunt pulli fuerunt in ventre eius. Hæc auis facit sibi nidum de rebus inueteratis, & attritis propter tria. Primo propter requiem. Secundo propter latibulum a pluuia, & nimia siccitate. Tertio, vt nutriat pullos suos, qui fiunt ex ouis, quæ auis ex charitate componendo se super ea fouet pullos. Cum vero pulli nati sunt, mater allicit eos ad volandum per tria. Primo per cibi administrationem. Secundo per sedulam vocem. Tertio per volatus sui exemplificationem. Pulli vero quia diligunt matrem, assueti cibo matris, ferunt se primo paulatim præcedente matre supra nidum.

nidum. Inde iuxta vires progrediuntur vlterius, donec ex vsu, & arte sunt perfecti. Hæc auis Deus est, qui æternaliter est, & nunquam immutatur, & ex deitatis eius vtero, omnes animæ rationales egrediuntur. Cuilibet vero animæ paratur nidus de rebus attritis, quia corpus de terra consociatur animæ, in quo Deus animam nutrit cibo bonarum affectionum. Defendit ab auibus malarum cogitationum, & dat requiem a pluuia malarum actionum. Quælibet vero anima, quia tali de causa coniungitur corpori, vt ipsa corpus regat, nequaquam ab eo regatur, & vt corpus ad laborem excitet, & ei rationabiliter prouideat. Ideo Deus tanquam mater bona, docet animam proficere in meliora. 1 Docet exire de arcto, in latiora. Primo per cibum, dando intelligentiam, & rationem iuxta capacitatem vniuscuiusque, indicando menti quidve fugiendum. Sed sicut mater primo educit pullos supra nidum, sic homo addiscit cogitare cælestia. Cogitare etiam quam arctus, & vilis sit nidus corporis, quam lucida sunt cælestia, & quam delectabilia sunt æterna. Educit etiam Deus animam per vocem suam qua clamat. Qui sequitur me habebit vitam, qui diligit me, non morietur. Hæc vox ducit ad cælum. Hanc qui non audierit, aut surdus est, aut ingratus dilectioni matris. 2 Tertio educit Deus animam per volatum, idest, per humanitatis suę exemplum. Hæc humanitas gloriosa habuit quasi duas alas. Primo, quia in eo erat omnis munditia, & nihil coinquinatum. Secundo, quia omnia bona fecit, his duabus alis volabat humanitas Dei in mundo. Has ergo sequatur anima quantũ potest. Et si non poterit opere, saltem conetur voluntate. Cum autem euolat pullus, cauenda sunt sibi tria. Primo pro animalibus ferocibus, ne resideat iuxta ea super terram, quia ipse pullus non est fortis sicut illa. Secundo caueat ab auibus cupidis, quia ipse pullus adhuc non est celer euolare, sicut aues illæ sunt, & ideo in latibulo tutius est morari. Tertio caueat, ne concupiscat prædam, in qua est laqueus. Animalia ista ferocia, quæ dixi, sunt delectationes, & cupiditates mundi, ab his enim sibi caueat pullus, quia dulces videntur sentiri bonæ ad possidendum, & pulchrę ad videndum, Sed cum putantur teneri euadunt celeriter. Cum vero creduntur delectari, mordent immisericorditer. Secundo caueat ab auibus cupidis, hæ sunt superbia, & ambitio. Istæ enim sunt, quę semper altius, & altius desiderãt ascendere, & alias aues præcedere, & odire inferiores. Ab his autem caueat pullus, & desideret in latibulo humilitatis morari, vt non superbiat de data gratia, non contemnat inferiores, & minoris gratiæ non cogitet se aliquibus meliorem. Tertio caueat à præda, in qua est laqueus. Hæc enim est lętitia mundi. Nam bonum videtur habere risum in ore, & delectationem in corpore, sed latet in his aculeus. Adducit enim immoderatus risus immoderatam lætitiam. 3 Voluptas corporis adducit inconstantiam mentis, ex quibus consequitur tristitia, vel in morte, vel ante, seu in tribulatione. Festina igitur filia, & tu egredi frequenter de nido tuo per desiderium cælestium. Caue tibi à bestijs cupiditatum, & ab auibus superbiæ. Caue à præda lætitiæ vanæ. Deinde loquebatur Mater ad sponsam, & ait. Caue de aue, quæ tincta est pice, quia omnes qui tangunt eam maculantur. Hęc enim est amicitia mundi, instabilis vt aer, fœda in acquisitione fauoris, & societate mala. Non cures de honoribus, non attendas ad fauores, non respicias ad laudem, vel vituperium. Nam ex his prouenit inconstantia animi, & diminutio diuinæ charitatis. Sta igitur stabilis. Deus enim qui te incepit extrahere de nido, pascet te vsque ad mortem. Post mortem vero non habebis famem. Custodiet etiam te a dolore, defendet te in vita, & post mortem nihil timebis.

NOTAE.

1 var. lect. Docet exire de arcto in latiora, Primo per cibum dando intelligentiam, & rationem iuxta capacitatem vniuscuiusq. indicando menti, quidve fugiendum.

Hic textus omnino mancus, & corruptus esse videtur, quandoquidem, si hoc loco sermo sit, de naturali lumine, quod Deus nobis ab instanti creationis indidit, de quo Dauid Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, omnino addendum esse censeo cum Farnesiano Codice manuscripto, indicando menti, quid agendum, quidve fugiendum, est enim huius naturalis luminis proprium, quod practicum doctores appellant, hominibus indicare, quid agere, quidve vitare debeant, hoc autem Apostolus Rom. 2. legem scriptam appellat in cordibus gentilium; qui legem Mosaicam non habentes, ea quæ legis sunt per hoc naturale lumen eorũ mẽtibus impressum obseruabant quantum

DEPRECATIO MATRIS Dei ad filium pro sponsa, & pro alio sancto, & de acceptatione deprecationis Matris a Christo, & de certitudine veræ, vel falsæ sanctitatis hominis in hac vita.

CAP. XXX.

MARIA loquebatur filio dicens. Da fili mi nouæ sponsæ tuæ, vt corpus tuum dignissimum radicetur in corde eius, vt ipsa mutetur in te, tuaque delectatione repleatur. Deinde ait. 1 Hic sanctus cum temporaliter vixit, fuit in fide sancta sicut mons stabilis, quem non fregit aduersitas, nulla retraxit delectatio. Fuit & flexibilis ad voluntatem tuam sicut aer mobilis, quocunque eum impetus spiritus tui traxit. Fuit insuper in charitate tua ardens quasi ignis calefaciens frigidos, & consumens iniquos. Nunc autẽ anima eius tecũ est in gloria, vas autem instrumenti eius depressum est, & in humiliori loco iacet, quam decet. Ideo fili mi da corpori eius altiorem eleuationem, honora illud, quod te pro modulo suo honorauit. Eleua illud, quod te labore suo, quo potuit eleuauit. Respondit filius. Benedicta sis tu, quæ nihil relinquis intactum, quod ad amicos tuos pertinet. Non decet Mater, vt vides, quod lupis detur cibus optimus. Non conuenit saphirus membra conseruans sana, & corroborans infirma, ponatur in luto. non etiam decet, vt cæcis accendatur lumẽ. Iste quippe homo sicut in fide fuit stabilis, & in charitate feruentissimus, sic & in continentia optime fuit ad voluntatem meam dispositus, propterea sapuit mihi sicut cibus optimus, optime decoctus, in omni patientia, & tribulatione. Dulcis denique, & bonus in bona voluntate, & affectu, melior in conatu, & virili progressu, optimus, & dulcissimus in laudabili consummatione. Propterea non decet vt ante lupos talis exaltetur cibus, quorum cupiditas nescit satietatem, quorum delectatio refugit herbas virtutum, & sitit carnes putridas, quorum, & vox astuta omnibus est nociua. Fuit etiam quasi saphirus in annulo per fame, & vitæ claritatem, per quam ostendit se esse Ecclesiæ suæ sponsum, Domini sui amicum, fidei sanctæ conseruatorem, & mundi contemptorem. Propterea Mater charissima non decet vt tantæ bonitatis amator, tanquam mundus sponsus tangatur a tam immundis. Tantæque humilitatis amicus, ab amatoribus mundi contingatur. Fuit etiam tertio tanquam lumen positum super candelabrum, per omnem mandatorum meorum exequutionem, per bonæ vitę doctrinam, per hanc muniuit stantes ne caderent. Per hanc eleuauit cadentes, per hanc etiam futuros post se ad me excitauit. Hoc lumen indigne videre sunt obcæcati amore suo, hoc lumen discernere nesciunt, qui habent albuginem superbiæ, hoc lumen attrectare non valent scabiosi manibus, quia hoc lumen cupidis, & suam voluntatem amantibus, est nimis odiosum. Ideo priusquam eleuetur, iustum est, vt illi, qui immundi sunt purgentur, & qui cæci sunt illuminentur. Illum vero hominem, quem homines terræ dicunt sanctum, tria ostendunt eum non esse sanctum. Primo, quia ante mortem non imitabatur vitam sanctorum. Secundo, quia hilarem voluntatem non habuit patiendi martyrium pro Deo. Tertio, quia non habuit charitatem ardentem, & discretam sicut sancti. Tria quoque sunt, propter quę quis videtur a populo sanctus. Primum est mendacium, fallacium, & placere volentium. Secundum facilitas credulitatis insipientium. Tertium est cupiditas, & tepiditas prælatorum, & examinatorum. Vtrum autem ipse est in inferno, uel purgatorio, nondum est tibi licitum scire, sed cum tempus fuerit loquendi.

NOTAE.

1 Hic sanctus cum temporaliter vixit fuit in fide sancta sicut mons stabilis, quem non fregit aduersitas, nulla retraxit delectatio.

Hic, de quo in præsenti capite sermo fit, fuit Brynulphus Ecclesiæ Scarensis Episcopus, vt colligitur infra in Reuelatione extrauaganti, capite 108. Quo loco Beata Virgo illum summis laudibus extollit, eumque fuisse morum, ac vitæ sanctitate celebrem, testatur ibi circa medium capitis his verbis. Scias filia, quod iste Episcopus honorauit me in vita sua, & honorem opere confirmauit: cuius

vita

vitæ, quam acceptabilis fuit Deo, demonstrauit Odor, quem sensisti, eiusdem Episcopi meminit Ioannes Magnus Archiepiscopus Vpsalen. lib. 20. historia Gothorum cap. 24. nec inquit silentio implicandum est, quod anno Christi 1317. ille sanctissimus Ecclesiæ Scarensis Pontifex Brynulphus post multos labores, atque eximia sanctitatis opera, hoc transitorium sæculum felici cursu consummauit in Ecclesia Scarensi sepultus.

Finis Secundi Libri Reuelationum S. Brigittæ.

INCIPIT

INCIPIT TERTIVS LIBER

REVELATIONVM CÆLESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

MONITIO ET INFORMATIO AD EPISCOPVM de modo tenendo in victu, & vestitu, & oratione, & qualiter se habere debeat in omnibus ante mensam, in mensa, & post mensam, & hoc idem de dormitione, & qualiter in omnibus exerceat officium Episcopale.

CAPVT PRIMVM.

IESVS Christus Deus, & homo, qui venit ad terram assumere humanitatem, & saluare animas sanguine suo,
1 var. lect. 1 qui vitam veram illuminauit. Aperuitque portam cæli ipse me misit ad vos. Audi tu, cui datum est audire spiritualia. Si Episcopus iste proponit ire per viam arctam, per quam pauci ambulant, & esse vnus de paucis, deponat primo pondus circumstans, & onerans eum. Hoc est mundi cupiditatem habendo mundum ad sola necessaria sua, secundum Episcopalem humilem sustentationem. Sic fecit ille bonus Matthæus, qui vocatus a Deo reliquit onus graue mundi, & inuenit onus leue.
2 2 Secundo sit præcinctus ad viam, sicut dicit scriptura. Quod Tobias paratus ad viam, inuenit Angelum præcinctum stantē. Quid significat, quod Angelus erat præcinctus, nisi quod omnis Episcopus præcinctus debet esse cingulo iustitiæ, & diuinæ charitatis. Paratus ire per viam illam, per quā ille iuit, qui ait. Ego sum pastor bonus, qui pono animam meam pro ouibus meis. Paratus etiam cū verbis, loqui veritatem. Paratus cū operibus facere iustitiam tam in seipso, quā in alijs. Non dimittendo iustitiam, propter minas, seu opprobria. Non propter falsam
3 amicitiam, seu vanum timorē. 3 Omnis igitur Episcopus, qui taliter apparet præcinctus ad eum veniet Tobias, idest, homines iusti, & sequentur vitam eius. Tertio debet comedere panem, & aquam antequam aggrediatur viam. Sicut legitur de Helia, quod excitatus a somno, inuenit ad caput suum panē, & aquam. Quis est iste panis datus Prophetæ, nisi bonum corporale, & spirituale, quod administrabatur ei. Nam præparabatur ei in heremo panis corporalis propter exemplum, licet enim Deus potuisset sustentasse Prophetam sine cibo corporali, voluit tamē præparari panem ei corporalem, vt intelligeret homo, Deo esse placitum, quod vtatur bonis donis Dei temperate ad consolationē carnis. Infusio quoque spiritualis inspirabatur

Digitized by Google

tur Prophetæ, quando quadraginta diebus
iuit in fortitudinem cibi illius. Nisi enim in-
terna quædam vnctio gratiæ inspirata fuisset
menti eius defecisset vtique in quadraginta
4 dierum labore, 4 quia homo infirmus ex se
var. lect. erat, sed ex Deo ad tantum perficiendũ iter
fortis. Ergo quia in omni verbo Dei viuit
homo, monemus Episcopum sumere buccellã
panis, hoc est; diligere Deum super omnia.
Hanc buccellam inueniet ipse ad caput suũ,
idest, quia ratio sua dicet, Deũ suũ super om-
nia, & præ omnibus diligendũ. Tum propter
creationem, & redemptionem, tum propter
longam patientiam, & suam bonitatem. Ro-
gamus eum etiam bibere pauxillum aquæ,
hoc est, intime cogitare amaritudinem pas-
sionis Christi. Quis enim digne sufficiat co-
gitare angustias humanitatis Christi, quas
tunc patiebatur, quando petijt transferri a
se calicem passionis, quando guttæ sanguinis
decurrebant in terrã. Bibat ergo Episcopus
aquam istam, cum pane charitatis, & tunc
confortabitur ad progrediendum in via Iesu
Christi. Incepta igitur via salutis, si Episco-
pus vltra progredi voluerit, vtile est ei a pri
ma hora diei regratiari Deo, toto corde, Re
cogitare sollicite actus suos, & petere auxi-
lium a Deo, ad faciendum voluntatem eius.
Deinde cum induit se vestibus, orat in hunc
modum. Cinis tenetur esse cũ cinere, & ter-
ra cũ terra. Veruntamen quia ex prouiden-
tia Dei Episcopus sum, induo te corpus meũ
vestibus, quæ ex terra sunt. Non propter pul
chritudinem, & superbiam, sed propter ope-
rimentũ, ne nuditas tua appareat. Nec curo
vtrum indumentum tuũ melius sit, an vilius,
sed tantum, vt ad reuerentiam Dei Episco-
palis agnoscatur habitus. Et ex habitu di-
scernatur Episcopalis auctoritas, ad corre-
ptionem, & informationem aliorum. Ideo ro-
go te pijssime Deus, vt tribuas mihi in ani-
mo stabilitatẽ, ne superbiã de cineris, & ter-
ræ precio, nec inaniter glorier de colore pul-
uereo. Sed præsta fortitudinem, vt sicut habi
tus Episcopalis discretus, & honorabilis est
præ alijs propter auctoritatem diuinam, sic
habitus animæ meæ respiciatur apud Deũ.
Ne propter auctoritatem indiscrete, & indi
gne habitam, deprimar profundius. Seu pro-
pter habitum laudabilem inaniter portatũ,
denuder ignominiosius ad meam damnatio-
nem. Deinde legat, vel decantet horas. Quo
enim homo ad altiorem gradum ascenderit,
eo maiorem honorem tenetur Deo reddere.
Attamen cor purum, ita placet Deo in silen-
tio, sicut in cantu, dummodo alijs iustis vti-
litatibus occupetur homo. Post dictam Mis-
sam, exerceat Episcopale officium suum. Ca-
uendo sollicite, ne plus attendat ad corpo-
ralia, quam ad spiritualia. Cum vero accedit
5 ad mensam, cogitationem habeat talẽ. 5 O
Domine Iesu Christe, qui corpus, quod cor-
rumpitur cibo corporali sustẽtari præcipis,
da mihi auxilium, sic corpori meo dare ne-
cessaria, vt non improbe contra animã inso
lescat caro, ex ciborũ superfluitate, nec len-
tescat in seruitio tuo ex indiscreta parcita-
te. Sed inspira moderantiam congruam, vt
cum terra de terrenis sustentatur, Dominus
terræ a terra sua, ad iram non prouocetur.
Cum vero in mẽsa fuerit, permittitur ei mo
derata consolatio, & collocutio, in qua eui-
tetur scurrilitas, & vanitas. Nec tale verbũ
proferatur, vel audiatur, quo audientes oc-
casionem habeant ad peccandum, sed omnia
sint honesta, & salutaria. Sicut enim in mensa
corporali deficientibus pane, & vino omnia
sunt insipida, sic in mensa Episcopali, & spiri
tuali deficiente bona doctrina, & exhorta-
tione, omnia apposita insipida sunt animæ.
Et ideo vt euitetur vanitatum occasio, lega
tur, vel recitetur aliquid, in mensa tale, vnde
ædificentur assidẽtes. Perfecta vero refectio-
ne, & redditis in benedictione Deo gratijs,
inquirat agenda, vel certe reuoluat libros,
ex quibus trahi potest ad animæ perfectio-
nem. Post cœnam vero consolari poterit cũ
familiaribus suis. Attamen sicut mater abla
ctans infantem perungit vbera cinere, seu
aliqua alia amaritudine, donec infans dissue
scat a lacte, & assuescit cibis solidioribus. Sic
Episcopus attrahat Deo familiares suos ta-
libus verbis, quibus timeant Deum, & dili-
gant. Vt & ipsorum sit Pater, per diuinam
auctoritatem, & eorum Mater per spirtualẽ
6 educationẽ. 6 Si vero scit scienter aliquem
suorũ familiarium peccare ad mortem ani-
mæ, qui auditis admonitionibus non resipi
scit, remoueat eum a se. Quem si retinuerit
propter commodum, & consolationem tem
poralem, non erit immunis a peccato eius.
Pergens vero ad lectum suum, examinet dili
genter facta, & affectus ipsius diei iam præ-
teriti cogitando taliter. O Deus Creator cor
poris mei, & animæ vide me misericordia
tua, & præsta gratiam tuam, vt ex somni a-
bundantia, non tepescam in seruitio tuo.
Nec somni inquietudine deficiam a seruitio
tuo, sed modera somnum meum ad honorem
tuum, quem ad corporis alleuiationem ha
beri præcepisti. Et da mihi fortitudinem, vt
inimicus diabolus non inquietet me, nec ab
strahat a tua pietate. Surgens autem a lecto
diluat confessionem, si quas negligentias ca-
ro passa est, ne sequentis noctis somnus, cum
præteritæ delictis oriatur.

CON-

CONSALVI DVRANTI

PRESBYTERI ET SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES

Ad Librum Tertium Cæleſtium Reuelationum Sanctæ Brigittæ.

CAPVT PRIMVM.

1 var. lect. *CIRCA initium præſentis Cap. vbi in vulgatis legimus*, Qui vitam veram illuminauit.

M. S. Farneſianus habet, Qui viam veram illuminauit, ſic etiam paulo poſt, hoc eodem cap. vbi legitur, Vitam eius, corrige Viam eius.

2 Secundo ſit præcinctus ad viam, ſicut dicit ſcriptura, quod Tobias paratus ad viam inuenit Angelum præcinctum ſtantem.

Sic enim legimus Tobiæ V. Egreſſus Tobias inuenit Iuuenem ſplendidum ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum. Hoc loco Chriſtus Dominus indicat, quæ nam debeat parare Epiſcopus, vt in Epiſcopali officio rite (vt par eſt) ſe gerere queat: & inter cætera duo potiſſimum illi eſſe neceſſaria docet, Iuſtitia, & Charitas, dicitq. quod eius ſequi veſtigia debet, qui dixit, Ego ſum paſtor bonus: ſed quid ſit Chriſti ſectari veſtigia, late explicat D. Proſper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 21. vbi exponens verbum illud 1. Ioan. 2. Debemus ambulare ſicut Chriſtus ambulauit, dicit, Quid eſt ambulare, ſicut ille ambulauit, niſi contemnere omnia proſpera, quæ contempſit, & non timere aduerſa, quæ pertulit; docere, quæ docuit, ſperare, quæ promiſit, præſtare beneficia etiam ingratis, non retribuere ſecundum merita maleuolis, orare pro inimicis, miſereri peruerſis, æquanimiter pati ſubdolos, atque ſuperbos, ac denique carni mori, iuxta verbum Apoſt. ad Col. 3. qui hortatur nos, vt dumtaxat Chriſto viuamus, atq; hoc eſt iter quod Prælatus in Epiſcopali munere tenere debet, & hæc eſt via, per quam incedere illi opus eſt, & hæc ſunt, quibus bene, recteque officium ſuum, iuxta B. Brigittæ doctrinam, Sanctorum Patrum decreta, & ſacrorum Canonum ſanctiones, obire poterit: ſed hæc apertius infra declarantur lib. 4. Reuelat. cap. 106. vbi Beatiſſima Virgo comparans Epiſcopum Angelo præcincto, qui apparuit Tobiæ, Cur, inquit, Angelus apparuit Tobiæ præcinctus ad viam, niſi quod omnis ſacerdos, & Epiſcopus præcinctus debet eſſe cingulo diuinæ iuſtitiæ, paratus dare animam ſuam pro ouibus ſuis, paratus in verbis loquendo veritatem, paratus in operibus oſtendendo in ſe ipſo viam iuſtitiæ, paratus ad patiendum pro iuſtitia, & veritate. Cæterum per Angelos in ſacris litteris, etiam ſignificari Epiſcopos, & Sacerdotes, tradunt ſancti Patres Ambroſ. de initiandis myſt. cap. 2. & 1. de ſacram. cap. 2 Beda ſuper Geneſim cap. 28. D. Dionyſ. de cæleſti Hiera. cap. 12. Hi namque aſcendere, & deſcendere per ſcalam dicuntur, vt Geneſis 28. ſcribitur, quia contemplatione aſcendunt ad cæleſtia, & charitate proximi ad infima deſcendunt.

3 Omnis igitur Epiſcopus, qui taliter apparet præcinctus, ad eum veniet Tobias, id eſt, homines iuſti, & ſequentur vitam eius.

Ex his, quæ dicta ſunt deducit Chriſtus Dominus, quod ſi Epiſcopus eam ſibi viuendi normam præſcribat, idemque teneat iter, quod ſupra deſcripſit, futurum eſſe, vt omnes quoque ſubditi eius veſtigia ſequantur, ac ſuæ vitæ regulas ſectentur: Sicut enim ait D. Bernardus Epiſtola 127. error prælati multos inuoluit, tantis obeſt, quantis præeſt, ſic & nos e contra dicere poſſumus optimum Epiſcopi exemplum tantis prodeſſe, quantis dominatur: & idcirco legimus hic, quod veniet ad eũ Tobias, quia nimirum eum ſequentur homines iuſti, & iniuſti: iuſti quidem illius veſtigia, ac [illegible]

mores sectando, iniusti vero peccata relinquentes ad iustitiam redeundo: Tobias enim interpretatur bonus Domini, seu bonitas Domini, vel iustus Dñi; Verum sicut Tobias fuit, vt Zach. 6. legimus, qui ad pontificis coronam conficiendam aurum, & argentum contulit, ita quoque Tobias erit, per quem homines iusti, ac innocentes designantur, vt annotarunt Lyranus, & Rupertus Abbas ibi, qui aurum, & argentum ad coronam Episcopi conficiendam conferet, tunc enim eius fama apud gentes erit illustrior, & vita eius apud Deum gratior, vnde merito, & à subditis honore, & à Deo æterna gloria coronabitur.

4 Quia homo infirmus ex se erat, sed ex
var. DEO ad tantum proficiendum iter for-
lect. tis.

M. S. Farnesianus habet, Sed à Deo ad tantum perficiendum iter factus fortis.

5 O Domine IESV Christe, qui corpus, quod corrumpitur cibo corporali sustentari præcipis.

In præsenti capite duo scitu dignissima afferuntur. Primo quidem formula quædam traditur cibos benedicendi, quæ sane memoriæ mandanda est: redolet enim & grauitatem, & pietatem. Secundo describitur; qualis esse debeat mensa eorum, & habetur ibi: sicut .n. in mensa corporali deficientibus pane, & vino, omnia sunt insipida, &c. vbi innuitur, quod ad scurrilia vitanda, & ad præsentium ædificationem cibi, vel lectione sacra, vel disputatione aliqua condiantur, est enim hæc, & antiqua, & admodum laudabilis consuetudo, de qua D. Gregor. ad Natalem Episcopum scribens, & est Epistola 53. lib. 2. Conuiuia, inquit, tunc veraciter ex charitate fiunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, non inanes sæcularium negotiorum fabulæ, sed lectionis sacræ verba audiuntur, & cum non plus, quam necesse est seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur: Sed latius hoc tradit Conc. Trid. sess. 2. in decreto de modo viuendi, & alijs in Concilio seruandis aliquanto post initium, his verbis, Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos, hortatur etiam, vt ante omnia quilibet in mensa seruet sobrietatem, moderationem ciborum, deinde cum in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, vt in ipsorum Episcoporum mensis diuinarum scripturarum lectio admisceatur, idem habet sess. 25. de reform. cap. 1. vbi etiam citatur concilium Carthaginense 4. cap. 15.

6 Si vero scit scienter aliquem suorum familiarium peccare ad mortem animæ, qui auditis admonitionibus non resipiscit, remoueat eum à se.

Hoc loco admonentur Episcopi, quomodo erga suos familiares se gerere debeant, eorum vitia, si quæ sint inquirendo, ac exprobrando, quod si ab hac cura Cardinalis immunis non est, vt affirmat Diuus Antoninus par. 3. suæ summæ tit. 21. cap. 2. multo minus immunis erit Episcopus, qui speculator est ouium suarum, ac subditorum, vt dicitur hoc eodem libro cap. 3. & nos ibi nota 5. annotauimus, spectat enim hoc & ad eius officium, & ad bonam eius existimationem, cui debet consulere. Tales, inquit D. Hieronym. Epistola 3. habeto socios, quorum contubernio non infameris, quod si id facere neglexerit grauiter peccat: tenetur enim si post factam admonitionem aliquos contumaces, ac persistentes in vitijs inuenerit, penitus eos à se remouere, ac quamcitissime ab alijs seiungere; ne bonos inficiant, nec ne diuersos pro ipsis prauo exemplo ad eandem viuendi formam trahant: idem quoque Diuus Bernardus, Si à summo Pontifice exigit, quanto magis etiam ab alijs inferioribus Prælatis idipsum requireret, scribens enim ad Eugenium lib. 4. de consid. Studeas, inquit, scire mores, & studia familiarium tuorum: non decet, vt vitia domus tuæ vltimus scias, quod quamplurimis nouimus contigisse, alius alia dispenset, tu disciplinæ prouide, illud nemini credas, si insolentior coram te, vt sermo sonuerit, vel habitu apparuerit, manus tua super huiusmodi vlciscere iniuriam tuam, impunitas ausum parit, ausus excessum, domum Episcopi decet sanctitudo, honestas in vultu, in incessu, in habitu: Hoc etiam admonuit Concilium Tridentinum sess. 2. in decreto de modo viuendi, & alijs in concilio seruandis, quo loco hortatur Episcopos, vt diligentiam adhibeant, summaque cura studeant, vt familiares sui optimæ, ac probatæ vitæ sint, familiares, inquit, suos vnusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores, vitia demum fugiant, & virtutes amplectentur, & in vestitu, & cultu, & omnibus actibus honestatem præseferant, sicut decet ministros ministeriorum Dei. Plura quoque, quæ ad optime, probeq. familiam regendam spectant traduntur lib. 7. Reuelat. cap. 12. & tradit etiam Hieronymus Platus in libro quem edidit de officio Cardinalis cap. 23.

Digitized by Google

VERBA VIRGINIS AD filiam, de remedio opportuno ad difficultatem Episcopo occurrentem in via arcta. Et quomodo patientia per vestes, & decem præcepta per decem digitos, & desiderium æternorum, & fastidium mundanorum per duos pedes designantur. Et de tribus inimicis in via contra Episcopum existentibus.

CAP. II.

ITEM loquitur Dei Mater. Dic episcopo, quod
si incesserit per viam di-
ctam, tunc tria difficilia
occurrent ei. Primo, quod
via est arcta. Secundo,
quod in ea sunt spinæ pun
gitiuæ. Tertio, quod via est petrosa, & in-
æqualis. Contra hæc tria, dabo tibi tria
consilia. Primum est, quod induat se episco
pus vestibus fortioribus, & subtiliter consu
tis, contra viam arctam. Secundum est,
quod habeat decẽ digitos ante oculos suos,
inter quos respiciat tanquam per cancellos
nẽ pungatur à spinis. Tertium est, quod cau
te ponat pedes suos, & in quolibet vestigio
attentet, si pes positus subsistit solide, nec
præcipitanter ponat ambos pedes simul, ni
si prius certificatus fuerit de qualitate viæ.
Quid vero significat via arcta, nisi malitiam
hominum prauorum contra iustos, qui deri-
dent opera iusta, & deprauant vias, & mo-
nita iustorum recta. Et quicquid humile,
1 & pietatis est paruipendunt. 1 Contra ta-
les homines induat se episcopus veste pa-
tientiæ, & constantiæ, quia patientia grauia
facit esse suauia, & illatas contumelias, gau
2 denter tolerare. 2 Quid vero significant spi
næ, nisi aduersitates mundi. Contra has ha
bendi sunt digiti decem præceptorum Dei,
& consiliorum eius. Vt cum pupugerit spi-
na aduersitatis, & paupertatis, consideretur
passio, & paupertas Christi. Cum vero pun
git spina iræ, & inuidiæ, consideretur chari-
tas Dei, quam nobis seruare præcepit. Cha-
ritas enim vera non quærit, quę sua sunt, sed
se totam exponit ad honorem Dei, & proxi
mi vtilitatem. Quod vero debet esse cautus
in ponendis pedibus, significat, quod vbique
debet rationabiliter timere. Nam bonus ho
mo tenetur habere quasi duos pedes. Primus
est, desiderium æternorum. Secundus est,
fastidium mundi. In desiderio vero æterno-
rum debet esse discretio, ne desideret æter-
na sibi soli tanquam digno, sed totum desi-
derium suum, & voluntatem, & remunera-
tionem, ponat in manus Dei. In fastidio
vero mundi debet esse cautio, & timor, ne
fastidium sit propter aduersitates mundi, &
vitæ impatientiam, ne sit etiam propter vi-
tæ temporalis maiorem requiem, & laboris
alijs proficui exonerationem. Sed solummo
do fiat propter peccatorũ abominationẽ, &
desiderium æternæ vitæ. His igitur difficul-
tatibus viæ superatis, adhuc præcaueo epi-
scopum de tribus inimicis, qui sunt in via
sua. Primus quippe hostis nititur sibilare
in aures episcopi, vt obstruat auditum eius.
Secundus stat ante eum, vt pungat oculos e-
ius. Tertius est ante pedes eius clamans al
te, & habens laqueum, quo pedes illaqueat,
quando eleuat eos a terra. Primus hostis
sunt homines illi siue infusiones illæ, qui ni-
tuntur episcopum trahere à via recta dicen
tes. Cur tantum assumis tibi laborem, &
pergis per viam tam arctam, diuerte ergo
magis in viam floridam, per quam vadunt
plures. Quid ad te quomodo ille, vel illi vi
3 uunt. 3 Quid ad te offendere, & obiurare
var. illos, a quibus honorari, & amari possis. Si
lect. non offendunt te, & tuos, quid tibi curę est,
quomodo viuunt, aut si offendunt Deum.
Si vero tu ipse bonus es, quid ad te indicare
alios. Da magis munera, & accipe, vtere
amicitia hominum, vt lauderis, & bonus vo
ceris in vita tua. Secundus hostis desiderat
excœcare te sicut Philisthijm Sampsonẽ. Hi
sunt pulchritudo, & possessio mundi, fluxus
vestium, & diuersus apparatus rerum, hono
res hominum, & fauores. Cum enim ista of-
feruntur, & placent oculis, excœcatur ratio,
tepescit amor mandatorum Dei, peccatum
perpetratur licentius, & commissum leuiga-
tur. Propterea cum episcopus necessaria mo
derata habuerit, contentetur. Nã nimis mul
tis videtur nunc dulcius esse stare ad molam
cupiditatis cum Sampsone, quã diligere Ec-
clesiam secundum laudabilem dispositionem
curæ pastoralis. Tertius hostis clamat alte
habens laqueum, & dicens. Cur inquit, sic va
dis caute, & inclinato capite. Cur in tantum
humilias teipsũ, qui a pluribus debes, & pos
sis honorari. Esto magis sacerdos, vt sedeas
cũ primis. Esto episcopus, vt honorari possis
4 à pluribus. 4 Procede ad maiores dignitates
vt maiora obtineas seruitia, & maiori frua-
ris quiete. Congrega thesauros, quibus alios
iuuans tecũ, ab alijs consolari possis, & vbiq.
esse lætus. Cunq. animus talibus inclinatus
fuerit affectionibus, & suggestionibus mox
affectus eleuatur, quasi pede quodã prauę de
lectationis ad terrenã cupiditatem, qua ita

inuoluitur laqueo curæ mundialis, quod vix consurgit ad considerationem suæ miseriæ, & præmiorum, seu suppliciorum æternorũ. Nec mirum, scriptura enim dicit: Quod qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat ad honorem Dei. Nunc autem plerique desiderant honorem, & refugiunt laborem, in quo animæ est salus sempiterna. Propterea episcopus iste stet in gradu quem habet, nec appetat altiorem, donec Deo placuerit ei aliter prouidere.

NOTAE.

1 Contra tales homines induat se episcopus veste patientiæ, & constantiæ.

Inter cæteras virtutes, quibus præditus esse debet Episcopus, patientia in primis, animique constantia est, nam quemadmodum ex diuina misericordia nullo vnquam tempore permittit Deus, vt ad eorum solatium aliqui boni non desint; ita quoque aliqui semper peruersi, ac mali reperiuntur homines ad patientiæ, & humilitatis exercitium; contra quos his potissimum duabus virtutibus esse pugnandum, admonet hic Beatiss. Virgo. Hanc ob causam ad Episcopum spectare arbitror illud verbum Iob 30. Frater fui Draconum, & socius struthionum: eius enim partes sunt, & aduersa patienter tolerare, & ob illatas iniurias nec animo frangi, nec mente turbari, sed omnia veluti strutio ferrum deglutire, alias inter bonos numerari minime poterit, vt dicit gloss. exponens illud Cant. 2. Sicut lilium inter spinas: bonus non fuit, qui malos tolerare non potuit. Quod etiam egregie annotauit D. Greg. qui locum citatum Iob exponens: Nullum, ait, perfectũ esse censendum, qui inter proximorum mala non est patiens: & lib. 20. Moral. cap. 28. affirmat impatientiam potestati amicam esse; vnde fit prælatos in huiusmodi vitium frequenter incidere, & subditis eos plus interius patientiæ iugo subijciendos esse, quam foris hominibus præsunt, & eo veriorem principatũ foris exhibere, quo humiliorem Deo intrinsecus famulatum tenent, & ideo plus sæpe quosdam tolerare, quo de eis vlcisci amplius possunt.

2 Quid vero significant spinæ, nisi aduersitates mundi.

In præsenti capite Beatiss. Virgo dicit viam, per quam Episcopi ambulant spinis esse refertam, & non longe ab initio capitis scribitur, via arcta est, & in ea spinæ sunt pungitiuæ, insuper declarat hic per spinas aduersitates intelligendas esse: quod etiam annotarunt D. Hieron. super Isaiam c. 33. D. Bernar. serm. 48. in Cant. Aug. etiam ibi super cap. 2. Quæ quidem tot, tantæq. reperiuntur in Episcopali regimine, vt mirum non sit si D. Chrys. lib. 3. & 6. de sacerdotio, onus episcopale vocet pelagum laborum, & ærumnarum abyssum: atq. inter has spinas erat lilium sponsæ, Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, quæ licet tribulationibus premeretur, suam tamen nec venustatem amittebat nec fortitudinem; ita quoque Episcopo animum aduersitas nõ deiiciat, sed inflammet; fortior fiat in aduersis, promptior in angustijs, & in omnibus sese audaciorem exhibeat: Verum quanta afferre possint prælatis, alijsq. commoda tribulationes, tradit D. Aug. in ps. 73. 128. & 133. vbi sic ait. O securitas tribulationum fortior fuit Iob in sterquilinio contra suam Euam, quam Adam in Paradiso contra suam: idem habet contra secundam epistolam Gaudentij lib. 2. exponens illud, Qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur: sed late de eadem re agit Chrysost. in ps. 122. & 141. vbi affert exemplum agricolæ, qui amputat comas arborum ne nimis luxurientur, & humores, & vires in radices conuertantur: Ideo, inquit, oportet abscindi temporales prosperitates, vt homines conuertantur in radices, idest totas cogitationes ponant in internis, & æternis bonis, & non superfluant folia. Legendus est etiam D. Bernar. epist. 32. 72. 73. & 136. quam sic concludit, Diuina igitur sapientia sic pio moderamine hæc alternauit electis, vt nec aduersa frangãt, nec læta dissoluant, cum potius illa ex istis grauiora & ista ex his tolerabiliora sint.

3 *Circa medium capitis, vbi in impressis codicibus legimus.* Quid ad te offendere, & obiurgare illos.

var. lect. *M. S. habet Obiurgare illos.*

4 Procede ad maiores dignitates, vt maiora obtineas seruitia, & maiori fruaris quiete.

Nihil est, quod maius episcopali curæ inferat damnum, nihil quod a suo munere recte, probeque obeundo Episcopo magis impediat, quam in suo statu nolle quiescere, sed altiorem gradum quærere, & maiores dignitates sectari: acerrimus namque hostis est, vt legimus hic, prauum ambitionis desiderium, quod grauius sibi, suisq. subditis nocet, quam quodlibet aliud vitium: dum enim rebus mundanis Episcopus inhiat, cælestia deserit, dum excellentiores gradus affectat, sibi commissas oues negligit, dum alijs præesse studet, eos quibus præest contemnit, sed frequenter accidit, vt hi quod sic appetunt inordinate, non solum non assequantur, sed iusto Dei iudicio, eo quod possident priuentur: & ideo admonendi sunt cum D. Ioanne in Apocal. cap. 3. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam: & in fine etiam præsentis capitis admonetur quidam Episcopus his verbis: Propterea Episcopus iste stet in gradu, quem habet, nec appetat altiorem, donec Deo placuerit ei aliter prouidere.

DE-

DECLARATIO PLENARIA Virginis ad Episcopum, qualiter vt Deus honoretur per ipsum exerceat Episcopale officium. Et de duplici fructu veram dignitatem obsequente, & de duplici confusione falsam dignitatem obsequente, & de occursu Iesu Christi, & omnium Sanctorum ad verum, & rectum Episcopum.

CAP. III.

LOQVEBATVR Mater Dei. Ego exponere volo Episcopo, quod tenetur facere Deo, & quid
1 est honor Dei. 1 Omnis itaque Episcopus debet habere insulam in brachijs suis bene custoditam. Non vendere eam pro pecunia. Non concedere alijs propter amicitiam carnalem. Non perdere propter negligentiam, & tepiditatem. Quid vero significat insula Episcopalis, nisi dignitatem, & potestatem Episcopalem. Ordinare scilicet clerum, & conficere chrisma, corrigere errantes, excitare exemplo suo negligentes. Quod vero in brachijs debet habere insulam bene custoditam, significat, quod sedule debet cogitare quomodo, & qualem accepit potestatem Episcopalem. Quomodo eam tenuerit. Quis vero sit eius fructus. Quisve finis. Si Episcopus attendere velit, quomodo accepit potestatem,
2 a attendat primo si desiderauit Episcopatũ propter se, vel an propter Deum. Si autem propter se, tunc sine dubio desiderium suum erat carnale. Si vero propter Deum, idest, ad honorem faciendum Deo, tunc desideriũ suum erat meritorium, & spirituale. Deinde si Episcopus cogitet ad quid recepit Episcopatum. Certe vt esset Pater pauperũ, consolator, & mediator animarum, nam bona episcopalia bona sunt animarum. Quæ si infructuose comeduntur, & prodigaliter expenduntur, animæ illæ clamabunt vindictam super iniustum dispensatorem. Qualis vero erit fructus Episcopalis dignitatis, dicam tibi, ipse quippe erit duplex, sicut dicit Paulus, corporalis scilicet, & spiritualis. Corporalis, quia in terris est Vicarius Dei, & ideo ob honorem Dei quasi Deus ab hominibus honoratur. In cælis erit corporalis, & spiritualis propter glorificationem corporis, & animæ, quia ibi erit seruus cum Domino. Tum propter vitam Episcopalem, quã gessit in terris. Tum propter exemplum humilitatis, quo alios secum ad gloriam prouocauit. Omnis vero, qui vestem, & dignitatem habet Episcopalem, sed refugit vitam, duplici confusione erit dignus. Quod vero potestas Episcopalis non debet vendi. Significat, quod Episcopus non debet esse scienter simoniacus. Nec exercere officium suũ propter pecuniam, vel hominum fauorem. Nec promouere illos propter preces hominum, quos sciuerit esse malæ vitæ. Quod vero insula non debet alijs concedi propter amici-
3 tiam hominum. 3 Significat quod Episcopus non debet dissimulare peccata negligentiũ. Nec dimittere illos impunitos, quos potest, & debet corrigere. Non silere peccata amicorum propter carnalem amicitiam. Nec imponere dorso suo peccata subditorũ, quia Episcopus est speculator Dei. Quod vero Episcopus non debet perdere insulam pro-
2 pter negligentiam, significat, quod Episcopus non debet illa committere alijs ad faciendum, quæ ipse personaliter tenetur, & potest fructuosius facere. Nec propter quietem carnis illa dimittere alijs, quæ ipse perfectius valeret adimplere, quia officium Episcopi non est quietis, sed laboris. Nec Episcopus ignorare debet vitam, & mores eorum, quibus committit officia sua, sed scire, & inquirere quomodo seruant iustitiã. Et si prudenter, & non cupide gerunt se in agendis.
4 4 Insuper scire te volo, quod Episcopus, quia pastoris vices habet, tenetur habere fasciculum florum sub brachijs suis, quo oues vicinæ, & remotæ illectæ currant gaudenter post odorem eius. Iste vero fasciculus florum significat prædicationem diuinam, quam Episcopus habere tenetur. Brachia vero duo quibus fasciculus prædicationis diuinæ innititur, sunt duo opera necessaria Episcopo, scilicet bona opera in publico, & bona opera in abscondito. Vt oues vicinæ in episcopatu eius videntes charitatem episcopi in operibus, & audientes in verbis, glorificent Deũ in episcopo. Oues vero remotæ audientes famam episcopi, desiderent illum ad sequendũ. Nam iste est suauissimus fasciculus non erubescere veritatem, & humilitatem Dei. Docere bona, & eadem quæ docet facere. Esse humilem in honore, & deuotum in abiectione. Cumq. episcopus compleuerit viam istã, & peruenerit ad portã, necesse est ei aliquid habere in manu, quod præsentet summo regi. Et ideo habeat in manu vas sibi charum & hoc vacuum offerendo illud regi summo. Vas vero istud vacuum offerendum est, cor suum, quod vt vacuum sit ab omni voluptate, & appetitu laudis transitoriæ, laborandũ est ei die, ac nocte. Cumq. introducendus est talis episcopus in regnum gloriæ, occurret ei Iesus Christus Deus verus, & homo, cum omni sanctorum exercitu. Tunc audiet Ange-

los dicentes. O Deus noster gaudium nostrum, & omne bonum. Iste Episcopus mundus fuit in carne, virilis in operatione, decet ergo nos eum præsentare tibi. Desiderauit enim quotidie societatem nostram. Ideo comple desiderium eius, & auge ex aduentu eius gaudium nostrum. Tunc quoque dicturi sunt, & cæteri sancti. O Deus gaudium nostrum est de te, & in te, nec indigemus alio. Attamen gaudium nostrum excitatur ex gaudio animæ huius Episcopi, quæ dum potuit desiderauit te. Portauit enim flores suauissimos in ore, quibus augmentauit numerum nostrum. Portauit in opere, quibus habitantes de prope, & a longe reficiebat, ideo da ei gaudere nobiscũ, & tu similiter gaude de eo, quem moriendo pro eo tantum desiderasti. Vltimo dicturus est ei Rex gloriæ. O amice venisti præsentare mihi vas cordis tui, vacuum a te, & a uoluntate propria, ideo ego implebo te delectatione, & gloria mea, lætitia mea erit tua, & gloria tua nunquam finietur a me.

NOTAE.

1 OMnis itaque Episcopus debet habere Insulam in brachijs suis bene custoditam.

D. Bernardus in prologo libri primi de consideratione ad Eugenium, Episcopalis insulæ meminit: Amor, inquit Dominum nescit, agnoscit filium, & in insulis per se satis subiectus, idem habet lib. 2. cap. 10. Nunquid infulatus, inquit, nunquid micans gemmis: quid autem per insulam intelligendum sit, explicat ibi Gerardus Vossius nostris hisce temporibus vir doctissimus, ac in Græcis litteris apprime eruditus in notis ad D. Bernardum locis citatis. In insulis, inquit, hoc est in fascijs Pontificalibus, in diademate, & corona, atque hoc loco per insulam ad litteram intelligendum esse puto Episcopalem mitram, qua caput Episcopi ornatur, in qua Pontificia maiestas, ac auctoritas mistica designatur, & colligitur hoc expresse ex verbis, quæ habentur nõ longe ab initio præsentis capitis, ibi. Quod vero significat insula Episcopalis, nisi dignitatem, & potestatem Episcopalem. Hanc eandem mysticam Mitræ significationem affert Innocentius Tertius lib. 1. myster. Missæ cap. 44. Vt autem Mitra duo cornua habet, insinuatur vtriusque testamenti scientia, quã Episcopus debet habere, vt annotarunt D. Antoninus 3. p. summæ tit. 20. cap. 2. §. 9. Innocentius libro citato cap. 60. Turrecremata in canone disciplina dist. 45. Cæterum ad huius rei maiorem intelligentiam sciendum est ex Hierony. ab Oleastro in Leuiticum cap. 8. ad litteram Mitram dictam esse Hebraice (a Sanap) quod est inuoluere, & inde habet ortum (misnephet) idest inuolucrum, seu mitra, sic ab inuoluendo dicta, quia ea caput inuolueba-tur, ut ait supra, quæ Exod. 28. & Leuit. 8. Cidaris appellatur, quæ ad caput sacerdotis ornãdũ pertinere videtur, mihi ignotum est, putat tamen D. Aug. non spectare ad capitis ornatum, sed esse genus vestis; sic in quæstionibus super Exodum q. 115. cum de filijs Aaron loqueretur. Et indue eos, inquit, tunicis, & cinge eos zonis, & circundabis eis cidaras, quã dicit cidarã, vel cidaras, quoniã nõ est interpretatum, nec in vsu modo est ignoratur, puto tamen non esse capitis tegumen, vt nonnulli putarunt, neque enim diceret circundabis eis, nisi tale aliquid esset, quod non capiti, sed corpori vsui esset; sed in Leuit. q. 32. affirmat spectare ad capitis ornamentum, Quod est, ait, quod Aaron, & reliquos filios eius mortem illorum duorum lugere prohibens dicit, Caput vestrum cidara non denudabitis, vbi ostendit cidaram ad capitis ornatum pertinere.

2 Attendat primo, si desiderauit Episcopatum propter se, vel an propter Deum, si autem propter se, tunc sine dubio desiderium suum erat carnale, si vero propter Deum, idest ad honorem faciendum Deo, tunc desiderium suum erat meritorium, & spirituale.

Hoc loco Beatissima Virgo indicare videtur, licitum esse ad bonum finem Episcopatum appetere, quod vt explicemus apertius notandum est ex D. Thoma 2. 2. q. 185. art. 1. & Soto de iust. & iure. lib. 10. q. 3. in Episcopatu tria esse: primum, quod caput est omnium Episcopalis operatio, ac functio, qua animarum saluti consulitur secundum illud Io. vltimo. Pasce oues meas, secundum est ordinis dignitas, & excellentia, quæ Matt. 25. tangitur. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, tertium, & postremum, quod ad duo priora consequitur, est reuerentia, & honor, & bonorum temporalium copia, de qua primo ad Timot. 5. Paulus, qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt. His declaratis mihi dicendum est, primo Episcopatum appetere absolute propter commodum, & salutem animarum, & tunc maxime, cum quis a superiori eo dignus esse iudicatur, & laudabile est, ac meritorium, & hoc est, quod scribitur hic. si vero propter Deum desiderauit Episcopatum, idest ad honorem faciendum Deo, tunc desiderium suum erat meritorium, & spirituale, quia hoc est desiderare prodesse subditis, quod actus est virtutis, vt probant Cardinalis Caetanus super Sanctum Thomam loco citato, & Sotus etiam de iustitia, & iure, loco citato, & patet ex D. Bernardo epistola 86. vbi inquit. Nec præesse refugiendum prodesse potes, quia væ quidem tibi si præes, & non prodes, sed væ grauius si quia præesse metuis, prodesse refugis, idem colligi potest ex D. Isidoro lib. 3. de summo bono cap. 33. Multis, inquit, intercipit Sathanas fraudibus eos, qui vitæ, & sensus vtilitate præstantes præesse, & prodesse alijs nolunt, & dum eis regimen animarum imponitur renuunt, & gratulatius arbitrantur otiosam vitam

agere,

agere, quam lucris animarum insistere, quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli fallentis eos sub specie boni, vt dum illos à pastorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis, & exemplis instrui poterant, sed hoc potest apertius deduci ex Paulo 1. ad Timot. 3. ibi, si quis Episcopatum desiderat, Vbi Gloss. Interlinearis notat eum recte Episcopatum desiderare, qui desiderat operari, & prodesse multis, & Lyranus, ibi asserit, quod non est desiderandus Episcopatus propter officij dignitatem, sed propter annexum laborem, qui est ordinatus ad honorem Dei, & proximi salutem: Caeterum appetere Episcopatum ratione dignitatis, & praeeminentiae, vel temporalium bonorum, crimen est maximum, cum autem id animae sit consulendi proximae, temerarium esse videtur: existimat enim ille, qui sic Episcopatum apetit posse huiusmodi onus perferre: sic docet D. Thomas loco supra citato; & innuitur hic, cum legimus, si desiderauit Episcopatum propter se, intelligo ad sibi quaerenda bona temporalia, & dominium super alios, tunc sine dubio desiderium suum erat carnale.

3 . Episcopus non debet dissimulare peccata negligentium, nec illos dimittere impunitos, quos potest, & debet corrigere, non silere peccata amicorum propter carnalem amicitiam, nec imponere dorso suo peccata subditorum, quia Episcopus speculator est Dei.

Quoniam hoc loco episcopi speculatores appellantur, inde deducere libet, eorum nomen non esse honoris, sed operis, est namque speculari, superintendere, & tota mentis acie, animique vigilare, vnde speculatores, & superintendentes à D. Hieron. in Epistola ad Eugenium, appellantur, & refertur 93. Canone legimus, & annotauit D. Aug. lib. 19. de ciuit. c. 16 circa med. atque hinc nobis inferendum est, in quo eorum functio, ac munus peculiariter positum esse debeat: tenetur enim eos reprehendere, qui reprehensione digni sunt, alios redarguere, qui proximo scandalo sunt, alijs blandiri, qui vitae probitate, ac sanctitate caeteris proficui sunt, alios hortari, & praemonere, qui in operando tepidi sunt, clericorum, & laicorum vitia exemplo, verbis, legitimisq. poenis insectari. quod si ad humanum fauorem captandum id facere neglexerint, non pastores vocādos esse dicit D. Greg. in pastorali c. 5. sed mercenarios, qui suorum subditorum peccata in dorso portabunt, vt scribitur hic, quoniam pro his rationem reddituri sunt: quomodo autem iuxta varias delinquentium conditiones in admonendo se gerere debeant, tradit D. Greg. in pastorali par. 3. & D. Bernard. fuse lib. 3. de consid. ad Eugenium Papam.

4 Insuper scire te volo, quod Episcopus, quia pastoris vices habet, tenetur habere fasciculum florum, sub brachijs suis, quo oues vicinae, & remotae illectae, currant gaudentes post odorem eius, iste vero fasciculus florū significat praedicationem.

Inter caetera Episcopi munera peculiare est officium praedicandi, quod fasciculo florum, idcirco hic comparatur, quatenus per illud debet Episcopus ciuium suarum animas, à terrenarum rerum fetore abductas, sua praedicationis odore, ac sermonis suauitate, ad caelestium amorem inflammare: hoc enim est quod & sacra litera, sanctiq. Patres, Concilia quoque stricte illis praeceperunt: sic enim Apost. Paulus 1. ad Timot. 4. scribens, Attende, inquit, lectioni, & exortationi, & doctrinae, & 2. ad Tim. 4. Praedica verbum, insta oportune, importune. & Conc. Carthag. 4. Episcopis ait, nullam rei familiaris curam ad se reuocent, sed lectioni, & orationi, & verbi Dei praedicationi tantummodo vacet. Verum apertius, vt alia antiquiora Concilia omittamus, hoc tradidit Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. vbi inter Episcopalia onera, munus praedicandi dicit esse praecipuum, & praecipit Episcopis, vt per seipsos illud obeant, nisi legitima fuerint causa impediti, idem quoque habet D. Greg. Epist. 39. lib. 2. & Epistola 30. lib. 4.

VERBA MATRIS AD FIlium de concupiscentia malorum Episcoporum, & quomodo propter bonam voluntatem multi dignitatem obtinent spiritualem, quam inordinati Episcopi contemnunt, qui ad eam corporaliter sunt vocati, per latum exemplum inducit.

CAP. IIII.

MATER Dei loquebatur ad sponsam filij dicens. Tu ploras, quod charitas Dei ad hominem est maxima, & e contra charitas hominum est ad Deum modica: Vere sic est. Quis enim est dominus, vel Episcopus, qui non magis concupiscit dominium ad honorem mundi obtinendum, vel diuitias, quam ad subueniendum pauperibus suis proprijs manibus. Et ideo quia domini, vel Episcopi nolunt venire ad nuptias omnibus praeparatas in caelo, venient pauperes, & infirmi sicut per exemplum tibi ostendere volo. In ciuitate quadā, erat quidam episcopus sapiens, & pulcher, & diues, qui de pulchritudine, & sapientia sua laudatus non regratiabatur Deo, vt debuit, qui dedit ei ipsam sapientiam. Laudabatur quoque, & honorabatur de diuitijs suis, & ideo dedit multa propter mundi fauorem. Plurima quoque concupiuit, vt largius daret, & amplius honoraretur. Iste Episcopus habebat quēdam clericum litteratum

tum in epiſcopatu ſuo, qui taliter ſecum cogitabat. Iſte inquiens epiſcopus diligit Deú minus quam expedit. Vita eius tota tendit ad ſæcularia. Ideo ſi placeret Deo libenter deſiderarem epiſcopatum eius, ad faciendú honoré Deo. Non deſidero quidem propter mundum, quia honor mundi non eſt aliud, niſi aer. Non propter diuitias, quia ſunt graues tanquam onus grauiſſimum, non propter quietem carnis meæ, & commodú proprium, quia non teneor eſſe in quiete niſi rationabili, ſic vt corpus ſtare poſſit in ſeruitio Dei, ſed propter ſolum Deum deſidero. Et quamuis indigniſſimus ſim honore, tamé vt plures lucrifacerem Deo, & pluribus proficerem verbo, & exemplo, pluresque ſuſtentarem de bonis Eccleſiæ, libenter ſuſciperé onus epiſcopale. Ná Deus ſcit, quod charior eſſet mihi mors dura, & dulcius ad ferendú amarum ſupplicium, quam epiſcopalis dignitas. Quia licet paſſibilis ſim ſicut cæteri, tamen qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Ideo libenter deſidero honorem Epiſcopi cum onere epiſcopali, honorem quidem propter ſalutem plurimorum, onus vero propter ſalutem meam, & amorem Dei, & animarum, ad hoc ſolum, vt bona Eccleſiæ poſſim diſtribuere largius pauperibus, animas inſtruere liberius, errantes inſtruere fiducialius, vexare carnem meam abundantius, moderare meipſum ſollicitius in exemplum aliorum. Iſte autem canonicus increpauit epiſcopum ſuum occulte, & prudenter. Epiſcopus vero ægre ferens verba confudit clericum aperte, & imprudenter, iactans ſe ad omnia ſufficientem, & moderatum. Canonicus autem plorauit exceſſus epiſcopi patienter ferens illata, ſed epiſcopus deridens charitatem, & patientiá canonici, obloquebatur ei, in tantum, quod canonicus arguebatur, & reputabatur fatuus, & mendax, epiſcopus vero iuſtus, & circunſpectus, tandem procedente tempore epiſcopus, & canonicus migrauerunt, & vocati ſunt ad iudicium Dei. In cuius conſpectu, & præſentia Angelorum, poſita videbatur quædam ſedes aurea, & ante ſede infula epiſcopalis, & totus eius ornatus, multi quoque dæmones ſequebantur canonicum, cupientes inuenire aliquid mortiferum in eo, quia de epiſcopo ſic erant certi, ſicut cete, qui inter procellas ſeruat catulos ſuos viuos in ventre ſuo: Propoſitis vero multis querimonijs contra epiſcopum, cur ſcilicet, & qua intentione ſuſcepiſſet epiſcopatum, cur ſuperbiuit de bonis animarum, quomodo animas ſibi commiſſas rexiſſet, quid vero Deo pro facta ſibi gratia reſpondiſſet. Cumq. epiſcopus nihil iuſtitiæ haberet quid reſponderet ad propoſita. Reſpondit iudex. Ponatur inquiens in capite epiſcopi fex pro infula. In manibus autem pix pro chirothecis, lutú in pedibus pro ſandalijs, pro camiſia, & lineo epiſcopali pannus meretricalis, pro honore ſuſcipiat dedecus, pro lata familia habeat ſæuientem turbam dæmoniorum. Deinde addidit iudex. Ponatur in capite canonici corona fulgida ſicut ſol. In manibus eius chirothecę deauratæ. Calciate pedes eius ſotularibus. Inſuper induatur habitu epiſcopali cum omni honore. Qui ſtatim veſte epiſcopali circundatus ab omni exercitu cœleſti præſentatus eſt iudici tanquam epiſcopus cum honore. Epiſcopus deſcendit ſicut fur habens in collo funem, à cuius conſpectu iudex auertebat oculos miſericordiæ ſuæ, & omnes ſancti cum eo. Ecce quomodo propter voluntatem bonam multi obtinent dignitatem ſpiritualiter, quam illi contemnunt, qui ad eam corporaliter ſunt vocati. Omnia hęc fiebant in vno puncto apud Deú, ſed propter te verbis prolata ſunt, quia mulle anni apud Deú ſunt, quaſi vna hora. Quotidie quoque contingit, quod ex quo epiſcopi, & domini nolunt tenere officium ſuum, ad quod vocati ſunt, Deus eligit ſibi pauperes ſacerdotes, & campanarios, qui viuentes iuxta meliorem conſcientiam ſuam ad honorem Dei, libenter proficerent animabus ſi poſſent, & faciunt, quę poſſunt, ideo ingrediuntur loca epiſcopis pręparata. Ná Deus ſimilis eſt illi, qui ſuſpendens auream coronam ante fores domus ſuæ, clamat tranſeuntibus ſic. Omnis cuiuſcunque ſtatus fuerit promereri poteſt coronam iſtam, & quicunque nobilius veſtitus fuerit virtutibus obtinebit illam. Veruntamen ſcito, quod ſi epiſcopi, & domini ſapientes ſunt carnali ſapientia, Deus ſapientior eſt illis, etiam ſpiritualiter, qui exaltat humiles, & non approbat ſuperbientes. Scito etiam quod canonicus iſte laudatus non curauit perſonaliter equum ſuum cum iret ad prædicandum, vel ad opus ſuum, nec perſonaliter extruxit focum ſuum cum commeſturus eſſet, ſed habuit familiam, & neceſſaria ſua ad ſuſtentationem rationabilem, qui etiam habuit pecuniam, ſed non ad cupiditatem. Nam etiá ſi affluxiſſet ſibi tota mundi ſubſtantia, non dediſſet vnum denarium ad hoc, quod fieret epiſcopus. Nec pro toto mundo dimiſiſſet epiſcopatum, ſi placuiſſet Deo, ſed totam voluntatem ſuam poſuit ad Deum, paratus honorari ad honorem Dei, & paratus deijci pro amore, & timore Dei.

L

VER-

VERBA AMBROSII AD Sponsam de prece bonorum pro populo, & quomodo per gubernatores domini sæculares, & Ecclesiæ, & per procellas superbia, &c. & per portum introitus veritatis designantur, & de vocatione sponsæ in spiritum.

CAP. V.

1 SCRIPTVM est, quod amici Dei olim clamabant, rogantes Deum dirumpere cælum, & descendere ad liberandum populum suum Israel.
2 Similiter & in istis temporibus amici Dei clamabant dicentes. O benignissime Deus, nos videmus populum innumerabilem in periculosis procellis perire, quoniam gubernatores auidi sunt, illis terris iugiter applicare volentes. Vbi sibi ipsis maius lucrum existimant prouenire. Illic se, & populum ducentes vbi horribiliores sunt iactus vndarum, nesciente populo securitatis portum, & ob hoc miserabiliter periclitatur populus infinitus, nimis paucis venientibus ad bonum portum. Ideo rogamus te omnis gloriæ regem, vt portum illuminare digneris quatenus populus vitare sua pericula valeat, & iniquis gubernatoribus non parere, sed ad portum rectum reduci lumine tuo benedicto. Per istos vero gubernatores, intelligo omnes potestatem habentes corporaliter, & spiritualiter in mundo. Plerique enim illorum in tantum diligunt voluntatem propriam, quod de animarum vtilitate, & suorum subditorum non attendunt, sæuissimis mundi procellis, videlicet superbiæ, cupiditatis, & immunditiæ, se voluntariæ inuoluendo, quorum actus misera imitatur communitas, credens se per illam viam tenere rectam, & sic ipsi se vna cum subditis perimunt sequendo suæ voluntatis quemlibet appetitum. Per portum vero intelligo introitum veritatis, qui nunc coram multis sic obscuratus est, quod cum aliquis dixerit viam ad portum cælestis patriæ, qui est sacratissimum Christi Euangelium, tunc ipsum mentiri dicunt, eorum opera magis sequentes, qui peccatis quibuslibet se ingerunt, quam illorum verbis credentes, qui euangelicam prædicant veritatem. Per lucem vero, quam amici Dei petebant intelligo aliquam diuinam reuelationem fieri in mundo, ad hoc, vt charitas Dei renouari valeat in cordibus hominum, & eius iustitia non obliuisci, nec negligi.
3 Et ideo placuit Deo propter misericordiam suam, & suorũ amicorum petitionem vocare te in Spiritũ sanctum, ad videndum, audiendum, & intelligendum spiritualiter, ad hoc, vt ea quæ audieris in spiritu, debeas alijs reuelare secundum Dei voluntatem.

var. lect. (margin, beside line 2)

NOTAE.

1 SCriptum est, quod amici mei olim clamabant rogantes Deum dirumpere cælum, & descendere.

Sic legimus cap. 64 Isaiam aliquando clamasse, Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, scribitur autem hoc loco, sic Amicos Dei clamasse, quoniam Isaias non tantummodo in persona sua, sed & omnium etiam Prophetarum Christi Aduentum desiderantium loquutus est, prauidebat namq; Propheta Messiæ aduentũ, Populi abiectionem, & gentium vocationem, sunt tamen, qui opinati sunt, hunc textum Isaiæ intelligendum esse non de primo Christi aduentu, sed de secundo, vt annotauit Lyranus ibidem qui secundã hanc opinionem censet esse veriorem, quoniam, inquit, hoc loco Isaias indicat illum venturum esse cum magna potestate, in primo autem aduentu Christus venit in maxima humilitate, vt Zach. 9. patet illis verbis, Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinum, explicat autem Lyranus illum textum sic, Vtinam dirumperes cælos, & descenderes ad iudicium, scilicet, & subdens Propheta, à facie tua montes defluerent sicut exustio ignis, Quia, inquit, ante aduentum Iudicis montes terremotu corruent, & terra igne conflagrationis purgabitur; atque ardentis igne, quando ille ignis purgabit aquas in superficie terræ existentes, hæc Lyranus, qui præse etiam Alexan. Alensem citat idem sentientem: verum Gloss. ordinar. hunc textum interpretatur de primo aduentu Messiæ, & ex verbis etiam præsentis notæ intelligendum esse de primo aduentu, colligitur euidenter ibi, descende ad liberandum populum tuum Israel.

2 *Et paulo post vbi in impreßis Codicibus habetur,*
var. lect. Similiter & in istis temporibus amici Dei clamabant.

Corrige cum Farnesiano M. S. Clemente.

3 Et ideo placuit Deo propter misericordiam suam, & suorum amicorum petitionẽ vocare te in Spiritum sanctum ad videndũ, audiendum, & intelligendum spiritualiter ad hoc, vt ea quæ audieris in spiritu debeas alijs reuelare, secundum Dei voluntatem.

Hoc loco quædam breuiter notanda sunt; primum quidem, vt intelligamus quid sit vocare aliquem in Spiritũ sanctũ, sciendum est ergo verbum vocare in sacris litteris sumi aliquãdo pro excitare, vt 1. Reg. 3. vocauit Dominus Samuel, qui dormiens in templo Domini à Domino vocatus est.

Secun-

Secundo pro inducere, vt 4.Reg.8. vocauit Dominus famem super terram, hoc est, induxit famem. Tertio pro inspirare, vt Exo. 24. Septimo autem die vocauit eum, vnde vocē sponsi Cant. 2. inspirationē esse Dei docet D.Bern.ser. 53. in Cant. & in triplici hoc sensu sumitur hic Verbū vocare, cum scribitur, placuit te vocare in Spiritum sanctum, hoc est, in te excitare Spiritum sanctum, aut te inspirare per Spiritum sanctum, verba vero, quæ sequuntur nimirum, ad videndum, audiendum, & vt debeas alijs reuelare, indicant quapropter huiusmodi Reuelat. B. Brigittæ traditæ sint ad Episcoporum nimirum instructionem, ad sæcularium Principum gubernationem ad populorum correctionem, quod apertius insinuatur lib. 7. Reuelat. cap. 16. vbi legimus, quia principes terræ, & Prælati Ecclesiarum auidius, & libentius aspiciunt oblectamenta terrena, quā mortē, & passionem meam, & vulnera mea, ideo mittā eis adhuc per te verba mea, qui nisi mutauerint corda sua, & ea conuerterint ad me condemnabuntur cū illis, qui partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

VERBA EIVSDEM AMbrosij ad sponsam quandam similitudinem viri, & vxoris, & ancillæ disponentia, & qualiter per adulterum Episcopus malus, & per vxorem Ecclesia, & per ancillam mundi amor designantur, & de crudelissima sententia contra adhærentes magis mundo, quam Ecclesiæ.

CAP. VI.

EGO sum Ambrosius Episcopus, qui tibi appareo, loquens tecum per similitudinem quandam, quoniam cor tuum non potest capere intelligentiā spiritualium sine similitudine aliqua corporali. Vir quidam erat habens vxorem legitimam venustam valde, & prudentem. Cui tamen ancilla plus placebat, quam vxor, & ex hoc tria contingebant. Primum est, quod verba, & gestus ancillæ magis eum lætificabant, quam vxoris. Secundum est, quod ancillam vestiebat nobilissimis indumentis, non curans, quod vxor pannosa esset, aut quod communi panno vestiretur. Tertium est, quod nouem horis morari solebat cum ancilla, decima vero solum cum vxore. Nam prima hora erat cum ancilla, vigilans, dum eius pulchritudinem aspiciendo iucundabatur. Secunda hora inter ipsius brachia dormiebat. Tertia hora pro ancillæ commodo, corporalem laborē gaudenter sustinebat. Quarta hora quietem corporis cum ipsa habebat post corporis lassitudinem. Quinta hora inquietudinem mentis, & curam super eius prouisione habebat. Sexta hora mentis quietem cum ea habebat, quia iam videbat se de sua prouisione ei pleniter complacere. Septima hora intrabat in eum ardor carnalis concupiscentiæ. Octaua hora complebat cum ea suæ voluptatis appetitum. Nona hora aliqua omittebat agere, quæ tamen ei libebat perficere. Decima hora faciebat aliqua, quæ tamen non delectabant eum facere. Et sic vna hora tantummodo manebat cum vxore. Veniens vero quidam de propinquis vxoris ad adulterum grauiter increpauit eum dicens.

1 var. lect. 1 Ad legitimam tuam mentis tuæ charitatem conuerte ipsam diligendo, & sicut decet vestiendo, nouemque horis cum ipsa manendo, & sola decima hora cum ancilla, alioquin scies te mortem pessimam subiturum.

2 2 Per istud adulterum intelligo istius Ecclesiæ prouisorē, habentem quidem episcopale officium, sed vitam adulterinam. Ipse quippe sanctæ Ecclesiæ spirituali copula, ita coniunctus est, quod ipsa eius sponsa charissima esse deberet, qui tamē charitatem suā ab ipsa retraxit. Multo plus diligens seruilem mundum, quam dominam sponsam tam præclaram. Et ideo tria facit. Primum est, quod de mundi fraudolenta adulatione plus gratulatur, quam de sanctæ Ecclesiæ morigerosa dispositione. Secundū est, quod omnem mundi ornatum diligit, de defectu vero ornatus Ecclesiastici corporalis, vel spiritualis minus curans. Tertium est, quod nouem horas expendit pro mundo, & solam decimam pro Ecclesia sancta. Nam prima hora cum mūdo vigilat hilariter eius pulchritudinem intuens delectabiliter. Secunda hora inter brachia mundi, quæ sunt altitudo murorum, & vigilantia hominum armatorum dormit suauiter corporis sui securitatem, se per hæc tenere confidens feliciter. Tertia hora pro mundano cōmodo corporalem laborem sustinet gaudenter, vt ex hoc cum mundo lætetur corporaliter. Quarta hora post corporalem laborem accipit quietem corporis libenter, quia quicquid ei placet iam habet sufficienter. Quinta hora mentis inquietudinem habet multipliciter, vt mundanis rebus prouidere videatur sapienter. Sexta hora mentis quietem habet iucundaliter, prouisionem suam mundanis hominibus placere videns vniuersaliter. Septima hora audiendo, & videndo mundi delectabilia, & in voluntatem suam trahit desiderabiliter, ex quibus in corde accenditur impatienter, & intolerabiliter. Octaua

hora

hoste perficit actualiter, quæ prius desiderabat ardenter. Nona hora aliqua sibi placita propter mundum omittit inutiliter, ne videatur eos offendere, quos diligit carnaliter. Decima hora aliqua bona perficit, sed non delectabiliter, timens, quod infamis habeatur contemptibiliter, & diiudicetur miserabiliter, si ea aliqua ex causa omiserit totaliter, & ista hora decima solummodo cum sancta Ecclesia solet commorari. Bona quæ facit non ex charitate faciens, sed ex timore, timet enim supplicium ignis infernalis, qui si posset cum sospitate corporis, & mundanarum rerum abundantia æternaliter viuere, de carentia supernæ fœlicitatis non curaret. Propterea dico certissime, iurans per Deum, qui caret principio, & erit sine fine, quod nisi se cito ad sanctam Ecclesiam conuerterit, cum ipsa nouem horas ducendo cum ancilla vero, idest mundo, decimam, nõ tamen eum diligendo, sed inuitus, eius diuitias, & honores secundum episcopale officium habendo, omnia ad Dei honorem humiliter, & rationabiliter disponendo, ipse in anima sua spiritualem percussionem tam grauem habebit, sicut ille, per similitudinẽ corporalem loquendo, habere videretur, qui tam horribiliter percuteretur in vertice, quod planta pedis, cum tota corporis carne dissolueretur, venæ, & nerui rumperentur, ossa confringerentur, & medullæ miserabiliter vndique effluerent. Et sicut amarissime cor illius corporis cruciari videretur, si vertex, & viciniora membra percuterentur dum etiam planta pedis, quæ remotior est læderetur. Sic & misera anima diuinæ sententiæ propinquissima ictui, torqueri æstimabitur amarissime, dum conscientia se videt vbique intolerabiliter sauciari.

NOTAE.

1 var. lect. *Paulo ante medium præsentis capitis, vbi hactenus impressa omnia habent exemplaria,* Ad legitimam tuam mentis tuæ charitatem conuerte ipsam diligendo, & sicut decet eã vestiendo.

M.S. Farnesianus legit, Ad legitimam vxorem tuam reuertere, atque ita legendum esse arbitror, quandoquidem reprehenditur hic quidam Episcopus, qui sponsam legitimam suam, hoc est Ecclesiã, deseruerat, seque ad huius seculi delitias, ac voluptates conuerterat: redarguitur autem sub similitudine vnius, qui vxorem duxerat, qui tamen cũ suæ vxoris ancilla sæpissime coniungebatur, qua de re à quodam suæ vxoris propinquo admonetur, vt relicta ancilla quamcitissime ad suam vxorem legitimam reuertatur, & idcirco textus iste sic restituendus est, reuertere ad legitimam vxorem tuam.

2 Per istud adulterium intelligo istius Ecclesiæ prouisorem habentem quidem Episcopale officium, sed vitam adulterinam.

Optime hic D. Ambr. Episcopum suæ Ecclesiæ curam deserentem, & terrenis rebus inhærentem, adulterum appellat: sicut enim, cum alter coniugũ à fide in matrimonio præstita recedit, adulterium committere dicitur: sic quoq. Prælatus adulterium committit, cum eidem Ecclesiæ, quæ illi desponsata est, fidem frangit, vnde in consecratione Episcopo traditur anulus, quod præcipue desponsatis congruit, vt significetur se cum Ecclesia sibi commissa, veluti cum sponsa gerere debere.

VERBA VIRGINIS AD Sponsam, qualiter Episcopus diligens mundum flabello pleno vento, & testudini iacenti in putredine comparatur, & quomodo talis Ambrosio Episcopo oppositus iudicatur.

CAP. VII.

SCRIPTVRA dicit, qui diligit animam suam in hoc mundo perdet eã. Iste vero episcopus diligit animam suam iuxta omnem voluptatem suã, & spiritualis delectatio non est in corde eius. Ideo bene comparari potest flabello pleno vento, iuxta conflatorium. Nam sicut carbonibus consumptis, & ære ignito fluente adhuc remanet ventus in flabello; sic ipse quamuis naturę suæ tribuit omne quod appetit, consumens tempus suũ inutiliter, tamen remanet sibi eadem delectatio, sicut ventus in flabello. Nã voluntas eius est ad superbiã, & cupiditatẽ mundi, ex quibus induratis corde dat occasionẽ, & exẽplum peccandi, qui consumpti in peccatis defluunt in infernum. Nõ sic dispositus fuit ille bonus Ambrosius Episcopus. Eius deniq. cor plenum fuit diuina voluntate. Eius cibus, & sonus rationabilis, qui exsufflans peccati voluptatẽ, tempus suum consumpsit vtiliter, & honeste. Ipse quippe bene vocari potest flabellũ virtutũ. Sanauit.n. vulnera peccati verbis veritatis, incendit frigidos diuina charitate, & bonorũ operum suorum exẽplo, feruentes quoq. voluptate peccati, refrigerũt ex eius munda vita. Et sic ipse multos inuit ne intrarent mortẽ inferni, quia diuina delectatio in eo permansit, quãdiu vixit. Iste vero episcopus similis est testudini, quæ iacẽs in innata putredine, trahit caput in terram. Sic iste iacet, & delectatur in peccati abominatione trahens animũ ad terrena nõ ad sem-

sempiterna. Tria reduco sibi ad memoriã. Primo quomodo tenuerit officium sacerdotij. Secundo quid significat illud verbũ Euangelij. Vestimenta sunt ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Tertio, cur ea quæ temporalia sunt tantum feruent in corde, Creator vero omnium frigidus in corde eius.

VERBA VIRGINIS AD Sponsam de sui ipsius perfectione, & excellentia, & de inordinato magistrorum modernorum appetitu, & de eorum falsa responsione ad Virginis gloriosæ quæstionem sibi per ipsam factam.

CAP. VIII.

MATER loquitur. Ego sum illa, quæ ab æterno in charitate Dei fui, & ab infantia mea Spiritus sanctus perfecte erat mecum. Et sicut de nuce exẽplum habere poteris, quæ cum crescit dilatante se testa, quæ extrinsecus est, dilatatur, & crescit etiam nucleus, qui intrinsecus est. Ita vt nux semper sit plena, & nihil in ea vacuum, quod capax
1 sit alicuius rei exterioris. 1 Similiter & ego ab infantia mea plena eram Spiritu sancto, & iuxta corporis, & ætatis meæ accrescentiam, tam affluenter me totam repleuit Spiritus sanctus, quod nihil in me vacuum reliquit ad peccati alicuius introitum. Et ideo ego illa sum, quæ nunquam peccatum commisi veniale, nec mortale. Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, quod nihil mihi placuit, nisi perfectio voluntatis Dei. Feruebat enim in corde meo ignis diuinæ charitatis. Deus quoque super omnia benedictus, qui me sua potentia creauit, & Spiritus sancti virtute repleuit, ad me ar-
2 dentem charitatem habuit. 2 Et ex huius charitatis feruore misit nuncium suum ad me, faciens me voluntatem suam intelligere, vt videlicet fierem Mater Dei. Quod dum noui esse voluntatis diuinæ, statim ex igne charitatis, quam in corde ad Deum
3 habui, 3 per os meum exiuit veræ obedientiæ verbum, per quod nuncio respondi. Fiat inquiens mihi secundum Verbum tuum. Et in eodem puncto, Verbum caro factum est in me, & Dei filius, factus est filius meus, & sic ambo habebamus vnũ filium, qui vtrunque Deus est, & homo, & ego similiter Mater atque Virgo. Cumque hic filius meus, qui est Vir sapientissimus, & Deus verus Iesus Christus iaceret in vtero meo, tantam ab ipso adepta sum sapientiam, quod non solum magistrorum intelligere valeam sapientiam. Verum etiam in cordibus eorum cerno, vtrum verba ipsorum ex diuina charitate, aut ex solius litteraturæ astutia procedunt. Ergo tu quæ verba audis, nuncia magistro illi, quod ego tria ab ipso interrogo. Primum est, vtrum maius est sibi desiderium ad habendum fauorem, & amicitiam Episcopi corporaliter, vel an desiderat plus animam eius præsentare Deo spiritualiter. Secundo vtrum ex plurimorum florenorum propria, & singulari possessione in animo plus delectetur, vel an ex nullorum. Tertio quid sibi de his duobus videtur magis placere, vocari, scilicet magister, & inter honoratos cum primis pro mundana gloria residere, aut simplex frater vocari, & inter vltimos residere. Hæc tria diligenter perscru-
4 tetur. 4 Si enim Episcopum corporaliter
var. plusquam spiritualiter diligit, tunc sequitur
lect. quod magis dicit ei illa, quæ delectant eum audire, quam omnia peccaminosa prohibet, quæ delectant eum agere. Si vero de plurimorum florenorum proprietate plus gratulatur, quam nullorum, tunc diuitias plus paupertate diligit, & videtur, tunc amicis suis consulere, quod magis teneant quicquid possunt acquirere quam dimittant, quo carere libentius potuissent. Si vero delectatur nomine magistri propter honorem mundi, & inter honoratos locari, tunc superbiã plus humilitate diligit, & ex hoc similior coram Deo apparet asino, quam magistro.
5 5 Tunc enim vacua stramina masticat, quæ litteraturæ scientiæ sine charitate comparantur, & deest optimum triticum, quod charitati comparatur. Quia charitas diuina in superbo corde firmari nunquam potest. Post excusationem autem magistri excusantis se, & dicentis, quod maius esset sibi desiderium præsentare animam Episcopi Deo spiritualiter, & quod plus delectatur in nullis florenis. Tertio, quod nihil curat de nomine magistri. Respondit iterum Mater. Ego sum, quæ veritatem de ore Gabrielis audiui, & indubitanter credidi, vnde & veritas de meo corpore sibi carnem sumpsit, & sanguinem, & mansit in me. Illam eandem veritatem genui de me, qui vtrunque Deus, & homo est ex se. Et quia veritas, quæ Dei filius est, ad me venire, & in me habitare, ex meque nasci voluit, ideo plenissime intelligo vtrum in ore hominum sit veritas an non. Verum ego tria a magistro quæsiui, quem mihi bene respondisse

proba-

probarem, si in verbis suis fuisset veritas, quæ quia in eis non erat, ideo de alijs tribus ipsum præcaueo. Primum est, quòd aliqua sunt, quæ corporaliter diligit, & desiderat, & illa nullo modo obtinebit. Secundum est, quòd illud, quòd nunc habet cum mundana lætitia citius amittet. Tertium est, quòd pusilli intrabunt cælum, magni autem stabunt foris, quoniam porta est angusta.

NOTAE.

1 Similiter, & ego ab infantia mea plena eram Spiritu sancto, & iuxta corporis, & ætatis meæ accrescentiam, tam affluenter me totã repleuit Spiritus sanctus, quod nihil in me vacuum reliquit ad peccati alicuius introitum.

Ex his verbis satis aperte duo colligi possunt. Primo quidem Beatiss. Virginẽ nullum vnquam contraxisse peccatum, Secundo vero hoc singulare priuilegium, quod nunquam peccauerit ab exordio suæ infantiæ accepisse, quod ex his verbis deducitur, ab infantia mea plena eram Spiritu sancto, &c. Sic etiam docuerunt Gabriel in 3. dist. 3. q. 2. art. 3. sequuntur Almainus, & Ocham dist. 12. quæst. 2. Sed D. Thomas 3. par. quæst. 27. art. 4. ad primum, & in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 3. distinguens, tradit in prima sanctificatione datum esse Mariæ solum, vt nunquam de facto peccaret, in secunda vero, idest, in sui filij conceptione aditum esse, vt nec deinceps peccare posset, fauens huic sententiæ D. Bonauent. in 3. d. 3. q. 2. art. 1. Richardus Victorinus super Cantica cap. 26. Alensis 3. par. quæst. 9. membro 3. art. 2. §. 2. sed quidquid sit certissimum est, diuinitus obtinuisse Mariam, vt nunquam peccaret, & de facto, nec culpam aliquã venialẽ, nec mortalem cõmitteret, vt scribitur hic, quod videtur definitum (vt refert Vega lib. 14. in Concilij Tridentini cap. 18.) in Concilio Claromontano sub Vrbano Secundo, & Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 23. tradit Ecclesiam tenere Mariam Virginem ex diuino peculiari priuilegio, omnia peccata venialia vitasse, & hæc est concors Scholasticorum sententia in 3. dist. 3. qui pluribus argumentis, & coniecturis hanc veritatem confirmant, sic etiam sancti Patres senserunt D. Bernardus Epistola 174. & serm. 2. de Assumptione D. Augustinus de Nat. & gratia cap. 36. Rupertus lib. 7. de glorificatione Trinit. cap. 13. & lib. 6. in Cant. circa initium, Vgo Victorinus lib. 2. de Emanuele cap. 30. D. Thomas quodlib. 6. art. 3. ex his merito cum D. Gregorio Thaumat. serm. 2. in Annunciat. non longe ab initio Mariam appellare possumus Immaculatum puritatis, ac integritatis simulacrum, Supercælestis lætitiæ vas, atque receptaculum, niue candidiorem mentem habentem, corpus vero auro fulgidius, & ad finem eiusdem sermonis eam etiam vocat Thronum Cherubicum, & ser. 3. Campum deliciarum, Animatam ciuitatem, de qua psal. 86. scribitur. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, Paradisum Dei ratione præditum, Portam Orientalem, Domicilium Verbo Dei dignum, Alterum Cælum, Sanctuarium præparatum, Incarnationis Christi cubiculum, Paruum natiuitatis Christi secundum carnem Thalamum, Arcam Dei ratione præditam, Animatum Regis Angelorum palatium.

2 Ex huius charitatis feruore misit nunciũ suum ad me, faciens me voluntatem suam intelligere, vt videlicet fierem Mater Dei.

Ad horum intelligentiam duo breuiter a nobis inuestiganda sunt: primo quidem cuius dignitatis, & ordinis fuerit Gabriel, qui incarnationis Dominicæ mysterium nunciauit. Secundo vero, an in specie visibili, & humana apparuerit. Et quantum spectat ad primum, cum in sacris litteris hoc minime expressum sit, cumq. inter Sanctos Patres hac de re aliqualis dissensio sit, res incerta, & ambigua est, & quidem D. Bernardus Homil. 1. super Missus est. existimauit, illum fuisse ex supremis Angelis. Arbitror, inquit, hunc Angelum non de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione: probat autem hoc dupliciter, primo quia illud dignitati mysterij erat consonum, vt ad illud nunciandum dignissimus mitteretur: decebat enim summum Angelum, summum mysterium annunciare. Secundo, quia supremi Angeli non sũt sub alijs, sed sub Deo immediate: hic autem qui missus est, a Deo dicitur missus, Lucæ 1. Missus est Gabriel Angelus a Deo. Sed hæc D. Bernardi sententia aliqualem haberet difficultatem, si per supremũ Angelum intelligeret aliquem ex ordine supremo primæ Hierarchiæ: & ratio est, quia supremi Angeli non mittuntur, vt constat ex D. Dionysio de cælesti Hierarch. c. 3. dicit enim, Angelorum ordines officijs, ac functionibus distinctos esse, ex omnibus autem ordinibus duo vltimi infimæ Hierarchiæ ad custodiendos homines, resq. propalandas, quæ ad eos spectant destinati sunt, Dicendum ergo videtur hunc fuisse ex vltima Hierarchia caput, & Principem secundi ordinis Archangelorum, quia Archãgeli summa solent nunciare, quam sententiam plures ex Sanctis Patribus sequuti sunt, qui Angelum illum Archangelum vocarunt: sic Damasc. sermon. de Natiu. Mariæ, eum Angelum Archangelum vocat, & sui ordinis Principem: fauet D. Aug. ser. 14. de Natiu. Iren. lib. 5. cont. hæres. c. 25. Ambr. lib. 1. de Spiritu S. c. 7. And. Hierosol. Ho. de Annun. Hesich. ho. 1. de Sancta Deipara, D. Gregorius homil. 34. in Euangel. D. Thomas 3. p. q. 30 ar. 2. ad quartũ. Ad auctoritatẽ ergo D.

Bernardi respondeo, eum per supremum Angelum non intellexisse absolute primum in ordine omnium Angelorum, sed primum, & caput secundi ordinis Archangelorum infimæ Hierarchiæ, illi enim primæ Hierarchiæ, vt probauimus supra non mittuntur, cum vero dicit decuisse summum Angelum, summum mysterium annunciare, verissimum quidem est, quia summa annunciare est Archangelorum, minora Angelorum, tum quia eo ipso, quod nunciat, siue suprema, siue minora conuincitur, non esse absolute supremum primæ Hierarchiæ, quia illi ad annunciandum non mittuntur, nec valet, Secunda ratio, qua probabatur Gabrielem esse primæ Hierarchiæ, quoniam Lucæ primo scribitur à Deo missus, nam etiam Angeli infimi dicuntur à Deo mitti, quia ex eius imperio mittuntur, licet ea, ob quæ mittuntur cognoscant à superioribus Angelis; postremo patet Gabrielem non esse ex supremis, quia Danielis 8. legimus, ipsum Gabrielem fuisse missum ab alio Angelo.

Superest videamus modo, an Gabriel sub humana specie, exteriusque sensibili Mariæ apparuerit, quod sane videtur affirmandum, quoniam illum esse venturum Virgini annunciabat, qui licet hominibus fuisset hactenus inuisibilis, visibilem tamen se exhibere volebat visibilem formam sumendo, & ideo D. Augustinus serm. 14. de Annunciat. de Gabriele verba faciens dicit, in persona Virginis, venit ad me quidam magnus Christi Paranimphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, sed Gabriel Archangelus facie rutilans, veste corruscans, ingressu mirabili, aspectu terribili, & Lucæ 1. scribitur, ingressum fuisse Angelum, & discessisse, quæ omnia corporalem motum, & visionem etiam corporalem insinuant, quod etiam admonuit D Thomas 3. par. quæst. 30. art. 3 idem affirmarunt Origenes Hom. 4. in Lucam, Petrus Chrisologus serm. 140. Ambrosius lib 1. de officijs cap. 8. Eusebius Emissenus Hom. 1. super Missus est, Hieronymus Epistola 22. ad Eustochium de custodia Virginitatis, circa finem, & apertius hoc idem insinuauit D. Gregorius Thaumat. serm. 1. in Annunciat. aliquanto post initium, quo loco Mariam, sic Angelum alloquentem facit; e cælo aduenisti, at in terra humanam formam exhibes, & lucis fulgore splendes.

3 Per os meum exiuit veræ obedientię verbum, per quod nuncio respondi fiat, inquiēs mihi secundum Verbum tuum, & in eodem puncto, Verbum caro factum est, in me, & Dei filius factus est filius meus.

Beatissima Virgo hoc loco affirmat, quod statim, vt suum consensum Incarnationi filij Dei præstitit, in eodem instanti in se filium Dei concepit, ita vt idem Christus, tunc temporis esset, & verus filius Dei, & verus filius hominis; sunt tamen, qui existimarunt, Mariam concepisse ante consensum præstitum, vt primum illam Angelus salutauit illis verbis (Dominus tecum) sic D. Chrysost. in Liturgia, D. Gregor. Neocæsariensis D. Hieronym. hom. de Annunciat. & alij ex patribus Græcis, videtur tamen dicendum, id factum esse præstito consensu, cum ea verba protulit (fiat mihi secundum Verbum tuū) sicut scribitur hic, & affirmarunt fere omnes Patres D. Athanasius, D Augustinus, Beda, D. Ambros. Petrus Chrisolog. & alii quos citauimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 13. nota 2. vbi de hac re latius egimus.

4 Tunc sequitur, quod magis dicit ei illa, var. lect.
quæ delectant eum audire, quam omnia peccaminosa prohibet.

M. S. Farnesianus sic legit, Tunc sequitur, quod magis dicit ei, illa quæ delectant eum audire, quam illa peccati ignominiosa prohibeat.

5 Tunc enim vacua stramina masticat, quæ litteraturæ scientiæ, sine charitate comparantur.

Non video quis sensus, ex his verbis elici possit, & ideo locum sic esse restituendum censeo, tunc enim vacua stramina masticat, qui litteraturæ scientiam, sine charitate sibi comparat, hic autem Beatissima Virgo acriter quendam sacræ Theologiæ Doctorem reprehendit, qui ob magisterij gradum ambitionis vento inflatus, Episcopo, cui inseruiebat, non quæ ad Dei honorem, proximique salutem spectabant, sed quæ Episcopo placita erant suggerebat dicitur autem masticare stramina, quia quemadmodum, cum sola stramina animalibus ad comedendum dantur, ea semper debilia sunt, nec inde vires hauriunt; ita prorsus Doctor veluti quoddam animal rationis expers, nisi cum litterarum scientia charitatem coniungat, & ad proximorum commodum doctrina non vtatur, nihil proficit, nec congruentem fructum ex litteris percipit, vnde Hieremiæ 14. huiusmodi Doctores trahere ventum, quasi Dracones dicuntur, quia in solo ambitionis vento persistunt, & de sua doctrina vanitate gloriantur, vt auctor est D. Hieron. ibi, quod egregie explicant D Bernardus super Cant. serm. 36. sunt, inquit, qui sciunt eo fine tantum, vt sciant, & turpis curiositas est, & sunt, qui sciunt, vt scientiam suam vendant, scilicet pro pecunia, & honoribus, & turpis quæstus est, & sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est, & sunt, qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est, & sunt, qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est.

VER-

VERBA VIRGINIS AD Sponsam qualiter videntes, & audientes, &c. fugiunt pericula virtute solis, &c.& aduenientia. & occurrentia cœcis, & surdis, &c.

CAP. IX.

LOQVITVR Mater. Quamuis cœcus non videt, nihilominus tamen ipso cadente in præcipitiū sol resplendet in suæ claritatis splendore, & pulchritudine, quam claritatem videntes homines itinerantes clarū visum habentes gratulantur itineris sui pericula fugiendo. Et quamuis surdus non audit, tamen torrens cum strepitu sui impetus, super eum ab alto cadit horribiliter, eo qui audire poterit ad loca tutiora fugiente. Et quamuis mortuus gustare non poterit, tamen ipso in vermibus putrescente potus bonus dulcedinem sui saporis retinet, qua viuus degustans in corde suo lætificatur, & audax ad quæcunque virilia opera efficietur.

LOQVITVR VIRGO AD filiam securitatem de verbis sibi dictis inducens, & de periculo, & approximatione ruinæ Ecclesię, & qualiter, vt in pluribus attendunt, nunc Ecclesię prouisores, proh dolor, ad vitam meretricalem, & pecuniæ cupiditatem, & bonorum Ecclesię pro superbia prodigalitatem, & de ira Dei contra tales excitanda.

CAP. X.

LOQVITVR Mater. Ne timeas ea, quæ nunc videbis à spiritu malo esse existimās. Quemadmodum enim cum solis appropinquatione duo veniunt lux, videlicet, & calor, qui caliginosam vmbram non sequuntur. Sic cum Spiritus sancti aduentu in corde tuo veniunt. Ardor scilicet diuinæ charitatis, & fidei sanctæ perfecta illuminatio. Hæc autem duo, nunc sentis. Hęc quoque duo diabolum, qui caliginosæ vmbræ comparatur non sequuntur. Mitte ergo ad illum, quem tibi nominaui nuncium meum, quamuis autem ego scio, cor, & responsionem eius, finem quoque vitæ eius celerem, tamen debes mittere ei verba ista sequentia. Ego denique notum illi facio, quod in dextra parte sanctæ Ecclesiæ, fundamentum tam vehementer dilapsum est, quod summa testudo plures rupturas habet, dans ex se casus periculosos, ita quod multi de subeuntibus perdunt vitam. Plereque columnæ, quæ in altum tendere deberent, vsque ad terram se inclinant. Totumque etiam pauimentum tam suffossum est, quod cœci introeuntes cadunt periculose. Et adhuc interdum contingit clare videntes, vna cum cœcis cadere grauiter causa periculosarum fossarum eiusdem pauimenti. Et propter istas causas stat nimis periculose Ecclesia Dei, & quid sibi sic stanti vicinius est, quam ruina? Certissime dico tibi, quod nisi iuuamen reparationis habuerit ipsius ruina tam grandis erit, quod per totā Christianitatem audietur. Ego autem illa Virgo sum, in cuius vterum filius Dei venire dignatus est, exclusa quacunque carnis contagiosa voluptate. Ille vero idem Dei filius de meo clauso vtero natus est, cum maxima consolatione, & sine aliqua pœna. Ego iuxta crucem steti, quando cum vera patientia infernum victoriose vincebat, & sui cordis sanguine cælum aperiebat. Ego etiam eram in monte quando Dei filius, qui est, & meus filius ad cælum ascendit. Ego etiam totam Catholicam fidem clarissime noui, quam ipse euangelizando omnes ingredi cælum volentes docuit.
1 1 Ego itaque illa eadem iam sto super mundum continua oratione sicut arcus cæli super nubem, qui ad terram inclinari videtur, & ambobus suis finibus eam tangere. Per cælestem arcum itaque meipsam intelligo, quæ ad habitatores mundi me inclino, tangens bonos, & malos oratione mea, ad bonos nanque me inclino, vt in his, quæ sancta Ecclesia præcipit stabiles efficiantur. Ad malos vero ne in malitia sua processum habeant, vt fiant de-
2 teriores. 2 Notum itaque facio isti, quem tibi nominaui, quod ex vna parte terræ, horribiles nubes surgunt contra claritatem arcus. Per quas nubes intelligo illos, qui in carne vitam meretricalem habent, & sunt insatiabiles similes voragini maris ad cupiditatem pecuniæ. Bona quoque irrationabiliter, ac prodigaliter, sicut torrens in impetu suo aquam fundens, pro superbia largiuntur. Hæc itaque tria plerique nunc exercent Ecclesiæ prouisores, quorum peccata in cælum ascendunt horribilia ante conspectum Dei contra meam orationem, sicut teterrime nubes contra claritatem arcus. Sic

etiam illi, qui iram Dei mecum placare deberent, contra se iram Dei excitant, & tales in Ecclesia Dei non deberent exaltari. Quicunque ergo curam apponere voluerit, vt fundamentum Ecclesiæ fiat stabile, & vinea illa benedicta, quam Deus fundauit sanguine suo renouetur. Si se insufficientem viderit, ego Regina cælorum cum omnibus Angelis ei in adiutorium venire volo, fabulosas radices extirpando, sterilesque arbores in ignem proijciendo, ac in earum locis ramusculos fructuosos inserendo. Per vineam vero intelligo Ecclesiam Dei, in qua duo, humilitas scilicet, & charitas diuina debent renouari.

Sequitur additio. Filius Dei loquitur de nuntijs Papæ. Vos venistis in societatem maiorum, & adhuc ad maiora ascendentis. Ideo summe meretur ille, qui laborat ad hoc, vt humilitas exaltetur, quia superbia iam nimis ascenderat. Honorem etiam maximum habebit ille, qui charitatem habet ad animas, quia ambitio, & simonia iam in plerisque regnant. Felix etiam erit ille, qui conatur pro posse suo, vt vitia de mundo extirpentur, quia iam plus solito inualescunt. Est etiam vtilissimum habere, & petere patientiam, quia in diebus multorum, qui nunc viuunt sol dimidiabitur, stellæ confundentur, sapiẽtia infatuabitur, humiles in terra ingemiscent, & audaces præualebunt, hoc sapientium est intelligere, & interpretari, qui aspera sciunt deplanare, & futura prouidere.

Hoc reuelatio præcedens facta fuit ad Albanensem Cardinalem, qui tunc fuit Prior.

NOTAE.

1 EGo itaque illa eadem sto super mundum continua oratione sicut arcus cęli super nubem.

Optime hoc loco Maria se cælesti similem esse arcui tradit, qui sicut Genesis 9. legimus, diuinitus datus est mundo in signum fœderis, ac pacti, quo nobis Creatorem nostrum factum esse propitium intelligeremus: ita quoque benignissimus Deus Beatissimam Virginem nobis contulit, vt pro peccatis nostris precibus suis imminentes tempestates sedaret, & sicut aereus arcus, quam pluribus fulget coloribus, sic etiam Maria innumeris elucet mundo virtutibus: est enim ob Virginitatem candida, ob charitatem purpurea, ob morum suauitatem, ac puritatem coloris aerei, vt mirum non sit, si de ea Regius Propheta scripserit Psalm. 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate, vt autem in huius arcus pulchritudinem oculos intendamus, inuitat nos Ecclesiastes cap. 43. vide, inquit, arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo, girauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum, imperio suo accelerauit niuem: hactenus Ecclesiastes, qui hisce postremis verbis visus est indicare voluisse niuem fuisse acceleratam, tunc maxime quando Exquilinum montem in Vrbe Mense Augusti niue cooperiri Deus iussit, ostendens locum, vbi ad honorem Virginis dedicaretur Ecclesia, quæ hodierna die Sanctæ Mariæ Maioris nomine communiter appellatur.

2 Notum itaque facio isti, quem tibi nominaui, quod ex vna parte terræ horribiles nubes surgunt contra claritatem arcus.

Prædicit hic Beatissima Virgo, Beatæ Brigittæ futurum, vt contra eum Episcopum, de quo in præsenti capite sermo fit, complures insurgant hostes, qui illi eiusque Ecclesiæ grauiores molestias, ac maxima incommoda illaturi erant: dicit autem, quod nubes insurgent, quia per nubes prauorum hominum designantur suggestiones; sic enim tradit D. Gregor. curæ pastoralis part. 3. admonitione 16. paulo post medium, vbi explicans illud Ecclesiastici 11. qui obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes nunquam metit. Quid enim per ventum, inquit, nisi malignorum spirituum tentatio exprimitur, & quid per nubes, quæ mouentur à vento, nisi aduersitates prauorum hominum designantur. idem docent D. Bernard. super Cant. serm. 58. & Eucherius de spiritualibus formulis cap. 3. dicere etiam possumus, quod hic per nubes significari possunt hæretici, qui huius prælati, cuius hoc loco mentio fit, vitæ, ac morum prauitate adducti, consurrexerũt contra claritatem arcus, scilicet contra Ecclesiam, & doctrinam sacram, quæ proprie arcus est Ecclesiæ, ab ipsa enim ad hominum corda ferienda, sicut sagittæ, veniunt terribiles minæ, vnde Psalm. 7. scribit Dauid, Arcum suum tetendit, & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis, & sagittas suas ardentibus effecit, quia peccatoribus per sacras litteras terrores, & minas velati sagittas incutit, sic explicat hunc locum Psalmi D. Augustinus.

VER-

VERBA FIDEI SPONSAE ad Christum, & qualiter Ioannes Baptista inducit sponsæ certitudinem Christi sibi alloquentis, & de boni diuitis fœlicitate, & qualiter indiscretus Episcopus propter sui fatuitatem, & pessimam vitam assimilatur simiæ.

CAP. XI.

SPONSA loquebatur Christo in oratione humiliter dicens. O Domine mi Iesu Christe, sic firmiter credo tibi, quod etiam si serpens iaceret ante os meum, non intraret nisi te propter bonum meum permit-
1 tente. Respondit Ioannes Baptista. 1 Ille qui apparet tibi ipse est naturaliter Dei filius, cui Pater me audiente perhibuit testi-
2 monium dicens. Hic est filius meus. 2 Ipse est, a quo Spiritus sanctus processit, qui me baptizante super eum in columbæ specie apparuit. Ipse est secundum carnem verus filius Virginis, cuius corpus manibus meis attrectaui. Crede ergo ei firmiter, & ingredere viam eius. Ipse enim est, qui viam rectam ad cælum demonstrauit, per quam
3 pauper, & diues ingredi potest cælum. 3 Sed quærere poteris quomodo diues debet esse dispositus, qui ingressurus est cælum. Cum Deus personaliter dixerit, quod facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem ingredi cælum? Ad hoc respondeo tibi. Ille diues qui sic dispositus est, qui timet aliquid secum male esse acquisitum, qui sollicitus est, ne bona sua inutiliter, & cōtra Deū expendantur, qui inuita possidens possessionem, & honorem mundi, libenter desiderat separari ab eis. Turbaturque de dispendio animarum inhonoratione Dei. Et quāuis ex dispensatione diuina cogitur quodāmodo habere mundum, tota tamen intentione vigilat circa amorem Dei, hic talis diues fructuosus, & fœlix diues est, & charus Deo. Sed nō est, sic diues iste episcopus, ipse quippe similis est simiæ habenti quattuor conditiones. Quarum prima est, quod præparantur ei vestes tendentes ad inferiorem partem, & anteriora velantes, sed verecundiora eius apparent tota nuda. Secunda conditio est, quod digitis suis tangens fœtentia applicatori suo. Tertia est, quod faciem quidem habet humanam, sed colorem, & speciē reliquam beluinam. Quarta est, quod licet habet manus, & pedes, attamen cum digitis, & manibus calcat lutum. Sic Episcopus iste fatuus est quasi simia, curiosus in mundi vanitate, deformatus a laudabili operatione, nam habet vestes, idest, ordines episcopales, qui sunt valde honorabiles, & preciosi apud Deum, sed verecundiora sua apparent nuda, quia leuitas morum suorum, & affectus carnalis ostenditur hominibus ad animarum destructionem. Contra quæ dicit miles ille egregius, quod verecundiora hominis maiorem honestatē habent, notans per hoc, quod motus bestiales clericorum celari debent bonis operibus, ne exemplo eorum infirmi scandalizentur. Simia quoque tangit, & odorat fœtentia. Quid facit digitus nisi demonstrationem rei visæ, sicut ego videns Deum in humanitate demonstraui eum digito. Ecce inquiens Agnus Dei. Quid ergo sunt digiti Episcopi, nisi mores sui laudabiles, quibus demonstrare deberet iustitiam Dei, & eius charitatem. Nunc autem in operibus suis demonstrat, quod est diues, & generosus, sapiens mundi, & prodigus pecuniarum. Quid autem sunt hæc omnia, nisi tanquam digitos mittere ad fœtentia? Nam gloriari de carne, & lata familia, quid aliud est, quam gloriari de inflatis saccis? Simia quoque habet faciem humanam, sed speciem reliquam beluinam. Sic iste animam quidem habet signaculo Dei insignitam, sed per propriam cupiditatem deformatam. Quarto sicut simia tangit, & calcat cum pedibus, & manibus lutum, sic iste affectu, & opere terrenis inhiat, auertens vultum suum a cælestibus, & inclinans ad terrena tanquā animal obliuiosum. Nunquid talis mitigat iram Dei? Nequaquam, sed magis prouocat contra se iustitiam Dei.

Additio. Hæc reuelatio facta est de legato Cardinali anno Iubilei, &c. Filius Dei loquitur. O disputator superbe, vbi pompa tua, vbi apparatus equorum? Noluisti intelligere cum esses in honore, ideo nūc inhonoratus es. Dic igitur quamuis omnia scio, audiente ipsa sponsa, & noua, quæ quæro. Et statim quasi vna persona tremula, & nuda apparuis mirabiliter deformata. Cui dixit iudex. O anima tu docuisti spernere mundū, & diuitias eius, cur ergo secutus es ea? Respondit anima, quia dulcius sapuit mihi fœtor pessimus, quam odor tuus suauissimus. Et statim dicto verbo per æthiopem vnum, infusum est animæ vas sulphuris, & veneni. Item dixit iudex. O anima tu posita fuisti populis in candelabrum lucis, quare non lucebas verbo, & exēplo. Respondit anima,

Quia charitas tua fuit abrasa a corde meo. Ibam sicut homo sine memoria, & sicut vir vagus respiciens præsentia, & non attendens futura. Quo dicto anima priuata est lumine oculorum. Et dixit vnus æthiops, qui adstare videbatur. O iudex, hæc anima mea est, quid facturus sum? Respondit iudex, Purga eam, & quasi in prælo examina, donec veniat consistorium, in quo allegationes amicorum, & inimicorum discutientur.

NOTAE.

1 Ille qui apparet tibi, ipse est naturaliter Dei filius, cui pater me audiente perhibuit testimonium dicens. Hic est filius meus dilectus.

In præsenti capite B. Ioannes Baptista sponsam certissimam reddit, quod ille, qui eam alloquitur Christus est, de quo vt scribitur Matth. 17. & Marci 1. præclarum Pater coram eodem Ioanne dans testimonium dixit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Optime autem hoc loco dicitur, quod ipse est naturaliter Dei filius, quandoquidem si rationi, ac Sanctorum Patrum doctrinis nos conformare volumus, nullo pacto Christus Dominus filius adoptiuus dici potest, sed tantummodo naturalis: adoptiuus namque filius is proprie est, qui per adoptionem filius fit, cum prius non esset, fit enim ex non filio filius, sicut nos filij dicimur adoptiui, quia cum essemus, vt dicit Apostolus ad Ephes. 2. Natura filij iræ, prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, vt ipsemet in eadem Epistola cap. 1. tradit, Christus autem nũquam fuit non filius, nec fuit aliquando extraneus, & ideo hic proprie dicitur naturaliter filius, quod affirmauit etiam D. Hieron. super epist. ad Ephes. explicans illud cap. 1. in charitate prædestinans, de Christo, inquit, Iesu scriptum est, quia semper cum patre fuit, & nunquam eum, vt esset voluntas paterna præcessit, & ille quidem natura filius est; nos vero adoptione, atque hoc etiam esse verum affirmamus quantum ad temporalem filiationem, quoniam cum filiatio non naturæ conueniat, sed personæ, in Christo autem vna tantummodo sit persona, & hæc vna diuina, non humana, secundum quam in diuinis est naturalis, ita quoque in humanis erit filius naturalis: quod egregie tradit D. August. in lib. de fide ad Petrum cap. 2. circa medium, ille, scilicet Deus, factus est naturaliter filius vnigenitus Dei Patris, idem habet tract. 82. in Ioan. & lib. 3. contra Faustum cap. 3. & epist. 120. cap. 4. & lib. 1. de consensu Euangelist. cap. 3. D. Ambros. lib. 1. de fide c. 9. paulo ante medium, & lib. Incarnationis Dominicæ cap. 8. D. Hilarius non longe a principio tertij libri de Trinitate. D. Thom. 3. p. q. 23. art. 4. & q. 32. art. 3. & q. 43. art. 4. & lib. 4. contra gentes cap. 4. Magister in 3. dist. 10. D. Chrisost. seu auctor oper. imperfecti in Matth. hom. 40. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 21. Hic tamen admonere lectorẽ censui, Durand. in 3. d. 4. q. 1. n. 6. & d. 10. q. 3. num. 5. concedere contra tot virorum Doctorum auctoritatem, Christum, vt hominem, esse filium Dei adoptiuum: probat autem, quia, inquit, gratia Christi est eiusdem rationis cum nostra, sed nos ratione illius gratiæ sumus filii adoptiui, ergo & Christus, cui obiectioni dupliciter satisfit; primo dicendo gratiam vnionis alterius esse rationis a gratia filiorum adoptiuorum; ideo non constituere Christum hominem filium adoptiuum, sed naturalem, est enim hæc gratia sic Christo connaturalis, & intrinseca, vt ratione illius Christus ius habeat connaturale ad æternam hæreditatem. Respondeo secundo, quod licet habitualis gratia eiusdem rationis sit cũ nostra, quo ad modum tamen illam habendi maximum est discrimen: nos enim per eam constituimur filii adoptiui, quia non supponimur filij, sed extranei, Christus tamen per eam gratiam non proprie constituitur filius, sed supponitur, non enim aliquando fuit extraneus, & illa gratia est quasi proprietas consequens filiationem.

2 Ipse est a quo Spiritus sanctus processit.

Hoc loco aperte definitur, Spiritum sanctum procedere etiam à filio contra id, quod Patres Græci tradiderunt, & refertur in Florentina synodo per duodecim sessiones, atque hoc esse de fide, nostra hac tempestate credimus, & probatur ex symbolo D. Athanasii, & ex Concil. Nicæno. & fuit definita hæc etiã veritas in Later. Concilio, vt habetur in cap. firmiter, de summa Trin. & fide Catholica, & ex Concilio Lugdunensi, & Toletano 3. 4. 8. & denique in Conc. Florentino conclusum ex communi etiam Græcorum, ac Latinorum consensu; & patet etiam ex Sacris litteris Ioan. 16. Ille me clarificabit, quia accipiet de meo, vbi de Spiritu sancto loquitur Christus, & vna persona nihil accipit ab alia, nisi per processionem, & Ioan. 15. scribitur, quod filius mittet Spiritum sanctum. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem ego mittam vobis: sed in diuinis tunc vna persona dicitur mitti ab alia, quando procedit ab illa: hanc etiam conclusionem præter Latinos doctores, quos hic citare longum esset, aliqui etiam doctissimi ex Græcis sequuntur, vt D. Greg. Nazianz. Nyssenus, Epiphanius, & Theodoretus, quos citat Florentina synodus, & Cyrillus lib. 1. sup. Ioan. cap. 33. Didimus lib. 2. de Spiritu sancto. D. Chrisost. hom. 1. in exposit. symboli Apost. & homilia 2. in expositione eiusdem symboli, & alij etiam, quos citat Magister in primo Sententiarum dist. 11.

3 Sed quærere poteris quomodo diues debet esse dispositus, qui ingressurus est cœlum, cum Deus personaliter dixerit, quod facilius est Camelum per foramen acus transire,

re, quam diuitem ingredi cælum.

Quamquam arduum sit, ac difficile omnibus ingredi regnum cælorum, cum arcta sit via, quæ ducit ad illud, & lata, quæ ad perditionem: singulari tamen ratione diuiti, vt diues est, hoc difficilius videtur, vt mirum non sit, si hanc difficultatem Beata Brigitta, ex his verbis Euangelij, quæ habentur Matthæi decimonono, Marci decimo, Lucæ 19. de diuitum salute dubitet, videtur enim ex his posse colligi, quod sicut fieri non potest, vt Camelus ob corporis ingentem magnitudinē, ac deformitatem, per angustissimum acus foramen transeat, ita quoque impossibile videatur, diuitem posse Regnum cælorum ingredi, sed vt rem hanc enucleatius aperiamus, sciendum est, diuitias ex se non esse ad vitam æternam consequendam impedimenta, cum à Deo nobis conferantur, vt potius sint adiumento ad eam acquirendam, sed quod prauus, & inordinatus hominis affectus erga diuitias, qui vt plurimum reperiri solet in diuite, difficilem reddit aditum ad regnum cælorum, quam difficultatem tangens Christus Dominus, eam sententiam protulit supra à nobis citatam, & ideo affirmarunt nonnulli explicantes hunc Euangelij locum Hierosolymis, quandam fuisse portam, quæ foramen acus appellabatur, per quam Camelus nisi deposito onere, at flexis genibus transire non posset, indicantes, ex his colligi, nec diuitem posse transire angustam portā, quæ ducit ad vitam, nisi abiecto prauo diuitiarum affectu, sollicitudine, & onere: verum placet aliquibus magis per Camelum intelligere funem nauticū, sic Theophilactus, Euthimius, & alij quos refert ipsemet Euthimius in locum citatum Matth. quod etiam tradit Hector pinctus in Ezech. cap. 16. sicut enim cum huiusmodi funis per foramen acus transire non potest, si distribuatur in fila, ingreditur singulis ingredientibus filis, ita diues, cum per diuitiarum ligamen Regnum cælorum ingredi non potest, tunc sibi ad illud aditum faciet, si pauperibus diuitiarum fila distribuat, sed alij hunc locum mystice interpretantur sic, ita vt per Camelum Christū intelligant, qui omnium in se onera portauit, per diuitem, cupidum, & sæculi huius amatorem, per acū, passionem, diuitem pungentem, per foramen passionis angustias, vt sensus sit, facilius est Christū pro amatoribus sæculi pati, quam sæculi amatores, ad Christum conuerti, sic habent D. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 47. & D. Greg. lib. 35. Moral. cap. 9. cæterum dicendum est nobis, Christum Dominum hac hyperbolica locutione significasse rei difficultatem, nō impossibilitatē, licet autem impossibile sit Camelum ingredi foramen acus, tamen hac comparatione vtitur Dominus ad difficultatis exaggerationem: sicuti nos communiter dicere solemus, de eo quod factu difficillimum est hoc impossibile est, vt fiat, & tamen illud factu possibile est, ita Christus Dominus facta Cameli, cum diuite comparatione, pulchre significat diuites veluti Cameli diuitijs onustos esse, et gybbo quoddam ob prauum affectū eorum coram Deo esse deformatos, ac proinde per angustam non posse portam introire, quæ ducit ad vitam, nisi prauo affectu ac iniquo illa sollicitudine depositis, & hos esse mysticos illos camelos, quos ingressuros esse portas Hierusalem scripsit Isaias cap. 60. vbi hunc locum edisserens D. Hieron. approbat hanc interpretationem, difficultatem, inquit, rei proposuit, non impossibilitatem, quam sane interpretationem eo veriorem esse censeo, quo apud Iudæos, qui vt alicuius rei difficultatem indicarent, illud erat Prouerbium, facilius esse per foramen acus introire camelum, quam id fieri, & quod hæc sit hyperbole, & exaggeratio quædam, qualis in huiusmodi Prouerbijs esse solet annotauit Ioannes Maldonatus in Comment. super Matth. 19. nu. 24.

LOQVITVR SPONSA Christo preces effundendo pro supradicto Episcopo, & de responsionibus Christi, & Virginis, & sanctæ Agnetis sponsæ factis.

CAP. XII.

O DOMINE mi scio, quod nemo ingreditur cælum, nisi Pater traxerit eum. Ideo ò Pater pijssime trahe istum infirmū Episcopum ad te. Tu vero fili Dei adiuua conantem. Tu quoque sancte Spiritus imple charitate tua episcopum frigidum, & exinanitū. Respondit Pater. Si trahens est fortis, res vero quæ trahitur ponderosa, nimis citius
1 dissipabitur opus, & annihilatur. 1 Si vero, qui trahitur ligatus est, non potest adiuuare, nec seipsum, nec trahentem, & si immundus est, qui trahit, abominabilis est ad trahendum, & tangendum. Sic episcopus iste dispositus est, sicut qui stat in diuersorio deliberans secum, quæ via sit tenenda. Respondit sponsa. O Domine mi nunquid non scriptum est, quod nemo stabiliter stat in hac vita, sed aut ad meliora vadit, aut ad peiora. Respondit Pater, vtrunque dici potest, nam stat quasi inter duas vias gaudij, scilicet, & doloris. Turbatur de horrore supplicij æterni, affectat obtinere cæleste gaudium, sed tamen asperum sibi videtur, viam quæ tendit ad gaudia perfecte ambulare. Vadit vero quando illa sequitur ad quæ feruentiorem habet voluntatem. Item loqui-
2 tur beata Agnes. 2 Iste episcopus est dispo-
var. situs sicut ille, qui staret inter duas vias,
lect. vnam earum sciret arctam in principio, sed in fine

in fine gaudiosam. Aliam sciret delectabilẽ ad tempus, sed in fine habentem profundum insatiabile, & dolorosum. Cumq. viator cogitans de istis vijs, delectaretur in eundo viã in principio delectabilem, timens tamen de insatiabili profundo incidit talis cogitatio. Est, inquit, compendium quoddam in via ista delectabili, si inuenero illum diu ambulare possum securus, & cum appropinquauero fini, & profundo, si inuenero compendiũ
3 nihil mihi nocebit. 3 Et ambulans securus
var. in via, cum venisset ad profundum, cecidit
lect. mirabiliter, quia compendium, vt cogitauit non inuenit. Talium cogitationum viri inueniuntur hodie multi, qui cogitantes taliter secum. Onerosum est, inquiunt, irẽ per viam arctam, durum est relinquere voluntatem propriam, & honores, propterea ponunt sibi spem falsam, & periculosam: longa, inquiunt, est vita nostra, misericordia Dei est maxima, delectabilis est mundus iste & ad delectationem creatus, ideo nil obest si ad tempus vtar mundo secundum velle meum, quia in fine vitæ sequi volo Deum. Est enim compendium quoddam viæ huius mundi, idest contritio, & confessio, hanc si obtinuero saluus ero. Talis cogitatio velle scilicet peccare vsque in finem, & tunc confiteri, est valde debilis spes, quia nesciunt, antequam cadunt. Quibus & in extremis inspiratur quandoque tantus dolor, & subitus finis, quod nullo modo fructuosam inuenire poterunt contritionem. Et merito, noluerunt enim præuidere futura mala cũ potuerunt, sed in arbitrio, & limitatione sua posuerunt tempus misericordiæ Dei. Nec proponebant finem facere peccato, antequam peccatum non poterat eos delectare. Similiter & Episcopus iste stetit inter istas duas vias. Nunc autem appropinquat viæ delectabiliori carnis, & habet ante se, quasi tria folia, quæ perlegit. Primũ folium legit dulciter, & continue. Secundum quandoq. sed non cum delectatione. Tertiũ folium raro, & hoc cum dolore. Primum vero sunt diuitiæ, & honores quibus delectatur. Secundum est timor gehennæ, & futuri iudicij, quo conturbatur. Tertium est amor Dei, & timor filialis, qui raro reuoluitur. Si enim attenderet quid pro eo fecit Deus, quidve ei impendit, nunquam amor Dei extingueretur in corde eius. Respondit sponsa. O domina roga pro illo. Et tunc beata Agnes ait, quid fecit iustitia, nisi iudicium, quidue misericordia, nisi quod alliciat? *Mater Dei loquitur.* Sic dicetur episcopo. Deus licet omnia potest facere, tamen homo personaliter cooperari debet, vt peccatum fugiatur, & charitas diuina obtineatur. Nam tria sunt, quæ inducunt ad fugiendum peccatum, & tria inductiua sunt ad obtinendũ charitatem. Tria quibus fugitur peccatũ sunt, Pœnitentia perfecta. Secundum, intentio nolle ea iterato committere. Tertium emendare se iuxta consilia illorum, quos videt contempsisse mundum. Tria vero operãtia ad obtinendam charitatem sunt, Humilitas, misericordia, & labor charitatis. Nam quicunque non legeret nisi vnum Pater noster, pro obtinenda charitate, citius appropinquaret illi effectus charitatis. De altero Episcopo, de quo tibi prius dixi, concludo nunc, quod fossæ videntur ei nimis latæ ad saltandum, muri nimis alti ad scandendum, seræ fortes ad confringendum. Ideo sto ego & expecto eum, sed ipse verterat caput suum, ad opera trium turbarum, quas delectabiliter videndo considerat. Prima earum chorisat, huic ipse dicit, placet mihi audirẽ vos, expectate me. Secunda stat ad speculandum, huic ipse dicit, placet mihi videre, quæ videtis, quia delectant me multum. Tertia lætatur, & quiescit, & cum hac quærit ipse quietem, & honorem. Sed quid est chorisare in mundo, nisi ab vna temporali lætitia transire in aliam, ab vno appetitu honorũ in alium? Quid vero est stare, & cogitare, nisi a contemplatione diuina subtrahere animum. Et de congregatione, & erogatione tẽporalium cogitare? Quid vero est quiescere, nisi carnis habere quietem? Has itaque tres turbas considerando, iam ascendit in montem altum, sed de transmissis sibi verbis meis, nihil curat, nec de illa clausula verborum curat, scilicet, si tenet ipse promissionem suam, tenebo & ego meam. Respondit sponsa. O benignissima Mater noli discedere ab eo. Cui Mater. Non discedo donec terra suscipit terram, imo magis si confregerit seras, obuiabo ei sicut ancilla, & adiuuabo sicut mater? Et addidit mater. Tu filia cogitas, quæ fuisset remuneratio Canonico illi Aurelianen. si Episcopus suus fuisset conuersus? Respondeo tibi. Sicut tu vides quod terra profert herbas, & flores diuersę
4 speciei, & diuersi generis, 4 sic si omnis ho-
var. mo laudabiliter stetisset ab origine mundi in
lect. institutione sua, omnes obtinuissent excellentem mercedem, quia omnis, qui in Deo est, transit ab vna lętitia in aliam, non quod tædium in aliqua sit, sed quia continue augetur delectatio, & gaudium ineffabile continue innouatur.

Declaratio.

Hic fuit Episcopus Vexionen. qui cum esset Romæ multum de suo reditu angustiaretur, auditum est in spiritu: Dic, inquit, Episcopo, quod mora sua vtilior est quam acceleratio

ratio, hi quoq. qui de comitiua sua præcesserunt subsequentur eum. Ideo cum ad patriam redierit, verba mea inueniet vera. Sic itaq. omnia euenerunt. Nam rediens inuenit Regem captum, & totum regnum turbatum. Hi quoque qui præcesserunt eum de comitiua, impediti in via, longe subsequebantur eum. Scito etiam, quod domina illa, quæ est in comitiua Episcopi sana reuertetur, sed non in patria morietur, & ita euenit, nam secunda vice iuit Romam, & ibi mortua est, & sepulta.

Item de eodem Episcopo.

Cum domina Brigitta descendisset de monte Gargano ad ciuitatem Mafredoniã in regno Apuliæ, idem Episcopus existens in comitiua Dominæ, casu accidente in mõte, cecidit de equo ita grauiter, quod duæ costæ fractæ sunt. Qui de mane cum domina profectura esset ad sanctum Nicolaum de Baro, vocauit eam ad se dicens: O domina grauissimum est mihi hic sine vestra præsentia manere. Et onerosum est etiam vobis moram trahere propter me, maxime propter incursantes istos homines. Rogo, inquit, vos per amorem Iesu Christi, vt rogetis Deum pro me, & tangite latus doloris mei. Spero enim per tactum manus vestræ dolorem meum mitigari, quæ præ compassione resoluta in lachrymas, ait, O Domine mi. Ego reputor quod non sum, nam ego sum peccatrix maxima in conspectu Dei. Veruntamen omnes rogemus Deum, & ipse respondebit fidei vestræ. Facta itaque oratione cum surrexisset, tetigit latus Episcopi dicens, Sanet te Dominus Iesus Christus. Et statim dolor discessit, & surgens Episcopus sequutus est Dominam per totam viam, vsque rediret Romam.

NOTAE.

1 SI vero qui trahitur ligatus est, non potest adiuuare nec seipsum, nec trahentem.

Beatissima Brigitta ad Deum hic fundit preces pro quodam Episcopo, qui in Episcopali munere (vt par est) non se recte gerebat, & ideo diuinum implorans auxilium, maximo charitatis affectu petit a Deo, vt Episcopum ad se sua gratia efficaciter trahat: quandoquidem, inquit, ad Deum venire nullus potest, nisi traxerit eum, vt in principio præsentis capitis, & Ioann. 6 scribitur, sed quoniam ad hoc nostri quoque exigitur arbitrij operatio; ideo legimus hic ei respondisse Dominum sic, Si vero qui trahitur ligatus est, non potest adiuuare nec seipsum, nec trahentem: ac si diceret, Si vero is, quem Deus sua gratia trahere vult peccatorum funibus ligatus sit, volens in illis persistere, certe nec Deo trahenti, cooperatur, neque diuinæ vocationi correspondet: secus vero dicendum est, si velit consensum diuinæ vocationi præstare: quæ sane omnino exigitur, quod euidenter patet ex his duobus verbis Euangelij; nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum: venit, & traxit: primum libertatem ostendit arbitrij: traxit vero diuinæ gratiæ efficaciam, ex quo hæreticorum error aperte conuincitur, qui hoc testimonio abutuntur ad negandam libertatem arbitrij, cũ dicant, quod tractio vim quandam, & necessitatem importet, sic annotarunt D. Chrisostom. homil. 45. & D. August. tract. 26 in Ioannem, & Theophilactus in comment. in hunc locum. Verum turpiter in hac re lapsi sunt, ignorantes verbum trahere, non semper in sacris litteris necessitatem importare, sed aliquando suauem quandam, & moralem motionẽ, quæ proprium actum eius, qui trahitur non excludit: sic Cant. 1. trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. & Oseæ 11. In funiculis Adam traham eos, hoc est beneficijs, quibus ligari solent homines illos ad amandum me vehemẽter monebo. Sed hac de re videndi sunt D. Hieron. lib. 3. contra Pelagianos. Prosper contra collatorẽ cap. 6. & lib. 2. de vocatione gentium cap. 9. alias 27. D. August. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. & tractat. 26. in Ioannem, vbi inquit, Si poetæ dicere licuit, trahit sua quemq. voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio, quãto fortius dicere debemus trahi homines ad Christum, qui delectantur veritate, delectantur beatitudine, delectantur iustitia, delectantur sempiterna vita, & clarius etiam libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 19. Trahitur miris modis, vt velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Eandem fere sententiam habet in Enchiridion cap. 32. Legitur, inquit, in diuinis eloquijs, & misericordia eius præueniet me. Ps. 22. Nolentem, inquit, præuenit, vt velit, volentem subsequitur, ne frustra velit, vbi nota, quod verbum nolens, non sumitur pro eo, quod est inuitus, sed pro eo quod est adhuc non cogitans, non dispositus, non enim gratia cogit, neque vim nostro libero infert arbitrio, sed suauiter trahit, nobis etiam cooperantibus, & ideo paulo post medium præsentis capitis legimus, Deus licet omnia possit facere, tamen homo personaliter cooperari debet.

2 Iste Episcopus est dispositus sicut ille, qui
var. lect. staret inter duas vias, vna earum sciret arctam in principio, sed in fine gaudiosam, aliam sciret delectabilem ad tempus, sed in fine habentem profundum insatiabile, & dolorosum.

Codicis Farnes. M.S. lectio magis placet, sic enim habet, Iste Episcopus est dispositus sicut ille qui staret

inter

inter duas vias, quarum vnam sciret esse arctam in initio, sed in fine gaudiosam, alteram vero sciret in principio esse ad tempus delectabilem, sed in fine profundum habentem insatiabile, & dolorosum.

2 var. lect. *Aliquãto post vbi in impressis Codicibus legimus,* Et ambulans securus in via, cum venisset ad profundum cecidit mirabiliter.

Manuscriptus Farnesianus legit, Cecidit mirabiliter.

4 var. lect. Sic si omnis homo laudabiliter stetisset ab origine mundi in institutione sua omnes obtinuissent excellentem mercedem.

Farnesianus manuscriptus legit, Omnes obtinuissent excellentiorem mercedem, Sed ad horum verborum intelligentiam distinguendum nobis est, nam si hoc loco sermo sit, de eo laudabili vitæ instituto, eoque spiritus feruore, in quo primi illi sanctissimi Patres in lege veteri, ac etiam noua peculiari Dei munere perstiterunt, verissimum esse censeo, quod scribitur hic, si in eo vsque ad hæc, quoque tempora permansissent, excellentiorem, quoque mercedem recepturi fuissent, quandoquidem per peccata, quæ quotidie plura committunt homines, illam mercedem non perdidissent, cæterum si de iustitia originali, hoc intelligatur, negandum esse arbitror, si in illa stetissent homines maiorem consecuturos fuisse mercedem, cum enim post primorum parentum lapsum ex passione, & meritis Christi copiosior nobis gratia collata sit, cumque ex peccato originali fomes peccati auctus sit, nullus dubitare potest, quin maior etiam merces, ac corona illustrior nobis præparata sit, quod egregie tradit Diuus Augustinus de correptione, & Gratia cap. 11. paulo ante medium tale, inquit, erat adiutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, vt vellet, hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, hanc Diuus Augustinus intelligit iustitiam originalem, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima, est enim qua fit, vt habeat homo iustitiam si velit, Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat, & aliquanto post eodem capite, hæc autem ait, tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perdita, idem docet cap. 12. eiusdem libri.

VERBA MATRIS AD Filiam qualiter verba, & opera Christi per thesaurum, & deitas per castrum, & peccata per seras, & virtutes per muros, & pulchritudo mundi, & delectatio amicorum per duas fossas mirabiliter designantur, & exponuntur, & qualiter se debeat habere Episcopus, circa curam animarum.

CAP. XIII.

MATER Dei loquitur ad sponsam filij dicens. Ille Episcopus petit me in suam charitatem, ideo debet hoc facere, quod est mihi charissimum. Ego quippe scio, thesaurum quem qui possederit, nunquam erit miser. Qui videbit eum nunquam sentiet tribulationem, & mortem. Quicunque desiderat illum habebit quicquid appetit cum exultatione. Iste vero thesaurus cla usus est in bono castro quattuor feris, quod castrum habet extra se muros altos, & spissos, & grossos. Extra vero muros sunt duæ fossæ profundæ, atque latæ. Ideo rogo ipsum, vt transiliat ambas fossas vno saltu. Ascendat muros vno passu, confringat omnes seras vno ictu, & sic præsentet mihi rem preciosissimã. Nunc autem quid ista significant dicam tibi. Hoc vobiscum vocatur thesaurus, quod raro sumitur in vsus, & raro mouetur. *Hic* thesaurus sunt verba charissimi filij mei, & eius preciosissima opera, quæ in passione, & ante passionem fecit, necnon, & illa mirabilia opera, quæ tunc fecit, quando Verbum factum est caro in corpore meo, & quod quando in Altari quotidie panis eadem fit caro ad verbum Dei. Hæc omnia sunt preciosissimus thesaurus, quæ ita iam neglecta, & oblita sunt. quod paucissimi sunt, qui ea recolunt, ergo eis vtantur ad profectum suũ. Veruntamen corpus illud gloriosum filij Dei iacet in castro munito, id est, in deitatis virtute. Sicut enim castrum defendit contra inimicos, sic filij mei deitatis potentia defendit humanitatis suæ corpus, vt nullus ei noceat hostis. Seræ vero quattuor, peccata sunt quattuor, quibus excluduntur multi a participatione, & bonitate virtutis corporis Christi. Primum est superbia, & cupiditas ad honores mundi. Secundum est cupi-

ditas

ditas ad possessiones mundi. Tertium est voluptas fęda ad corporis immoderatam impletionem, & fętidissimam eius expletionem. Quartum est ira, & inuidia, & negligentia propriæ salutis. Ista quatuor diligunt, & in consuetudine habent nimis multi, propterea elongantur nimis a Deo. 1 Nam vident corpus Dei, & recipiunt, sed anima eorum tam longe est a Deo, sicut fures, qui furari desiderant, sed appropinquare non valent propter fortes feras. Et ideo dixi, quod confringeret feras vno ictu. Ictus vero significat zelum animarum, quo ipse Episcopus confringere debet peccatores cum operibus iustitiæ ex diuina charitate, vt confractis feris vitiorum, peccator pertingere valeat ad pretiosum hunc thesaurum. Et quamuis non possit omnes peccatores percutere, faciat vt tenetur, quæ possit, & potissime his, qui sunt sub manu sua, non parcendo paruo, vel magno, propinquo, vel cognato, inimico, vel amico. 2 Sic fecit ille sanctus Thomas de Anglia, qui passus est multas tribulationes pro iustitia, & in fine occubuit dura morte, quia non pepercit percutere corpora cum iustitia Ecclesiastica, ad hoc vt anima minorem pęnam pateretur. Cuius vitam imitetur iste Episcopus, quatenus omnes audientes intelligant, quod odit peccata propria, & aliorum: & tunc talis ictus zeli diuini audietur super omnes cęlos in conspectu Dei, & Angelorum, & multi conuertentur, & meliorabuntur, dicentes: Non, inquiunt, odit nos, sed peccata nostra, resipiscamus ergo, & erimus amici Dei, atque sui. Tres vero muri qui ambiunt castrum sunt tres virtutes. Prima est dimittere delectabilia carnis & facere voluntatem Dei. Secunda est magis velle pati opprobria, & damna pro veritate, & iustitia, quam habere honores, & possessiones mundi, dissimulando veritatem. Tertia est non parcere vitæ, vel bonis pro salute cuiuslibet Christiani. Sed attende quid nunc facit homo. Denique sibi videtur, quod muri isti prædicti ita sunt alti, quod nullo modo possent transcendi. Propterea corda hominum non appropinquant illi gloriosissimo corpori cum permanentia, nec animæ eorum, quia longe sunt a Deo; & ideo præcepi amico meo, quod transcenderet muros vno passu. Hoc enim vobiscum vocatur passus, quando pedes longa a se separantur distantia ad transferendum celeriter corpus. Sic etiam est spiritualis passus. Cum enim est corpus in terra, & charitas cordis in cælestibus. Tunc transcenduntur tres prædicti muri, quia tunc placet homini ex consideratione cęlestium dimittere propriam voluntatem, pati repulsam, & persecutionem pro iustitia, mori etiam libenter pro honore Dei. Duæ vero fossæ extra murum sunt pulchritudo mundi, & præsentia, & delectatio amicorum mundi. In his fossis multi libentissime quiescerent, & nunquam curarent in cælis videre Deum. Et ideo fossæ istæ sunt latæ, & profundæ. Latæ, quia talium hominum voluntas longe, lateque est à Deo. Profundæ quoque sunt, quia plurimos detinent in profundo infernali, propterea fossæ istæ transcendi debent vno saltu. Quid enim est saltus spiritualis, nisi separare totum cor suum ab his, quæ vana sunt, & de terrenis salire in regnum cæli. Ecce nunc ostensum est, quomodo confringendæ sunt feræ, & transiliendi muri, nunc ostendam quomodo præsentare debet Episcopus istæ, rem
2 pretiosissimam, quæ vnquam fuit. Deitas quippe ab æterno, & sine principio fuit, & est, quia non est inuenire in ea principium siue finem. Humanitas vero fuit in meo corpore, & suscepit de me carnem, & sanguinē. Ideo ipsa est res preciosissima, quæ vnquam fuit, & est. Ergo quando anima iusti recipit cum charitate corpus Dei in se, & corpus Dei implet animam, tunc ibi est preciosissima res, quæ vnquam fuit. Nam licet deitas est tribus personis sine principio, & sine fine in se, tamen quando Pater misit filium suum cum deitate, & Spiritu sancto ad me, tunc sumpsit benedictum corpus suum de me. Nunc vero ostendam eidem Episcopo, quomodo præsentanda est Domino preciosissima res illa. Vbicunque amicus Dei inuenerit peccatorem, in cuius verbis est modica charitas ad Deum, & magna ad mundum, ibi anima vacua est ad Deum. Propterea amicus Dei habeat charitatem ad Deum dolendo, quod anima redempta sanguine Creatoris inimica est Dei. Condoleatque miseræ animæ habendo ad eam quasi duas voces. Vna qua roget Deum misereri animæ. Aliam quæ ostendat animæ periculum suum. Si autem ista duo Deum, scilicet, & animam concordare poterit in vnum, tunc manibus dilectionis suæ præsentat Deo preciosissimam rem. Quia quando corpus Dei, quod fuit in me, & anima a Deo creata conueniunt in vnam amicitiam, hoc est mihi charissimum, nec mirum. Ego enim præsens eram, quando miles ille egregius filius meus exiuit de Hierusalem tenere certamen, quod tam forte fuit, & durum, quod omnes nerui in brachiis eius extendebantur. Dorsum eius erat liuidum, & sanguinolentum. Pedes perforati clauis, oculi & aures plenæ sanguine. Collum quoque inclinabatur, quando tradidit spiritum. Cor scindebatur a cuspide lanceæ, & sic cum maximo dolore vicit animas. 3 Qui nunc residens in gloria extendit brachium ad homines

vid. præfa. n.

mines, sed paucissimi tamen inueniuntur, qui præsentant ei sponsam. Ideo amicus Dei non parcat vitæ, & bonis iuuando alios secum, eosque filio meo presentando. Dicito adhuc eidem episcopo, quod quia ipse petit me in suam charam amicam, ideo volo ei dare fidem meam, & ligare me cum eo in vnum vinculum. Nam corpus Dei, quod fuit in me, recipiet animam eius in se, cum
4 magna charitate, 4 vt sicut Pater cum filio fuit in me, qui corpus meum, & animam habuit in se, & sicut Spiritus sanctus, qui est in Patre, & filio fuit vbique mecum, qui & filium meum intra secum, sic & famulus meus ligatus erit cum eodem spiritu. Nam quando ipse diligit passionem Dei, & corpus eius habet in corde charissimum, tunc habebit humanitatem, quę intra se, & extra se habet deitatem, & est Deus in eo, & ipse in Deo, sicut est in me Deus, & ego in eo. Cum vero famulus meus, & ego habemus vnum Deum, tunc habebimus, & vnum vinculum charitatis, & Spiritum sanctum, qui est cum Patre, & filio vnus Deus. Adde adhuc vnum Verbum. Si iste Episcopus tenet promissionem suam mecum, ego iuuabo eum dum viuit. In fine vero vitæ volo seruire, & astare ei præsentando animam eius Deo, & dicendo sic. O Deus meus iste seruiuit tibi, & obediuit mihi, ideo præsento tibi animam eius. O filia, quid cogitat homo, qui contemnit animam suam. Nunquid Deus Pater cum incomprehensibili deitate sua dimisisset innocentem filium suum pati in humanitate, tam duram pœnam, nisi fuisset illa virtuosa delectatio, & affectio, quam habet ad animas, & illa æterna gloria, quam eis præparauit.

Hęc reuelatio facta est de Episcopo Lincopen. qui postea factus fuit Archiepiscopus.

Item de eodem 6. lib. c. 22. quod incipit. Ille Prælatus.

Et de eodem Additio.

Episcopus, pro quo tu ploras venit ad locum purgatorium, ideo pro certo scias, quod quamuis in mundo multos habuit impeditores, iam ipsi reportauerunt iudicium suũ, & ipse propter fidem, & munditiam suam mecum glorietur.

NOTAE.

1 Nam vident corpus Dei, & recipiunt, sed anima eorum tam longe est à Deo sicut fures, qui furari desiderant, sed appropinquare non valent propter fortes seras.

Hoc loco Beatissima Virgo tradit, eos qui sacram indigne sumunt Eucharistiam, recipere quidem sacramentum, & verum Christi Domini corpus, non vero rem sacramenti, & sacramentalem effectum, qui gratia est, & idcirco hi longe à Deo esse dicuntur, quandoquidem cum Deo per gratiam, quam non obtinuerunt, nullatenus coniunguntur, neque eius participes fiunt, hanc vero participationem quattuor potissimum impedire peccata legimus hic paulo ante citata verba huius notæ, nimirum Superbiam, Auaritiam, Luxuriã, & Irã, vnde qui hanc cælestem mensam frequentant pro viribus studere debent, ne huiusmodi vitijs polluti ad eam accedant.

2 Sic fecit ille Sanctus Thomas de Anglia, qui passus est multas tribulationes pro Iustitia, & in fine occubuit dura morte, qui non pepercit percutere corpora cum iustitia Ecclesiastica.

Proponitur hic egregium Episcopis imitandum exemplum, Thomas, scilicet Cantuariensis, qui pro zelo Iustitiæ, ac Ecclesiasticæ libertatis defensione, nec laboribus, neque propriæ vitæ pepercit, & veluti bonus pastor animam suam pro ouibus posuit, eius vitam, ac res præclare gestas, si quis scire vellet, vt imitaretur, legat in primis Ioannem Episcopum Carnotensem, Gulielmum Cantuariensem, Surium Tomo 6. Herbertum, & Alanum, aliosque quos refert Gerardus Vossius in Cathalogo Archiepiscoporum Cantuariensium à se in lucem edito, notisque illustrato, vide ibi notas ad S. Thomam, vbi affirmat de eo extare plurima in volumine M. S. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1221. de quo etiam Martyrologium Romanum die 29. Decembr. cum autem in præsenti nota legimus, D. Thomam Ecclesiastica percussisse corpora, intelligendum censuris Ecclesiasticis, & præcipue excommunicatione, per quam olim dabatur dæmonibus potestas vexandi corpora, vt delinquentes resipiscerent, sic Gloss. ordinaria, Theodoretus, Lyranus, & Carthusianus, in illud 1. Corinth. quinto, iam iudicaui huiusmodi tradere sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit.

3 Quia nunc residens in gloria extendit brachium ad homines.

Quia nimirum virtutem suam communicat copiose omnibus, & ipsemet Christus, qui excelsum brachium Dei dicitur Isaiæ 33. passionis suæ fructuum omnes participes fecit, vide in Psalm. 43. explicans D. Augustinus illa verba, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, dextera tua, inquit, potentia tua, brachium tuũ, ipse filius tuus, idem etiam habet in enarrat. Psalm. 70 & 135. & ibidem Arnobius, sed latius explicat D. Greg. 32. Moral. cap. 6. aut etiam dicendum est, Deum in gloria residentem brachium ad homines extendere,

quate-

quatenus omnibus supernaturale auxilium dare paratus est, vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sic habet Apostolus Paulus 1. ad Timot. 2.

4 Vt sicut Pater cum Filio fuit in me, qui corpus meum, & animam habuit in se, & sicut Spiritus sanctus, qui est in Patre, & filio vbique mecum fuit.

Quomodo tres personæ Trinitatis fuerint in vtero Beatissimæ Virginis, & qua ratione hac de re iuxta sanctorum Patrum, ac Scholasticorum Doctorum sententias loquendum sit egimus supra lib. 1. cap. 38. nota 1. & fusius cap. 42. eodem lib. nota 3. vbi attulimus quinque modos, quibus dicere possumus vnam personam diuinam esse in alia, interim hic admonere lectorem censui, non agi hoc loco de Incarnationis mysterio, per quod Christus Dominus peculiari ratione fuit in vtero Beatissimæ Virginis, sed de vnione, qua anima iusti per gratiam est in Deo, & Deus in ea, quod aperte colligitur ex his verbis, quæ immediate sequuntur, vbi legimus sic, & famulus meus ligatus erit cum eodem spiritu, nam quando ipse diligit passionem Dei, & corpus eius habet in corde charissimum, & tunc habebit humanitatem, quæ intra se, & extra se habet deitatem, & est Deus in eo, & ipse in Deo, sicut est in me Deus.

VERBA MATRIS AD filiam sub figura mirabili de quodam Episcopo, qualiter scilicet Episcopus per papilionem vermem, & humilitas & superbia Episcopi per duas alas, & tres species mala Episcopi pallliantes, per tres vermis colores, Episcopi opera per spissitudinem coloris, duplex voluntas per duo cornua papilionis, & cupiditas per os, modica charitas per paruum corpus designantur, & exponuntur.

CAP. XIV.

MATER loquitur ad sponsã filij dicẽs. Tu es vas, quod possessor implet, & magister euacuat, attamẽ vnus, & idem est, qui implet, & vacuat. Nam sicut qui infunderet vasi simul vinum & lac, & aquam, diceretur magister, si vnum quodque illorum insimul coagulatorum separaret, & reduceret in naturam propriam. Sic ego Mater, & magistra omnium feci, & facio tibi. Nam ante annũ, & mensem dicta sunt tibi plura negocia, & omnia quasi coagulantur in anima tua. Quæ si statim effunderentur, simul videretur abominabile, cum ignoraretur eorum finis. Ideo paulatim distinguo ea, sicut mihi placet. Nunquid recolis, quod misi te ad quendam Episcopum quem vocaui seruum meum? Ideo nunc similamus eum papilioni vermi, qui habet alas latas colore albo, rubeo, & blaueo resper sas, cum vero tangitur, color eius spissus remanet in digitis tanquam cinis. Hic vermis modicum habet corpus, sed grossum os, duo cornua in fronte, & occultum locũ in ventre, per quem immunda ventris emittuntur. Alæ vero huius vermis, idest, Episcopi, sunt humilitas eius, & superbia. Nam humilis apparet extra in verbis, & gestibus humilis in vestibus, & operatione, sed intus est superbia, quia magnus est in conspectu sui, tumidus de honore, ambitiosus de fauore hominum, & arrogans, alijs sua præferendo, & aliena iudicando. His igitur duabus alis, volat per humilitatem apparentem coram hominibus, vt singulis placeat, & in ore sit omnium. Per superbiam vero sibi ipsi qua se existimat multis sanctiorem. Tres vero colores alarum, sunt tres species pallliantes mala eius. Nam color eius rubeus significat, quod continue de passione Christi disputat, & miraculis Sanctorum, vt vocetur Sanctus, sed certe longe sunt à corde ipsius, quia minime sapiunt sibi. Color vero blaueus significat, quod exterius videtur non curare de temporalibus, sed mortuus esse mundo, & totus cælestis, sicut blaueum speciem habet cæli. Sed certe color iste secundus non maiorem coram Deo stabilitatem, & fructum affert, quam ille primus. Color vero albus indicat ipsum in vestibus religiosum, in moribus superlaudabilem. Sed tanta dulcedo, & perfectio est in colore tertio, qualis in duobus primis. Sicut enim color papilionis spissus est, & adhæret manibus, vel tamen relinquens manibus, nisi quasi cinerem. Sic opera sua videntur admiranda, quia desiderat esse solus, sed ad vtilitatem propriam vacua, & infructuosa sunt, quia non sincere quærit, nec diligit diligendum. Cornua vero duo duplex est voluntas eius. Nam desiderat habere vitam sine incommodis in hoc mundo, post mortem vero vitam æternam. Vt & honore magno non fraudetur in terris, & in cælestibus perfectius coronetur. Iste Episcopus simillimus est etiam papilioni, qui cogitat portare cælum in cornu vno, & terram in altero, qui tamen si posset non sustentaret minimum quid ad honorem Dei. Sic ille Ecclesiæ Dei se credit, & cogitat proficere verbo suo, & exemplo, tanquam si sine illo non ita cresceret, terrenosq. homines per merita sua germina-

minare ſpiritualiter ſuſpicatur. Et ideo tanquam miles, qui certauerat cogitat, Cum inquiens vocor deuotus, & humilis, ad quid extendam ad arctiora vitam meam. Si pecco in quibuſdam delectabilibus ſine quibus non delectabiliter viuo, maiora merita, & opera mea me excuſabunt. Cum enim cælum per hauſtum etiam aquæ frigidæ obtineri poterit, quid neceſſe eſt vltra menſurã laborare. Papilio quoque habet latum os, ſed maiorem habet latitudinem cupiditatis, in tantum, quod ſi omnes muſcas voraret præter vnam, adhuc illam ſolam concupiſceret, & deuoraret. Sic iſte ſi vnum denarium obtinere poſſet cum multis, tali modo, quod non notaretur, & eſſet occultum, reciperet quidem, ſed nunquam fames cupiditatis extingueretur. Papilio quoque habet occultum exitum immundiciæ ſuæ. Sic ipſe improbe effundit iram ipſam, & impatientiam, vt & latentia ſua aliis oſtendantur. Item ſicut papilio modicum habet corpus, ſic iſte modicam charitatem. Quia quod deficit ſibi in magnitudine charitatis totum ſuppletur in alarum latitudine, & extenſione. Reſpondit ſponſa. Si aliquam ſcintillam charitatis habet ſemper ſpes eſt vitæ, & ſalutis. Et Mater. Qualem charitatem habuit Iudas, cum tradendo Dominum dixit, peccaui prodendo ſanguinem iuſtum, voluit quippe videri habere charitatem, ſed non habebat.

VERBA MATRIS AD filiam, ſub figura de alio Epiſcopo, & qualiter talis Epiſcopus per brucum vermem, verboſa eloquentia per euolatum, duæ conſiderationes per duas alas, verba placentia mundi per morſum deſignaatur, & de Virginis admiratione de vita iſtorum duorum Epiſcoporum, & de prędicatoribus.

CAP. XV.

ITEM loquitur Mater ad ſponſam dicens. Alium Epiſcopum oſtendi tibi, quem vocaui paſtorem gregis. Hunc ſimilamus bruco, qui terreum habẽs colorem cum ſonitu magno euolat, & vbicunque reſederit mordet intolerabiliter, & cum dolore. Sic iſte paſtor terreum habet colorem, quia cum ad paupertatem vocatus eſt magis deſiderat eſſe diues, quam pauper, magis præeſſe quã ſubijci, magis habere voluntatem propriam quam aliorum obedientia diſciplinari. Euolat quoque cum ſonitu magno, quia pro diuinis ſermonibus abundat verboſa eloquentia, pro doctrina ſpirituali diſputat de mundi vanitate, & pro ſancta ordinis ſui ſimplicitate laudat, & imitatur mundi vanitatem. Habet inſuper duas alas, ideſt, duas conſiderationes. Prima eſt, quod omnibus vellet dare verba pulchra, & placentia, ad hoc, vt ab omnibus honoraretur. Secunda eſt, quod vellet, vt omnes ſe ei inclinarent, & obedirent. Item brucus mordet inconſolabiliter, ſic iſte mordet damnoſe ad animam. Nam cum ſit animarum medicus non dicit accedentibus ad ſe periculum eorum, & infirmitatem, nec vtitur reſecationis ferro, Sed loquitur eis placentia, vt vocetur mitis, & ne ab aliquibus deuitetur. Ecce in iſtis duobus Epiſcopis mirabile magnum eſt. Alter enim apparet extra pauper ſolitarius, & humilis, vt vocetur ſpiritualis. Alius deſiderat poſſidere mundum, vt vocetur miſericors, & largus. Alius iterum vult videri poſſidere nihil, & tamen concupiſcit omnia poſſidere occulte. Alter poſſidere in aperto plurima, vt tribuat multa, & ſic honoretur multum. Propterea ſecundum vulgare prouerbium, quia ipſi ſeruiunt mihi taliter, quod non video, quia non approbo, ideo remunerabo eos taliter, quod non videbunt. Miraris cur tales laudantur de prædicatione ſua. Reſpondeo tibi. Quandoque malus loquitur bonis, quibus infunditur ſpiritus Dei bonus, non propter bonitatem Doctoris, ſed per verba Doctoris, in quibus ſpiritus Dei bonus eſt propter bonum audientium. Quandoque bonus loquitur malis, qui efficiuntur boni, & ex auditu, & propter ſpiritum Dei bonum, & propter bonitatem docentis. Quandoque etiam frigidus loquitur frigidis, vt frigidi auditores dum referunt audita ad abſentes feruentes ipſi audientes fiant feruentiores. Propterea noli turbari ad quos mittaris, Deus enim eſt mirabilis, qui ſternit aurum ſub pedibus, & lutum collocat inter radios ſolis.

VER-

Digitized by Google

VERBA FILII AD Sponsam, quod Deo non placet animarum damnatio, & de mirabilibus quæstionibus Episcopi iunioris ad senem, & de responsionibus senis ad iuniorem.

CAP. XVI.

1 FILIVS loquitur ad sponsam dicens. 1 Quid credis quare isti duo ostenduntur tibi? Nunquid quia vituperium eorum, & dãnum placet Deo? Absit, sed ideo fit, vt patientia, & honor Dei manifestior fiat, & audientes timeant iudicium Dei. Sed veni, & audi mirabile. Et ecce quidam iunior Episcopus quæsiuit seniorem dicens. Audi frater, & responde mihi. Cum ad iugum obedientiæ fuisti obligatus, cur deseruisti illud? Cũ paupertatẽ, & religionem elegisti, cur reliquisti illas? Cum per religionis ingressum ostendisti te mortuum sæculo, cur desiderasti Episcopatum? Respondit senior. Obedientia, quæ me subesse docuit erat mihi onerosa, ideo affectaui libertatem. Iugum quod Deus dicit suaue, erat mihi amarum, ideo quæsiui, & elegi corporis quietem. Humilitas erat in me ficta, ideo concupiui
2 honorem. 2 Et quia melius est minare, quam trahere, ideo desideraui Episcopatũ.
var. lect. Quæsiuit secundo iunior. Cur non honorabas sedem tuam mundi honore? Cur non acquisisti diuitias per mundanam sapientiam? Cur non dispensasti ea, quæ habebas secundum honorem mundi? Cur tantum te exterius deiecisti, & non magis iuxta mundialem ambitionem processisti? Respondit senior. Ideo non straui sedem meam cum mundi honore, quia sperabam amplius honorari, si apparerem humilis, & spiritualis,
3 quam si viderer temporalis. 3 Et propterea vt à mundanis hominibus laudarer videbar quasi omnia contemnere. Vt vero diligerer à spiritualibus, humilis, & deuotus apparebam. Ideo vero non acquisiui diuitias cum mundana sapientia, ne spirituales viri notarent me, & contemnerent propter tẽporale. Ideo vero non dedi largiter dona, quia magis placebat mihi esse cum paucioribus propter quietem meam, quam cum pluribus. Et plus delectabar, si aliquid habeam in arca, quam si tribuissem aliquid manu mea. Item quæsiuit iunior. Dic mihi cur dedisti asino dulcem, & delectabilem potum de immundo vase? Cur tribuisti episcopo siliquas de ara porcorum? Cur coronam tuam strauisti sub pedibus? Cur expuisti triticum, & masticasti zizaniam? Cur soluisti alios de funibus, teipsum vero ligasti cum pedibus? Cur alienis vulneribus apposuisti sanatiua, & tuis proprijs mortificatiua. Respondit senior. Ideo dedi asino dulcem potum de immundo, & despecto vase, quia cum essem litteratus placuit mihi propter mundi honorem magis tractare sacramenta diuina altaris, quam vacare curæ sæculari. Et quia occulta mea erant hominibus incognita, Deo vero nota, assumpsi præsumptionẽ nimiam, & auxi mihi iudicij terribilis grauiorẽ equitatem. Ad secundum dico, quod dedi episcopo siliquas de ara porcorum, quia naturę meæ incentiua effundendo perficiebam, nec in coercendo stabilis permanebam. Ad tertium. Ideo posui coronam episcopalem sub pedibus, quia placuit mihi magis facere misericordiam propter fauorẽ hominũ, quam iustitiã pro honore, & amore Dei. Ad quartum Ideo expuens triticum masticabã stramina, quia verba Dei non loquebar ex amore Dei, nec delectabat me illa facere, quę alijs proponebam. Ad quintum. Ideo soluens me ipsum ligabam, quia venientes ad me cum contritione absoluebam, & illa, quæ illi pœnitendo deflebant, & deflendo relinquebant, hęc me delectabat adimplere. Ad sextum. Ideo alios vnxi vnguento sanatiuo, & meipsum mortifero, quia docendo vitæ puritatem alios emendaui, & meipsum deterioraui, nam illa, quę præcepi alijs hæc ipse nolui mouere digito. Et vnde alios vidi proficere, inde ipse deficiendo tabescebam, quia me delectabat magis commissis peccatis sarcinam addere, quam ea emendando alleuiare. Post hæc audita est vox quædam dicens. Regratiare Deo, quod non es cum illis venenosis vasis, quæ cum dissoluentur, vadunt ad ipsum venenum. Et sic statim alter istorum mortuus nunciabatur.

NOTAE.

1 QVid credis, quare isti duo ostenduntur tibi.

Hi sunt duo illi Episcopi, de quibus supra decimoquarto capite, & decimoquinto sermonem habuit Beatissima Virgo cum B. Brigitta, hic autem rationem reddit, quare voluerit Deus eorum propalare facinora, ac vitia, & huius rei tres affert causas, quarum prima est, vt ostendatur patientia Dei, qui eos tam diu ad pœnitentiam expectauit, Secunda, vt ostendatur honor Dei, qui cum

ſit ſumme bonus permittit aliquando hominum ſcelera manifeſtari, vt inde palam fiat, ea peccata ex eorum procedere malitia, & nullo pacto ex Dei bonitate, qua vult omnes homines boni ſint. Tertia, vt oſtendatur iuſtum eius iudicium, cuius recordatione à malo retrahuntur.

2 Et quia melius eſt minare, quam trahere,
var. ideo deſideraui Epiſcopatum.
lect. *Codex M. S. Farneſianus aliter legit, Et quia melius eſt præeſſe, quam ſubeſſe, quæ mihi lectio magis placet, ex ea enim manifeſtum fit, quare Monachus ille, de quo hic ſermo eſt appetierit Epiſcopatū, quamquam & alia lectio idem videatur innuere, ſed verba illa ſic eſſent corrigenda, quia melius eſt minari, quam trahi, quandoquidem verbum minor ſignificat alijs minas intentare, & hoc volebat Monachus ille, alijs potius imperare, & minas inferre, quam trahi, nimirum ab aliorum voluntate pendere, & eorum præceptis trahi, & obedire.*

3 Et propterea, vt a mundanis hominibus laudarer, videbar, quaſi omnia contemnere, vt vero diligerer a ſpiritualibus, humilis, & deuotus apparebam.

Quemadmodum plerumque meretrices conſueuerunt, ſuos vultus, qui fœdi, ac turpes ſunt multis diuerſorum colorum pigmentis honeſtare, vt eos decipiant, qui neſciunt, quæ ſub illius fuci velamine lateat turpitudo, ita quoque Monachus iſte, vt multos deciperet, qui eum humilem, ac honorum contemptorem exiſtimabant, videbatur omnia temporalia negligere, & dignitates recuſare. Vnde circa finem præſentis capitis legimus, eum recuſaſſe Epiſcopatum, vt hominibus humilis, ac laude dignus videretur, ideo dicit poſui coronam Epiſcopatem ſub pedibus quia placuit mihi facere magis miſericordiam propter fauorem hominum, quam iuſtitiam pro amore, & honore Dei, hanc ob cauſam eum comparandum eſſe cum Simone Cireneo crediderim qui crucem tulit alienam, quia inanis gloriæ auiditate incenſus, ea fecit, quæ non dilexit: arbores, inquit D. Bernardus ſerm. de S. Benedicto, quæ fructum faciunt, ſed non ſuum, hypocritæ ſunt, cum Simone Cireneo crucem portantes, non ſuam, qui religioſa intentione carentes angariantur, & quæ non amant, amore gloriæ, quam deſiderant, facere compelluntur. eandem ſententiam habet Hector Pinctus in Ezechiel cap. 40.

VERBA VIRGINIS AD filiam, vitam, & ordinem S. Dominici commendantia, & qualiter tempore mortis ſuæ conuerſus eſt ad Virginē, & qualiter modernis tēporibus pauci de ſuis fratribus ſequuntur ſignum paſſionis Chriſti per Dominicum eis datum, & multi vadunt poſt ſignum inciſionis per diabolum eis oblatum.

CAP. XVII.

ITEM loquitur Mater Dei ad ſponſam dicens. Dixi tibi heri de duobus, qui erant de regula S. Dominici. Certe ipſe Dominicus filium meum habuit pro ſuo chariſſimo Domino, & me Matrem eius dilexit, plus quam cor ſuum. Huic ſancto inſpirauit filius meus tria eſſe in mundo, quæ diſplicebant eidem filio meo. Superbiam, ſcilicet, & cupiditatē, & concupiſcentiam carnis. Ad quarum trium diminutionem S. Dominicus impetrauit maximis ſuſpirijs auxilium, & medicamentum, cuius Deus compaſſus lacrymis inſpirauit ei legem, & regulam viuendi, in qua ipſe ſanctus contra tria mala mundi tria bona conſtituit. Nam contra vitium concupiſcentiæ, inſtituit nil poſſidere, niſi cum licentia prioris ſui. Contra ſuperbiam, inſtituit habere humilem habitum, & ſimplicem. Cōtra carnis inſatiabilem voraginem, inſtituit abſtinentiam, & tempus debitum ad ſe regulandum. Priorem quoque conſtituit fratribus ſuis ad obſeruationem pacis, & cuſtodiam vnitatis. Deinde volens quoddam ſpirituale ſignum dare fratribus ſuis, impreſſit quaſi vnam ſpiritualem crucem, & rubeam in ſiniſtro brachio eorum iuxta cor, per doctrinā, & exempli ſui efficaciam, quando docuit, & monuit eos continue recordari paſſionem Dei, prædicare feruenter verba Dei, non propter mundum, ſed propter amorē Dei, & animarum. Docuit inſuper illos magis ſubijci, quam præeſſe, voluntatē propriā odire, contumelias patienter ferre, nihil præter victū, & veſtitum deſiderare. Veritatem corde diligere, & ore proferre, laudē propriā, non quærere, ſed diuina verba ſemper in ore habere, & docere, & illa non propter pudorē dimittere, nec propter fauorē humanum recitare.

Cun-

Cunque instaret tempus resolutionis eius, quod filius meus ei in spiritu ostendit, iuit ad me Matrem eius cum lacrymis dicens. O Maria regina cæli, quam ipse Deus prælegit sibi in coniunctionem deitatis, & humanitatis. Tu es illa singularis Virgo, & singulariter dignissima Mater. Tu es illa potentissima, de qua ipsa potestas prodijt, audi me rogantem te, quia enim scio te potentissimam, ideo præsumo de te. Suscipe fratres meos, quos educaui, & foui sub stricto scapulari meo, & defende eos sub lato mantello tuo. Rege eos, & refoue, ne hostis antiquus præualeat eis, & ne dissipet vineam nouellã, quam plantauit dextera filij mei. Quid vero domina mea aliud noto per scapulare strictum, quod palliolum vnum habet ante pectus, & aliud retro, nisi duplicem considerationem, quam ad fratres meos habui? Sollicitabar quippe nocte, & die pro eis, quomodo in rationabili, & laudabili deseruirent Deo temperantia. Orabam etiam pro eis, ne quid de mundo concupiscerẽt, quod vel Deum offenderet, aut famam humilitatis, & pietatis apud proximum denigraret. Nunc igitur quia tempus remunerationis meæ instat, assigno tibi membra mea, doce ergo eos sicut filios, & porta eos, sicut Mater. Cum his enim verbis, & alijs vocatus est, Dominicus in gloriam Dei. Cui ergo per similitudinem loquendo, respondi taliter. O Dominice amice dilecte, quia dilexisti me, plus quam te. Ego sublato mantello meo defendam, & regam filios tuos, necnon & omnes, qui in regula tua perseuerant saluabuntur. Mantellus vero meus latus misericordia mea est, quam nulli feliciter petenti denego. Sed omnes, qui quærunt, sub misericordiæ meæ sinu proteguntur. Sed quid credis tu ô filia mea, quod regula Dominici sit? Vtiq. humilitas, & continentia, & contemptus mundi. Nam omnes, qui hæc tria assumunt, & perseuerando diligunt, nunquam damnabuntur, & hi sunt, qui tenent regulam beati Dominici. Sed audi mirabile. Dominicus assignauit filios suos sub mantello meo lato, & ecce pauciores sunt, nunc sub mantello meo lato, quam tunc erant sub scapulari suo stricto. Nec tamen omnes viuente adhuc ipso Dominico habuerunt ouina vellera, & Dominicos mores. Sicut melius per exemplum ostendo tibi mores eorum. Si Dominicus descenderet de altitudine cælesti, in qua est, & diceret furi, qui prodit de valle, & considerat oues ad mactandum, & perdendum. Cur inquiens vocas, & abducis oues meas, quas ex signis euidentissimis cognosco esse meas? Respondere potest fur. Cur Dominice appropriaş tibi illa, quæ tua non sunt? Nam subreptio violenta est aliena vsurpare sibi. Si respondere volueris, Dominicum enutrisse eas, & domuisse, & præcessisse, & docuisse. Dicturus est fur. Si tu enutristi eas, & docuisti, tunc ego blandiendo suauiter reduxi eas ad voluntatem propriam. Si tu lenitatẽ cum austeritate miscebas eis, & ego alliciebam eas blandius, & ostendebam, quod delectabat eas suauius, & ecce plures currunt ad pastum, & vocem meam. Et ideo oues, quæ sequuntur me feruentius cognosco esse meas, quia liberum habent arbitrium sequendi allicientem. Si responderit iterum Dominicus, quod oues suæ signatæ sunt signo rubeo in corde, dicturus est fur oues meæ signatæ sunt signo meo, signo scilicet, incisionis in dextra aure. Et quia manifestius, & euidentius est signum meum signo tuo, ideo cognosco oues meas. Fur igitur iste diabolus est, qui de ouibus Dominici plures sibi incorporauit, quæ incisæ sunt in dextra aure, quia non audiunt verba vitæ dicentis. Arcta via est in cælum. Sed sola illa delectabiliter audiendo perficiunt, quæ eas delectat adimplere. Oues vero Dominici paucæ sunt, quæ signum rubeum habent in corde, qui passionem Dei cum charitate recolunt, & verba Dei prædicantes feruẽter vitam beatam ducunt, in omni castitate, & paupertate. Nam hæc est regula Dominici, sicut vulgo dicitur, omnia sua portare in dorso, nihil velle possidere, nisi quod permittit regula. Non solum dimittere superflua, sed & à licitis, & necessarijs, quandoq. propter carnis motus temperare se.

VERBA MATRIS AD filiam, quod citius fratres nunc audirent, & audiunt vocem diaboli, quam sui patris Dominici, & quomodo nunc pauci imitantur eius vestigia, & qualiter Episcopatus desiderantes propter mundi honorem, & sui quietem, & libertatem, non sunt in regula sancti Dominici, & de terribili sententia contra tales, & de experientia dãnationis pro tali Episcopatu.

CAP. XVIII.

LOquitur Mater ad sponsam dicens. Dixi tibi, quod omnes, qui sunt in regula Dñici, sunt sub mãtello meo. Núc auditura es, quam multi sunt tales. Si Dñicus descenderet de loco deliciarũ, in quo feliciter vere est, & clamaret taliter. O fratres dilectissimi sequimini me, quia vobis reseruãtur quatuor bona, honor scilicet pro

humilitate, diuitiæ perpetuæ pro pauperta-te, sacietas sine fastidio pro continentia, vita æterna pro contemptu mundi, vix audiretur. Sed si e contra statim ascenderet diabolus deconualle, clamaretque alia quattuor dissimilia. Vobis Dominicus inquiens promisit quattuor. Videte me, ego enim vobis, quæ desideratis ostendam manu. Nam ecce honorem offero, diuitias habeo manu voluptas in promptu est, mundus erit delectabilis ad fruendum. Suscipite igitur, quæ offero, vtimini his, quæ certa sunt, viuite cum gaudio, vt post obitum simul gaudeatis. Si istæ duæ voces, nunc sonarent in mundo plures currerent ad vocem latronis diaboli, quam ad vocem Dominici amici mei tam præclari. Et quid dicam de fratribus Dominici, certe pauci sunt, qui sunt in regula eius, & pauciores sunt, qui imitando vestigia sequuntur eius. Nam non omnes audiunt vnam vocem, quia non sunt omnes de vno genere, non quod non sint omnes à Deo, & non quod omnes saluari non possint, si volunt. Sed quia non omnes audiunt vocem filij Dei dicentis. Venite ad me, & ego reficiam vos, scilicet dando meipsum. Sed quid dicam de illis fratribus, qui propter mundum desiderant Episcopatus, nunquid sunt in regula Dominici? Ne-
1 quaquam. 1 Aut qui acceptant Episcopatus, rationabili de causa, nunquid excludun tur a regulā Dominici? non vtique. Nam beatus Augustinus regulariter vixit ante Episcopatum, sed in Episcopatu non reliquit regularem vitam, quamuis ascendit ad maiorem honorem. Assumpsit enim honorem inuitus, non ad quietem, sed certe ad maiorem laborem, quia videns se posse prodesse animabus, libenter propter Deum reliquit voluntatem propriam, & quietem carnis, vt plures lucrifaceret Deo suo. Propterea qui sic desiderant, & assumunt Episcopatus, vt animabus eo magis proficiāt, ipsi sūt in regula Dominici, & merces eorū duplicabitur, tū propter regulæ dulcediné, a qua abstracti sunt, tū propter onus Episcopale, ad quod sunt vocati. Propterea iuro super Deū, super quē iurabāt prophetę, qui non iurabāt. Propter impatientiam, sed quia receperunt Deū in testimoniū verborū suorū, sic ego dico nunc, & iuro super eundē Deū, quod veniet fratribus illis, qui contempserunt regulā Dominici venator de potestate cū effrænatis canibus, tanquā si seruus diceret domino. Multę inquiens oues intrauerunt hortum tuum, quarū carnes venenatę sunt, & vellera sordibus conglobatas, quarum lac inutile est, & lasciuia nimis insolescens. Iube inquiens eos abscindi, ne pascua pro ouibus vtilibus deficiant, & ne bonæ oues ex insolentia malarum perturbentur. Cui responderet Dominus. Claude foramina, ne aliquæ ingrediantur, nisi quas mihi bene conuenit, & expedit educare, & pascere, & quæ pacificæ sunt, & honestæ. Sic ego dico, quod prius claudentur aliqua foramina, sed non omnia. Post veniet venator cum canibus, qui non parcet velleribus a sagittis, non corporibus a vulneribus ad hoc, vt vita finiatur. Deinde venient custodes, qui diligenter considerabunt, & attendent, de quo genere fuerint oues, quæ ad pastum Domini intromittuntur. Respondens sponsa dixit, ô Domina, ne indigneris, si quæro. Cum Papa mitigauit eis austeritatem regulæ, nunquid reprehendendi sunt, si comedunt carnes, vel cætera, quæ apponuntur. Respondit Mater. Papa considerans infirmitatem naturæ humanæ, simul & defectum, quem quidam proposuerunt, rationabiliter permisit eos comedere carnes, ad hoc vt abiliores, & feruentiores essent in prædicando, & laborando, non vt desidiores, & dissolutiores apparerent, & ideo excusamus Papam de hac permissione. Dixit iterum sponsa. Dominicus instituit habere vestes non de optimis, nec vilissimis pannis, sed de medio temperatis. Nunquid reprehendendi sunt, si de mollioribus induuntur? Respondit Mater. Dominicus, qui regulam de spiritu filij mei dictauit, præcepit habere vestes non de mollioribus, & pretiosioribus, ne forte arguerentur, & notarentur, de pulchro habitu, & pretioso, & sic superbirent. Instituit etiam non habere vestes de vilissimis, & durissimis, ne propter duritiam vestis inquietarentur nimium in capiendo somnū post laborem. Sed instituit vestes habere temperatas, & necessarias, de quibus non superbirent, & in quibus nil vanitatis haberent, sed per eas frigus carnis expellerent, & ad virtutum profectum continuum se munirent. Et ideo laudamus Dominicum in institutione sua, sed fratres suos reprehendimus, eos, videlicet, qui habitum suum ad vanitatem transformant, & non ad vtilitatem. Dixit iterū sponsa. Nunquid reprehendendi sunt illi fratres, qui filio tuo ædificant Ecclesias altas, & sumptuosas? Aut vituperandi, & dijudicandi sunt, si ad tales structuras ædificandas plura mendicant? Respondit Mater. Quando Ecclesia in tantum lata est, quod capit ingredientes, quando muri tantum in altum excreuerint, quod non coarctant introeuntes. Quando murorum spissitudo tam fortis est, quod non a quolibet vento dissoluatur. Quando tectura tam firmiter compacta est, quod non stillat, sufficit eis ædificasse. Nam placet Deo magis cor humile in humili Ecclesia, quam alti muri, in qui-

in quibus corpora sunt intra, sed corda ab extra, propterea nõ habẽt necesse arcas auro, & argento implere propter ædificia, quia non profuit Salomoni ædificasse tã sũptuosa ędificia, ex quo neglexit eũ diligere, propter quẽ ędificabãtur. His dictis, & auditis statim senior Episcopus, qui supra nunciabatur mortuus clamabat dicens. O o o ablata est mitra, & ecce apparet, quod latebat subtus. Vbi est nunc honorabilis Episcopus? vbi sacerdos venerandus? vbi pauper frater? Certe abest Episcopus, qui vnctus fuit oleo in officium Apostolicum, & in puritatem vitæ. Remanet vero seruus sterquilinij pinguedine maculatus. Abest etiam sacerdos, qui consecratus fuit verbis sanctis, vt mutaret inanimatum & mortuum panem in viuificantem Deum. Remanet vero proditor fallax, qui vendidit eum propter cupiditatem, qui redemit omnes ex charitate. Abest quoque pauper frater, qui cum iuramento abnegauit mundum, sed nunc pro superbia, & ostentatione mea sum iudicatus. Veruntamen nunc compellor dicere veritatem, quod ille iustus iudex qui iudicauit me, magis voluisset liberare me tam amara morte sicut tũc patiebatur, cum staret in ligno Crucis, sed iustitia cui obuiare non poterat contradicebat, quam quod taliter fuissem sicut nunc experior iudicatus.

NOTAE.

1 AT qui acceptant Episcopatum rationabili de causa, nunquid excluduntur a regula Dominici, non vtique.

*Hic textus nobis ansam prabet, vt breuiter quæramus, vtrum Religiosi, qui a Religione ad Episcopatum transeunt ad sua regula obseruantias teneantur, & quidem ex verbis hic notatis aperte colligi potest huiusmodi Episcopos suæ Religionis, in qua fuerant professi regulis esse subiectos, quod tamen id absolute non esse concedendum arbitror; nam si loquamur de earum rerum obseruantia, quæ non solum non obstant statui Episcopali, sed ad illud onus rite, probeq. obeundum conferunt, vt castitas, paupertas, & obedientia, quam non relinquunt, sed mutant, vt qui prius religionis Prælato obtemperabant, deinde obtemperent Papæ, tunc dicendũ est Episcopum ad eos teneri, si quæ vero inter Regulares obseruantias existunt, quæ Pontificiæ functioni obstaculo esse possunt, vt solitudo, silentium, abstinentiæ graues, quæ cum corpus, vt plurimum debilitent accidere potest, vt Episcopum suo oneri ineptum reddant, ab his ego eum penitus immunem esse censeo, circa quæ tamen poterit talis Episcopus per suam auctoritatem nonnunquam dispensatione vti, sicut id in Religione poterat auctoritate sui Superioris, secus vero crediderim de his obseruantiis, quæ medium videntur habere locum, quia, scilicet non semper obstant, sed aliquando obstare possent, vt lanis ad cutem indui. & in his dormire, & alia similia, atque huius doctrinæ potissimam rationem esse putat D. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 8. quoniam licet Religio, & Episcopatus status sint perfectionis, Episcopatus tamen hac in re multum excellit, nam si ad inuicem comparentur, religionis status in ordine ad Episcopalem se habet, sicut disciplina ad magisterium, & dispositio ad perfectionem; vnde sicut non tollitur dispositio perfectione adueniente, ita quoque Religioso professo adueniente statu perfectionis, nimirum Episcopatus nõ tolluntur ea, quæ ad huiusmodi perfectionem status poterant disponere, imo coadiunare, sed ea tantummodo, quæ Episcopali functioni possunt esse obstaculo. Ex his ergo deducendum est secundum communem omnium sen- 1
tentiam, Religiosum professum Episcopum electum liberari, & eximi a iurisdictione, & potestate Præfectorum, & a pœnis, quæ irrogantur in regulis, & constitutionibus suæ Religionis, non vero a tribus votis in professione factis. Cæterum Caetanus tom. 1. opusc. tract. 25. q. 2. docet Episcopum vi statuti, aut legis non cogi seruari Religionis decreta, sed ex honestate, & tantummodo rationis & debito quodam morali; idem tradidit Sotus de iust. & iur lib. 10. q. 5 ar. 7 Sed quidquid sit Religiosum professum ad Episcopatum assumptum absolute teneri ad vota essentialia, & ea quæ non obstant functioni Episcopali tradunt D. Thom vbi sup. Ang. in summ. ver. religio q. 33. & Siluester ver. religio 7. q. 11. Ioann. Azor lib. 12. inst. moral cap. 7. circa fin. & hoc aperte colligitur ex verbis præsentis notæ ibi, non vtique, nam B. Aug. regulariter vixit ante Episcopatum, sed in Episcopatu non reliquit regularem vitam.*

RESPONSIO SPONSAE AD Christum, qualiter diuersis cogitationibus, & inutilibus afficitur, & quomodo eas remouere non possit, & responsio Christi ad Sponsam quare istud permittitur a Deo, & de magna vtilitate cogitationum, cum detestatione, & timore cum discretione ad coronam habita, & quod peccatum veniale non debet contemni, ne inducat in mortale.

CAP. XIX.

LOQVITVR Filius ad Sponsam. Quid turbaris, & sollicita es filia? Respondit illa, quia diuersis cogitationibus, & inutilibus afficior, quas remouere non possum, & iudicij tui terribilis

ribilis auditio me conturbat. Respondit filius. Hæc est vera iustitia. Sicut enim prius delectabaris in affectionibus mundi contra velle meum, sic nunc permittuntur tibi cogitationes variæ contra velle tuum. Veruntamen time cum discretione, & confide fortiter in me Deo tuo. Sciens pro certissimo, quod quando mens non delectatur in cogitationibus peccati, sed reluctatur eis detestando eas purgatio, sunt animæ, & corona. Si vero modicum peccatum, quod intelligis esse peccatum, delectat te facere, & & facis ex confidentia abstinentiæ, & præsumptione gratiæ, nec assumis pœnitentiã, nec aliam facis emendam, scito illud posse

1 fieri mortale, 1 propterea si in mentem venerit aliqua peccati delectatio qualiscunque fuerit, considera statim ad quid tendit, & pœnitere. Nam postquam natura hominis debilitata est ex infirmitate eius, pluries pro

2 cedit peccatum. 2 Non enim est homo, qui

3 non peccat saltem venialiter. 3 Sed Deus

var. misericors dedit homini remedium, dolere,

lect. scilicet de omni peccato, necnon & emendata, ne forte, non bene emendata sint, nam nihil ita odit Deus, sicut scire peccatum, nec curare, aut ex meritis aliquibus præsumere quasi Deus, ideo toleraret aliquod peccatũ tuum, quasi sine te non posset honorari, aut ideo licite permitteret tibi facere vnum malum, quia fecisti plura bona, cum magis etiã si centies fecisses bene pro vno quoque malo, adhuc non sufficeres rependere Deo pro charitate, & bonitate sua. Propterea time

4 rationabiliter, 4 & si cogitationes prohibe-

var. re non poteris, saltem fer patientiam, & co-

lect. nare contra eas voluntate. Non enim damnaberis pro eis, si ingrediuntur, quia non est tuum prohibere, nisi in eis delectaberis. Time etiam quamuis cogitationibus non consentis, ne forte propter superbiam cadas. Omnis enim qui stat, solius Dei virtute stat. Ideo timor introductorium quoddam est in cælum, nam multi ideo lapsi sunt in præcipitium, & mortem propriam, quia timorem diuinum abiecerunt a se, & ibi erubuerunt confiteri coram hominibus, vbi non erubescant peccare coram Deo. Ideo qui pro modico peccato non curat petere veniam, huic

5 & ego dedignabor relaxare peccatum. 5 Et sic exercitatione auctis peccatis, illud quod ex contritione remissibile, & veniale erat, ex negligentia, & contemptu fiet valde graue, sicut in hac anima iam iudicata perpendere poteris. Postquam enim veniale, & remissibile commisit, auxit per consuetudinem confidens de bonis suis aliquibus operibus quasi minora, non attendendo, quod iudicarẽ. Et sic irretita anima per consuetudinem delectationis inordinatæ, non correxit, nec compescuit voluptatem peccati, donec iudicium erat in foribus, & vltimus punctus appropinquabat, ideo appropinquante fine inuoluebatur subito conscientia eius miserabiliter, & doluit, quod cito moreretur, timẽs separari ab illo modico temporali, quod diligebat. Nam Deus ad vltimum punctum suffert hominem, & expectat, si forte homo peccator voluntatem suam omnem quam habet liberam mouere voluerit ab affectu peccati. Sed quia voluntas non corrigitur. Ideo anima sine infinito constringitur, quia diabolus sciens, quod vnusquisque secundum consciẽtiam, & voluntatem iudicabitur, laborat maxime in fine, vt anima ludificetur, & euertatur ab intentionis rectitudine, quod & fieri permittit Deus, quia anima cum deberet, renuit vigilare. Noli insuper confidere, & præsumere nimium, si quem dico amicum, & seruum, sicut vocaui istum prius, quia etiam Iudas vocatus est amicus, & Nabuchodonosor seruus. Nam sicut dixi, personaliter vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Sic dico nunc amici sunt cum me imitantur, inimici sunt cum me, & mandata mea contemnendo persequuntur. Nunquid non Dauid, postquam dictum est, quod inueni hominem secundum cor meum, excessit per homicidium? Salomon, cui tam mirifica data, & promissa sunt, excessit à bonitate & non est completa in eo promissio propter ingratitudinem eius, sed in me filio Dei.

Propterea sicut in dictamine tuo ponitur clausula cum finali, sic ego in locutiõe mea 1

clausulam istam pono, & finalem. Si quis fecerit voluntatem meam, & dimiserit suam hæreditatem, accipiet vitam æternam. Qui vero audierit, nec faciendo perseuerauerit, erit sicut seruus inutilis, & ingratus. Sed nec debes diffidere, si quem dico inimicum, quia statim inimicus mutauerit voluntatem ad bonum, erit amicus Dei, nunquid non Iudas erat cum duodecim vnus, quando dixi. Vos amici mei estis, qui secuti estis me, & sedebitis super sedes duodecim. Tunc quidem temporis sequebatur me Iudas, nec tamen sedebit cum duodecim. Quomodo ergo completi sunt sermones Dei? Respondeo tibi, Deus qui videt corda, & voluntates hominũ secundum illa iudicat, & remunerat, quæ videt. Homo vero secundum quod videt in facie iudicat. Ideo ne bonus superbiret, vel malus diffideret, vocauit *Deus* ad Apostolatum, ita bonos, sicut & malos, sicut & quotidie vocat ad dignitates bonos, & malos, vt omnis, qui officium tenet cum vita, glorietur in æterna vita. Qui vero honorem habet absque onere glorietur ad tempus in æternum periturus. Ergo quia Iudas non sequebatur me corde perfecto nõ pertinuit

ad

ad eum, qui secuti estis me, quia non perseuerauit vsque ad remunerationem, sed ad eos, qui perseueraturi erant, tam præsentes, tunc temporis quam futuri. Quia Dominus, in cuius conspectu sunt omnia, quandoque loquitur in præsenti, quæ ad futura pertinent, & de faciendis tanquam iam sint facta. Quandoque etiam præteritum, futurumque permiscet, & præterito vtitur pro futuro, vt nullus præsumat discutere consilium impermutabile trinitatis. Audi adhuc vnum Verbum. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Sic iste vocatus est ad Episcopatum, sed non electus, quia ingratus gratiæ Dei. Ideo nomine Episcopus, sed merito degenerans cum his, qui descendunt, & non ascendunt, computabitur.

Additio.

Filius Dei loquitur dicens. Miraris filia quare alius Episcopus habuit pulcherrimũ finem, alius ita horrendum, nam paries cadens confregit eum totum, & modicum superuixit, & hoc modicum cum ingenti dolore. Respondeo tibi. Scriptura dicit, immo ego ipse dixi, quod iustus qualicunque morte moritur iustus est apud Deum, sed homines mundi hunc iustum reputant, qui pulchrum exitum habebit sine dolore, & pudore, Deus vero hunc discernit iustum, qui à diutina abstinentia probatus est, vel qui pro iustitia tribulatur, quia amici Dei quasi tribulantur in hoc mundo, aut ad minus supplicium in futuro, aut ad maiorem coronam in cælo. Nam Petrus, & Paulus pro iustitia mortui sunt, sed Petrus amarius Paulo, quia plus dilexit carnem Paulo, & quia Ecclesiæ meæ accepit primatum, debuit, & se mihi amariori morte conformare. Paulus vero, quia plus dilexit continentiam, quia plus laborauit tanquam miles egregius gladium obtinuit, quia ego dispono omnia secundũ merita, & secundum mensuram. Propterea in iudicio Dei non coronat, vel damnat finis, vel mors contemptibilis, sed intentio, & voluntas hominum, & causa. Simile est de istis duobus Episcopis, nam alius patiebatur amariorem pœnam, & despectiorem mortem, hoc fuit ei ad minorem pœnam, quamuis non ad gloriam, quia non patiebatur bona voluntate, quod vero alius obtinuit gloriosum finem, hoc fuit ex occulta iustitia mea, sed non ei ad premium æternum, quia non correxit voluntatem suam dum viuebat.

NOTAE.

1 PRopterea si in mentem venerit aliqua peccati delectatio qualiscunque fuerit considera statim ad quid tendit.

Ad horum intelligentiam notandum est nobis, quod dupliciter homo potest se habere in ordine ad delectationem. Primo quidem si deliberate cogites de re aliqua delectabili cum animo, vt delectetur, eoque fruatur, tunc dicitur expresse consentire, & mortaliter peccare, si sit de re mortali, & ideo vt scribitur hic, statim homo debet considerare, ad quod ea cogitatio tendat, si vero homo sufficienter aduertat de mala cogitatione, eiusque periculo, & illam negligat reprimere post tempus sufficiens humanæ fragilitati ad deliberandum datum, tunc etiam tacite consentire dicitur, & mortaliter peccare his concurrentibus, primum, vt id, de quo delectatio capitur inuoluat culpam mortalem, vt explicat D. Thomas 1.2. quæst. 74. art. 8 Secundo, vt qui delectatur se delectari aduertat, nec satis esset aduertere ad mortale peccatum, nisi plene aduerteret. Tertio, vt non conetur delectationem expellere, quoniam si conaretur, & adhuc perduraret, id illi potius merito tribuendum esset, quam vitio, & hoc est, quod paulo infra legimus in hoc capite, non enim damnaberis pro eis si ingrediuntur, subintellige cor tuum, sic enim addit M. S. Farnesianus. Quartum, & postremum, quod requiritur est, vt ex rationabili causa delectationem morosam a se repellere omittat, quod explicat Nauar. in Man. cap. 11. num. 10. & in cap. cogitationis de pœnitentia dist. 1.

2 Non enim est homo, qui non peccat saltem venialiter.

Certissimum mihi esse videtur, quod legimus hic, nullum hominem, dum in hac vita mortali viuit regulariter posse à veniali pœnitus culpa esse immunem, hic tamen excipitur Beatissima Virgo, & si quis alius est, cui hoc singulare beneficium diuinitus concessum est, & probatur primo, quia hoc negare est Deum mendacem facere, vt in prima sua canonica cap. 1. D. Ioannes tradit, hoc etiam ex pluribus sacræ scripturæ locis patet aperte, vt Isaiæ 64. facti sumus immundi omnes & 53. omnes quasi oues errauimus, & vnusquisque in viam suam declinauit, & Prouerb. 24. septies in dies cadit iustus, & Rom. 3. omnes peccauerunt, his tamen obstare posse videtur, quoniam fieri posset, vt quis ad eum perfectionis, ac sanctitatis gradum perueniat, vt omnia venialia peccata vitare queat, vt Iob de seipso cap. 27. dicit, neque reprehendit me cor meum in omni vita mea, & in fine secundi libri Paralipomenon in oratione Manasse habetur, tu Domine non imposuisti pœnitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob; his qui tibi non peccauerunt, sed his non

obstan

obstantibus verissimum esse arbitror, quod legimus hic, id nullatenus fieri posse, quam dubitationem pertractans D. August. in lib. de Spiritu, & littera, in initio capitis primi scribens Marcellino dicit; Rescripsisti te moueri eo quod in posteriori duorum librorum fieri posse dixi, vt sit homo sine peccato, si voluntas eius non desit ope diuina adiuuante, sed tamen præter vnum, in quo omnes viuificabuntur, neminem fuisse, vel fore in quo hic viuente, esset ista perfectio: absurdum enim tibi videtur aliquid fieri posse, cuius desit exemplum: eandem quoque rem prosequitur in libris de peccatorum meritis, & remiss. ad eundem Marcellinum scriptis, mihi ergo dicendum est posse quidem hominem singula peccata venialia vitare, non tamen omnia, vt probat hic, D. Augustinus, & ex citatis sacræ scripturæ locis supra aperte colligitur, ad locum autem Iob cap. 27. respondeo, quod ibi S. Iob non intendit se à venialibus penitus excusare, cum ipsemet. Deo loquatur, signasti, quasi in sacculo delicta mea, & rursus peccaui, sed scribit ibi, quod cor suum peccatum non reprehendebat, quia si quando aliquod commiserat, statim pro eo satisfaciebat, nec permanebat in eo, vnde locus non dabatur, vt eum cor suum reprehenderet, idem respondeo ad verba illa Manasses, quia non intendebat Patriarchas à venialibus immunes esse asserere, sed iustos Patriarchas vocat, quia ob peccata venialia non desierunt esse iusti, tum quia permittit aliquando Deus, vt ipsi cadant, vt feruentiores resurgant, & inde in vita spirituali magis proficiant.

3 Sed Deus misericors dedit homini remedium dolere, scilicet de omni peccato, nec non, & emendata.

var. lect. *M S. Farnesianus hic addit verbum plangere, quod necessario addendum est, quia locus est mancus, & legit, Necnon, & emendata plangere.*

4 Et si cogitationes prohibere non poteris saltem per patientiam.

var. lect. *Rectius manuscriptus habet, Saltem fer patienter.*

5 Et si exercitatione auctis peccatis illud, quod ex contritione remissibile, & veniale erat ex negligentia, & contemptu fiet valde graue.

Peccatum, cum consistat principaliter in actu voluntatis, ideo diligenter attendendum, quo animo quis aliquid facit, si enim aliquod præceptum, quod culpam lethalem de se non inuolueret, ea tamen voluntate quis transgrederetur, vt vel præcipientem, vel præceptum contemneret dubitari non potest, quin transgrediens ratione contemptus mortaliter peccaret, alias enim peccatum, tantummodo veniale committeret, & hoc est, quod legimus hic, peccatum veniale ex contemptu fieri posse valde graue. idem etiam fieret, si in eo finẽ quis vltimũ constitueret, vel referret ad mortale, sed vt hoc explicemus apertius notandum est, ex D. Thoma 1. 2. q. 88. art. 4. quod idem actus numero peccati venialis eadem voluntate manente nunquam poterit fieri mortale peccatum, neq; etiam si multa sumeremus peccata venialia possent constituere vnum mortale quod patet, tũ ex parte durationis pœnæ veniali debitæ, quæ temporalis est, mortali vero æterna, tum etiam ex parte pœnæ damni, quæ mortali peccato correspondet, estque carentia diuinæ visionis, cui nulla alia æquiparari potest, sed hac de re, legendus est, D. Bonauent. in 4. sent. dist. 16. & Siluester in summa verbo peccatum, num. 4. Angelus eodem verbo num. 4. illud autem D. Augustini, quod refertur 25. dist. § Criminis, nullum est peccatum adeo veniale, quin fiat criminale, dum placet, explicat eum Gloss. dum placet complacentia fruitionis, seu finis, vt docuimus supra.

VERBA MATRIS AD FILIAM quomodo per talentum dona Spiritus sancti designantur, & qualiter sanctus Benedictus sibi donum Spiritus sancti datum multiplicauit, & per quæ Spiritus sanctus, vel Spiritus diabolicus hominis animam ingreditur.

CAP. XX.

1 MATER loquitur. 1 Filia scriptum est, quod qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est. Quid enim est talentũ nisi donũ Spiritus sancti, nam alij accipiunt scientiam, alij diuitias, alij apud diuites familiaritatem, & tamen omnes duplum reportare debent Domino suo lucrum, scilicet de scientia viuendo vtiliter sibi, & alios instruendo. De diuitiis, & cæteris donis vtendo rationabiliter, & alijs misericorditer subueniendo. Sic ille bonus Abbas Benedictus, donum gratiæ, quod acceperat multiplicauit, quando omne contempsit, quod transitorium erat, quando carnem suam seruire coegit animæ, quando nihil præposuit diuinæ charitati. Qui insuper timens, ne aures macularentur auditu inani, oculi visione dele-
2 ctabilium fugit in eremum, 2 imitans illum qui nondum natus exultando intra viscera materna cognouit aduentum sui pijssimi redemptoris. Qui quidem Benedictus etiam sine eremo obtinuisset cælum, quia mundus erat ei mortuus, & cor eius totum plenum Deo. Sed placuit Deo vocare Benedictum in montem, vt cum pluribus innotesceret plures eius exemplo ad perfectionis vitam incita-

citarentur. Huius beati viri corpus erat quasi saccus terræ, in quo claudebatur ignis Spiritus sancti, qui exclusit ab eius corde diabolicum ignem. Sicut enim ignis corporalis ex duobus accenditur, ex aere scilicet,
3 & flatu hominis, 3 sic Spiritus sanctus ingreditur animam hominis, vel per inspiratione personalem, aut per aliquam operationem humanam, seu loquutionem diuinam, mentē excitat ad Deum. Similiter spiritus diabolicus visitat suos, sed differunt incomparabiliter. Nam Spiritus sanctus calefacit animā ad quærendum Deum, sed non comburit carnaliter; lucet etiam puritate modestiæ, sed non offuscat mentem malitia. Spiritus vero nequam comburit mentem, ad carnalia, & amaricat intolerabiliter. Obfuscat quoque animam per inconsiderationem sui, & deprimit eam inconsolabiliter ad terrena. Ergo vt ignis iste bonus, qui erat in Benedicto, igniret plures; vocauit Deus Benedictum in montem, qui conuocatis ad se pluribus scintillis fecit de eis per Spiritum Dei maximū rogum, & composuit eis regulam de spiritu Dei, per quam multi perfecti facti sunt sicut Benedictus. Nunc autem multæ faces proiectæ de rogo sancti Benedicti iacent vbique dispersę habentes pro calore frigiditatem, pro luce tenebras, quæ si in igne iacerent conglobata darent vbique ex se flammam, & calorem.

NOTAE.

1 SCriptum est quod qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est.

Sic enim legimus Matth. 25. explicat autem hic Beatiss. Virgo quid talenti nomine intelligendum sit nimirum dona Spiritus sancti, inter quæ, & scientia ac diuitiæ spirituales connumerantur, & D. Greg. hom. 9. in Matth. sensus quinque esse tradit, atque ex huiusmodi talentis domino, qui nobis ex misericordia sua ea contulit duplum reportare lucrum debemus, sicut hoc loco scribitur, quod tunc facimus, quando illa ad Dei honorem, ac sanctæ Ecclesiæ commodum, & proximorum salutem impendimus, vnde egregie D. Augustinus ad Simplicianum scribens lib. 2. q. 2. super primum Regum tomo 4. dicit, quod qui talentis acceptis ex charitate minime vtitur, dignus est, qui his à Deo priuetur, quid enim inquit per talentum intelligitur, quam munus aliquod diuinum, sed qui habet dabitur ei, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo, quod non habet auferri non potest, sed aliud non habet, vt merito auferatur, quod habet, non habet charitatem vtendi, vt auferatur quidquid aliud habet, quod sine charitate non prodest.

2 Imitans illum, qui nondum natus exultando intra viscera materna, cognouit aduentum sui pijssimi Redemptoris.

Ex hoc textu libet aperte deducere D. Ioanni Baptistæ vsum fuisse liberi acceleratum arbitrij, quandoquidem dicitur hic, cum iam esset in vtero materno, aduentum Christi Domini cognouisse: idem quoque asseritur infra lib. 4. Reuelat. cap. 74. his verbis, de quo ego nondum natus exultaui, & quē demonstrando plenius agnoscebam. quod etiam fatentur D. Ambrosius, & Theophilactus Lucæ 1. dicit enim Ambrosius Ioannem Domini sensisse gratiam, & aduentum, & clarius ibidem his verbis habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat effectum, idem tradit de instit. Virgin. cap. 13. & lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4. sequuntur hanc sententiam Leo Pont. serm. 10. de Natiuit. Orig. hom. 4. in Lucam, Petrus Chrisologus serm. 88. Chrisost. homil. 1. in Lucam Concilium Basiliense Sess. 43. affirmat Ioannem in vtero Matris Christū agnouisse, fauent etiam Bernardus serm. de Natiu. D. Ioannis, Maximus Ho. 1. de Natiuit. Ioannis Baptistæ, Ireneus lib. 3. cap. 18. idem probatur ex Hymno Pauli Diaconi, qui de eo in eius festiuitate ab Ecclesia cantatur (ventris obstruso recubans cubili, senserat Regem, Thalamo manentem) iuit in hanc opinionem Cardinalis Caetanus super 3. par. S. Thomæ q. 27. art. 6. qui dicit ex litera Euangelij D. Lucæ colligi posse D. Ioanni fuisse accelleratum vsum liberi arbitrij, quia ibi dicitur exultauit in gaudio, licet enim exultare absolute positum ad inanimata referri possit secundum illud Psalm. 113. montes exultauerunt, vt arietes, proprie tamen illud est animalium, & quia non sine animali passione gaudium fit. ideo oportet Ioannem exultasse in gaudio, & quia illud supponit aliquam cognitionem sine qua non reperitur lætitia, nec aliqualis lætitiæ ratio, quæ nō alia potuit esse in eo, quā de Domini præsentia inde fit consequens D. Ioannem aduentū Christi cognouisse rationali cognitione, & tunc obtinuisse vsum liberi arbitrij, sed hanc Cardinalis Caetani doctrinam non efficaciter concludere affirmat Cornelius Iansenius in sua concordantia parte 1. cap. 4 quia inquit exultare in gaudio gesticulationē potius significare, quam gaudium, vt sensus sit exilijt cum gesticulatione, sicut in Psalm. 32. bene psallite in vociferatione, hoc est, cum vociferatione, vociferando, & hanc gesticulationem posse intelligi in Ioanne extitisse dicit absq. gaudio, mētis, & cognitionis præsentiæ Dei, ad hāc sententiam videtur etiā accedere D. Aug. in epi. ad Dard. q. 57. circa med. vbi docet D. Ioannem intellexisse causam suæ exultationis, sed eam fuisse potius rei magnæ significationem ab Elisabeth. cognoscendæ: non vero a paruulo cognitæ, eamq. exultationem diuinitus factam esse, sed de hoc re D. August. satis dubie loquitur, vt annotauit D. Thom. 3. p. q. 27. art. 6. in corpore. Cæterum ad illud quod Iansenius monet, respondendum est cum Origene Hom. 7. in Lucam, quod licet verbum

bum exultandi, simpliciter dictum metaphorice aliquando in sacris litteris sumatur, tamen exultare in gaudio nunquam reperietur secundum metaphoram vsurpatum, sed proprie in sua significatione, ad illud vero D. Augustini respondet Franc. Suarez super 3. p. S. Tho. q. 27. disp. 3. sect. 7. D. Aug. in ea epistola locutum fuisse de tota Ioannis sanctificatione, ibiq. processisse inquirendo, non determinando, vide etiam Ioan. Maldonat. in comment super Lucam c. 1. n. 41.

3 Sic Spiritus sanctus ingreditur animã hominis.

Duo hoc loco modi afferuntur, quibus Spiritus sanctus hominum corda ingreditur. Primo quidem per internam motionem quando, scilicet, inspirat, vt de Deo cogitemus, vtq. eum toto corde diligamus, & mundi omnibus rebus posthabitis illum solũ quæramus. Secundo per externam loquutionem, & tũc maxime, quando per sacros Doctores, ac verbi Dei Prædicatores hortatur, vt legi Euangelicæ obediamus, Christi vestigia sectemur, vitia fugiamus; id autem quod sequitur, similiter spiritus diabolicus visitat suos, non est intelligendum per internam illam, ac immediatam motionem, qua Deus illabitur animæ: hoc enim eius tantummodo proprium est, sed quod moueat hominum voluntates moraliter præsentando illis delectabilia obiecta, & persuadendo eos vt illa acceptent, ac etiam excitando humores, quibus subinde passiones, ac affectiones prauæ circa ea insurgunt, vtriusq. autem motionis differentia hic assignatur, quia quæ à Deo est per charitatem inflammat, & per veram cognitionem illuminat, quæ vero a Diabolo hominem refrigerat, & intellectum obtenebrat.

VERBA MATRIS AD FILIAM

Sancti Benedicti vitę magnificentiam & perfectionem per exemplum ostendentia, & quomodo anima fructificans mundo per lignum infructiferũ, & superbia mentis per silicem, & anima frigida per christallum designatur & de tribus scintillis valde notandis, ab his tribus scilicet cristallo, silice, & ligno ortis.

CAP. XXI.

LOQVITVR Mater. Dixi tibi prius, quod corpus Beati Benedicti erat quasi saccus, qui disciplinabatur & regebatur, sed non regebat. Denique eius anima erat quasi Angelus, qui dedit ex se calorem magnum, & inflammationem, sicut per exemplũ ostendo tibi. Quasi si essent tres ignes, quorum primus succensus in myrrha dedit ex se odorẽ suauitatis. Secundus erat succensus in arido, qui dedit ex se carbones ardentes, & splendorem fulgentem. Tertio succendebatur in oliua, qui dedit ex se flammam, lumen & calorem. In his tribus ignibus intelligo tres personas, & in tribus personis tres status in mundo. Primus status erat eorum, qui considerata charitate Dei, reliquerunt voluntatem propriam in manus aliorum, qui pro vanitate, & superbia mundi assumpserunt paupertatem, & abiectionem, pro intemperantia di-
1 lexerunt continentiam, & puritatem. 1 Isti habuerunt ignem in mirrha, quia sicut mirrha est amara, sed tamen fugat dæmonia, & extinguit sitim, sic abstinentia eorum amara erat corpori, sed semen extinguebat inordinatam concupiscentiam, & omnem potestatem dæmonum euacuabat. Secundus status eorum erat, qui cogitabant secum taliter. Ad quid diligimus honorem mundi cũ non sit aliud nisi quasi aer verberans aures, ad quid diligimus aurum, cum non sit nisi terra rubea. Quis vero finis carnis, nisi putredo, & fauilla? Ad quid vero nobis prodest concupiscere terrena, cum omnia sint vanitas? Propterea ad hoc solum viuere, & laborare volumus, vt Deus honoretur in nobis, & vt alij ex verbis nostris, & exẽplis ad Deum ignientur. Isti tales ignem habuerunt in arido, quia amor mundi fuit eis mortuus, & quilibet eorum dabat ex se carbones ardentes iustitiæ, & fulgorem diuinæ prædicationis. Tertius status erat illorum, qui de amore Christi passionis feruentes, toto desiderio affectabant mori pro Christo.
2 2 Isti ignem suum habuerunt in oliua. Sicut enim oliua in se habet pinguedinem, & feruentiorem calorem cum incenditur, sic isti totaliter impinguati fuerunt diuina gratia, ex qua dederunt ex se lumen diuinę scientię ardorem feruentioris charitatis, robur honestissimę conuersationis. Isti tres ignes longe lateque se dilatauerunt. Quorum primus in-
3 census fuit in Eremitis, & Religiosis, 3 sicut describit Hieronymus. Qui vitas eorum inspiratus Spiritu sancto inuenit mirabiles, & merito imitandas. Secundus incensus fuit in confessoribus, & doctoribus. Tertius in martyribus, qui carnem suam pro Deo contempserunt, & alij contempsissent, si auxiliũ à Deo obtinuissent. Ad quosdam igitur istorum trium statuum, & ignium missus fuit B. Benedictus, qui conflauit tres ignes in vnum, in tantum, quod qui insipientes erant illuminabantur. Qui frigidi inflammabantur. Qui feruentes erant feruentiores efficiebantur. Et sic cum his ignibus incepit

reli-

religio Benedicti, quæ vnumquemque iuxta dispositionem, & capacitatem sensus sui dirigebat in viam salutis, & æternæ felicitatis. Nunc autem sicut de sacco beati Benedicti spirabat dulcedo Spiritus sancti, per quem multa monasteria innouantur, sic de sacco multorum fratrũ eius discedit Spiritus sanctus, quia calor cineris extinctus est, & faces iacent dispersæ, nec dantes ex se calorem, nec splendorem, sed fumum impuritatis, & cupiditatis. Veruntamen ad solatium multorum dedit mihi Deus tres scintillas, in quibus intelligo plures. Prima extracta est de crystallo per solis calorem, & splendorẽ, quæ se iã in arido fixit, vt fiat ex ea magnus ignis. Secunda extracta est de duro silice. Tertia de ligno infructuoso, quod creuit cũ
4 radicibus suis, & folia sua dilatauit. 4 Per crystallum vero, qui est lapis frigidus, & fragilis, significatur anima illa, quæ licet frigida sit in amore Dei tamen voluntate, & affectu conatur ad perfectionem, & rogat Deũ sibi in adiutorium. Ideo voluntas ista portat eum ad Deum, & meretur, vt accrescant ei tentationes, per quas frigescit a tentatione praua, donec Deus irradians cor, sic figit se in anima a voluptate vacua, vt iam non
5 velit viuere nisi ad honorem Dei. 5 Per silicem vero significatur superbia. Quid enim durius est superbia mentis illius, qui omniũ desiderat laudes, & tamen concupiscit vocari humilis, & videri deuotus. Quid abominabilius anima illa, quæ omnibus in cogitationibus se præfert, & a nullis patitur obiurgari, nec doceri. Veruntamen multi sic superbi petunt humiliter a Deo, vt ab eorum cordibus auferatur superbia, & ambitio. Propterea Deus cooperante voluntate bona amouet a cordibus eorum contraria, & quandoque mollia, quibus, & a mundialibus retrahuntur, & ad cælestia incitantur. Per lignũ vero infructuosum significatur anima illa, quæ nutrita in superbia fructificat mundo, & desiderat habere mundum, & omnem honorem suum. Attamen quia timet mortem æternam, multos stipites peccati extirpat, quæ aliter si non timeret perpetraret. Propterea Deus propter istum timorem appropinquat animæ, & inspirat gratiam suam, vt lignum inutile fiat fructuosum. Itaque cum talibus scintillis religio beati Benedicti renouari debet, quæ modo videtur multis desolata, & abiecta.

NOTAE.

1 ISti habuerunt ignem in myrrha, quia sicut myrrha est amara, sed tamen fugat dæmonia, & extinguit sitim, sic abstinentia eorum erat amara corpori.

Ex proprietatibus myrrhæ, quas refert Plinius lib. 12. natural. Hist. cap. 15. & 16. colligi potest, quod scribitur hic, eam pœnitentiæ, ac abstinentiæ symbolum esse, & inter cæteras eius proprietates tres præcipue inueniuntur, Primo, quod sapore amara est. Secundo, quod eius inciso cortice defluit lacryma. Tertio, quod nisi coniiciatur in ignem nullum spirat odorem, ex his facile intelligemus, quid significet, quod legimus hoc loco isti habuerũt ignem in myrrha, illi nimirum, qui in eremo sanctissimam vitam traducebant, eorum corpora vigiliis ieiuniisque domantes, ignem ponebant in myrrha, quia, & suorum laborum sudores, & Christi Domini passionis dolores amoris igne temperabant, cogitantes, quod & ipse in cruce myrrha potatus fuit, quodque dolores, & cruciatus maximos pro illis pertulit, sicque fasciculum sibi myrrhæ cum sponsa conficientes, quod illis videbatur amarum, & nullum redolere odorem, postea fiebat dulce, & suauissimum spirabat odorem, idem annotarunt D. Bernard. serm. 43. in Cantica, & Agatius ibi cap. 1. explicantes illa verba sponsæ, fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, insinuant hoc etiam Gloss. Interlinearis, & Beda eodem loco.

2 Isti ignem suum habuerunt in oliua.

Quemadmodum superiori nota diximus, eos qui in eremo vitam suam ducebant, ignem habuisse in myrrha, sic legimus hic, illos, qui pro Christo Domino mori cupiebant, ignem habuisse in oliua, sicut enim cum oliua torculari premitur, oleum emittit, ita quoque sancti Martyres, cum Tyrannorum persecutionibus premebantur, & sanguinem pro Religione Christiana fundebant, tunc maxime olei pinguedine replebantur, gratia scilicet cælesti, Spiritus sancti donis, & fructibus charitatis, quæ per oleum designantur, vt annotarunt D. Ambros. super Psalm. 108. Origen. in Leuit. Hom. 12. & in Cant. Hom. 1. D. Greg. super primum Reg. cap. 10. & 16. & lib. 19. Moral. cap. 13. D. August. super Psalm. 44. D. Hieron. ad Principiam insuper sicut oleum, quolibet alio humore compressum nunquam subtus retinetur, sed omnibus liquoribus supereminet, sic & Martyres, qui oleum habebant in igne, licet pluribus tribulationibus cruciarentur semper tamen supereminebant, & terrenis relictis ad cælum tendebant.

3 Sicut scribit Hieronymus, qui vitas eorũ inspiratus Spiritu sancto inuenit mirabiles, & merito imitandas.

Hæc de re latissime D. Hieronymus 1. tomo suorum operum, vbi describit vitas S. Hilarionis Abb. Pauli 1. eremitæ, S. Malchi monachi, & aliorum plurimorum.

4 Per crystallum vero, quæ lapis est frigidus, & fragilis significatur anima illa, quæ licet frigida sit in amore Dei, tamen voluntate, & affectu conatur ad perfectionem.

S Hoc

Hoc loco Beatissima Virgo hominem in Dei obsequio tepidum, ac frigidum chrystallo comparat; quæ cum sit ingenti gelu concretum, & præ nimio frigore contipatum, non sit facile solis radijs liquefit, ita quoque is, qui in peccatorum abysso induratus est solo Spiritu sancti calore, cui nihil est impossibile sæpe resoluitur, sic tradit D. Augustinus in enarrat. Psalm. 147. explicans eum versiculum mittit crystallum suam, sicut buccellas, ante faciem frigoris eius, quis sustinebit mittet verbum suum, & liquefaciet ea. Verba autem, quæ immediate sequuntur nimirum, si ideo voluntas ista portat eum ad Deum, & meretur, vt ei accrescant tentationes indicant Deum aliquando permittere, vt tentemur, vt inde, qui tepidi eramus ad Dei obsequium feruentius sublenemur, gemina, inquit, D. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 1. percussio est diuina, vna in bonam partem, qua percutimur in carne, vt emendemur, altera qua vulneramur in conscientia ex charitate, vt Deum ardentius diligamus: idem habet D. Chrysost. Homil. 10. in Matth. Deus ait tribulationes irruere permittit, vt ad ipsum frequentius fugiamus tale aliquod faciunt amantiores filiorum parentes, cum paruulos suos viderint à se quidem sæpe discedere præcipiunt famulis terribilia quæda simulare, vt exagitati etiam metu paruuli, ad maternum sinum confugere festinent.

5 Per silicem vero significatur superbia.

Silex genus est lapidis, qui cum ferro percutitur ignem excutit, sic quoque superbus, qui hoc loco per silicem designatur, adeo duræ ceruicis est, vt si quando ab aliquo quoquomodo, vel etiam in minima læditur, aut si aliqua de re admonetur superbiæ virus euomit, ignem discordiæ excitat, & pro collatis beneficijs iniurias frequenter rependit, ac illi, à quo benigne reprehenditur sæpe se ingratum ac iniuriosum exhibet, & ideo scribitur hic, quid abominabilius est anima illa, quæ se in omnibus cogitationibus præfert, & à nullis patitur obiurgari, nec doceri, Cæterum si lapis iste diuino calore soluatur, & diuini amoris igne tangatur protinus in feruorem spiritus liquatur, & vt ait D. Gregor. 18. Moral. cap. 17. ad sequentem vitam desideriorum æstu ardet, quam prius ardens insensibilis manebat, vnde optime de illo dici potest, quod scribitur Iob 28. & lapis calore solutus in æs vertitur, vbi D. Greg. lapis ergo solutus calore in æs vertitur, quia dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur.

VERBA MATRIS AD FILIAM de monacho habente cor meretricum in pectore, & quomodo per propriam voluntatem, & concupiscentiam, & subterfugionem ab Angelica vita à Deo apostatauit.

CAP. XXII.

ITEM loquitur Mater sponsæ. Quid vides in isto qui astat reprehensibile? Respondit illa. Quod rarissime dicit Missam. Cui Mater. Non est ideo iudicandus. Sunt enim multi, qui factorum suorum memores rationabiliter abstineant, & non minus mihi sunt accepti. Sed quæ vides in eo alia. Et illa. Quod non habet vestes a beato Benedicto institutas. Cui Mater. Contingit multoties, quod consuetudo quædam inchoata, & omnes, qui sciunt eam esse malam, & imitantur reprehendendi sunt, qui vero ignorant instituta laudabilia, essentque libenter contenti de abiectioribus, si non consuetudo longinqua præualeret, tales non sunt faciliter, & improbe iudicandi. Sed audi, & indicabo tibi, quod in tribus alijs reprehendendus est. Primo, quod cor eius, in quo Deus quiescere deberet, est in pectore meretricum. Secundo, quod dimisit modicum suum, & concupiscit multa aliena, promisit abnegare seipsum, & sequitur totam propriam voluntatē. Tertio, quod Deus creauit animam suam pulchram quasi Angelum, & ob hoc deberet habere Angelicam vitam, sed modo anima eius habet imaginem illius Angeli, qui per superbiam à Deo apostatauit. Hic apud homines magnus est, sed qualis apud Deum nouit Deus. Ipse enim Deus est, sicut ille, qui clausum aliquid habent in pugno, abscondit illud ab alijs, donec aperit pugnum. Sic Deus infirma eligit, & coronas eorum in præsenti abscondit, donec vnicuique reddet secundum opera sua.

Declaratio.

Hic fuit Abbas nimis secularis, nil curans de animabus, qui subito mortuus est sine sacramentis. De quo dixit Spiritus sanctus. O anima dilexisti terram, et iam terra recepit te. Mortuus es vita tua, et iam non hebebis vitam meam, nec mecum eris particeps, quia societatem eius dilexisti, qui a me per superbiam lapsus est, et contempsit veram humilitatem.

RESPONSIO DEI PATRIS ad precem sponsæ pro peccatoribus, & quomodo tres sunt, qui testimonium dant in terra, sicut tres in cælo, & qualiter tota Trinitas perhibet sponsæ testimonium, qualiter sponsa sua est per fidem, & omnes, qui fidem rectam sanctæ Ecclesiæ imitantur.

CAP. XXIII.

OMI dulcissime Deus. Rogo te pro peccatoribus, in quorum consortio, ego sum, vt eis misereri digneris. Respondit Deus Pater. Audio & scio voluntatem tuam, ideo perficietur oratio charitatis tuæ. Propterea, sicut dicit Ioannes in Epistola sua hodie, immo ego per Ioannem. Tres sunt, qui testimonium perhibēt in terra, spiritus. Aqua, & sanguis, & tres in cælo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Sic tres dant tibi testimonium. Nam spiritus, qui custodiuit te in visceribus Matris testificatur animæ tuæ, quod Dei es per fidem Baptismi, quam profitebantur ex parte tua parentes. Testimonium perhibet tibi Aqua baptismatis, quod humanitatis Christi es filia per renouationem, & emendationem primæ transgressionis. Testimonium quoque perhibet tibi sanguis Iesu Christi, quo redempta es, quod deitatis es filia, & à potestate diabolica per sacramenta Ecclesiæ segregata. Nos quoque Pater, & filius, & Spiritus sanctus, tres in personis, sed vnum in substantia, & potentia, testimonium tibi perhibemus, quod nostra es per fidem. Similiter, & omnes, qui rectā fidem sanctæ Ecclesiæ imitantur. Et in testimonium, quod velis facere voluntatem nostram procede, & recipe de manu sacerdotis corpus, & sanguinē humanitatis Christi, vt testimoniū perhibeat tibi filius, quod eius es, cuius corpus sumis in robur animę. Testimonium perhibeat tibi Pater, qui est in filio, quod Patris es, & filij. Testimonium perhibeat tibi Spiritus sanctus, qui est in filio, & Patre, & spiritus in vtroque, quod trinus, & vnius es per fidem veram, & dilectionem.

RESPONSIO IESV CHRISTI ad sponsę preces pro infidelibus, scilicet, quod Deus ex malitia malorū hominum honoratur, licet non ex virtute eorum, & voluntate, quod sibi probat per exemplum, in quo Ecclesia, vel anima per Virginem, & nouē ordines Angelorum, per nouem fratres Virginis, Christus per Regem tres status hominum, per tres filios Regis designantur.

CAP. XXIV.

ODOMINE mi Iesu Christe. Rogo te, vt fides tua dilatetur super infideles, boni accendantur charitate tua amplius, mali vero meliorentur. Respondit filius. Tu turbaris ex eo, quod Deus minorem habet honorem. Desideras vero toto corde, vt perficiatur honor Dei. Ideo do tibi vnum exemplum, quo intelligere poteris, quod Deus etiam ex malitia malorum honoratur, licet non ex virtute, & voluntate eorum. Nam Virgo quædam erat sapiens, & decora, diues & morigerosa, quæ habebat nouem fratres quorum quilibet diligebat sororem suam, sicut cor suum, & vniuscuiusque cor erat quasi in illa. In regno vero vbi Virgo erat tale erat statutum, quod quicunque honoraret honoraretur, qui deprædaret, deprædaretur, qui vero violaret decapitaretur. Rex vero regni habebat tres filios. Quorum primus diligebat Virginem, & præsentauit ei calceos deauratos cum cingulo aureo, annulum in manu, & coronam super caput. Secundus vero concupiuit possessionem Viginis, & deprædatus est eam. Tertius concupiuit virginitatem Virginis, laborans, vt eam violaret. Isti vero tres filij Regis capti sunt a nouem fratribus Virginis, & præsentati Regi. Cui dixerunt frutres. Sororem nostram concupierunt filij tui. Primus quidem honorauit eam, & dilexit toto corde. Secundus spoliauit eam. Tertius vero libenter dedisset vitam suam, si valuisset violare eam. In illo vero puncto capti sunt, quo voluntatem completam habuerunt ad ista iam dicta perficienda. Quibus auditis respondit Rex. Omnes inquiēs filij mei sunt, & omnes ęqualiter diligo. Veruntamen contra iustitiam facere non possum, nec volo, sed ita de filijs sicut de seruis intendo iudicare. Itaque tu fili mi, qui honorasti Virginem, venis, & accipe

 hono-

Digitized by Google

honorem, & coronam cum Patre tuo. Tu vero fili, qui concupisti possessionem Virginis, & rapuisti, intrabis quidem carcerem, donec restituantur ablata, audiui enim testimonium super te, quod pœnitens de facto tuo voluisti reddere ablata, sed quia præuentus sceleri, & inopinato iudicio non perfecisti, ideo manebis incarceratus, donec restituatur quadrans. Tu vero filij mi, qui ad violandum Virginem omnes adhibuisti conatus, nec de facto tuo pœnituisti. Ideo quot modos adhibuisti ad dehonestationem Virginis, tot modis aggrauabitur pœna tua. Responderunt omnes fratres Virginis, laus sit tibi iudex pro iustitia tua. Nisi enim virtus fuisset in te, & in iustitia tua æquitas, in æquitate tua vero charitas, nunquam taliter iudicasset. Hæc autem Virgo significat Ecclesiam sanctam, cuius dispositio est excellens in fide, pulchra in septem sacramentis. Laudabilis in moribus, & virtutibus, amabilis in fructu, quia demonstrat veram viam ad æternitatem. Hæc sancta Ecclesia quasi tres habet filios, in quibus significantur plures. Primus sunt illi, qui diligunt Deum toto corde. Secundus sunt illi, qui temporalia diligunt ad honorem suum. Tertius sunt illi, qui præponunt Deo voluntatem suam. Virginitas vero Ecclesiæ, animæ sunt hominum a sola deitatis potentia creatæ. Primus ergo filius præsentat calceos deauratos, quando contritionem suscipit pro commissis negligentijs, & peccatis. Præsentat vero vestes, quando præcepta legis attendit, quando consilia Euangelica seruat, in quantum potest. Componit cingulum, quando incontinentia, & castitate firmiter proponit perseuerare. Annulum quoque mittit in manum, quando firmiter credit, quæ præcipit Sancta Ecclesia Catholica, iudicium scilicet futurum, & vitam sempiternam. Lapis vero annuli spes est, sperans constanter nullum peccatum esse, tam abominabile, quod pœnitentia, & voluntate emendandi non deleatur. Coronam vero imponit capiti, quando charitatem vé
1 ram habet. 1 Sicut enim diuersi lapides
sunt in corona, sic diuersæ virtutes sunt in
2 charitate. 2 Caput vero animæ siue Ecclesiæ, corpus meum est. Hoc quicunque diligit, & honorat merito filius Dei appellatur. Ergo quicunque tali modo sanctam Ecclesiam, & animam suam diligit, hic nouem fratres habet, idest, nouem ordines Angelorum, quia eorum particeps, & socius erit in vita æterna. Ipsi enim Angeli sanctam Ecclesiam toto amore amplectuntur quasi in corde cuiuslibet eorum esset. Non enim Ecclesia sancta saxa, & parietes sunt, sed animę iustorum, & ideo de earum honore, & profectu tanquam de proprio Angeli gratulantur. Secundus autem frater, vel filius signat illos, qui constitutionem sanctæ Ecclesiæ contemnentes, viuunt ad honorem mundi, & amorem carnis, qui virtutum pulchritudinem transformantes, viuunt secundum voluntatem suam, attamen circa finem pœnitent, & conteruntur de factis suis malis. Istis debetur purgatio, donec operibus, & orationibus Ecclesiæ Deo reconcilientur. Tertius filius significat illos, qui animam suam scandalizantes non curant, si æternaliter pereant dummodo perficere possint voluptatem suá. Super tales, nouem ordines Angelorum petunt iustitiam, quia ad pœnitentiam conuerti contempserunt. Ergo cum Deus facit iustitiam laudant eum Angeli propter æquitatem inflexibilem. Cum vero perficitur honor Dei gaudent de virtute eius, quod etiam malorum malitia vtitur ad honorem suum. Ideo cum videris prauos compaterę eis, gaude vero de honore Dei æterno. Nam Deus, qui nihil mali vult, quia Creator omnium, & vere ex se solus bonus, permittit tamen multa fieri tanquam iustissimus iudex, de quibus in cælestibus, & in terris propter æquitatem suam, & occultam bonitatem honoratur.

NOTAE.

1 Sicut enim diuersi lapides sunt in corona, sic diuersæ virtutes sunt cum charitate.

Cum charitas omnium sit forma virtutum, quippe quæ eorum actus ordinat ad vltimum finem, eamque sit radix, & fundamentum, quatenus in illa sustentantur, & nutriuntur ab ea, non est mirum, si scribitur hic, quod cum charitate cæteræ virtutes coniunguntur, immo virtutes non esse censendas veras virtutes à charitate seiunctas, affirmauit D. Augustinus ad Macedonium Epistola 52. quod late explicat Apostolus Paulus 1. Corinth. 13. vbi eas omnes virtutes enumerat, quæ charitati adhærent, charitas inquit, patiens est, benigna est, non æmulatur, &c. Vnde merito Cassiodorus in Psalm. 12. Pluuiam quandam virtutum appellat charitatem, sub qua, & beata voluntas germinat, & operatio sancta fructificat, patiens hæc est, in aduersis temperata in prosperis, humilitate potens, afflictione lætissima inimicis beneuola, bonis suis superans malos.

2 Caput animæ siue Ecclesiæ corpus meum est.

Sic etiam Paulus Apostolus ad Coloss. cap. 1. ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus prima-

primatum tenens, idem ad Ephes. 1. aperte habet his verbis ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, quo loco sermo est, de Christo homine, dicitur enim ibi suscitans eum à mortuis, &c. & ideo hoc loco annotare debemus Christum Dominũ vocari caput Ecclesiæ propriè secundum naturam humanam, quia ad rationem capitis spectat, vt sit homogeneum, & conforme cũ membris, est autem Christus ob humanam naturã eiusdem rationis cum omnibus hominibus, quod etiam annotarunt D. Basilius de Spiritu sancto cap. 30. D. Augustinus Epistola 57. ad Dardanum & in Præfat. ad Psalm. 29. & serm. 50 de verbis Domini & Epistola 50. & 57. in fine asserit aliter habitare in Christo, vt in capite aliter in cæteris membris, & lib. 1. de Trinit. cap. 12. dicit Christũ secundum formam serui esse caput, idem asseruerũt in locis citatis Pauli, Hieron. Ambros. Hilarius, Theophilactus, & Chrisost. hanc autem gloriam capitis, & quidquid ad regnum spirituale pertinet, sibi per passionem suam meruit Christus, vt nos supra fusius docuimus lib. 1. Reuelat. cap. 6. nota 5. & eodem lib. cap. 39. nota 4. & probat D. Aug. de vnitate Ecclesiæ cap. 7. & 8. & de iudiciaria potestate colligitur Iob 36. causa tua, quæ quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies.

VERBA QVAERIMONIAE Matris ad filiam; qualiter Agnus innocentissimus Christus Iesus negligitur modernis temporibus à creatura sua.

CAP. XXV.

LOQVITVR Mater dicens. Conqueror primo, quod Agnus ille innocentissimus hodie portabatur, qui optime sciebat ire. Hodie puer ille tacebat, qui optime sciebat loqui. Hodie puer ille innocentissimus circumcisus est, qui nunquam peccauit, & ideo quamuis irasci non possum tamen videor irata, ex eo, quod Dominus maximus factus puer modicus obliuiscitur, & negligitur a creatura sua.

VERBA CHRISTI AD Sponsam ineffabilis Trinitatis mysterium declarantia, & quomodo diabolici peccatores per contritionem, & voluntatem emendandi obtinent Dei misericordiam, & de responsione Christi, qualiter miseretur omnibus, scilicet, tam Iudæis, &c. & de duplici iudicio damnandorum, scilicet, & saluandorum.

CAP. XXVI.

FILIVS loquitur. Ego sum Creator cæli, & terræ, vnus cum Patre, & Spiritu sancto verus Deus. Quia Deus est Pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus, non tres Dij, sed tres personæ, & vnus Deus. Nunc autem quærere poteris, si tres personæ, quare non tres Dij. Respondeo tibi, quod non est aliud Deus, nisi ipsa potentia, ipsa sapientia, ipsa bonitas, a qua
1 est omnis potestas infra cælum, & supra omnis sapientia, & omnis pietas, quæ poterit cogitari. Itaque Deus trinus est, & vnus, trinus in personis, vnus in natura. Nam potentia, & sapientia est Pater, a quo sunt omnia, & qui est ante omnia, potens non
1 aliunde sed a seipso, & æternaliter. 1 Potentia & sapientia etiam filius æqualis Patri non a se ipso potens, sed a Patre potenter, & ineffabiliter genitus principium de principio, & a Patre nunquam separatum. Potentia & sapientia etiam Spiritus sanctus, a Patre, & Filio procedens, æternus cum Patre, & Filio, & æqualis in maiestate, & potestate.
2 2 Vnus ergo Deus, & tres personæ, quia vna natura, trium vna operatio, & voluntas, vna gloria, & potestas, qui ita est vnum in essentia, quod etiam sunt distincti proprietate
3 personarum. 3 Nam totus Pater est in Filio, & Spiritu, & Filius in Patre, & Spiritu, & Spiritus in vtroque in vna deitatis natura. 1
Non sicut prius, & posterius, sed ineffabiliter. Vbi nihil est prius, aut posterius, nihil alio maius, aut minus, vel alterius, sed totum Ineffabile, & æquale. Propterea bene scriptum est, quod Deus est mirabilis, & multũ laudabilis. Nunc autem conquæri possum, quod laudabilis sum parum, & multis ignotus, quia omnes quærunt propriam voluntatem, sed pauci meam. Tu vero esto stabilis, & humilis, nec te extollas in cogitatu, cum aliorum ostendo tibi pericula, nec eorum prodas nomina nisi tibi præcipiatur.

Non enim ad confusionem eorum ostenduntur tibi eorum pericula, sed vt conuertantur, & cognoscant iustitiam, & misericordiam Dei. Sed nec eos fugere debes tanquã iudicatos, quia etiam si dixero hodie, quod aliquis pessimus est, si inuocauerit mecum contritione cras, & cum voluntate emendandi, paratus sum indulgere ei. Et quem heri dixi pessimum, nunc hodie dico amicũ charissimum propter contritionem. In tantum,
4 quod si contritio fuerit stabilis, dimitto ei non solum peccatum, sed & pœnam peccati. Sicut per exemplum cognoscere poteris. Quasi essent duo frusta argenti viui, & ambo concurrerent festinando inuicẽ. Si in eorum coniunctione non esset residuum nisi quasi vnus athomus, adhuc potens esset Deus facere, ne conuenirent. Sic si aliquis peccator esset ita radicatus in diabolicis operibus, quod staret in ipso puncto perditionis, adhuc obtineret veniam, & misericordiam, si Deus inuocaretur cum contritione, & voluntate emendandi. Nunc autem cum ita sim misericors, quærere poteris, cur non misereor gentilibus, & Iudæis, quorum aliqui si erudirentur fide recta, libenter pro Deo morerentur? Respondeo tibi, quod omnibus facio misericordiam, tam gentilibus, quam Iudæis, nec relinquitur aliqua creatura sine misericordia mea. Nam quicunque audiunt, quod fides eorum non est vera, & desiderant feruenter veram, aut quicunque credunt hoc esse optimum, quod tenent, quia non est eis aliud vnquam prædicatum, faciuntque toto conamine, quæ possunt, horum iudicium erit in leuiori misericordia. Nam duplex est iudicium damnandorum, scilicet, & saluandorum. Christianorum enim damnandorum erit sine misericordia, quorum pœna erit æterna, & tenebræ, & voluntas firmata contra Deum, saluandorum vero erit visio Dei, & gloriatio in Deo, & velle Deo bonum. Ab his exclusi sunt Gentiles, & Iudæi, & mali, & falsi Christiani. Qui quamuis non habuerunt fidem rectam, habuerunt tamen iudicem conscientiam suam, credentes eundem esse Deum,
5 quem coluerunt, & offenderunt. 5 Isti autem quorum voluntas, & actio, erat & est secundum iustitiam, & contra peccatum, habebunt cum minus malis Christianis iudicium misericordiæ in suppliciis, propter dilectionem iustitiæ, & odium peccati, sed non habebunt consolationem in fruitione gloriæ, & visionis Dei, quem non videbunt propter baptismi carentiam, quia aliquod temporale, aut occultum iudicium Dei retraxit eos, ne salutem fructuosæ quærerent, & obtinerent. Si vero nihil retraxit eos in quærendo Deum verum, & baptizando, non timor, aut labor, non dispendium bonorum, vel honorum, sed impedimentum solum humanam fragilitatem superans, istos ego, qui Cornelium, & Centurionem, nondum baptizatos vidi, altius, & perfectius remunerare scio, sicut eorum exigit fides. Quia est alia ignorantia malitiæ, alia pietatis, & difficul-
6 tatis. 6 Similiter & alius est baptismus aquæ, alius sanguinis, alius perfectæ voluntatis. Quæ omnia nouit pensare Deus, qui omnium nouit corda. Propterea ego, qui sine principio natus sum æternaliter de principio, qui & iterum in fine temporum natus sum temporaliter, ab initio noui singulorum remunerare merita, & do vnicuique iuxta merita sua. Nec minimum bonum, quod fit ad honorem Dei transibit sine remuneratione. Ideo teneris tu multum regratiari Deo, quia de Christianis nata es, & in tempore salutis, quia multi desiderabant hoc obtinere, & videre, quod offertur Christianis, & non obtinuerunt.

NOTAE.

1 POtentia, & sapientia etiam Filius æqualis Patri non à seipso potens, sed a Patre potenter, & ineffabiliter genitus principium de principio, & a Patre nunquam separatum.

Hoc loco de æterna verbi generatione sermo fit, vbi duo à nobis breuiter annotanda sunt primum,
1 *verbum in diuinis dici propriè genitum, non creatum, aut factum, non quidem ea generatione, quæ communiter accepta se extendit ad productionem corruptibilium, quia cum illa transitus sit, de non esse ad esse, & de potentia ad actum nullo pacto Filio Dei competere potest, cum ille sit incorruptibilis nullam habens admistam potentiam, & æternus sit,*
2 *& æternaliter generetur, vt dicit David Psalm. 2. Ego hodie genui te, cum autem æternitas, nec præteritum, nec futurum propriè comprehendat, sed solum esse præsens, ideo dixit, Ego hodie genui te, hoc est, ab æterno genui te, sic annotarunt D. Augustinus in Psalm. citatum, & D. Athanasius lib. de vnitate sanctæ Trinitatis, & D. Paulus Hebræorum prima, adducit hunc locum ad probandum Christum esse verum Deum, & Dei Vnigenitum.*

Secundum, quod erat annotandum est, quod ideo hoc loco Verbum diuinum principium, de principio dicitur, non principiatum, ne cogamur concedere filium procedere à Patre, vt principiatum a principio, quoniam vt egregie docuit D. Thom. p. 1. q. 33. art. 1. ad 2. Patres non consueuerunt dicere filium esse principiatum à Patre, vel Spiritum sanctum principiatum à Patre, & à Filio cum hoc nomen principiatum significare videatur aliquid

ad

ad subiectionem, vel minorationem pertinēs, quamquam Magister sent. in 1. d. 29 concedat quidem filiū esse ex principio, negat tamen inde sequi quod filius habeat principium, quia inquit, habere principium denotare videtur, quod aliquo modo inceperit, re vera negari non potest, quod filius habeat principium, sicut legimus hic, quia negare esset illum habere Patrem, neque tamen hinc potest inferri, id quod dicit Magister, scilicet filium aliquando incepisse, quoniam cum dicimus Patrem esse principium filii, non notamus temporis aliquam durationem, sed modum processionis, quo filius ab æterno fuit à Patre, cuius ipse principium est, qui loquendi modus probari potest ex cap. vnico de summa Trinit. & fide Catholica vbi habetur, quod Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, idem habetur in Conc. Florent. & in Conc. Sirmiensi Can. 23. damnatur, qui dixerit filium esse sine principio, ita explicat D. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 2. illud Ioan. 1. In principio erat Verbum, & clarius hoc habet lib. 4. de Trinit. cap. 20. circa finem, vbi affirmat, Patrem esse principium totius deitatis, quod etiam probat D. Thomas 1. par. q. 33. art. 1.

2 Vnus ergo Deus, & tres personę, quia vna natura trium, vna operatio.

Vt veritatem verborum præsentis notæ bene percipiamus, in memoriam reuocanda est communis illa Theologorum Doctorum distinctio de operationibus ad intra, & extra, & quidem hoc loco de actionibus ad extra sermo fit, cum scribitur, quod trium personarum vna communis est operatio, sed de actionibus ad intra secus dicendum esset, cuius rei ratio deduci potest, ex citatis verbis, quoniam cum Deo competat operari ratione suæ naturæ, cumq. in diuinis, vt legimus hic, vna sit communis tribus personis natura, sequitur, quod sit vna communis operatio, quod etiam definitur in Conc. Lateranensi primo in principio, & cap. firm. de summa Trinit. dicuntur personæ diuinæ indiuisam habere virtutē, & in Conc. Toletano quinto Can. 5. & Tolet. 11 in confessione fidei deffinitum est, cuncta Trinitatis opera ad extra inseparabilia esse, & indiuisa, idem habet D. Augustinus 1. de Trinitate cap. 4. & 5. eandem veritatem ipsemet Christus Dominus docuit, Ioan. 5. vbi dicit quidquid facit Pater, & Filius similiter facit, & eadem est ratio Spiritus sancti ob æqualitatem virtutis, & potentiæ.

3 Nam totus pater est in filio, & spiritu, & filius est in patre, & spiritu, & spiritus in vtroque.

Quomodo vna persona diuina sit in alia, & qua ratione hac de re loquendum sit, annotauimus supra lib. 1. cap. 41. nota 3. & lib. 2. cap. 13. nota prima.

4 Quod si contritio fuerit stabilis dimitte ei non solum peccatum, sed & pœnam peccati.

Nulli dubium esse potest, si contritio eas partes habeat, quæ ad perfectam, & integram suæ naturæ conditionem exiguntur, posse aliquando, & culpam, & totam peccato debitam pœnam remittere, & per stabilitatem contritionis intelligendum esse arbitror hic perfectam, & omnibus numeris absolutam contritionem, quæ quattuor præcipue conditiones requirunt, primo dolor maximus peccatorum, non quidem intensiuus, sed extensiuus, vel appretiatiuus, quatenus peccata sunt offensa Dei. Secundo propositum omnino firmum amplius non peccandi de cætero, Tertio sacramentum confessionis in voto & propositum confitendi, Quarto voluntas satisfaciendi, atque hæc simul si in pœnitente reperiantur fieri poterit sicut legimus hic, vt aliquando, & culpa, & pœna à Deo misericorditer ei condonentur, quod etiam tradit D. Thom. in 3. sent. d. 19. art. 3. q. 1. & in 4 dist. 15. q. 2. art. 2. sequitur Durandus in 4. d. 17. q. 3. & Gloss in cap. Mensuram de pœn. dist. 1. & Gloss. in cap. Deus, qui de pœnit. & remiss. & colligitur aperte ex Concil. Trident. Sess. 14. Can. 2. sed animaduertendum est, quod licet contritio proprie dicta aliquando peccata dimittat, quoad culpam, & pœnam, remanere tamen obligationem confitendi proprio Sacerdoti, vt docent Adrianus in 4. de Confess quæst. 1. & D. Thom. in 4. sent. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula prima.

5 *Paulo post medium præsentis capitis, vbi in vulgatis habetur,* horum iudicium erit in leniori misericordia.

Arbitror omnino legendum esse, Horum iudicium erit in maiori misericordia, ad cuius rei intelligentiam sciendum est, quod hic comparatio fit, vt ex contextu colligitur, inter Gentiles, Iudæos & Christianos malos, quos omnes fore damnandos hoc loco legimus, Verum si per Gentiles intelligamus eos, qui proprie legem scriptam, non habuerunt de quibus Paulus Romanorum 2. verba faciens scripsit, quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, dicendum est, hos leniori pœna puniendos esse, quā puniētur Iudæi, & Christiani mali quandoquidem illi non à lege scripta Mosis, vt Iudæi, nec à lege Euangelij, vt Christiani, sed à lege tantummodo naturali bonum, malumque eis ostendente condemnabuntur, si secundum eam non vixerint, Iudæus autem & Christianus ab vtraque lege etiam naturale, & scriptam, si eas minime obseruauerint damnabuntur, quo enim maiora, & plura beneficia à Deo receperunt, eo maiores pœnas luere debent, si se gratos propter illa non exhibuerint, sic enim annotarunt Oecumenius, Theophilactus, & Lyranus in locum citatum Pauli, & egregie D. Chrysost. hom. 5. in eandem Epistolam, & D. Aug. in lib. de spiritu, & littera cap. 21. & 26. & fusius in Psalm. 118. Concione 25. ad eum versiculum, præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ, quo in loco triplicem facit legem, vnam scriptā per Mosen datam Iudæis, quam non acceperunt Gentiles, ideo dicit Paulus eos sine lege peccasse, alteram

alteram legem facit naturalem, & naturaliter insitam cunctis hominibus, & quam nullus mortalium mentis compos ignorare potest, & contra hanc peccant omnes Gentiles quicunque peccant, Tertiam legem dicit Augustinus eam fuisse, quæ primo homini data est in Paradiso, cuius præuaricatione, non solum ipse Adam, sed omnes eius posteri facti sunt eius præuaricatores, de secunda ergo lege, quæ ad rem nostram facit, intelligit Augustinus, fuisse locutum Apostolum, cum dixit Rom. 2. ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, & affirmat ibidem quod non immerito præuaricatores estimantur omnes peccatores terræ, nullus enim est, qui alteri facit iniuriam, nisi qui sibi fieri nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati, & hæc lex erat populo Israel ante legem Mosis data, quoniam ipsi homines erant, sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent, multo igitur magis præuaricatores, deinde facti sunt accepta lege diuina, hactenus Augustinus, ex cuius verbis aperte constat verum esse, quod scribitur hic, Iudæos, & Christianos malos grauiori pœna dignos esse, quia legem scriptam habuerunt, quam Gentiles, qui tantummodo naturalem, & ideo legendum est, eorum iudicium erit in maiori misericordia.

6 Christianorum enim damnandorum erit sine misericordia.

Subintelligendum est hoc loco, Iudicium, quod dicitur futurum sine misericordia non absolute, sed comparatiue ad Gentiles, de quibus superiori nota egimus, quorum pœna lenior erit, vt probauimus, non tamen negandum est, etiam cum malis Christianis damnatis Deum misericordiam facere; quia punit eos citra condignum.

7 Isti autem, quorum voluntas, & actio erat & est secundum iustitiam, & contra peccatum habebunt cum minus malis Christianis iudicium misericordiæ in supplicijs propter dilectionem iustitiæ, & odium peccati.

Hoc loco duo colligi posse videntur, Primum quidem Gentiles, qui fidem veram non habuerunt aliqualem tamen iustitiæ rationem in suis operibus habuisse, quod vt fiat manifestum, sciendum est, quod si de perfecta iustitia loquamur, quæ secundum D. Augustinum in lib. de vera Relig. cap. 48. & de salutaribus documentis cap. 1. consistit in vera dilectione Dei, quem ex tali iustitia toto corde amare, illique adhærere tota voluntate debemus, cum summum sit bonum, & hanc iustitiam negandum videtur habuisse huiusmodi homines, quippe qui perfecte iusti non fuerunt, quod ostendit D. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. dicens non esse in aliquo veram virtutem, nisi iustus sit, neque quisquam iustus est, nisi qui ex fide viuit & Prouerb. 24. dicitur, qui dicit impium iustum esse, maledictus erit in populo, & inter cætera, quæ ibi affert argumenta præcipuum sumit, ex connexione virtutum, cum dicat veram non esse pudicitiã eius, qui fornicatur à Deo, sed quidquid sit nobis dicendum videtur, eos potuisse habere aliqualem rationem iustitiæ in suis operibus, si in his dictamen rationis secuti essent, & bene moraliter se gessissent, quæ tamen opera sine speciali auxilio facta, nec dispositiones immediate ad gloriam, neque ad finem supernaturalem consequendum sufficientes fuissent, poterant quoque quoad substantiam operũ, quædã legis mandata adimplere, quæ tamen iusta dicebantur esse, quatenus rationi erant conformia, quod probari potest, Primo ex tribus concilijs Mileuitano Arausicano, & Triden. relatis à Benedicto Pererio super cap. 19. Epist. ad Ro. disp. 5. nu. 26. vbi hanc dubitationem admodum accurate, ac diligenter examinat, & in his concilijs fuisse conclusum asserit, sine speciali auxilio Dei, licet nullum possit fieri bonum, quod ad gratiam iustificationis pertineat, posse tamen aliquid fieri morale, ob naturalem quandam, & humanam honestatem, quod etiam patet ex Paulo Rom. 2. illis verbis, Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt faciunt, & Matt. 5. si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne hoc publicani faciunt, & si salutaueritis fratres vestros tantum quod amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt: idem patet ex D. Greg. Ho. 40. qui verba faciens de diuite Epulone exponens illa verba Lucæ 16. recepisti bona in vita tua, quia inquit, gesserat dum viueret aliquid bonum, quod in præsenti sæculo erat remunerandum, confirmat, hoc etiam D. Thom. 1. 2. q. 65. art. 2. qui disputans an virtutes morales possint esse sine charitate concludit, eas ea ratione, qua sunt effectrices boni in ordine ad finem naturalem hominis, posse per vim humanam acquiri, & sine charitate, vt inquit fuerunt in multis gentibus, secus vero dicendum de virtutibus moralibus, quæ sunt operatrices boni in ordine ad vltimum finem, in quo sensu habent rationẽ virtutis perfectæ. & sic non possunt humanis actibus acquiri, nec esse sine charitate, ex quibus palam fit, quod legimus hoc eodem capite paulo ante verba præsentis notæ, nimirum, qui quamuis non habuerunt fidem rectam, habuerunt tamen Iudicem conscientiam suam, secundum cuius dictamen operabantur, & hæc est iustitia de qua hoc loco sermo fit, quæ quoniam non est sufficiens disp. ad gloriam, ideo dicitur, quod ad æterna supplicia tradebantur Gentiles, sed quod minorem pœnam patiebantur, quam mali Christiani, quia illi non ea auxilia obtinuerunt, quæ ipsi quotidie à Deo recipiunt, nec ita per peccata auertuntur à Deo, sicut illi, cum supponamus eos in actionibus suis rationis regulas esse secutos, & ex hoc etiam patet, id quod in principio proposuimus admonere velle, quomodo, scilicet potuerint odio habuisse peccata, non quidem, vt erant offensa Dei, ad quod faciendum speciale auxilium exigitur, sed vt sunt contra bonum naturæ, quod illi bene moraliter operando, vt supra

dictum

dictum est profitebatur perficere, peccare enim aliud non est, quam recedere ab eo, quod est secundum naturam, caterum neq. hoc esse possibile in statu naturæ corruptæ assequi absq. auxilio habitualis gratiæ sanantis, ad hoc vt quispiam omnino a peccato abstineat, probat D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 8.

8 Similiter & alius est Baptismus Aquę, alius Sanguinis, alius perfectæ voluntatis.

Hoc loco tria esse Baptismata definitur, Aquæ scilicet, Sanguinis, & Flaminis, non quidem vt tria Sacramenta distincta, quoniam vt dicit Apostolus ad Ephes. 4. Sicut vna est Fides, vnū etiā est Baptisma, sed quia alia duo quæ hic enumerantur conueniunt cum Baptismo Aquæ, quo ad aliquem effectum, qui emanat ab ipsis, ideo appellantur Baptismata, sed tamen non conueniunt cum eo in ratione signi, quod propriæ ad Sacramentum spectat, idcirco non tollitur vnitas Sacramenti cum etiam alia duo in aquæ Baptismate includantur, quod ex Christi Domini passione efficaciam habet. horum autem trium principē locum tenere Sanguinis Baptismum censeo, quoniam vt auctor est. D. Tho. 3. p. q. 63. art. 12 passio Christi in aquæ Baptismo operatur per quandam figuralem repræsentationem, in Baptismo Flaminis per quādam affectionem, sed in Sanguinis Baptismo per operis imitationem quod longe præstantius est, tum quia Spiritus Sanctus in primo operatur per virtutem latentem in secundo, per cordis commotionem: in tertio vero potissimum per dilectionem, & ideo Ioan. 15. scribitur maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, vnde egregie D. Augustin: de Ecclesiast. dogmat. cap. 74. comparans Baptismum Aquæ cum Baptismo Sanguinis, dicit Baptizatus confitetur fidem suam coram Sacerdote, Martyr coram persecutore, ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine, ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti.

DEPRECATIO SPONSAE

1 ad dominum pro Roma, & de multitudine innumerabili Sanctorum Martyrum Romę quiescentium, & de tribus gradibus perfectionis Christianorum, & de quadam visione ipsius sponsæ, & qualiter Christus ei apparens prædictam visionem sibi exposuit & declarauit.

CAP. XXVII.

O MARIA. Licet immitis fuerim, tamē te inuoco in adiutorium meum. Et rogo te, vt rogare digneris pro excellentissima & sanctissima illa vrbe Roma. Video enim corporaliter quod quędam Ecclesiæ, in quibus ossa Sanctorū quiescunt desolatæ sunt. Quædam vero habitantur, sed corda & mores rectorum earum longe sunt a Deo. Impetra ergo eis charitatem, quia audiui ex scripturis, quod Romæ quælibet dies in anno septem millia continet martyrum. Et ideo quamuis animę non minorem honorem obtinent in cęlo, licet ossa eorum contineantur in terris, tamen rogo te vt Sanctis tuis, & Sanctorum tuorum reliquiis amplior honor exhibeatur in terris, & sic deuotio populi excitetur. Respondit Mater. Si mensurares terram centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine, & seminares eam plenam puris granis tritici, ita compresse, quod non esset distantia inter granum & granum, nisi quasi articulus digiti vnius, quodlibet vero

1 granum daret fructū centuplum 1 adhuc essent plures Martyres. & Confessores Romę à tempore illo quo Petrus venit Romam cum humilitate, vsquequo Celestinus discessit a sede superbię, & reuersus est ad suam solitariam vitam. De illis vero Martyribus & Cōfessoribus loquor, qui fidem veram prædicabant contra diffidentiam, & humilitatem contra superbiam, & qui pro veritate fidei mortui sunt, vel voluntate parati erant mori. Nam Petrus & alij plures, sic calidi, & ferventes erant ad proferendum verba Dei, quod si potuissent mori pro vnoquoq. homine libenter fecissent. Attamen timidi fuerunt ne a conspectibus illorum, quos verbo consolationis & prædicationis fouebant raperētur, quia salutem eorum plus desiderabant, quā

2 vitam propriam & honorem. 2 Fuerunt quo-

var. lect. què tanti & ideo processerunt occulte in persecutione, propter lucrum & collectionē plurimarum animarum, Igitur inter istos duos Petrum, scilicet & Celestinum, non omnes fuerunt boni sicut nec omnes mali Ecce ponamus tres gradus, sicut tu composuisti hodie, positiuum comparatiuum & superlatiuum, idest bonos, meliores, & optimos. In primo gradu fuerunt illi, quorum cogitatio fuit ista. Nos credimus quicquid sancta pręcipit Ecclesia. Neminem defraudare volumus, sed defraudata reddere, & Deo seruire desideramus toto corde. Consimiles etiam fuerunt tempore Romuli fundatoris Romæ, secundum fidem suam qui cogitabant taliter. Nos intelligimus, & scimus ex creaturis, quod Deus est creator omnium, hunc ergo diligere volumus pre omnibus. Quam plures vero cogitabant ista. Nos audiuimus ex Hebreis, quod Deus verus ostendit se eis per miracula manifesta. Et ideo si sciremus in quo nos magis fundare deberemus libenter faceremus. Isti omnes fuerunt quasi in primo gradu. Tempore vero placito Petrus venit

venit Romam, qui alios eleuauit in positiuum gradum, alios in comparatiuum, alios in superlatiuum. Illi enim, qui fidem receperunt veram, qui in coniugio, & alia dispositione laudabili steterunt, isti fuerunt in positiuo gradu. Qui vero sua dimiserunt propter charitatem diuinam, qui alijs exempla bona viuendi ostenderunt verbis, & exemplis, & operibus, necnon & qui nihil Christo præposuerunt, isti fuerunt in comparatiuo gradu. Qui vero carnem suam dederunt pro amore Dei, isti fuerunt in gradu super-
3 latiuo. 3 Sed quęramus in his gradibus supradictis, vbi inuenitur charitas Dei feruentior? Quæramus in militibus, & doctoribus. quæramus in religiosis, & mundi contemptoribus, qui tenerentur esse in comparatiuo, & superlatiuo gradu, & certe nimis pauci inueniuntur. Nam non est vita austerior, quam vita militaris, si in sua vera institutione staret. Si enim monacho præcipitur habere cucullam, militi præcipitur grauius scilicet lorica. Si vero est graue monacho pugnare cōtra voluptatem carnis, militi est grauius inter armatos hostes procedere. Si vero ordinatur monacho durus lectus, grauius est militi in armis quiescere. Et si monachus turbatur, & affligitur abstinentia durius est militi affligi continuo timore vitæ. Non enim militia Christianitatis incepta est propter mundi possessionem, & cupiditatem, sed ad confortandam veritatem, & dilatandum veram fidem. Et ideo gradus militaris, & religiositatis in superlatiuo gradu vel comparatiuo esse tenerentur. Sed omnes gradus a sua laudabili dispositione apostatauerunt, quia charitas Dei versa est in cupiditatem mundi. Si enim auferetur vnus florenus de tribus, magis tacerent plerique veritatem, quam loquendo amitterent illū. Nunc autem loquitur sponsa dicens. Iterum vidi quasi multos hortos in terra, rosas vero, & lilia conspexi inter hortos. In quodam vero loco spatioso terræ vidi agrum centū uestigiorum in longitudine, & totidem in latitudine. In quolibet autem vestigio erant septem grana tritici seminata, & quodlibet granum dabat fructum centuplum. Post hæc audiui vocem dicentem: O Roma Roma, muri tui dirupti sunt, ideo portæ tuæ sunt sine custodia, vasa tua venduntur, ideo altaria tua desolata sunt, viuum sacrificium, & incensum matutinum comburitur in atrio, ideo non egreditur de Sanctasanctorum sanctus odor suauissimus. Et statim apparens Dei filius dixit sponsæ. Horum intelligentiā quæ vidisti indico tibi. Terra quā vidisti significat omnem locum, vbi nunc est fides Christiana. Horti vero significant loca illa vbi sancti Dei receperunt coronas suas. Veruntamen in paganismo, scilicet in Hierusalem, & in alijs locis multi fuerunt electorum Dei, quorum tamen loca tibi modo nō sunt monstrata. Ager vero centum pedum in longitudine, & totidem in latitudine significat Romam. Nam si omnes horti de toto mundo coniuncti essent Romæ, certe Roma esset æque magna de martyribus, in carne lo- 2
loquor, quia locus ille electus est ad amorē
4 Dei. 4 Triticū vero, quod inter vestigia vidisti, significat illos, qui per carnis macerationem, & contritionem, & vitam innocen-
5 tem, intrauerunt cælum. 5 Rosæ vero paucę sunt martyres rubicundi sanguinis sui effu-
6 sione in diuersis locis. 6 Lilia vero confessores sunt, qui fidem sanctam verbis, & operibus prædicauerunt, & confirmauerunt. Nunc autem ego possum loqui de Roma, si-
1 cut Propheta loquebatur de Hierusalem. Olim, inquiens habitauit in ea iustitia, & principes eius principes pacis. Nunc autem versa est in scoriam, & principes eius homicidæ. O si cognosceres dies tuos o Roma, fleres vtique, & non gauderes. Roma quippe in diebus antiquis erat quasi tela colorata, omni colore pulcherrimo, & contexta nobilissimo filo. Terra quoque eius erat colorata colore rubeo, idest sanguine martyrum, & contexta, idest commixta ossibus sanctorū. Nunc autem portæ eius desolatæ sunt, quia defensores, & custodes earum inclinati sunt ad cupiditatē. Muri eius depressi sunt, & sine custodia, quia iam non curant animarum damna, sed clerus, & populus, qui sunt murus Dei disperguntur ad faciendum vtilitatem carnis. Vasa diuina venduntur contēptibiliter, quia sacramenta Dei propter pecuniam, & fauorem mundanum dispensantur. Altaria vero desolata sunt, quia qui celebrat cum vasis, manus habet a charitate Dei vacuas, & oculos ad offertoriū, & licet Deum vere habeant inter manus, cor tamen vacuū est a Deo, quia mundanis vanitatibus est repletum. Sanctum vero sanctorum, vbi olim consumabatur summum sacrificium, significat desiderium diuinę fruitionis, & visionis, de quo ascendere deberet charitas ad Deum, & proximum, & odor totus continētiæ, & virtutis. Nunc autem sacrificium cōsumitur in atrio, idest in mundo, quia tota diuina charitas versa est ad incontinentiā, & mundi vanitatem. Talis est Roma corporaliter sicut vidisti: nam altaria plura desolata sunt, offertorium expenditur in tabernis. Offerentes plus vacant mundo, quam
7 Deo. 7 Veruntamen scias, quod a tempore Petri humilis, vsque dum Bonifatius ascendit sedem superbiæ, innumerabiles animæ ascenderunt in cęlum. Adhuc tamen Roma non est sine amicis Dei, qui si haberent adiu-

adiutorium, clamarent domino, & ipse misereretur eisdem.

NOTAE.

1 ADhuc essent plures martyres, & confessores Romæ a tempore illo, quo Petrus Romam venit cum humilitate, vsque quo Cælestinus discessit a sede superbiæ, & reuersus est ad solitariam vitam.

Dubitari minime potest, hunc, cuius hic mẽtio fit, non fuisse Cælestinum V. qui ex heremita ad summum Pontificatum euectus est, hic propriæ quieti, ac saluti suæ consulens, quinto fere mense, postquã fuerat assumptus, abdicauit se Pontificatu, quem Petrum Moronem prius appellatum fuisse Platina affirmat in vita ipsius Hic fuit vir probitate, ac vitæ sanctitate conspicuus, vt ex eodem Platina, & ex Martyrologio Romano videre est die 19. Maij, & ex Surio tom. 3. De eodem plura narrat D. Antoninus 3. p. tit. 20. cap 8. relatus est in numerum Sanctorum a Clemente V. Anno D. 1313. Scribitur autem hoc loco, Ab eo tempore quo Petrus Romam venit, vsque ad hunc Pontificem plures & martyres, & confessores floruisse, nec mirũ, cum ingentes persecutiones a temporibus Principis Apostolorum sub Nerone, alijsq. Catholicæ Ecclesiæ hostibus, vsque ad Siluestrum passa sit Ecclesia, & subinde etiam tunc vsque ad Cælestini Pontificatum, multiplices fuerint exortæ hæreses, quod quampluribus causam dedit, sanguinis effusione, doctrina, ac morum probitate Catholicam fidem propagandi.

2 Fuerunt quoque tanti.

var. lect. *Rectius Farnesianus Codex M.S. legit. Fuerunt quoque cauti, atque ita esse legendum patet ex subsequentibus verbis: indicant enim Apostolos tunc temporis cautos ac prudentes fuisse, quippe qui, prout Dei honori, ac animarum saluti consulere posse arbitrabantur, sese martyrio exponebant.*

3 Sed quæramus in his gradibus supradictis, vbi inueniatur charitas Dei feruentior.

Iam supra hoc eodem cap. duo perfectionis gradus distincti sunt, Martyrum primus, secũdus vero Confessorũ: his vero tertius additur nimirũ Militũ eorum scilicet qui veram militiam profitentur; & ex his duobus postremis, qui hoc loco ad inuicem inter se comparantur, videtur indicari militarem vitam austeriorem esse vita monastica: sed quidquid sit constanter asseuerandum est, horum supremum, ac præstantissimum esse Martyrium, quandoquidem inter omnes actus virtutis, charitas primum locum tenet, tanto enim quis magis rem aliquam diligere ostendit, quanto pro ea magis rem amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit; sed inter alia bona in mundo, homo vitam præcipue alijs rebus præfert, & mortem maxime odit: ergo qui vitam pro fidei confessione dat & mortem eligit charitatis perfectionem maxime ostendit: vnde Io. 15. scribitur, Maiorem charitatem nemo habet, quã vt animam suam ponat quis pro amicis suis, hinc D. Aug. lib. 1. de Virginitate c. 2. Martyrium præfert Virginitati, & D. Tho. 2. 2. q. 124. ar. 3. probat illud esse actum maxime perfectionis.

4 Triticum vero, quod inter vestigia vidisti, significat illos, qui per carnis macerationem, & contritionem, & vitam innocentem intrauerunt cælum.

Christus Dominus præsentis capitis visionem exponens B. Brigittæ dicit, per triticum, eos significari, qui carnis maceratione regnum cælorum adepti sunt, & sane sicut granum tritici, quod est inclusũ in palea, nisi fuerit trituratum, foras non egreditur & nisi percutiatur de palea non exilit, ita quoque homo, nisi proprium corpus ieiunijs, vigilijsq. premat, nunquam de carnis affectionibus, ac terrenis concupiscentijs exit; secus si carnem edomauerit statim ad Deum reuertitur, & omnibus posthabitis nõ aliud quam quæ Dei sunt quærit: Vnde Ioan. 12. scribitur, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert.

5 Rosæ vero pauca martyres sunt rubicundi sanguinis sui effusione.

Rosa cum flos sit odoriferus, & ex spinoso frutice oriatur, rubicundi, aut etiam albi coloris, egregie sanctos Martyres designat, hi enim ob sanguinis effusionem rubicundi sunt, & ob summam quam moriendo ostendunt charitatem, odorem maximum emittunt, vt merito dicere possint cum Apostolo 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus, vt vero rosæ albæ sunt, innocentiam ac vitæ integritatem indicant, quam sibi per martyrium comparant: & ideo de his scriptum est Apocal. 7. Dealbauerunt stolas suas in sanguine Agni. Martyres autem per rosas significari tradit Eucherius de spiritualibus formulis cap. 4.

6 Lilia vero Confessores sunt, qui fidem sanctam verbis, & operibus prędicauerunt, & confirmarunt.

Hoc loco Confessores lilijs comparantur, sicut enim lilium & candore, & odore flos est præstantissimus, ita quoq. Sancti & vitæ probitate, & verbi Dei prædicatione, & odorem maximum ac ingentem candorem redolent. Hinc est, quod Cant. 5. ipsa lilijs comparat labia sponsi: Labia, inquit eius distillantia myrrham: & hoc quia ab eo emanabant suauissima, ac dulcissima verba, quæ magnum vndique spirabant odorem. Cæterum Sanctos viros humiles & probos per lilia in sacris litteris designari, tradunt Basilius in psal. 44. Greg. 24. Moralium cap. 6. Bern. in Cant. ser. 70 & 71.

7 Veruntamen scias quod a tempore Petri humilis, vsque dum Bonifacius ascendit sedem superbiæ, innumerabiles animæ ascenderunt in cælum.

Hic fuit Bonif. 8. qui successit in Pontificatu Cælestino V. de quo supra egimus hoc eodẽ cap. not. 1.

IN-

INFORMATIO VIRGINIS ad sponsam de modo sciendi diligere, & quattuor ciuitatibus, in quibus quattuor charitates inueniuntur, & quę istarum debeat proprie charitas nuncupari perfecta.

CAP. XXVIII.

MATER loquitur ad sponsam dicens. Nunquid filia diligis me? Respondit illa. Doce me domina diligere, quia anima mea fędata est dilectione falsa, seducta veneno mortifero, pro quo non valet apprehendere dilectionem veram. Et Mater. Ego inquiens docebo te. Nam quattuor sunt ciuitates, in quibus quattuor inueniuntur charitates, si tamen omnes charitates nuncupari debent, qnia non est proprie dicenda charitas, nisi vbi Deus, & anima in vera virtutū vnitate confederantur. Prima igitur ciuitas est, ciuitas probationis, quæ est mundus, in quo ponitur homo, vt probetur, si diligit Deum, an non, vt experiatur infirmitatem suam, vt acquirat sibi virtutes quibus redeat ad gloriam, vt purgatus in terra gloriosius in cælis coronetur. In hac ciuitate inuenitur dilectio inordinata, cum diligitur caro, plus quam anima. Cum desideratur temporale feruentius, quam spirituale. Cum honoratur vitium, & despicitur virtus. Cum plus dulcescit peregrinatio, quam patria. Cum plus timetur, & honoratur moriturus homunculus, quam in æternum regnaturus Deus. Secunda ciuitas est, ciuitas purgationis, in qua abluuntur sordes animæ. Placuit enim Deo talia loca ordinare, in quibus coronandus purgaretur, qui in libertate negligens insolescebat, sed tamen cum timore. In hac ciuitate inuenitur imperfecta dilectio quia diligitur Deus, ex spe soluendæ captiuitatis, sed non ex feruore affectionis, propter tædium, & amaritudinem satisfaciendæ culpæ. Tertia ciuitas est, ciuitas doloris, vbi est infernus. In hac inuenitur dilectio omnis malitiæ, & immunditiæ, omnis inuidiæ, & obdurationis. In hac quoque ciuitate regnat etiam Deus per ordinatam suam iustitiam, per mensuram suppliciorum debitā, per malitiæ refrenantiam, per libratam pro meritis omnium æquitatem. Nam sicut alij damnandorum peccant plus, alij minus. Ita & pœnę, & retributionis condignę constituti sunt termini. Nam & si omnes damnandi includuntur tenebris, non tamen omnes vno eodemque modo. Differunt enim tenebræ à tenebris, horror ab horrore, ardor ab ardore. Vbique denique disponit Deus iustitia, & misericordia, etiam in inferno, vt aliter puniantur hi, qui peccauerunt ex industria, aliter qui ex infirmitate, aliter, qui ex sola originalis peccati noxa tenebantur quorum plaga, & si in carentia diuinæ visionis, & lucis electorum consistit, Misericordiæ tamen
1 & gaudio per hoc appropinquant, 1 quod ad horrorem suppliciorum non perueniunt cum prauorum operum effectum non habebant. Alioquin nisi Deus disponeret in numero, & mensura, diabolus nunquam mensuram haberet in puniendo. Quarta ciuitas est ciuitas gloriæ. In hac est dilectio perfecta, & charitas ordinata, qua nihil desideratur, nisi Deus, & propter Deū. Vt ergo ad istius ciuitatis perfectionem peruenias, quadruplicem oportet te habere charitatē, scilicet ordinatam, mundam, veram, & perfectam.
2 2 Ordinata vero charitas est, qua caro diligitur ad solam sustentationem, mundus ad nullam superfluitatem, proximus propter Deum, amicus propter vitæ puritatē. Inimicus propter remunerationem. Munda vero charitas est, qua vitium non diligitur cum virtute, qua consuetudo praua contemnitur qua peccatum non leuigatur. Vera autem est dilectio, quando Deus toto affectu, & corde diligitur, quando honor, & timor Dei præcogitatur in omnibus actibus, quando ex fiducia bonorum operum, minimum peccatum non committitur, quando sapienter moderat quis seipsum, ne ex nimio feruore deficiat, quando ex pusillanimitate, & ignorantia tentationum non declinatur ad peccatū. Perfecta vero est charitas, quando nihil dul-
3 cescit homini sicut Deus. 3 Hæc in præsenti inchoatur, sed in cælo consumatur. Ergo dilige istam perfectam charitatem, & veram, quia omnis, qui eam non habuerit purgabitur, si tamen fidelis, si feruens, si paruulus, si renatus fuerit, alioquin transibit ad ciuitatē horroris. Nam sicut vnus est Deus, sic vna est fides in Ecclesia Petri, vnū baptisma, vna gloriæ, & remunerationis perfectio, propterea qui ad vnum Deum peruenire desiderat, debet vnam voluntatem, & vnam charitatē, cum vno Deo habere. Ideo miseri sunt illi, qui sic dicunt. Sufficit si ero in cælo minimus, nolo esse perfectus. O insensata cogitatio, quomodo erit ibi imperfectus, vbi sunt perfecti omnes, alij ex innocentia vitæ. Alij ex innocentia pueritiæ. Alij ex purgatione. Alij ex fide, & bona voluntate.

NOTAE.

1 QVod ad horrorem suppliciorum non perueniunt, cum prauorum operum effectum non habebant.

De paruulis hic sermo fit, qui cum solo peccato originali decesserint, pœnam sensus nullatenus patiuntur, sed tantummodo damni, quæ in carentia diuinæ visionis consistit, & ideo scribitur hoc loco, quod ad horrorem suppliciorum non perueniunt, scilicet ad sensus pœnas, quæ homini infligitur propter actuale peccatum, quod ipsi non comiserunt, hanc autem paruulorum pœnam D. August. in Enchiridion cap. 93. circa medium vocat leuissimam, non quidem quod visione diuina carere, sit minima pœna cum sit omnium maxima, sed D. Augustin. loquitur comparatiue ad eos, qui vtramque pœnam luunt, paruuli autem, qui cum originali tantummodo peccato decesserunt pœnam damni solum patiuntur, & ideo eorum pœnam leuissimam esse Augustinus affirmauit, aut etiam dicendum est, illam pœnam vocari ab Augustino leuissimam, quoniam illam, non vt sibi afflictiuam, & nociuam paruuli apprehendunt, nec de carentia visionis diuinæ tristantur, vt nos late probauimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 1. nota 6.

2 Ordinata vero charitas est, qua caro diligitur ad solam sustentationem, mundus ad nullam superfluitatem, proximus propter Deum; Amicus propter vitæ puritatem, inimicus propter remunerationem.

In præsenti capite fuse traditur qualis esse debeat perfecta, & ordinata charitas, & in quo differat ab inordinata, dictum est autem supra, non longe ab initio capitis, quod inordinata ea est, qua feruentius temporale diligitur, quam spirituale, ordinata vero dicitur esse, qua nihil diligitur nisi Deus, aut propter Deum, nunc vero, vt hoc ostendatur apertius admonemur, charitatis perfectionem esse sumendam, ex fine diligendorum, cum enim, & nos metipsos, & proximum amare debeamus, videndum est, vt id debitis circumstantijs, & honesto fine perficiamus, ex amore namque totum est, quod bonum est, & totum, quod malum est dicit Diuus Augustinus in lib. de substantia dilectionis, & amoris cap. 1. Tomo 4. & ideo hoc loco legimus eam esse censendam ordinatam charitatem, qua caro diligitur ad solam sustentationem, vbi per carnem intelligas quidquid ad hominis sustentationem à Deo ordinatum est, illud autem, quod sequitur, nimirum proximus propter Deum est diligendus, amicus propter vitæ puritatem, inimicus propter remunerationem, indicat ad perfectam charitatem omnino exigi, vt nihil nisi in ordine ad Deum, & extra Deum nihil ametur, quia alias non amor verus est, sed cupiditas, vt loco supra citato docet Diuus Augustinus, medium quippe ait est cor hominis, vnde fons amoris erumpit, & cum per appetitum ad exteriora decurris, cupiditas dicitur, cum vero scribitur, quod Amicus ob vitæ puritatem diligendus est, non excluditur, quod etiam prauos homines, quatenus sunt eiusdem naturæ, & possunt esse participes nobiscum beatitudinis non amemus, sed quod bonos, vt boni sunt feruentius diligamus, & ad hunc eundem sensum accipiendum est illud, quod hic quoque sequitur, inimicum propter remunerationem diligendum esse, non quidem vt inimicus est, sed vt potest esse particeps eiusdem remunerationis nobiscum, vitæ nimirum æternæ, aut etiam propter meritum, quod ex eius dilectione consequi possumus, iuxta Domini præceptum Matth. quinto. Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, an vero magis meritorium sit diligere inimicum, quam Amicum, Diuus Thomas 2. 2. quæst. 27. art. 7. dicit absolute amicorum dilectionem præstantiorem esse, ac meliorem inimicorum dilectione, tum quia illa feruentior est, tum quia si consideretur ex parte rei, quæ diligitur potior est, melior namque est amicus, quam inimicus, sic tradunt etiam Magister in 3. distinct. 30. Altisiodorensis in 3. tract. 5. cap. 2. quæstione vltima, & alij plures ex Scholasticis, secus vero dicendum est, si expendatur ratio, propter quam inimicus amatur, quæ non potest esse alia, quam ipsemet Deus, amici vero potest esse alia ratio dilectionis, & amoris, & ideo ex hac parte videtur maius posse quis consequi meritum diligendo inimicum, quam amicum.

3 Hæc in præsenti inchoatur, sed in cælo consumatur.

Ad horum verborum intelligentiam duo nobis animaduertenda sunt, primum quidem charitatem in via non inchoari solum, ita vt hic initium tantummodo sumat, & in patria postea secundũ totam suam latitudinem crescat, sed intelligendum est, quod ita inchoetur, quod etiam augeri possit in via, sicut quotidie sanctis Viris contingit, qui propter eorum opera bona crescunt in amore Dei, quod esse verissimum, ex pluribus sacrarum litterarum testimonijs constat, vt ad Ephesios 4. veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, & ad Philippenses primo, Oramus Deum, vt charitas vestra magis, ac magis abundet, & probat Concil. Trid. Sess. 6. cap. 10. vbi habet, quod iusti magis iustificantur per bona opera, & quod hoc iustitiæ incrementum petit Ecclesia cum Orat. da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum, an vero hoc charitatis augmentum fiat essentialiter, & per maiorem radicationem in subiecto, per hoc, quod subiectum participet magis, ac magis charitatem, an vero per aditionem aliquam alicuius distincti gradus secundum speciem, vel numerum, hoc relinquen-

dum esse censui Scholasticorum disputationibus, qua de re agit Diuus Thomas 2. 2. q. 24. art. 5. & ibi late Caetanus, & Bannes. Durand. in 1. distin. 17. quæst. 5 & alij plures Scholastici ex dictis, infertur: secundum quod supra proposuimus hoc loco annotare, nimirum an fieri possit, quod charitas quæ augeri potest in via, peruenire possit ad eum gradum, quem habent Sancti in patria, & sane simpliciter loquendo videtur dicendum, quantitatem charitatis in via non posse æquari quantitati charitatis, quæ est in patria: & ratio esse potest quia charitas viæ semper respicit obiectum absens, patriæ vero præsens, ergo semper intensius operatur ob præsentiam rei diligibilis, & idcirco hic appellatur patriæ charitas consumata, hoc est vndequaque perfecta, viæ vero incboata: & hoc probari potest ex his verbis Pauli Apost. ad Philipp. 3. Non quod iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam, vbi de perfectione charitatis in patria loquitur. & 1. Corin. 13 probat hoc Apostolus illis verbis; Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est, scilicet, quod est ex parte perfectũ in via tolletur cum venerit, quod perfectum est in patria & clarius idem annotarunt gloss. & Lyranus in illud Matthæi 11. qui minor est in regno Dei, maior est illo.

LAVS SPONSAE AD Virginem continens templi Salomonis similitudinem, & Deitatis vnitatis cum humanitate veritatem inexplicabilem, & qualiter sacerdotum templa sunt vanitate depicta.

CAP. XXIX.

BENEDICTA tu Ma-
ria mater Dei, Templum
Salomonis. Cuius parie-
tes fuerunt deaurati, cu-
ius tectum præfulgens,
cuius pauimentum pre-
tiosissimis stratum lapi-
dibus, cuius compositio tota effulgens cu
ius interiora omnia redolentia, & dele-
1 ctabilia ad intuendum. 1 Denique per
omnem modum similaris tu templo Salo-
monis, in quo verus Salomon spaciabatur,
& sedit, in quod induxit arcam gloriæ, &
2 candelabrum ad lucendum. 2 Sic tu benedi
cta Virgo templum es Salomonis illius, qui
fecit inter Deum, & hominem pacem, qui
reconciliauit reos, qui vitam dedit mortuis,
& pauperes ab exactore liberauit. Corpus
quippe tuum, & anima facta sunt Deitatis
templum, in quibus erat tectum diuinę cha
ritatis, sub quo filius Dei egressus à patre ad 1
te, gaudenter habitauit tecum. Pauimen-
tum vero templi fuit composita tua vita, &
exercitatio virtutum assidua. Nulla enim ti
bi defuit honestas, quia totum in te fuit
stabile, totum humile, totum deuotum, to-
tumque perfectum. Parietes vero templi
fuerunt quadranguli, qui a nullo perturba-
ris opprobrio, de nullo superbiebas honore,
nulla inquietabaris impatientia; nihilque
nisi honorem, & amorem Dei affectabas. Pi-
cturæ vero templi tui fuerunt inflammatio
continua Spiritus sancti, qua in tantum ele-
uabatur anima tua, vt nulla esset virtus, quę
non amplior, & perfectior esset in te, quam
in aliqua alia creatura. Itaque in hoc tem-
plo tunc spaciabatur Deus, quando mem-
bris tuis infudit suæ visitationis dulcediné.
Requieuit vero quando Deitas sociabatur
3 humanitati. 3 Benedicta igitur sis tu Beatis
var. sima Virgo, in qua Deus magnus factus est
lect. puer paruus, antiquissimus Dominus factus
est pusillus filius, sempiternus Deus, & crea-
tor inuisibilis, factus est visibilis creatura.
Ideo quia pijssima, & potentissima es domi-
na, rogo te, respice in me, & miserere mei.
Mater enim Salomonis es, non illius, qui
fuit filius David, sed eius qui pater est David
& dominus Salomonis, qui ędificabat tem-
plum illud mirificum, quod te veraciter præ
figurabat, Filius enim exaudiet matrem, &
talem, ac tantam matrem. Impetra ergo vt
puer Salomon, qui fuit quasi dormiens in te,
sit vigilans mecum; vt nullius peccati dele-
ctatio me pungat, sed contritio commissorũ
sit stabilis, amor mundi sit mihi mortuus, pa
tientia perseuerans, pœnitentia fructuosa.
Non enim habeo aliquid virtutis pro me, ni
si verbum vnum; hoc est miserere Maria, quia
templum meum contrarium omnino tuo est.
Est enim tenebrosum vitijs, lutosum ex lu-
xuria, corruptum ex cupiditatis vermibus,
instabile ex superbia, labile ex vanitate mun
danorum. Respondit Mater. Benedictus sit
Deus, qui cordi tuo hanc inspirauit proferre
salutationem, vt intelligeres quanta in Deo
4 sit bonitas, quantaq. dulcedo. 4 Sed cur cópa
ras me Salomoni, & templo Salomonis cum
mater sim illius cuius generatio non habet
principium, nec finẽ, & illius qui legitur nec
habuisse patrẽ, nec matrem, hoc est Melchi-
sedech. Ipse enim describitur fuisse sacerdos,
& ad sacerdotes pertinet templum Dei, &
ideo ego sum mater Sacerdotis summi, atq.
Virgo.

Virgo. Vere dico tibi, quod vtrunque sum
Mater scilicet Regis Salomonis, & Mater
5 pacificantis sacerdotis. 5 Nam filius Dei qui
est & filius meus, vtrunque est Sacerdos, &
6 Rex Regum. 6 Denique in templo meo
induit se vestibus sacerdotalibus spirituali-
ter, in quibus obtulit sacrificium pro mun-
do. In ciuitate vero regali coronabatur
7 corona regali, sed aspera. 7 Extra vero
var. tanquam pugil fortissimus campum, & pu-
lect. gnam detinebat. Nunc autem conquæri possum, quod oblitus, & neglectus est idem filius meus a sacerdotibus, & regibus. Reges quippe gloriantur de palatijs suis, de exercitu suo, & de processu, & honore mundi. Sacerdotes vero superbiunt de bonis, & & possessionibus temporalibus animarum. Nam sicut dixisti templum depictum auro, sic templa sacerdotum depicta sunt vanitate, & curiositate mundi, regnat enim simonia in capite. Arca testamenti sublata est, lucernæ virtutum extinctæ, mensa deuotionis desolata. Respondit sponsa. O Mater misericordiæ miserere eis, & roga pro illis. Cui Mater. Ab initio sic Deus dilexit suos, vt non solum in precibus suis exaudiantur ipsi pro se, sed & alij propter eos sentiant petitionis effectum. Propterea vt preces exaudiantur pro alijs duo sunt necessaria, voluntas scilicet deserendi peccatum, & voluntas proficiendi in bono. Omnis enim qui hæc duo habuerit, illi proficient preces meæ.

NOTAE.

1 DEnique per omnem modum tu similaris templo Salomonis, in quo verus Salomon spaciabatur, & sedit.

Hoc loco sponsa Beatissimam Virginem templo Salomonis comparat, in quo præter cætera quattuor præstantissima extiterunt, quemadmodum & Maria quattuor etiam habuit, quæ fuerunt admiratione & laude dignissima. Primum quidem, quod sicut hoc templum candidissimo marmore fuerat constructum, & intrinsecus auro mundissimo ornatum, sic fuit Maria purissimi amoris candore alba, & perfectissimæ charitatis ornata; insuper, & alia duo reperiuntur egregia in hoc templo, primum quod cum ædificaretur, nec malleus, nec securis, nec quopiam aliud ferreum instrumentum auditum est; sic 3. Regum cap. 6. scribitur; secundo quod ad illud ædificandum diuersorum statuum gentes conuenerunt, ita prorsus factum est, cum in hoc Mariæ templo sacratissimum Christi Domini corpus formatum est, nec securis, neque malleus auditus est, quippe quod absque humano semine, & carnali copula conceptum fuit; vt vero eius templi operarii ex filiis Israel, aliisque gentibus extiterunt, indicabit omnium hominum genus, per quos erat ædificanda Ecclesia ad caput eius Christum adorandum, eiusq. matris auxilium implorandum conuenire debere.

2 Sic tu Benedicta Virgo templum es Salomonis illius, qui fecit inter Deum, & hominem pacem, qui reconciliauit reos, qui vitam dedit mortuis, & pauperes ab exactore liberauit.

Ex dictis constat, qua ratione Beatissima Virgo Templi Salomonis figura fuerit: hic autem causa redditur, quare potius Salomonis templo, quam cuiuslibet alterius fuerit comparata, & quidem si nominis ethimologia diligenter consideretur, inuenimus Salomonem, non aliud quam pacificum significare, & Christus est, de quo scripsit Apostolus ad Colossenses primo, qui pacificauit per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis, siue quæ in terris. Vnde merito Beata Brigitta, Mariam laudans, de illa hoc loco, sic scribit, templum es Salomonis illius, qui fecit inter Deum, & hominem pacem, cum autem legimus hic, Christum liberasse pauperes ab exactore; intelligendum est à dæmone, qui à diuina Iustitia exactor fuerat constitutus, cui propter peccata nostra, & præcipue parentum nostrorum nos debitores eramus, à quo deinde per passionem Christi sumus liberati, quod nobis Deus per Zachariam, iam multo ante promiserat, vt ipse cap. 9. suarum Reuelationum illis verbis testatur. & non transibit vltra super eos exactor, inde habetur Isaiæ 14. quomodo cessauit exactor, qui eruit tributum, contriuit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium, ex dictis satis aperte colligi potest, quomodo intelligendum sit illud etiam, quod legimus hic, Christum scilicet, vitam mortuis dedisse, hic enim sermo fit, non de corporali, sed spirituali morte, à qua nos liberasse dicitur, quatenus cum essemus mortui peccatis, vt Ephesiorum 2. scripsit Paulus, viuificauit nos liberando à morte culpæ, & conferendo gratiam, quæ vita est Animæ daturus demum vitam gloriæ.

3 Benedicta igitur sis tu Beatissima Virgo,
var. in qua Deus magnus factus est puer paruus,
lect. antiquissimus dominus factus est pusillus filius, sempiternus Deus, & creator inuisibilis, factus est visibilis creatura.

Magis placet Farnesiani Codicis M. S. lectio sic enim legit, Sempiternus Deus, & Creator inuisibilis factus est visibilis inter creaturas, nam vt annotauimus supra lib. 2. cap. 46. nota prima, Sancti Patres, ac Doctores Scholastici, vt plurimum, & absolute non consueuerunt concedere hanc propositionem Christus est creatura, ne cum Arianis videantur sentire, qui putabant Christum vere, & propria creaturam esse, tum quia quod

est creatum per se, est aliquid subsistens, ergo esse creatum videretur competere supposito diuino, quod affirmare hæreticum est, & ita non absolute hæc præpositio admittenda est, sed in quo sensu accipienda sit apud quosdam Sanctos Patres, qui eam aliquando videntur concessisse tradidimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 46 nota 1.

4 Sed cur comparas me Salomoni, & Templo Salomonis, cum Mater sim illius, cuius generatio non habet principium, nec finem, & illius, qui legitur, nec habuisse Patrem, nec Matrem, hoc est, Melchisedech.

Quærit hic Beatissima Virgo à sponsa, cur eam Salomoni, ac Salomonis Templo comparauerit, cum potius Melchisedech comparari debuerit, quandoquidem Christus Dominus filius eius pluribus de causis figurabatur in illo, quarum vna hoc loco adducitur, quia scilicet, sicut ipse sine Matre, & sine patre fuisse scribitur, ita quoque Christus, vt Deus, nec initium habet, neque finem. Secunda etiam, quia ipse Rex Salem fuit, sic Christus Rex pacificus, vt paulo supra demonstrauimus, hoc eodem capite nota 2. Tertio quia Melchisedech fuit Rex, & Sacerdos, ita Christus vtramque personam gessit; postremo sicut ille panem, & vinum obtulit in sacrificium, vt legimus Genes. 14. sic quoque Redemptor noster veluti summus Sacerdos in ara Crucis, Deo Patri pro nobis, carnem suam, & sanguinem obtulit, & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, sub speciebus panis, & vini instituit. Qua de re legendi sunt D. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 22. Origenes in Iosue hom. 26. D. Hieronymus ad Euagrium. D. Ambr. 1. de Abraham cap. 3. Georgius Venetus Cant. 2. cap. 10.

5 Nam filius Dei, qui est filius meus vtrunque est Sacerdos, & Rex Regum.

Christum Dominum vere fuisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ex pluribus sacrarum literarum testimonijs constat, vt Psalm. 109. & ad Hebræos 7. & vere ipse est Sacerdos magnus rogans pro populo, ad quem pertinet hostia pro peccato, vt Leuit. 2. legimus, & idem ipse est, qui se ipsum in ara crucis pro nobis semel Deo Patri obtulit, vt dicit Concil. Trident. Sess. 22. cap. primo, quod etiam affirmarunt Diuus Augustinus contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 20. & 12. & de Ciuitate cap. 17. & in enarrat. Psalm. 26. D. Damascen. lib. 4. de fide cap. 14. D. Ambros. de fuga sæculi cap. 2. & super Lucam cap. 1. D. Hieron. super Zachar. cap. 3. his addendum est, Christum sacerdotem fuisse, qui vere omnia Sacerdotij munera exercuit, quorum primum est orare, & aduocati officio fungi. Secundum sacrificare pro populo. Tertium docere populum, vt Aggei 2. & Malach. 2. Quartum proprium eius est ducere exercitum Domini. Deuteronomij 20. Quintum docere viam, per quam sit ambulandum Iosue 3. Sextum iudicare inter lepram, & lepram, Deuteronom. 13. Postremum pascere populum veluti pastor, & has omnes functiones Christum exercuisse ex sacris litteris, & Sanctorum Patrum Doctrinis manifestissimum est.

6 Denique in templo meo induit se vestibus Sacerdotalibus spiritualiter, in quibus obtulit sacrificium pro mundo.

In vtero Virginis Christus Dominus carnem assumpsit humanam, quam pro omnibus nobis Deo Patri in ara crucis, sicut summus Sacerdos obtulit, & hoc est, quod Beatissima Virgo hoc loco dicit, Redemptorem nostrum in suo templo induisse Sacerdotalibus vestibus, cum vero addit, id spiritualiter fuisse factum, insinuat Beatissima Virgo, Christum ex ea carnem assumpsisse opere Spiritus sancti non per seminis decisionem, aut carnalis copulæ operationem.

7 Extra vero tamquam pugil fortissimus campum, & pugnam detinebat se.

var. lect. *Sic enim habent omnes impressi Codices, sed Farnesianus M. S. legit; Extra vero tamquam pugil fortissimus per campum decurrebat, & se in pugna exercebat.*

VERBA SANCTAE AGNEtis ad sponsam de dilectione habenda ab ipso sponso ad Virginem, sub floris figura, & qualiter Virgo gloriosa loquens declarat immensam, & æternam pietatem diuinam, contra nostram impietatem, & ingratitudinem; & quomodo amici Dei non debent inquietari in tribulationibus.

CAP. XXX.

BEATA Agnes loquitur sponsæ dicens. Filia dilige Matrem misericordiæ. Ipsa enim similis est flori siue cirpo, cuius figura consimilis est gladio. Qui quidem flos habet duas extremitates acutissimas, & cuspidem gracilem. Altitudine vero, & latitudine super alios flores se extendit. 1 Sic
1 Maria flos est florum, flos, qui creuit in valle, & super omnes montes se dilatauit. Flos, inquam, qui nutriebatur in Nazareth

& in

& in Libanum se diffundebat. Hic flos super omnia habuit altitudinem, quia benedicta regina cęli super omnem creaturam excedit dignitate, & potestate. Habuit & ipsa Maria duas acies siue extremitates acutissimas, tribulationē, scilicet cordis in passione filij, & constantiā certaminis contra incursiones diaboli, quia nūquā peccato cōsen
2 tiebat. 2 Verū .n. prophetabat senex ille, qui dicebat: Tuam inquiens animam pertransibit gladius. Nam quasi tot ictus gladij sustinuit spiritualiter, quot in filio suo vulnera & plagas prauidebat, & videbat. Habuit insuper Maria latitudinem excedentem hoc est, misericordiam. Nam sic pia & misericors fuit, & est, & maluit omnes tribulationes sufferre, quam quod animæ non redimerentur. Nunc autem coniuncta filio non obliuiscitur, innatæ bonitatis suæ, sed ad omnes extendit misericordiam suam etiam ad pessimos, vt sicut sole illuminantur, & inflammantur cælestia, & terrestria, sic ex dulcedine Mariæ, nullus est, qui non per eam si petitur sentiat pietatem. Habuit & Maria cuspidem gracilem, hoc est, humilitatem. Per hanc enim placuit Angelo, respondens se esse Ancillam, quæ eliorbatur in Dominam. Per hanc concepit filium Dei, quia noluit placere superbis. Per hanc ascendit ad summum thronum, quia nihil dilexit nisi ipsum Deum. Procede igitur canalis, & saluta Matrem misericordiæ, quia iam venit. Tunc apparens Maria respondit: Dixisti Agnes substantiuum adde, & adiectiuum. Cui Agnes: Si dixero pulcherrimam, vel virtuosissimam, hoc nulli de iure competit nisi tibi, quæ es Mater salutis omnium. Et Mater Dei respondit beatæ Agneti. Dixisti verum, quia ego sum potentior omnium, ideo Addam adiectiuum, & substantiuum canalis, scilicet Spiritus sancti. Sed veni canalis, & audi me. Tu doles ex eo, quod prouerbium istud vertitur inter homines. Viuamus secundum libitum nostrum, quia Deus faciliter placatur. Vtamur mundo, & honore eius dum possumus, quia propter hominem factus est mundus. Vere filia talis locutio non procedit de charitate Dei, nec tendit, aut trahit ad charitatem Dei. Veruntamen Deus propter hoc non adhuc obliuiscitur charitatis suæ, sed omni hora pro ingratitudine hominum ostendit pietatem suam. Nam ipse similis est fabro fabricanti opus solemne, qui quandoque ignescit ferrum, quandoque infrigidat. Sic Deus faber optimus, qui mundum fecit ex nihilo, ostendit charitatem suam Adæ, & posteris eius. Sed refriguerunt in tantum homines, quod Deum, quasi pro nihilo reputantes enormia plurima commiserunt. Propterea ostensa misericordia, & admonitione benigna præcedente, ostendit Deus iustitiam per diluuium. Post vero diluuium posuit Deus fœdus suum cum Abraham, & ostendit illi signa dilectionis suæ, & eduxit progeniem eius in signis, & mirabilibus maximis. Dedit populo legem de ore proprio, & verba sua, & præcepta signis euidentissimis confirmauit. Cumque iterum procedente tempore frigesceret populus, & in tantam vesaniam prorumperet, quod etiam idola
3 coleret, 3 pius Deus volens iterum ignire frigidos, misit mundo filium proprium, qui veram viam ad cælum docuit, & humilitatem veram imitandam demonstrauit. Nunc autem a multis nimium obligatus, & neglectus est, sed tamen adhuc ostendit, & exhibet verba misericordiæ suæ. Non autem omnia perficientur simul, magis, nunc quam prius. Nam antequam veniret diluuium, prius admonebatur, & expectabatur populus ad pœnitentiam. Sic ergo Israel antequam terram promissionis ingrederetur, prius probatus est, & ad tempus protracta est promissio. Bene quippe valuisset Deus eduxisse populum in quadraginta diebus, & non protraxisse ad quadraginta annos. Sed iustitia Dei exigebat, vt ingratitudo populi ostenderetur, & misericordia Dei manifestaretur, populusque
4 futurus tanto magis humiliaretur. 4 Nunc autem si quis cogitare vellet, cur sic Deus affligeret populum suum, aut cur pœna aliqua debet esse æterna, cum vita ad peccandum non possit esse æterna, magna esset audacia. Sicut & ille audax est, qui cogitatione, & ratione intelligere, & comprehendere nititur, quomodo Deus est æternus. Denique Deus æternus, & incomprehensibilis est, & in eo æterna iustitia, & retributio est, misericordiaque inexcogitabilis. Alioquin nisi Deus ostendisset iustitiam suam in primis Angelis, quomodo sciretur iustitia eius, qui omnia iudicat in æquitate. Et nisi fecisset iterum misericordiam suam cum homine creando eum, & liberando in infinitis signis, quomodo tanta bonitas eius sciretur, & charitas eius tam immensa, & tam perfecta. Igitur quia sempiternus est Deus, sempiterna in eo est iustitia, in qua non est additio, nec diminutio. Sicut in homine, qui præcogitat opus suum facere tali modo, & tali die. Deus vero cum facit iustitiam suam, vel misericordiam, perficiendo manifestat eam, quia ab æterno præsentia, præterita, & futura sunt apud illum. Propterea amici Dei patienter debent stare in amore Dei, & non inquietari, quamuis viderint mundiales

prosperari. Quia Deus est sicut optima lotrix, quæ pannum immundum ponens inter procellas, vt ex motione aquæ fiat purior, & candidior, Diligenter cauet ictus vndarum, ne submergatur pannus. Sic Deus ponit in præsenti amicos suos inter procellas paupertatis, & tribulationis, quibus ad æternam vitam purgentur, custodiens eos diligenter, ne vel nimia tristitia, vel tribulatione intolerabili demergantur.

NOTAE.

1 SIc Maria flos est florum, flos qui creuit in valle, & super omnes montes se dilatauit, flos, qui nutriebatur in Nazaret, & in Libanum se diffundebat.

Maria in præsenti nota floribus cōparatur, nullius tamen in specie floris, cui ipsa hoc loco similis esse perhibetur mentio fit, sed si diligēter præsentis notæ verba perpendantur, colligemus aperte per florem lilium intelligendum esse. Primo, quia paulò supra legimus, quod flos iste habet duas extremitates acutissimas, & cuspidem gracilē. Secundo, quod latitudine, & altitudine, se extendit super alios flores, optime ergo Maria lilio comparatur, quippe quæ alios virtutibus, ac fauoribus supereminet, & ideo præ cæteris electa fuit, quia omnes sanctitate præcelluit, & sicut liliū, vt scribit Ambro. super Lucam cap. 12. nullius annui vsus cultum requirit, nec sicut erga prouentum cæterorum fructuum, ita etiam erga istius floris generationem sollicitis in orbem reddit labor actus agricolis, sic quoque Christus Dominus ex Maria intacta virginitate, & nullo humano intercedente cultu prodijt, vnde merito Cantic. 2. de se dixit. Ego flos campi, & lilium conuallium, quare autem flos campi, aut hortorū, aut etiam liliū conuallium appellatur, annotauimus supra libro primo, cap. 52. nota prima, cum autem scribitur hic, quod flos iste nutriebatur in Nazaret, dupliciter intelligi potest. Primo, quod cum Nazaret Ciuitas sit Galileæ, in qua Saluatorem ipsa concepit, & enutriuit, hac de causa dicebatur, quod nutrita erat in Nazaret, vbi vitam degebat, aut etiam cum Nazaret custodia, vel florida interpretetur secundum Diuum Bernardum ad milites Templi sermo. septimo, optime Maria dicebatur enutrita in Nazaret quæ sub diuina custodia multis magnisque virtutibus, veluti floribus ornata, vitam traduxit, diffundebat autem se in Libanum, quia suarum virtutum odores per Ecclesiam spargebat, Libanus namque Ecclesia dicitur dealbata, in qua odor est bonorum operum, & oliuæ fructiferæ, & sublimes virtutes tanquam cedri, quod etiam tradiderunt Origenes super Ezech. Hom. 11. D. Hieron. super Oseam cap. 14. & super Zachar. cap. 10. Vnde merito de Maria Dauid cecinit ps. 71. superextolletur super libanum fructus eius, & florebunt de Ciuitate, sicut fœnum terræ.

2 Verum etiam prophetabat senex ille, qui dicebat, tuam inquiens animam pertransibit gladius.

Beatissima Agnes alloquens sponsam dicit, Mariam Virginem ex passione filij sui tristitiam percepisse maximam, ad quod probandum citat illud Lucæ secundo, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vbi per gladium non aliud intelligendum esse arbitror, quam dolorem, quem in Christi morte pertulit Mater acerbissimum, intima anima eius penetrantem, vt probauimus fuse libro 6. cap. 19. Nota quinta, vbi hunc eundem locum interpretati sumus neque placet, quod affirmarunt Tertullianus de carne Christi. cap. 7. Amphilochius Homilia de occursu Domini, quæ habetur in Homiliario in Dominica infra Octauam Natiuitatis Domini, Titus Bostrenus, Lucæ 2. Theophilactus in Lucam loco citato, & Origen. Homilia decimaseptima in eundem, qui per gladium intelligunt scandalum, quod inde Maria sumpserit, fortassis autem inquit Theophilactus, & dolorem, quem in passione tulit, fortassis autem & scandalum dicit gladium, quo Maria offensa fuit, cui sententiæ fauere videtur in enarratione psalmi decimitertij. Diuus Chrisostom sed Diuus Augustinus in libro quæstionum noui, & veteris testamenti Tomo 4. quæst. 73. insinuat Beatissimam Virginem in morte Domini stupore quodam dubitasse, quam dubitationem non fuisse coniunctam cum infidelitate aliqua asseruit Diuus Thomas tertia parte, quæstio. 27. articulo 4. ad secundum, sed cum hesitatione stuporis cuiusdam, cui annexus esse solet ingens quædam admiratio, ad quem sensum reuocandi sunt supra citati patres, qui dubitationem illam non proprie fidei infirmitatem, sed verum vitarum admirationem, stuporemque appellarunt, & ad Diuum Chrisostomum respondet Franciscus Suarez in commentarijs super tertiam partem Sancti Thomæ quæst. 27. disputat. 4. sectione quarta inter opera eius non inueniri enarrationem aliquam in Psalm. 13. Tertullianum vero, aut fuisse corruptum, aut textum non fideliter citatum, Theophilactum etiam nihil certi hac de re affirmasse, verum quidquid sit omnino dicendum videtur, ex citatis verbis, nullatenus colligi posse Beatissimam Virginem dubitasse, nec scandalum aliquod sumpsisse ex morte filij eius, sed dolorem maximum sensisse, quod etiam ipsemet Origenes fatetur Hom. 18. in Lucam circa medium, & annotauit Gloss. ibidem, & aperte deducitur ex contextu, scribitur enim, ecce inquit, positus est in ruinam, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, quasi dicat, adeo contradicetur ab impijs illi, vt ob id doloris gladius penetraturus sit, non solum filij tui animam, aut credentium.

siimam in eum, sed & tuam quoque animam, sic interpretatur hunc locum D. Hieronym. serm. 1. de Assumptione, Euthimius, & Beda in Commentarijs, Diuus Bernardus serm. de Beata Virgine super illa verba Apocalyp. 12. Signum magnum, Cardinalis Toletus in secundum caput Lucæ annotatione 56. Cornelius Iansenius in sua concordantia parte prima cap. 10. non longe à fine, Ioannes Maldonatus in Lucam cap. 2. nu. 35. Franciscus Suarez loco citato.

3 Pius Deus volens iterum ignire frigidos misit mundo filium proprium, qui veram viam ad cælum docuit.

Christum Dominum in terram à Patre fuisse missum, vt homines in pietate frigidos accenderet, & ad charitatis opera patranda inflammaret ipsemet testatur per Lucam Euangelistam cap. 12. Ignem inquit, veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat, hoc autem maxime per prædicationis officium fecit, & ideo legimus hic, qui veram viam ad cælum docuit, hanc ob causam probabiliter existimo, per ignem, cuius hoc loco mentio fit prædicationem, ac doctrinam Euangelicam intelligendam esse, per quam homines ad pietatis, & Religionis opera accendendi erant, & à sordibus purgandi, & idcirco super Apostolos, qui vbique Euangelium prædicare debuerant, sub ignis specie Spiritus sanctus descendit, vt prius hoc igne hi calefierent, qui alios calefacere debebant, hinc est, quod Dauid prædicationem ignitum eloquium appellat Psalm. 118. immo & ignem ipsum esse verbum Dei affirmant Diuus Ambrosius, & Hilarius in citatum versiculum eiusdem Psalmi.

4 Nunc autem si quis cogitare vellet, cur sic Deus affligeret populum suum, aut cur pœna aliqua debet esse æterna, cum vita ad peccandum non possit esse æterna magna esset audacia.

Quamuis diuinorum operum rationes perfecte inuestigare impossibile, ac temerarium sit, aliquas tamen quærere, prout nos Deus luminis in dies participes facit, vt inde sapientia, ac iustitia diuina quoquomodo innotescat, non est inconueniens, sicut & propositæ dubitationis hoc loco rationem reddere, quare Deus ob mortale peccatum pœnam homini infligat æternam, cum vita non possit esse peccantium æterna, eorumque actiones finitæ sint, ideo illis finita pœna respondere deberet, postremo etiam, quia sic peccatorum omnium pœnæ æquales essent, quod videtur esse absurdum, sed vt breuiter huic dubitationi satisfaciamus, duo in primis notanda sunt, Primum quidem infinitatem pœnarum dupliciter considerari posse, vel secundum intensionem, & acerbitatem, aut etiam secundum durationem, Secundo animaduertendum est, in peccato esse duo, primum quidem auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, & ex hac parte peccatum infinitum est, Secundo vero conuersio ad commutabile bonum, scilicet ad creaturas, quæ quia finitæ sunt, & ipsa etiam conuersio finita, ideo ex hoc capite peccatum finitum est, his positis dico primo, quod peccato correspondet pœna infinita, qua parte infinitum est, nimirum respectu incommutabilis boni, quo priuat, quia propter hoc confertur pœna damni, quæ infinita est, cum sit infiniti boni amissio, vt auctor est D. Thomas 1. 2. quæst. 77. art. 4. Secundo dico, quod peccato prout finitum est, secundum, quod connotat conuersionem ad finitum bonum respondet finita pœna, quantum ad intensionem, & hinc est, quod Deus, qui punit citra condignum, ipsis damnatis pœnas sensus, nunc augere posset, quam tamen secundum peccatorum qualitates auget, iuxta illud Deuteronom. 25. pro mensura peccati erit, & plagarum modus, & ideo non sequitur illud inconueniens, quod peccatorum pœnæ sint æquales. Dico tertio huiusmodi pœnam quantum ad durationem infinitam appellari posse, quæ sic per diuinam iustitiam conuenienter peccantibus infligitur, nam sicut qui in politico regimine ex propria culpa subuertit pacem, & amicitiam ciuium ad inuicem, & debitam Principi obedientiam minime præstat, omnino secundum leges à ciuitate pellitur, vel per mortem, vel per exilium, vel perpetuum carcerem, quæ pœna secundum legis intentionem perpetua est, ita quoque in diuino regimine, sub quo homines per fidem spem, & charitatem congregantur, si hi charitatis ordinem ad proximum, vel subiectionis ad Deum per peccatum mortale tollant perpetuo carceri merentur adiudicari, ac à Dei consortio, & Sanctorum, per mortem, scilicet secundam, excludi, & ad perpetuum carcerem inferni damnari.

VERBA CHRISTI AD Sponsam optimum exemplum de medico, & rege ponentia, & qualiter Christus per talem medicum designatur, & quomodo frequenter saluantur damnandi secundum homines, & damnantur saluandi secundum homines, vel mundum.

CAP. XXXI.

FILIVS Dei loquitur ad sponsam dicens. Medicus venit in regionem longinquam, & ignotam, in qua Rex non regebat, sed regebatur, quia cor habebat leporinum. Et ideo sedens in throno, quasi coronatus asinus apparebat. Populus vero suus vacabat commessationibus, & honestatis, æquitatisque oblitus, omnes de futuris bonis consulentes odiebat, Cumq. medicus se præsentaret regi, & de terra voluptatis se esse diceret, causasq. cognitionis infirmitatum hominum se affirmaret venisse. Rex admiratus de homine, & de loquela eius respondit. Ego habeo duos homines in carcere cras decollandos, & alter eorũ vix respirare põt. Alius vero robustior & corpulentior est, nunquã postquã in carcerẽ ingressus est factus est deterior. Ingredere igitur ad eos, & cõtẽplare vultus eorũ, quis eorum melioris complexionis sit. Cum que ingressus fuisset medicus, & vidisset eos dixit regi. Homo quem robustum dicitis, simillimus mortuo est, nec viuere poterit. De alio vero spes bona est. Cui Rex Vnde inquit nosti hæc? Et medicus, quia alius inquit, impletus est humoribus, & vento nociuo, nec curari poterit. Alter vero exinanitus faciliter poterit sanari mediante lenitate aeris. Et tunc ait Rex. Conuocabo nobiliores meos, & sapientes, vt visa sapientia, & industria tua gloriosus appareas in oculis eorum. Cui respondit medicus. Nequaquam inquit hoc facito. Scis enim populum tuum inuidum esse gloriæ, & quem non poterit opere, persequitur, & deprauat verbo. Sed expecta, & ostendam tibi soli in conclaui sapientiam meam, sic enim instructus sum, & doctus, scilicet sapientiam meam plurimam habere in secreto, & modicam in aperto. Nec quæro gloriam in tenebris tuis, cum in luce patriæ meæ glorior. Sed nec tempus sanitatis est adhuc, donec ventus australis afflauerit, & sol in meridie apparebit. Cui rex. Quomodo possent fieri ista in terra mea. In ea enim sol rarissime oritur, quia extra climata sumus, & ventus Aquilonaris semper dominatur nobis. Sed quid mihi sapientia tua prodest, & tanta mora sanitatis? Video enim te satis verbis abundare. Respondit medicus. Sapientis est non esse subitum. Sed ne tibi suspectus, aut ingratus appaream. Da mihi istos duos homines in potestate, & ducam eos ad fines regni tui, vbi aer est competentior. & tunc videbis quantum opera, quantumve valebunt verba. Cui Rex. Altioribus inquit, & vtilioribus occupati sumus, quid nos distrahis. Aut quid confert nobis magisterium tuum. In præsentibus enim bonis delectantur, quæ videmus, & possidemus, ad futura vero incerta non aspiramus. Veruntamen suscipe homines illos, vt petis, & si ostenderis in eis aliquod magnificũ, & dignũ admiratione, prædicabimus te, & prædicari faciemus gloriosum. Susceptis igitur à medico hominibus illis, & ad temperiem aeris deportatis. Alius transijt ad mortẽ. Alius vero blandimento aeris refocillatus reuixit. Medicus ille ego sum, qui mederi cupiens hominibus verba mea misi mundo per te. Quamuis autem infirmitates multorum vidi, duo tamen ostẽdi tibi, in quibus, & iustitiam, & misericordiam meam poteras admirari. Vnum enim ostendi tibi, quem diabolus possedit occulte, sed aeternaliter puniendum. Cuius opera hominibus videbantur, & laudabantur tanquam iusta. Alterum vero ostendi, cui aperte dominabatur diabolus, sed sanandum dixi tempore suo, licet non hominibus aperte, vt tu credebas. Nam fuit iustitia diuina, vt sicut spiritus malignus paulatiue in eũ dominari ceperat, sic eadem dictabat iustitia, vt paulatim egrederetur, sicut & egressus est, donec anima carne soluta peruenit cum eo diabolus ad iudiciũ. Cui dixit iudex. Tu purgasti eam, & cribrasti quasi triticum. Nunc autem pertinet ad me pro confessione sua dupliei corona coronare eã. Recede igitur ab ea, quam tanto tempore purgasti. Et ait ad animam. Veni ò felix anima, & vide sensibus spiritualibus gloriam meam, & iucunditatem meam. Ad alteram vero animã dixit. Quia fides vera non fuit in te, & tamen quasi fidelis gloriabaris, & laudabaris, & quia operã iustorum perfecta non sunt inuenta in te. Propterea merces illa fideliũ non erit in te. Tu quoque in vita tua quæsiuisti, cur volui mori pro te, & humiliari pro te tantũ. Ideo respondeo tibi nunc, quod fides Ecclesiæ S. vera est, quæ sursũ trahit aïas. Et passio mea & sanguis meus introducit eas in celũ. Ideo infidelitas tua, & amor tuus vanus deprimẽt

te ad

re ad nihilum, & nihil eris respectu spiritualium æternorum. Quod vero diabolus non egrediebatur videntibus cunctis de homine illo: Respondeo, mundus iste est, quasi vile tugurium respectu tabernaculi, quod inhabitat Deus, populusque Deum exasperans. Ideo paulatiue, sicut ingrediebatur, ita egreditur.

VERBA VIRGINIS AD Sponsam sub figura ponentis, qualiter Deus Pater ipsam inter cæteros sanctos elegit in Matrem, & in portum salutis.

CAP. XXXII.

MATER loquitur ad sponsam dicens. Quidam quærens lapides reperit magnetem, quem eleuans manu propria custodiuit in thesauro suo, & per eum deduxit nauem ad portum suum. Sic filius meus multos quærens lapides Sanctorum, me specialiter elegit in Matrem sibi, vt per me homines reducerentur ad portum cæli. Ergo sicut magnes attrahit sibi ferrum, sic ego attraho Deo dura corda. Ideo turbari non debes, si quandoque cor tuum induratur, quia hoc est ad maiorem coronam.

VERBA FILII AD SPONSAM & quomodo per duorum hominum exemplum ostendit se iudicare secundum interiora, & non secundum exteriora.

CAP. XXXIII.

FILIVS Dei loquitur sponsæ. Miraris de duobus, vnus, qui erat quasi lapis quadratus. Alius peregrinus Hierosolymitanus, sed neuter peruenit, ad id quod tu sperabas. Primus itaque ad quem missa fuisti, fuit lapis quadratus firmus in conceptibus suis, sed tamen quasi Thomas pie dubitans. Ideo quia nondum erat tempus, quo complete sunt malitiæ hominum, probauit vinũ, sed non bibit. De secundo dixi, quod Hierosolymitanus esset comes itineris. Hoc ideo factum est, vt quem fama iustum, & sanctum dixerat, sciretis statum suum. Nam ipse est religiosus habitu, & professione monachus, sed moribus apostata, dignitate sacerdos, sed seruus peccati, Peregrinus fama, sed intentione Girouagus, Hierosolymitanus opinione, sed magis Babylonicus. Insuper & contra obedientiam, & Apostolica statuta, est egressus. Totusque infectus est hæresi, ita quod se credit, & dicit Pontificẽ futurum, qui restituet omnia. Cuius & libri hęc testantur. Ideo subito morietur, & nisi cauerit sibi patri mendacij sociabitur. Ideo non debes turbari, si aliqua obscure dicuntur, aut si prædicta non fient secundum cogitatum tuum, quia verba Dei diuersimode intelligi possunt. Et quoties hoc contingit, veritatem eorum iudicabo. Nunc autem ego Deus, verus Hierosolymitanus sum. Ideo ego ipse comes itineris tui esse volo.

Declaratio.

Spiritus Dei loquitur. Audisti illum mortuum, de quo dixi tibi, qui erat lapis quadratus, & pie dubitans. Ideo scito, quod non erit in numero illorum, qui tentauerunt Deũ in deserto, nec cum illis, qui petebant signũ, sicut Ionæ Prophetæ. Nec cum illis, qui persequutionem mouerunt contra me, sed cum illis erit, qui zelum habebant, & charitatem, sed nondum perfectam.

VER-

Digitized by Google

VERBA MATRIS AD FILIAM sub figura, in qua anima in annulo corpus in panno designantur, & qualiter anima per discretionem debet purificari, & corpus per abstinentiam debet mundari, & non interfici.

CAP. XXXIV.

MATER Dei loquitur. Si datur alicui annulus, qui nimis strictus est digito, & quæritur ab inimico consilium quid faciendum sit. Respondit, præscindatur digitus, & sic annulus ei adaptabitur. Cuius amicus nequaquam, inquit, sed magis annulus cum malleo extendatur. Si vero aliquis velit potum potentis Domini per mundum panniculum trahicere, & colare, & quæreret consilium ab inimico. Ille respondet. Præscinde de panno omne, quod immundum est, & vbi aliquid mundum inueneris ibi trahice potum Domini tui. Cui amicus. Nullo modo sic fiat, sed magis prius mundificandus, & lauandus est pannus, & postea potus trahiciendus. Sic est etiam in spiritualibus. In annulo itaque intelligitur anima, in panno vero corpus. Ergo anima, quæ in digito Dei esse debet, extendi debet malleo discretionis, & purificationis. Corpus vero non interfici, sed mundari per abstinentiam, vt verba Dei per illud diffundantur.

Finis Tertii Libri Reuelationum S. Brigittæ.

INCIPIT

Digitized by Google

INCIPIT QVARTVS LIBER REVELATIONVM CÆLESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

VERBA IOANNIS EVANGELISTAE AD SPONSAM, qualiter nullum opus est sine remuneratione, & quomodo Biblia præcellit omnes scripturas, & de Rege Prædone, & Proditore, & Prodigo, &c. & Consilio ipsi Regi à sancto Ioanne dato, & qualiter debeat contemnere diuitias, & honores propter Deum.

CAPVT PRIMVM.

APPARVIT Sponsæ persona quędam hominis, cuius crines videbantur circumcisi cum opprobrio. Corpus perunctum erat oleo, totumque nudatum, sed nihil erubescens, qui sponsæ dixit. Scriptura quam vos vocatis sanctam dicit sic, quod nullum
1 opus sine remuneratione erit. 1 Hæc est illa Scriptura, quæ apud vos Biblia vocatur. Sed apud nos est fulgida quasi sol resplendens incomparabilius auro, fructificans quasi semen, quod centuplum ex se profert fructum. Sicut enim aurum cætera præcellit metalla, sic scriptura, quam vos dicitis sanctam, nos vero vocamus eam in cælo auream, præcellit omnes scripturas, quia in ipsa honoratur, & prædicatur verus Deus, Patriarcharum replicantur opera, Prophetarum explanantur infusiones. Ergo quia nullum opus sine remuneratione est. Audi quæ loquor. Rex iste, pro quo tu supplicas, coram Deo prædator est, proditor animarum, Prodigusque effusor diuitiarum. Itaque sicut nullus proditor est peior illo, qui diligentem se prodit, sic iste multos spiritualiter prodidit, carnaliter diligendo iniustos. Iniuste exaltando impios. Iustos deprimendo, excessus corrigendos dissimulando. Secundo nullus prædo peior est illo, qui prodit eum, qui in sinu eius caput suum reclinat, sic communitas terræ, quasi in sinu suo erat, quam Rex iste miserabiliter deprædatus est, aliorum bona auferri permittendo

tendo. Alijs intolerabilia imponendo. Aliorum iniurias dissimulando. Iustitiam semper remisse exercendo. Tertio nullus fur peior est illo, qui creditis sibi omnibus, & acceptis clauibus furatur Domino inuito.
2 2 Sic iste accepit claues potestatis, & ho-
noris, quibus iniuste, & prodigaliter vsus est
non ad honorem Dei. Ergo quia aliqua sibi
placita dimisit amore mei, consulo sibi tria.
3 3 Primo, quod sit sicut ille Euangelicus, qui
relictis siliquis porcorum rediit ad patrem.
Sic ipse contemnat diuitias, & honores, quæ
respectu æternorum non sunt, nisi porcorum
siliquę, cum humilitate, & deuotione regre
4 diendo ad patrem suum Deum. 4 Secundo
dimittat mortuos sepelire mortuos suos, &
sequatur viam arctam crucifixi Dei. Tertio
relinquat graue pondus peccatorum suorum,
& ingrediatur per viam illam, quæ in principio est arcta, sed in fine gaudiosa. Tu quoque, quæ vides me, intellige, quia ego sum ille, qui scripturam auream plenius agnouit, & agnoscendo augmentaui. Ego fui nudatus ignominiose, sed quia patienter sustinui, Deus vestiuit animam meam veste
5 immortali. 5 Ego etiam fui intinctus oleo,
ideo nunc gaudeo oleo lætitiæ sempiternæ.
6 6 Ego insuper post Matrem Dei læuissima
morte de mundo transiui; quia custos Matris Dei factus fui, & corpus meum est in loco quietissimo, & securissimo.

CON-

CONSALVI DVRANTI

PRESBYTERI ET SACRÆ THEOLOGIAE PROFESSORIS.

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES

Ad Librum Quartum Cæleſtium Reuelationum Sanctæ Brigittæ.

CAPVT PRIMVM.

1 HÆC eſt illa ſcriptura, quæ apud vos Biblia vocatur, ſed apud nos eſt fulgida quaſi ſol, reſplendens incomparabilius auro, fructificans, quaſi ſemen, quod centuplum ex ſe profert fructum.

Hoc loco ſacra ſcriptura, & ſoli, & auro comparatur, ſoli quidem, quia ſicut ille ſua luce Vniuerſum illuminat, ſic cum legentibus intellectum illuſtrat. Auro vero, quia per charitatem inflammat, eſt enim aurum charitatis ſymbolum, & quemadmodum ex auro alij murenulas, alij annulos, & alia ſexcenta ad ornatum conficiunt; ita ex vna ſcripturæ ſcientia interpretes, pene innumeros intellectus, quaſi varia ornamenta componunt, quæ ad decorē cæleſtis ſponſæ proficiunt: ſic habet D. Greg. Epiſt. 101. eadem ſimilitudine vtuntur Theodoretus ſerm. 1. de Græcarum affectionum curatione D. Chryſoſt. Hom. 35. in Ioannem, & D. Hieron. ad Principium, Scripturam ſacram veſti Aaron auro, & purpura contextæ ſimilem facit.

2 Sic iſte accepit claues poteſtatis, & honoris, quibus iniuſte, & prodigaliter vſus eſt, non ad honorem Dei.

D. Ioannes Euangeliſta hic, Regem quendam acriter reprehendit, qui Regia diuinitus accepta poteſtate abutebatur: dicitur autem obtinuiſſe claues poteſtatis, & honoris per metaphoram, ſicut enim illud, quo auſertur obſtaculum introitus in domum, dicitur clauis, & poteſtas ingrediendi domum, ſic facultas, per quam datur introitus in adminiſtrationem Regni metaphorice, hoc loco appellatur clauis poteſtatis, & honoris, quæ à Deo eſt, iuxta illud Prouerb. 8. per me Reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt, qualis autem Rex eſſe debeat, & quomodo ſeſe in regimine gerere iuſte poßit, fuſe traditur hoc eodem lib. 4. Reuel. cap 76. paulo poſt initium, vbi ſic ſcribitur, inquiramus in Regibus, & in Ducibus, quis ſtat in laudabili ſuo ſtatu, ille quippe eſt Rex, qui in moribus ſuis eſt ſicut Iob, in humilitate ſicut Dauid, in zelo legis vt Phinees, in manſuetudine, & humilitate vt Moyſes.

3 Primo, quod ſit ſicut ille Euangelicus, qui relictis ſiliquis porcorum rediit ad Patrem.

Poſtquam D. Ioannes dixerat, eum Regem, de quo in præſenti capite, cū B. Brigitta ſermonē habet, Regia poteſtate abuſum fuiſſe, modo illi conſulens aſſirmat, ſi reſipiſcere vult, vt filium Prodigum imitetur, qui relictis ſiliquis rediit ad Patrem, cius hiſtoria habetur Lucæ 15. hic autem per ſiliquas diuitiæ, & honores intelliguntur, vt autem quid proprie ſint palam fiat: ſciendum eſt, eſſe leguminum folliculos, ſiue integumentum leguminum, his autem non porcos tantummodo, ſed & pecora quoque veſci tradit Plinius lib. 18. cap. 12. Nam ſiliquæ inquit, cauleſque grauiſſime ſunt pabulo pecori, ad hanc nominis Ethymologiam reſpexiſſe videtur Ambroſ. in locū citatū Lucæ cū dicit, quis autem aptior huiuſmodi hominibus cibus, quam is, qui ſiliquæ modo intus inanis, foris mollis eſt, quo corpus non reficitur, ſed impletur, vt ſit magis oneri, quam vſui, ſed Euthimius ſiliquas deſignare voluptatem aſſerit, Theophilactus vero peccata ipſa, quibus peccator, quo magis peccat magis ſatiari cupit. D. autem Hieronymus, Beda, & Auguſt. per ſiliquas ſeculares doctrinas intelligunt ſterili vanitate reſonantes, de quibus inquit, laudes Idolorum, fabularumque ad Deos gentium vario ſermone, atque

carminibus percrepant, quibus dæmones delectantur. Verum hoc loco per siliquas, diuitias intelligendas esse patet, ex contextu ibi, sic ipse contemnat diuitias, & honores, quæ respectu æternorum non sunt nisi porcorum siliquæ.

4 Dimittat mortuos sepelire mortuos suos.

Eadem sententia habetur Matth. 8. & Lucæ 9. ad cuius intelligentiam sciendum est, Christum Dominum aliquando inuitasse quemdam ad sequendum se, qui cum illum sequi paratus esset, temporis tamen aliquam dilationem postulauit, idque pietatis gratia in patrem exhibendæ, qui, vt auctor est Diuus Ambrosius, recenter mortuus erat, & idcirco respondens Domino dicit, Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum, IESVS autem ait illi, sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos; ac si diceret, Et si dilectio parentum necessaria sit, ita vt illis teneamur debita præstare obsequia; in comparatione tamen amoris diuini cum præsertim impedimento sunt omnino debere contemni, & posthaberi, atque ex his optime huius notæ verborum sensus patet. Cum enim hoc loco de quodam Rege sermo fiat, qui ob diuitiarum, ac parentum amorem in administratione Regni iuxta Dei præcepta non se gerebat, dicitur illi, quod si resipiscere vult, se totum Deo committat, nec parentum, vel diuitiarum amore a diuina dilectione retardari sinat, sicut ergo his verbis Saluator noster noluit improbare officium sepulturæ mortuis exhibendum, aut curam patri a filijs debitam, sed tantum insinuere volens humana posthabenda diuinis, ita quoque hoc loco Beatus Ioannes Regem admonet, vt hoc idem obseruet. Cæterum si quis enucleatius huius textus sensum litteralem scire cupiat, legat Diuum Chrysostomum homilia 28. Ambrosium in psalmum 48. & in locum citatum Matthæi, qui per mortuos hic intelligunt infideles, vt sensus sit, sine gentiles sepelire gentiles suos. Diuus autem Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 3. & lib. 20. de ciuitate cap. 6. & quæst. 6. in Matth. affirmat mortuos ibi designare peccatores, qui non de Christo, sed de huius mundi rebus cogitant.

5 Ego etiam fui intinctus oleo, ideo nunc gaudeo oleo lætitiæ sempiternæ.

Beatus Ioannes cum dicit hic se fuisse intinctum oleo, insinuare videtur Regem quoque debere esse oleo vnctum, ijsdemq. virtutibus præditum, quæ per oleum designantur: oleum in primis sapientiæ splendorem significat, vt admonuit Rupertus super Zach. cap. 4. & Origen. super Matth. hom. 32. aliquando etiam misericordiam, vt Ramus oliuæ allatus a columba, Dei misericordiæ simbolum erat, & pacis. Genes. 8. typus etiam esse potest charitatis, sicut etiam oleum a nullo humore premitur, sed disruptis omnibus exilit, & superemínet, sic & charitas non potest ad ima premi, sed ad superna semper ascendit, quod admonuerunt D. Gregor. Hom. 20. D. August. in Ioan. tract. 6. D. Ambros. super Lucam cap. 3. Origen. in Leuit. Hom. 13. Tertullianus de Baptismo. Postremo olea semper virens iustitiam notat, in qua debet esse oleum; quia ante Deum lucernæ ardent, vt ait Hisichius in Leuit. cap. 24. atque hæ sunt virtutes, quibus optimus quisque Rex ornatus esse deberet, quæ per oleum designantur, decet namque Regem sapientem ac prudentem esse, vt sapienter, ac prudenter se in regimine gerat; misericordem, vt non more Tyranni præsit, sed veluti pater subditos regat; charitatiuum, vt indigentes subleuet in Regno, pacem conseruet, rerum abundantiam ad pauperum sustentationem promoueat, iustum, vt vnicuique quod suum est reddat, dignis honores, & præmia largiatur, indignis pœnas, & flagella conferat.

6 Ego insuper post Matrem Dei leuissima morte de mundo transiui, quia custos matris Dei factus fui.

Hoc loco de seipso B. Ioannes duo notatu dignissima offert. Primum quidem se Virginis Mariæ a Christo custodem fuisse constitutum, quod etiam ipsemet in cap. 19. sui Euangelij asseruerat. Secundo vero cum leuissima morte ex hoc mundo migrasse, dicit autem morte leuissima transisse, quia cæteri Apostoli pro fidei Catholicæ confessione martyrium subiere; ipse vero propria morte senio confectus obijt, sed D. Ioannem Euangelistam violenta morte vitam finiuisse insinuare visus est D. Chrysost. Hom. 66. in Matthæum, & Hom. 27. super Epistolam ad Hebræos super illud verbum alij distenti sunt. & quidem Euthimius in Commentarijs affirmat Chrysostomum, non solum locis citatis, sed etiam 1. & 2. Homilia in Ioannem docuisse Euangelistam in Asia fuisse occisum, idem sensit Theophilactus in illa verba Matth. cap. 20. Calicem quidem meum bibetis, verum Ioannem non sic, vt indicant Chrysost. & Theophilactus obijsse probari potest, Primo ex communi omnium Patrum consensu, qui vel eum adhuc esse superstitem censent, vel propria morte vitam finiuisse, tum quia hoc aperte tradidit D. August. serm. 149. de tempore, Ioannes inquit, obdormiuit sine vulnere, sine cruciatu, vnde Gregorius Trapezuntius in libello, quem edidit de Ioanne adhuc viuente affirmat D. Chrysost. loqui de martyrio, ac violenta morte, quam D. Ioannes vna cum Enoch, & Elia, in fine seculi sub Antichristi vltima persecutione passurus est, his positis mihi probabilissimum esse videtur, quod scribitur hic Diuum Ioannem, non violenta, sed naturali morte obijsse, fateor tamen grauissimos quosdam viros contrarium sensisse; quippe qui existimarunt eum futurum esse præcursorem secundi Aduentus Christi simul cum Enoch, & Elia, & probant hoc ex illo Ioan. 21. sic eum volo manere quid ad te, cum enim ibi Christus de secundo suo aduentu verba faciat, loquens de Ioanne concludit, sic eum volo manere, hoc est, sine morte vsque ad secundum aduentum meum, sed hic locus meo sane iudicio non aperte concludit Ioannem adhuc esse superstitem,

nam

nam ut egregie annotarunt Chrisost. & Cyrillus, & si Saluator noster ibi locutus sit de secundo aduentu suo, nihil tamen certi de vita, vel obitu Ioannis ibi affirmauit, sed tantummodo interrogando Petri illius curiositatem elusit, præterquam quod, quidam legunt, non sic eum volo manere, sed si eum volo manere? quid ad te, sic habent fere omnes Græci Codices, & Vaticanus etiam, & plures alij; sunt etiam, qui legunt, si sic eum volo manere, quod si ita legendum est, certe ex illo textu nullatenus colligi potest D. Ioannem Euangelistam adhuc viuere: sed quidquid sit de lectionis varietate, Theophilactus docet, illa verba non esse intelligenda de secundo aduentu Christi ad iudicium, sed de aduentu ad vindictam sumendam de Iudeis., non personali præsentia sed per effectum; ex his ergo non videtur posse conuinci, Ioannem non esse vita functam. Cæterum Ioannem Euangelistam naturalem obiisse mortem, tradit antiquissimus auctor Tertullianus libro de anima cap. 50. Obijt & Ioannes, quem in aduentu Domini remansurum frustra fuerat spes, Policrates Ephesiorum Episcopus apud Eusebium Cæsariensem lib. 3. histor. cap. 31. & idem etiam Eusebius lib. 5. cap. 24. Nicephorus lib. 1. hist. ca. 35. Eusebius Emissenus in hom. de Ioanne Euangelista. D. Hieronym. in comment. in Matth. cap. 20. & lib. de scriptoribus Ecclesiasticis Senio ait confectus sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus est: idem habet Theodoretus Heracleota, & Theodoretus Mopsuet in catena Græcorum August. tract. in Ioann. 124. Greg. hom. in Euangel. 25, Theophilactus, Euthimius, & Rupertus in comment in Ioann. cap. 21. Græci etiam plures hãc sententiam sequuti sunt, vt mirum non sit si in eorum Menologio sexto Kalend. Octobris legant, Migratio sancti gloriosi, & celebris Apostoli, & Euangelistæ Ioannis, cognomento Theologi, idemque de eius sepulchro non ossibus vacuo meminit Chrisost, ho. 20 in epist. Pauli ad Hebr. idem colligi potest ex Conc. Ephesino tom. 3. c. 6. vbi sic scribitur Sacras sanctorum, triumphatorumq. martyrum, maxime vero Beatiss. Ioannis Theologi, & Euangelistæ reliquias videndi, easdemq. complectendi desiderio flagrant: postremo huic opinioni fauent etiam Benedict. Per. in commen. in Danielem, lib. 16. in expos. cap. 12. ad ea verba: in tempore autem illo, & Ludulphus de vita Christi, prima par. ca. 6. paulo post medium, qui affirmat D. Ioannem Euãg. die Nat. Io Baptistæ ad cælum migrasse, & quia ob solemnitatem diei, eius festum celebrari minime potuit, ideo statuisse Ecclesiam, vt in hebdomada Natalis Domini solemniter celebraretur, idem habet Gulielmus Durantus in Rationali diuin. offic. lib. 7. c. 14.

VISIO MIRABILIS ET notanda sponsæ, & qualiter Deus ipsam visionem exponit: in qua expositione baptizati per animal, gentiles per piscem, & Dei amici per tres turbas designantur.

CAP. II.

POST hæc videbantur sponsæ quasi duæ stateræ stantes iuxta terram, quarum summitates, & ligaturæ ascendebant nubes. Circuli vero ipsi penetrabant cælum. In prima vero statera erat piscis, cuius squamæ acutæ erant quasi rasorium, visus eius quasi basilisci: Os vero quasi vnicornij effundentis venenum. Aures autem quasi acutissimæ lanceæ, & quasi laminæ ferreæ. In alia vero statera erat animal quoddam, cuius pellis quasi silex. Os ingens erat effundens flammas ardentes. Cuius palpebræ quasi durissimi gladij. Cuius aures durissimæ erant emittentes sagittas acutissimas, tanquam de arcu duro, & extenso. Post hæc apparuerunt tres turbę populorum in terra. Prima erat modica. Secunda minor. Tertia vero minima, quibus vox vna sonuit de cælis dicens: O amici: Ego vehementer sitio cor animalis istius mirabilis, si aliquis esset qui ex charitate pręsentaret mihi illud. Ego etiam feruentissime concupisco sanguinem piscis, dummodo inueniretur homo, qui eum afferret mihi. Respondit vox vna de turba loquens quasi ex ore omnium. Audi, inquit, ò conditor noster, quomodo poterimus tibi præsentare cor animalis tanti. Cuius pellis durior est silice, si appropinquare voluerimus ori eius, incendemur flamma ignis eius. Si viderimus oculos eius transfodiemur scintillis sagittarum eius. Et si forte spes aliqua esset de animali habendo, quis poterit apprehendere piscem? Cuius squamæ, & alæ seu penniculę piscis, acutiores sunt cuspidibus. Cuius oculi extinguunt visum nostrum. Cuius os diffundit in nos venenum insanabile. Respondit vox de cęlo dicens. O amici, animal, & piscis videntur vobis inuincibiles, sed apud omnipotentem est facile. Ergo quicunq. quęrit viam ad impugnandum animal, ego de cęlo infundam sapientiã fortitudinemq. tribuam. Qui vero paratus est pro me mori, ego ipse me dabo ei in remunerationem. Respondit turba prima. O

summe Pater, tu es dator totius boni. Nos vero factura tua, libenter dabimus tibi cor nostrum ad honorem tuum. Cætera vero quę extra cor sunt, disponemus ad sustentationē & refectionem carnis nostræ. Et quia mors videtur nobis dura, infirmitas carnis onerosa, scientia vero modica, ideo rege nos interius, & exterius, accipeque gratanter, quæ offerimus. Et repende quantum, & quicquid tibi placet. Respondit turba secunda. Recognoscimus infirmitates nostras, & attendimus mundi vanitates, & varietates. Ideo libenter dabimus tibi cor nostrum, omnemq. voluntatem nostrā relinquimus in manus aliorum, quia subesse alijs magis desideramus, quam minima de mundo possidere. Dixit turba tertia. Audi Domine tu, qui desideras cor animalis, & sitis sanguinem piscis, libenter dabimus tibi cor nostrum, & parati sumus mori pro te. Tu tribue sapientiam, & nos queremus viam ad inueniendum cor animalis. Post ista sonuit vox vna de cælo dicens. O amice, si inuenire desideras cor animalis, perfora cum terebro acuto manus tuas in medio. Deinde sume palpebras cete, & coniunge palpebris tuis cum fortissimo bitumine. Accipe quoque laminam calibis, & alligabis eam cordi tuo, ita quod latitudo, & planities calibis sint propinquiora cordi tuo. Claude quoque interstitia narium, attrahendo spiritum tuum in collum. Et sic clauso ore, & incluso spiritu procede audacter contra sæuitiam animalis. Cumque perueneris ad animal ipsum apprehende ambabus manibus aures eius, cuius sagittæ non nocebunt tibi, sed exibunt per aperta foramina manus tuæ. Insuper occurre animali clauso ore, & appropinquando sufla in illud totum spiritum tuum. Ad cuius aduentum flammæ animalis non nocebunt tibi, sed egredientur in animal ipsum, & incendent illud. Nota quoque diligentissime cuspides gladiorum, qui exibunt de oculis animalis quibus coniunge oculos tuos munitos palpebris cete, ex quorum mutua, & valida coniunctione, vel retorquentur gladij animalis, vel ingredientur in cor eius. Considera etiam attente pulsum cordis animalis, & ibi infige aciem calibis perualide, confodiendo silicem pellis animalis. Si tunc frangitur silex, scito, quod morietur animal, & cor eius erit meum. Quod si vnum talentum ponderabit, ego laboranti dabo centum. Si vero non frangitur, & animal nocuerit homini, ego curabo illum hominem saucium, & mortuum suscitabo. Qui vero voluerit præsentare mihi piscem, vadat ad littus habendo rete in manibus, quod contextum sit non de filis, sed de ærę pretiosissimo. Ingrediatur itaque aquam, sed non plus, quam ad genua, ne forte noceant procellæ. Et in illo loco figat pedem, vbi solidum est, & arena absque luto. Deinde excæcet sibi vnum oculum, quem excæcatum vertat ad piscem, cuius visus, qui est quasi basilisci, nullo modo, tunc aduersus hominem præualebit. Sumat quoque clypeum de calibe in brachium suum, tunc non nocebit sibi morsus serpentinus. Postea extendat rete suum super piscem, ita valide, & caute, quod piscis rasorijs suis non valeat discindere rete, vel rumpere, nec euadere aliqua fortitudine, vel impulsu. Si itaque sentit piscem, extendat rete super eum sursū. Quē si decem horis tenuerit super aquis, tunc piscis ille morietur. Quem portans ad litus respiciat eum oculo illo, quem non excæcauerat, & apponendo manus aperiat eum in dorso, vbi plus est de sanguine, & sic præsentet eum Domino suo. Si vero piscis euaserit aut necauerit ad litus aliud, nocens homini veneno suo, ego potens sum sanare infectum. Nec minor erit remuneratio pro sanguine piscis, quam pro corde animalis. Item loquitur Deus. Stateræ istæ significant tantū quasi quis diceret parce, & patere. Expecta & miserere. Quasi aliquis videns iniustitiā alterius, & semper vt à malo desisteret, eum admoneret. Sic ego Deus, & Creator omnium, quandoque more stateræ descendo ad hominem admonendo eum, parcendo ei, & tribulationibus eum probando. Quandoque ascendo mentes hominum illustrando, & inflammando, gratiaque insolita visitando. Ligaturæ vero stateræ ascendentes, nubes significant, quod ego omnium Deus, omnes tam gentiles, quam Christianos, tam amicos, quā inimicos sustento, & gratia mea illustro, & visito. Si tamen inuenirentur, qui gratiæ meæ respondere vellent, voluntatem, & affectum suum a malo auertendo. Animal vero significat illos, qui Baptisma susceperunt, & peruenientes ad annos discretionis, & verba sancti Euangelij non imitantes, quorum cor, & os ad terrena prolapsum est, spiritualia minime attenderunt. Piscis vero significat gentiles in procellis concupiscentię vagantes, quorum sanguis, idest, fides modica est, & intellectus ad Deum paruus. Ideo desidero cor animalis, & sanguinē piscis, si tamen inuenirentur, qui ex charitate conarentur mihi illa præsentare. Tres vero turbæ sunt amici mei. Primi, qui mundo vtuntur rationabiliter. Secundi, qui sua relinquunt obediendo humiliter. Tertij, qui mori pro Deo parati sunt. vide cap. 119.

NO-

NOTAE.

1 *IN præsenti capite nihil annotandum occurrit præterquam quod in eo plurima sub diuersis occultisque rerum imaginibus traduntur, quæ declaratione indigerent, quæ quoniam adamussim infra hoc eodem lib. 4. cap. 129. explicantur, ideo illa hoc loco consulto omisimus.*

COLLOCVTIO MIRABILIS per modum interrogationis, & responsionis inter Deum, & sponsam de Rege, & iure hæreditario Regis in regno, & suorum successorum, & qualiter quædam à successoribus regni repetenda sunt, & quædam non.

CAP. III.

O DOMINE inquit sponsa, ne indigneris, si quæro: Audiui ex scriptura, quod nihil acquirendum est, cũ iniustitia, nec tenendum est aliquid acquisitum à contra iustitiam. Nunc autem Rex iste habet terram, quam quidam dicunt eum habere ex iustitia, alij respondent contrarium. Et ideo mirum est, si in isto hoc toleras, quod in alijs reprobatur. Respondit Deus. Post diluuium nulli homines remanserunt, nisi qui erant in arca Noe. Et ex eis vna progenies nata est, quæ venit ad orientem, de qua etiam quidam venerunt in Sueciam. Et alia generatio venit ad occidentem, de qua quidam exorti venerunt in
1 Daciam. 1 Sed qui primum ceperunt colere terram non circumuallatam aqua, nihil appropriabant sibi de terra eorum, qui habitabant vltra aquas, & in insulis, sed vnusquisque contentabatur de eo, quod inuenerat, sicut scriptum est de Loth, & Abraham. Si, inquit, tu ad dexteram vadis, ego sinistrã tenebo. Quasi diceret. Quicquid tu tibi appropriás, hoc erit tuum, & hæredum tuo-
2 rum. 2 Deinde procedente tempore venerunt iudices & reges, qui contenti terminis suis, non occupabant terram eorum, qui in insulis, & vltra aquam habitabant, sed stabat vnusquisque in terminis, & limitibus antiquorum. Respondit illa. Quid si pars aliqua regni, donatione aliqua alienaretur à regno, nunquid à successore non repetendum esset? Cui Deus. In regno quodam inquit, seruabatur corona pertinens ad regẽ. Populus ita considerans se non posse stare sine rege, elegerunt sibi regem, tradentes coronam regi electo custodiendam, & reconsignandam regi futuro. Si igitur iste rex sic electus, aliquam partem de corona alienare, vel diminuere vellet, certe rex futurus repetere posset, & deberet. Quia nulla diminutio debet esse in corona, nec rex diminuere, vel alienare pôt coronã regni, nisi forte rationabili causa ad dies suos. Quid enim est corona regni nisi potestas regalis? Quid vero regnum nisi populus ei subiectus? Quid vero rex, nisi mediator, & conseruator regni, & populi? Ergo conseruator, & defensor coronæ, nequaquam dimidiare debet, vel diminuere coronam in præiudicium futuri regis. Respondit sponsa. Quid si rex ex necessitate, seu violentia cogeretur alienare partem coronæ? Cui Deus. Si, inquit, duo homines essent discordantes, alterque potentior nollet dare gratiam nisi absciderentur digitus alterius, cuius esset digitus abscissus nisi eius, qui damnum passus est? Sic est etiã de regno. Si rex aliquis propter necessitatem vel captiuitatem diminueret partem aliquã de regno, certe rex futurus repetere potest. Quia rex non Dominus coronæ est, sed rector, nec necessitas facit legem. Respondit illa. Quid si rex alicui Domino concessisset ad dies suos partem aliquam coronæ, mortuoque rege Dominus ille, & successores sui detinerent concessa tanquam propria, nunquid repetenda essent? Cui Dominus. Vtique terra illa redire debet ad legitimum Dominum? Respondit illa. Quid si pars coronæ impignorata esset alicui propter debita, illoq. leuatis fructibus multis annis, mortuo, terra postea veniret in manus alterius, qui nullam iustitiam haberet ad terram, ex eo quod nec concessa ei fuisset, nec impignorata, sed occasione quadam occupasset illã, nec dimittere vellet nisi accepta pecunia? Quid faciendum esset? Cui Dominus. Si inquit aliquis haberet globum aureum in manu, & diceret astanti, globus inquit iste tuus est, si rehabere intendis da mihi tot libras, certe dari sibi deberent tot libræ. Quia vbi potestatiue aliqua terra occupata est, & pacifice possessa, sapienter repetenda est, & computatis damnis reducenda. Nunc autem sicut rex electus eleuatus super lapidem quẽdam ad spectaculum populi, designat dominium se habere, & possesionem in partibus superioribus regni. Ita etiam terra ista in partibus inferioribus, & iure hæreditario, & emptione, & redemptione pertinet ad regnum. Ideo rex obtenta conseruet, ne forte, si aliter fecerit, & dominium perdet, & sub corona redactum. Item loquebatur sponsa.

O Domine ne indigneris, si adhuc quæro semel. Iste rex habet duos filios, & duo regna; in altero regno eligitur rex iure hæreditario, in altero secũdum fauorem populi. Nũc autem contrarium factum est. Nam filius iunior assumptus est in regnum hæreditarium. Maior vero in regnum, quod per electionem debetur. Respondit Deus. In electoribus eorum tria erant inconuenientia, & quartum superexcellit. Inordinatus amor, Prudentia simulata adulatio stultorum, Et diffidentia de Deo, & cõmunitate. Ideo electio eorũ fuit cõtra iustitiã, contra Deũ, contra bonũ reipublicæ, & vtilitatẽ communitatis. Propterea ad prouidendũ paci, & consulendum vtilitati communitatis, necesse est, quod senior filius recipiat regnum hæreditarium, iunior vero ad electionem veniat. Alioquin nisi retractẽtur priora facta, regnum patietur dispẽdium, communitas affligetur. Discordia orietur, dies filiorum erunt in amaritudine. Regnaque eorum iam non erunt regna, sed sicut scriptum est. Potentes transmigrabunt a sedibus suis, & qui ambulabãt in terris elobabuntur. Ecce dico tibi exemplum de duobus regnis, in vno est electio, in alio hæreditas. Primum vbi electio est destructum, & afflictum est, quia uerus hęres non eligebatur. Et hoc fecerunt partes eligentium, & cupi-
3 ditas ambientium regnum. Ergo Deus non affligit filium pro peccatis patris, nec in æternum irascitur, sed iustitiam facit, & seruat in terris, & in cælis. Ideo regnum illud non veniet ad priorem gloriam, & feliciorem statum, donec verus hæres consurget, aut ex paterna successione, aut materna.

NOTAE.

1 SEd qui primum cæperunt colere terram non circumuallatam aqua, nihil appropriabãt sibi de terra eorum, qui habitabant vltra aquas, & in insulis, sed vnusquisq. contentabatur de eo, quod inuenerat.

Hoc loco indicat Dominus Beatæ Brigittæ, quod ab initio homini in commune fuerit concessa bonorum possessio, ita vt de iure naturali tunc temporis ea spectarent ad eum, quæ sibi primo vendicabat: & hoc est, quod scribitur hic, sed vnusquisque contentabatur de eo, quod inuenerat, quod patet Genesis primo, vbi Deus hominibus possidendã terram in communi tradidit, vt admonuit D. Isidorus. lib. 5. Etimolog. cap. 4. & refertur distinct. 1. cap. Ius naturale, sed clarius docet Clemens Papa in Epistola sua quarta, quæ citatur 12. q. 1. Canon. dilectissimis, vbi legitur, communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, & alius istud, vnde credo ortum esse celeberrimum illud axioma, amicorum omnia sunt communia, secundum quem loquendi modum sancti Patres respicientes ad illud axioma affirmant, omnia esse communia, sic Diuus Augustinus super Ioann. tract. 6. & habetur distinct. 8. Can. quo iure, & Diuus Chrysostomus super Lucam cap. 6. a Deo inquit percepimus omnia, quod autem dicimus meum, & tuum mendacij sunt verba, idem habet Diuus Ambrosius relatus 47. distinct. sicut hi, vbi scribitur, nemo dicat proprium, quod est commune, & sane in statu innocentiæ congrua erat communis rerum possessio, tunc enim temporis, terra vel inculta sponte sua tulisset fructus, vel saltem indiguisset cultura exigua, & ista parua, quam refugisset nemo, imo ex ea non laborem sed delectationem homo percepisset, vt ex Genesis secundo colligi potest, vbi legimus, tulit Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum, quod intellige opere delectabili, non laborioso, sic Chrysost. Homil. 14. in Genesim, & Lyranus Genes. 2. ad ea verba, vt operaretur, & custodiret.

2 Deinde procedente tempore venerunt iudices, & Reges, qui contenti terminis suis non occupant terram eorum, qui in insulis, & vltra aquam habitabant.

Quemadmodum superiori nota diximus, communis illa bonorum possessio statui innocentiæ congrua fuit, sic modo hic admonemur, rerum diuisionem post lapsũ adeo esse necessariã, vt absque illa citra miraculum nequiquam posset humanum genus diu conseruari, hac enim fit, vt vnusquisque siue Princeps, siue quilibet alius suis assignatis terminis contentus esse deberet, & hinc etiam plures lites componuntur, quæ ex insatiabili rerum concupiscentia, quæ post primorum parentum peccatum inualuit, ortæ essent, hanc ob causam Genesis 13. dicitur inter Abraham, & Loth huiusmodi bonorum factam esse diuisionem, ecce vniuersa terra coram te est, recede a me obsecro si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, ex quo intelligendum est, diuisionem non solum in genere, sed etiam quod aliquæ nationes aliquam regionem possideant, & aliæ aliam esse de iure gentium, contra quam Caietanus 2. 2. q. 57. art. 2. videtur sentire. Diuus tamen Thomas quæstione citata in solutione ad primum affirmat, hanc diuisionem pertinere ad ius positiuum, sed quæstione 57. dixerat esse de iure gentium, qua de re legendus est etiam Sotus libro 4. de iustitia, & iure quæstione tertia.

3 Ergo Deus non affligit filium pro peccatis patris, nec in æternum irascitur, sed iustitiam facit, & seruat in terris, & in cælis.

Eadem prorsus sententia legitur Ezechielis, cap. 18. vbi dicit Dominus, filium non portaturum iniquitatem patris, idest pœnam iniquitatis patris, hic tamen contrariari videtur id, quod scribitur Exodi capite vigesimo, vbi Deus dicit, velle se visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam,

& quar-

& quartam generationem, sed si vtriusque sacri textus verba diligenter perpendantur, nullatenus ad inuicem pugnare inuenientur, nam Exodi 20. absolute non dicitur, Deum velle punire peccata parentum in filios, sed additur eorum, qui oderũt me, idest, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui perseuerabunt in odio mei, atque ita Deus punit in tertiam, & quartam generationem, eos qui in eadem peruersitate parentum perseuerare volunt, quod explicans Gloß. in locum citatum Ezechielis, non ideo ait puniuntur filij, quia peccauerunt Patres eorum, sed quia eis similes quodam hæreditario malo Deum oderunt, idem admonuit ibidem Lyranus. Cæterum si filij non imitarentur peccata parentum, sed in via Dei ambularent, profecto ob illorum peccata non punirentur, quod aperte colligi potest ex Ezechiel Propheta loco supra citato, dum dicit; si genuerit Vir filium, & viderit omnia peccata Patris, quæ fecit, & timuerit, & non fecerit similia, ipse non morietur propter iniquitatem Patris sui, ita quod non erit hæres pœnæ Patris, nisi fuerit hæres culpæ, & ad hunc sensum reuocanda sunt verba præsentis Notæ, vt patet ex contextu, & sic etiam explicat locum citatum Ezechielis. D. Augustinus contra Adimantium cap. 7. tomo 6. & in Enchiridion cap. 46. & latius Origenes Hom. 8. in Exodum D. Thomas 1. 2. q. 87. art. 8. ad primum, sed Theodoretus q. 40. in Exodum dicit, verba illa, in tertiam, & quartam generationem continere potius comminationem, quandam, quam quod vere Deus visitet iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem: eandem interpretationem, quam supra tulimus, probat Hieronymus ab Oleastro in Exodum cap. 20. vide, quæ de hac eadem re fusius diximus lib. 5. Reuelat. interrog. 14. q. 3.

VERBA DEI AD SPONSAM de duobus spiritibus, scilicet bono, & malo, & de mirabili, & vtili bello in mente cuiusdam Dominæ, orto ab inspirationibus boni spiritus, & à tentationibus maligni spiritus, & quid in istis sit eligendum.

CAP. IIII.

1 CHRISTVS Loquitur sponsæ. 1 A duobus spiritibus suggeruntur, & infunduntur cogitationes, & infusiones in cordibus hominum a bono spiritu, scilicet, & a malo. Bonus nempe spiritus suadet homini cælestia fu-
tura cogitare, & temporalia non amare.
Spiritus malus suadet diligere, quæ videt, le
uigat peccata. Allegat infirmitates. Et pro-
ponit exempla infirmorum. Ecce dico tibi
exemplum, quomodo vterque spiritus inflã-
mat cor illius dominæ Reginæ tibi notæ, de
qua alias dixi tibi. Spiritus quippe bonus di-
cit ei ista, suggerens ea cogitationibus suis.
Diuitiæ inquit sunt onerosæ, honor mundi,
quasi aer, & delectabilia carnis, quasi somniũ.
lætitia transitoria, & omnia mundialia vani
tas. Iudicium quoque futurum ineuitabile,
& tortor nimis durus. Ideo videtur mihi
nimis esse durum strictam tenere computa-
tionem pro diuitijs transitorijs, spirituale
dedecus reportare pro aere de vento. Longã
tribulationem sustinere, pro delectamento
momentaneo. Eique rationem reddere, cui
omnia sunt nota antequam fiant. Propterea
tutius est dimittere multa, & facere mino-
rem computationem, quam multis inuolui,
& teneri ad reddendum longam onerosam
rationem. Respondit e contra inspiratio-
nibus suis malus spiritus. Dimitte inquit,
tales cogitationes, quia Deus mitis est, &
faciliter placatur. Posside bona audacter,
2 da quæ possides largiter. 2 Ad hoc enim
var. nata es, vt lauderis, & tribuas te petenti.
lect. Si enim dimittis diuitias seruies his, qui
tibi seruierunt. Minuetur honor tuus, &
augebitur despectio. Quia persona pauper,
3 vadit sine consolatione. 3 Durumque est ti-
var. bi nouis assuesci consuetudinibus. Alienis
lect. domare carnem moribus, & sine seruitio vi
uere. Ideo stabilis esto in honore accepto.
Tene statum tuum regaliter, dispone domũ
tuam laudabiliter. Ne si mutaueris datum
tuum, arguaris inconstantiæ, sed mane in
inceptis, & eris apud Deum, & homines
gloriosa. Iterum bonus spiritus suadet
menti illius Dominę Reginæ ista dicens.
Scio duo esse æterna, cælum scilicet, & in-
fernum. Omnis enim qui Deum diligit su-
per omnia non intrabit infernum. Qui vero
non diligit Deum, non habebit cælum. Per
viam igitur ad cælum incessit ipse Deus fa-
ctus homo, confirmauitque eam signis, &
morte. Quam gloriosa sunt cælestia, quam
amara diabolica malitia, & quam vana sunt
terrena. Ipsumque Deum imitati sunt Ma-
ter eius, & omnes Sancti, qui omnem pœnam
sustinere, omniaque amittere magis volue-
runt, immo & seipsos contempserunt, ne per-
derent cælestia, & æterna. Ideo tutius est
dimittere honorem, & diuitias tempestiue,
quam in finem eas tenere. Ne forte crescen
te dolore in extremis decrescat memoria
delictorum. Illique rapient ea, quæ congre
gaueram, qui de salute mea nihil curant.
Respondit e contra mala infusio diabolica,

Dimitte

Dimitte, inquit, ista cogitare. Nos sumus ho
mines infirmi, Christus vero Deus, & homo;
non debemus æquiparare opera nostra ad
opera sanctorum, quibus & maior gratia,
& familiaritas erat cum Deo. Sufficiat no-
bis sperare cælum, & iuxta infirmitatem no-
stram uiuere, & peccata nostra eleemosy-
nis, & orationibus redimere. Puerile namq.
est, & insipientium insolita assumere, & ea
non posse consumare. Iterum respondit bo-
4 na infusio. 4 Indigna sum inquit assimilari
sanctis, sed tamen tutum est valde conari ad
perfectionem paulatim. Quid namque obest
aggredi insolita, potens enim est Deus da-
re adiutorium. Sæpe autem contingit, quod
viam Domini potentis, & diuitis sequitur
pauper aliquis. Et licet Dominus citius per
uenerit ad hospitium, delicatisque cibis frui
tur, & in molli quiescit lecto, pauper tamen
ad idem hospitium peruenit, licet tarde, &
tamen ibidē reliquijs ciborum Domini par-
ticipatur. Qui nisi viā Domini sequutus fuis
set, hospitiumq. domini reliquisset, cibis do
mini vsus non fuisset. Sic & ego dico nunc,
quod quamuis indigna sim similari sanctis;
tamen volo aggredi viam post eos, vt saltim
possim participari meritis eorum. Nam duo
sunt, quæ sollicitant me in animo. Primo;
quod si mansero in patria superbia domina
tur mihi. Amor parentum, qui iuuari petunt
deprimit mentem meam. Superfluitas fami-
liæ, & vestium est mihi onerosa. Ideo dele-
ctat me, & consultius est descendere de sede
superbiæ, & peregrinando humiliare corpus
meum, quam manere in honoris statu, & pec
cata peccatis accumulare. Secundo sollici-
tat me paupertas populi, & eorum clamor,
quem vbi iuuare deberem, quotidie præsen-
tia mea grauo. Ideo necessarium est mihi
consilium bonum. Respondit mala infusio, &
suggestio diabolica. Peregrinari inquit nō est
nisi inconstantis animi. Cum misericordia ac
ceptior sit Deo omni sacrificio. Si enim rece
dis de patria cupidi homines audita fama
tua, spoliabunt, & capient te. Et tunc pro li-
bertate senties captiuitatem, pro diuitiis
paupertatem. Pro honore dedecus, pro quie
te tribulationem. Respondit iterum inspiran
do spiritus bonus. Audiui inquit quendam
captiuum positum in turri, qui maiorem
consolationem habuit in captiuitate, & tene
bris, quam vnquam prius habuit in abundā-
tia, & consolatione temporali. Ideo si placet
Deo me tribulari, erit mihi in manus merb-
tum. Ipse enim pius est ad consolandum, &
prōptus ad subueniēdum. Maxime si nō egre
dior de patria nisi propter peccata mea, &
ad promerendam diuinam charitatem. Re-
spondit iterū mala infusio, & diabolica sug
gestio. Quid inquit si indigna fueris consola
tione diuina, & fueris impatiens ad pauper
tatem, & humilitatem, tunc enim pęnitebit
te assumpsisse rigorem. Tunc habebis baculū
in manibus pro annulo. Panniculum in capi
te pro corona, & vilem saccum pro purpu-
reo indumento. Respondit iterum bonus spi
5 ritus. 5 Audiui inquit, quod sancta Helisabet
filia Regis Vngarię delicate enutrita, & nobi
liter nupta, magnā sustinuit paupertatē, &
deiectionem. Quæ maiorem consolationem
obtinuit a Deo in paupertate, & sublimio-
rem coronam, quam si mansisset in omni ho
nore mundi, & eius consolatione. Iterum re
spondit mala inspiratio. Quid inquit facies
si tradiderit te Deus in manus hominum,
fuerisque violata in corpore, nunquid præ
pudore subsistere poteris? Nunquid non in-
consolabiliter dolebis de pertinacia tua, to-
taq. generatio tua scandalizata lugebit? Tūc
certe consurget tibi impatientia, tunc anxie
tas in corde, & ingratitudo ad Deum. Tunc
optabis finire dies tuos. Et cum in ore om-
nium fueris diffamata, nunquid audebis ap
parere? Iterum respondit bona cogitatio.
6 6 Audiui ex scriptura, quod virgo beata Lu-
cia ducta ad lupanar, constans in fide, & con-
fidens de bonitate Dei dixit. Quantumcum-
quę vexatur corpus meum, nihilominus vir
go sum, & duplicabitur mihi corona. Cuius
fidem respiciens Deus seruauit eam illesam.
Sic ego dico, Deus qui neminem permittit
tentari supra vires, custodiet animum meū,
fidem, & uoluntatem meam. Ego enim tota
me ei committo, fiat eius voluntas de me.
Ergo quia domina illa pulsatur his cogita-
tionibus, ideo admoneo eā de tribus. Primo,
quod reducat ad memoriam, ad qualem ho-
norem est electa. Secundo, qualem charita-
tem Deus ei in coniugio suo ostenderat. Ter
tio, quam benigne in hac mortalitate est
seruata. Iterum incauto eam de tribus. Pri-
mo, quod rationem reddutura est Deo de
omnibus bonis suis temporalibus, adhuc e-
tiā de quolibet obolo, quomodo, scilicet, le-
uatus est, & erogatus. Secundo, quod tempus
suū valde est breue, & nesciet antequā cadat.
Tertio, quod Deus nō parcit plus dn̄æ, quā
ancillæ. Ideo consulo ei tria. Primo pœnite-
re de commissis, emendare fructuose confes
sa, Deum diligere toto corde. Secundo con-
sulo fugere rationabiliter pœnam purga-
7 torii. 7 Sicut enim qui non diligit Deum
toto corde dignus est magno supplicio, sic
qui non emendat peccata cum potest di-
gnus est purgatorio, Tertio consulo dimit-
tere amicos carnales ad tempus propter
Deum, & venire ad locum, vbi com-
pendium est inter celum, & mortem, ad
fugiendam pœnam purgatorii, quia ibi
sunt indulgentiæ, quæ sunt eleuationes, &
redem-

Redemptiones animarum, quas sancti Pontifices dederunt, & sancti Dei sanguine suo promeruerunt.

NOTAE.

1 A Duobus spiritibus suggeruntur, & infunduntur cogitationes, & infusiones in cordibus hominum.

Hoc loco introducuntur spiritus bonus, & malus ad inuicem colloquentes, & vtriusque dicta, ac rationes diligenter referuntur, quæ quidem scitu sunt dignissima, quippe quæ valde conferre possunt ad discernendum spiritum bonum à malo, & Reuelationes diuinitus datæ ab illusionibus dæmonum, qua de re in pluribus locis in his Reuelationum libris copiose agitur, & præcipue lib. 3. cap. 12. & cap. 20. & nos ibi nota 3. & lib. 4. cap. 23. nota quinta, & eodem lib. cap. 78. & 110. nos autem fuse egimus cap. 10. in Præludijs ad Reuelat. S. Brigittæ.

2 Ad hoc enim nata es, vt lauderis, & tribuas te petenti.

var. lect. *M. S. Farnesianus aliter legit, Ad hoc enim nata es, vt diuitias habeas, & ideo hæ tibi datæ sunt, vt lauderis, & tribuas eas, à te petenti, quæ lectio magis quadrat textui, quandoquidem legimus, supra, spiritum malum suadentem ei Reginæ, cuius hic mentio fit, vt bona, quæ habebat audacter possideret, eaque in prauos vsus distribueret, & ad hominum sibi fauorem comparandum largiter, copiosèque erogaret.*

3 Durum est tibi nouis asuesci consuetudinibus.

var. lect. *Codex M.S. Rectius habet, Durum est tibi nouis esuescere consuetudinibus.*

3 Indigna sum assimilari sanctis.

Conatur hoc loco malus spiritus persuadere, ne nos Sanctorum sequamur vestigia, affirmans vnumquemque debere se indignum existimare, vt Sanctis ipsis æquiparetur, & ideo stultum esse dicit, ea aggredi, quæ consequi quispiam minime potest, propterea etiam legimus paulo supra à verbis præsentis notæ, spiritum malum sic loquentem, dimitte ista cogitare: nos sumus homines infirmi, Christus vero Deus, & homo, non debemus æquiparare opera nostra, ad opera Sanctorum, & aliquanto post puerile est, & insipientium insolita assumere, & ea non posse consumare, sed hæc ita accipienda sunt, non quod viris sanctitate conspicuis, pares nos esse credere debeamus, sed eorum vestigia sectantes, & virtutes amplectentes illis fieri similes pro viribus studeamus, expedit enim eos imitari, eandem quæ viam, per quam ipsi ambulauerunt aggredi, & post hæc, nos semper seruos inutiles, ac omnium minimos iudicare, iuxta illam Saluatoris nostri sententiam relatam à D. Luca cap. 17. cum omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus.

5 Audiui inquit, quod sancta Elisabeth filia Regis Vngariæ, delicate enutrita, & nobiliter nupta, magnam sustinuit paupertatem, & deiectionem.

Hanc eam esse Elisabeth arbitror, quæ vidua fuit filia Regis Andreæ Vngarorum, de qua Diuus Antoninus tertia parte suæ summæ tit. 19. cap. 11. & Surius Tomo 6. & alij plures, quos refert doctissimus Cardinalis Baronius in notis ad Martyrol. Rom. decimo nonas Nouembris.

6 Audiui ex scriptura, quod Virgo B. Lucia ducta ad lupanar constans in fide, & cōfidens de bonitate Dei dixit, quantumcumque vexatur corpus meum, nihilominus Virgo sum, & dupplicabitur mihi corona.

De ea fuse tract. S. Aldemus in lib. quem edidit de laude Virginitatis, & Sigisbertus de viris illustribus cap. 172. Surius Tomo 6. verba vero, quæ hoc loco notantur, nimirum quantumcumque vexatur corpus meum nihilominus Virgo sum, indicant, non ideo eum virginitatem amittere, qui corporalis membri integritatem, per vim nullo accedente consensu perdit, nam membrorum integritas per accidens, & materialiter ad Virginitatem spectat, in quantum scilicet, per hoc, quod ex proposito voluntatis abstinens, quis à venerea delectatione in membro corporeo integritatem conseruat, vnde D. Thom. 2. 2. quæst. 151. art. 1. ad tertium, si contingat, inquit, quod per alium modum aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis virginitati præiudicat, quam si manus vel pes corrumperetur, huius autem dicti B. Thomæ, ratio esse potest, quoniam pudicitia virtus est in animo collocata, vnde & si corpori pudici hominis vis aliqua extrinsecus inferatur, nullatenus pudicitia amittitur, si consensus non præstetur, sicut enim animi integritas, & sanctitas minime perditur, etiam si corpus morbo opprimatur, sic nec virginitas amittitur, etiam si extrinsecus Virginitatis signacula, per vim nullo accedente consensu confringantur, quod egregie admonuit D. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. de pudicitia inquit, quis dubitauerit, quin ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est, vnde à violento stupratore eripi, nec ipsa potest, idem habet Epistola 122. ad Victorianum, circa finem, quidquid in carne, nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis, omnisque illa violentia, non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur, hoc etiam repetit Epistola 180. ad Honoratum, & in lib. de mendacio cap. 7.

7 Secundo consulo fugere rationabiliter pœnam purgatorij, sicut enim, qui non diligit Deum toto corde dignus est magno supplicio, sic qui non emendat peccata, cum potest dignus est Purgatorio.

Pœnam purgatorij in hac vita fugere, non est aliud, quam pro peccatis in ea (detestata culpa) pœnas subire, & iustitiæ diuinæ satisfacere, Deus

enim

ized by Google

enim in hoc sæculo mitius nobiscum agit, quam in alio, & ideo in præsenti cap. datur consilium, ut pœnam Purgatorij fugiamus, cum autem sequitur, qui non emendat peccata, cum potest, dignus est purgatione, intellige de peccatorum emendatione, quoad pœnas in ordine ad satisfactionem, non vero quoad culpam, quia tunc non emendans sic peccata in hac vita, cum possit, non est dignus Purgatorio, sed Inferno.

VERBA BEATI PETRI AD Sponsam de desiderio, quod habuit ad saluandas gentes. Et qualiter informat sponsam ad memoriam obtinendam, & de magnis mirabilibus, quæ adhuc in vrbe Romana debent adimpleri, vel compleri.

CAP. V.

BEATVS Petrus loquitur sponsæ Christi. Tu filia cōparasti me aratro, quod facit sulcos latos, & extirpat radices. Hoc vtique verum fuit. Nam sic feruens contra vitia fui, & ad mores accensus, quod si totum mundum potuissem ad Deum conuertisse, nullatenus pepercissem vitæ meæ, nec labori. Ipse quippe Deus dulcis mihi fuit in cogitatu, dulcis in locutione, dulcis in operatione, in tantum quod omnia erant mihi amara ad cogitandum præter Deum. Attamen ipse Deus etiam mihi amarus fuit, non ex se, sed ex me-
1 ipso. 1 Nam quoties cogitabam quantum deliqui, & quomodo eum negaueram, fleui amare, quia noueram iam perfecte amare, & fuerunt mihi lacrymæ meæ delectabiles, tanquam cibus dulcis. Quod vero rogas me dare tibi memoriam, respondeo tibi. Nunquid non audisti, quam obliuiosus ego fui. Ego quippe plene instructus viam Dei. Iuramento obligaui me ad standum, & moriendum cum Deo, sed interrogatus ad verbum vnius mulieris negaui veritatem, & quare? quia reliquit me Deus mihi ipsi, & ego ipse meipsum non cognoscebam. Sed quid feci ego tunc. Tunc certe considerabam meipsum, quod nihil eram ex me, & surrexi, & cucurri ad veritatem Deum, qui tantum memoriæ nominis sui impressit cordi meo, quod nec coram Tyrannis, nec inter flagella, seu in morte poteram eum obliuisci. Sic ergo fac, & tu. Surge per humilitatem ad magistrum memoriæ, & pete ab eo memoriam. Ipse enim solus est, qui omnia potest. Ego vero iuuabo te, vt particeps fias granorum, quæ ego posui super terram. Insuper dico tibi, quod ciuitas ista Roma, ciuitas erat pugilum, cuius plateæ stratæ auro, & argento, nunc autem lapides eius saphyrei versi sunt in lutum, habitatores eius paucissimi, quorum oculus dexter erutus est,
2 dextera manus abscissa. 2 Bufonesque, & viperæ habitant cum eis, pro quorum veneno animalia mitia non audent apparere, nec pisces mei eleuare caput. Ideo adhuc in eam pisces congregabuntur. Et si non ita multi, vt olim. erunt tamen æque dulces, & audaces. In tantum quod ex eorum collusione descendent bufones, & ranæ, & serpentes mutabuntur in agnos, & leones erunt, vt columbæ ad fenestras suas. I
3 addit. 3 Dico tibi amplius, quod adhuc diebus tuis audietur. Viuat vicarius Petri. Et videbis eum oculis tuis. Fodia enim montem delitiarum, & descendent sedentes in eo. Qui autem beneuole noluerint descendere, venient compulsi contra spem omnium. Quia exaltari vult Deus cum misericordia, & veritate.

NOTAE.

1 NAM quoties cogitabam quantum deliqui, & quomodo eum negabam fleui amare, quia noueram iam perfecte amare, & fuerunt mihi lacrymæ meæ delectabiles tamquam cibus dulcis.

Apostolorum Principem Petrum magnam lacrymarum fudisse copiam, quod Christum Dominū negauerit non solum Matth. 27. & Marcus 15. cap. indicarunt, sed Lucæ 22. scribitur egressus foras Petrus fleuit amare, hoc est, ex cordis ingenti amaritudine, ac contritionis fletu, qui amarus est, licet deuotionis lacrymæ suauissimæ, ac dulcissimæ sint, in tantum quod pro cibo eas, David reputauerit Psalm. 41. Fuerunt inquit lacrymæ meæ panes die, ac nocte, legimus autem hoc loco, quod toties ipse flebat, quoties negasse Christum recordabatur, immo & consueuisse singulis noctibus surgere à primo Gallorum cantu, & vsque ad horam matutinam orare, & pro negatione flere tradit Lodulphus de vita Christi secunda par. cap. 60. & Lyranus in Matth cap. 27. ad ea verba, & recordatus est Petrus, & colligitur ex itinerario Clementis, vnde affirmant, quod eius facies videbatur adusta ex lacrymarū fluxu. & quod semper in sinu sudarium portabat, quo crebro fluentes lacrymas tergeret, & addit Nicephorus lib. 2. Hist. cap. 37. B. Petri oculos fuisse quasi sanguine respersos, idque, quod assidue plorasse feratur, plura de B. Petri pœnitentia tradiderunt D. Augustinus lib. 1. de

gratia

by Google

gratia cap. 43. & 45. D. Ambrof. super Lucam cap. 22. D. Chryfoft. Ho. 1. & 4. de pœnitentia Maximus Taurinenfis in duabus Homilijs de negatione eius.

2 Bufones, & viperæ habitant cum eis, pro quorum ueneno animalia mitia non audent apparere, nec pifces mei eleuare caput, ideo adhuc in ea pifces congregabuntur.

Hoc loco Petrus Apoftolus B. Brigittæ dicit, vrbem Romam, tot tantifq. prauis hominibus repletā effe, ficque à fanctiffimorum Pontificum decretis recesfiffe, & Ecclefiafticæ difciplinæ nuncium remififfe, vt propterea boni, qui pauci remāferint in ea in fpiritualibus operibus fefe exercere, ac in religione proficere minime poffent, & ideo dicit bufones & viperæ habitant cū eis, pro quorū veneno animalia mitia non audent apparere, nec pifces mei eleuare caput, vocat autem Romæ habitatores pifces, quia ipfe, qui Pifcator erat pifcium, à Chrifto Domino hominum pifcator factus erat, & præfertim eorum qui Romæ habitabant, quos ipfe fua prædicatione conuertit, vnde Chriftus Marci 1. dixit, Venite poft me, & faciam vos fieri pifcatores hominum, illud autem quod fequitur, ideo adhuc in ea pifces congregabuntur, indicat Romanam vrbem ad fuum priftinum ftatum reuocandā effe per fucceffforum fuorum prudentiam, ac fanctitatem, ac etiam fuo fplendori reftituendam per multorum conciliorum decreta, ac Doctorum hominum fcientiam, vitaq. probitatem, ficut enim pifces in diluuio non perierunt, fed natant, vt Genefis 7. legimus, fic Romæ habitatores non peribunt, nec quacumque tribulatione fubmergentur, fed eo magis in Religione proficient, fpirituales namque homines, qui fluctibus rerum temporalium non fubmerguntur pifces funt, fic docent D. Aug. Epift. 121. & lib. 83. q. q. 57. & in Ioan. tract. 123. & D. Ambrof. lib. 3. de facramentis, aut etiam hic per pifces, qui congregabuntur poffumus doctores intelligere, quos plurimos in Vrbe futuros prædixit B. Petrus, quorum auxilijs Religio Chriftiana propaganda fit, per pifces enim doctores defignare tradunt Beda Genefis primo, Origenes in Leuit. Hom. 7.

3 Dico tibi amplius, quod adhuc in diebus tuis audietur viuat vicarius Petri.

Hæc formula applaudendi Romano Pontifici, dum ipfe facra publice peragit, vel fefe vifendum populo exhibet, & præcipue dum populum in platea fancti Petri congregatum folemniter Benedicit con fueuerunt vti Romani, qui mos ad hæc vfque noftra tempora durat.

NARRATIO OPTIMA BEATI Pauli ad fponfam, qualiter precibus beati Stephani fuerit à Deo vocatus, & de lupo agnus effectus, & qualiter eft bonum orare pro omnibus. 1

CAP. VI.

LOQVITVR Beatus Paulus fponfæ Chrifti dicens. Tu filia comparafti me leoni, qui inter lupos nutritus fuerat, fed de lupis mirabiliter ereptus eft.
1 1 Vere filia lupus rapax ego eram, fed de lupo fecit me Deus agnū.
2 2 Et hoc propter duo. Primo propter magnam fuam charitatem, qui de indignis facit vafa fua, & de peccatoribus amicos fuos.
3 Secundo propter preces beatiffimi Stephani protomartyris. Nam oftendere tibi volo, quomodo, & in qua intentione, tunc fui quādo lapidatus fuit Stephanus, & quare meruit preces eius. Ego quippe non gaudebam nec delectabar de poena beati Stephani, nec inuidebam gloriæ eius, fed tamen cupiebam eum mori, eo quod iuxta intentionem meā non videbam ipfum habere fidem veram. Cumque viderem eum vltra modum feruentem, & patientem ad paffionem ferendam, vehementer dolui ipfum effe infidelem cum reuera ipfe effet fideliffimus, & ego totus coecus, & infidelis, & compatiendo ei, rogaui orando ex toto corde, quod poena fua amara, proficeret ei ad gloriam, & coronā. Propterea cum primis profecit mihi oratio eius, quia per orationem ipfius de multis lupis ereptus fum, & factus manfuetus agnus. Ideo bonum eft orare pro omnibus, quia illis proficit oratio iufti, qui propinquiores, & aptiores funt ad recipiendum gratiam. Sed nunc conqueror, quod vir ifte tam eloquens inter doctores, & tam patiens inter lapidantes, nimis oblitus, & neglectus eft à cordibus multorum, & maxime ab his, qui ei in nocte, ac die tenerentur affiftere. Hi enim portant ei vafa fua confracta, & vacua, lutofa, & abominabilia. Ideo ficut fcriptum eft. Induentur confufione duplici, & rubore, & eijcientur a domibus voluptatis.

NO-

NOTAE.

1 VEre filia lupus rapax ego eram, sed de lupo fecit me Deus agnum.

Optime hoc loco se Paulus comparat lupo, cum de eo Genesis 49. scribatur Beniamin lupus rapax, is namque de tribu Beniamin extitit, qui mane comedit prædam, quando fideles in principio nascentis Ecclesiæ persequebatur, & vt Actorum 8. scribit Lucas, Saulus autem deuastabat Ecclesiam, sed vespere diuisit spolia, cum conuersus ad fidem Euangelium prædicauit, & plurimos ad Deum conuertit, ipse quoque lupus est, qui feritate dimissa cum agno pariter habitauit, vt Isaiæ 11. & 65. legimus, & idcirco de eo scribitur hic, sed de lupo fecit me Deus Agnum, quod etiam annotarunt D. Hieronym. super Isaiam cap. 11. & 65. Beda super Genesim cap. 49. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5. D. Augustin. de sanctis serm. 14. vbi agit de conuersione Beati Pauli.

2 Et hoc propter duo, primo propter magnam suam charitatem, qui de indignis facit vasa sua, de peccatoribus amicos suos; Secundo propter preces Beatissimi Stephani protomartyris.

Ex verbis præsentis notæ videtur aperte colligi posse, Beatissimum Stephanum, dum à Iudæis lapidaretur oratione sua, Pauli Apostoli conuersionem promeruisse, quod etiam deducit Dionysius Carthusianus ex verbis eiusdem Beati Stephani, quæ in Actibus Apostolicis cap. 7. referuntur; Domine ne statuas illis hoc peccatum, tam sanctissima inquit Protomartyris oratio nequaquam poterat esse infructuosa, quia eius virtute Paulus creditur illustratus, idem insinuauit Ambrosius de pœnit. lib. 6. cap. 9. cuius precationis inquit, effectum in Apostolo videmus, Paulus enim qui lapidantium Stephanum vestimenta seruabat, non multo postea, per gratiam Christi factus Apostolus est, qui fuerat antea persecutor.

VISIO MIRABILIS, ET notanda, de quadam anima iudicanda, & de diaboli accusationibus, & Virginis gloriosæ aduocationibus, & de expositione ipsius visionis, in qua cælum per palatium, Christus per solem, Virgo per mulierem, diabolus per Ethiopem. Angelus per militem designantur, & in qua duo loca pœnarum irremediabilia, & tria remediabilia computantur, & multa alia mirabilia, & quam maxime de suffragiis.

CAP. VII.

VNI personæ vigilanti in oratione, & non dormienti. 1 Videbatur in spiri- (1 var. lect.)
tuali visione, quasi quod videret palatium incomprehensibile magnitudine. In quo erant innumerabiles vestiti vestibus albis, & fulgidis; quorum quilibet videbatur habere sedem propriam. In palatio vero principaliter stabat vna sedes iudiciaria, in qua erat quasi sol. Et splendor, qui de sole procedebat erat incomprehensibilis, in longitudine, profunditate, & latitudine. Virgo quoque vna stabat iuxta sedem habens pretiosam coronam in capite, omnesque seruiebant soli sedenti in sede, laudantes eum in Hymnis, & Canticis. Deinde videbatur quidam Ethiops terribilis in aspectu, & gestibus quasi plenus inuidia, & accensus ira magna, qui loquendo clamauit. O iuste iudex iudica mihi animam, & audi opera eius modicum enim iam restat de vita eius. Permitte quoque mihi punire corpus cum anima, donec ab inuicem separentur. Quibus dictis videbatur mihi, quod vnus stabat coram sede quasi miles armatus pudicus, & sapiens in verbis, modestusque in gestibus suis dicens. O iudex ecce hic sunt bona opera eius, quæ gessit vsque ad hanc horam. Et statim audiebatur vox de sole sedentis in sede, hinc inquit, vitium maius est, quam virtus, nec est iustitia, quod vitium summæ virtuti coniungatur. Respondit Ethiops. Ergo inquit, iustitia est, vt anima ista coniungatur mihi. Sicut enim ipsa aliquod vitium habet in se, sic & in me nequitia est omnis. Respondit miles. Misericordia Dei quamlibet personam sequitur vsque ad mortem, & vsq. ad vltimum pun-

Digitized by

punctum,& postea fit iudicium. In isto vero homine, de quo loquimur adhuc coniuncta sunt anima,& corpus, & discretio manet in eo. Respondit Ethiops. a Scriptura dicit, quæ mentiri non potest. Diliges Deum super omnia, & proximum tuum,sicut temetipsum. Vide ergo, quod omnia opera istius facta sunt ex timore, non ex charitate sicut debuit. Omniaque peccata eius de quibus confessus est,inuenies confessa, cum modica contritione. Ideo promeruit infernum,quia demeruit regnum cęlorum. Et ideo peccata eius sunt hic manifesta apud diuinam iustitiam,quia nunquam adhuc obtinuit contritionem ex diuina charitate commissorum peccatorum suorum. Respondit miles. Ipse vtique sperauit, & credidit obtinere contritionem veram ante mortem. Cui Ethiops, tu inquit,omnia congregasti quæcunque benefecit,omniaque verba, & cogitatus ad salutem animæ eius nosti. Omniaq. inquit ista quæcunque sunt,non possunt assimilari gratiæ illi,quæ est contritio ex diuina dilectione cum sancta fide, & spe, & minus delere possunt omnia peccata sua. Nã iustitia ab æterno in Deo est, quod nullus peccator ingrediatur cælum,qui non habuit perfectam cõtritionẽ. Et ideo impossibile est,quod Deus iudicet contra dispositionem præscitam ab æterno,ergo anima ista iudicanda est ad infernum,&mecum ad æternam pœnam coniungenda. Quibus dictis miles tacuit, nihil respondẽs ad eius verba. Post hęc videbãtur dæmones innumerabiles, similes discurrentibus scintillis ex feruenti igne,& clamabãt vna voce dicentes ei, qui sedebat in sede quasi sol. Nos inquiunt scimus,quod tu vnus Deus es in tribus personis, & eras sine principio, & es sine fine, nec est alius Deus nisi tu, tu vere es ipsa charitas, cui coniuncta sunt misericordia,& iustitia, tu fuisti in te ab initio,nihil habens diminutum in te, nec transmutabile, sicut decet Deum, extra te nihil absque te,quod gaudium habeat. Ideo charitas tua fecit Angelos,ex nulla alia materia,nisi à deitatis tuæ pontentia, & fecisti sicut misericordia dictabat. Sed posteaquam nos intus accensi fuimus superbia,&inuidia, & cupiditate tua, charitas diligens iustitiã eiecit nos de cælo cum igne malitiæ nostræ, in abyssum incomprehensibilem,& tenebrosam,quæ vocatur,nunc infernus.
3 Sic fecit charitas tua, tunc, quæ nec separabitur adhuc de iusto tuo iudicio, siue fiat secundum misericordiam,siue secundum æquitatem. Plus dicimus, si res illa, quam præ omnibus diligis,quæ est Virgo, quæ te genuit, & quæ nunquam peccauit, si inquam illa peccasset mortaliter, & sine contritione diuina mortua fuisset,sic diligis iustitiã,quod anima eius nunquã obtineret cælũ,sed esset nobiscũ in inferno. Ergo ò iudex,cur nõ iudicas animam istã nobis, vt puniamus eã secundũ opera sua? Post ista audiebatur sonitus quasi tubæ,quẽ qui audiebant tacuerunt,& statim quædã vox loquebatur dicẽs Silete & auscultate omnes vos Angeli,& animæ,& dęmonia quid mater Dei loquitur. Et statim ipsa Virgo ante sedẽ iudicij apparens, & habens sub mantello suo quasi occultas res aliquas magnas dixit. O ò inimici,vos persequimini misericordiã, & cũ nulla charitate diligitis iustitiã. Licet in operibus bonis hic appareat defectus, pro quibus hæc aĩa non debet obtinere cælũ. Videte tamẽ quid ego habeo sub mantello meo. Cunq. virgo ambos aperuisset sinus mãtelli,apparuit sub vno quasi quædã modica ecclesia,in qua aliqui monachi videbantur. Sub alio vero sinu apparuerunt mulieres, & viri, amiciq. Dei religiosi,& alij,& oẽs vna voce clamabãt dicentes. Misere misericors Dñe. Deinde factum est silentium,&
3 Virgo loquebatur dicens. 3 Scriptura dicit. Qui habet fidẽ perfectã põt per eã transferre montes in mundo. Quid ergo tunc possunt,& debẽt voces istorũ facere, qui & fidẽ habuerunt,& seruierũt Deo cũ feruenti charitate? Quid vero illi amici Dei facturi sunt, quos iste rogauit orare pro se, vt posset separari ab inferno,& obtinere cælum,nec pro bonis operibus suis aliã remunerationẽ quæsiuit, nisi cælestia? Nunquid non possunt,& valent oẽs eorum lacrymæ,&preces apprehendere, &eleuare eum,vt obtineat ante mortem suã diuinam contritionẽ cum charitate? Insuper & ego addam preces meas,cum orationibus omnium Sanctorũ,qui in cælo sunt,quos iste specialiter honorabat. Et iterum adiecit Virgo. O,inquit,dæmones pręcipio vobis ex potestate iudicis,attendere ad illa,quæ in iustitia nunc videtis. Tunc omnes responderunt quasi ex vno ore,Nos inquiũt videmus,quod in mũdo modica aqua,& aer magnus placãt iram Dei, sic & tua oratione placatur Deus ad misericordiam cum charitate. Post hęc audita est vox de sole dicens, propter preces amicorum meorum obtinebit iam ille diuinam contritionem ante mortem. Intantum, quod non veniat in infernum, sed purgabitur cum illis, qui grauiorem pœnam habent in purgatorio.
4 4 Purgata vero anima mercedem habebit in cælis cum illis, qui in terris spem, & fidem habuerunt cum minima charitate. Quibus dictis dæmones fugerunt. Deinde Sponsæ videbatur, quod quasi locus quidam terribilis, & tenebrosus aperiebatur, in quo apparuit fornax ardens intus. Et ignis ille nihil aliud habebat ad comburendum nisi dæmones, & viuentes animas. Supra vero fornacem istam

istam apparuit anima illa, cuius iudiciū iam in superioribus auditum est. Pedes vero animæ affixi fuerūt fornaci, & anima stabat erecta, quasi persona vna. Non autem stabat in altissimo loco, nec in infimo, sed quasi in latere fornacis. Cuius forma erat terribilis, & mirabilis. Ignis vero fornacis videbatur se trahere sursum infra pedes animæ, sicut quando aqua trahit se sursum per fistulas, & violenter comprimendo se ascendebat super caput, in tantum, quod pori stabant, sicut venæ currentes cum ardenti igne. Aures autem videbantur quasi sufflatoria fusorum, quę cerebrum totum cum continuo flatu commouebant. Oculi vero euersi apparebāt & immersi, & videbantur ad occiput intus esse affixi. Os quoque erat apertum, & lingua extracta per aperturas narium; & dependebat ad labia. Dentes autem erāt quasi claui ferrei affixi per palatum. Brachia vero ita longa erant, quod tendebāt ad pedes. Manus quoque ambæ videbantur habere, & comprimere quandam pinguedinem cum ardenti pice. Cutis vero quæ apparebat supra animam videbatur habere formam pellis supra corpus, & erat quasi linea vestis circumfusa spermate. Quæ quidem vestis sic erat frigida, quod omnis, qui videbat eam contremuit. Et de illa procedebat, sicut sanies de vlcere cum corrupto sanguine, & fœtor, ita malus, quod nulli pessimo fœtori in mundo posset assimilari. Visa itaque ista tribulatione audiebatur vox de illa anima, quę dixit quinque vicibus, væ, clamans cum lacrymis totis viribus suis. Primo, inquit, væ mihi, quia sic modicum dilexi Deum, pro maximis virtutibus eius, & gratia mihi data. Secundo, væ mihi, quia non timui iustitiam Dei, sicut debui. Tertio, væ mihi, quia dilexi corporis, & carnis meæ peccatricis voluptatem. Quarto, væ mihi, propter mundi diuitias, & superbiam meam. Quinto, væ mihi, quod vnquam vidi vos Ludouicum, & Ioannam. Et tunc dixit Angelus mihi. Ego inquit volo tibi exponere visionem istam. Palatiū istud, quod vidisti, est similitudo cæli. Multitudo vero illorum, qui erant in sedibus vestiti vestibus albis, & fulgidis, sunt Angeli, & Sanctorum animæ. Sol vero significat Christum in deitate sua. Mulier autem Virginē, quæ Deum genuit. Ethiops vero diabolum, qui animam accusat. Miles Angelum, qui bona opera animæ dicit. Fornax vero notat infernum, qui est intus, sic ardēs, quod si totus mundus arderet cum omnibus, quæ in eo sunt, non esset simile magnitudini fornacis illius. In ista vero fornace audiuntur voces diuersæ, omnes loquentes contra Deū. Omnesque inchoantes voces suas cum væ, & similiter finiētes. Apparentque animæ quasi

personæ, quarum membra extenduntur in-
consolabiliter nunquam habentes requiem.
Scito etiam quod ignis, qui videbatur tibi in
fornace, ardet in æternis tenebris, & animæ
in eo ardentes, non habent omnes æqualem
5 pœnam. 5 Tenebræ vero quæ apparuerunt
in circuitu fornacis, vocatur limbus, & pro-
cedit de tenebris, quæ sunt in fornace, & sunt
tamen ambo vnus locus, & vnus infernus,
quicunque illuc venerit, nunquam habebit
6 cum Deo mansionem 6 Supra vero tenebras
illas est maxima pęna purgatorij, quam ani
mæ possunt sustinere. Et vltra locum istum
est locus alius, vbi minor est pœna, quæ non
est alia nisi defectus virium in fortitudine,
& pulchritudine, & consimilibus. Sicut per
simile dico, quasi si aliquis esset infirmus, &
cessante infirmitate, vel pœnæ nihil haberet
de viribus, donec paulatim recuperaret.
7 7 Tertius vero locus superior est, vbi nulla
alia pœna est, nisi desiderium perueniendi
ad Deum. Et vt melius in conscientia tua in-
telligas, dico tibi per similitudinē, quasi si æs
misceretur, & arderet cum auro in igne ar-
dentissimo, & tamdiu deberet purgari, do-
nec æs consumeretur, & aurum remaneret
purum. Quanto vero æs fortius, & spissius
esset tanto ardentiori igne indigeret, donec
aurum esset quasi aqua currens, & totum ar-
dens. Deinde magister eius profert aurum
in locum alium, vbi obtineat veram formam
in visu, & tactu. Postea mittit in tertium lo-
cum, vbi custodiatur, & præsentetur posses-
sori. Sic est etiam spiritualiter. In primo lo
co supra tenebras est maxima pœna purga-
torij, vbi vidisti illam supradictam purgari,
ibi est dæmonum tactus, ibi per similitudinē
apparent venenosi vermes, & similitudo ani
malium ferocium. ibi calor est, & frigus, ibi
tenebræ, & confusio, quæ procedunt de pœ-
na, quæ est in inferno, ibi quædam animę ha
bent minorem pœnam, & quædam maiorē,
iuxta quod erunt peccata emendata, pro
eo tempore, quo anima cum corpore man-
sit. Deinde magister, idest, iustitia Dei, pro-
fert aurum, idest, animas in alia loca, vbi nō
est nisi defectus virium in quibus animæ tā-
diu morabuntur, donec refrigerium habe-
bunt, vel de specialibus amicis suis, vel de
sanctæ Ecclesiæ continuis operibus. Nam
anima quo maius auxilium habebit de ami-
cis, eo citius conualescit, & liberabitur ab
illo loco. Post hæc anima fertur in locum ter
tium, vbi non est pęna nisi desiderium perue
niendi ad Dei præsentiam, & eius visionem
beatam. In hoc loco morantur multi, & ni-
mis diu, præter illos, qui in mundo, dum vixe
runt, nō perfectū desiderium habuerunt per-
ueniendi ad Dei præsentiam, & eius visionē.
Scito etiam quod multi moriuntur in mun-

do,

do ita iusti, & innocentes, quod statim perueniunt ad pœnitentiam, & visionem Dei. Quidam vero peccatis suis cum bonis operibus sic emendatis, quod animæ eorum nullam sentiant pœnam. Sed pauci sunt, qui nõ veniunt in locum, vbi est desiderium perueniendi ad Deum. Ideo omnes animæ in istis tribus locis morantibus, participant de sanctæ Ecclesiæ precibus, & bonis operibus, quæ fiunt in mundo. Precipue quę fecerunt dum viuerunt, & eorum, quæ fiunt ab amicis eorum post mortem. Scito etiam, quod peccata sunt multiformia, & diuersa. Sic etiam pęnæ sunt multiplices, & diuersę. Ideo sicut esuriens gaudet de pasticulo venienti ad os
5 eius, sitiens de potu, tristis lætatur de gaudio, nudus de veste, Infirmus in veniendo ad lectum, Sic animę gaudent, & participant de his bonis, quę fiunt pro eis in mũdo. Deinde subiunxit Angelus. Benedictus sit ille, qui in mundo iuuat animas orationibus, & bonis operibus, laboreque corporis sui, quia iustitia Dei mentiri non potest, quę dicit, quod animę aut purgari debent post mortem pœna purgatorij, aut operibus bonis amicorum citius solui. Post hæc de purgatorio audiebantur multę voces dicentes. O Domine IESV Christe iudex iuste, mitte charitatem tuam his, qui spiritualiter potestatem habent in mundo; tunc plus participare poterimus, quam nunc de eorum cantu, lectione, & oblatione. Supra vero spatium illud de quo clamor iste audiebatur videbatur quasi domus, in qua multæ voces audiebantur dicentes. Merces sit illis a Deo, qui mittunt nobis auxilium in defectus nostros. In ipsa quoque domo videbatur quasi aurora procedere, subtus vero auroram apparuit nubes, quæ nihil habebat de luce auroræ, de qua vox processit maxima dicens. O Domine Deus da de tua incomprehensibili potestate, vnicuique centesimam remunerationem in mundo, his qui nos eleuãt cum bonis operibus in tuæ diuinitatis lucem, & tuæ faciei visionem.

NOTAE.

1 In principio præsentis capitis, vbi legitur, var. lect. videbatur in spiritali visione quasi quod videret palatium incomprehensibile magnitudine.

M.S. Farnesianus habet palatium incomprehensibilis magnitudinis.

2 Sic fecit charitas tua tunc, quę nec sperabitur adhuc de iniustitia iudicio.
var. lect.

Corrige cum M.S. Farnesiano codice, sic fecit charitas tua tunc, quæ nec separabitur adhuc de iniustitiæ iudicio, vel de iusto iudicio tuo.

3 Scriptura dicit, qui habet fidem perfectam potest per eã transferre montes in mundo.

Hic scripturæ citatus locus habetur Matthæi decimoseptimo, vbi legimus. Amen quippe dico vobis si habueritis fidem sicut granum synapis dicetis monti huic transi hinc, & illuc transibit, atque hoc loco admonere lectorem censui Beatissimam Virginem non tantum fidem cõmendare voluisse, sed in genere fiduciam quodcunque impetrandi a Deo per orationem, & idcirco affirmat, quid ergo tunc possunt, & debent voces istorum facere, qui & fidem habuerunt, & seruierunt Deo cum feruenti charitate; ex quibus colligitur quantum sanctorum virorum preces apud Deum valeant, dum anima eius, de qua in præsenti capite agitur precibus eorum liberata sit. Cæterum D. Chrisost. in locum supra citatum Matthæi asserit, quosdam Apostolis etiam sanctitate minores, re postulante, per fidem montes transtulisse, quod fecisse D. Gregorium Neocæsariensem episcopum testantur S. Gregorius Papa. lib. 1. Dialogor. cap. 7. & Eusebius libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. postremo D. Hieron. mistice per montes dæmones intelligit, dicitq. quod Dominus Apostolis dixerit, illos posse transferre mõtes, vt indicaret eos habituros esse potestatem dæmones eiiciendi si fidem habuerint; dæmones enim mistice apud Hieremiam cap. 51. Montes vocantur ego ad te mons pestifer ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram, & in hunc sensum possunt etiam montes accipi hoc loco, vt intelligamus ex his, Beatiss. Virginem significasse sanctos illos, quos pro anima illa iudicanda orasse hic legimus, superasse dæmones: illam animam ab eorum manibus liberando.

4 Purgata vero anima mercedem habebit in cęlis cum illis, qui in terris spem, & fidem habuerunt cum minima charitate.

Per minimam charitatem hoc loco intellige sufficientem dispositionem ad gratiæ infusionem, & gloriæ consequutionem, dicitur autem minima in ordine ad eos, qui maiorem habent ratione cuius, quis in cœlo superiorem, ac eminentiorem locum obtinet, legimus autem hic, eam animam, de qua modo agimus habituram in cœlo inferiorem locum ob infimũ gradum charitatis, mẽsura enim beatitudinis desumitur ex lumine gloriæ, & mensura luminis ex charitate, vnde qui maiorem habebit charitatem, maius habebit lumen, & qui plus luminis, plures gradus beatitudinis, vnusquisque tamen suo gradu contentus erit, & perfecte beatus.

5 Tenebræ vero, quę apparuerunt in circuitu fornacis vocatur limbus, & procedit de tenebris, quę sunt in fornace, sunt tamen vnus locus, & vnus infernus, quicunque illuc venerit nunquam habet cum Deo mansionem.

Ad horum intelligentiam sciendum est, sub [illegible] terram esse quatuor sinus, siue esse in quatuor partes diuisum, quorum omnium in præsenti capite mẽtio fit; primus quidem, & infimus infernus dicitur, & locus est pro damnatis constitutus, secundus est

limbus puerorum, ad quem decedentes sine baptismo paruuli cum solo originali peccato eunt, ibique morantur, tertius, purgatorium vocatur, in quo tandiu manent animæ, quamdiu pro cōmissis culpis diuinæ iustitiæ satisfecerint, & postmodum ad Dei visionem assumuntur, quartus locus dicitur limbus patrum, seu Abrahæ sinus, qui erat constitutus pro iustis, qui ante Christi Domini passionem moriebantur & de inferno, & limbo puerorum in præsenti nota sermo fit, vbi duo a nobis sunt animaduertēda, primum, quod tenebræ puerorum, quæ non aliud sunt, quam diuinæ visionis carentia, dicuntur procedere de tenebris quæ sunt in fornace, quoniam quantum ad pœnam damni, tam animæ damnatorum in inferno, quam existentium in limbo puerorum pares sunt omnes namque diuina visione communiter priuantur, & vna pœna quoad hoc, est eiusdem rationis cum altera, & illa damnatorum se extendit ad pœnam puerorum, qui sine baptismo decesserunt: videntur tamen differre ex eo, quod pueri illam pœnam damni non apprehendunt, vt sibi afflictiuam, & de ea non tristantur, vt probauimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 1, not. 4. secus vero est in damnatis, quibus etiam alia superaddita est, nimirum ignis, quæ est pœna sensus, secundum illud Matthæi 25. Ite in ignem æternum, & ideo eas tenebras hoc loco de fornace legimus procedere. & esse vnum eundemq. locum infernus, & limbus propter identitatē pœnæ, & loci contiguitatem, secundum quem sensū Concilium Florentinum in litteris vnionis affirmauit, tum eos, qui cum mortali peccato moriuntur, tū illos, qui cum solo originali, mox in infernū descendere, idem insinuat D. Aug. lib. 4. de baptismo paruulorum cap. 28. & lib. . Hipognostici, vbi monet non esse nisi duo loca, in quibus homines perpetuo futuri sunt, cælum scilicet beatorum, & infernum damnatorum, libet autem hoc loco ad maiorem horū cognitionem inuestigare, quis nam sit horum locorum dispositio, & situs sub terra supponendum est primo infernum esse in centro terræ in loco infimo, quem describens Hieron. Matt. 12. ibi sicut fuit Ionas in ventre ceti, dicit, quod sicut cor est in medio animalis, sic infernus in medio terræ: Dico secundo limbū patrum seu Abrahæ sinum esse in superiori, ac digniori loco, quam limbus puerorum, & purgatoriū & hunc sinum Abrahæ D. Augustin. epist. 99. secretæ cuiusdam quietis habitationē vocat, sicque fuisse appellatum Tertullianus lib. 4. de anima, cap. 16. monuit loquutione figurata a parentibus, qui filios suos, quos vnice diligunt in sinu fouent, & locus ille erat refrigerium fidelium Abrahæ fidem imitātium, & liberatorem Messiam expectantium, tota ergo difficultas est de situ duorum locorum, purgatorij scilicet, & limbi puerorum, quis horum sit magis inferno vicinum Franciscus Suarez Societatis Iesu Theologus in comment. super 3. p. S. Thomæ qu. 52. disp. 42. art. 2 tom. 2. affirmat, si locorum spectetur conditio, quatenus in purgatorio reperitur ignis, & non in limbo, dici posse purgatorium esse debere inferno propinquius, si vero spectetur dignitas locatorū, quia in purgatorio sunt animæ iustorum, videtur dicendū esse debere purgatorium in loco magis ab inferno remotum, cæterum sunt qui absolute asserunt purgatorium esse infra limbum Gehennæ vicinū sic Palud. in 4. d. 45. qu. 3. Sotus d. 45. q. 1. art. 2. qui D. Thomam in suam opinionem adducit, qui tamen contrarium sentit, vt dicam infra, fauet etiam Maior d. 44. qu. 3. in fi. Petrus de Tarantasia Problem. 1. art. 1. probabilius tamen esse censeo sicut in præsenti nota scribitur limbum puerorum esse inferiorem, & viciniorem inferno sic D. Th. in 3. d. 22. q. 2. art. 1. quæstiūc. 2. & ibi etiā Gabriel & in suppl. in 4. d. 45 q. 1. art. 1. Richardus in 4. d. 21. q. 3. ad 2. & aperte hoc colligitur ex Concilio Florentino iā co citato, quod limbum puerorum sub inferno comprehendi dicit, cuius rei etiam ratio probabilis reddi potest, quoniam limbus puerorum conuenit cum inferno, vt supra diximus in essentiali pœnā damni, ac in æternitate pœnæ, tum quia limbus iste locus est pro quibusdam Dei inimicis deputatus, ideo maiorem habēt ad inuicem conuenientiam, cum ergo maior sit proportio inter animas bonas vtriusq. loci, quam inter purgandas animas, & damnatas, hinc est, quod limbum puerorum inferno censeamus esse viciniorem.

6 Supra uero tenebras istas est maxima pœna purgatorij, quam animæ possunt sustinere.

Præter infernum damnatorum, & limbum puerorum, extat & alius locus, quem appellant purgatorium, qui etiam est intra viscera terræ, sed supra infernū, & limbum puerorum, & ideo legimus hic supra vero tenebras istas, hoc est supra limbum puerorū, qui per tenebras designatur, ob carentiam luminis gloriæ, & diuinæ visionis, quibus ibi existentes pueri priuati sunt, quod vero purgatorium sit etiam subtus terram, probari posset ex his, quæ canit Ecclesia in Missa pro defunctis, quæ de purgatorio intelliguntur: libera animas defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, & patet ex illo act. 2. solutis doloribus inferni, quos esse dolores purgatorij D. Aug. ad Euod. ep. 99. affirmat. Postremo hoc idem probat Doctiss. Card. Bellarminus de Purgatorio lib. 2. cap. 6. ex visione quadam, quam refert ex venerabili Beda lib. 5. cap. 13. Historiæ Anglicanæ, vbi visum est purgatorium inferno damnatorum contiguum. sed locum purgatorij subterraneum esse etiam ex sacris litteris probari potest 1. Eccles. 24. Penetrabo omnes partes inferiores terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino, quæ verba de damnatis non possunt intelligi sed de existentibus in purgatorio, cum autem scribitur, quod in purgatorio est maxima pœna, intellige non solum de pœna damni, quæ in carentia diuinæ visionis consistit, de qua illic animæ existentes non possunt non dolere, videntes propter suā culpam ad tempus impediri fruitione summi boni, sed etiam de poena ignis, quam esse maximam asse-

rit D. Greg. in Psal. 3. pœnitentialem illum (inquit) transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intollerabiliorem, imo venter. Beda ibidem putat eum extendere quæcunque supplicia Martyrum, vel latronum, idem habet D. Anselm. 1. Cor. 3. D. Bernar. serm. de obitu Humberti, & D. August. in enarr. Psal. 37. Quamuis inquit, salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita, idem indicant D. Th. in 4. d. 21. q. 1. art. 1. Palud. ibidem q. 1. art. 1. Concl. 4. Richard. d. 10. art. 2. q. 1. Sot. d. 13. art. 3. conc. 6.

7 Tertius vero locus superior, vbi nulla alia pœna est, nisi desiderium perueniendi ad Deum.

1 *In præsenti nota sermo fit, de purgatorio, in quo duo particularia loca reperiri colligitur ex narratione præsentis capitis, de primo namque mentio fit, paulo supra à verbis citatis huius nota ibi, & vltra illum locum istum est alius locus, vbi est minor pœna de secundo vero agitur hic, sed notandum est, hæc duo loca, omnino spectare ad purgatorium, & esse partes illius, subdiuiduntur autem hæc particularia loca secundum distinctionem, & diuersitatem pœnarum, quas vnaquæque anima in purgatorio collocata pro satisfactionis quantitate soluenda luere debet, secundum illud Deut. 25. pro mensura peccati erit, & plagarum modus, hæc autem locorum diuisio petenda est ex eo, quoniam contingere potest, animam in purgatorio existentem, sic fuisse purgatam, vt nihil supersit illi, quo ad pœnam sensus exsoluere, sed tantummodo torquenda sit per aliquod temporis spatium ingenti aliquo desiderio videndi Deum, ideo in hac purgatorij parte collocatur, cuius hoc loco mentio fit, cum dicitur, Tertius vero locus superior est, vbi nulla alia pœna est, nisi desiderium perueniendi ad Deum, in hac ergo parte purgatorij, anima per aliquod temporis spatium moratur, donec idonea fiat visioni Dei Beatæ, sicut refert Vener. Beda lib. 5. hist. cap. 13. quod dicit fuisse ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea rediit, præter infernum, & regnum cælorum, quoddam quasi pratum floremissimum lucidissimum odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni Beatæ; similes visiones affert D. Greg. lib. 4. Dialog. c. 36. & Dionysius Carthusianus in Dial. de iudicio particulari art. 31. Cæterum particularia loca fuisse à Deo specialiter ordinata propter animarum leniorem punitionem tradunt in primis D. Th. in 4. sent. d. 21. & Cardinalis de Turrecremata de pœnit. d. 7. cap. hic autem ignis, & hunc locum, de quo peculiariter in præsenti nota verba facimus reperiri probat Card. Bellarm. lib. 2. de purgatorio cap. 6. quem appellat mitissimum purgatorium, quippe in quo nulla est pœna sensus, sed tantummodo damni, quæ conuenit animæ, nondum plenæ purgatæ: erit ergo, inquit, quasi carcer quidam Senatorius, & honoratus: ex dictis patet hunc locum pertinere ad purgatorium, & verissimum esse, quod legimus hic, animas ibi commorantes esse participes suffragiorum Ecclesiæ, sic enim habetur circa finem præsentis capitis ibi, ideo omnes animæ in illis tribus locis morantes participant de sanctæ matris Ecclesiæ precibus, & bonis operibus.*

VERBA ANGELI AD Sponsam de intensione pœnæ animæ à Deo in superiori capitulo iudicatæ, & de remissione etiam pœnæ ipsius, quia ante eius mortem inimicis pepercit.

CAP. VIII.

1 ITEM loquitur Angelus dicens. 1 Illa anima cuius dispositionem vidisti, & iudicium audisti, ipsa est in grauissima pœna purgatorij. Et hoc ideo est, quia non intelligit, vtrum veniet ad requiem post purgationem, an damnata sit, & hæc iustitia Dei est, quia ipse habuit conscientiam, seu discretionem magnam qua vtebatur ad mundum corporaliter, & ad animam spiritualiter, quia nimis oblitus est, & neglexit Deum, quamdiu vixit; ideo nunc anima eius patitur ardorem de igne, & contremiscit de frigore. Ipsa est cœca de tenebris, & de dæmonum visu horribili timorosa, surda de clamore diaboli. Esuriens & sitiens intus, & ab extra vestita cum con-

2 fusione. 2 Attamen Deus dedit ei vnam gratiam post mortem, quod scilicet non veniret ad tactum dæmonum, quia propter solum honorem Dei pepercit, & dimisit grauia delicta capitalibus inimicis suis, & fecit amicitiam cum capitali inimico suo. Scito etiam quod quicquid boni fecit, & quicquid promisit, & dedit de bene acquisitis diuitijs, &

3 maxime preces amicorum Dei minuunt, & refrigerant pœnam eius, iuxta quod diffinitum est in iustitia Dei. Alia vero bona minus bene acquisita, quæ dedit, proficiunt his spiritualiter, qui iuste antea possidebant ea, aut corporaliter, si sunt digni iuxta dispositionem Dei.

NOTAE.

1 ILla anima, cuius dispositionem vidisti, & iudicium audisti; ipsa est in grauissima pœna purgatorij, & hoc ideo est, quia non intelligit; vtrum veniet ad requiem post purgationem an damnata sit.

In principio præsentis capitis scribitur, eam animam de cuius iudicio superiori capite actum est, quare ad purgatorij pœnas iam adiudicata erat ignorasse, an in inferno fuerit, an vero in purgatorio collocata, quæ quidem pœna maxima est, vt habetur infra lib. 6. Reuelationum cap. 39. circa finem, vbi legimus, Angelum quendam, Deum orasse pro anima cuiusdam, quem in vita custodierat, ut illi huiusmodi pœnam imponeret, & sane hoc esse supplicium maximum negandum non est, cum spem nullam, tunc anima habere possit, illas pœnas aliquem finem habituras, & tamen spes vehementer lenire dolorem solet, & non parum afferre gaudij, his qui in tormentis sunt, sed quoniam ex hæreticis non defuerunt, qui dicere ausi sunt, omnes animas in purgatorio existentes de propria salute incertas esse, versarique in quadam ingenti animi anxietate, ac etiam desperationis motibus cruciari contra quos scribit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 4. ideo hac de re pensiculatius agendum est, & in primis illud falsum censendum est, quod Luterus asserit, omnes animas ibi existentes æternæ salutis minime esse conscias, tum quia hoc repugnat communi Theologorum opinioni, vt testatur idem Cardinalis Bellarminus vbi supra, & confirmant D. Thomas in 4. d. 21. q. 1. art. 2. Caietanus tomo 1. opusculorum tract. 23. q. 2 Sotus d. 19. q. 3. art. 2. quod ratione probari potest ex eo, quoniam de salute propria constare potest animabus ex particulari iudicio, quod statim post vniuscuiusque obitum fit, in quo facta discussione operum, iuxta merita, vel demerita, præmia, vel pœnæ illis decernuntur, vt probant scholastici in 4. d. 47. & patet Ecclesiastici 11. ex illis verbis, in fine hominis denudatio eius, cum ergo peracto particulari iudicio, vel ad infernum, vel ad purgatorium detrudantur animæ profecto scire possunt, an amore, vel odio digne iudicatæ fuerint, cum præsertim in inferno Blasfemetur Deus, & in purgatorio laudetur, in inferno etiam, nec est fides infusa, nec charitas, quæ tamē in purgatorio sunt, atque ex his signis optime poterit anima nosse, quo in loco posita sit, de qua certitudine fuse agit Franciscus Suarez in Comment. ad 3. p. S. Th. tomo 4. disp. 47. sect. 3. nu. 5. ibi, tertio assero. Cæterum videtur posse concedi, secundum aliquos Doctores Catholicos infra citandos, Deum aliquando in aliquo particulari casu, vel propter grauitatem aliquam culpæ, vel quia quis conuersionem suam vsque ad finem vitæ distulit, prout in hoc capite innuitur, sic animam in particulari iudicio iudicare, vt illi minime innotescat, an eam ad purgatorij, vel inferni pœnas condemnauerit, circunscripto tamen desperationis vitio, & anxietate illa, quam impius Luterus ponebat, quo loco ipse purgatorium falsa illa doctrina de medio tollere conabatur, atque hoc esse possibile, & in aliquo particulari casu contingere posse, raro tamen crediderim, vt constat ex verbis præsentis notæ, id enim non repugnat, nec diuinæ iustitiæ, nec potentiæ, quæ tamen in re hac S. matris Ecclesiæ censuræ subicio. scio quidem huius sententiæ fuisse doctores Grauissimos, vt Dionysius Carthusianus de quattuor nouissimis art. 47. qui tamen hac in re limites prætergressum esse videtur, nam inquit communiter omnes animas in purgatorio existentes esse incertas, quodque magis est, addit quasi desperabiliter: eandem conclusionem defendit Gerson lect. 2. de vita spirituali, quos citat Card. Bellar. vbi supra, & fauet huic opinioni, etiam Roffensis contra Luterum art. 32. licet art. 38. contrarium asserat, & Michael Baius de Meritis operum c. 8. sed clarius hanc eandem tuetur Henricus Susonus doctrina, ac vitæ sanctitate conspicuus in libello, quē edidit de nouem rupibus c. 22. cui etiam adstipulatur Laurentius Surius illius libelli interpres, libet autem hoc loco eius verba referre: alij sunt, inquit, in quos tanta Deus ira desæuit, vt ad extremum

1 *vsque iudicij diē in immanissimis cogantur hærere suplicijs, nec vnquā experiri illis liceat vtrū in tartari, vel purgatorij pœnis sint, tales ferme sunt hi, qui in suis iniquitatibus obstinati, qui vitæ emēdationē vsq. ad obitum procrastinant, sed hoc quoq. suadere videtur identitas ignis, qui & inferni, & Purgatorij eiusdem est speciei, vt habetur in supplem. ad 3. partem D. Thomæ q. 97. art. 6. tum quia si verum est, quod dæmones in Purgatorio vexant animas, vt aliquibus Doctoribus placuit, a nobis in sequenti nota huius capitis citatis tunc satis probabiliter hinc quispiam inferre poterit, aliquā animā Deo permittente ob aliquod graue delictum dubitare posse, an ad inferni, an vero ad Purgatorij pœnas condemnata sit cum eodem igne, iisdemque ministris dæmonibus se vexari, & cruciari sentiat, sed quoniam iudicium Dei humana non potest scire fragilitas, nec*

2 *de pœnarum magnitudine, ac mensura fere sententiam, ideo præsens dubitatio cum Origene finienda est, qui hom. 8. in Numeros, de suppliciorum pœnarumve magnitudine, ac multitudine vlterius vlla verba faciens, hoc nullus, inquit, ad integrum nouit, nisi cui pater omne iudicium tradidit; quā de re vide infra lib. 6. cap. 39. nota 1.*

3 Attamen Deus dedit ei vnam gratiam post mortem, quod scilicet non ueniret ad tactum Dæmonum, quia propter solum honorem Dei pepercit, & dimisit grauia delicta capitalibus inimicis suis, & fecit amicitiam cum capitali inimico suo.

Ex verbis præsentis notæ videtur colligi posse, animas in purgatorio existentes a dæmonibus torqueri; dum enim legimus Deum peculiari beneficio concessisse huic animæ, de qua in superiori capite, & in præsenti agitur, ne ad tactum dæmonum perueniret, profecto deducitur, dæmones

1 *in Purgatorio vexare animas, iam enim hæc ad Purgatorium aduenerat, vt in principio huius capitis Angelus B. Brigittæ refert: illa, inquit, anima, cuius dispositionem vidisti, & iudicium audisti, ipsa est in grauissima pœna Purgatorij, sed hæc sententia probari potest ex Beda lib. tertio*

histor.

Histor. cap. 19. vbi ex quadam Reuelatione B. Fursei colligit à dæmonibus animas in purgatorio existẽtes torqueri, quod etiam Dionysius Carthusianus fatetur, in libro de quattuor nouissimis, idem probari potest ex lib. 1. vitæ D. Bernar. c. 10. vbi legitur, Religiosum quendam post mortem S. Bernardo apparuisse, qui quattuor se traditũ esse cõquærebatur à quibus dilacerabatur, qui postea eiusdẽ Sancti precibus liberatus est ab his, quod etiam probabili ratione potest confirmari, quia dæmones sunt ministri diuinæ iustitiæ in vindicandis peccatis post hanc vitam, ergo etiam censendum est illis commissum esse, vt ministris, eorum supplicium, tam in inferno, quam purgatorio, sed hanc dubitationem Cardin. Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 13. insolutam relinquit, eamq. inter secreta diuina reponit, quæ postea inquit, nobis suo tempore palam fient, refert autem D. Thomam contrarium sentientem in 4. d. 20. art. 5. plures etiã Scholastici in 4. d. 20. & 21. negant animas in purgatorio à dæmonibus cruciari, ea ratione adducti, quia cum omnes animæ, quæ in purgatorio sunt in vltimo conflictu de dæmone victoriam reportarint, non videtur conueniens, vt diuina iustitia permittat, eas ab hoste, iam deuicto vexari, sic Richardus, Bonauentura, Palud. & Sotus, sed hac de re, vide infra lib. 6. Reuel. cap. 10. nota 3. & eodem lib. cap. 21. nota 2.

VERBA ANGELI AD SPONSAM DE IUDICIO DIUINÆ IUSTITIÆ CONTRA ANIMAM SUPRA DICTAM, & DE SATISFACTIONE FIENDA IN HAC VITA PRO IPSA EXISTENTE IN PURGATORIO.

CAP. IX.

ITEM loquitur Angelus. Tu prius audisti, quod propter preces amicorum Dei, obtinuit ille diuinam contritionem ex charitate pro peccatis, modicũ ante mortem, quę contritio separauit eum ab inferno.
1 1 Ideo post mortem iudicauit iustitia Dei, quod deberet per sex ætates ardere in purgatorio, quas habuit ab illa hora, qua primo scienter mortale peccatum fecit, vsquequdum ex diuina charitate pœnituit fructuose. Nisi de mundo & amicis Dei auxiliũ obtineret. Prima itaque ætas fuit, quod non dilexit Deum, propter nobilis corporis eius mortem, & propter tribulationes eius multiformes, quas & ipse Christus tolerauit, nõ propter aliam causam, nisi propter salutem animarum. Secunda ætas fuit, quod non dilexit animam propriam, sicut Christianus deberet, nec regratiabatur Deo pro baptismo suo, & ex eo quod non erat Iudæus, vel paganus. Tertia ætas fuit, quod bene sciuit, quæ Deus præcepit facere, & ad hęc perficienda modicam habuit voluntatem. Quarta ætas fuit, quod bene sciuit, quæ Deus prohibuit his, qui ad cælum vellent ire, & audacter fecit contra illa, sequens non conscientiæ stimulos, sed suum carnalem affectum, & voluntatem. Quinta ætas fuit, quod non vsus est gratia, & confessione, sicut ad illum pertinebat, cum habuit tam longum tempus. Sexta ætas fuit, quod modicum curabat de corpore Christi, nolens illud frequenter recipere, quia a peccato continere noluit, nec charitatem habuit recipere corpus Christi, antequã in fine vitæ. Post ista apparuit quidam quasi homo modestus valde in visu, cuius vestes erant albæ, & fulgidæ quasi alba sacerdotalis, cinctus zona linea, & stola rubea ad collum, & subtus brachia eius, qui inchoabat verba sua isto modo. Tu quæ hæc vides attende, & nota, & memoriæ tuę cõmenda, quæ vides, & quæ dicũtur tibi. Vos quippe qui estis in mundo viuẽtes, non valetis eo modo intelligere potentiam Dei, & eius ante tempora constitutionẽ, sicut nos, qui cum eo sumus. Quia illa quę apud Deũ fiunt in vnico puncto, hæc apud vos comprehendi non possunt, nisi cũ verbis, & similitudinibus iuxta mundi dispositionem. Ego itaque sum de illis, quem iste homo iudicatus ad purgatoriũ honorauit cum donis suis in vita sua. Ideo dedit mihi Deus ex gratia sua, quod si aliquis vellet facere, quæ moneo, tunc anima istius transferri posset in sublimiorem locũ vbi obtineat suam veram formam, & nullam aliam pœnã sentiat nisi sicut ille pateretur, qui magnum morbũ habuisset, & omnes dolores abessent, iaceretq. quasi homo sine viribus. Attamen ex hoc gauderet, quod pro certissimo sciret se ad vitam peruenturum. Propterea sicut tu audisti, quod anima istius clamauit quinquies væ, ideo quinque dico consolatoria sibi. Primũ væ fuit, quod Deum modicum dilexit. Ideo vt ab isto liberetur, dentur pro anima eius triginta calices, in quibus sanguis Dei offeratur, & ipse Deus ma-
2 gis honoretur. 2 Secundum væ fuit, quod non timuit Deum, ideo pro isto absoluendo, eligantur xxx. sacerdotes deuoti iudicio hominum, quorum quilibet dicat xxx. Missas, quando possunt, ix. de Martyribus, ix. de Confessoribus, ix. de omnibus Sanctis, xxviij. de Angelis, xxix. de sancta Maria, trigesimam, de sancta Trinitate. Et omnes intente orent pro anima istius, vt ira Dei mitigetur, & iustitia eius ad misericordiam flectatur. Tertiũ væ fuit pro superbia eius, & cupiditate. Ideo pro isto abolendo recipiantur, xxx. pauperes, quorum pedes lauẽtur cum humilitate,

licate, & dentur eis cibaria, & pecunia, vestesq. quibus consolentur, quorum quilibet tam qui lauat, quã qui lauantur rogent Deũ humiliter, vt propter humilitatem suam, & amarã passionẽ suam, dimittat animæ istius cupiditatem, & superbiam, quam commisit. Quartũ vę fuit luxuria carnis suæ, ideo quicumq. daret vnam Virginem in monasterium & vnam viduam similiter, vnamq. puellã in coniugium verum, dando cum eis tantum de bonis, vnde sufficienter ad victum, & vestitũ subsistant, tunc peccatum animæ istius, quod in carne cõmiserat dimittet Deus, quia hæ sunt tres vitæ, quas Deus in mundo stare iussit, & elegit. Quintum væ fuit, quod multa peccata cõmisit in tribulationem plurimorum, scilicet, quod totas vires adhibuit, quatenus illi duo prius nominati conuenirẽt in coniugium, qui non minus quadam consanguinitate coniuncti erant, quam si fuissent ambo de proxima parentela, & hanc coniunctionem procurauit plus propter seipsum, quam propter regnum, & sine requisitione Papæ, contra laudabilem sanctæ Ecclesiæ dispositionem. Pro isto itaque facto multi facti fuerunt martyres, ne contra Deum, & sanctam Ecclesiam, seu Christianos mores talia tolerarent, si quis tale peccatum abolere volens iret ad Papam dicens. Quidã homo tale peccatum cõmisit, non exprimendo personam, attamen in fine pœnituit; & obtinuit absolutionem, non emendato peccato. Imponite ergo mihi pœnitentiam qualemcunque vultis, vt tolerare possim, quia ego paratus
3 sum pro eo peccatum illud emendare. 3 Vere si non esset isti imposita maior pœnitentia nisi vnum Pater noster, valeret illi animæ ad diminutionem pœnæ in purgatorio.

NOTAE.

1 IDeo post mortem iudicauit Iustitia Dei, quod deberet per sex ætates ardere in Purgatorio.

Angelus B. Brigittam in præsenti nota certiorem facit de iudicio eius animæ, de qua supra cap. 7. & 8. actum erat, & dicit, quod per sex ætates illa ad Purgatorium condemnata erat, quod esse intelligendum arbitror, vsque ad finem sæculi, quod sexta ætate finiendum esse, quam plures tradiderant, atque vsque ad diem iudicij plures animas in Purgatorio esse torquendas colligi potest ex vener. Beda lib. 5. hist. c. 13. vbi asserit, cuidam ostensas esse Purgatorij pœnas, dictumq. illi esse, animas, quæ in Purgatorio degunt saluandas omnes in die iudicij, licet aliquæ orationibus, & eleemosinis viuentium, & præcipue Altaris sacrificio iuuentur sic, vt ante diem iudicij liberentur, vbi aperte insinuat, aliquos iam vita functos vsque ad diem iudicij permansuros esse in Purgatorij pœnis, quod de hac anima iudicata etiã hoc loco traditur, similes quoq; visiones apud Dionysium Carthusianum frequenter reperiuntur.

2 Secundum væ fuit, quod non timuit Deũ, ideo pro isto absoluendo eligantur triginta sacerdotes deuoti iudicio hominum, quorũ quilibet dicat triginta Missas.

Has esse Missas S. Gregorij probabiliter existimandum est, quarum institutio habetur ex ipsomet D. Greg. lib. 4. Dialogorum cap. 55. an autem necessario huiusmodi Missæ hoc ordine, quo traditur hic, dicendæ sint, nimirum de Martyribus, Confessoribus, Angelis, de Sanctissima Trinitate, nihil hac de re inuenio definitum, puto enim diebus ferialibus, quando non occurrit festum duplex, esse dicendas de Requiem secundum Rubricas in Missali contentas, secus vero in festo duplici, in quo fas erit, quod Missa celebretur de sancto occurrente, & in Memento oratio dirigatur ad Deum pro eo, pro quo Missa celebratur, nec obstat rubrica Romani Missalis antiqui, & maxime impressi Parisijs Anno 1557. in quo dicitur, Missas D. Gregorij celebrandas esse, primam de Dominica prima Aduentus, Secundam de Natiuitate Domini, Tertiam de S. Stephano, Quartã de S. Ioanne, Quintã de Innocentibus, & alias secundũ Regulas ibi traditas, quandoquidem illæ penitus sublatæ sunt, & reiectæ per noui Missalis impressionem, ac editionem, vt ex Bulla Pij V. in principio Missalis apposita constat, in qua legimus mandantes omnibus, & illis in virtute Sanctæ obedientiæ præcipientes, vt cæteris omnibus rationibus, & ritibus ex alijs Missalibus quantumuis vetustis hactenus obseruari consuetis, inposterum penitus omissis, & plane reiectis, Missam iuxta ritũ modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis, nunc traditur decantent, ac legant, neque in Missæ celebratione alias ceremonias, ac preces, quæ hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumant idem probatur ex Bulla Clementis Octaui apposita in principio noui Missalis correcti de mandato eius, & Romæ impressi anno 1604. die 7. Iulij. Postremo nec referre arbitror, an continuis, vel interpellatis diebus huiusmodi Missæ dicantur, neq. de necessitate absque interruptione singulis diebus eas esse celebrandas censeo, quia obligatio, qua ad celebrandũ sacerdos tenetur. explicari debet iuxta cap. significatum de præbendis, quod habet, Missas esse dicendas, quanto frequentius sacerdos potest, salua honestate, debita reuerentia, ac deuotione, alias institutio huiusmodi esset illicita, quippe quæ præberet ansam peccandi, cum non semper sacerdos sit rite dispositus ad celebrationem Missæ, vt probat D. Antoninus p. 1. tit. 10. c. 2. §. 3. Tablena verb. Missa Octauo nu. 44. quod etiam euidenter colligitur, ex quibusdam verbis, quæ paulo ante medium præsentis capitis habentur ibi, quorum quilibet sacerdos dicat triginta Missas, quando possunt.

Vere

Vere si non esset isti imposita pœnitentia maior nisi vnum Pater noster, valeret illi animæ ad diminutionem pœnæ in purgatorio.

Omnino credendum est pœnitentias à confessarijs nobis impositas conferre ad diminutionem pœnæ in Purgatorio luendæ, vt legimus hic, ex quo infero satius esse in via satisfacere, vbi nobiscū mitius agitur, & per misericordiam Dei grauiora peccata leuius puniuntur, quam velle scelerum pœnas in Purgatorio vehementissimo igne persoluere, vnde egregie affirmat Maior. in 4. sent. d. 20. col. 3. non esse veri amici imponere paruam pœnitentiam, neque prudentiæ, eius paruitate lætari, & idcirco sacrum Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. declarauit conuenientes pœnitentias esse à Confessarijs imponendas, & non leues pro grauibus iniungendas: hinc arbitror confessarium peccare, imponentem pœnitentiam pro suo arbitratu sine alia circumspectione, nulla peccatoris grauitate, ac circumstantia, perpensa, quod etiam tradidit Abulensis in caput 18. Matth. q. 40. circa finem.

VERBA QVAERIMONIAE Christi de Romanis ad sponsam, & de crudeli sententia contra eos à Christo illata, si in peccatis suis moriantur.

CAP. X.

FILIVS Dei loquitur hæc verba dicens. O Roma, tu mihi pro multis beneficijs malam retributionem rependis. Ego sum Deus, qui omnia creaui, meamque maximam charitatē per corporis mei durissimam mortem manifestaui, quam propria voluntate pro animarum salute sustinui. Tres itaque viæ sunt, quibus te audire volui, & vere in omnibus eis tu me prodere voluisti. In prima enim via lapidem magnum suspendisti super caput meum, vt me contereret. In secunda via acutam lanceam posuisti, quæ non sineret me ad te procedere. In tertia via mihi foueam fodisti, vt in eam incaute cadens suffocarer. Sed ista, quæ iam dico, non corporaliter, sed spiritualiter debent intelligi. Ego quidem ad habitatores Romæ, qui taliter faciunt loquor, sed non ad amicos meos, qui eorum opera non sectantur. Prima itaque via, qua venire solitus sum ad cor hominis est verus timor Dei, super quem homo ingentem suspendit lapidē, hoc est, magnam cordis duri præsumptionē, non timens iudicem, cui nemo resistere potest, sed ita in corde suo dicens si venerit ad me timor Dei, conteret eum præsumptio cordis mei. Secunda via, qua venio est diuini consilij infusio, quæ etiam multoties aduenit prædicationibus, & doctrinis. Tunc nempe in hac via homo lanceam ponit contra me, dum delectabiliter peccat contra præcepta mea, proponens firmiter in malis suis perseuerare, donec non poterit ea amplius visitare. Hęc certissime est illa lancea, quæ non sinit ad eum venire gratiam Dei. Tertia autē via est illuminatio Spiritus sancti, in cuiuslibet hominis corde, per quam homo intelligere potest, & pensare, quæ, & quanta pro eo feceram, & qualia pro ipso passus fueram in meipso. In hac siquidem via profundam mihi fodit foueam, sic dicens in corde suo. Quicquid mihi libet hoc mihi sua charitate charius est, sufficit enim mihi de his, quæ in hac vita delectant me cogitare, & sic diuina charitas vna cum operibus meis, quasi in profunda fouea ab eo suffocantur. Vere habitatores Romæ hæc omnia mihi faciunt, & certissime verbis, & operibus hæc ostendunt. Verba & opera mea pro nihilo reputantes, mihique & Matri meæ, & Sanctis meis in ioco, & serio in lætitia, & ira maledicentes, & contumelias pro gratiarum actionibus offerentes, Illi quidem non viuunt iuxta consuetudinem Christianorum, sicut sancta Ecclesia præcipit, quia maiorem charitatem non habent ad me, quam dæmones, qui magis miserias suas sustinere volunt æternaliter, suamque malitiam retinere, quam me videre, mihique in perenni gloria adhærere. Sic vtique sunt illi, qui corpus meum nolunt accipere, quod in altari de pane, sicut ego ipse constitui consecratur, cuius perceptio iuuat maxime contra diabolicam tentationem. O quam miseri sunt, qui tale iuuamen dum sani sunt, magis quam venenum respuunt, & abhorrent, quia nolunt se a peccatis retrenare. Nunc igitur per vnam viam eis incognitam veniam cum potentia deitatis meę, vindictā meæ humanitatis contemptoribus inferendo. Et sicut ipsi mihi tria obstacula in vijs suis, ne ad ipsos ingrederer parauerūt, Ita & ego alia tria ipsis parabo, quorū amaritudinem viui, & mortui sentient. & gustabunt. Lapis itaq. meus mors est subitanea, & improuisa, quæ sic eos conteret, quod omnia quę habent ad iucunditatem suam, hic remanebunt, & sola anima ad iudicium meum venire compelletur. Lancea vero mea est iustitia mea, quę ita eos a me remouebit, quod nunquam gustabunt bonitatem meam, qui eos redemi, & nunquam videbunt pulchritudinem meam, qui eos creaui. Fouea autem mea est inferni tenebrosa obscuritas, in quā ipsi cadent, viuendo ibi in miseria sempiterna. Omnes Angeli mei in cęlo, & oēs sancti

condemnabunt eos, omnesq; daemones, omnesque animae in inferno maledicent eis. Sed illos noto, & de illis haec dico, qui ita dispositi sunt, sicut est dictum superius, siue fuerint religiosi, siue seculares clerici, siue laici, siue mulieres, siue ipsorum filij, & filiae, qui ad tantam deuenerunt aetatem, quod intelligunt Deum omnia peccata vetuisse, & nihilominus tamen peccatis se implicant voluntarie amore Dei excluso, eiusq; timore paruipenso. Veruntamen talis est mihi adhuc voluntas, qualis fuit mihi pendenti in cruce. Idem enim sum modo, qui tunc fui, quando latroni misericordiam petenti peccata omnia dimisi, & caeli portas aperui. Alteri quoque latroni me contemnenti inferni claustra patefeci. Vbi pro peccatis suis aeternaliter cruciatur.

VERBA SANCTAE AGNETIS ad Virginem gloriosam ipsam laudantia, & benedicentia; & qualiter rogat Virginem pro filia, & de responsione Domini, & Virginis dulci, & consolatoria ad sponsam, & qualiter iste mundus per ollam designatur.

CAP. XI.

1 AGNES loquitur. 1 O Maria mater, & Virgo virginum, tu merito vocari poteris aurora, quam sol verus Iesus Christus illuminauit. Sed nunquid voco te auroram propter regalem progeniem, aut propter diuitias & honores? Nequaquam. Sed merito dicenda es aurora propter humilitatem, propter fidei illuminationem, propter singularem votum castitatis. Tu enim es veri solis nuncia, & productiua. Tu iustorum laetitia. 2 Tu daemonum expulsio, tu consolatio peccatorum. Ergo rogo te propter nuptias istas quas Deus fecit tecum hora ista, vt filia tua stare possit in honore, & amore filij tui. Respondit Mater Dei. Quomodo intelligis nuptias istas effectas propter istam, quae haec audit? Respondit Agnes. Tu vere vtrunque Mater, & Virgo, & vxor es. Nam pulcherrimae factae sunt in te nuptiae hora ista: cum Deus homini in te coniunctus est, absque confusione, & diminutione deitatis. Virginitas quoque & maternitas sociatae sunt, illaeso Virginitatis pudore, simulque Mater, & filia facta es tui Creatoris. Illum quippe hodie genuisti temporaliter, qui a Patre aeternaliter genitus, omnia cum Patre operatus est. Nam Spiritus sanctus in te fuit, & extra te, & circunquaque tecum, 3 qui fecundauit te consentientem nuncio Dei. 4 Ipseque filius Dei, qui ho- [illegible] dicenti [illegible] est de te, etiam fuit in te antequam nuncius suus perueniret ad te, ideo fac misericordiam cum filia tua. Ipsa enim similis est illi pauperculae mulieri, quae habitans in conualle, nihil habebat nisi modicum viuidum, videlicet gallinam, vel anserem, quae ad Dominum, qui in monte vallis habitabat tantum affecta est, quod quicquid habebat viuidum Domino in monte ex charitate offerebat. Cui Dominus respondit: Superabundabo in omnibus, nec tua mihi sunt necessaria, sed forte, ideo parum tribuis, vt tibi maiora tribuantur. Cui illa. Non inquit, haec ideo offero, quia tibi necessaria sunt, sed quia me tam vilem pauperculam cohabitari fecisti monti tuo, & seruisque tuis honorata sum, ideo [illegible], quod mihi tamen est consolatorium, offero tibi, vt probes, quod facerem maiora, si valerem, ne gratiae tuae sim ingrata. Respondit Dominus, quia me tanta charitate diligis, ego eleuabo te ad montem meum, & dabo tibi, & tuis, vestes, & victum annualem. Sic nunc est filia tua disposita. Ipsa enim illud solum, quod habebat viuidum, idest, amore mundi, & filiorum reliquit tibi. Ideo tuae pietatis est prouidere ei. Respondit Mater ad sponsam filij dicens: Filia, sta stabilis. Ego rogabo filium meum, qui dabit tibi victum annualem, & collocabit te in monte, vbi millia millium Angelorum seruiunt ei. Nam si computarentur omnes homines, qui nati sunt ab Adam vsque ad nouissimum, qui nasciturus est in fine mundi, plusquam decem Angeli inuenientur pro vnoquoque homine. Mundus quippe non est nisi quasi quaedam olla. Ignis vero subtus est, [illegible] & cinis, sunt amatores mundi. Sed amici Dei sunt quasi cibus optimus in olla. Ergo quando parata fuerit mensa, tunc cibus dulcis praesentabitur Domino, & delectabitur in eo; olla vero frangetur, sed tamen ignis non extinguetur.

NOTAE.

1 O Maria Mater, & Virgo virginum, tu merito vocari poteris aurora, quam sol verus Iesus Christus illuminauit.

Ita praefatur hoc B. Agnes de laudibus Mariae agens eam comparat aurorae, & Cant. 6. ipsamet aurora consurgens appellatur, quare dicitur aurora similis sit annotatur supra lib. 1. cap. 50. nota 1, & insinuatur etiam hoc eodem cap. aliquanto post, vbi de ea scribitur, tu enim es veri solis nuncia, & productiua. Idem habetur in Reu. extrau. c. 50. & Ser. Ang. c. 11.

2 Tu daemonum expulsio.

Inter caeteras laudes, ac priuilegia, quibus B. Agnes praeditam esse Mariam asserit, illud esse potissimum hoc loco asserit, quod dominium super daemones potius sit, vt mirum videri non debeat, si daemones

ab ea

ob et vincetur expulsio, & ab ipsomet Angelo fuga diaboli; vt legimus in serm. Angel. cap. 19. idipsū quoque fuisse traditur lib. 1. Reuel. cap 9. & lib. 4. cap. 108. & in serm. Angel. cap. 20 Hinc nobis colligendum est, quantum commodi nobis possit afferre, si eam in tentationibus, & angustijs nostris, & maxime contra dæmonum incursus innacauerimus: non enim inquit D. Bernardus sic timent hostes visibiles, quamlibet castrorum multitudinem, sicut illæ aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum, sicut enim puluis ante faciem venti spargitur, & sicut cera ante faciem ignis liquescit, sic ad inuocationem huius nominis Mariæ, fugiunt, & pereunt, & iterum, vbi nomen Mariæ nominatur, ibi dæmonium effugatur, reis venia, modo & ægris, pusillis corde robur, afflictis consolatio, peregrinantibus adiutorium datur.

3 Qui fecundauit te consentientem nuncio Dei.

Hoc est cum primum Angelo Gabrieli incarnationem filij tui annuntianti consensum præmisisti, statim Spiritus sancti virtute Verbum concepisti, & inde fœcunda facta es.

4 Ipse filius Dei, qui hodie natus est de te, etiam fuit in te, antequam nuncius suus perueniret ad te.

Hoc loco insinuatur Beatiss. Virginem etiam ante Christi Domini incarnationem fuisse Deo gratissimam, & suum filium in se habuisse, quod intelligendum est per gratiam; nam vt legitur lib. 3. Reuel. cap. 8. & lib. 4. c. 109. ipsa ab æterno fuit in charitate Dei, & Deo dilecta, & ab infantia plena Spiritu sancto: Vnde Cant. 4. de ea scribitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; eadem ergo Maria, quæ filium suum ante incarnationem per gratiam in se habuit, eadem post Angelicam annunciationem secundum humanæ naturæ, & carnis veritatem in Ventre Virgineo portauit.

VERBA VIRGINIS MATRIS ad filiam de reuolutione amicorum Dei in hoc mundo, nunc in tribulationibus spiritualibus, nunc in consolationibus, & quid sit tribulatio spiritualis, & consolatio, & qualiter amici Dei debent gaudere, & consolari temporaliter.

CAP. XII.

MATER loquitur. Amici Dei dicuntur viri in mūdo, nunc in tribulatione spirituali, nunc in cōsolatione spirituali. Consolatio vero spiritualis est infusio Spiritus Sancti, consideratio magnalium operum Dei. Admiratio patientiæ eius. Et quando hæc omnia delectabiliter opere adimplentur. Tribulatio vero spiritualis est illa, quando contra voluntatem cogitationes immundæ, & importunæ conturbant mentem, quando mens angustiatur de inhonoratione Dei, & de dispendio animarum, quando animus ex rationabili causa cogitur temporalibus sollicitudinibus implicari. Sic etiam amici Dei, quandoque possunt consolari consolatione temporali, sicut de verbis ædificatorijs, de ludo honesto, seu de alijs operibus, in quibus nihil detractorium sit, aut inhonestum: sicut per exemplum intelligere poteris. Si enim pugnus semper tenetur clausus, aut contraherentur nerui, aut manus debilitaretur. Sic est etiam in spiritualibus. Si enim animus staret semper in contemplatione, aut oblitus scens seipsum, euanesceret superbia, aut minueretur corona gloriæ suæ. Ideo amici Dei quandoque consolantur Spiritus sancti infusione, quandoque tribulantur Dei permissione, quia per tribulationes extirpantur radices peccatorum, & fructus iustitiæ radicātur. Veruntamen, Deus qui videt corda, & intelligit, omnia moderatur, tentationes amicorum suorum, vt sint eis ad profectum, quia omnia facit, & permittit iuste in pondere, & mensura. Ergo quia tu vocata es in spiritum Dei, noli sollicitari de longanimitate Dei, quia scriptum est, quod nemo venit ad Deum, nisi pater traxerit eum. Sicut enim pastor cum fasciculo florum attrahit, & allicit oues in domum, licet oues discurrant per ambitum, non tamen habebunt egressum, quia domus munita est parietibus, tectum altum, ianuę quoque clausę. Propter quod oues assuescunt comedere fœnum in tantum quod factæ mansuetæ, etiam comedunt fœnum de manu pastoris. Sic etiā est factum tecum. Illa enim quæ tibi antea videbantur importabilia, & difficilia, iam facta sunt leuia, in tantum quod te nihil iam delectat sicut Deus.

VERBA

VERBA CHRISTI AD sponsam, quæ lacrymæ Deo sunt acceptę, & quæ non, & de quibus fienda, seu eroganda est eleemosyna pauperibus pro animabus defunctorum, & de consilio, & regimine Christi ad sponsam.

CAP. XIII.

FILIVS loquitur. Miraris cur illum non audio, quem vides multas habere lacrymas, & plurima largiri pauperibus pro honore meo. Respondeo tibi ad primum. Vbi duo fontes decurrunt frequenter contingit, quod in vnum conuenientes, alterius aqua, quę turbida est, & lutosa, maculat, & deturpat aquam fontis purissimi, quam factam lutosam quis poterit bibere? Sic est etiam de lacrymis multorum. Quorundam enim lacrymæ quandoque procedunt ex humiliatione inclinationis naturæ, quandoque ex mundi tribulatione, & timore inferni. Talium enim lacrymæ lutosæ sunt, & fętidæ, quia non procedunt ex charitate Dei. Sed illæ lacrymæ sunt mihi dulces, quæ procedunt ex consideratione beneficiorum Dei, & consideratione suorum peccatorum, & amore ad Deum. Tales lacrymæ eleuant animam a terrenis in cęlum, & regenerant hominem ad vitam æternam. Nam duplex est generatio, carnalis, & spiritualis. Carnalis generatio generat hominem de immunditia ad immunditiam. Plorat damna carnis, sustinet gaudenter labores mundi. Talium filius non est filius lacrymarum, quia per tales lacrymas non acquiritur vita æterna. Sed illa generat filium lacrymarum, quæ plorat dispendia animæ, quæ sollicita est ne filius offendat Deum. Talis mater propinquior filio est, quam quæ generat carnaliter, quia per talem generationem acquiritur beata vita. Ad secundum, scilicet, quod tribuit eleemosynas pauperibus, respondeo tibi. Si emeres tunicam filio tuo ex pecunia serui tui, nunquid de iure non esset tunica eius, qui possidebat pecuniam? esset vtique. Sic est etiam spiritualiter. Nam quicunque grauat subditos suos, aut proximos, vt ex eorum pecunia succurrat animabus charorum suorum, plus me ad iram prouocat, quam mitigat, quia ablata iniuste proderunt his, qui bona iuste antea possidebant, & non pro quibus dantur. Veruntamen quia iste benefecit tibi benefaciendum est ei, & spiritualiter, & corporaliter; spiritualiter fundendo ad Deum preces pro eo, quia nullus credit quantum Deo placent preces humilium, sicut per exemplum ostendam tibi. Si quis offerret Regi pondus magnum argenti, diceretur à circumstantibus, hæc est magna præsentatio. Si vero legeret vnum Pater noster Regi, derideretur. Sic est e contra apud Deum. Quicumque enim offert pro anima alterius vnum Pater noster acceptius est Deo pondere magno auri. 1 Sicut patuit in illo bono Gregorio, qui oratione sua etiam infidelem Cæsarem eleuauit ad altiorem gradum. Secundo dicito ei hęc verba, quia bene fecisti mihi, rogo Deum omnium remuneratorem, vt reddat tibi secundum gratiam suam. Item dic ei sic, charissime vnum consulo tibi, & vnum rogo. Consulo vt aperias oculos cordis tui, considerando instabilitatem, & vanitatem mundi. Recogitando quantum refrigerat charitas Dei in corde tuo. Et quam grauis est pœna, & horrendum iudicium futurum, & attrahe charitatem Dei in cor tuum, disponendo omnia tempora tua, bona temporalia, opera, affectus, & cogitationes ad honorem Dei, filios quoque tuos trade ordinationi, & dispositioni Dei, nihil propter eos de amore Dei minuendo. Secundo rogo, vt in orationibus tuis impetres, quatenus Deus, qui omnia potest, donet tibi patientiam, & impleat cor tuum sua benedicta charitate.

NOTAE.

1 SIcut patuit in illo bono Gregorio, qui oratione sua etiam infidelem Cæsarem eleuauit ad altiorem gradum.

Inter tot grauissimorum hominum sententias, quæ de liberatione Traiani ab Inferis circunferuntur, non auderem in præsentia aliquid hac de re temere definire; hic tamen admonere lectorem censui, quamplurimos ex Theologis etiam melioris notæ hanc Traiani historiam admisisse, eumque ab inferis sic, vt & Falconillam Matronam Romanam reuocatam esse Gregorio summo Pontifice, & Tecla Martyre deprecantibus, quod refert in serm. de mortuis adiuuandis, Ioannes Damascenus: huic opinioni fauent Durandus, Riccardus, & D. Thomas in 4. dist. 45. & in supplemento ad tertiam partem q. 71. art. 5. ad quintum argumentum: eandem sent. confirmat Alphonsus Ciacconus in Apologia pro hac historia edita, vbi inter cæteros, quos ibi citat refert testimonia Petri, & Ioannis Diaconorum D. Gregorij, quæ in Bibliotheca Vaticana extare dicit, & Ioannem Diaconum id asserentem in vi-

In vita S.Greg.li.2.c.44. Postremo id probat etiã testimonio Methildis,cui etiã addi potest. Sixtus Senensis in sua Bibliotheca Sancta li.6.annot.47. Cæterum sunt,qui hanc historiã de Traiani ab inferis liberatione in dubiũ reuocauerint,affirmantes, nullo pacto pro Traiano D.Greg. orasse , quod tradunt Dominicus a Soto in 4.d.45.q.2.a.2. quem sequitur Melchior Canus li.ij.de locis Theologicis ca. 2. Iõ.Steph. Durantus de ritib. l.2.c.43.nu.12. Horum doctorũ fundamentũ potissimũ est,quod dicunt nullũ Historicorũ de hac Traiani liberatione fidem fecisse,secundo etiã quia asserunt eorũ pro his effusas preces Deũ nõ exaudire,quos certo scimus, vel scire debemus esse damnatos,pro quib.orare nõ est licitũ. Iob.n.19.scribitur,quod in inferno nulla est redemptio. Sed his nõ obstantib.probabilissimũ esse cr[illegible]o,quod scribitur hic Traianũ precib.D.Greg.ab inferis fuisse liberatum,sed antequã vlterius progrediamur animaduertẽdũ est,nos in præsentia nõ agere de modo,quo id factũ fuerit,est .n. aliqualis inter Doctores cõtrouersia,an .s. Traianus statim ab inferis post effusas a B.Greg.preces ad Cœlum euolauerit,an vero fuerit ad Purgatoriũ translatus ibi, vsq; ad Vniuersale iudiciũ mansurus , & postremo an ad vitã redierit,& Baptizatus pœnitentiã egerit,& mox ad gloriã æternam iuerit, quæ videtur esse cõmunis sent.eorũ doctorũ,quos supra pro hac opinione citauimus. His ergo positis dicendũ est primo probabilissimũ mihi videri hãc de Traiani ab inferis liberatione historiã admittẽdã esse, tũ ob auctoritatẽ B.Brig. quæ rẽ hanc apertis verbis fatetur, tum quia hanc eadẽ historiã, vt verissimã recipiũt Doctores grauissimi, vt D.Damasc.D.Tho.Riccar. Sixtus Senensis, Alphonsus Ciacconus, quos supra citauimus.quib.addẽdũ Nauar.in Enchir.de orat. & horis Canonicis c.22.in 13. Miscellaneo,n.43. & Hieron.Menghius minorita in libello de arte exorcizandi li.2.c.13. & inter Historicos rem hanc cõfirmat Sigibertus in Chron. anno Domini 591. Gregor.inquit Rom.Ecclef. præsidet,hic inter cætera pietatis opera animã Traiani Romanorũ quõdã Imperatoris,quãuis pagani,á pœnis inferni liberari miserando, ac plorando a Deo obtinuit, idem probatur ex Græcorũ euchologio c.96.de mortuis, sic .n. orantẽ Sacerdotẽ legimus. Vt voluntate tua Theclam prothomartyrẽ exaudisti,pro idolatra matre sua orãtẽ,nec ipsius preces contẽpsisti, verũ,vt permaxime bonus , ac reconciliatu facillimus veniã ipsi cõcessisti,at quẽadmodũ Traianũ per intentam serui tui Gregorij Dialogi (sic .n. S.Greg.appellitabant) intercessionem flagro soluisti,exaudi etiam nos te orantes. Postremo eandẽ historiã tanquã verã admisit Abulensis in 4.Reg 9.57.quo tamẽ loco vnũ addidit,quod mihi minime placuit, nimirũ D. Greg hac in re mortaliter peccasse, nõ .n. vero simile est Deũ iustissimũ,tam celebrem , tãq; insignẽ gratiã,mortaliter in ea petenda peccãti concessisse, tum quia Greg.non petijt a Deo, vt Traianus ex inferno in Paradisũ immediate duceretur,sed vt simpliciter saluaretur,quod eo modo intelligendũ est, quo asserit Nauar. aliqui alij damnati diuina bonitate salui facti sunt, cũ prius ad vitã redierint,& baptizati pœnitentiã suorum delictorũ egerint,& postea ad gloriã euolauerint,tum quia vt idẽ auctor annotauit,vbi supra probabilissimũ est credere, Deũ inspiraße S.Greg.voluntatẽ id petendi,non .n. quis peccat,immo meretur, qui aliquid inspirãte Deo facit,id quod alias esset contra diuinũ præceptum, vt Abrahã, qui voluit filiũ suũ occidere,& Sampson , qui se occidit,& Philisteos demoliendo domum, quos nõ peccasse tradidit D.Aug.li.1.de Ciuit. ca. 21. & Abrahã,inquit nõ solum non est culpatus crudelitatis crimine,verũ laudatus nomine pietatis,quod voluit filium nequaquã scelerate, sed obedienter occidere, & infra,nec Sampson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostib. ruina domus oppressit,nisi quia Spiritus latenter hoc iußerat, hæc Aug. Pari ratione dicit Nauar. Prophetas,& Apostolos a peccato fuisse immunes , eo quod orauerint Deũ pro resurrectione eorũ mortuorum,quos credebant in mortiferi peccati statu ex hac vita migraße,& per consequens extitisse damnatos , sicut .n. eadẽ facilitate a D.Tho. argum. soluitur in 4. sent.d.45. ad 5.arg.ab eo formatum,ex orationib. prædictorũ pro resurrectione mortuorum infideliũ contra cõclusionẽ illam catholicã,nimirum viuorũ suffragia non prodesse damnatis,eadẽ potest dissolui arg.ex orat.B.Greg.pro defuncto Traiano facta, vt ipsemet respondit in hæc verba. De facto Traiani hoc modo potest probabiliter existimari,quod precibus B.Greg.ad vitã fuerit reuocatus, & ibi gratiã sit consecutus, per quã remissionẽ peccatorum habuit, & per cõsequens immunitatẽ a pœna,sicut etiã apparet in omnib.illis,qui fuerunt a mortuis miraculose suscitati,quorũ plures cõstat Idolatras, & damnatos fuisse de omnibus .n.similiter dici oportet quod non erant in inferno finaliter deputati,sed secundũ præsentẽ iustitiã propriorũ meritorũ, secundum autẽ superiores causas,quib. præuidebatur ad vitã reuocãdi,erat de eis aliter disponẽdũ. Hactenus D.Tho.ex dictis patet solut.ad arg.quæ a nobis paulo supra cõtra hãc de liberat.Traiani sententiã a nobis proposita sunt. Sed antequã huic rei finẽ imponamus prætereundũ esse,hoc loco minime censui, quod probatiss.quidã nostri tẽporis scriptor contra hãc B.Brig.reuel. obiecit,eã nimirũ pugnare, cum quadã reuel.B. Methildi facta, in qua scribitur , vt ipse refert,volũtatis esse Dei, quod nesciãt homines Traianũ ab inferis fuisse liberatũ. B.vero Brig.fuisse reuelatũ,quod vere Traianus a damnatorũ numero fuerit euocatus, sedenim si hoc pensiculatius perpẽdatur,non solum no facit contra nos , sed sententiã nostram confirmat, quia ex ipsa met reuel.facta Methildi non colligitur Traianũ ex inferno non fuiße liberatum,sed tãtum noluisse Deum,quod factum istud tempore Methildis propalaretur,secundo quia aliquãdo cõtingit,Deum aliquo tẽpore statuisse aliquid nõ reuelare,quod alio tẽpore reuelauit, immo

& prohibuisse, vt aliquãdo quadã propalarentur, aliquando vero eadẽ cõcessisse, vt manifestarẽtur, quæ duo nec ad inuicẽ pugnant, nec in eo voluntatis mutationẽ ponunt, sed solum in creaturis, vt nos probauimus li. 2. Reuel. c. 28. not. 1. ex quib. deducendum est, ex eorum sentẽtia, hanc historiã, vt verã receperunt, Traianum non fuisse absolute damnatum, sed solum in inferno punitum secundum eius præsentia demerita, & suspensam fuisse damnationis sententiam ob prauisas B. Gregorij preces.

VERBA CONFORTATIVA Christi ad sponsam in timore positam, quod non debeat timere, de his quæ vidit, & audit, quia Spiritus sancti sunt, & quomodo diabolus per serpentem, & leonem, consolatio sancti Spiritus per linguam designantur, & qualiter sit opponendum diabolo.

CAP. XIV.

FILIVS loquitur. Cur times, & sollicitaris ex eo, quod diabolus immittit aliqua in verba Spiritus sancti. Nunquid aliquando audisti eum seruare linguam suam sanam, qui eam misit inter dẽtes leonis commoti? Aut nunquid aliquis quandoque suxit mel dulcissimum de cauda serpentis? nequaquam. Sed quis est leo, vel serpens nisi diabolus. Leo propter malitiam, serpens propter astutiam. Quid vero lingua nisi consolatio Spiritus sancti. Quid namque est linguam ponere inter dentes leonis, nisi verba Spiritus sancti, qui in specie linguæ apparuit, propter fauorem, & laudem humanam dicere? Ergo quicunque laudes Dei ad placendum hominibus loquitur, hic vtique mordetur, & decipitur a diabolo, quia verba illa quãuis sint Dei, non procedunt de ore charitatis Dei, & lingua, scilicet Spiritus sancti cõsolatio auferetur ab eo. Qui vero nihil desiderat nisi Deum, omniaq; mundialia sunt ei molesta, nec corpus affectat videre, nec audire, nisi quæ Dei sunt. Animaq; eius in infusione Spiritus sancti lætatur, hic talis decipi non potest, quia spiritus malus cedit spiritui bono, nec audet ei appropinquare. Quid vero significat mel de cauda serpẽtis sugere, nisi consolationem Spiritus sancti de suggestionibus diaboli sperare, quod nequaquã fieri potest, quia diabolus se magis millies occidi permitteret, quam vnicum Verbum consolatorium daret animæ, cuius exitus tenderet ad finem vitæ. Ergo noli timere. Deus enim qui incepit bonũ tecum perficiet ad finẽ bonũ. Veruntamen scito, quod diabolus est quasi canis venaticus dimissus de copula, quãdo, videt te non esse in infusione Spiritus sancti, currens ad tecum tentationibus, & suggestionibus suis. Sed si opposueris ei aliquod durum, quod dentes sui, vel doleant, vel obstupescant, statim resilict a te, nec nocebit tibi. Quid vero est durũ opponendo diabolo, nisi charitas diuina, & obedientia mandatorũ Dei, quę cũ viderit diabolus perfecte in te, statim dentes eius, idest conatus eius, & voluntas frustrabitur, quia considerat te oĩa contraria magis velle pati, quam mandatis Dei contraire.

VERBA CHRISTI AD SPONsam, cur boni in hac vita tribulantur, & mali prosperantur, & quomodo Deus probat per exemplum, quod quandoq; promittit temporalia, in quibus subintelliguntur spiritualia, & qualiter Deus non prædixit singula ad certas horas, cum omnes horæ, & momenta ei sint nota.

CAP. XV.

FILIVS Dei loquitur. Miraris cur amicum Dei honorandum audisti tribulari, inimicũ vero Dei honoratum, quem credebas flagellandum, sicut dictum fuit tibi in alia diuina visione. Respondeo tibi, verba mea, & spiritualiter, & corporaliter intelligi debent. Quid enim est tribulatio mundi, nisi præparatio quędam, & eleuatio ad coronã. Quid vero prosperitas mundi homini abutenti gratia, nisi descensus quidã ad perditionem? Ergo tribulari in mũdo, vera exaltatio est ad vitam, prosperari vero in mundo homini iniusto, verus descẽsus ad infernum. Ideo ad instruendum patientiam tuam in verbis Dei, dico tibi vnum exemplum. Quasi Mater vna esset habens duos filios, quorum vnus natus fuit obscuro carcere, nihil sciẽs, nec audiens, nisi tenebras, & lac Matris. Alius vero natus fuit in tugurio paruo, habens cibum humanum, requiem in lecto, seruitium ab ancilla. Ei vero, qui in carcere natus fuit dixit Mater. O fili si volueris egredi a tenebris, habebis cibum delicatiorem, lectum molliorem, & tutiorem locum. Quod puer audiens egressus est, quia si Mater promisisset sublimiora, scilicet, vel currentes equos, vel domos eburneas,

meat, nisi latam familiam, non credidisset, quia nihil nouerat nisi tenebras, & lac maternum. Sic & Deus quandoque parua promittit, in quibus altiora intelligit, vt homo per temporalia addiscat cælestia cogitare. Alteri vero filio dixit Mater. O fili quid tibi vtilitatis est morari in isto vili tugurio? Audi igitur consilium meum, & proderit tibi. Ego scio duas ciuitates. In prima est habitantibus gaudium interminabile, & indicibile, honorque sine fine. In secunda est exercitium pugilum, vbi omnes, qui pugnant fiunt reges, omnesque qui vincuntur vincūt. Quod puer audiens, & egrediens ad stadiū, regressus dixit Matri. Vidi inquit mirabilē ludum in stadio alij prosternebantur, & conculcabantur. Alij denudabantur, & mortificabantur, attamen omnes tacebant, omnes ludebant, nullusque contra prosternentes se leuauit caput, siue manum. Respondit Mater. Ciuitas ista quam vidisti non est nisi suburbiū ciuitatis gloriæ. In isto enim suburbio experiri vult Dominus illos, qui fuerint aptiintrare ciuitatem gloriæ. Et quos viderit vigilantiores ad certamina, hos in gloria sublimius coronabit. Et propterea in ipso suburbio resident hi, qui probaturi sūt illos, qui in gloria sunt coronandi. Quod vero vidisti prostratos denudari, verberari, & tacere, hoc ideo est, quia vestes nostræ maculatæ sunt, ex tenebris tugurij nostri, quę vt subtilius mundentur opus est magno certamine, & labore. Respondit puer, graue est conculcari, & tacere, melius enim iudico redire ad tugurium meum. Cui Mater. Si inquit manseris in tugurio nostro, orientur ex tenebris nostris, & fœtoribus nostris vermes & serpentes, quorum auditu horrescit auditus tuus, quorum morsu infrigidabitur omnis virtus tua, quorum cohabitatione malles non fuisse natus. Quod puer audiens, & corporale bonum appetens, quod tamen Mater intellexit spiritualiter, factus est animęquior, & quotidie incitabatur ad coronam. Sic facit & Deus. Nam quandoque promittit, & tribuit temporalia, quandoque promittit carnalia, in quibus subintelligit spiritualia, vt & animus per accepta munera incitetur ad feruorem Dei, & per intellectū spiritualem humilietur, ne de seipso præsumat, sicut fecit Deus Israeli. Primo namque promisit, & dedit eis temporalia, & cum eis fecit etiam mirabilia, vt per talia erudirentur ad inuisibilia, & spiritualia. Deinde facta in eorum intellectu maiori deitatis cognitione cum prophetis Deus loquebatur obscura verba, & difficilia ad intelligendum, intermiscens quædam consolatoria, & gaudiosa, quando scilicet promisit populo reditum ad patriam, pacem perpetuam, omniaq; ruinosa ædificanda. Quæ omnia promissa, licet populus carnalis intellexit, & habere ea voluit carnaliter, Deus tamen quædam carnaliter, quædam vero spiritualiter adimplenda præsciuit, & præfiniuit. Sed potes quærere. Cur Deus, cui omnes horæ, & momenta nota sunt, non plane, & ad rectas horas prædixit singula, aut cur alia dixit, & alia notauit? Respondeo tibi. Israel carnalis erat, & carnalia sola desiderabat, nec inuisibilia nisi per visibilia percipere poterat. Ideo placuit Deo multis modis erudire populū suū vt creduli promissionum Dei coronarentur sublimius propter fidē, vt proficiētes in bono feruerent amplius, vt desidiosi succenderentur ad Deum feruentius, vt trāsgredientes desisterent peccare liberius, vt tribulati tolerarent miserias suas patientius, vt laborantes subsisterent delectabilius, vt expectantes per obscuram promissionem sublimius coronarentur. Si enim Deus carnalibus sola spiritualia promisisset, omnes tepuissent ab amore cælestium. Si vero sola carnalia promisisset, quæ tunc differentia fuisset homini, & iumento? Sed pius, & sapiens Deus, vt homo moderate tanquam moriturus, iuste gubernaret corpus suum, dedit ei corporalia, vt autem appeteret cælestia ostendit beneficia, & miracula cælestia, vt vero timeret peccare ostendit iudicia terribilia, & immissiones per Angelos malos, vt etiam illuminator promissionum, & dator sapientiæ expectaretur, & desideraretur, obscura, & dubia cum consolatorijs intermiscebantur. Sic etiam adhuc hodierna die Deus per similitudines corporales iudicat indicia spiritualia, & loquendo corporalem honorē intelligit spiritualem, vt soli Deo omne magisterium tribuantur. Quid enim est honor mundi nisi ventus, & labor, & diminutio diuinæ consolationis. Quid vero est tribulatio nisi præparatio virtutum? Ergo promittere iusto honorem mundi, quid est nisi priuatio commodi spiritualis? Promittere vero tribulationes mundi, quid est nisi medicamentum, & antidotum magnæ infirmitatis? Propterea filia verba Dei multipliciter intelligi possunt, nec tamen ob hoc aliqua in Deo mutabilitas est consideranda, sed sapientia eius admiranda, & formidanda. Nam sicut in prophetis multa dixi corporaliter, quæ & corporaliter perficiebantur. Multa etiam dixi corporaliter, quæ spiritualiter perficiebantur, vel intelligebantur. Sic facio & nunc, & quādo hæc contingunt causam eorum indicabo tibi.

VERBA VIRGINIS AD filiam quomodo diabolus astute frequenter ducit sub deuotionis pelle aliquãdo aliquos inter seruos Dei, vt ipsos perturbet, & quibus indulgentię largiuntur, & quomodo dispositio Ecclesiæ per anserem, & Deus per gallinam designantur, & qui sunt digni vocari pulli Dei.

CAP. XVI.

MATER loquitur sponsæ Christi. Cur collegistis istum, cuius lingua magniloqua, vita ignota, mores mundiales? Respondit illa, quia inquit credebatur bonus, & ne confunderetur, si homo linguæ non despiceretur. Veruntamen si Deo displicuisset præscirem, non magis eum, quam serpentem collegissem. Cui *Mater*. Hæc inquit voluntas tua bona, custodiuit, & refrænauit linguam eius, & cor, ne vos ad perturbationem commoueret. Diabolus quippe astutus adduxit vobis lupum in vellere ouis, vt inueniret occasionem sollicitandi vos, & in vos garriendi. *R*espondit illa, nobis apparet, quod sit deuotus, & pœnitens, & quod visitat sanctos, & dicit se velle abstinere a peccato. Respondit Mater. Vbicunque anser est cum pennis, dic vtrum comeditur caro an pennæ? Nonne pennæ abominabiles sunt stomacho, caro vero cibat, & confortat? Sic est spiritualiter dispositio, & constitutio sanctæ Ecclesiæ. Est enim quasi anser, in qua est corpus Christi tanquam caro recentissima. Sacramenta sunt quasi interiora anseris, alæ vero significant virtutes, & actus Martyrum, & Confessorum. Plumæ autem notant charitatem, & patientiam Sanctorum. Sed pennæ significant indulgentias, quas Sancti viri concesserunt, & promeruerunt. Ergo omnis qui venit ad indulgentias ea intentione, vt a peccatis prioribus absoluatur, & tamen vt remaneat in priori vitiosa consuetudine, hic quidẽ habet pẽnas anseris, de quibus nec cibatur, nec confortatur anima. Sed solummodo si sumantur, operantur ad reiectionem. Qui vero eo animo veniunt ad indulgentias, vt deinceps fugiant peccata, vt iniuste ablata restituant, vt læsis iniuste satisfaciant, vt vnum obolum cum turpi lucro non acquirant, vt ad vnum diem viuere non vellent, nisi secundum velle Dei, et in aduersitate, & prosperitate Deo voluntatem suam summittant, vt honores mundi, & amicitias eius fugiant, hic quidem talis habebit remissionẽ peccatorum, similisque est Angelo Dei in conspectu Dei. Ei vero, qui gaudet de absolutione peccatorum priorum, nec tamen habet voluntatem relinquendi priores vanitates, & inordinatas mentis suæ affectiones, sed iniuste acquisita vult retinere, mundum in se, & in suis diligere, de humilitate erubescere, consuetudines prauas non fugere, carnem suam a superfluis non restringere, huic quidem valent pennæ, id est, indulgentiæ, ad reiectionem, id est, ad obtinendum contritionem & confessionem, quibus eijcitur peccatum, & acquiritur gratia Dei. Euolabit quasi pennis quibusdam de manu diaboli in sinu Dei, si tamen ad hæc obtinenda, persona litterarum voluntate bona velit cooperari. Respondit illa. O Mater misericordię ora pro isto, vt gratiam inueniat in conspectu filij tui. Cui illa, Spiritus sanctus inquit, visitat eum, sed aliquid quasi petra iacet ante cor eius prohibens, ne gratia Dei ingrediatur. Deus quippe est quasi gallina calefaciens oua, de quibus fiunt viuentes pulli o[illegible]. Omnia itaque oua, quæ subtus gallinam sunt, recipiunt calorem eius, non autem alia circumiacentia, nec Mater frangit testam oui, in qua pullus concipitur, sed ipse pullus rostro suo tentat frangere, quod videns Mater, illi pullo calidiorem locum præparat, vbi subsistat. Sic Deus omnes cum gratia sua visitat. Eos vero qui sic cogitant, nos inquiunt abstinere volumus à peccato, & inquantum possumus conari volumus ad perfectionem, hos visitat Spiritus sanctus frequentius, vt perfectius possint. Qui vero omnem voluntatem suam committunt Deo, nolentes nec minima facere contra amorẽ Dei, sed sequuntur eos quos vident tendere ad perfectiora, & stant humilium hominumque consilio, reluctantes discrete motibus carnis suæ, hos quasi gallina pullos subijcit sibi Deus, faciendo eis iugum suum leue, & consolando eos in difficultatibus suis. Qui vero propriam sequuntur voluntatem, cogitantes modica bona, quę faciunt esse digna apud Deum mercede, nec conantur ad maiorem perfectionem, sed stant in his quę mentem delectant, excusantes fragilitatem suam exemplis aliorum, & leuigantes culpas suas peruersitatibus aliorum, tales non fiunt pulli Dei, quia voluntatẽ non habent frangere duritiam, & vanitatẽ cordis sui. Sed si possent vellent magis diu viuere, vt in peccato diu possent perseuerare. Non fecit sic ille bonus

Zacheus, non sic Magdalena. Sed quia in omnibus membris offenderant Deum, omnia membra dederunt ei, ad satisfaciendum ei pro offensis. Et quia ad mundi honores ascenderunt mortaliter, descenderunt in eius contemptũ humiliter, quia difficile est Deũ, & mundum simul diligere, nisi fuerit, sicut animal illud, quod oculos habebat ante, & retro, & talis quantumcunque sollicitus est tribulabitur tamen. Qui autem tales sunt, sicut huiusmodi Zacheus, & Magdalena, tutiorem partem elegerunt.

Declaratio.

Hic aduocatus Officij venit ad annum iubileum, plus ex timore, quam amore, de quo loquitur Christus in Roma. Omnis qui euaserit periculum sibi quod cauendum est, ne recidiuet in priora. Nam nautæ etiam in portu nimium confidentes periclitantur. Ideo iste caueat sibi, ne veniat ad priorem statum officij sui. Alioquin nisi cauerit amittet desiderabilia. Congregata venient ad extraneos. Filij non recipient hæreditatem & ipse non sine dolore apud alienos morietur. Hic rediens factus est iterum exactor, & omnia ita euenerunt.

INFORMATIO OPTIMA sanctę Agnetis ad filiam, ad bene, & laudabiliter viuendum, & ad malam vitam, & Deo ingratam præcauendum. In qua fortitudo, & patientia per currum, per quattuor vero rotas designantur istę quattuor virtutes, scilicet, perfecte omnia relinquere propter Deum, humilitas, & Deum sapienter diligere, carnemque discrete refrenare, & ponuntur quædam alia de religiosis.

CAP. XVII.

AGNES Loquitur sponsæ Christi. Vidisti inquit dominam superbam in curru superbiæ hodie. Cui sponsa respondit: Vidi inquit, & rubescebã, quia caro, & sanguis, puluis, & stercus se ibi laudari quærit, vbi merito debet se humiliare. Quid enim est talis ostentatio nisi prodiga donorũ Dei consumptio, vulgi admiratio, iustorum tribulatio, pauperum desolatio, Dei prouocatio, sui ipsius obliuio, iudicij futuri grauior dijudicatio, & dispendium animarum? Respondit Agnes. Gaude filia, quia à talibus erepta es, propterea describere tibi currum quendam volo, in quo te secure poteris reclinare. Currus itaque in quo sedere debes est fortitudo, & patientia in tribulationibus. Cum enim homo carnem refrenare cœperit, & totam voluntatem suam Deo cõmittere, aut sollicitat mentem superbia, quę hominem eleuat a se, & supra se, quasi similis sit Deo, & hominibus iustis; aut certe frãgit eum impatientia, & indiscretio, vt vel redeat ad solita, vel deficiat in viribus, vel vt ineptus sit in labore Dei. Propterea est opus patientia discreta, vt nec impatiens retrocedat, nec indiscrete perseueret, sed viribus, & temporibus se conformet. Prima vero rota currus istius est voluntas perfecta relinquendi omnia propter Deum, nihilque desiderare nisi Deum. Nam sunt multi, qui temporalia relinquunt eo fine, vt aduersitatibus careant, & tamen nihil eis desit ad vtilitatem, & voluptatem, quorum rota non est bene ductilis, & versatilis. Qui cum pungit paupertas desiderant sufficientiam, cum grauat aduersitas, requirunt prospera, cum tentat eos deiectio murmurant de dispositione diuina, & affectant honores. Cum præcipiuntur contraria quærunt proprias libertates. Ergo illa voluntas est Deo placita, quæ nihil de suo habere desiderat, nec in prosperitate, nec in aduersitate. Secunda rota est humilitas, qua homo reputat se ad omnia bona indignum, ponens ante oculos suos omni hora peccata sua, reum se existimando in conspectu Dei. Tertia rota est diligere Deum sapienter. Ille plane sapienter diligit, qui seipsum circunspiciendo odit vitia sua, qui contristatur de peccatis proximorum, & parentum suorum, lætatur vero de spirituali eorum profectu ad Deum, qui amicum suum non optat viuere ad vtile, & commodum suum proprium, sed vt Deo seruiat, timetque ei plus de mundano processu, ne offendat Deum. Talis ergo est sapiens dilectio, odiendo vitia, & fouendo propter fauorem, & honorem, eosque plus diligendo, quos in amore Dei viderit feruentiores. Quarta vero rota est refrenatio discreta carnis. Quicunque enim est in coniugio, & cogitat sic. Ecce inquit trahit me caro inordinate. Si vixero secundum carnem, scio pro certissimo, quia irascitur conditor carnis, qui plagare potest, & infirmare, qui occidet & iudicabit. Ideo ob amorem, & timorem Dei, refrenare volo beneuole carnem meam, viuere modo debito, & ordinato ad honorem Dei. Quicunque taliter cogitat petens adiutorium Dei, eius

rota accepta erit Deo. Si vero religiosus est, & cogitat sic. Ecce trahit me caro ad deliciosa, offert etiam se locus, tempus, & bona, & ætas ad delectandum, attamen adiutorio Dei nolo peccare, propter professionem sanctam, & momentaneum delectationis bonũ, magnum quippe est, quod voui Deo, pauper ingressus sum, pauperior egrediar. Iudicium de cunctis sum facturus, ideo ne offendam Deum meum, ne scandalizem proximũ meũ, ne meipsum faciam periurum, abstinere volo. Talis abstinentia digna est mercede magna. Si vero aliquis est in honore, & delitijs, & cogitat sic. Ecce ego abundo in omnibus, & pauper deficit, & tamen vnus Deus est omnium, quid promerui ego, & quid demeruit ille? quid vero est caro nisi cibus vermium? Quid vero tot deliciæ, nisi nauseæ, & occasio infirmitatis, perditio temporis, & peccati inductiuum? Ideo refrenabo carnem meam, ne in ea vermes lasciuiant, ne grauius iudicium subeam, ne tempus pœnitentiæ inaniter expendam, & si forte caro male educata non poterit faciliter flecti ad grossiora, vt pauper, subtraham tamen ei paulatim delicatiora aliqua sine quibus bene potest subsistere, vt necessitatẽ habeat non superfluitatem. Quicunq. ergo sic cogitat, & faciendo conatur quantum potest, hic & confessor, & martyr vocari potest, quia martyrij genus est delitias habere, & delitijs non vti. In honore esse, & honorem contemnere. Magnum esse apud homines, & minima sentire de seipso. Itaque talis rota multum placet Deo. Ecce filia currum figuraui tibi, cuius auriga Angelus tuus est. Si tamen frenum eius, & iugum a collo tuo non excusseris, idest, si inspirationes eius salubres non dimiseris, sensus tuos, & cor tuum ad inania, & scurrilia relaxando. Nunc etiam currum, in quo domina illa sedebat, dicere tibi volo. Currus plane impatientia eius est, scilicet contra Deum, & contra proximum, & contra seipsam. Contra Deum iudicando occulta iudicia eius, quia non prosperatur ad votum. Malignando contra proximũ, quia non cõsequitur bona eius. Impatiens quoq; in seipsam est, occulta cordis sui patienter ostendendo. Huius currus rota prima est superbia, præferendo se alijs, & alios iudicando, contemnendo humiles, & honores ambiendo. Secunda rota est inobedientia præceptorum Dei, quæ inducit in cor eius excusationem infirmitatis suæ, leuigationem culpæ suæ, præsumptionem cordis malitiæq. defensionem. Tertia rota est cupiditatis mundialium, quæ inducit ei prodigalitatem in expendendo, quæ habet negligentiam, & obliuionem sui, & futurorum anxietatem cordis, tepiditatem ad amorem Dei. Quarta rota est sui ipsius amor, per quẽ excludit a se Dei sui reuerentiam, & timorem, finemq. suum, & iudicium non attendit. Huius currus auriga est diabolus, qui eam ad omnia, quæ ipse miserit in cor eius facit hilarem, & audacem. Duo vero equi qui trahunt currum, spes est longę vitæ, & voluntas peccandi vsque in finem. Frenũ vero pudor confessionis est. Qui quidem pudor sic per spem longæ vitæ, & voluntatem perseuerandi in peccato, trahit animã recto tramite, & in peccato sic onerat, quod nec terrore, nec pudore, nec admonitione surgere potest. Sed cum stare firmiter se credit, nisi iuuante gratia Dei, descendit in profundum.

Additio.

Item loquitur Christus de eadem domina dicens. Hæc est vipera, quæ linguam habet meretriciam. Fel draconum in corde, venenũ amarissimum in carne. Ideo oua eius erunt venenosa. Felices erunt qui non experientur oua eorum.

VERBA LAVDIS FILIAE ad Virginem gloriosam, & responsio grata Virginis ad filiam, in qua filiæ per Virginem gratiæ plurimę de se, & Apostolorum, & Sanctorum conceduntur, & multa alia bona.

CAP. XVIII.

1 O DVLCIS Maria inquit sponsa. 1 Benedicta sis tu ęterna benedictione, quia Virgo ante partum, Virgo post partum, Virgo cũ sponso, Virgo etiam indubitata dubitante sponso. Propterea benedicta sis tu, quia Mater, & Virgo, quia sola Deo charissima, quia præ Angelis omnibus purissima, quia sola cum Apostolis fide plenissima, quia sola dolore cordis amarissima, quia præ confessoribus abstinentia clarissima, quia præ Virginibus omnibus excellentissima, continentia, & castitate. Ideo benedicant te omnia superiora & inferiora, quia per te Deus Creator factus est homo. Per te iustus inuenit gratiam, peccator indulgentiam, mortuus vitam, exul redijt ad patriam suam. Respondit Virgo,
2 a Scriptum est, quod Petro reddente testimonium filio meo, quod esset filius Dei, responsum est ei. Beatus es Simon, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi. Sic dico, ego nunc, hanc salutationem non reuelauit tibi carnalis anima tua, sed ille, qui erat fi-

te principio, & fine fine. Propterea tu esto humilis, ego ero tibi misericors. Ioannes Baptista, vt promisit erit tibi dulcis. Petrus vero erit tibi mitis, Paulus autem fortis quasi Gigas. Tunc quoque Ioannes dicturus est tibi filia sede in genu. Petrus vero dicet, ò filia, aperi os, & cibabo te cibo dulcedinis. Paulus vero induet te, & armabit te armis charitatis. Ego vero quæ Mater sum præsentabo te filio meo. Veruntamen filia, ista potes etiam intelligere spiritualiter.
3 3 Nam in Ioanne, qui interpretatur gratia Dei, notatur obedientia vera, ipse quippe fuit, & est dulcis. Ioannes dulcis parentibus propter mirabilem gratiam, dulcis hominibus propter singularem prædicationem, dulcis Deo, propter vitæ sanctitatem, & obedientiam. Obediuit denique in iuuentute, obediuit in prosperis, & aduersis, obediuit, & humiliter stetit cum honorare posset, obediuit & in morte. Ergo obedientia dicit sede in genu, idest, descende ad humilia, & habebis sublimia, relinque amara, & obtinebis dulcia. Relinque propriam voluntatem, si vis esse paruula. Contemne terrena, & eris cælestis. Contemne superflua, & habebis abundantiam spiritualem.
4 4 In Petro vero notatur fides sanctæ Ecclesiæ. Sicut enim Petrus stabilis permansit vsque in finem, sic, & fides sanctæ Ecclesiæ sine fine stabilis permanebit. Ergo Petrus, idest, fides sancta dicit, aperi os & habebis cibum optimum, idest aperi intellectum animæ tuæ, & in sancta Ecclesia inuenies cibum dulcissimum, idest ipsum corpus Dominicum in sacramento altaris, nouam quoque legem, & veterem, explanationes doctorum, patientiam martyrum, humilitatem confessorum, Virginum castimoniam, omniumque virtutum fundamentum. Itaq. fidē sanctam quære in Ecclesia sancti Petri, quæsitamque memoriter retine, & operibus consumma. In Paulo vero notatur patientia: ipse enim fuit feruens contra impugnantes fidem sanctam gaudens in tribulationibus, longanimis in spe, patiens in infirmitatibus, compassiuus cum dolentibus, humilis in virtutibus, hospitalis in pauperes, misericors ad peccantes, magister, & doctor omnium, perseuerās vsque ad finem in Dei charitate. Ergo Paulus, idest patientia, armabit te armis virtutum, quia patientia vera fundata est & roborata exemplis, & patientia Christi, & sanctorum eius accendit charitatem Dei in corde, succendit animum ad agenda fortia, reddit hominem humilem, mitem, misericordem, feruentem ad cælestia, sollicitum suiipsius, perseuerantem in inceptis. Itaq. omnem hominem, quem obedientia nutrit in genu humilitatis, fides cibat cibo dulcedinis, patientia vestit armis virtutum. Hunc ego Mater misericordiæ introduco ad filium meum, qui eum coronabit corona dulcedinis suæ. In ipso enim est fortitudo inexcogitabilis, sapientia incomparabilis, virtuositas indicibilis, charitas admirabilis; ideo & nullus rapiet eū de manu sua. Veruntamen filia, quāuis tibi loquor, per te tamen omnes intelligo, qui fidem sanctam sequuntur operibus charitatis. Sicut enim in vno homine Israel omnes Israelitæ intelligebantur, sic per te omnes veri fideles intelliguntur.

NOTAE.

1 Benedicta sis in æterna benedictione, quia Virgo ante partum, Virgo post partum, Virgo cum sponso, Virgo etiam indubitata, dubitante sponso.

Hoc loco B Brigitta quamplurimas Mariæ laudes enumerat, atque inter cæteras potissimam esse Virginitatem tradit, ante partum, in partu, & post partum conseruatam: verba vero quæ sequuntur, nimirum Virgo etiam indubitata dubitante sponso, insinuare videntur, Iosephum Mariæ sponsum de eius virginitate dubitasse: cum enim sciret se esse castissimum, cumq. eam prægnantem comperisset fluctuare secum, ac de Virginis pudicitia visus est suspicari: & ideo D. Matth. cap. 1. sui Euangelij scribit, eam dimittere voluisse, an autem id facere voluerit, quod mali aliquod vere de ipsa fuerit suspicatus, vt docere videntur Theophilactus, & Euthimius in comment. in loc. cit. Matth. & Diuus Augustinus epist. 54. & serm. 16. de verbis Domini, & serm. 18. de tempore, an vero quia existimauerit, se illius esse indignum consortio, ob summā de ea quam habebat venerationem, cum illam tot tantisq. supernaturalibus dotis ornatam nouisset, vt indicant Origen. hom. 1. in diuersos, & D. Bernardus super missus est, explicauimus infra lib. 6. Reuel. cap. 59. not. 3.

2 Scriptum est, quod Petro reddente testimonium filio meo, quod esset filius Dei, responsum est ei, Beatus es Simon quia caro, & sanguis non reuelauit tibi.

Hoc Apostolorum Principis testimonium de Christo referunt Matth. cap. 16. & Lucas cap. 9. vbi ad intelligentiam verborum præsentis notæ sciēdum est, quod sicut Christus Dominus Petrum Beatum, ac felicem pronunciat, eo quod singulari beneficio Dei, filij cognitionem est assequutus, per quam tam illustre de eo reddidit testimonium, dicens, Tu es Christus filius Dei viui, quam ob causam beatus est a Christo appellatus, Beatus, inquit, es, quia hanc cognitionem ex sola patris mei cælestis reuelatione accepisti: non enim caro, & sanguis, hoc est carnales parentes tui,

aut

aut nulli periti homines te docuerunt, sed Pater meus cælestis, sic hoc loco beatissima Virgo Brigittam admonet, quæ cum Mariæ virtutum in viridi quamplurima encomia attulisset; ea non ob hominibus accepisse, sed diuinitus illi fuisse inspirata affirmat; & ideo legimus hic, Sed dico ego nunc hanc salutationem non reuelauit tibi carnalis anima, sed ille qui erat sine principio, & sine fine.

3 Nam in Ioanne qui interpretatur gratia Dei, notatur obedientia.

Ioannis nomen non absolute gratiam interpretandum esse, sed Dei gratiam censuit Beda Lucæ 1. ad ea verba, Et vocabis nomen eius Ioannem, cuius dicti rationem reddit, asserens sic fuisse appellatum, tum quod Dei gratuita bonitate parentibus datus esset; tum quod gratia Dei plenus esset, tum quod datus esset a Deo in populorum salutem; cui etiam addi potest, quod doctoris gratiæ prænuncius, ac præcursor esset futurus. Verum Lyranus in locum citatum Lucæ interpretatur hoc nomen non Dei gratia, sed in quo est gratia, quia, inquit, Ioannes Christum manifestauit, per quem veritas, & gratia facta est, vt Io. 1. scribitur. sed Cornelius Iansenius in sua concordantia Euangelica par. 1. cap. 2. fuse de huius nominis ethimologia differit, putatq. Ioannem significare Dominus misertus est, quod optime conueniat cum illis verbis Euangelij ab Angelo Zachariæ dictis, Exaudita est oratio tua, & addit etiam cum aspiratione hoc nomen scribendum esse: sed quidquid sit optime annotarunt Ambros. in comment. super Lucam loco citato, Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 7. Beda vbi supra, habere semper mysterium in sacris litteris, aut mutationem veteris nominis, aut noui anticipatam positionem, & quidem huius rei mysteria recensuimus supra ex Beda, & Lyrano, hoc autem capite alia quædam enumerantur ibi, ipse quippe fuit, & est dulcis, &c.

4 In Petro vero notatur fides sanctæ Ecclesiæ.

Quemadmodum Christus Dominus lumen Apostolis contulit, vt lucem & ipsi mundo afferrent, & lumen mundi appellarentur, sicut Matt. 5 legimus, ita quoque Simonem vocauit Petrum, in quo veluti in Petra fidei stabile iaceret fundamentum; vnde de eo peculiariter Christus Matth. 16. dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã. Quare mirũ non est si fidei simbolũ in præsenti nota Petrus esse dicatur, quippe qui etiam in Petram credidit, quæ Christus erat, vt dicit Apostolus 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus, sic quoq. quicunque fidem habet Petri, Petrus dici potest, quod etiam annotarunt D. Augustinus super Ioan. tract. 7. D. Hieron. super Matth. cap. 16. Orige. super Matth. hom. 1.

VERBA FILIAE AD DOMINAM de virtute, & laude sue pulchritudinis, & de responsione Virginis, sui laudem confirmantis; & qualiter filius Virginem Matrem comparat auri fabro.

CAP. XIX.

O DVLCIS Maria pulchritudo noua, pulchritudo clarissima. Veni in adiutorium mihi tu, vt deformitas mea depuretur, charitasq. accendatur.
1 Tria enim dat pulchritudo tua capti. Purgat primo memoriam, vt verba Dei suauiter ingrediantur. Secundo, vt audita delectabiliter teneantur. Tertio, vt ad proximum ardenter diffundantur. Tria etiam pulchritudo tua præstat cordi. Primo aufert onus durissimum accidiæ, si tua consideretur charitas, & humilitas. Secundo dat oculis lacrymas, si tua attendatur paupertas, & patientia. Tertio, dat cordi in æternum feruorem dulcedinis, si sinceriter recolatur memoriæ tuæ pietatis. 2 Vere domina tu es pulchritudo pretiosissima, pulchritudo desideratissima, quia infirmis data es in auxilium, tribulatis in solatium, omnibus in mediatricem. Ergo omnes, qui audierunt te nascituram, & qui sciunt te iam natam, bene clamare possunt: Veni pulchritudo clarissima, & illumina tenebras nostras. Veni pulchritudo pretiosissima, & aufer opprobrium nostrum. Veni pulchritudo suauissima, & mitiga amaritudinem nostram. Veni pulchritudo potentissima, & dissolue captiuitatem nostram. Veni pulchritudo honestissima, & dele fœditatem nostram. Ergo benedicta, & venerabilis sit talis, & tanta pulchritudo, quam omnes videre optabant Patriarchæ, de qua omnes cecinerunt Prophetæ, de qua omnes electi gaudent. Respondit Mater. Benedictus sit Deus pulchritudo mea, qui dedit tibi talia verba loqui. Propterea dico tibi, quod pulchritudo antiquissima, æterna, & pulcherrima, quæ fecit, & creauit me, confortabit te. Pulchritudo vetustissima & noua innouans omnia, quæ fuit in me, & processit de me, docebit te mirabilia. Pulchritudo desideratissima delectans, & lætificans omnia, inflammabit animam tuam sua charitate. Propterea confide in Deo. Cum enim pulchritudo cælestis apparuerit, omnis pulchritudo terrena confundetur, & reputabitur quasi stercus. Deinde ait filius

Dei ad Matrem. O Benedicta Mater, tu es similis auri fabro, qui præparat opus pulchrum. Omnes qui viderint opus congratulantur, & tunc vel lapides pretiosos, aut aurum offerunt, vt opus perficiatur. Sic tu dilecta Mater omnium conanti surgere ad Deum tribuis auxilium, & neminem relinquis vacuum a consolatione tua. Propterea bene vocari poteris sanguis cordis mei. Sicut enim sanguine viuificantur, & roborantur omnia membra corporis, sic per te omnes viuificantur a peccato, & fructuosiores fiunt ad Deum.

INFORMATIO S. AGNETIS ad filiam de non retrocedendo, & de non plus debito procedendo, & de modo tenendo in abstinentijs incipiendis, vel inceptis, & quæ continentia sit Deo acceptabilis.

CAP. XX.

AGNES loquitur. Filia sta stabilis, & non retrocedas, quia serpens mordens iacet ante talos. Nec etiã plus debito procedas, quia cuspis lanceæ acuta ante te stat, a qua si plus iusto processeris, vulneraberis. Quid vero est retrocedere, nisi pœnitere in tentationibus assumpsisse austeriora, & salubria, & velle ad consueta redire delectari mente in sordidis cogitationibus. Talia si menti placent, omnia obscurant bona, paulatimque retrahunt ab omni bono. Nec etiam debes plus debito procedere, idest vltra vires te affligere, aut alios super naturam tuam in bonis operibus imitari, quia ab æterno disposuit Deus operibus charitatis, & humilitatis aperiri peccatoribus cęlum, seruata in omnibus mensura, & discretione. Nunc autem diabolus inuidus suadet homini imperfecto supra vires ieiunare, promittere inconsueta, & importabilia, velle imitari perfectiora, non consideratis viribus suis, & infirmitatibus suis, vt deficiente robore, vel homo continuet male incepta propter ruborem hominum plus quam propter Deum, vel deficiat citius propter indiscretionem, & infirmitatem. Propterea mensura teipsã in teipsa, idest secundum fortitudinem, & debilitatem tuam, quia alij sunt a natura fortiores, alij debiliores, alij gratia Dei feruentiores, alij consuetudine bona alacriores. Ideo secundum consilium timentium Deum guberna vitam tuam, ne aut per inconsiderationem mordeat te serpens, aut cuspis gladij venenosi, idest suggestio diaboli venenosissima deludat mentem tuam, qua vel videri velis, quod non es, aut else appetas quod est supra vires, & virtutem tuam. Nã sunt quidam, qui meritis suis obtinere credunt cęlum, quibus Deus parcit a diaboli tentationibus ex occulta dispensatione sua. Alij sunt, qui operibus suis satisfacere Deo putant pro excessibus suis, quorum omnium error omnino damnabilis est. Quod etiam si quilibet homo centies corpus suum occideret, non posset Deum vnum pro mille respondere, quia ipse dat posse, & velle; ipse tempora, & sanitatem, ipse replet in bonis desiderium, ipse dat diuitias, & gloriam; ipse est qui mortificat, & viuificat, exaltat, & humiliat, & omnia sunt in manu eius. Ideo illi soli honor exhibendus est, & nulla merita hominum alicuius reputationis sunt apud Deum. Quod vero mirabaris de domina, quę ad indulgentias veniens corrupta est. Respondeo tibi. Sunt quędam mulieres, quæ continentiam habent, sed non diligunt, quibus nec delectatio magna est, nec tentatio violenta, quibus si nuptię honorandæ præberentur, susciperent quidem, sed quia non offeruntur magna, dedignantur parua. Et vero ex continentia aliquando oritur superbia, & præsumptio, propter quam contingit ex permissione diuina cadere sicut iã audisti. Si vero aliqua talis esset intentionis quod nec propter totum mundum si ei præberetur, vellet semel maculari, impossibile est talem relinqui ad turpia. Veruntamen si Deus permitteret ex occulta iustitia sua talem cadere, plus fieret ei ad coronã, quam ad peccatum, dummodo esset contra eius voluntatem. Propterea pro certo scito, quod Deus est quasi aquila, quæ ab alto prospicit infima, quæ si aliqua viderit ascendere de terra, statim quasi funda deijcit illa. Si vero aliquid venenosum prospicit contrarium sibi, quasi sagitta transuerberat. Si autem distillat aliquid immundum de superioribus supra ipsam quasi anser fortiter excutit a se & elongat. Sic etiam facit Deus, si viderit corda hominum ex fragilitate carnis, vel tentationibus diaboli contra voluntatem spiritus erigere se contra Deum, statim quasi funda per inspirationem compunctionis, & pœnitentiæ illud adnihilat, & facit hominem redire ad Deum, & ad seipsum. Si vero venenum cupiditatis carnis, vel diuitiarum intrauerit cor, mox Deus transuerberat mentem sagitta charitatis suæ, ne homo perseuerans in peccato a Deo separetur. Quod si aliquid immundum superbiæ, vel lutum luxuriæ fedauerit animum, mox quasi anser per fidei, & spei constantiam deijcit. Ne vel animus obduretur in vitijs, aut anima

ma iuncta Deo, damnabiliter maculetur. Propterea filia in omnibus affectionibus tuis, & operibus, considera misericordiam, & iustitiam Dei, & semper attende finem.

VERBA SPONSAE AD DEVM de eius virtute, & magnificentia, & responsio Virginis ad filiam, ipsam confortans, & qualiter boni, & serui Dei non debent cessare a prædicatione, & monitione gentium, siue conuertantur, siue non, quod probat per exemplum.

CAP. XXI.

BENEDICTVS sis tu Deus meus, qui es trinus, & vnus, trinus in personis, vnum in natura. Tu es ipsa bonitas, & ipsa sapientia, tu ipsa pulchritudo, & potestas, tu ipsa iustitia, & veritas, per quem sūt omnia, viuunt, & subsistunt. Tu vere similis es flori crescenti singulariter in campo, de quo omnes appropinquantes flori, obtinent suauitatem in gustu, & alleuiationem in cerebro, delectationem in visu, fortitudinem in reliquis membris. Sic omnes appropinquantes tibi fiunt pulchriores, relinquendo peccatum. Fiunt sapientiores sequendo voluntatem tuam, & non carnis. Fiunt iustiores sequendo vtilitatem animæ, & honorem Dei. Propterea pijssime Deus, da mihi id amare quod te delectat, tentationibus viriliter resistere, mundana omnia contemnere, & te iugiter in memoria mea retinere. Respondit Mater; Hanc salutationem promeruit tibi ille bonus Hieronymus, qui recessit de falsa sapientia, & inuenit sapientiam veram, qui contempsit honorem terrenum, & lucratus est ipsum Deum. Felix talis Hieronymus, felices qui eius imitantur doctrinam, & vitam, qui fuit amator viduarum, speculum proficientium, doctorque totius veritatis, & puritatis. Sed dic filia, quid est, quod te sollicitat in corde tuo? Et illa, occurrit inquit cogitatio dicens, si bona es, sufficit tibi bonitas tua, quid ad te iudicare, & prouocare alios, docereque meliores, quod nec tui ordinis est, nec status. Et qua cogitatione ita obduratur animus, quod & sui ipsius obliuiscitur, totusque refrigescit a charitate Dei. Respondit Mater.
1 var. lect. 1 Hæc cogitatio multos etiam profectos retrahit a Deo, nam diabolus impedit bonos, ne loquantur malis, ne forte compungerentur. Impedit etiam ne loquantur bonis, ne forte eleuarentur ad altiorem locum, quia boni audita doctrina bonorum, eleuantur ad
2 altiora merita, & loca, 2 sic eunuchus ille legens Esaiam, venisset quidem ad minorem pœnam inferni. Sed occurrit Philippus, & docens eum compendium ad cælum, eleuauit eum ad felicem locum. Sic etiam Petrus mittebatur ad Cornelium, si Cornelius prius fuisset mortuus, venisset quidem propter fidem ad refrigerium, sed aduenit Petrus, &
3 proiecit eum ad portam vitæ. 3 Similiter etiam Paulus venit ad Dionysium, & duxit eum ad beatam remunerationem. Ergo amici Dei non debent attediari in seruitio Dei, sed laborare, vt homo malus fiet melior, & homo bonus veniat ad perfectiora.
4 4 Nam quicunque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quod Iesus Christus esset vere Dei filius, & faciendo conaretur quantum posset ad aliorum conuersionem, licet nulli, vel pauci conuerterentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes conuerterentur. Sicut per exemplum dico tibi. Si duo mercenarij ex præcepto Domini foderent montem durissimum, & alius inueniret aurum electum,
5 alius vero nihil. 5 Isti propter laborem, & voluntatem digni æquali essent mercede. Sicut Paulus, qui plures conuertit, quam alij Apostoli, qui pauciores conuertebant, omnes tamen vnius erant voluntatis, sed dispensatio diuina occulta est. Propterea non est cessandum, quamuis, vel pauci, vel nulli recipiant verba Dei. Quia sicut spina conseruat rosam, & asinus transfert dominum suum, sic diabolus spina peccati per tribulationes proficit electis, tanquam rosis, ne per præsumptionem cordis dissoluantur inaniter, & quasi asinus perducit eos ad Dei consolationem, & maiorem remunerationem.

NOTAE.

1 var. lect. IN vulgatis vbi legitur, hæc cogitatio multos etiam profectos retrahit a Deo.

M.S. Farnesianus habet, hæc cogitatio multos etiam prouectos retrahit, atque ita esse legendum censeo, aut saltem non profectos, sed perfectos, corrigendum est.

2 Sic Eunuchus ille legens Isaiam venisset quidem ad minorem pœnam inferni, sed occurrit Philippus, & docens eum compendium ad cælum, eleuauit eum ad felicem locum.

Ad horum intelligentiam in memoria renocanda sunt, quæ de Eunucho a Philippo conuerso, Actorum 8. Lucas Euangelista scripsit, vbi inter

cætera

cetera locum illum Isaiæ 53. tamquam ouis ad occisionem ductus est, Eunuchi conuersioni ansam præbuisse legimus; dicitur autem Philippus in præsenti nota, eum docuisse compendium ad cælum, vel quod cuncta, quæ ad Christi natiuitatis, passionis, ac totius vitæ historiam spectabant, veluti in compendio redacta narrauerit, per quæ ipse viam, quæ ducit ad cælum agnouit, vel quod de necessario credendis, quæ ad æternæ gloriæ consequutionem pertinent, eum breuiter instruxerit: quod etiam annotauit D. Augustinus de fide, & operibus cap. 9. vbi hac de re agens, Pari modo, inquit, quod scriptum est Euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in cathechismo dicta esse, quæ ad vitam, moresque pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum, hoc est enim euangelizare Christum, non tantum dicere, quæ sunt credenda de Christo, sed etiam quæ obseruanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi, imo vero cuncta dicere, quæ sunt credenda de Christo.

3 Similiter etiam Paulus venit ad Dionysium, & duxit eum ad beatam remunerationem.

Agitur in præsenti nota de D. Dionysii Areopagitæ conuersione, quo loco quispiam in primis quærere posset, quare hic Paulus ad Dionysium in specie venisse dicitur, cum sicut Actorum 17. legimus Athenas venerit, non ad eum tantummodo, sed ad omnes vniuersaliter conuertendos, & præcipue ad illos conuincendos iudices, quos Areopagitas vocabant, qui ad maiores causas definiendas, funguntur nempe, morum, ac Religionis fuerant asciti: quorum meminit Augustinus lib. 18 de ciuitate, cap. 10. & ibidem etiam plura refert Ludouicus Viues ex Libanio sophista, & Budeo; sed enim arbitror Dionysii hoc loco mentionem fieri, quippe qui inter cæteros illos iudices excellentior, ac eminentior erat; ideo eius quoque peculiariter meminit Lucas Euangelista loc. cit. sicut annotauit Lyranus ad finem capitis ibi, in quibus erat Dionysius Areopagita, dicit autem Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium anno Christi 52. Paulum hoc anno Athenas venisse, & a passione Domini Anno 19. ab eo Dionysium fuisse ad fidem conuersum, qui postmodum sacro suscepto Baptismate, se Apostoli magisterio imbuendum tradidit & ab eo per triennium in fidei Catholicæ mysteriis institutus est, in quibus tantum profecit, vt merito a Damasceno Theologorum omnium Princeps sit appellatus, & ab aliis doctor antiquissimus, & Pater venerabilis, cui plures asseuerarunt, Paulum arcana reuelasse quæ raptus in cælum vidit & audiuit. Dionysii vitam, ac res gestas narrat Suidas, Michael Sisingerus, Metaphrastes, & Surius tom. 5. & multa etiam de eo affert Doctissimus Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 9. Octob.

4 Nam quicunque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium.

Rectius habet Farnesianus codex M.S. sibilandi in aures hominum, est autem sibilare, sibilum edere, & sibilus dicitur, qui ore fit, compressis dentibus, & parum constrictis labiis, quod consueuerunt pastores facere, cum sibilo oues vocare volunt, & hic sumendum esse censeo verbum sibilare, pro prædicare: & ideo hic legimus, si quis conaretur quantum posset ad aliorum conuersionem: sicut enim pastores sibilo suas oues ad ouile reducunt, sic concionatores, & Episcopi, qui pastores sunt debent prædicationis officio, errantes oues ad salutis, ac veritatis viam reuocare.

5 var. lect. *Ad finem præsentis capitis, vbi hactenus impressa exemplaria legunt,* isti propter laborem, & voluntatem, digni æquali essent mercede.

M.S. Farnesianus addit æqualem, & legit, Isti propter laborem æqualem, & voluntatem, æquali essent mercede digni.

QVALITER MODERNIS temporibus hominum malitia præcedit diaboli astutiam. Et qualiter homines nunc promptiores sunt ad peccandum, quam diabolus ad tentandum, de sententia contra tales illata, & qualiter Dei amici in prædicando debent laborare viriliter, & celeriter, & de scientiæ infusione in suos amicos.

CAP. XXII.

1 FILIVS loquitur. 1 Si turbari possem, merito, nunc dicere possem, pœnitet me fecisse hominem. Nam homo modo est, sicut animal, quod sponte currit in retia, quantumcunque enim inclamatur, nihilominus sequitur suæ voluntatis appetitum, Nec iam omnino imputandum est diabolo, quod violenter trahit hominẽ, Immo homo ipse præuenit malitiam eius. Sicut canes venatici, qui primo ducuntur copulis, inde tandem assueti capere, & deuorare animalia, etiam in accelerando ad prædam præueniunt ductorem. Sic iam homo assuetus, & fascinatus in peccato, promptior est ad peccandum, quam diabolus ad tentandum. Nec mirum est, diu enim est, quod Sedes Apostolica caput mundi, placuit Deum sanctitate vitæ, & exemplo suo, sicut primitus faciebat, & ideo reliqua membra facta sunt debilia, & languida. 2 Nec
2 var. lect. consideratur, cur Deus diues, factus est egenus, & pauper, scilicet, vt peritura contemnenda doceret, & cælestia amanda. Sed quod

homo

homo pauper natura, diues factus est falsis
diuitiis, hoc omnes imitari appetunt, pau-
cique inueniuntur alij, qui non imitentur.
3 3 Ideo veniet arator a potentissimo, exacua
tus a sapientissimo, qui non quærit terras,
& pulchritudinem corporum, non veretur
fortitudinem fortium, nec timet minas prin
cipum, sed nec accipit personas hominum,
qui seminabit carnes hominum. & diruet do
mos spirituum, qui corpora tradet vermi-
bus, animasque tradet illis quibus seruie-
runt. Ideo amici mei ad quos te mittam la
borent viriliter, & celeriter, quia non erit i-
stud quod dico in nouissimis diebus, vt dixi
prius, sed in diebus istis. Et multorum iam
4 viuentium etiam hoc videbūt oculi, 4 vt im-
pleatur quod scriptum est. Fiant vxores eo-
rum viduæ, & filij sine patribus, omneque
desiderabile hominum auferetur. Verum-
tamen quicunque ad me cum humilitate ve
niunt, hos ego misericors Deus suscipio.
Qui vero fructum iustitiæ operibus impleue
rint, his ego dabo meipsum, quia iustum est,
vt domus purgetur, in qua rex ingressurus
est, vitrum mundetur, vt clarescat potus,
granum fortiter conteratur, vt ab arista se-
paretur, illudque quod in formello clauditur
vehementer prematur, donec formellæ simi-
litudo obtineatur. Attamen sicut post hye-
mem venit æstas, sic ego post tribulationē
dabo cōsolationem, his scilicet, qui cupiunt
esse paruuli, & qui cælestia præponderant
plus quam terrena. Verumtamen sicut ho-
mo non nascitur, & moritur vno eodemque
tempore, sic omnia temporibus suis nunc
implebuntur. Scito etiam quod cum aliqui-
bus volo facere iuxta prouerbium commu-
ne. Percute eum in collo, & curret, & tribu-
latio accelerare cogit. Cum aliis faciam si-
cut scribitur. Aperi os tuum, & implebo il-
lud. Ad tertios vero dicam consolando, &
inspirando. Venite idiotæ, & simplices, & da
bo vobis os, & sapientiam, quibus linguosi
non poterunt repugnare. Sic feci iam die-
bus istis, impleui simplices sapientia mea,
& resistunt doctis. Euulsi magniloquos, & po
tentes, & subito decesserunt. Nec mirum, præ
cepi enim sapientibus, vt præciderent lin-
guas serpentum sicut audisti, & noluerunt.
Nec mater, quę fuit virgo communitatis
voluit extinguere ora, vt ignem extingue-
ret cupiditatis succensum in cordibus fi-
liorum vt monui: ideo ego tempore felici-
tatis eorum succidi eos, & præcidi linguas
eorum.

NOTAE.

1 SI turbari possem merito nunc dicere possem, pœnitet me fecisse hominem.

In principio præsentis capitis legimus Deum pœnitere non posse, quia turbari minime potest, & tamen Genesis 6. scripsit Moyses pœnituisse Deum, quod fecerit hominem, ad cuius rei intelligentiam scito quod Deus non est sicut cæteri homines, vt proprie eum rei alicuius pœniteat, sed pœnitere dicitur quia ad modum pœnitentis se habet, quatenus illa aliquando destruit, quod fecisse pœnitet: est enim Dei pœnitudo mutandarum rerum immutabilis ratio, vt egregie tradit D. Augustinus lib. 15. de ciuitate cap. 25. Eucherius lib. 1. in Genesim cap. 39. & de spiritualibus formulis cap. 1. & animaduertit Hieronymus ab Oleastro ibidem cap. 6. & colligitur ex gloss. interlin. ibi, & Ruperto in Genesim lib. 4. cap. 14. & Hugone in annotat. in Genesim, qui affirmat Deum pœnitere dum opus mutat, voluntate tamen & dispositione immobili permanente. Scribitur autem hoc loco Deum pœnitere minime posse, quia turbari non potest, cuius rei ratio est, quoniam pœnitudo supponit aliquam animi affectionem, & mutabilitatem, cumq. Deus sit purus actus, & omnino immutabilis, vt Malach. 3. & Iacobi 1. legimus. Inde sequitur eum proprie pœnitere non posse, sed per metaphoram opus eius pœnitentis esse videtur, non tamen pœnitentis affectum habet, qui animi est turbatio, ac mutatio, quod etiam docuit D. Augustinus de essentia diuinitatis, & in psalm.
2 *131. & late Benedictus Pererius in Genesim li. 8. comment. ad ea verba cap. 6. pœnitet me fecisse hominem, vers. 151. Pœnitentia, inquit, dolor, ira, furor, tristitia, & huiusmodi dicuntur de Deo, non secundum proprietatem, sed secundum similitudinem, nec secundum affectum animi, sed secundum effectum operis.*

2 Nec consideratur cur Deus diues, factus est egenus, & pauper.

Sic enim habet Paulus Apostolus 2. Corint. 8. quoniam propter nos egenus factus est, cum diues esset: His autem verbis præsentis notæ conqueritur Christus Dominus, quod homines diuinorum beneficiorum adeo sunt immemores, vt nec considerare velint, quapropter ipse incarnatus sit: hoc enim significant ea verba, Cur Deus diues factus est egenus, cum enim Deus in natura Diuina diues sit bonorum omnium habens plenitudinem infinitam, in tantam pro nobis deuenit paupertatem factus homo vt mirum non sit si de se aliquando dixerit, vulpes foueas habent, filius autem hominis non habet vnde caput reclinet, Lucæ 9. & Matth. 8. & Zach. 9. scribitur, Exulta filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi Iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam: & Hieremias hanc extremam Chri-

sti

sti admirans paupertatem 14. cap. suarum Reuelat. clamans dicebat, quare quasi colonus venturus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.

3 Ideo veniet arator a potentissimo.

Quoniam vt superiori nota admonuimus homines diuina negligunt beneficia, & incarnationis singulare munus paruipendunt, & vestigia Christi imitari non student, prædicit Christus hic B. Brigittæ aratorem à Potentissimo venturum esse, hoc est, à Deo tribulationes plurimas, & sæua flagella esse mittenda, arare namq. Deus dicitur cum castigat, & tribulationem, & incommoda infert, vt ita animas præparet ad suscipiendum semen Dei, sic tradit D. Hieron. super Isa. cap. 28.

4 Vt impleatur, quod scriptum est: fiant vxores eorum viduæ, & filij sine patribus.

Inter cætera, quæ hoc loco flagella malis hominibus se daturum Christus Dominus affirmat, illud potissimum esse legimus hic, quod vxores eorum remansuræ sint absque viris, filij vero sine patribus, iuxta illud Psalm. 108. fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, quod mistice intelligendum esse arbitror: quandoquidem mali non amplius Deum habent Patrem, quia reprobi facti sunt, nec Ecclesiam Matrem, à qua propter eorum scelera eiecti sunt, vnde merito peccatores orphanos vocant Arnobius in Psalm. 93. & Augustinus in Psal. 108. enim dicti ratio esse potest, quia Deum habere Patrem bene, recteque viuendo negligunt: Ecclesiam vero Matrem eius præcepta, legesque frangendo reiiciunt.

VERBA IOANNIS EVANgelistæ ad Virginem gloriosam, de quodam mero, & iniquo hypocrita, & responsio Virginis, qualiter talis sit constitutus, & diaboli illusionibus ad ipsum, & quomodo ex septem signis spiritus bonus cognoscitur, & ex totidem malignus spiritus dignoscitur.

CAP. XXIII.

IOANNES Euangelista dixit matri Dei. Audi tu Virgo, & Mater vnius filij non plurium. Mater vnigeniti filij Dei, plasmatoris, & redemptoris omniū. Audi inquam sicut, & audis quantum iste delusus est à diabolo, quantum laborat, vt obtineat impossibile, quantum informatus est, & quantis rebus a spiritu mendacij, quan-
tum etiam elongat se a Deo in specie ouina, & corde leonino. Ego docui, quod tres sunt, qui testimonium dant in cælo, & in terra, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Isti vero testimonium perhibet spiritus malignus, quod totus factus est simulatorie sanctus, quem Pater non fortificat potentia sua, filius non visitat sapientia sua. Spiritus sanctus non inflammat charitate sua. Nec mirum, aspirat enim ad potentiam contra potentiam Patris, vult esse sapiens contra sapientiam filij, habet inflammationem, sed aliter, quam sicut inflammat Spiritus sanctus. Ideo roga filium tuum, vt aut citius subtrahatur, ne perdantur plures, aut humilietur celerius pro errato. Respondit
1 Mater. 1 Audi tu Virgo, sed tamen virilis
non fœminea persona. Tu es quem Deo
placuit vocare cum læuissima morte de mun
do propinquius mihi. Ego enim quasi ob
dormiui in separatione animæ, & corporis,
& euigilaui in gaudio perpetuo. Nec mirū.
Ego quippe præ cæteris amarius in morte
filij mei dolui, & ideo placuit Deo me de
mundo cum morte læuissima separare. Tu
vero inter Apostolos vicinius mihi appro-
pinquasti, maioraque signa dilectionis ex-
pertus es præ alijs, & amarior tibi passio
filij mei facta est, quam præ cæteris clarius
2 aspexisti, 2 & quia præ cæteris fratribus
var. tuis longius vixisti, quasi in ipsorum om-
lect. nium martyr fuisti. *Ideo* placuit Deo vo-
care te de mundo morte læuissima post me,
quia Virgo virgini fuit commendata. Ideo
fiet, quod petisti, & non prolongabitur.
Attamen fili mi ostendere volo, quomodo
iste, de quo loquimur est constitutus. Ipse
quippe est quasi seruus monetarij, id est,
diaboli, qui conflat, & percutit monetam
suam, idest seruientem sibi suggestionibus,
& tentationibus suis, donec perficiat eum
ad velle suum. Cumque voluntatem homi-
nis corruperit, & ad delectationes carnis, &
amorem mundi inclinauerit, mox quasi for
mam, & superscriptionem ei imprimit, quia
tunc ex signis exterioribus satis apparet,
quem diligit toto corde. Quando vero ho- 2
mo opere explet affectum mentis suæ, & plus
1 implicare se vult mundo, quam status suus
requirit, pluraque facturus, & vellet si posset,
tunc perfecta moneta diaboli comproba-
tur. Veruntamen quod alia est moneta
Dei, & alia moneta diaboli. Moneta Dei
est aurea, idest fulgens, ductilis, & pretiosa.
Sic omnis anima quæ habet impressionem
Dei, est fulgens diuina charitate, ductilis
patientia, pretiosa boni operis continua-
tione. Ergo anima bona conflatur virtu
te Dei, & probatur multis tentationibus,
per quas anima considerans originē, & de-

fectuositates suas, Deiq. circa se pietatem, & patienciam, tanto fit preciosior Deo, quãto humilior, & patientior, & sui sollicitior inuenitur. Moneta vero diaboli est cuprea & plumbea. Cuprea, quia habet similitudinem auri, habet duritiam, habet flexibilitatem, sed non sicut aurum. Sic anima iniusti, videtur quippe esse iustus, omnes dijudicat, omnibus sua præfert. Inflexibilis est ad opera humilitatis, mollis in suis operibus, difficilis ad reuocandum a suis conceptibus, mirabilis mundo, contemptibilis Deo. Est quoque moneta diaboli plumbea, quia deformis quia mollis, & flexibilis, quia ponderosa. Sic anima iniusti deformis est in voluptuosis affectionibus, onerosa in cupiditate mundi, flexibilis quasi arundo ad quæcunque diabolus inspirat menti, immo quandoq. facilior ad faciendum, quam diabolus ad tentandum. Sic etiam iste seruus monetarij est dispositus, qui attediatus stare in obseruantijs regularibus, sicut vouerat, cogitauit vias, quibus hominibus placeret per simulatam sanctitatem ad latius nutriendam carnem suam. Et mox diabolus immisit menti suę quædam mendacia nocturnalia, quibus delusus credebat impossibilia, quæ non euenient, sed vita eius abbreuiabitur, & honorem, quem cupit non consequetur. Veruntamen vbicunque aliqua noua moneta inuenitur, mittenda est ad aliquem sapientem, quæ ponderis, & formę scientiam habeat sufficienter. Sed vbi inueniemus illum? Qui si inuentus fuerit modicum curat, immo nihil vtrum moneta falsa sit aut vera. Ideo in talibus vnicum est consilium sicut per exemplum dico. Si vnus si corrigeretur: vnus florenus non attenderet ad recipiendum eum; si vero perunctus esset aliqua magna pinguedine, non dubium quin tunc ab eo reciperetur. Sic est etiam nunc, si acceditur ad aliquem sapientem dicendo sic. Ille talis hæreticus est, tunc non attenditur, quia charitas Dei refriguit tota. Si vero diceretur florenos habet multos, tunc omnes simul festinarent. Propterea erit cito, quod dicit Paulus, adnihilabo sapientiam sapientũ, & homiliabo, & humiles exaltabo.
3 tû, & homiliabo, & humiles exaltabo. 3 Attamen filia ex vii. poteris cognoscere Spiritum sanctum, & spiritum immundum. Primo enim spiritus Dei facit vilescere hominem mundum, cuius honor reputatur in corde quasi aer. Secundo facit Deum charum animæ, & omnis delectatio carnis refrigescit. Tertio inspirat patientiam, & in Deo solã gloriationem. Quarto incitat mentem ad proximi dilectionem, & compassionem immo etiam inimicorum. Quinto inspirat ad castitatem omnimodã, immo etiam rerum licitarum. Sexto facit confidere in Deo in omnibus tribulationibus, & in eis gloriari. Septimo donat desiderium velle dissolui, & esse cum Christo magis, quam in mundo prosperari, & inquinari. Ita e contra spiritus malus facit alia septem. Primo facit mundũ esse suauem, & cælestia fastidire. Secundo facit appetere honores, & sibi ipsius obliuisci. Tertio excitat in corde odium, & impatientiam. Quarto facit contra Deum audacem, & in conceptibus animi sui pertinacem. Quinto facit leuigare peccata sua, & ea excusare. Sexto inspirat leuitatem animi, omnemque carnis impuritatem. Septimo inspirat spem diu viuendi, verecundiamque confitendi. Ideo sollicita esto circa cogitationes tuas ne a spiritu isto decipiaris.

Declaratio.

Hic fuit sacerdos ordinis Cistercien. qui post 18. annos apostasię cõpunctus reuersus est ad monasterium, qui dixit impossibile esse aliquem damnari, nec Deum loqui cum aliqua persona in hoc mundo, nec aliquem posse videre faciem Dei ante iudicium Dei. Quod cum audiuisset domina Brigitta, dixit ei Spiritus sanctus. Vade inquit ad fratrem illum, & dic ei. O frater non vides sicut ego video, quomodo diabolus adhuc in senectute tua tenet mentem, & linguam tuam ligatam. Deus eternus est, æterna est retributio eius. Ideo reuertere celeriter perfecto corde ad Deum, & fidem veram, quia sine dubio non ascendes de lecto isto, sed vtique morieris. Et si crediderris eris vas Dei in honore. Qui resolutus in lacrymas, & dominę Brigittæ regratians sic perfecte correxit vitam suam quod conuocatis fratribus suis in hora resolutionis dixit, O fratres mei certificatus sum qoud Deus misericors recepit contritionem meam daturus veniam. Orate pro me, quia credo omnia, quæ sancta credit Ecclesia, & sic sumptis sacramentis Dei obdormiuit

NOTAE.

1 AVdi tu virgo, sed tamen virilis non fęminea persona, tu es quem Deo placuit vocare, cum leuissima morte de mundo propinquius mihi.

Duo hoc loco de D. Ioanne Euangelista scripta sunt: primo, quod virgo fuerit: secundo, quod leuissima morte obierit, & quidem quantum spectat ad secundum lauissime prouauimus supra hoc eodem libro, capite primo, nota sexta Ioannem vere obiisse, quod autem legimus hic leuissima morte eum fuisse vita functum, ideo est quod non martyrio, sed propria morte vitã finiuit, postremo, quod virgo fuerit ex verbis

ex verbis præsentis notæ aperte colligitur cum illum Beatissima Virgo Virginem appellat, vt verissimum sit, quod dicit Ecclesia a Christo Virginem Virgini fuisse comendatam, idem habetur lib. 6. Reuelat. cap. 119. & tradunt Hieron. contra Iouinianum. lib. 1. Ignatius Martyr in Epistola ad Philadelphios, Epiphanius hæresi 58. Augustinus de bono coniugali. cap. 21. & in Ioannem tractatu vltimo circa finem, qui affirmat Ioannem a Christo plus cæteris fuisse amatum, quod neque vxorem duxerit, & ab ineunte ætate castissimus vixerit.

2 Et quia præ cæteris fratribus tuis lõgius
var. vixisti, & quasi in ipsorum omnium Martyr
lect. fuisti.

M. S. Farnesianus rectius habet, & inter eos quasi martyr fuisti, ex his autem verbis colligendum est nobis D. Ioannem, & si pro Christo sanguinem minime fuderit, martyrij tamen fuisse meritum assequutum, nam martyrium voluntati defuit potius, quam voluntas martyrio: dicitur autem quasi martyr, quia ad veram martyrij rationem pertinet, vt probat D. Thom. 22. q. 123. art. 4. quod aliquis pro Christo mortem sustineat, quam ipse Ioannes nõ pertulit, illud vero, quod Matt. 20. de illo legimus dominum dixisse calicem quidem meum bibetis, obseruauit Hiero. fuisse impletum, quando Ioannes in feruentis olei dolium missus est, tunc enim licet mortuus nõ fuerit, tamen quia se sponte in testimonium fidei morti obtulit, eaque causa erat sufficientissima ad mortem inferendam, nisi miraculose, tunc Ioannes fuisset præseruatus. Ideo quasi martyr hoc loco appellatur quamquam D. Chris. Hom. 66. in Matt. & hom. 27. in Epistola ad Hebræos, & Theophylactus in ea verba Matth. cap. 20. calicem quidem meum bibetis, affirment Ioannem violenta morte obijsse, quod tamen est contra omnium sententiam, nam quidam sunt, qui eum adhuc viuere in Paradiso terrestri arbitrãtur cum Enoch, & Elia; alij vero propria morte vitam finiuisse, vt nos late probauimus ex patribus supra hoc eodem lib. cap. 1. nota 6. merito ergo D. Augustinus in Ioannem tractat. 124. de eo verba faciens, restat inquit, vt si viuere ibi sit, quod sparsit fama de terra, quod subinde ablata surrescit, aut ideo fiat vt eo modo commendetur pretiosa mors eius, quam nequaquam martyrium commendat, non enim eum pro fide persequutor occidit, & clarius in sermo. de tempore 149. Ioannes inquit obdormiuit sine vulnere, sine cruciatu, qua autem ætate mortuus fuerit in præsenti capite non traditur, tantummodo illum præ fratribus longius vixisse legimus, recitat tamen Cedrenus in Nerua opinionem Hippolyti Martyris, qui opinatus est Ioannem vita excessisse annos natum centesimum sextum, & D. Hieronymus in coment. in Matth. cap. 20. & de scriptoribus Ecclesiasticis asserit Ioannem senio confectum obijsse anno post passionem Domini sexagesimo octauo.

3 Attamen filia ex septem poteris cognoscere Spiritum sanctum, & spiritum immundum.

Circa finem præsentis capitis septem traduntur signa, quibus deprehendere facile possumus discrimen inter spiritum bonum, & spiritum malum, quæ sane notatu dignissima sunt, qua de re nos etiam supra egimus. lib. 1. Reuelat. ca. 4. nota 2. & li. 4. cap. 4. nota prima, & cap. 78. nota 2. & latius in præludijs ad Reuelat. cap. 10. vide etiam. lib. 3. cap. 12. & cap. 20. nota 3.

VERBA VIRGINIS AD FILIAM qui modus tenendus sit inter seruos Dei contra impatientes, & qualiter superbia per dolium vini designantur.

CAP. XXIV.

MATER loquitur. Vbi
dolium vini incale-
scit, & intumescendo
excrescit, ascendunt
quædam exalationes
& spumæ, quandoque
maiores, quandoque
minores, & subito ite 1
rum decrescunt. Omnes autem circumstantes dolium considerant tales exalationes cito detumescere, & quod tales eleuationes proueniunt ex fortitudine vini ad innuendũ calorem eius. Ideo patienter expectant finem, & vini, seu ceruisię perfectionem. Omnes autem circumstantes dolium, qui nimis applicant nares in feruorem dolii contingent eis duo, aut nimia externutatio, vel cõmotio, aut cerebrum grauius patietur. Sic est etiam spiritualiter. Nam contingit aliquando, quod quorundã corda intumescunt & ascendunt ex superbia mentis suæ, & impatientiæ, quem ascensum viri virtutum attendẽtes, considerant, aut ex instabilitate animi, aut motu carnalitatis procedere. Ideo patienter verba sustinent, & attendunt finem, scientes, quod post tempestatem fiet tranquillitas. Et quia patientia maior est expugnatore vrbium, quia vincit hominem in seipso, quod difficillimum est. Illi uero, qui nimis impatientes sunt, verbaque reddunt equipollentia non attendentes retributionem gloriosam patientiæ, nec quam contemptibilis est fauor mundanus. Isti incurrunt in infirmitatem mentis, suis tentationibus propter impatientiam, quia nimis appropinquant nares ad commotionem dolii, idest verba, quæ non sunt nisi aer, nimis apponunt cordi suo. Ideo, quando videritis aliquos esse impa-

tientes, ponite adiutorio Dei custodiam ori vestro, nec dimittatis bona incepta vestra propter verba impatientiæ, sed dissimulate in quantum iustum est audita tanquam non audita, donec illi, qui inuenire volunt occasionem exprimunt verbo quicquid notant corde.

VERBA MONITIONIS

Matris ad filiam, quod homo non debet curam facere in desideriis carnis, sed bene refouere corpus in moderatis necessariis, & qualiter homo stet iuxta corpus suum, & non in corpore.

CAP. XXV.

MATER loquitur. Tu debes esse sicut sponsa, quæ stat ante antipendium, quæ mox, vt vocauerit sponsus, parata est ad voluntatem sponsi. Ergo antipendium istud, corpus est velans animam, quod continue abluendum

1 est, probandum, & tentandum, 1 corpus quippe est quasi asinus indigens cibo moderato, ne luxuriet, labore discreto, ne superbiat, flagello continuo, ne lacescat. Itaque sta iuxta antipendium, idest, iuxta corpus non in corpore, faciendo curam carnis in desiderijs, sed corpus moderatis necessarijs refouendo, quia ille stat iuxta corpus, non in corpore, qui corpus suum refrænat à voluptate ciborum non a necessitate. Sta quoque post antipendium contemnendo voluptatē carnis, faciendo honorem Dei, & te totam pro Deo impendendo. Sic steterunt illi, qui corpora sua quasi vestimenta strauerunt pro Deo, qui omni hora parati erant ad voluntatem Dei, quando Deo placuit vocare eos, quia non erat eis longum iter ad eum quem semper habuerunt præsentem, nec grauia onera deprimebant colla eorum, quia omnia contemnentes solo corpore erant in mundo. Ideo libere euolauerunt sine impedimento in cælum, quia nihil impediebat eos nisi quoddam aridum indumentum disciplinatum optime, quo exuto obtinuerunt, quod desiderabant. Sic iste cecidit periculosæ, surrexit sapienter, defendit se viriliter pugnauit constanter, perstitit perseueranter. Ideo iam coronabitur æternaliter, & est in conspectu Dei.

NOTAE.

1 CORpus quippe est quasi asinus indigens cibo moderato, ne luxuriet.

Beatissima Virgo in præsenti capite corpus hominis asino comparat: quippe qui sicut cibo indiget vt onera portet, sic corpus nostrum debitum exigit alimentum, vt necessarias functiones peragat. hac eadem similitudine vtuntur Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5. Origen. hom. 6. in libros iudicū D. August. in psal. 31. & 33. Ad ea verba in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur, Beda super Genes. 22. Philo de sacrificio Abel, & Cain. optime autem docet cibum moderatum esse debere, nam quemadmodum nimio repletū cibo corpus mentem languidam, ac segnem reddit, ita quoque nimia victus continentia debilitatem corpori infert, vt anima; quæ in contemplatione morari debet, frequenter in mæstitia sit, neque enim inquit Diadochus de perfectione spirituali cap. 45. infirmo corpore esse debet, qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo certamini par esse possit, idem tradit D. Basilius lib. de Virginitate, & colligitur ex Paulo Rom. 12. qui obsequia nostra rationabilia esse debere præcipit corpore, namque veluti instrumento vtitur anima, & ideo secundum vtilitatem, & exigentiam animæ gubernandum est, sicq. affligendum in potus, cibiq. parsimonia quantum ipsa ferre potest, propterea discretione opus est, hinc fit, quod Leu. 2. scribitur, in omni oblatione offerendum esse sal, & Hieremias cap. 48. tradit, quia plus fecit, quam potuit, idcirco periit, hoc quoque exemplo pluuiæ probari potest, quæ tunc optima censenda est, quæ sensim descendit in terram subtus, nimius enim imber in preceps arua subuertit.

VERBA ADMONITIONIS

Virginis ad filiam, scilicet quæ opera virtuosa merentur vitam æternam, & quæ non, & de maximo obedientię merito.

CAP. XXVI.

MVLTI sunt flores arboris non tamen omnes veniunt ad effectum. Sic multa sunt virtuosa opera, non tamen omnia merentur mercedem cælestem, nisi discrete fiant. Nam ieiunare, orare, visitare loca Sanctorum, virtuosa opera sunt, sed nisi eo animo fiant, vt credat se homo humilitate penetrare cælos, seruumque inutilem ad omnia, & discretionem habeat

Digitized by

habeat in omnibus, modicum valent ad æterna. 1 Ecce si videris duos homines alius est sub obedientia, alius in libera potestate. Si ille qui liber est ieiunat, simplicem habebit mercedem. Si autem ille, qui sub obedientia comedit illo die ieiunij carnes secundum institutionem regulæ, & propter obedientiam, attamen libentius ieiunaret, si non obsisteret obedientia. Ipse habebit mercedẽ duplicem, vnam propter obedientiam, aliam propter dilationem desiderij sui, & non impletionem voluntatis suæ. Propterea esto sicut sponsa, quæ prius præparat thalamum, quam veniat sponsus. Secundo sicut Mater, quæ præparat vestes antequam nascatur puer. Tertio sicut arbor, quæ prius portat flores, quam veniant fructus. Quarto esto sicut vas mundum ad recipiendum potum apcum prius, quam infundatur.

NOTAE.

1 Ecce si videris duos homines, alius est sub obedientia, alius in libera potestate, si ille, qui liber est ieiunat simplicem habebit mercedem, si autem ille, qui sub obedientia comedit illo die ieiunij carnes secundum institutionem regulæ, & propter obedientiam, attamen libentius ieiunaret, si non obsisteret obedientia, ipse habebit mercedem duplicem.

Ex his verbis aperte colligere possumus magis esse laudabile, ac meritorium aliquid facere ex voto, quam absque illo, quod adeo manifestum esse censeo, vt nulla indigeat probatione, sicut enim quis plus alicui donaret, qui largiretur, cum fructibus arborem, quam qui tantummodo fructus, vt testis est D. Anselmus lib. 1. de similitudinibus cap. 84. sic quoque qui voto astrictus Deo aliquid impendit, non suæ voluntatis actum solum ei confert, sed & potestatem adiungit, suamque libertatem, ac voluntatem emancipatam Deo tradit, vt nequeat de incepsiture secus facere, idem probat D. Tho. tribus argumentis 2. 2. q. 88. art. 6. & Sotus de iustitia, & iure lib. 7. q. 2. art. 4. & ideo scribitur hic, quod ille, qui est sub obedientia habebit duplicem mercedem.

VERBA QVAERIMONIAE Virginis ad filiam, de quodam suo ficto deuoto, comparando ipsum ad armigerum in bello corporali male armatum.

CAP. XXVII.

MATER loquitur. Ille est, qui dicit, se me diligere, sed vertit ad me posteriora, quando seruit mihi. Cum vero loquor ei dicit, quid dicis tu. Auertit que oculos a me, & respicit ea, quæ eum plus delectant. Iste mirabiliter est armatus, sicut ille, qui esset positus in corporali bello, cuius galeæ foramina essent in occipite. Cuius clypeus ponendus in brachio penderet in humeris. Cuius gladio abiecto, vaginæ remanerent vacuæ. Cuius diplois, quæ corpus & pectus defendere deberet, iaceret subtus eum in sella. Cuius sellę ligaturæ in equo solutę essent. Sic iste armatus est spiritualiter coram Deo. Et ideo discernere nescit inter amicum, & inimicum, nec scit damnum facere hosti. Spiritus vero, qui pugnat cum eo est sicut ille, qui rationabiliter cogitat. Ego volo esse cũ vltimis in pugna, quod possim videre rubeta, si primi perdiderint bellum, si vero vicerint veniam ita velociter, quod computabor cum primis. Ideo qui emisit bellum fecit secundum sapientiam carnalem, & non ex charitate Dei.

VERBA VIRGINIS AD FILIAM de tribus modis tribulationum, qui per tres modos panum designantur.

CAP. XXVIII.

MATER loquitur. Vbicunque conspersio panum est, debet fortiter cogitari, & laborari. Sed Dominis apponitur panis triticeus, communitati vero ponitur panis deterior, tertius vero panis adhuc peior datur canibus. Per cogitationem ergo intelligitur tribulatio, quia spiritualis homo ex eo maxime tribulatur, quod Deus non habet honorem a creatura sua, & quod modica charitas est in ea. Omnes ergo quicunque isto modo tribulantur ipsi sunt triticum illud, de quo Deus, & omnis exercitus cæli gaudet.

Omnes vero qui turbantur de aduersitate mundi, hi sunt quasi panis deterior, attamen valet multis ad obtinendum cælum. Qui vero tribulantur ex eo quod non valent omnino mala facere quæ vellent, isti sunt panes canum illorum, qui sunt in inferno.

VERBA MATRIS MARIAE ad filiam, qualiter sunt quidam dæmones ad homines præcipitandum, quidam ad retardandum, quidam in abstinentijs ad tentandum, & de modo tenendo contra istos dęmones.

CAP. XXIX.

MATER loquitur, omnes istos, quos vides circumstare vos, hi sunt spirituales hostes vestri, scilicet spiritus diaboli. Nam qui habent perticas, in quibus cernuntur laquei, hi sunt qui vos præcipitare volunt in peccata mortalia. Quos vero vides habere vncinos in manibus, hi sunt qui vos cupiunt retardare a seruitio Dei, vt sitis ad bona accidiosi. Qui vero habent instrumenta dentata sicut furcas, quibus attrahitur, & promouetur, quod homo desiderat, hi sunt qui tentant vos, vt assumeretis aliqua bona supra vires vestras, scilicet in vigilijs, ieiunijs, orationibus, & laboribus, aut in irrationabili expensione pecuniæ vestræ, quia ergo isti spiritus sic sunt cupidi ad nocendum vobis, vos tenete voluntatem istam, scilicet nolle offendere Deum, & petite auxilium Dei contra crudelitatem eorum, & tunc non nocebunt vobis eorum minę.

VERBA VIRGINIS AD filiam, quod pretiosiora, & pulchriora mundi seruis Dei non nocent, quãuis talibus vtantur, dumtaxat quod ad honorem Dei vtantur, & hoc per exemplum Pauli.

CAP. XXX.

SCRIBITVR, quod Paulus ille bonus Apostolus dixit se esse sapientem quodam coram principe illo, qui Petrũ captiuauerat, & Petrum vocauit verum pauperẽ. Et non peccauit Paulus in hoc, quia verba sua erant ad honorem Dei. Sic est etiam cum illis, qui verba Dei volunt, & desiderãt loqui, quia si non possunt intrare ad dominos, nisi haberent indutas competentes vestes, non peccant induendo eas, dummodo aurum, & vestes, & lapides pretiosos non reputarent pretiosiores in voluntate, & corde, quam assueta vestimenta antiqua, quia omnia quęcunque apparent pretiosa, sunt terra.

VERBA MATRIS AD FILIAM per exemplum probantis, quod prędicatores, & amici Dei non minus coronantur in conspectu Dei, si gentes non conuertantur ad eorum prędicationem, recta intentione facta, quam si conuertantur.

CAP. XXXI.

MATER Dei loquitur. Qui conducit operarium ad laborandum, dicendo ei, porta arenam de litore, & inquire in quolibet onere, si forte ibi inuenire potueris granum auri, non minor erit merces eius si nihil inueniret, quam si reperiret multum. Sic est etiam cum illo, qui verbo, & opere ex diuina charitate laborat ad profectum animarum, non enim erit minor merces illi, si nullos conuerterit, quam si multos. Sicut magister dixit exemplum, Ille inquit bellator, qui ad preceptum domini sui egrediens ad bellum, & habens velle fortiter dimicandi rediret sauciatus, nullum habens captiuum, non minorem mercedem obtineret amisso bello propter voluntatem bonam, quam si victoriam fuisset consequutus. Sic est etiam cum amicis Dei. Nam pro quolibet verbo, & opere, quod faciunt propter Deum, & vt animæ emendentur, necnon & pro qualibet hora tribulationis, quam patiuntur propter Deum, coronabuntur, siue multi conuertantur, siue nullus.

VERBA

VERBA MATRIS AD FILIAM de infinita sui misericordia circa peccatores, & etiam circa ipsam laudantes, & honorantes.

CAP. XXXII.

MATER loquitur. Prouerbium est vobiscũ. Cũ tali inquit potest me educere de patria. Sic nunc dico ego. Nullus est talis, ac tantus peccator in mundo, qui dicit corde, quod filius meus Creator, & redemptor omnium, est sibi amicissimus in corde, & intimus, quin non statim parata sum venire ad eum, sicut Mater charitatis ad filium amplectendo eum, & dicendo. Quid inquit fili placet tibi, qui & si promeruisset profundissimam inferni pœnam, haberet tamen voluntatem nihil curare de honoribus mundi, nec de cupiditate, & voluptate carnis, quam detestatur Ecclesia, nihilque desideraret nisi solam sustentationem suam, tunc ipse & ego statim essemus bene concordes. Dic ergo illi qui scribit cantum, & laudem meam non propter laudem suam, vel mercedem suam, sed propter laudem illius, qui propter omnia opera sua omni laude est dignus. Quia sicut Principes mundi tribuunt laudatoribus suis mercedem mundi, sic spiritualiter ego remunerabo eum. Quia sicut vna sillaba habet super se multas notas, ita nec placet coronas in cælo dare ei pro qualibet sillaba, quæ est in cantu, & dicetur de eo. Ecce venit laudator, qui pro nullo temporali bono dictauit cantum, nisi solum propter Deum.

Declaratio.

Hic tentatus de sancta Trinitate factus in extasi vidit quasi tres facies mulierum. Prima dixit. Multis coniugijs interfueram nunquam vidi trinum, & vnum. Respondit secunda. Si tres & vnus necesse est, quod vnus sit anterior. Alius posterior, aut duo in vno. Et subiunxit tertia. Non poterunt seipsos facere quis ergo fecit eos. Tunc aperte dixit Spiritus sanctus. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et euigilans liberatus est a tentatione. Post hæc dixit Christus Domine Brigittæ. Ego sum trinus & vnus. Ego volo tibi ostendere quid sit potentia Patris, quid sapientia Filij, quid virtus Spiritus sancti. Et ista reuelatio completa est, vbi loquitur de pulpito. Item dixit Christus. Dic isti quod plus merebitur apud me de infirmitate, quam de sanitate. Nam Lazarus clarior factus est ex dolore. Et Iob dilectior ex patientia. Nec tamen electi mei displicent mihi, qui sanitatem habent, quia cor eorum est semper mecum. Et corpus eorum est semper in discreta abstinentia, & pio labore.

vid pra fa. n.

VERBA SPONSAE NOTANda de vrbe Romana sub forma quæstionis proponentia consolationem, & deuotionem, & ordinationem antiquitus omnium Romanorum, tam clericorum, quam laicorum, &c. Quare nunc, proh dolor, omnia ista conuersa sunt in desolationem, & in inordinationem, & abominationem, sicut patet in omnibus supradictis, quam infelix sit corporaliter, & spiritualiter.

CAP. XXXIII.

DOMINE Reuerende. Inter alias collationes intimetur domino Papæ, quàm flebilis est status vrbis, quæ quondam felix extitit, & corporaliter, & spiritualiter. Sed nunc infelix est, & corporaliter, & spiritualiter. Corporaliter quidem, quia eius seculares Principes, qui eius defensores esse deberent, facti sunt ei seuissimi raptores. Et ideo domus eius destructæ sunt, & multæ Ecclesiæ penitus desolatæ. In quibus ossa benedicta sanctorum continentur, quæ gloriosis miraculis coruscant, quorum animæ in Regno Dei subliminter coronantur. Templa etiam ipsorum tectis destructis, & clausuris ablatis, in latrinas mutata sunt hominis, canum, & bestiarum. Spiritualiter vero infelix est vrbs ista, quia multæ constitutiones, quas sancti Papæ ex infusione Spiritus sancti ad Dei laudem, & animarum salutem in Ecclesia statuerunt, iam deletæ sunt. Pro quibus proh dolor, multæ nouæ abusiones, ex maligni spiritus infusione, ad Dei irreuerentiam & animarum perditionem sunt assumptæ. Cõstitutio quippe sanctæ Ecclesiæ fuit, quod clerici ad sacros ordines procederent, beatã vitam habendo, Deo iugiter, & deuote seruiendo, alijsque viam cælestis patriæ bonis operibus ostendendo, & talibus dabantur Ecclesiæ redditus. Sed contra hanc Ecclesiæ

cleſiæ conſuetudinem orta eſt abuſio grauis, in hoc,quod laicis bona Eccleſiæ donantur, qui vxores non ducunt propter nomen canonicale, ſed impudenter habent concubinas in domibus ſuis per dies,& in lectis per noctes,dicentes audacter. Nos non licet eſſe in coniugio,quia canonici ſumus. Presbyteri etiam diaconi,& ſubdiaconi, olim infamiam immundæ vitæ maxime abhorrebant. Nunc autem quidam illorum maniſeſte lætantur ex eo, quod meretrices eorum, intumeſcente ventre cernunt inter alias ambulare. Nec etiam pudet eos ſi ab amicis eorum dicitur eis: Ecce domine [illegible] erit vobis filius, vel filia. Ideo tales iuſtius vocandi ſunt lenones diaboli,quam ordinati clerici ſummi Dei. Sancti etiam patres Benedictus,& alij, ordinauerunt regulas ex licentia ſummorum Pontificũ, conſtruentes monaſteria,in quibus Abbates cũ fratribus reſidere ſolebãt,horas nocturnas,& diurnas deuote celebrando, & monachos ad bene viuendum ſollicite informando. Tunc certe iucundum fuit monaſteria viſitare, quando die,noctuque agebatur honor, & gloria Deo in monachorum cantu. Criminoſique homines corrigebantur ex ipſorum pulcherrima vita. Et boni confortabantur ex diuina informatione prælatorum. Necnon & animæ in purgatorio exiſtentes, propter eorum deuotas orationes beatam requiem obtinebant. Tunc etiam ille monachus in maximo habebatur honore, qui regulam ſuam optime ſeruabat, & venerabatur à Deo, & hominibus. Qui vero regulam tenere non curabat, ſciebat indubitanter ſe damnum, & ſcandalum incurſurum. Tunc etiam omnis homo diſcernere, & agnoſcere poterat ex habitu, quem monachum eſſe. Sed contra iſtam honeſtiſſimam conſtitutionem, orta eſt deteſtabilis abuſio in pleriſque. Abbates namque frequentius in caſtellis ſuis, & vbicunque eis placet intra vrbem,& extra commorantur. Ideo doloroſum eſt nunc viſitare monaſteria. Pauciſſimi etenim monachi nunc in choro eſſe videntur horarum tempore, & aliquoties nulli. Vbi etiam parum legitur, & quandoque nihil cantatur, & adhuc multis diebus *Miſſæ* non dicuntur. De quorum mala fama boni moleſtantur, & mali de eorum mala conuerſatione grauiter peiorantur. Timendum quoque eſt, quod paucæ animæ ex talium orationibus in pœnis ſuis, aliquid conſolationis obtineant. *Multa* etiam habitacula monachorum ſunt in vrbe,& quilibet habet domum per ſe, quorum aliqua amicis aduenientibus, proprios filios amplexantur cum gaudio dicentes: Ecce filius meus, vix etiam agnoſci poteſt monachus nunc in habitu. Nam tunica, quæ olim pedes ſolebat attingere, vix nunc operire genua poteſt. Manicæ vero ipſorum nunc ſunt arctæ & tolatæ, quæ olim honeſtę eſſe ſolebant, & latę, gladius quoque appendet lateri pro ſtylo, & tabulis. Et vix reperitur in eo vnicum veſtimentum,in quo monachus intelligi poſſit,præter vnum ſcapulare, quod multoties occultatur, vt à nemine videatur,tanquam ſcandalum ſit aliquod portare monachale veſtimentum. Aliquos etiam non pudet loricam,& alia arma habere ſubtunicis, ad hoc, vt poſt crepuſculum facere valeant, quod eos delectat. Fuerunt etiam Sancti, qui magnas reliquerunt diuitias, inchoantes regulas cum paupertate,qui omnem cupiditatem contempſerunt, & ideo aliquid proprium habere noluerunt. Abhorrebant omnem ſuperbiam, & mundi pompam,operientes ſe pauperrimis veſtibus,carnis concupiſcentiam ſumme deteſtantes, & ideo puram vitam tenuerunt. Iſti itaque eorumque fratres dicuntur mendicantes, quorum regulas ſummi Pontifices confirmauerunt, gaudentes, quod aliqui ad honorem Dei, & animarum commodum, talem vitam aſſumere voluerunt. Sed iam triſtitia eſt, corũ etiam regulas cernere mutatas in deteſtabiles abuſiones, & minime teneri, ſicut Auguſtinus, Dominicus, & Franciſcus, ex inſpiratione Spiritus ſancti dictauerunt, quas multi diuites,& nobiles longo tempore optime tenuerunt. Multi quippe iam inueniuntur homines, qui diuites vocantur, qui tantum in clenodijs, & pecunijs pauperiores ſunt illis, qui paupertatem profeſſi ſunt, ſicut vtique volat de eis fama. Et ideo plerique eorum habent proprium,quod eorum regulæ vetuerunt, plus gaudentes de proprio execrabili, quam de paupertate ſanctiſſima,ac glorioſa. Gloriantur quoque,quia in habitu ſuo habent pannum ęque charum, & pretioſum ſicut diuites Epiſcopi in ſuis veſtibus. Item quædam monaſteria, per beatum Gregorium, & per alios ſanctos ad hoc ſunt conſtructa, vt ſic in eis mulieres recluderentur, quatenus vix in diebus videri poſſent. Nunc autem abuſionem in ſe continent nimis grauem. In eo quod portę indifferenter clericis, & laicis, quibus placet ſororibus introitum dare, etiam in ipſis noctibus ſunt apertę. Et ideo talia loca ſimiliora ſunt lupanaribus, quam ſanctis clauſtris. Conſtitutio etiam erat Eccleſiæ,quod nullus pro audientia confeſſionum pecuniã reciperet,ſed pro litteris,ſicut eſſet iuſtum, de perſonis,litterarum teſtimonijs vere indigentibus, bene licuit pœnitentiarijs pecuniam acceptare. Sed contra iſta incepta eſt abuſio per hunc modum, quod diuites

perſo-

personæ quantum eis placet facta confessione offerunt. Sed pauperes antequam audiantur, cum pœnitentiario pactum facere compelluntur. Et certe dum pœnitentiarij oretenus absoluunt, non verecundantur manibus suis sibi pecuniam imbursare. Item in Ecclesia statutum fuit, vt qualibet persona peccata sua côfiteretur, & ad minus semel in anno acciperet corpus Christi, & hoc quoad populum laicalem. Nam clerici, & claustrales hoc sæpius faciunt in anno. Secundum fuit statutum, quod qui non possunt esse continentes, viuerent in coniugio. Tertium fuit, quod omnes Christiani ieiunarêt in quadragesima, & in quatuor temporibus, & aliarum festiuitatum vigilijs, quæ pene omnibus permanent satis notæ. Nisi illi, qui graui infirmitate, aut in magna angustia essent constituti. Quartum fuit constitutum, quod in diebus festis, ab omni mundialium labore unusquisque abstineret. Quintum fuit statutum, quod nullus Christianus pecuniam, siue aliquid aliud tale, lucrari deberet per vsuram. Sed contra hęc quinque statuta optima supradicta, ortę sunt quinque abusiones inhonestæ, & grauiter nociuę. Prima est, quod centum personę, quæ ad annos discretionis venerunt in Roma simoriuntur, quod nunquam fecerunt confessionem, nec corpus Christi acceperunt magis, quam veri idolatræ, pro qualibet persona, quæ confessionem facit, & corpus Christi recipit, exceptis sacerdotibus, & religiosis, & fęminis aliquibus. Secunda abusio est, quod multi legitimas vxores accipiunt, qui si cum vxoribus habent discordiam, deserunt eas quandiu placet auctoritate Ecclesiastica minime requisita, sumentes adulteras pro vxoribus, easque in honore habentes, & diligentes. Alij qui etiam adulteram cum vxore in eadem domo habere non abhorrent, gaudentes, quod eas in eadem domo audiunt simul parturire. Tertia abusio est, quod multæ personæ sanæ in ipsa quadragesima vescuntur carnibus, & de multitudine pauci sunt, qui vna commestione in die contentantur. Etiam inueniuntur aliqui, qui in die se a carnibus abstinent, vtentes cibis quadragesimalibus, sed in nocte in priuatis hospitijs satiantur carnibus. Certe clerici vna cum laicis hæc exercent, quando qui Saracenis similes sunt qui in die ieiunant, & in nocte, satiantur carnibus. Quarta abusio est, quod quamuis aliqui operarij a labore per dies festos abstineant, tamen diuites aliqui mercenarios suos, ad laborandum in vineis, ad arandum in agris, & ad excidendum lignas in syluis, ad deferendumque illa ad domicilia sua, per dies festos mittere nô desistunt, & sic pauperes non maiori quiete diebus festis, quam ferialibus gratulantur. Quinta abusio est, quod Christiani ita sicut Iudæi exercent vsuram, & vere Christiani vsurarij cupidiores sunt iudęis. Item statutum Ecclesię fuit, quod tales homines, quales iam numerati sunt anathemate domarentur, contra quæ talis abusio inchoata est. multi quippe non magis abhorrent maledictionem, quam benedictionem, qui etiam si se excommunicatos nouerint publice sanctę Ecclesiæ introitum, uel conuersationem hominum, seu colloquia non curant euitare. Pauci enim presbyteri, excommunicatis Ecclesię ingressum prohibent. Pauci etiam excommunicatorum conuersationem, & colloquia abominantur, si eis aliqua amicabilitate coniuncti sunt. Nec etiam excommunicatis si diuites sunt, sacra sepultura denegatur. Igitur Domine non miremini, si nominaui Romam vrbem infelicem pro talibus abusionibus, & multis alijs Ecclesiasticis statutis grauiter contrarijs. Quarę timendum est Catholicam fidem in breui deperire, nisi talis venerit, qui Deum super omnia, & proximum suum sicut seipsum diligat fide non ficta, omnes abusiones abolendo. Compatimini ergo Ecclesiæ, & eius Clero, qui toto corde diligit Deum abhorrentes omnes malas consuetudines, qui propter absentiam Papæ quasi orphani fuerunt, tamen filialiter patris sedem defenderunt, proditoribusque sapienter restiterunt, in multis tribulationibus perseuerando.

VISIO SPONSAE DE DIVERSIS pœnis, quæ præparabantur, cuidam animæ adhuc in corpore existenti, & qualiter omnia illa genera pœnarum si anima conuersa esset ante mortem, conuerti deberent in maximum honorem, & gloriam.

CAP. XXXIV.

VIDEBATVR mihi, quod quasi uiderem homines stantes, & præparantes funes. Alij vero stabant, & præparabant ęquos. Alii autem patibulum ædificabant. Cumque hæc viderem apparuit virgo quędam quasi turbata, quęrens si hęc intelligerem, & me respondente non intelligere. Respondit hæc omnia inquit quę vidisti, pœna est spiritualis, quæ præparatur animæ illius, quem tu nosti, funes sunt ad ligandum, equum qui animam est tracturus.

rus. Forfices vero ad diſcerpendum nares, oculos, aures, & labia, patibulumque ad ſuſpendendum. Cumque ego de eis turbarer, Reſpondit iterum Virgo. Noli turbari, adhuc enim eſt tempus, quod ſi velit, poterit dirumpere funes, ſubuertere equos, forſices ſicut ceram liqueſcere, poteſtque patibulum remouere. Inſuper & ſic ardentem poteſt habere charitatem ad Deum, quod iſta ſigna pœnarum erunt ei ad maximum honorem. In tantum quod funes quibus contéptibiliter ligari teneretur, vertentur ei in zonas aureas. Pro equis vero quibus per plateas trahi deberet, mittentur ei Angeli ducentes eum ante conſpectum Dei. Pro forficibus vero quibus contemptibiliter deberet diſcerpi, dabitur naribus eius melior odoratus, ori melior ſapor, oculis pulcherrima viſio, auribus delectabiliſſima melodia.

Declaratio.

Hic fuit Marſcalcus Regis, qui veniens Romam tantum humiliatus, & compunctus eſt, quod diſcooperto capite circuiret frequentius ſtationes, rogans Deum, & rogari faciens, vt non rediret ad patriam, ſi contingeret eum relabi in peccata priora. Cuius vocem exaudiuit Deus. Nam exiens de Roma cùm veniſſet in montem Flaſcon, ibi infirmatus eſt, & mortuus, de quo facta eſt alia reuelatio. Vide filia quid facit miſericordia Dei, quid facit bona voluntas. Iſta anima fuit in faucibus leonis, ſed voluntas bona eripuit eam de dentibus leonis, & iam eſt in via ad patriam, & particeps erit omnium bonorum, quæ fiunt in Eccleſia Dei.

VERBA SPONSAE AD Ieſum Chriſtum, de deſiderio ſaldationis animarum, & reſponſione ſibi in Spiritu Sancto facta, quòd exceſſus, & ſuperfluitas hominum in potu, & cibis, reſiſtunt viſitationibus Spiritus Sancti ſibi miſsis.

CAP. XXXV.

O DVLCISSIME IESV Creator omnium eorum, quæ creata ſunt. Vtinam iſti agnoſcerent, & intelligerent calorem ſpiritus tui Sancti. Plus enim tùc appeterent cæleſtia, & terrena feruentius abhominarentur. Et ſtatim reſponſum eſt mihi in ſpiritu: Eorum inquit exceſſus, & ſuperfluitas reſiſtunt Spiritus ſancti viſitationibus. Nam exceſſus in cibis, & potibus, & in amicorum inuitationibus, obſiſtunt, ne Spiritus ſanctus dulceſcat eis, & ne ſatientur de mundi delectatione. Exceſſus vero in auro, & argento, in vaſis, & veſtimentis, & in redditibus, obſiſtit ne ſpiritus charitatis meæ inflammet corda eorum, & accendat. Exceſſus quoque in famulis, & equis, & animalibus, reſiſtit, ne Spiritus ſanctus appropinquet eis, immo elongant ſe ab eis ſeruitores eorum Angeli mei, & appropinquant proditores diaboli. Ideo ignorant dulcedinem illam, & viſitationem, qua ego, qui Deus ſum, viſito animas ſanctas, & amicos meos.

VERBA DEI AD SPONSAM qualiter religioſi antiquitus in monaſterio timore, & diuina charitate ingrediebantur. Et nunc quòd inimici Dei, id eſt falſi religioſi, exeunt in mundum pro ſuperbia, & iniqua cupiditate, & ſic de militibus in ſua militia.

CAP. XXXVI.

AVDI nunc quid inimici mei faciunt, contra ea quæ amici mei fecerunt olim. Denique amici mei ingrediebantur monaſteria ex timore diſcreto, & diuina charitate. Sed hi, qui nunc ſunt in monaſterijs vadunt in mundum, pro ſuperbia, & cupiditate, habentes propriam voluntatem, facienteſque corporis ſui delectamenta. Iſtorum ergo, qui in tali voluntate moriuntur iuſtitia eſt, quòd non ſentiant, nec obtineant gaudium cæleſte, ſed pœnam in inferno ſine fine. Scito etiam quod clauſtrales, qui coguntur contra velle proprium ex diuina charitate fieri prælati, non ſunt in eodem numero computandi. Milites quoque qui olim portabant arma, parati erant dare vitam pro iuſtitia, & effundere ſanguinem propter fidem ſanctam. Indigentes promouendo ad iuſtitiam, maloſque faciebant deprimere, & humiliare. Sed nunc audi quomodo auerſi ſunt. Placet quippe nunc eis magis mori in bello pro ſuperbia, & cupiditate, & inuidia, iuxta diabolicas ſuggeſtiones, quam ſecundum mandata mea viuere,

ad

ad obtinendum gaudium sempiternum. Ergo omnes qui in tali voluntate moriuntur, dabitur eis stipendium ex iudicio iustitiæ, hoc est, quod dabuntur dæmonibus in stipendium in æterna eorum coniunctione. Hi vero qui mihi seruiunt, tenentur habere stipendium cum cælesti exercitu sine fine.

VERBA CHRISTI AD Sponsam inquirentia ab ea, qualiter mundus stat. Et de sponsæ responsione, scilicet, quod stat sicut saccus expansus, ad quem omnes indiscrete concurrunt. Et de crudelissima Christi sententia, & iusta contra tales.

CAP. XXXVII.

1 FILIVS loquitur. 1 Quomodo filia stat modo mundus? Et illa, sicut saccus expansus ad quem currũt omnes, & sicut homo currens non curans quid sequatur. Respondit Dominus. 2 Ideo iustitia est, vt vadam cum
2 aratro meo super mundum, super gentiles, & Christianos non parcam seni, & iuueni, non pauperi, & diuiti, sed vnusquisque iudicabitur secundum iustitiam suam, & vnusquisque morietur in peccato suo, & relinquuntur domus cum habitatoribus, nec tamen faciam adhuc consumationem. Et illa: O Domine, ne inquit indigneris, si loquar. Mitte aliquos de amicis tuis, qui præcaueant, & præmoneant eos de periculo suo. Et Dominus. 3 Scriptum est, inquit, quod
3 diues in inferno desperans de salute sua propria, petiit, vt aliquis mitteretur ad præcauendum fratres suos, ne similiter perirent. Et responsum est ei. Nequaquam fiet hoc, quia habent Moysen, & Prophetas, à quibus doceri possunt. Sic ego dico nunc, habent euangelia, & dicta prophetarum, habent exempla & verba doctorum, habent rationem & intelligentiam, vtantur ergo eis, & saluabuntur. Nam si misero te, non ita alte clamare poteris, vt audiaris. Si misero amicos meos pauci sunt, & si clamauerint vix audientur. Veruntamen mittam amicos meos, ad quos mihi placuerit, & præparabunt viam Deo.

NOTAE.

1 QVomodo filia stat modo Mundus, & illa sicut saccus expansus ad quem currunt omnes.

Quæsierat in præsenti capite Christus Dominus à sponsa, quomodo tunc temporis se Mundus haberet, cui respondens, illum expanso sacco esse simile tradit, hisque verbis non aliud significare voluisse credidi, quam homines hodierna die nil quærere, nisi quæ mundi sunt, quæ vt inania, & leuia existiũt diuina negligentes, & ideo legimus hic oẽs post eũ currunt, & sicut homo currẽs non curans, quid sequatur, hinc, & nos optime possumus cum Aggeo Propheta cap. 1. Mundum appellare sacculum pertusum, in quo quidquid boni reperitur, vt plurimũ ex negligentia perditur, & idcirco D. Hieronymus Aggei 1. & D. Greg. super Ezechiel cap. 4. Per sacculum pertusum bonorum operum inanitatem designari tradunt.

2 Ideo iustitia est, vt vadam cum aratro meo super mundum, super Gentiles, & Christianos.

Nulli dubium est per aratrum hoc loco flagellũ Dei intelligendum esse. sicut enim aratrum terram proscindit, eamque subinde ad semen recipiendum præparat, vnde postea frumentum, cæteraque legumina producat, sic quoque tribulationes, & à Deo immissæ pœnæ, homines terrenis affectibus inuolutos excitant, eosque ad Verbum Dei recipiendũ, & ex eo fructum reportandum aptos reddunt, vnde arare, inc Deum dicit D. Hiero. super Isaiam cap. 28 cum nos affligat, & nobis tribulationes infert, & idcirco scribitur hoc loco non parcam seni, & iuueni, non pauperi, & diuiti, sed vnusquisque iudicabitur secundum iustitiam suam.

3 Scriptum est inquit, quod diues in inferno desperans de salute sua propria, petiit, vt aliquis mitteretur ad præcauendum fratres suos, ne similiter perirent.

Hanc diuitis historiam narrat Lucas Euangelista 16. cap. sui Euangelij, quo loco de eo in tormentis existente verba faciens, eundem sic loquentem, & pro suis fratribus his verbis Deum rogantem facit, Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ne, & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, adducitur autem in præsenti nota huiusmodi textus Euangelij, quia in principio huius capitis cum dixisset, Dominus grauissimis velle flagellis Christianos, ac Gentiles torquere misericordia mota B. Brigitta pro eis Deum rogat, vt ex amicis suis aliquem mittat, qui hac de re eos moneat, sicut fecisse diuitem Lucas refert, qui Deum rogauit vt aliquem ad suos fratres mitteret, eosque moneret, ne simul cum eis in eundem tormentorum locũ descenderent, sciendum tamen est B. Brigittæ pro

sdate

salute hominum effusas preces ex charitate processisse, non vero diues charitatis aliquo affectu motus rogare potuit: huiusmodi namque charitatis affectus à damnatis alienus penitus est, & ideo D. Greg. Hom. 40. in Euangelia, Beda, & Lyranus arbitrantur eum rogasse, quod sciret, ex fratrum suorum consortio in condemnatione pœnam sibi augendam, eo quod vitæ suæ prauo exemplo eis occasionem peccandi præbuerat. Cæterum Chrysost. hom. 4. de Lazaro, Ambrosius, & Theophylactus ibidem bono animo id ab eo factum fuisse videntur interpretari, quasi vexatio illi dedisset intellectum, velletque cauere fratribus, qui sibi non cauisset, cum tempus erat. Addit & Caetanus hæc diuitem præcatum ex superbia, quia cum multos videret saluari inter eos cupiebat esse suos, vt qui iam in maximam coniectus erat miseriam, in suis saltem fratribus exaltaretur.

VERBA CHRISTI AD Sponsam de fide non habenda in somniis, immo præcauendo quantuncunque leta, vel tristia. Et quomodo diabolus in talibus falsitatem admiscet veritati, propter quæ insurgunt in mundo multi errores. Et quod Prophetæ, ideo non errauerunt, quia super omnia Deum veraciter dilexerunt.

CAP. XXXVIII.

FILIVS loquitur. Quid te sic eleuant somnia leta. Cur vero sic te deprimunt somnia tristia? Nunquid non dixeram tibi, quod diabolus inuidus est, & quod sine permissione Dei, non plus facere poterit, quam stramen ante pedes tuos. Dixi etiam tibi, quod ipse est Pater, & inuentor mendacij, & quod in omnibus falsitatibus suis admiscet veritatem. Propterea dico, quod diabolus non dormit, sed circuit, vt inueniat aliquam occasionem contra te. Ideo cauendum est tibi, quod diabolus, qui ex subtilitate scientiæ suæ, ex motibus exterioribus deprehendit interiora, non decipiat te. Nam quandoque immittit cordi leta, vt inaniter gaudeas, quandoque tristia, vt dolendo dimittas aliqua bona, quæ potuisses facere, & vt ante miserias fias misera, & dolorosa. Quandoque etiam diabolus immittit cordi deluso, & volenti placere mundo multas falsitates, per quas decipiuntur multi sicut falsis prophetis. Et hoc contingit homini, qui plus aliud diligit, quam ipsum Deum. Ideo contingit, quod in multis falsis verbis inueniuntur multa vera, quia diabolus nunquam decipere posset, nisi falsitati admisceret veritatem, sicut patuit in illo arreptitio, quem vidisti, qui licet confiteretur vnum Deum, impudicus tamen gessus, & verba alia extranea ostendebant, quod diabolus erat in eo possessor, & inhabitator. Nunc autem quærere poteris, cur permitto diabolo mentiri? Respondeo. Hoc permisi, & permitto propter peccata populorum, & clericorum, qui illa scire voluerunt, quæ Deus noluit eos scire vbi prosperari desiderabant, vbi Deus videbat saluti eorum non proficere. Propterea Deus multa permittit propter peccata, quæ non contingerent, si homo non abuteretur gratia, & ratione. Illi vero Prophetæ, qui nihil desiderabant nisi Deum, nec verba Dei loqui voluerunt nisi propter Deum, isti non decipiebantur, sed verba veritatis loquebantur, & dilexerunt. 1 Veruntamen sicut omnia somnia non sunt recipienda, sic nec omnia sunt contemnenda. Quia quandoque etiam Deus malis inspirat bona, & exitus suos, vt resipiscant a peccatis suis. Quandoque etiam bonis bona in somnijs, vt amplius proficiant ad Deum. Ideo quando & quoties tibi aliqua talia occurrerint non apponas cor tuum, sed pondera, & discerne illa cum amicis tuis sapientibus spiritualibus, aut dimitte, & exclude ea de corde tuo quasi non visa, quia qui talibus delectatur, frequentius illuditur, & perturbatur. Ergo esto stabilis in fide sanctæ Trinitatis, dilige Deum toto corde. Esto obediens tam in contrarijs, quam in prosperis. Nulli te præferas in cogitationibus tuis. Sed time etiã in benefactis. Non præferas sensus tuos sensibus aliorum, voluntatemque tuam totam committe Deo parata ad omnia, quæ velit Deus, tunc timere non habes somnia, si enim læta fuerint non credas eis, vel non appetas, nisi ibi perpendatur honor Dei. Si vero tristia fuerint non contristeris, sed pone te totam ad Deum. Deinde loquebatur Mater. Ego sum Mater misericordiæ, quæ filiæ dormienti præparo vestes, filiæ induenti se præparo cibum, filiæ laboranti præparo coronam, & omne bonum.

NOTAE.

1 VEruntamen sicut omnia somnia non sunt recipienda, sic nec omnia sunt contemnenda.

Hic

Hic Beatæ Brigittæ textus nobis ansam præbet, vt aliqua de somnijs in medium afferamus, & eo maxime, quod indicat quædam somnia non esse contemnenda, quædam vero reicienda, quæ quoniam, vt plurimum dæmonum calliditate, ac malitia occurrunt, ideo admonet nos, quod talia discernamus cum amicis nostris sapientibus, & spiritualibus, nosque debere diligentes esse ad eorum differentias inuestigandas. D Gregor. Hortatur lib. 4. Dialog. cap. 48. inter illusiones inquit, & Reuelationes ipsas visionum voces, & imagines quondam intimo sopore discernunt, vt sciat quid a bono spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur: nam si erga hæc mens hominis cauta non esset, per deceptorem spiritum multis se vanitatibus immergeret, Cæterum negari non potest, quod sicut pluribus somnijs fides nulla præstanda est, ita quædã esse vera fatendum est, nam quis audeat affirmare ea non esse vera, quæ multis per somnium in sacris litteris ostensa esse, & reuelata legimus, vt Salomoni, Abimalech, Iosepho, Magis, & Pilati vxori, alijsque non paucis, ac etiam mendacij, & superstitionis redarguendi essent Medici, & philosophi, qui ad morbos indicandos curandosue frequenter obseruant somnia, ex quibus aperte colligitur aliqua diuinitus hominibus immitti, & per ea plurima propalari, quod etiam probant D. Gregor. vbi supra, Tertullianus in Apologetico cap. 23. Diuus Bernardus ad sororem, de modo bene viuendi serm. 68. Diuus Isidorus de summo bono lib. 3. cap. 6. Diuus Antoninus 2. par. tit. 12. cap. primo 6 & 8. Diuus Thomas 2. 2. q 95. art. 6. Martinus del Rio in lib. disquisit. magicarum Tomo secundo libro quarto cap. tertio quæst. 6. Benedictus Pererius fuse in Commentarijs super Danielem libro primo quæstio. prima, & de Magia lib. 2. quæstio. 2. ex quibus omnibus ad quattuor capita somniorum caussas reuocandas esse colligimus: quas quisque poterit diligenter scrutari, & fusius apud illos legere, nobis autem, vt præsentis capitis doctrina palam fiat, de somniorum differentijs breuiter disserendum est, & inuestigandum; quæ vera sint, quæue cælitus immissa, aut quæ inutilia, quæue dæmonum illusiones atque inter cætera duo potissimum signa sunt, ex quibus deprehendere possumus à Deo in somnijs nobis aliquid reuelari. Primum quidem, si eo somnia tendant, vt nobis manifestent, ea quæ solius Dei cognitioni reseruata sunt, nec possunt homini innotescere nisi Dei beneficio, ac munere, præsertim cum illa eminentissima sunt, ac præstantissima, vt nostræ fidei mysteria, arcana cordium, & alia huius generis, quæ ad hominum salutem iustificationem, & optimum regimen spectant, & idcirco in præsenti capite paulo post citata verba huius notæ legimus, quandoque etiam bonis bona in somnijs occurrunt, vt amplius proficiant ad Deum: cum ergo hominum, erga Deum profectum somnia indicant, illa à Deo esse nullus de cætero ambigat, aliud autem signum cælitus emissi somnij est, cum ad illud sequitur magna in homine illuminatio, & maxima commotio, qua Deus sic mentes illustrat, sic homines de fide, eiusque somnij auctoritate certiorem facit, vt Deum esse auctorem liquido cognoscat, atque ex his deduci possunt duo alia signa indicantia, quæ à dæmone somnia sint. Primum quidem si frequenter accidant, resque occultas, & futuras portendant, quarum cognitio, nec ad propriam, nec aliorum vtilitatem conferat, sed ad scientiæ ostentationem, vel etiam ad aliquod patrandum malum. Aliud vero signum est, si castis, sobrijs, & pijs viris obscœna, inhonesta, & crudelitatis plena somnia contingant: atque hæc à dæmone manare perspicuum est, qui impuris somnijs dormientium studet maculare corpora, vt etiam eius fœditatis si fieri potest fiat animus particeps. Postremum vero signum est, cum in principio somnia lætitiam quandam inanem afferunt, & in fine timorem, tunc à dæmone illa esse probabiliter coniici potest, est enim dæmonis via in principio per aliquod breue temporis spatium delectabilis, sed in fine dolorosa, vt tradit Beata Brigitta lib. 3. Reuelationum cap. 12. & è contra cum initio timorem somnia incutiunt, & in fine gaudium à Deo prouenire censenda sunt, cæterum hoc loco admonere lectorem censui, quod licet quædam, vt diximus somnia vera sint, non tamen his facile fides præstanda est, cum ea ex diuersis rerum caussis nascantur, quas tamen frequenter ignoramus, sæpissime namque fit, vt admonuit Bernardus vbi supra, dæmones curiosos quosdam, & somnia obseruantes ita decipere, vt ea aliquando somnia non aliter eueniant, quam quod ipsi dicunt, & ideo aliquando vera pronunciant, vt in multis fallant, idem obseruauit D. Isidorus ijsdem plane verbis, quibus Bernardus, non inquit somnijs fides adhibenda est, ne forte sathanas in Angelum lucis se transformans, quemlibet incautum fallat, & aliqua erroris fraude decipiat, nonnumquam interdum dæmones deceptoria fraude ita quosdam curiosos, obseruantesque illudunt, vt quædam somnia non aliter eueniant, quam ostendantur, vt enim in multis fallant, interdum vera pronunciant.

Æa VERBÆ

VERBA MATRIS AD Filium de sponsa. Et responsio Christi ad Matrem. Item verba Matris, quid designatur per Leonem, & per Agnum. Et qualiter Deus permittit propter ingratitudinem, & inpatientiam hominum euenire, quae aliter eis non euenirent.

CAP. XXXIX.

MATER loquitur ad filium Iesum dicens. Filia nostra est quasi Agnus, qui ponit caput suum in os Leonis. Cui respondit filius, melius est, quod Agnus ponat caput in os Leonis, vt fiat cum Leone vna caro, & vnus sanguis, quam quod Agnus fugat sanguinem de carne Leonis. Vnde, & Leo indignaretur, & Agnus cuius cibus est fenum infirmaretur. Veruntamen Mater charissima, quia omnem sapientiam & plenitudinem totius prudentiae portasti in vtero tuo, fac istam intelligere quid sit Leo, & quid sit Agnus. Respondit Mater. Benedictus sis tu fili mi, qui aeternaliter manens cum Patre descendisti ad me, & tamen
1 te a Patre nunquam separasti. 1 Tu denique
2 es leo, sed de tribu Iuda. 2 Tu Agnus sine
macula, quem Ioannes digito demonstrauit. Ille ergo ponit caput in os leonis, qui omnem voluntatem suam committit Deo, nec eam etiam si posset perficere vellet, nisi tibi sciret complacere. Ille vero sugit sanguinem leonis, qui de iustitia, & dispositione tua impatiens optat, & nititur ad alia obtinenda, quam tu ei constitueras, velletque in alio statu existere, quam tibi placere, & sibi ipsi expediret. De talibus enim non placatur Deus, sed ad iram prouocatur. Sicut enim Agni cibus est fenum, sic homo de humilibus rebus, & statu, contentari debet. Et ideo propter ingratitudinem, & impatientiam hominum multa permittit Deus, quae saluti hominum si patientes essent, non euenirent. Ideo filia da voluntatem tuam Deo, & si minus quandoque fueris patiens surge per poenitentiam, quia poenitentia est, sicut bona lotrix macularum. Contritio vero est bona candidatrix.

*

NOTAE.

1 TV denique es leo de tribu Iuda.

Christum Dominum Leoni, & Leonis catulo similem dixerunt sancti Patres, Leoni quidem quia Deus, catulo vero Leonis, quia filius Dei factus est paruulus, per humanae naturae assumptionem; insuper quemadmodum Leo dormientem nullum timet, vigilantem vero caetera animalia timent, ita Christus Dominus accubans dormiuit vt Leo, quia mortuus de daemone triumphum retulit, & mortem vicit: quandoquidem quando voluit resurrexit. & ideo Apocalyps. quinto affirmauit D. Ioannes: vicit Leo de tribu Iuda; idem annotarunt Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5. D. Dionysius de caelesti Hierarchia cap. 2. Origen. in numer. hom. 16. & super Genes. hom. 17. D. Hieron. super Isaiam cap. [illegible] D. Hilarius super Psalmos [illegible]

2 Tu es Agnus sine macula, quem Ioannes digito demonstrauit.

In omnibus veteris testamenti figuris Christum innocentem pro nobis immolatum, paschalis Agnus figurabat, vt mirum non sit, si eum in hoc capite Beatissima Virgo Agno comparat, siquidem Agnus ille erat sine macula; & sicut eum filii Israel ab Aegyptiaca seruitute liberati sunt, vt Exodi 12. & Leuitici primo scribitur, sic Christus sine peccato erat, & passione sua a Diabolica seruitute liberati sumus, eoque magis illius Agni figuram gerebat, quo ipse & simplex erat, & innocens, quia sicut Agnus ad victimam ductus est, nec aperuit os suum. his addendum esse arbitror, quia licet in templo alia fierent sacrificia certis temporibus, vnum tamen reperiebatur quotidianum, in quo iugiter vnus Agnus mane, & alius vesperi offerebatur, hoc ergo Iuge sacrificium, quod beatitudinis perpetuitatem figurabat, de Agno fiebat, sic & Christus, qui & Agnus Dei est, quotidie pro peccatis populorum in Ecclesia vsque ad diem iudicii immolabitur, vnde merito Agnus sine macula hoc loco appellatur, sicut etiam plures ex sanctis Patribus annotarunt, vt D. Gregor. super primum Regum cap. 7. D. Hieron. super Isaiam cap. 26. Origenes in Numeros Homil. 24. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5. Diuus Augustinus super Ioannem tract. 7. Cyprianus lib. 8. in Ioannem cap. 16. & 34.

VERBA CHRISTI AD Sponsam declarantia, quæ sit Christiana mors. Et quomodo homo bene moritur, aut male. Et quomodo amici Dei non debent tribulari si viderint seruos Dei corporaliter mori, & crudeliter.

CAP. XL.

FILIVS Dei loquitur. Noli timere filia, non morietur ista infirma, quia placent mihi opera eius. Cumq. illa esset mortua. Iterum dixit filius Dei. Ecce filia verum est, quod dixi tibi, non est ista mortua, quia gloria eius magna est.
1 1 Nã separatio corporis, & animæ iustorũ non est nisi somnus, quia euigilant in æterna vita. Illa vero dicenda est mors, quando anima separata à corpore viuit in æterna morte. Multi quippe non attendentes futura, optant, vt moriantur Christiana morte.
2 2 Quid enim est Christiana mors, nisi mori, sicut ego mortuus sum, innocenter, voluntarie, & patienter. Nunquid ego ideo contemnendus sum, quia mors erat contemptibilis,
3 & dura? 3 Aut ideo electi mei fatui, quia contemptibilia patiebantur, aut hoc voluit fortuna, & operabatur cursus stellarum? Nequaquam. Sed ideo ego, & electi mei patiebamur dura, vt ostenderemus verbo, & exẽplo viam ad cælum esse duram, & vt assidue cogitaretur, quanta opus est munditia malis, si tam aspera passi sunt electi, & innocentes. Ergo scito, quod ille moritur contemptibiliter, & male, qui dissolute viuens moritur in voluntate peccandi, qui habens mundi processum optat, vt longius viuat, & nescit regratiari Deo. Qui vero Deũ diligit toto corde, & tribulatur innocenter despecta morte, aut longa infirmitate grauatur, ille & viuit, & moritur feliciter, quia mors aspara, & minuit peccatum, & pœnam peccati, augetque coronam. Ecce reduco tibi ad memoriam duos, qui despecta, & amara morte iudicio hominum moriebantur, qui nisi talem mortẽ ex misericordia mea magna obtẽ nuissent, saluari non fuissent. Sed quia Dominus non punit bis contritos corde. Ideo venerunt ad coronam. Propterea amici Dei nõ debent contristari, si flagellantur temporaliter, aut si amara morte moriuntur, quia felicissimum est lugere ad horam, & turbari in mundo, ne veniatur ad purgatorium grauius, vbi non erit fuga, nec tempus laborandi.

NOTAE.

1 NAm separatio corporis, & animæ non est nisi somnus, quia euigilant in æterna vita.

Ad horum intelligentiam animaduertendum est quadrupliciter in sacris litteris somnum accipi posse. Primo quidem pro somno, seu dormitione natura, de quo Iob vndecimo loquitur, cum dicit, Securus dormias, & Marci 5. erat Iesus in Puppi super ceruical dormiens. Secundo pro somno culpæ, & de hoc Apostolus Rom. 13. Tempus iam est de somno surgere, & Cant. quinto. Exurge, qui dormis. Tertio pro somno mortis, de quo prima ad Thessalonicenses cap. 4. Paulus nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, hoc est, de defunctis, & in lib. Regum frequenter legimus dormiuit cum Patribus. Postremo sumitur pro quiete futuræ gloriæ, vt Psalm. 4. in pace in idipsum dormiam, & requiescam, hoc autem loco proprie somnus sumitur pro morte, in qua anima separatur à corpore, quæ proprie respectu iustorum dormitio dicitur, quandoquidem hi ab hac mortali vita veluti à leni quodam somno excitati, ad æternam vitam surgent ibidem semper victuri, & ideo, sacræ litteræ, & Martyrologia mortem Sanctorum diem Natalem, aut dormitionem consueuerunt appellare, non tamen negauim, posse quoque sumi hic somnus pro quiete futuræ gloriæ, in qua dormire Sancti dicuntur, quia in ea mirabiliter quiescunt, sic etiam explicat illud Psalm. 4. D. Augustinus. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. & tradunt Isochius in leuiticum cap. 26. & Rupertus super Oseam cap. secundo.

2 Quid est Christiana mors nisi mori, sicut ego mortuus sum, innocenter voluntarie, & patienter.

In hoc capite Christus Dominus definit, qualis sit piorum hominum, quæ ve impiorum mors, tres autem virtutes propalat se habuisse cum mortuus est, insinuans, has etiam nobis in morte nostra opus esse, vitæ nimirum innocentia, patientia, & propensa moriendi pro Christo voluntate, atque hæc si Christianus homo assequi studuerit, dubium non est, quin ipse quoque Christiana morte moriturus non sit, mala namque mors putanda non est, quando bona vita præcessit, non enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem, sic habetur in sententijs ex Augustino excerptis sententia 50. Tomo sexto, sed fusius, hac de re agit in libro, quem edidit de salutaribus documentis cap. 16. & aliquanto post hoc eodem capite describitur

qualis sit malorum hominum mors, ea scilicet, quam sequitur peccandi voluntas, vsque ad finem vitæ, de qua Dominus Ioan. 8. & in peccato vestro moriemini, & de hac legimus Christum, cum B. Brigitta loquentem. hæc protulisse verba, ergo scito, quod ille moritur contemptibiliter, & male, qui dissolute viuens moritur in voluntate peccandi, huius autem generis mortem si quis intensius consideraret, omnino credendum est; eum magis quamcumque etiam grauissimam subire velle pœnam, quam huiusmodi morte vitam suam finire, vt auctor est D. Augustinus lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 16. huius generis, inquit, mortes, per quas animæ mittuntur in gehenam, si quis fideli mente, vt dignum est cogitauerit, valde vili estimabit quamlibet ingentissimam stragem, & sanguinis fluuios mortalium corporum, & quomodocunque quandocunque mortuorum.

3 Aut ideo electi mei fatui, quia contemptibilia patiebantur, aut hoc voluit fortuna, & operabatur cursus stellarum nequaquam, sed ideo ego, & electi mei patiebantur dura, vt ostenderemus verbo, & exemplo viam ad cælum esse duram.

Petrus de Aliaco Cardinalis quæstione in Genesim trigesima, affirmare ausus est, contra id, quod scribitur hic, ortum Christi Domini, mortem, cæterasque actiones eius sideralis scientiæ peritia, & astrorum obseruatione certo prænosci, ac prævideri potuisse, immo ipsomet Magos ex nouæ stellæ apparitione illius natiuitatem aperte prænouisse, & præter hanc etiam recentis sideris visionem, ex aliis quoque duobus inditiis nasciturum præstantissimi imperio, ac religione virum, idque collegisse primum, ex ingenti quadam coniunctione Iouis, & Saturni, qui anno ante Christi Incarnationem sexto in signo Cancri coierunt, ex quo omnes, qui tunc temporis Astrologi florebant magnam Religionum mutationem futuram prædixerunt, addita etiam obseruatione constitutionis cæli, quæ sic se in Natiuitate Christi habebat, vt inde Religionis mutationem secuturam autumarent: hanc quoque fuisse sententiam Alberti Magni in lib. cui speculi nomen dedit refert Sixtus Senensis in sua Bibliotheca lib. 6. annot. 10. Cæterum & hoc quoque multo ante fuisse ab insigni Astrologo Albumasar insinuatum, patet ex tract. sexto sui Maioris Introductorij, is enim ibi asseruit, Virginem nascituram, quæ puerum in Iudæa nutriat, & pascat, eumque puerum, à quibusdam Gentilibus IESVM vocari, quem nos inquit Græce Christum dicimus, hactenus Albumasar, cuius testimonium, refert etiam Dionysius Carthusianus lib. 1. de Laudibus Virgin. art. 30. & Canisius lib. 2. de Beata Virgine cap. 7. circa finem, qui testatur, se in vetusto illius auctoris opere ea perlegisse. Verum horum sententia penitus improbanda est, quoniam siderum conditorem, ac moderatorem motibus siderum subiectum facit, sed eius falsitatem, tum ex antiquorum Patrum, & recentiorum doctrinis, tum etiam rationibus demonstrarem, nisi hoc à nostro scribendi instituto esset alienum, nostrique tractatus limites excedere dubitarem, sat tamen erit, quædam in medium afferre, quæ rei improbitatem liquido propalabunt, hunc ergo errorem inprimis reijciunt Leo Pontifex Epistola 91. vel secundum alios Codices Epistola 93. Diuus Chrysostomus in Matth. Gregorius Nissenus Oratione de Christi Natiuitate, Petrus Chrysologus serm. 156. Diuus Gregorius Magnus Homil. 10. in Euangelia, Loquens de illa stella, quæ in Christi Natiuitate apparuit, neque inquit, Puer ad stellam, sed stella ad Puerum cucurrit, sed dici liceat non stella fatum pueri, sed fatum stellæ, his qui apparuit Puer fuit, sed absit à fidelium cordibus, vel aliquid esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creauit administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt, si ergo homo motibus stellæ minime regitur, quanto minus, is qui hominum, & stellarum Creator esse perhibetur. sed clarius ex Origene in Commentarijs in Genesim, vt refert Eusebius lib. 6. de præparat. Euangelica cap. 9. hæc sententia confutari potest, ipsa vt quoque fides, & Saluatoris nostri aduentus, & omnis Prophetarum labor, ac Apostolorum in construendis Ecclesiis, prædicatio inania erunt, nisi fortè Christum quoque (quis audeat dicere) cælestium corporum vi coactum fecisse, quæ fecit, passumque fuisse, quæ passus est, nec eius deitatis potentia, sed stellarum virtute cuncta euenisse, his impijs verbis etiam illud conficitur, vt fideles sint ducti in Christum credant, denique vt vel nullum sit boni, etiam mali discrimen, vel etiam malorum auctor sit Deus, nullusque hominum propter bene, vel malefacta præmio, aut pœna dignus censeri debeat, nec Orationibus, votis, & Dei obsecrationibus locus aliquis relinquatur, hactenus Origenes, cui opinioni etiam fauet Diuus Augustinus lib. quinto de ciuitate Dei cap. primo, vbi duos huius pessimæ artis confutat errores. Primum quidem, stellas in infantium ortu, non esse censendas effectrices causas rerum, nec fortes, nec fata nascentibus impartiri. Secundo, nec inde aliqua probabilia signa elici posse, quæ futuram nascentis vitam, moresque insinuent: idem habet lib. secundo super Genesim ad litteram cap. 17. & lib. secundo, de doctrina Christiana cap. 21. & lib. quinto, de ciuitate cap. primo: iuerunt in hanc sententiam Diuus Basilius Homil. 6. in Genesim, eodem spectant, quæ affert Eusebius de præparat. Euangel. lib. sexto, cap. nono, & lib. 14. cap. quarto, & luculentissime etiam per lib. 12. contra hos Genethliacos, aut Planetarios disputauit Picus Mirandul. & ex Neotericis Plures quos hic

recen-

recensere longum esset. atque hinc colligendum est, quam pestissimi modi ars existimanda sit, quae & rerum omnium opificem, ac primum motorem secundaris causarum influxibus subditum reddit; & Religionem nostram, quantum in se est penitus euertit, liberumque hominis tollit arbitrium, vt mirum non sit, si illam vndequaque reijciat Concil. Trident. vt ex indice librorum ab eo damnatorum constat Regula nona, contra quam etiam vel in principio nascentis Ecclesiæ sanctissimorum Pontificum manarunt decreta, quod in secunda parte decretorum cap. 26. habetur; & in Concil. Toletano primo in assertione contra Priscilianistas, & in Concil. Bracharensi 1. cap. 9. & postremo damnata penitus est per Bullam Sanctissimi Domini nostri Sixti Quinti, qui locis ordinarijs, & inquisitoribus mandat, vt contra eos qui Astrologiæ Iudiciariæ artem exercent, præter quàm in Agricultura, Nauigatione, & Medicina, hominum etiã natiuitates conficiẽtes contra eos canonicis pœnis, & arbitrarijs procedant, etiam si id quod prædicunt non certo se affirmare protestentur.

VERBA MATRIS AD filiam, quod sacerdotes rite habentes absolutionis officium quantuncumque peccatores sint, possunt absoluere à peccatis. Et sic de sacramento Eucharistiæ.

CAP. XLI.

MATER Loquitur. Vade ad eum, qui officiũ absolutionis habet, quantuncunque enim ostiarius leprosus est, nihilominus aperire potest portã, si habet claues, sicut sanus. Ita est etiam de absolutione, & sacramento Altaris, qualiscunque enim minister est, si tamen rite habet officium absolutionis, potest absoluere a peccatis. Ideo nullus est contemnendus. Veruntamen præmoneo eum de duobus. Vnum est, quod illud, quod carnaliter diligit, & optat non habebit. Aliud est, quod vita eius breuiabitur citius. Et sicut formica portans die, ac nocte granum, aliquando cum appropinquat foramini cadit, & moritur in introitu, grano remanente ab extra. Sic ipse cum inceperit peruenire ad fructum laboris sui, morietur, & pro superuacuo labore suo confundetur, & punietur.

VERBA MATRIS AD filiam, qualiter mores boni, & opera iustitiæ per postes in amicis Dei designantur. Et quomodo serui debent cauere à detractione.

CAP. XLII.

MATER loquitur. Amici mei dicuntur esse quasi duo postes, per quos ingrediuntur sunt alij. Ideo cauendum est diligenter, ne quid asperum, vel durum obsistat ingredientibus, aut vnde comprimantur. Quid autem significant postes, nisi mores compositos, operaque iustitiæ, & verba ædificatoria, quæ apparere dicunt, quotidie in amicis Dei. Ideo caueatur attente, ne quid durum, idest verbum detractorium, vel scurrile inueniatur in ore amicorum Dei. Aut in operibus eorum aliqua mundialia notentur, propter quæ ingredi volentes refugiant, & ingressi abominentur.

VERBA MATRIS AD filiam, qualiter mali pastores assimilantur vermi corrodenti arboris radices.

CAP. XLIII.

MATER loquitur. Isti sunt similes vermi, qui videns semen optimum, non curat quantuncunq. fructus pereat, vel cadat, dummodo radices, seu proximiora terræ carpere possit. Sic isti non curant, quod animæ pereant, si lucra sua, & temporalia bona consequantur. Ideo veniet eis iustitia filij mei, & citius subtrahentur. Respondit illa. Omne tempus apud Deum non est, nisi quasi momentũ stateræ, quantuncunque apud nos est longum. Ideo patientia filij tui est magna, etiam super iniquos. Respondit Mater. Vere dico tibi, non protrahetur iudicium eorum, sed veniet eis horribile, & rapientur a delitijs ad confusionem.

VERBA CHRISTI AD sponsam, qualiter corpus per nauem, & mundus per mare designantur. Et qualiter voluntas est libera ad animas perducendum in cælum, vel in infernum. Et qualiter terrena pulchritudo vitro comparatur.

CAP. XLIV.

FILIVS Dei loquitur. Audi tu quæ desideras portum post mundi procellas. Omnis quicunque est in mari non debet timere aliquid si ille cum eo stat, qui prohibere potest ventos ne flent. Qui omnia corporalia, quæ nocere volunt iubet abscedere. Scopulosque mollescere, qui procellis imperare habet, vt nauem perducant ad quietum portum. Sic corporaliter in mundo sunt aliqui quasi nauis perducens corpus super aquas mundi, alijs in consolationem, alijs in tribulationem, quia voluntas hominis libera quasdam animas perducit in cælum, quasdam in profundum inferni. Illa ergo voluntas, quæ nihil desiderat feruentius audire, quam honorem Dei, nec ad aliud viuere, quam vt possit Deo seruire, ipsa placet Deo, quia in tali voluntate gaudenter moratur Deus, & mitigat omnia pericula animæ, scopulosque quietat, in quibus anima multoties periclitatur. Quid autem sunt scopuli nisi desiderium malum? Nam delectabile est videre possessiones mundi, & possidere, gaudere de corporis sui honore, & gustare quicquid delectat carnem. In talibus enim multoties periclitatur anima. Sed quando Deus in naui est omnia mollescunt, & anima omnia ista contemnit, quia omnis pulchritudo corporea, & terrena similis est vitro depicto ab extra, sed intus pleno terra. Fracto autem vitro non habet plus vtilitatis, quam terra nigra, quæ ad nihil aliud creata est, vt possideatur, nisi vt per eam ematur cælum. Itaque omnis homo, qui non plus desiderat audire honorem suum, seu mundi, quam nociuum aerem, qui omnia membra corporis sui mortificat, & voluptatem carnis suæ abominabilem detestatur. Hic quiete requiescere potest, & gaudenter euigilare, quia Deus est cum eo in omni hora.

VERBA QVAERIMONIAE sponsæ coram Imperatoris maiestate, ex eo, quod sorores quattuor filiæ regis Iesu Christi, scilicet humilitas, abstinentia, contentatio, charitas, nunc, proh dolor, annihilantur. Et sorores filiæ regis diaboli, scilicet superbia, delectatio, superfluitas, & simonia vocantur Dominæ &c.

CAP. XLV.

CONQVAEROR Non solum ex parte mea, sed etiam ex parte multorum electorum Dei coram Imperiali maiestate vestra, Quod erant quattuor sorores filiæ potentis regis, quarum quælibet habebat sedem, & potestatem in patrimonio suo. Quicunque enim volebant inspicere pulchritudinem istarum sororum obtinebant consolationem ex pulchritudine earum, & bona exempla ex earum deuotione. Prima vocabatur soror humilitas in omnium agendarum rerum dispositione. Secunda vocabatur soror abstinentia ab omni inquinata conuersatione. Tertia vocabatur soror contentatio sine omni superfluitate. Quarta vocabatur soror charitas in proximorum tribulatione. Istæ autem quattuor sorores, sunt iam in patrimonio suo annihilatæ, & quasi ab omnibus contemptæ. In quarum sedibus sunt aliæ quattuor illegitimæ sorores institutæ, quæ à fornicario progenitæ sunt, & vocantur iam dominæ. Quarum prima vocatur domina superbia, quæ est ad placendum mundo. Secunda vocatur domina delectatio, secundum omnem carnis appetitum. Tertia vocatur domina superfluitas, super omnem necessitatem. Quarta vocatur domina simonia, a cuius deceptione se quasi nullus custodire potest, quia verum iuste, vel iniuste acquisitum sit, quod recipit, tamen omnia recipit cum cupiditate. Istæ vero quattuor Dominæ loquuntur contra præcepta Dei, volentes ea annihilare, & tribuunt occasionem multis animabus ad ęternam damnationem. Propterea domine facite propter charitatem, quã Deus vobiscum fecit, & iuuate istas quattuor sorores, quæ vocantur virtutes, quæ processerunt de ipsa virtute Iesu Christo summo Rege. Quæ & iam depressæ sunt in

sancta

sancta Ecclesia, quæ est patrimonium Christi, vt exaltentur vitius. Et vt vitia, quæ vocantur Dominæ in mundo, deprimantur, quæ sunt productrices animarum, quia natæ sunt de ipso vitio diabolo proditore.

VERBA MONITIONIS sponsę ad quendam Dominum de restitutione facienda de iniuste acquisitis. Et de voce Angeli sententiam contra ipsum proferentis crudelem.

CAP. XLVI.

DOMINE. Vos de periculo animę vestræ præcaueo. Reducendo ad memoriam, quomodo Rex quidam in veteri testamento legitur vnius hominis vineam desiderasse, & pro vinea plenum pretium præbuisse. Sed quia possessori non placuit vineam vendere. Indignatus Rex, vineam sibi per iniustitiam, & violentiam vsurpauit. Ad quem postmodum Spiritus sanctus per os vnius Prophetæ loquebatur, iudicans Regē, ac Reginam, pro illa iniustitia turpissimā morte debere mori. Quod vero in eis completum est. Ipsorumque liberi de prędictæ vineæ possessionem nequaquam sunt lætati. Nunc igitur cum vos Christianus estis, & fidem integraliter habetis, & scitis certissime eundem Deum, nunc esse, qui tunc erat, & ita potentem, & iustum sicut tunc. Ideo sine omni hęsitatione scire potestis, quod si aliquid possidere desideraueritis iniuste, aut cogendo possessorem ad vendendum contra velle suum, aut nullum pretium pro eo exhibendo, vindex erit ille potens, & iustus iudex. Vos quoque in doloribus timere habetis tale iudicium super vos venire, quale super illam reginam legitur peruenisse, vestrosque liberos de male acquisitis non ditari, sed magis inopia tribulari. Te igitur per Iesu Christi passionem, qui tuam animam suo pretioso sanguine redemit hortor, & admoneo, vt animam tuam pro aliquibus transitorijs personaliter non disperdas, sed omnibus iniuste a te, vel ob tui causam damnificatis, plene satisfacias, & quicquid iniuste acquisisti restituas, illis ad cōsolationem, qui nunc dolorem patiuntur, atque alijs in exemplum, si Dei amicitiam volueris obtinere. Deus est mihi testis, quod tibi ista non scribo a me, cum tui notitiam non habeā, sed illud, quod vni personæ contigit hoc me cum diuina compassione animę tuæ compulit ad scribendum. Illa enim persona non dormiens, sed vigilans, audiuit in orationibus suis vocem Angeli dicentis. Vrsæ Vrsæ, qui nimis audax es contra Deū, & iustitiam, tua voluntas vicit in te conscientiam tuam. Ita quod conscientia tua omnino tacet, & voluntas loquitur, & operatur. Ideo cito venies in iudicium ante iudicium Dei, & voluntas tua silentium tenebit, & consciētia tua loquetur, & teipsum secundum iustitiæ rectitudinem iudicabit.

VERBA FILII AD SPONSAM, quomodo diaboli tentationibus debemus præcauere. Et qualiter diabolus per hostem, Deus per gallinam, eius potentia, & sapientia per alas, eius misericordia per pennas, & homines per pullos designantur.

CAP. XLVII.

FILIVS loquitur. Si hostis pulsat ad ianuam, non debetis esse, sicut capræ currentes ad murum. Nec sicut arietes, qui eleuantes se pedibus anterioribus, mutuo se impingunt cornibus, sed estote sicut pulli, qui videntes in aere auem volentem nocere eis, fugiunt sub alas matris, vt abscondantur. Qui etiam si non plus, quam vnam pennam matris valent apprehendere, & sub illa se contegere gaudent.
1 1 Quis autem est hostis vester nisi diabolus, qui omnibus bonis actibus inuidet, cuius pulsare est mentem hominis tentationibus commouere, pulsat quippe quandoque ira, & detractione, quandoque impatientia, & dijudicatione iudiciorum Dei, quando scilicet omnia non succedunt ad votum suum, immo etiam frequentius pulsat, & inquietat vos innumeris cogitationibus, vt a seruitio Dei abstrahamini, & vt opera vestra bona apud Deum obfuscentur. Ideo qualescunque fuerint cogitationes vestræ non debetis dimittere locum vestrum, nec esse sicut capræ currentes ad murum, idest, habere duritiam cordis, aut iudicare opera aliena in cordibus vestris, quia sæpius, qui
2 hodie est malus, cras bonus est. 2 Sed debetis submittere cornua vestra, & stare, & auscultare, idest humiliare vos, & timere, habendo patientiam, & rogando Deum, vt male incepta in meliora conuertantur.

Nec

3 Nec etiam esse debetis sicut arietes ventilantes cornibus, idest verba dare pro verbis & improperia iungere improperijs, sed stare debetis constanter supra pedes, & silere, idest fortiter reprehendere affectiones carnis, vt in loquendo, & respondendo habeatis præmeditationem, & uiolentiam quandam cum patientia, quia viri iusti est vincere se ipsum, & a licitis etiam locutionibus, propter vitandum multiloquium, & offensam abstinere. Nam qui in commotione animi effundit nimis quod sentit, videtur quodammodo vindicasse seipsum, & indicasse leuitatem animi sui, & ideo vacuus erit a corona, quia noluit patientiam habere ad tempus, propter quam patientiam, & fratrem offendentem, lucratus fuisset, & seipsum ad maio-
4 rem coronam præparasset. 4 Quid uero sunt alæ gallinæ, nisi potentia, & sapientia diuina? Ego quippe sum quasi gallina, qui pullos currentes ad uocem meam, idest desiderantes obumbrationem alarum mearum, & potenter defendo a diaboli laqueis, & sapienter inspirationibus meis prouoco ad salutem. Quid vero est penna nisi misericordia mea, quam qui obtinuerit ita securus esse potest, sicut pullus, qui sub alis matris refouetur. Ergo estote sicut pulli currentes ad voluntatem meam, & in omnibus tentationibus, & cōtrarijs dicite voce, & operibus fiat voluntas Dei, quia ego confidentes in me defendo potentia mea. Reficio misericordia mea, teneo potentia mea, visito consolatione mea, & illumino sapientia mea. Remunero in centuplum charitate mea.

NOTAE.

1 QVis autem est hostis vester nisi diabolus, qui omnibus bonis actibus inuidet.

Aduersarius, & hostis is proprie dicitur, qui odio aliquem prosequens, ei mala procurat, atque hinc dæmones hostes in primis nostri sunt, qui nobis inuidentes, id quod optimum est, nempe animam prosequuntur, quam perdere nituntur, de quo Petrus apostolus in prima sua canonica cap. 5. scribit aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; atque hunc in pluribus sacrarum litterarum locis hostem, & inimicum appellari compertum est, vt Matth. 13. dicitur. Inimicus homo Lucæ 10. ad Timot. 5. Hebræorum 10. quod etiam annotauerunt D. Gregorius super primum regum cap. 2. Arnob. super psal. 67. Origen. in Leuit. Homil. 16. & super Lucam Hom. 35 & 38. D. Aug. super psal. 40. D. Basil. super psal. 29. & 37.

2 Sed debetis submittere cornua vestra, & stare, & auscultare, idest humiliare uos.

In præsenti nota Christus Dominus per Beatam Brigittam nos admonet, vt nostra cornua submittamus, vtque virtutem humilitatis, & patientiæ assequi studeamus, cornua autem submittere non aliud significare arbitror, quam prauos concupiscentiæ affectus reprimere, vitia fugere, virtutes propter humilitatis, & patientiæ sectari, & hoc est, quod paulo infra legimus, sed stare debetis constanter supra pedes, & silere, idest fortiter reprehendere affectiones carnis, quæ propter egregie D. Gregorius Magnus libro primo Regum cap. 16. explicans illud cap. 3. Regum. Tulit igitur Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum, cornu inquit recipit in sublimitate ordinis, oleum ad fomenta virtutis, sed pleno cornu vngitur, vt virtus Pontificis plena doceatur cornu nanque plenum in vnctione sua habet, si iam in virtute patientiæ, quam misericordiæ perfectus est.

3 Nec etiam esse debetis sicut arietes, uentilantes cornibus, idest dare uerba pro uerbis.

Ex his verbis liquido constat quid Dominus per cornua ventilare indicare voluerit, nimirum verba dare pro verbis, & quidem cum ventilare aliud non sit, quam ventum excitare, vel in ventum aliquid mittere, agitare, & versare, sic quoque ille, qui verba dat, non aliud facere videtur, quam vel ventum excitare, aut aerem pugno, vel calcibus verberare, quod proprie de eo dicitur, qui incassum aliquid facit, vnde Paulus Apostolus primo Corinth. 9. indicare uolens se non frustra contra mundum carnem, & dæmonem pugnare, sed pugnando aduersarios vincere, non nudis verbis, sed affectuosis precibus, ac bonis operibus dicit sic pugno, non quasi aerem verberans.

4 Quid uero sunt alę gallinę nisi potentia, & sapientia diuina, ego quippe sum quasi gallina, qui pullos currentes ad uocem meam, idest desiderantes obumbrationem alarum mearum, & potenter defendo a diaboli laqueis, & sapienter inspirationibus meis prouoco ad salutem.

Duas Redemptor noster Christus in præsenti nota de se ipso loquens similitudines affert. Primo quidem potentiam suam, ac sapientiam alis gallinæ comparat: secundo vero seipsum ipsimet gallinæ similem facit, & quidem cum Deus cunctorum sit creator hominum, idem quoque conseruator, ac protector eorum est, eosque duabus veluti alis defendit, ac protegit, potentia nimirum, ac sapientia, potentia quidem, qua illos ab hoste potente potenter eripit, sapientia vero, qua eosdem per sacram doctrinam contra dæmonis astutiam tuetur, hominemque ad se trahit, nullam vim libero inferendo arbitrio, vnde hanc a Deo Dauid protectionem petens cecinit ps. 16. Sub vmbra alarum tuarum protege me, quod exponens Diuus Hieronymus, sub ista inquit vmbra protege me, vt me non rapiat Miluus, & sub

duabus

[..]nibus Testamentorum alis, idest ipsorum doctrinis, quibus viuitur, custoditur, ac regitur, sicut gallina, quia per gallinam intelligitur sapientia Dei Patris: sicut enim gallina sub alis pullos suos abscondit propter Miluos, sic & sapientia diuina, et duæ alæ, quæ sunt duo testamenta, protegunt Ecclesiam, idem annotarunt Arnob. in psal. 16. & 90. D. Aug. de essentia diuinitatis. Postremo Christus ipsimet gallinæ similis hic esse dicitur, quia sicut illa miro quodam affectu suos protegit pullos, & ad cibum conuocat, eorumq. infirmitatibus affecta infirmatur, & in Miluum insurgit, sic Christus per carnis assumptionem infirmatus nos protegit, conseruat, ac nutrit, suisq. alis a dæmonum incursibus tuetur, quod etiam tradiderunt Origenes in Matt. hom. 26. D. Aug. de verbis Domini serm. 29. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5 Ludolphus de vita Christi 2. par. cap. 38.

VERBA FILII AD SPONSAM de quodam Rege, qualiter debeat augere Dei honorem, & charitatem ad animas, & de sententia contra eum si non fecerit.

CAP. XLVIII.

FILIVS Dei loquitur. Si iste Rex velit me honorare, Primo minuat dedecus meum, & augeat honorē meum: dedecus quippe meum est, quod præcepta mea quæ præcepi, & verba quæ personaliter loquutus sum contemnuntur, & quasi a pluribus pro nihilo reputantur. Si igitur velit me diligere, habeat amodo maiorem charitatem ad animas omnium; pro quibus ego aperui cęlum cum sanguine cordis mei. Si autem plus desiderat requiem, quæ est cum Deo, quam dilatare patrimonium suum, habebit profecto maiorem delectationem, & auxilium a Deo reuincere locum illum Hierusalem, in quo iacuit mortuum corpus meum. Dic insuper tu, quæ hæc audis. Ego Deus permisi eum coronari. Ideo ad ipsum pertinet plus sequi voluntatem meam, & me super omnia honorare, & diligere. Quod si non fecerit breuiabuntur dies eius. Hi quoque, qui carnaliter eum diligunt, separabuntur ab eo cum tribulatione, Regnumque eius in plures partes diuidetur.

VISIO SPONSAE SVB figura Ecclesiæ, & de eius expositione, in qua continentur modus, & status, quos Papa debet tenere respectu sui, & respectu Cardinalium, & aliorum Prælatorum sanctæ Matris Ecclesię, & quam maxime in statu humilitatis.

CAP. XLIX.

VNI personę videbatur quasi quod esset in magno choro.
1 Et apparuit sol magnus, & lucens, duoq. sedes quasi prædicator in choro erant, vna a dextris, aliaq. a sinistris, distantes a sole longo spatio, & interuallo, duoq. radij de sole ad sedes procedebant. Tunc vox vna audiebatur de sede, quę ad sinistram partem erat, dicens. Aue Rex in æternum, creator, & redemptor, iustusq. iudex.
2 Ecce Vicarius tuus, qui sedet in sede tua in mundo, reduxit iam sedem suam in antiquum, & priorem locum, vbi sedit primus Papa Petrus, qui fuit Princeps Apostolorum. Respondit vox de dextra sede dicens. Quomodo, inquit, poterit intrare in sanctam Ecclesiam, in qua foramina cardinum sunt plena rubigine, & terra? Ideo & postes inclinati sunt ad terram, quia in foraminibus non est locus vbi vncini imprimantur, qui postes deberent sustentare. Vncini quoq. sunt extensi ad plenum, nihilq. curuati ad postes tenendum. Pauimentum vero totum effossum est, & conuersum in foueas profundas, ad modum puteorum profundissimorum, quæ nullum omnino habent fundum. Tectum autem est linitum pice, & ardet de igne sulphureo, stillans quasi pluuia densa. De nigredine vero, & spissitudine fumi, qui de abysso fossarum, & de stillicidijs tecti ascendit, oēs parietes maculati sunt, & ita deformes in colore ad intuendū quasi sanguis cōmixtus putrida sanie. Ideo amicum Dei nō decet mansionem habere in tali templo. Respondit vox de sede ad partem sinistram. Expone, inquit, spiritualiter, quæ dixisti corporaliter.
3 Tunc ait vox, Papa similatur, & designatur in postibus. In foraminibus vero cardinum significatur humilitas, quæ sic vacua debet esse ab omni superbia, vt nihil appareat in ea, nisi quod pertinet ad officium humile Pontificale, sicut foramen debet esse vacuum totaliter a rubigine, sed iam foramina, idest humilitatis insigna, sunt ita repleta

3 Nec etiam esse debetis sicut arietes ventilantes cornibus, idest verba dare pro verbis & improperia iungere improperijs, sed stare debetis constanter supra pedes, & silere, idest fortiter reprehendere affectiones carnis, vt in loquendo, & respondendo habeatis præmeditationem, & uiolentiam quandam cum patientia, quia viri iusti est vincere se ipsum, & a licitis etiam locutionibus, propter vitandum multiloquium, & offensam abstinere. Nam qui in commotione animi effundit nimis quod sentit, videtur quodammodo vindicasse seipsum, & indicasse leuitatem animi sui, & ideo vacuus erit a corona, quia noluit patientiam habere ad tempus, propter quam patientiam, & fratrem offendentem, lucratus fuisset, & seipsum ad maio-
4 rem coronam præparasset. 4 Quid uero sunt alæ gallinæ, nisi potentia, & sapientia diuina? Ego quippe sum quasi gallina, qui pullos currentes ad uocem meam, idest desiderantes obumbrationem alarum mearum, & potenter defendo a diaboli laqueis, & sapienter inspirationibus meis prouoco ad salutem. Quid vero est penna nisi misericordia mea, quam qui obtinuerit ita securus esse potest, sicut pullus, qui sub alis matris refouetur. Ergo estote sicut pulli currentes ad voluntatem meam, & in omnibus tentationibus, & cōtrarijs dicite voce, & operibus fiat voluntas Dei, quia ego confidentes in me defendo potentia mea. Reficio misericordia mea, teneo potentia mea, visito consolatione mea, & illumino sapientia mea. Remunero in centuplum charitate mea.

NOTAE.

1 QVis autem est hostis vester nisi diabolus, qui omnibus bonis actibus inuidet.

Aduersarius, & hostis is proprie dicitur qui odio aliquem prosequens, ei mala procurat, atque hinc dæmones hostes in primis nostri sunt, qui nobis inuidentes, id quod optimum est, nempe animam prosequuntur, quam perdere nituntur, de quo Petrus apostolus in prima sua canonica cap. 5. scribit aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; atque hunc in pluribus sacrarum litterarum locis hostem, & inimicum appellari compertum est, vt Matth. 13. dicitur. Inimicus homo Lucæ 10. ad Timot. 5. Hebræorum 10. quod etiam annotauerunt D. Gregorius super primum regum cap. 2. Arnob. super psal. 67. Origen. in Leuit. Homil. 16. & super Lucam Hom. 35 & 38. D. Aug. super psal. 90. D. Basil. super psal. 29. & 37.

2 Sed debetis submittere cornua vestra, & stare, & auscultare, idest humiliate uos.

In præsenti nota Christus Dominus per Beatam Brigittam nos admonet, vt nostra cornua submittamus, vtque virtutem humilitatis, & patientiæ assequi studeamus, cornua autem submittere non aliud significare arbitror, quam prauos concupiscentiæ affectus reprimere, uitia fugere, virtutes præsertim humilitatis, & patientiæ sectari, & hoc est, quod paulo infra legimus, sed stare debetis constanter supra pedes, & silere, idest fortiter reprehendere affectiones carnis, quæ propter egregie D. Gregorius Magnus libro primo Regum cap. 16. explicans illud cap. 3. Regum. Tulit igitur Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum, cornu inquit recipit in sublimitate ordinis, oleum ad fomenta virtutis, sed pleno cornu vngitur, vt virtus Pontificis plena doceatur cornu nanque plenum in vnctione sua habet, si iam in virtute patientiæ, quam misericordiæ perfectus est.

3 Nec etiam esse debetis sicut arietes, uentilantes cornibus, idest dare uerba pro uerbis.

Ex his verbis liquido constat quid Dominus per cornua ventilare indicare voluerit, nimirum verba dare pro verbis, & quidem cum ventilare aliud non sit, quam ventum excitare, vel in ventum aliquid mittere, agitare, & versare, sic quoque ille, qui verba dat, non aliud facere videtur, quam vel ventum excitare, aut aerem pugno, vel calcibus verberare, quod proprie de eo dicitur, qui incassum aliquid facit, vnde Paulus Apostolus primo Corint. 9. indicare uolens se non frustra contra mundum carnem, & dæmonem pugnare, sed pugnando aduersarios vincere, non nudis verbis, sed affectuosis precibus, ac bonis operibus dicit sic pugno, non quasi aerem verberans.

4 Quid uero sunt alę gallinę nisi potentia, & sapientia diuina, ego quippe sum quasi gallina, qui pullos currentes ad uocem meam, idest desiderantes obumbrationem alarum mearum, & potenter defendo a diaboli laqueis, & sapienter inspirationibus meis prouoco ad salutem.

Duas Redemptor noster Christus in præsenti nota de se ipso loquens similitudines affert. Primo quidem potentiam suam, ac sapientiam alis gallinæ comparat: secundo vero seipsum ipsimet gallinæ similem facit, & quidem cum Deus cunctorum sit creator hominum, idem quoque conseruator, ac protector eorum est, eosque duabus veluti alis defendit, ac protegit, potentia nimirum, ac sapientia, potentia quidem, qua illos ab hoste potente potenter eripit, sapientia vero, qua eosdem per sacram doctrinam contra dæmonis astutiam tuetur, hominemque ad se trahit, nullam vim libero inferendo arbitrio, vnde hanc a Deo Dauid protectionem petens cecinit ps. 16. Sub vmbra alarum tuarum protege me, quod exponens Diuus Hieronymus, sub ista inquit vmbra protege me, vt me non rapiat Miluus, & sub

duabus

Anibus testamentorum alis, idest ipsorum doctrinis, quibus viuitur, custoditur, ac regitur, sicut gallina, quia per gallinam intelligitur sapientia Dei Patris: sicut enim gallina sub alis pullos suos abscondit propter Miluos, sic & sapientia diuina, et duo alæ, quæ sunt duo testamenta, protegunt Ecclesiam, idem annotarunt Arnob. in psal. 16. & 90. D. Aug. de essentia diuinitatis. Postremo Christus ipsimet gallinæ similis hic esse dicitur, quia sicut illa miro quodam affectu suos protegit pullos, & ad cibum conuocat, eorumq. infirmitatibus affecta infirmatur, & in Miluum insurgit, sic Christus per carnis assumptionem infirmatus nos protegit, conseruat, ac nutrit, suisq. alis a dæmonum incursibus tuetur, quod etiam tradiderunt Origenes in Matt. hom. 26. D. Aug. de verbis Domini serm. 29. Eucherius de spiritualibus formulis cap. 5 Lodulphus de vita Christi 2. par. cap. 38.

VERBA FILII AD SPONSAM de quodam Rege, qualiter debeat augere Dei honorem, & charitatem ad animas, & de sententia contra eum si non fecerit.

CAP. XLVIII.

FILIVS Dei loquitur. Si iste Rex velit me honorare. Primo minuat dedecus meum, & augeat honorē meum: dedecus quippe meum est, quod præcepta mea quæ præcepi, & verba quæ personaliter loquutus sui contemnuntur, & quasi a pluribus pro nihilo reputantur. Si igitur velit me diligere, habeat amodo maiorem charitatem ad animas omnium; pro quibus ego aperui cęlum cum sanguine cordis mei. Si autem plus desiderat requiem, quæ est cum Deo, quam dilatare patrimonium suum, habebit profecto maiorem delectationem, & auxilium a Deo reuincere locum illum Hierusalem, in quo iacuit mortuum corpus meum. Dic insuper tu, quæ hæc audis. Ego Deus permisi eum coronari. Ideo ad ipsum pertinet plus se, qui voluntatem meam, & me super omnia honorare, & diligere. Quod si non fecerit breuiabuntur dies eius. Hi quoque, qui carnaliter eum diligunt, separabuntur ab eo cum tribulatione, Regnumque eius in plures partes diuidetur.

VISIO SPONSAE SVB figura Ecclesiæ, & de eius expositione, in qua continentur modus, & status, quos Papa debet tenere respectu sui, & respectu Cardinalium, & aliorum Prælatorum sanctæ Matris Ecclesię, & quam maxime in statu humilitatis.

CAP. XLIX.

VNI personę videbatur quasi quod esset in magno choro.
1 Et apparuit sol magnus, & lucens, duoq. sedes quasi prædicator in choro erant, vna a dextris, aliaq. a sinistris, distantes a sole longo spatio, & interuallo, duoq. radij de sole ad sedes procedebant. Tunc vox vna audiebatur de sede, quę ad sinistram partem erat, dicens. Aue Rex in æternum, creator, & redemptor, iustusq. iudex.
2 Ecce Vicarius tuus, qui sedet in sede tua in mundo, reduxit iam sedem suam in antiquum, & priorem locum, vbi sedit primus Papa Petrus, qui fuit Princeps Apostolorum. Respondit vox de dextra sede dicens. Quomodo, inquit, poterit intrare in sanctam Ecclesiam, in qua foramina cardinum sunt plena rubigine, & terra? Ideo & postes inclinati sunt ad terram, quia in foraminibus non est locus vbi vncini imprimantur, qui postes deberent sustentare. Vncini quoq. sunt extensi ad plenum, nihilq. curuati ad postes tenendum. Pauimentum vero totum effossum est, & conuersum in foueas profundas, ad modum puteorum profundissimorum, quæ nullum omnino habent fundum. Tectum autem est linitum pice, & ardet de igne sulphureo, stillans quasi pluuia densa. De nigredine vero, & spissitudine fumi, qui de abysso fossarum, & de stillicidijs tecti ascendit, oēs parietes maculati sunt, & ita deformes in colore ad intuendū quasi sanguis cōmixtus putrida sanie. Ideo amicum Dei nō decet mansionem habere in tali templo. Respondit vox de sede ad partem sinistram. Expone, inquit, spiritualiter, quæ dixisti corporaliter.
3 Tunc ait vox, Papa similatur, & designatur in postibus. In foraminibus vero cardinum significatur humilitas, quæ sic vacua debet esse ab omni superbia, vt nihil appareat in ea, nisi quod pertinet ad officium humile Pontificale, sicut foramen debet esse vacuum totaliter a rubigine, sed iam foramina, idest humilitatis insigna, sunt ita

repleta

repleta ſuperfluitatibus,& diuitijs, & facultatibus,quę ad nihil aliud cuſtodiuntur niſi ad ſuperbiam, quod nihil apparet humile, quia tota humilitas cōuerſa eſt ad mundanā pompam.Ideo non mirum quod Papa,qui ſimilatur in poſtibus, inclinatus eſt ad mundialia,quæ ſignantur in rubigine,& in terra Propterea Papa incipiat veram humilitatē in ſeipſo,primo in apparatu ſuo,in veſtibus in auro,& argento,& vaſis argenteis, in equis,& alijs vtenſilibus, ſegregando de eis omnibus ſola neceſſaria ſua, alia vero erogando pauperibus, & ſpecialiter his quos nouerit amicos Dei. Deinde moderate diſponat familiam ſuā, & neceſſarios habeat famulos,qui vitam ſuam cuſtodiant, quia licet in manu Dei eſt,quando eum velit vocare ad iudicium, iuſtum tamen eſt vt habeat famulos propter roborandam iuſtitiā, & vt eos,qui ſe contra Deum, & ſanctam Eccleſiæ conſuetudinem erigunt valeat humi-

4 liare. 4 In vncinis vero, qui poſtibus coniunguntur ſignificantur Cardinales qui extenti,& effuſi ſunt,in quantum valent,ad omnem ſuperbiam,cupiditatem, & carnis delectamentum.Ideo recipiat Papa in manu malleum,& forficem,& flectat cardines ad velle ſuum, non permittendo eos habere plura de veſtibus,& familia,& de vtenſilibus, niſi quantum requirit neceſſitas,& vitæ vſus. Flectatque eos forfice, ideſt verbis lenibus, & conſilio diuino,paternaque charitate,quī ſi noluerint obedire,recipiat malleum, ſcilicet oſtendendo eis ſeueritatem ſuam, faciendoque quicquid poterit, quod tamen non ſit contra iuſtitiam,donec flectantur ad velle ſuum. In pauimento autem ſignificantur Epiſcopi,& clerici ſeculares, quorum cupiditas nullum habet fundum, de quorum ſuperbia,& vita luxurioſa procedit fumus, ob quem abominantur eos omnes Angeli in cęlis.& amici Dei in terris. Iſta enim Papa in multis emendare poteſt, ſi vnumquemq. permittit habere neceſſaria, non ſuperflua, præcipiatque vnicuique Epiſcopo attendere ad cleri ſui vitam, & omnis qui noluerit emendare vitam ſuam, & ſtare in continentia, priuetur omnino præbenda ſua, quia charius eſt Deo,quod in illo loco non dicatur Miſſa,quam quod manus meretricæ tangant corpus Dei.

N O T Æ.

1 ET apparuit ſol magnus,& lucens,duęq. ſedes quaſi prædicator in choro erant vna a dextris,aliaq. a ſiniſtris.

Per ſolem in præſenti nota, non aliud intelligendum eſſe arbitror, quam tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonæ,a quibus B.Brigitta de toto Catholicæ Eccleſiæ ſtatu,deque miniſtris eius certior redditur: & ideirco paulo poſt de eodem ſole radios duos procedere legimus.Verbum enim procedit a Patre, & Spiritus ab vtroque, hac eadem ſimilitudine vt Sacroſanctum Trinitatis myſterium exprimerent, vſi ſunt ſancti Patres,vt D. Auguſtinus tract. 20 in Ioann. Attende, ait,candorem lucis,in cælo eſt, & expandit candorem per terras omnes, per maria omnia,& vtique corporalis lux eſt,ſi ſeparas candorem ſolis a ſole,ſeparas Verbum a Patre: idem habent D.Greg. Nyſſenus in oratione ad Simplicium. D.Greg.Nazianz.ad Euagrium de Deitate. Tertullianus aduerſus Praxeam. Euſebius Emiſſenus in hom. 1.de ſimb.Damaſ.lib.1.de fide cap. 9. & 11.

1 *D.Hieron.in pſalm. 71.& ibidem Auguſtinus explicantes verſiculum pſalmi, ante ſolem permanet nomen eius.*

2 Ecce Vicarius tuus. qui ſedet in ſede tua in mundo, reduxit iam ſedem ſuam in antiquum,& priorem locum.

Hæc quæ in præſenti nota ſcripta ſunt arbitror intelligenda eſſe de Vrbano V. Pont.Max.qui Pon-

c *tificiam ſedem ex Auinione ad Vrbem reduxit, & propterea ſcribitur hic, ecce Vicarius tuus reduxit ſedem, &c. atque ſub hoc Pontifice Beatiſſimam Brigittam ſanctitate floruiſſe teſtatur Platina in vita Vrbani V.circa finem,immo addit Ioannes Nauclerus volu. 2. ſuæ chronographiæ,generatione 46. eam veniſſe Romam ſedente Vrbano,ā quo benigne ob eius vitæ ſanctitatem excepta eſt,eamq. obtinuiſſe confirmationem Religionis, quā inſtituerat, tum virorum,tum mulierum,qua de re videndus eſt ibidem Nauclerus, qui plura ad rem hanc pertinentia annotauit;idem late proſequitur Polydorus Virgilius lib. 7.de inuentoribus rerum cap. 4. & nos etiam tradidimus infra hoc eodem lib. cap. 138. Verum quia ex præſentis capitis narratione aperte colligi minime poteſt,quiſnam in ſpecie Pontifex fuerit,qui Pontificiam ſedem ad Vrbem reuocauerit, cuius hoc loco mentio fit, ideo cenſeo poſſe etiam verba præſentis notæ intelligi de Gregorio XI. Pontifice, qui ipſe quoq. ex Auinione Romam venit anno D. 1376. vt auctor eſt Platina in vita ipſius & quamquam B. Brigitta tunc temporis iam ad cælum migraſſet,obijt enim anno D. 1373. potuit tamē hoc illi diuinitus prius propalari, & ipſa hoc idem alijs prædicere, nec cuique mirum eſſe debet, ſi hoc prædicendo præterito tempore vſa ſit, quaſi id iam factum eſſe affirmauerit: hoc enim apud Prophe-*

E *tas eſt in more poſitum, vt ſub re præterita aliquid futurum eſſe enunciēt, adeo certi ſunt de his quæ ſibi diuinitus prædicuntur: complectitur namque Prophetia tria tempora,præſens,præteritum,& futurum,ſic docet D.Greg.Magnus hom. 1. in Ezechielem non longe ab initio; reſtat inquit nunc,vt adhuc de ſacris eloquijs oſtendamus, quomodo in ipſo prophetiæ ſpiritu ex præteritis futura probentur.*

tur, quod ibi latissime probat, ut etiam D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 3. & nos fuse ostendimus in Praeludijs ad Reuelat. B. Brigittae cap. 7. vbi has quoque reuelationes propheticas esse censendas demonstrauimus.

3 Tunc ait vox Papa assimilatur, & designatur in postibus.

Quemadmodum per ianuam ingredientibus domum aditus patet, sic quoque per Romanum Pontificem ad Regnum caelorum ingressus hominibus datur, vnde mirum non est, si in praedicta visione ipse postibus comparetur. Is enim est, de quo Matth. 16. scribitur, quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in caelis, merito ergo Apostolorum Princeps Petrus Ianitor caeli vocatur, quippe qui claues eius habet, & portas aperit, vnde Isaias tertio. Portae Sion, Pastores appellantur.

4 In cardinibus vero, qui postibus coniunguntur significantur Cardinales.

De superiori dicto explicauimus quare Romanus Pontifex postibus comparetur, nunc vero superest ostendamus quare Cardinibus, qui postibus coniunguntur, Cardinales similes esse dicantur, est enim cardo id super quod domus ostium vertitur, ipsique proxime adhaeret, & sustentat: ita pariter Cardinales sunt, qui Consiliarij Papae existentes simul cum eo Regiminis Ecclesiastici onus portant, ac sustentant, eique proxime assistunt, ut cardines ostio: Cardinalis vero idem significare videtur, quod principalis, & a quo alij pendent, ut a cardine ostium, vnde D. Isidorus lib. 7. Ethimolog. c. 97. Cardinales caeli dictos esse censet, eo quod ab his caeli motus pendeat, quia per eos voluitur caelum, & D. Augustinus lib. 1. de Baptismo cap. 8. eos qui inter haereticos Donatistas principem locum tenebant Cardinales Donatistas appellat, & ventos primarios Cardinales aliqui vocant, sicut etiam, & virtutes Cardinales, & alia sexcenta. Caeterum in reddenda ratione, quapropter Pontificis Electores Cardinales dicantur aliqualis inter doctores dissensio est, nam Cardinalis Bellarminus de Clericis lib. primo cap. 16. controuersia quinta putat huiusmodi nomen fuisse primum loco impositum, & inde ad personas deriuatum, quaedam enim principaliores Ecclesiae, in quibus Baptismatis conferrebatur sacramentum tituli Cardinales vocabantur, ad discrimen minus principalium; hinc illarum rectores presbyteros Cardinales appellabant; insuper ea quoque loca, quae reperiebantur in vrbe distincta principalia, iuxta regionum numerum Diaconias Cardinales nominabant, hi vero, qui his praeerant Diaconos Cardinales. Postremo Episcopi Cardinales dicti sunt sex illi, qui ad Romanum eligendum Pontificem conueniebant, & eiusdem consiliarij erant prater caeteros alios Episcopos, quae omnia probat ex Concil. Meldensi Can. 54. & ex Ioan. Diacono in vita S. Gregor. lib. 3. cap. 11. hactenus Cardinalis Bellarminus, sed quidquid sit de nominis Ethimologia, quoniam nostrum non est hoc loco singulas dubitationes soluere, quas in vniuersum Doctores Theologi, & Canonistae hac de re pertractare consueuerunt, quaedam solum hic attulimus, quae ad praesentis notae cognitionem facere videbantur, si quis autem plura cognoscere velles, scireque, quod nam Cardinalium officium sit, queve in Ecclesia eorum propria functio, legendi sunt imprimis Cardinalis Paleottus de sacri consistorij consultationibus, vbi plura hac de re congerit, & Hieron. Platus in libro quem de officio Cardinalis omnium postremus specialiter edidit. D. Antoninus in sua summa 3. p. tit. 21. Augustinus Triumphus de potestate Ecclesiae q. 102. Aluarus Pelag. de planctu Ecclesiae lib. 2. art. 16. Turecremata lib. 1. summae de Ecclesia cap. 81. 82. 83. & 84. Cardinalis Iacobatius lib. 1. de Concilijs art. 12. Card. Albanus in lib. de Cardinalibus, Andreas Barbatius de praestantia Cardinalium. & alij plures, ex quibus colligi potest Cardinalium officia esse tripartita: primum quidem commune est cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, omnes enim, aut in Episcopali aut Presbyterali, aut Diaconali officio sunt, Secundum eorum officium est, Romanum Pontificem eligere. Postremum eidem Pontifici perpetuo assistere, eumque in administrandis rebus Ecclesiasticis, ac regendis industria, consilioque adiuuare, vnde proprie Consiliarij, & Assistentes Papae appellantur.

VISIO INCOMPREHENsibilis sponsae de iudicio multarũ personarum adhuc viuentium, in qua audiuit, si homines emendauerint peccata, & ego iudicium mitigabo.

CAP. L.

MIHI videbatur quasi quod Rex vnus sederet in sede iudiciaria, & qualibet persona viuens staret ante illũ qualibetque persona habebat duos stantes iuxta se, quorũ vnus apparebat, quod esset quasi miles armatus. Alter vero quasi Ethiops niger. Ante vero iudicium stabat pulpitum, in quo iacebat liber eo modo dispositus, sicut vidi prius, cũ ante eum tres Reges viderem stare, scilicet 8. lib. c. 48. Vidi etiam quod quasi totus mundus staret ante pulpitum, & audiui iudicem, tunc dicentem ad militem illum armatum. Voca inquit ante iudiciũ illos, quibus tu seruiui

uiuiſti cum charitate. Et mox illi, qui nominabantur ceciderunt. Quorum quidā iacuerunt longiori mora, quidam breuiori, antequam animæ ſepararentur a corpore. Omnia autem quæcunque vidi, & audiui tunc, non valeo comprehendere, quia audiui iudicia multorum adhuc viuentium, qui adhuc cito vocabuntur. Attamen ſic dictum eſt mihi a iudice. Si, inquit, emendauerint peccata homines, & ego iudicium mitigabo. Multos quoque tunc vidi iudicari, quoſdam ad purgatorium, alios ad væ ſempiternum.

VISIO ADMIRABILIS, ET terribilis ſponſæ, de quadam anima ante iudicem præſentata, & oppoſitionibus Dei. Et libri iudicij contra ipſam animam. Et de reſponſionibus animæ contra ſeipſam, & de diuerſis pœnis ſtupendis ſibi ad purgationem latis.

CAP. LI.

MIHI videbatur, quaſi quod vna anima per militem, & Ethiopem quos videram prius, ante iudicem præſentaretur. Dictumque eſt mihi, hoc inquit, quod tibi nunc videtur, hoc totum factum eſt ſuper animam iſtam, eo tempore, quo a corpore ſoluebatur. Cumque anima præſentata fuiſſet iudici, ſtabat ſola, quia in neutrius manibus eorum erat, qui eam præſentabant. Stabat quoque nuda, & doloroſa, ignorans ad quæ deueniret. Deinde videbatur mihi, quod quodlibet verbum in libro reſpondebat per ſeipsū ad omnia quæcunque anima loquebatur. Igitur audiente iudice, & omni exercitu eius, miles ille armatus loquebatur primo ſic, nō eſt inquit iuſtitia, quod illa peccata replicentur animæ ad opprobrium, quæ confeſſione emendata ſunt. Veruntamen ego quæ iſta vidi, bene, & perfecte tunc noui, quod miles ille, qui loquebatur omnia nouit in Deo, ſed vt ego intelligerem loquebatur. Tunc de libro iuſtitiæ reſponſum eſt, quando pœnitentia facta fuit ab iſta anima, non ſubſequebatur contritio digna talibus peccatis. Nec vera ſatiſfactio. Ideo dolere debet nunc pro his, quæ tunc cum potuit non emendauit. Quibus dictis anima incepit plorare ita vehementer, quod quaſi tota confringeretur. Attamen lacrymæ videbantur, & vox non audiebatur. Deinde Rex loquebatur animæ dicens. Conſcientia inquit tua declaret modo peccata illa, quę ſatisfactio digna non ſequebatur. Tunc anima extulit vocem ſuam ita alte, quod quaſi poſſet audiri per totum mundum dicens. Væ inquit mihi, quia non feci iuxta mandata Dei, quæ audiui, & cognoui. Et accuſans ſeipſam addidit. Ego non timui iudicium Dei. Cui reſponſum eſt de libro. Ideo nunc timere debes diabolum. Et ſtatim anima timens, & contremiſcens, ac ſi tota ſolueretur dixit. Ego quaſi nullam charitatem habui ad Deum, ideo modica bona feci. Reſponſum eſt ei ſtatim de libro. Ideo iuſtitia eſt, te vicinius appropinquare diabolo, quam Deo, quia ipſe diabolus te ad ſe ſuis tentationibus allexit, & illexit. Anima reſpondit. Iam inquit intelligo, quod omnia quæcunque feci erant ſecundum diabolicas infuſiones. Reſponſum eſt de libro, iuſtitia dictat, quod iuris diaboli eſt retribuere tibi ſecundum ea, quæ egiſti, cum pœne, & tribulatione. Anima dixit. Nihil fuit à vertice capitis mei vſque calcaneum, quod niſi cum ſuperbia veſtiui. Quædam enim vana, & ſuperba portamenta, ego de nouo adinueni perſonaliter, quædam vero ſequebar ſecundum patriæ conſuetudinem, laui quoque manus, & faciem, non vt ſolum mundarentur, ſed vt ab homine laudarentur pulchra. Reſponſum eſt de libro. Iuſtitia dicit, quod iuris diaboli eſt retribuere tibi pro meritis, quia te ornaſti, & compoſuiſti ſicut ipſe tibi inſpirabat, & dictabat. Iterum dixit anima. Os meum ſæpe aperiebatur ad ſcurrilia, quia alijs placere volui. Et animus meus omnia illa deſiderabat, quæ pudor, & opprobrium mundi non ſequebatur. Reſponſum eſt de libro. Ideo lingua tua extrahi, & extendi debet, denteſque tui incuruari, & illa tibi apponētur, quæ omnino tibi diſplicent, omniaque illa tolli debent à te, quæ tibi placent. Dixit anima. Ego vehementer gaudebam ex eo, quod multi receperunt exempla, & occaſionē de his, quæ ego feci, & quod multi imitabantur mores meos. Reſponſum eſt de libro. Ideo eſt iuſtitia, quod omnis, qui deprehenſus fuerit in tali peccato, pro quo tu punieris, eandem pœnam ipſe patietur, & ipſe ad te adducetur, & tunc propter aduentum cuiuſlibet, qui imitabatur adinuentiones tuas, pœna tua augmentabitur. Quibus dictis videbatur mihi, quaſi quod vinculum quoddam eſſet alligatum in capite animę ad modum coronæ, & ſtringebatur ita fortiter, quod occiput, & frons coniungebatur ſimul. Oculi vero deciderunt a ſedibus ſuis, dependētes per radices ſuas ad genas,

Crines

Crines quoque quasi ab igne combusti arue-runt. Cerebrum autem rumpebatur, dessluens per nares, & per aures, lingua extendebatur, dentesque comprimebantur. Ossa vero in brachijs constringebantur, & quasi funes cõtorquebantur. Manus etiam decoriatæ, ad collum alligabantur. Pectus vero, & venter ita fortiter dorso coniungebantur, quod costis cõfractis cor cum omnibus interioribus euersum crepuit. Femora vero pendebant ad latera, ossaque confracta extrahebantur, eo modo quo filum tenue solet in globum glomerari. His visis ethiops respondit. O iudex peccata animæ iam sunt plagata secundum iustitiam. Coniunge ergo nos iam ambos me scilicet, & animam, ita quod nunquã separemur. Miles vero ille armatus respondit. Audi iudex. Tu qui scis omnia, ad te iã pertinet audire vltimam cogitationẽ, & affectionem, quam ista anima habebat circa finem vitæ suæ. Ipsa quippe in vltimo puncto taliter cogitauit. O si Deus vellet dare mihi spatium vitæ vellem, vtique libenter emendare peccata mea, omnique tempore vitæ meæ seruire ei, nec vnquam amplius ipsum offendere. Talia iudex cogitabat, & volebat. Memento etiam Domine, quod persona ista non tanto tempore vixit, quod obtineret plene intelligibilem conscientiam. Ideo Domine cogita inuentutem eius, & facito misericordiam. Tunc autem sic responsum est de libro iustitiæ. Talibus cogitationibus in fine non debetur infernus. Et iudex tunc ait, propter passionem inquit meam aperietur animæ cælum, purgatione prius pro peccatis recepta tanto tempore quanto tenetur pati, nisi obtinuerit auxilium ex bonis operibus aliorum viuentium.

Declaratio.

Hæc mulier vouit virginitatem in manu sacerdotis, & postea nupsit, quæ in partu postea periclitata moriebatur.

VISIO TERRIBILIS SPONSÆ, de quodam homine, & quadam muliere, & de expositione visionis sponsæ qualiter ab Angelo facta est, in qua multa mirabilia continentur.

CAP. LII.

VIDEBATVR mihi vnus homo. Cuius oculi eruti erant, sed tamen dependebant ad maxillas cum duobus neruis, hic habebat aures sicut canis, nares sicut equus, os sicut ferocissimus lupus. Manus ad modum pedum bouis maximi, pedes sicut Vulturis. Vna quoque mulier videbatur mihi iuxta eum stare, cuius crines erant sicut vepres. Oculi erant in occipite. Aures abscisæ. Nares plenæ sanie, & putredine. Labia sicut dentes serpentis. In lingua erat aculeus venenosus. Manus erant sicut duæ caudæ vulpinæ. Pedes sicut duo scorpiones. Dũ hæc ego viderem non dormiens, sed vigilãs, dixi. O quid istud est? Et statim quædam vox dulcisona loquebatur ad me, quæ tam consolatoria erat, quod omnis terror abscessit à me dicens. Tu ista videns, quid nam existimas illa esse? Ego respondi. Ignoro vtrum isti quos video sunt diaboli, aut bestiæ de tali bestiali natura progenitæ, siue etiam homines a Deo sic formati? Vox tunc respondit mihi. Non sunt diaboli, quia ipsi non habent corpora sicut istos habere vides. Nec sũt de genere bestiali, quoniam de stirpe Adæ sunt progeniti. Nec etiam a Deo taliter sunt creati. Sed coram Deo apparent a diabolo in animabus suis taliter deformis facti, & hæc tibi videntur quasi corporaliter. Ego tamen ostendam tibi quid significent spiritualiter. Illius hominis oculi videntur tibi eruti, dependentes duobus neruis. Per duos enim neruos, duo intelliges. Primum est, quod Deum credidit æternaliter viuere. Secundũ est, quod credidit propriam suam animam post mortem corporis, æternaliter siue in bono, siue in malo victurã. Per duos vero oculos, etiam duo intelliges. Primum est, quod debuit considerare qualiter peccatum euitare posset. Secundo quomodo valeret bona opera perficere. Isti duo oculi, ideo eruti sunt, quia non fecit opera bona pro desiderio cælestis gloriæ, nec fugit peccata pro timore gehennalis pœnæ. Habet etiã caninas aures. Nam sicut canis neque nomen Domini sui, neque alterius tantum curat, quantũ nomen suum proprium, si hoc nominari audierit, ita etiam iste non tantum curauit de honore nominis Dei, quantum de honore nominis proprij. Habet etiã equinas nares. Nam sicut equus, qui solutus est eiecto stercore suo, delectatur nares apponere illi. Similiter iste. Nam perpetrato peccato, quod coram Deo vilissimum stercus est, de ipsius fœtore dulce sibi videtur cogitare. Habet etiam os sicut lupus ferocissimus, qui ventre, ac ore suo repleto, ex illis, quæ viderat adhuc si aliquid aure viuum audierit, deglutire illud desiderat. Ita & iste, si omnia possideret, quæ oculis viderat, adhuc concupisceret illa, quæ alios possidere audiret. Habet etiam manus ad modum pedum fortissimi bouis, qui cum iratus fuerit, animal cui præualet cum pedibus suis dirumpit, propter iræ vehementiam, non curans de interitu eius,

vel de carnibus, dummodo vitam illi abstulerit. Similiter iste, nam quando est in ira, non curat, quod anima sui inimici in infernum descenderet, nec qualiter corpus eius torqueretur morte, si vitam eius auferre posset. Habet etiam pedes sicut Vultur. Nam sicut Vultur habens aliquid inter vngues, quod sumere eum delectat, pedem super illud tam fortiter stringit, quod viribus pedis deficientibus præ dolore, ipse quasi nesciens dimittit cadere, quod tenebat, ita & iste. Nam illa quæ iniuste habet intendit tenere vsque ad mortem quando omnibus viribus deficientibus illa dimittere coarctabitur. Mulieres vero illius crines, videbantur sicut vepres. In crinibus autem qui sunt in summitate verticis, ornantibus faciem hominis, significatur illa voluntas, quæ summe summo Deo placere desiderat. Hæc enim voluntas animam coram Deo adornat. Sed quia huius mulieris voluntas est, summæ huic mundo placere plus quam summo Deo, ideo sui capilli apparent sicut vepres. Oculi vero eius apparent in occipite, quia mentales oculos auertit ab his, quæ bonitas Dei sibi fecerat, in creando eam, in redimendo, & in diuersis sibi vtiliter prouidendo. Illa vera quæ transitoria sunt intente respicit, a quibus quotidie discedit, donec ab aspectu suo pœnitus euanescant. Aures igitur abscise spiritualiter apparent, nam minime curat doctrinam sancti Euangelij, seu prędicationes audire. Nares vero plene putredine sunt, quoniam sicut per nares suauius odor ad cerebrum delectabiliter trahitur, vt cerebrum, inde fortificetur, sic ipsa per affectiones suas quicquid putrescibile corpus delectat ad ipsius fortificationem, trahit delectabiliter ad effectum. Labia vero illius sicut dentes serpentis videbantur, & in lingua aculeus venenosus. Nam dum serpens dentes fortissime constringit, propter defensionem aculei, ne ab aliquo euentu frangatur, tamen squalor de ore eius effluit in dentes, quia separatim sunt locati. Similiter & ipsa claudit labia à confessione vera, ne frangatur delectatio peccati, quæ est animæ suæ aculeus venenosus, squalor tamen peccati euidenter apparet coram Deo, & sanctis eius. Dixi tibi prius de iudicio, & abiectione vnius matrimonij, qui contra statutã Ecclesiæ contraxerunt. Nunc indicabo tibi plenius de eis. Tu enim vidisti manus mulieris supradictę quasi caudas vulpium, & pedes eius quasi scorpiones. Hoc ideo est, quia sicut in omnibus membris, & affectionibus erat inordinata. Sic & leuitate manuum suarum, & incessu pedum dulcedinem carnis prouocando, grauius scorpione animam viri pungebat. Et ecce in eodem momento apparuit ethiops, habens in manu tridentem, & in alio pede quasi tres vngulas acutissimas, clamans & dicens. O Iudex iam hora mea est. Expectaui, & silui. Iam tempus est faciendi. Et statim sedente Iudice cum exercitu innumerabili, apparuit mihi vir vnus, & mulier nudi. Et dixit iudex ad eos. Dicite inquit quãuis omnia scio, quid fecistis. Respondit vir. Audiuimus, & sciuimus vinculum Ecclesiæ, & non curauimus, immo despeximus. Respondit iudex, quia noluistis sequi dominum, iustitia est, vt sentiatis malitiam lictoris. Et statim ethiops infixit vngulam in corda amborum, & sic fortiter compressit eos, vt quasi in prælo positi viderentur. Et dixit iudex. Ecce filia talia merentur, qui se scienter elongant a Creatore suo propter creaturam. Dixit iterum iudex ambobus. Ego dedi vobis sacctum, vt congregaretis fructum deliciarum mearum; quid ergo nunc apportatis? Respondit mulier. O iudex delicias ventris quæsiuimus, & non apportauimus nisi confusionem. Tunc dixit iudex lictori. Redde quod iustum est. Qui statim infixit vngulam secundam in ventres amborum, & sic fortiter vulnerauit, quod omnia intestina viderentur perforata. Et dixit iudex. Ecce talia merentur, qui legem transgrediuntur, & pro medicamento sitiunt venenum. Iterum dixit iudex ambobus. Vbi est thesaurus meus quem accommodaui vobis ad vsuram? Responderunt ambo. Posuimus eum sub pedibus nostris, quia quæsiuimus thesaurum terrenũ & non æternum. Tunc dixit iudex lictori. Da quod scis, & debes. Qui statim infixit vngulam tertiam in corda eorum, & ventres, & pedes, ita vt omnia quasi vnus globus viderentur. Et dixit ethiops. Domine quo vadam cum eis? Respondit iudex.

Tuum non est ascendere, nec gaudere.
Quo dicto. A facie iudicis statim
vir, & mulier gementes di-
sparuerunt. Iterum
dixit index.
Gaude
fi-
lia, quia à talibus es
segrega-
ta.

VER-

VERBA VIRGINIS AD Sponsam, qualiter est parata ad defendendum omnem viduam, & omnem Virginem, & coniugatam, quas etiam videt in iusto proposito stantes, & suum filium super omnia diligentes.

CAP. LIII.

AVDI tu inquit Mater Dei, quæ toto corde rogas Deum, vt filij tui placeant Deo. Vere talis oratio placita est Deo. Non enim est Mater, quæ filium meum diligit super omnia, & illud idem petit filijs suis, quin non statim parata sum iuuare eam, ad effectum petitionis eius. Nec etiam est aliqua vidua, quæ stabiliter rogat auxilium à Deo standi in viduitate, ad honorem Dei, vsque ad mortem, quin non statim parata sum perficere voluntatem eius cum ea, quia ego fui quasi vidua, eo quod habui filium in terris, qui non habuit carnalem patrem. Non est etiam aliqua Virgo, quæ Virginitatem suam desiderat seruare Deo vsque ad mortem, quin non parata sum eam defendere, & confortare, quia ego sum vere ipsa Virgo. Nec mirari debes, Cur dico ita. Scriptum est enim, quod Dauid desiderabat filiam Saulis, quando fuit Virgo. Ipse enim recepit eam, quando fuit vidua. Insuper & habuit vxorem Vriæ, quando vir eius vixit. Attamen concupiscentia Dauid non fuit sine peccato. Sed delectatio illa spiritualis filij mei, qui est dominus Dauid, est sine omni peccato. Ideo sicut istæ tres vitæ, scilicet Virginitatis, viduitatis, & coniugij placuerint Dauid corporaliter, ita filio meo placet eas habere in sua delectatione castissima spiritualiter. Ideo non mirum, quod iuuando traho earum delectationem spiritualem, in delectationem filij mei, quia eius delectatio est ad ipsas.

VERBA MATRIS AD FILIAM de felici natiuitate spirituali cuiusdam in peccatis pessimis nutriti, quam natiuitatem precibus, & lacrymis seruorum Dei obtinuit.

CAP. LIV.

VIDE filium lacrymarum, qui nunc est recenter natus de mũdo spiritualiter, qui fuerat prius natus de Matre sua in mundum carnaliter. Sicut enim fœmina illa, quæ extrahit infantem de ventre Matris, primo caput trahit, deinde manus, deinde totum corpus, vsquequo cadit in terram. Sic ego feci illi propter lacrymas, & preces amicorum meorum. Extraxi illum quippe de mundo in tantum, quod iam spiritualiter est, sicut puer nouiter natus. Ideo educari debet, & spiritualiter, & corporaliter. Nam ille ad quem te miseram educare eum debet precibus suis, & bonis operibus, & consilijs custodire. Illa vero fœmina, de qua tibi dictum est, rogabit pro eo, & custodiet spiritualiter, attendendo etiam, vt habeat necessaria sua corporaliter, quia ipse ita profunde cecidit in peccata mortalia, quod omnes dæmones in inferno dixerunt de eo. Aperiamus os, si forte venerit, vt premamus eum dentibus nostris, & deglutiamus. Extendamus etiam manus, vt dirumpendo laceremus eum, habeamus quoque pedes promptos ad calcandum, & calcitrandum eum. Ideo dictum est tibi, quod nunc spiritualiter natus fuit, quia iam de potestate dæmonum est liberatus, sicut bene colligere poteris de verbis illis, quæ audisti, quod Deum corde, & corpore diligit super omnia.

VERBA MATRIS AD FILIAM qualiter precibus seruorum Dei vult diligere quendam puerum, & ipsum armis spiritualibus armare.

CAP. LV.

RECORDARE quod scribitur de Moyse, quod filia Regis inuenit eũ super aquas, & dilexit eũ pro filio suo. Scribitur quoq; in Scholasticis historijs,

quod idem Moyses vicit terram per aues, quæ consumpserunt serpentes venenosos. Ego sum filia Regis de progenie Dauid, quæ volo puerum illum diligere, quem inueni in procellis lacrymarum, quæ effusæ sunt pro salute animæ eius, quæ inclusa fuit in arca corporis eius, quem educabunt illi, de quibus dixi, donec ad ætatem venerit in qua armare eum volo, & mittere ad terram vincendam Regi cæli. Sed quomodo hæc fiant tibi ignotum est, & mihi notum. Nam ego taliter præparabo eum, quod de eo dicetur. Iste vixit sicut vir, & mortuus est sicut gigas venit ad iudicium sicut bonus miles.

Additio.

Filius Dei loquitur. Vbi animal famelicum repellitur a præda. Expectat a longe inueniendo tempus redeundi ad prædam, aut vadit ad speluncam suam. Sic ego feci Principi terræ huius. Monui enim eum beneficiis meis: monui eum verbis, & verberibus, sed tanto ingratior, & obliuiosior est, quanto mansuetiorem me ei ostendo. Ideo vocabo eum nunc sub coronam, & ad scabellum pedum, quia noluit stare in corona. Immittamque ei, & assentatoribus suis aspidem immitem de vipera, & subdola vulpe generatum, qui terram, & habitatores eius conturbet, & simplices deplumabit, qui cacumina terrarum ascendet, & gloriantes deijciet, & conculcet. Puerum vero istum, quem amici mei nutrierunt, ducam per aliam viam, donec venerit ad locum gloriosiorem. Item loquitur filius Dei. Adhuc dicetur de puero isto, quod vixit sicut vir, pugnauit sicut miles egregius. Coronabitur sicut amicus Dei. O filia quid credunt mulieres, quæ gloriantur ex eo, quod filij earum procedunt in superbia. Illa non est gloria sed confusio, quia regem superbiæ imitantur. Sed illa est gloria, & ille est miles gloriæ, qui gloriatur in eo, quod facit honorem Deo quantum potest, & conatur ad maiora. Paratusque est pati ea, quæ Deus vult eum pati, talis est miles Dei, & talis coronabitur cum militibus cæli.

VERBA MATRIS AD FILIAM de quodam quod non debeat contristari propter correptionem.

CAP. LVI.

MATER loquitur. Cur turbatur ille? Pater quippe percutit filium quandoque cum lenibus straminibus. Ideo non est contristandum.

VERBA MATRIS AD FILIAM qualiter Roma debet mundari à zizania, primo acuto ferro, secundo igne, tertio per iuga boum.

CAP. LVII.

MATER loquitur. Roma est quasi ager, super quem zizania excreuit. Ideo prius debet mundari cum acuto ferro. Inde igne purgari. Postea arari cum iugo boum. Ideo faciam vobiscum, sicut qui transfert plantas in alium locum. Illi enim Vrbi præparatur talis pœna, qualis si iudex diceret: Excoria inquit totam pellem, extrahe totum sanguinem de carne, Excide omnem carnem in frusta, & confringe ossa, ita vt defluat omnis medulla.

VERBA CHRISTI AD Sponsam sub figura exponentia, qualiter Christus per Dominum peregrinantem, corpus suum per thesaurum, Ecclesia per domum, sacerdotes per custodes designantur, quos sacerdotes tanquam veros Dominus septemplici honore honorauit. Et qualiter Deus conquæritur, quod iniqui sacerdotes septemplici vituperio ipsum vituperant, & qualiter septem vestes, scilicet septem virtutes, quas deberent habere vertunt in septem vitia.

CAP. LVIII.

FILIVS loquitur. Ego sum similis Domino, qui fideliter decertans in terra peregrinationis suæ regrediebatur in terram natiuitatis suæ cum gaudio, hic Dominus habebat thesaurum preciosum valde, cuius intuitu glorificabantur lippientes oculi, tristes consolabantur, infirmi conualescebant, mortui suscitabantur. Vt vero thesaurus honeste, & tute custodiretur, facta, & perfecta est domus quædam in magnificentia, & gloria, habens altitudinem decentem, septemque gradus, quibus ad domum, & thesaurum ascendebatur. Hunc itaque thesaurum, Dominus tradidit seruis suis videndum, & tractandum, fideliterque & munde custodiendum

dum vt & charitas Domini probaretur ad seruos, fidelitasque seruorum ad Dominum videretur. Procedente vero tempore despici cœpit thesaurus. Raro frequentabatur domus, tepueruntque custodes, & charitas Domini negligebatur. Tunc Domino consulente familiares suos, quid faciendum esset super tanta ingratitudine. Respondit vnus eorum dicens. Scriptum est, quod iudices, & custodes populi negligentes iussi sunt suspendi ad solem, sed tuum est misericordia, & iudicium, qui parcis omnibus, quia tua sunt omnia, & omnium misereris. Ego sum in figura ille Dominus, qui quasi peregrinus per humanitatem apparui in terra, cum tamen in cælo, & in terra potens essem secundum deitatem. Ego quippe tam forte certamen habui in terris, quod omnes nerui manuum, & pedum meorum rumpebantur propter animarum salutem. Relicturus itaque mundum, & ascensurus in cælum, a quo tamen secundum deitatem nunquam defui, reliqui mundo memoriale dignissimum, scilicet corpus meum sanctissimum, vt cum lex vetus gloriabatur de arca mannæ, & tabulis testamenti, cerimonijsque alijs, sic nouus homo gauderet de noua lege; & non vt olim de vmbra, de veritate scilicet corporis mei crucifixi; quod in lege figurabatur, vt autem corpus meum esset in gloria, & honore, institui domũ sanctæ Ecclesiæ, vbi seruaretur, & tra-

1 ctaretur. 1 Sacerdotes, custodesq. speciales eius, qui quodammodo etiam officio sunt supra Angelos, quia quem ipsi Angeli timent contingere timore reuerentiæ, hunc sacerdotes tractent manibus, & ore. Honoraui quoque sacerdotes septemplici honore tanquã in septem gradibus. Primo debent esse signiferi, & speciales amici mei, per munditiam mentis, & corporis, quia munditia primus locus est ad Deum, quem nihil contingit, nec decet coinquinatum. Nam si legalibus sacerdotibus permittebatur commixtio tẽpore, quo non sacrificabant, non mirum fuit, quia ipsi portabant testã non nucleum. Nunc autem veniente veritate, & fugata figura, summe studendum est munditiæ tanto copiosius

2 quanto dulcior est nucleus testa. 2 Et in huiusmodi continentiæ signum, capilli primo tondentur, ne voluptas animo, seu carni dominetur. In secundo gradu instituuntur clerici, quod sint viri Angelici per omnem humilitatem, quia humilitate mentis, & corporis penetratur cælum, & vincitur diabolus superbus. Et in huiusmodi gradus signum constituuntur clerici ad expellendos dæmones, quia homo humilis eleuatur in cælum, vnde per superbiam corruit dæmon elatus. In tertio gradu instituuntur clerici, ex eo quod debent esse discipuli Dei per continuam diuinæ scripturę lectionem, quibus, & ideo ab Episcopis traditur in manus liber, sicut & militi gladius, vt & sciant, quæ agenda sunt, & oratione, & meditatione studeant placare iram Dei pro populo Dei. In quarto gradu instituuntur clerici custodes templi Dei, & speculatores animarum, quibus, & ideo traduntur claues ab Episcopo, vt solliciti sint circa salutem fratrum, verbisque & exemplis promoueant, & incitent infirmos ad perfectiora. In quinto gradu instituuntur dispensatores, & curatores Altaris, & mundialium rerum contemptores, vt dum Altari deseruiunt de Altari viuant, & in terrenis nequaquam nisi in his, quæ decent gradum eorum occupentur. In sexto gradu instituuntur, quod sint viri Apostolici prædicando veritatem Euangelicam, moribusque se prædicationi conformando. In septimo gradu instituuntur, quod sint mediatores inter Deum, & hominem per immolationem corporis mei, in quo gradu sacerdotes quodammodo sunt super Angelos dignitate. Nunc autem conquæror, quod gradus isti dissipati sunt, quia superbia diligitur pro humilitate. Impuritas exercetur pro munditia, Dei lectio non attenditur, sed liber mundi. Negligentia apparet in altaribus, sapientia Dei reputatur fatuitas. Salus animarum non curatur. Nec sufficiunt eis ista, sed adhuc etiam vestes meas proijciunt, & contem-

3 nunt arma mea. 3 Ego quippe ostendi in monte Moysi vestes, quibus sacerdotes legis vterentur. Non quod in cælesti Dei habitatione aliquid materiale sit, sed quia spiritualia nisi per corporales similitudines non capiuntur. Ideo spirituale per corporale ostendi, vt sciatur quanta reuerentia, & munditia opus est his, qui habent ipsam veritatem, scilicet corpus meum, si tantam munditiam, & reuerentiam habebant hi, qui portabant vmbram, & figuram. Sed ad quid Moysi ostendi tantam vestium materialium pulchritudinem, nisi vt per eas addisceretur, & significaretur ornatus, & pulchritudo animæ. Sicut enim vestes sacerdotis sunt septem, sic animæ accedentis ad corpus Dei, septem debet esse virtutes sine quibus non est salus. Prima ergo vestis animæ est contritio, & confessio, quæ tegit caput. Secunda est affectus ad Deum, & affectus castitatis. Tertia est labor pro honore Dei, & patientia in aduersis. Quarta est non attendere ad laudes, & opprobria hominum, sed ad honorem solius Dei. Quinta est abstinentia carnis cum vera humilitate. Sexta est recogitatio beneficiorum Dei & iudiciorum eius timor. Septima est charitas Dei super omnia, & perseuerantia in bonis inchoatis. Nunc autem iste vestes im

mutatæ sunt, & contemptæ, diligitur quippe pro confessione excusatio, & leuigatio culpæ: pro castitate, scurrilium continuatio, pro labore salutis animæ, labor vtilitatis corporis. Pro honore & amore Dei, ambitio mundialium, & superbia. Pro parcitate laudabili superfluitas in omnibus. Pro timore Dei, præsumptio, & diiudicatio iudiciorum Dei. Pro dilectione Dei super omnia, ingratitudo

4 cleri super omnes. 4. Ideo sicut dixi per Prophetam veniam in indignatione, & tribulatio dabit eis intellectum. Tunc Mater misericordiæ astans, Respondit. Benedictus sis tu fili mi pro iustitia mea, loquor ad te, qui omnia scis propter sponsam istam, quam tu vis intelligere spiritualia, quæ tamen nisi per similitudines capere non valet spiritualia.

5 Tu quippe dixisti in deitate tua, antequam suscepisses humanitatem de me, quod si decem viri iusti inuenirentur in ciuitate misereri velles toti ciuitati propter decem. Nunc autem adhuc infiniti sunt sacerdotes, qui te oblatione corporis tui placant. Ergo miserere propter eos his, qui parum boni habent, hoc, quæ te secundum humanitatem genui rogo, hoc omnes electi tui petunt mecum. Respondit filius. Benedicta sis tu, & benedictum verbum oris tui. Tu vides, quod tripliciter parco propter triplex bonum, quod oblatio corporis mei habet. Sicut enim ex præsumptione Iudæ tria ostensa sunt bona in me. Sic ex oblatione sacrificii huius tria veniunt animabus. Denique patientia mea laudatur, quod sciens proditorem meum Iudam, non repuli conuersationem eius. Secundo, quòd astante proditore cum suis, omnes ex vnico verbo meo ceciderunt in terram, vbi potentia mea ostendebatur. Tertio, quia omnem malitiam eius & diaboli ad animarum conuerti salutem, vbi sapientia, & charitas diuina manifestabatur. Sic etiam ex oblatione sacerdotum tria veniunt bona. Primo, laudatur ab omni cœlesti exercitu patientia mea, quia idem sum in manibus boni, & mali sacerdotis, quia apud me non est personarum acceptio, nec merita hominum conficiunt hoc sacramentum, sed verba mea.

6 6 Secundo, quia hæc oblatio prodest omnibus à quocunque sacerdote sit oblata. Tertio, quia prodest etiam ipsis offerentibus quantumcunque malis, quia sicut ex vno verbo quod dixi, scilicet, ego sum, corruerunt hostes mei corporaliter in terram, sic dicto verbo meo, videlicet, hoc est corpus meum, fugiunt dæmones à tentando animas offerentium, nec auderent redire ad eos cum tanta audacia si affectus peccandi non sequeretur. Itaque misericordia mea parcit omnibus, & omnes suffert, sed iustitia clamat indesinenter, quia clamo quotidie, & quam multi respondent mihi satis tu vides. Verumtamen mittam adhuc verba oris mei, & qui audierint complebunt dies suos in letitia illa quæ nec dici nec cogitari potest pro dulcedine. Qui vero non audierint venient eis sicut scriptum est septem plagæ in anima, & septem in corpore, quas considerando, & legendo ea quæ gesta fuerant inuenient, ne experiendo contremiscant.

N O T AE.

1 Sacerdotes custodesque speciales eius, qui quodammodo etiam officio sunt supra Angelos, quia quem ipsi Angeli timent contingere timore reuerentiæ, hunc sacerdotes tractant Manibus, & ore.

Innuit hoc loco Redemptor noster, sacerdotes supereminere Angelis prout in Altaris Sacramento Ministri à Deo constituti sunt, & sanè si de potestate ipsis collata Christi corpus conficiendi sermo sit: eos hac iure superiores esse, fatendum est, quandoquidem ratione impressi Characteris ipsi sacerdotes hanc obtinuerunt facultatem, quæ Angelis non est concessa, secundum ordinariam potestatem, vt egregie tradit D. Thomas 3. p. quæst. 64. art. 7. et nos annotauimus lib. 1. Reuelat. cap. 2. nota 4. & probant Alexander Alens. 3. p. quæst. 10. memb. 4. Gabriel d. 8. q. 1. Soto d. 1. quæst. 9. art. 1. Si vero loquamur de sumptione ipsius Sacramenti de qua Christum Dominum loqui ex illis verbis colligitur, scilicet (sunt supra Angelos, quia quem Angeli timent contingere, hunc sacerdotes tractant manibus, & ore.) Dico in hoc quoque sacerdotes Angelis superiores esse, quia hominibus tantummodo datum est Christum spiritualiter manducare, prout est sub speciebus huius sacramenti, in quantum etiam, quis credit in eum cum desiderio sumendi hoc sacramentum, quod est Christum spiritualiter manducare, & spiritualiter hoc sacramentum summere, vt probat D. Thomas 3. p. quæst. 80. art. 2. & patet ex D. Augustino ab eo citato tract. 25. in Ioannem paulo post medium, non tamen negandum est, si consideremus ipsum Christum in propria specie dici posse, ipsos met Angelos, sic eum spirituali manducatione sumere, quatenus in cœlo perfecto charitatis vinculo cum illo vniuntur, & perpetua visione fruuntur secundum illud Matt. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, sed hac de re vide Durandum in 4. d. 9. q. 3. & Franciscum Suarez in comment. ad 3. p. D. Thomæ qu. 80. disput. 63. sect. 3.

2 Et in huiusmodi continentiæ signum capilli primo tondentur, ne voluptas animo, seu carni dominetur.

Inter cæteras, quas SS. Patres de Clericorum Tonsura causas pluribus in locis attulerunt, hæc quam in præsenti nota legimus potissima est, negari enim non potest per capillos, corporis superfluitates intel-

intelligendum esse, & idcirco Clericos tonderi, vt indicetur superflua, & praecipue carnis prauas cupiditates ab illis amputandas esse, eiusque rebelles motus coercendos, ne voluptas animo, seu carni dominetur, vt scribitur hic, eandem quoque rationem reddiderunt S. Isidorus lib. 2. de diuinis officijs cap. 4. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 3. cap. 1. Secundam rationem adducit venerabilis Beda lib. 5. Hist. cap. 1. & cap. 22. & Guglielmus Durantus in Rationali diuinorum lib. 2. cap. 4. vt scilicet in Clericis Christi Spinea coronae imago exprimatur, sicut enim Christiani omnes communi sanctissimae crucis signo ornantur, ita quoque expedire visum est, vt Clerici, qui Christum patientem imitari debent speciali signo honorentur. Tertiam affert causam D. Dionys. cap. 6. Ecclesiasticae hierarchiae, vt ea capitis nudatione significetur vita innocens, aperta, & pura, quam Religiosi, aliique Deo specialiter dicati debent profiteri. Quartam, & nos addere possumus Clericos sic tonderi debere, vt capillorum circulus relinquatur in formam coronae, et sic Regia demonstretur corona, ad quam electi sunt, & idcirco de his scripsit B. Petrus in sua prima Canonica cap. 2. Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.

3 Ego quippe ostendi in monte Moysi vestes quibus Sacerdotes legis vterentur.

In veteri testamento Dominus praecepit Moysi, vt Aaron Sacerdoti suisque filijs vestes faceret sanctas in gloriam, & decorem, vt nonnisi sanctis sacrisque (vt oportuerat indui) vestibus sacra peragerent, sicut Exodi 28. & 39. legimus, vbi diligentissime omnium sacerdotalium vestium forma, ac numerus describitur, quod sicut vniquaque [illegible] quae futurorum [illegible] mysteriorum [illegible] tantummodo carnis spectabant, huiusmodi [illegible] necessario obseruanda, quanto magis in consecratione corporis, & sanguinis Domini in quibus vera sunt [illegible] sacrificij, & carnis, ac spiritus perfecta emendatio, hoc faciendum [illegible] indicant, ea verba, quae non longe sequentur praesentia [illegible] distant, quae sunt, [illegible] quanta reuerentia [illegible] munditia opus est his, qui [illegible] ipsum veritatem scilicet corpus [illegible] tantam [illegible] ac reuerentiam habebant, hi qui portabant vmbram, & figuram, idem annotauit Iuo Carnotensis epistola 124. id autem, quod proxime sequitur [illegible] (ad quid Moysi ostendi [illegible] vestium materialium pulchritudinem, nisi [illegible] significaretur [illegible]) Indicat [illegible] ornamentis referto [illegible] per harum [illegible] vestium designat [illegible] fuerit ornatus vestibus, & honestis [illegible] apparet [illegible] dignior apud Deum redditur, itaque gloriam [illegible] vestium [illegible] animarum, hoc Innocentius III. lib. de Myster. Missae ca. 64. & D. Hyeron. in 44. ca. Ezechielis affirmant

institutum esse, ne cum pollutis vestibus sacra conficiantur, vt discant Ecclesiastici, cum munda conscientia, & mundis vestibus Domini Sacramenta tractare, hoc ipsum tradit Origenes Hom. 4. in cap. 20. Leuit. & expresse habetur in Concil. Remensi, apud Bruchard. lib. 2. cap. 40. sed de sacerdotalium vestimentorum ritu, ac significatione latissime agit Ioannes Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiasticis lib. 2. cap. [illegible]

4 Ideo sicut dixi per Prophetam veniam in indignatione, & tribulatio dabit eis intellectum.

Sic Isaiae 63. inebriabo eos in indignatione mea: & alibi centies, hac loquendi formula vsi sunt Prophetae quando indicabant Deum homines punire velle, & ad eos grauissima flagella mittere, vt Trenorum 4. effundam iram indignationis, Ezech. 5. & 6. complebo indignationem meam in eis. Nahum 1. Sophon. 2. & 3. illud autem, & tribulatio dabit intellectum habetur Isaiae 63.

5 Tu quippe dixisti in deitate tua antequam suscepisses humanitatem de me, quod si decem viri iusti inuenirentur in ciuitate: misereri velles toti ciuitati propter decem.

Sic legimus Genesis 18. quod si inuenti fuerint decem, & dixit non delebo propter decem, adducit autem Beatissima Virgo huiusmodi textum vt Christum inducat ad parcendum malis Sacerdotibus, quos supra iam dixerat grauiter punire velle, probat autem, quia ipsis sodomitis parcere promiserat, si sodomis decem fuissent inuenti iusti cum ergo inquit Maria nunc plures reperiantur Sacerdotes, qui te [illegible] corporis oblatione placant, ergo miserere propter eos his, qui parum boni sunt.

6 Secundo, quia haec oblatio prodest omnibus à quocumque Sacerdote est oblata.

Quemadmodum in consecratione Christi corporis, et sanguinis nihil a bono magis, nec minus a malo Sacerdote perficitur, dummodo iuxta formam sibi diuinitus datam celebretur, non quia bonum merito Sacerdotes conficiunt, sed diuina in verbis reposita virtus operatur, neque illud verum vitae sanctitati ascribitur, sed Christi Domini virtute, ac potestate geri credendum est, ex quibus consequens fit, vt Sacerdotum iniquitas nullatenus huius Sacramenti effectum impedire queat, sicut nec Medici infirmitas medicinae effectum minime tollit, nec corrumpit, dicit enim D. Chrisost. Hom. 83. in Lucam, Asinum Deus loquisecit, [illegible] per vatem benedictiones spirituales largitus est, multo magis per Sacerdotes etiam si praui sint Deus efficiet omnia, vnde D. Greg. Magnus Hom. 17. in illud Lucae 10. designauit Dominus septuaginta duos, Sacerdotes malos aquae Baptismatis comparat, quae peccata Baptizatorum diluens ipsa in cloacas descendit idem habet D. August. tract. quinto in Ioan. si superbus, aut fuerit Minister, cum Diabolo computatur, sed donum Christi non contaminatur, hoc ipsum probat Hector Pinctus in Ezechielem cap. 7. qui affirmat mali Sacerdotis sacrificium etiam alijs prodesse, si-

cut docet hic B. Brigitta, & quamuis inquit, in sancto Missæ sacrificio, si eam lethali peccato celebrat iudicium sibi manducat, & bibit, impetrat tamen à Deo, quod pro offerentibus petit, similis procuratori captiuorum, cui eorum contemplatione pro quibus petit, large datur eleemosina, cum tamen ipsi pro se petenti nihil daretur, non tamen negarim, si in Missa orationes spectemus, illam considerando ex opere operantis, vt Theologi Scholastici loquuntur pluris esse valoris Missam boni sacerdotis, quamquã dicendum sit, fructu non carere sacerdotis etiam mali orationes in persona Ecclesiæ prolatas, vt docet Doctor Angelicus 3. p. q. 82. ar. 6. & D. Bonau. in 4. sent. dist. 13.

VERBA CHRISTI AD

Sponsam qualiter sacerdos tenetur habere tria, primo corpus Christi consecrare, secundo munditiam carnis, & spiritus habere, tertio Parochię suæ prouidere. Etiam tenetur habere librum, & oleum. Et quomodo sacerdos angelus Dei est, immo, quod eius officium est maius quam Angeli.

CAP. LIX.

FILIVS loquitur. Sacerdos tenetur habere tria; Primo, consecrare corpus Dei. Secundo habere mundiciam carnis, & spiritus. Tertio, prouidere Parochiæ suæ. Sed potes quærere quid prodest habere ecclesiam, si non habet parochiam? Respondeo tibi, sacerdos habens voluntatem omnibus prodesse, & prædicare propter amorem Dei, ille habet tam latam parochiam quasi si haberet totum mundum, quia si posset loqui toti mundo minime parceret labori suo. Ideo voluntas bona reputatur ei pro opere. Nam Deus propter ingratitudinem audientium multoties parcit electis suis à labore prædicandi, nec tamen fraudantur mercede

1 propter affectum bonum. 1. Presbyter etiã tenetur habere librum, & oleum. Librum ad instruendum imperfectos, oleum sanctum ad infirmos liniendum. Sicut enim in libro continetur doctrina corporalis, & spiritualis, sic in sacerdote sit sapientia ad seipsum, moderando carnem, ne dissoluatur intemperantia, qua scandalizantur parochiani, fugiendo cupiditatem mundi, qua vilipenditur decor ecclesiæ, deuitando mores secularium, quibus dignitas clericalis dehonestatur. Spiritualis vero scientia est instruere insipientes, corripere dissolutos, accendere proficientes. In oleo vero notatur dulcedo orationis, & exempla bona. Sicut enim oleum pinguius est pane, sic oratio charitatis, & exempla bonæ vitæ, efficaciora sunt ad trahendum homines, & pinguiora

2 ad placandum Deum. 2. Vere dico tibi filia, quod magnum est nomen sacerdotis;

3 quia angelus Domini est, & mediator. 3. Sed maius est officium eius, quia tractat incomprehensibilem Deum, iamque celestibus in manu eius coniunguntur.

NOTAE.

1 PResbyter etiam tenetur habere librum, & oleum.

Duo in primis, sacerdotibus necessaria esse ostendit Christus in præsenti capite sub similitudine libri & olei: scientiam, scilicet, & vitæ sanctitatem. & vt a primo sumamus exordium nulli dubium est, per librum in presenti nota sacrarum rerum scientiam designari, qua sacerdos præditus esse debet, & de hoc libro Exodi 17. sermo fit, vbi legimus Deum iussisse: vt in illo scriberetur ob monumentum, in cuius capite de Christo scriptum est, vt psal. 39. Dauid dixit, & hanc esse Scripturam sacram auctor est Arnobius in citatum psalmum, is etiam liber inuolutus, ac signatus dicitur Isaiæ 29. & Ezech. 2. quandoquidem diuina mysteria figuris inuoluta continet, intus quoque, & foris eum scriptum esse D. Ioannes Apocalips. 5. affirmat, quoniam sacra scriptura præterita, & futura, litterã & spiritum includit, vt annotarunt D. Hyeron. super Isaiam, cap. 8 & 29. & super Ezech. cap. 2. Orig. super eundem Hom. 14. Gregorius Magnus 27. moral. cap. 11. hic ergo liber est, quem mandat Christus Dominus hoc loco, vt sacerdos penes se habeat, vt sacræ scripturæ mysteria populis aperiat quomodo inquit S. Isidorus lib. 3. de summo bono, cap. 35. docere poterunt, quod ipsi non didicerunt desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere: ignorantia quippe præsulum vitæ non congruit subiectorum, hinc est, quod Oseas Propheta, cap. 4. suarum reuelationum prædixit, sacerdotes si hanc sibi comparare scientiam neglexerint, a sacerdotij munere reiciendos esse, quia inquit scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. præter scientiam debet etiam sacerdos oleum habere: virtutem nimirum misericordiæ, & charitatis, & bonorum operum executionem, hæc enim per oleum designantur, vt Exodi 29. & Leuit. 2. legimus, & docent Origen. in Leuit. Homil. 4. 8. & 13. D. Hyeron. super Isaiam, cap. 10. D. August. in lib. 83. q q. 59.

2 Vere dico tibi filia, quod magnum est nomen sacerdotis, quia Angelus Domini est, & Mediator.

Manifestissime hoc loco dignitas commendatur, dum eos Christus, & Angelos, & Mediatores appellat, est enim Angelus sacerdos, quoniam Angelorum exercet officium, quorum est proprium hominibus diuina reserare secreta, eosque illuminare, quod ad sacerdotes spectat, vt superiori nota demonstrauimus; & ex Malachia Propheta colligi potest, cap. 2. labia inquit sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, vnde Apostolus 1. Corinth. 11. prohibuit, vt mulieres detecto capite ingrederentur Ecclesias propter Angelos; hoc est, propter sacerdotes, sic hunc locum interpretantur Lyranus, & Dionysius Carthusianus, qui sacerdotes Angelos vocandos esse asserit, Primo propter ampliorem scientiam diuinorum, secundo propter annunciationem mandatorum diuinorum, Tertio propter mundiciam castitatis, Quarto propter custodiam Dominici gregis; idem insinuat D. Gregor. hom. 6. in Euang. vnusquisque sit fidelis, si a prauitate proximum reuocat, & ad bonum exhortatur, si aeternum regnum, vel supplicium erranti denunciat profecto Angelus Domini est, secundo sacerdotes dici possunt etiam Angeli propter vitae Angelicae puritatem, quae exigitur ab illis.

Sed melius est officium eius, quia tractat incomprehensibilem Deum.

Superiori capite non longe ab initio idem probatur, quod hoc loco innuit Christus Dominus nimirum; sacerdotes respectu consecrationis Corporis Christi dignitate excellere Angelos, vide plura cap. 58. hoc eodem lib. nota 1. vbi hac de re late egimus.

VERBA SPONSAE AD Deum de grato modo effundendi preces coram Deo.

CAP. LX.

BENEDICTVS sis tu Creator, & redemptor meus. Ne indigneris, si loquor ad te, sicut vulneratus ad Medicum; sicut tribulatus ad consolatorem, sicut pauper ad diuitem, & abundantẽ. Vulneratus quippe dicit. O Medice noli abominari me saucium, quia frater es. O consolator optime, noli me despicere, quia anxius sum, sed da cordi meo requiem, sensibusque meis consolationem. Pauper vere dicit. O tu diues, & nullius egens, respice me, quia periclitor fame. Vide me quia nudus sum, & da mihi vestes quibus calefiam, sic ego dico. O Domine omnipotentissime, & optime, ego considero vulnera peccatorum meorum, quibus ab infantia vulnerata sum, & ingemisco, quia tempus consumptum est inutiliter. Vires nõ sufficiunt ad labores, quia exhauste sunt in vanitatibus. Ideoque quia tu es fons totius bonitatis, & misericordię, rogo te miserere mei. Tange cor meum manu dilectionis tuæ, quia Medicus es optimus, consolare animã meam, quia consolator es bonus.

QVALITER DIABOLVS apparuit sponsæ in eleuatione corporis Christi loquens, & per rationes probans ei, quod illud, quod eleuabatur non esset corpus Christi. Cui Angelus Domini statim apparuit cõfortans eam, & dicens. Noli credere &c. Et qualiter Christus apparens coegit diabolum, vt diceret veritatem coram filia. Et qualiter corpus Christi sumitur, sic à bonis, & de remedio opportuno in tentationibus de corpore Christi.

CAP. LXI.

1 var. lect. APPARVIT Sponsæ in eleuatione Corporis Christi, quidam deterrimus, & ait. Nunquid credis tu fatua, quod hęc cortella panis Deus est, diu denique consumptus esset, etiam si mons montium fuisset. Nullus quippe sapientium iudæorum, quibus à Deo data est sapientia hoc credit, sed nec aliquis credat, quod Deus ab immundissimo sacerdote, 2 qui cor habet caninum tangi dignatur, & amari. Et vt probes quod dico. Iste sacerdos meus est, quem cum voluero, & ista in puncto auferam ad meipsum. Tunc statim bonus Angelus apparens dixit. O filia non respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ipse enim qui apparuit tibi, est pater mendacij, sed esto parata, quia sponsus noster iam prope est. Qui sponsus Iesus veniens, ait ad diabolum. Cur inquit conturbas filiam meã, & sponsam? Ideo dico filiam, quia creaui eam. Ideo sponsam, quia redemi eam, & castitate mea copulaui eam mihi. Respondit dæmon. Ideo loquor, quia permissus sum, & vt ipsa refrigesceret in seruitio tuo. Et Dñs. Hoc, inquit nocte ista experta est, quando & oculos, & reliqua membra compressisti, & maiora fecisses si fuisses admissus, sed quoties ipsa resistit immissionibus tuis, toties ei dupli-

duplicatur corona. Veruntamen tu diabole, quia dixiſti me diu fuiſſe comeſtum, etiam ſi fuiſſem mons, dicito mihi audiente filia
3 mea, quæ corporalis eſt. 3 Scriptura dicit,
var. quod percuſſo populo erigebatur ſerpens
lect. Aeneus, quo viſo omnis percuſſus à ſerpentibus ſanabatur. Verum iſta virtus ſanatiua erat ex æris fortitudine, aut ſpecie ſerpentis, aut de Moyſi bonitate, ſeu virtute occulta diuina? Reſpondit dæmon. Hęc virtus ſanationis a nullo erat niſi à propria, & ſola virtute Dei, & fidei populi credentis, & obedientis, qui ſic firmiter credidit Deo, quod Deus, qui de nihilo fecit omnia, etiam omnia poſſet facere, quæ non erant prius. Iterū dixit Deus. Dicito dæmon, quando virga facta eſt ſerpens, verum factum eſt præcipiente Moyſe aut iubente Deo? Aut quia Moyſes ſanctus fuit, an quia verbum Dei ſic dixit? Cui dæmon. Quid inquit erat Moyſes niſi homo infirmus ex ſe, ſed iuſtus ex Deo, ad cuius verbum, quod iuſſit, & protulit Deus, facta eſt virga ſerpens, Deo veraciter iubente, & Moyſe tanquam miniſtro obſequente. Nam ante præceptum, & verbum Dei virga erat virga, præcipiente vero Deo, veraciter virga facta eſt ſerpens, ita vt & Moyſes formidaret. Tunc Dominus ait ad ſponſam iſta videntem. Sic eſt etiam nunc in altari, ante enim verba ſacramenti, panis poſitus in altari panis eſt, dicto vero verbo, hoc eſt corpus meū, fit corpus Chriſti, quem ſumunt, & tractant ita boni, ſicut & mali, ita vnus ſicut mille, eadem veritate, ſed non eodem effectu, quia bonus ad vitam, malus vero ad iudicium ſui. Quod vero dæmon dixit Deum fœdari ex immunditia offerentis, hoc veriſſime falſum eſt. Sicut enim ſi ſeruus leproſus miniſtrat Domino claues. Aut ſi infirmus offert fortiſſimarum herbarum cōfectiones, nihil hoc obeſſet ei, cui miniſtrarentur, cum eadem virtus eſt in eis per qualemcumque offerentur. Sic Deus nec ex malitia mali miniſtri fit malus, nec ex bono fit melior, quia ſemper immutabilis eſt, & ſemper idem. Quod vero dixit dæmon eum citius moriturum, hoc nouit ex ſuæ naturæ ſubtilitate, & ex cauſis exterioribus. Attamen auferre eum non poterit niſi me permittente. Veruntamen iſte ſacerdos ſuus eſt proprius, niſi ſe correxerit, & hoc propter tria. Ideo idem dæmon dixit eum habere membra fœtentia, & cor caninum, quia fœtidus vere eſt, & febricitans, quia habet calorem exteriorem, ſed interiorem frigiditatem, ſitim intolerabilem, languorem membrorum, panis faſtidium, & omnis ſuauitatis abominationē. Caleſcit enim ad mundum, frigeſcens eſt ad Deum, ſitit voluptatem carnis faſtidiens virtutum pulchritudinem. Inſipidus eſt ad mandata Dei, ferueſ ad omnia, quæ ſunt carnis. Ideo nō mirum, quia non ſapit ſibi corpus meum, niſi ſicut panis coctus in clibano, qui in nullo cogitat, nec ſapit ei ſpirituale opus, ſed carnale. Ideo dicto Agnus Dei, & ſumpto corpore meo in corpus ſuum, diſcedit ab eo patris potentia, abſcedit & filij dulciſſima præſentia. Depoſitis vero ſacris veſtibus receedit Spiritus ſancti benignitas, qui eſt vinculum coniunctionis, ſola autem forma, & recordatio panis remanet ei. Non tamen cogitare debes, quod ipſe, vel alius quantumcumque malus ſine Deo ſit, ſed recedit Deus maiorem conſolationem non infundendo, permanet vero tolerando eum, & à diabolo defendendo. Quod vero diabolus dixit, nullum ſapientum iudæorum hoc velle credere. Reſpondeo. Ipſi iudæi ſunt ita diſpoſiti, ſicut, qui dextros oculos amiſerunt, ideo claudicant vtroque pede ſpirituali, propter quod & inſipientes ſunt, & erunt vſque in finem. Ergo non mirum, quod diabolus excœcat, & indurat corda eorum, & ſuadet eis impudica & ea, quæ ſunt contra fidem. Itaq. quotieſcumque aliqua cogitatio talis de corpore Chriſti occurrerit menti tuæ, refer ad ſpirituales amicos tuos, & ſta ſtabilis in fide, quia abſque dubio ſcias, quod hoc corpus, quod de Virginea carne ſumpſi, quod crucifixum eſt, & regnat in cælo, hoc idem eſt in altari, & hoc ſumunt boni, & mali.
4 Nam ſicut oſtendi me diſcipulis euntibus in Emaus in aliena forma, cum tamen eſſem verus Deus, & verus homo, ingrediens ad diſcipulos ianuis clauſis, ſic ſub aliena forma oſtēdo me ſacerdotibus, vt fides habeat meritum, & hominum appareat ingratitudo. Nec mirum. Ego enim idem nunc ſum, qui oſtendi deitatis meæ potentiam per ſigna terribilia, & adhuc dixerunt tunc homines, faciamus Deos, qui nos præcedant. Ego etiā oſtendi iudæis veram humilitatem meam, & crucifixerunt illam. Ego idem quotidie in altari ſum, & dicitur nauſea, & tentatio eſt nobis ſub cibo iſto. Quæ ergo maior ingratitudo eſſe poterit, quam velle ratione comprehendere Deum, eiuſque occulta iudicia, & myſteria, quæ in manu ſua propria poſſidet, audere iudicare? Ideo indoctis & humilibus oſtendere volo inuiſibili effectu, & viſibili forma. Quid ſit viſibilis forma panis ſine pane, & ſine ſubſtantia. Quid vero ſubſtantia in forma, quid vero diuiſio in forma, ſine ſubſtantia, aut cur tanta indigna, & tam deformia perfero in corpore meo, vt & humiles exaltentur, ſuperbique confundantur.

VERBA

NOTAE.

1 var. lect. APparuit Sponsę in eleuatione corporis Christi quidam deterimus, & aitinun quid credis tu fama, quod hęc cortelia panis Deus est.

Hunc textum pluribus librariorum incuria refertum erroribus cum MS. Farnesiano sic corrigendum esse arbitror. apparuit Sponsæ in eleuatione corporis Christi quidam tererrimus, & ait nunquid credis tu fatua, quod sub hac torta panis Deus sit: torta autem panis carnem Christi passam indicat, & ideo non est mirum, si per eam Eucharistiæ Sacramentum designetur, quod est passionis memoriale sic Isichius super Leuiticum cap. 25. D. Greg. super primum Regum, Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pedagogi cap. 6. & psal. 147. bucella etiam panis dicitur Eucharistia, vt testis est D. Hyllar. ibidem, & Glos. super primum Regum, cap. 2. postremo etiam placentula panis vocatur, vt psal. 71. erit firmamentum in terra in summis montium in hebreo habetur, erit placentula panis, vt interpretatur Paulus Burgensis in additionibus ad postillam Nicolai de Lyra, vel vt alij vertunt erit pugillus, vel particula frumenti in terra in capite montium, Caldaica vero translatio habet erit panis super montes, vbi per montes intelligunt sacerdotes, & vertunt erit placentula frumenti in capitibus sacerdotum, & Rabi Ionathas in libro collectionum habet placenta panis fiet sacrificium in capitibus sacerdotum, hinc est, quod crediderit aliqui legendum hic esse non firmamentum, sed frumentum, vt habet translatio Hyeronimi; erit memoriale triticum, plura circa expositionẽ verborum horum habent Galatinus lib. 10. cap. 4. Genebrardus in hunc locum, Adrianus finus lib. 8. aduersus Iudeos, cap. 4.

2 var. lect. Et paulo post vbi in vulgatis habetur, quod Deus ab immundissimo sacerdote qui cor habet caninum tangi dignatur.

Farnesianus codex legit qui cor habet carneum, quis scilicet, carni deditus est, & carnis voluptatibus inuolutus.

3 var. lect. Scriptura dicit, quod pereunte populo erigebatur serpens æneus, quo viso omnis percussus a serpentibus sanabatur.

Numerorum cap. 21. habetur mandasse Deum Moysi, vt serpentem æneum faceret poneretque eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanarentur, adducit autem hunc textum Christus hic, vt probet à simili, conuersionem panis in corpus Christi, non humana aliqua fieri virtute, sed diuina sicut enim inquit sanitas, quæ ex serpentis manabat visione nullatenus ex ipsomet serpente naturaliter, sed diuinitus tantummodo procedebat; & quemadmodum conuerti nullo modo potuisset virga Moysis in serpentem, nisi diuina vi, ac potestate; hic quoque, nec panis conuerteretur in corpus Christi, nisi verba diuina huiusmodi conuersionem efficerent, & idcirco legimus paulo ante medium præsentis capitis, sic etiam nunc in Altari, ante enim verba consecrationis panis positus in Altari panis est, dicto verbo, hoc est corpus meum, fit corpus Christi. MS. legit fit caro Christi, quod confirmans diuus Gregorius Nazianz. hom. 60. ad populum Antiochenum dicit, verum & tu laice, cum sacerdotem videris offerentem, ne tu sacerdotem putes esse, hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.

4 Nam sicut ostendi me discipulis euntibus in Emaus in aliena forma, cum tamen essem verus Deus, & verus homo ingrediẽs ad discipulos ianuis clausis, sic sub aliena forma ostendo me sacerdotibus, vt fides habeat meritum.

Hoc loco Redemptor noster Christus causam affert, quapropter voluerit se in Altaris Sacramento tectum, & quodammodo velatum exibere, id qua similitudine exprimit, quemadmodum enim se sub aliena forma ostenderat discipulis euntibus in Emaus, vt refert D. Lucas, cap. 24. ita inquit ostendo me sacerdotibus, quod vt palam fiat, & similitudinis allatæ ratio melius innotescat breuiter à nobis duo explicanda erunt, primum quidem modus quo Christus à duobus illis discipulis se abscondere voluerit, secundum, vero quare nobis sub sacramentalibus speciebus pertractandum, ac sumendum dederit, & quantum ad primum D. Hieron. in epistola ad Pamachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, & D. Aug. de consensu Euãgelistarum, lib. 3. cap. 25. arbitrantur hoc contigisse discipulis ob aliquam mutationem, quæ in eorum oculis facta sit, vt probare videntur verba D. Lucæ loco citato, vbi dicit oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, quod inquit, Augustinus, Marcus ait, in alia effigie eis apparuisse dominum, hoc Lucas affirmat, quod eorum oculi tenebantur ne eum agnoscerent, oculis quippe eorum aliquid acciderat, quod ita manere permissum est, vsque ad fractionem panis certi mysterij causa, vt eis in illo alia ostenderetur effigies, sed Theophilactus intelligit id ex lineamentorũ corporis Christi mutatione fuisse factum, vt eum nõ agnoscerent discipuli, cui sententiæ fauere etiam videtur D. Augustinus epistola 59. ad Paulinum in solutione octauæ quæstionis. Beda super Matt. cap. 24. Postremo Cardinalis Caetanus in Ientaculis. qu. 1. Ientaculo septimo, putat impedimentum fuisse in oculis internis, constat inquit externos discipulorum oculos fuisse apertos, quia non oculis ibant clausis, sed quidquid sit cum legimus Marci 16. cap. in alia effigie apparuisse Dominum, hoc intelligendum esse arbitror secundum eorum existimationem, non vero secundum rei veritatem quandoquidem Christus, tunc temporis immortalis, incorruptibilis, & immutabilis resurrexerat, quod etiam annotauit Durand. in tertio sent. d. 22. qu. 6. ex his, ergo Christus Dominus hic infert, quod sicut

se sub aliena forma duobus illis discipulis ostenderat post resurrectionem, ita quoque se sacerdotibus, alijsque in sacramento Altaris, ostendit, quod egregie declarauit Algerus, qui disputans contra Berengarium lib. 2. cap. 5. ad Eucharistiæ Sacramentum, hunc Matthæi locum accommodauit, quemadmodum etiam in hoc capite fit, vt ex præfectis notæ verbis liquido constat. Sicut inquit, Algerus in Emaus peregrinus in fide apparuit, sic nobis peregrinis in mundi exilio peregrina, & externa sibi specie apparet in Sacramento, vt quia, quod in nobis exterius apparet mortale est, mortalitati cibus ipse exterius videatur, cum tamen per ipsum, qui immortalitatis est alimonia, intus vere est inuisibiliter, mors æterna sanetur. cæterum, fide modo quo Christus est sub his speciebus sermo fiet discendum videtur, nullatenus à nobis mortalibus, nisi per fidem, nec ab ipsis met Angelis secundum sua naturalia comprehendi posse, vt auctor est D. Thomas 3. par. quæst. 76. art. 7. & testatur conci. Trident. Sess. 13. cap. 1. Saluatorem nostrum semper ad dexteram Patris in cælis assidere, iuxta modum existendi Naturalem, & vt multis nihilhominus alijs in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione quam, & si verbis exprimere vix possumus, possibile tamen esse Deo ex cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus restat modo causas afferamus cur Christus sub Sacramentalibus speciebus se nobis pertractandum dederit, cuius rei tres in vniuersum probabiles rationes reddi possunt, quarum prima habetur hoc loco nimirum, vt fides habeat meritum, est enim de rebus non visis, vnde egregie D. Greg. Magnus hom. 26. in Euang. fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, secunda causa est ad tollendam nauseam, quæ ex esu carnis sub propria specie oriri posset, & has duas etiam attulit Magister sent. in 4. di. 11. quibus etiam addendum esse censui, quia nimirum illius gloriosi corporis splendorem oculi nostri nequaquam sustinere potuissent, & idcirco se Dominus sub illis speciebus veluti sub velamine quodam abscondidit.

*

VERBA INCREPATIONIS Domini ad quendam sacerdotem sepelientem quendam qui in patientia mortuus est præsente sponsa. Et qualiter cum septem plagis spiritualibus, & septem corporalibus, Christus veniet ad iniquos sacerdotes. Et qualiter illa omnia propter patientiam obtinuit gloriam.

CAP. LXII.

CVM QVIDAM sacerdos sepeliret quendam mortuũ, qui tribus annis cum dimidio iacuit in lecto. Tunc audiuit sponsa qualiter dixit spiritus. Amice quid facis cur præsumis tangere mortuum, cum manus tuæ sanguinolentæ sint? Cur clamas pro eo ad omnipotentem, cum vox tua est quasi ranarum? Cur præsumis pro eo placare iudicem, cum gestus tui, & mores similiores sunt ioculatoris, quam deuoto sacerdoti? propterea virtus verborum meorum, & non opus tuum proficiet mortuo; fidesque sua, & patientia longa, introducent ipsum ad coronam. Item dixit spiritus sponsæ, Manus istius sunt sanguinolente, quia omnia opera eius sunt carnalia, quibus tangere non valet mortuum, quia iuuare eum non poterit meritis suis, sed dignitate Sacramenti. Nam boni sacerdotes prosunt dupliciter animabus, scilicet, virtute corporis Dominici, & propria qua ardent charitate. Vox quoque eius est quasi ranarum, quia tota est de lutosis operibus, tota ad voluptatem carnis. Ideo non ascendit ad Deum, qui placari desiderat voce humilis confessionis, & contritionis. Mores etiam sui sunt quasi ioculatoris. Quid enim facit ioculator, nisi quod conformat se moribus mundialium? Quid vero cantat, nisi comedamus, & bibamus fruamur que in hac vita delicijs? Sic facit iste, conformat enim se veste, & actu cum omnibus, vt omnibus placeat, omnesque exemplo suo, & excessu ad superflua incitat dicendo. 1. Comedamus, & bibamus, quia gaudium Domini est fortitudo nostra sufficiat nobis venire ad portam gloriæ, & si prohibear ab ingressu sufficiat mihi residere iuxta portam, nolo esse perfectus. Hæc vox, & vita grauis est, quia nemo veniet ad portam

1 var. lect.

gloriæ

gloriæ, nisi perfectus aut perfecte purgatus, & nemo apprehendet gloriam, nisi perfecte desiderando eam, aut perfecte cum poterit pro ea laborando. Attamen ego dominus omnium ingredior ad sacerdotem istum, sed non includor, & commaculor. Ingredior vt sponsus, egredior vt iudex iudicaturus, contemptus à sumente. Propterea sicut dixi. Veniam sacerdotibus cum septem plagis. Priuabuntur enim omnibus, quæ dilexerunt, eijcientur a conspectu Dei, & iudicabuntur in ira eius, tradentur demonibus patientur absque requie, contemnentur ab omnibus, egebunt bonis omnibus, malisque omnibus abundabunt. Similiter etiam alijs septem corporalibus malis, sicut Israel flagellabuntur. Ideo non debes mirari si tolero malos, aut si aliqua indigna ostenduntur in sacramento meo, quia ad ostendendam patientiam meam, & ingratitudinem hominum suffero, vsque in finem. Nec cogitare debes, quod talis indignitas, sicut audisti de vomitu, fit in corpore meo, sed species illæ sensuales ostendunt quod suum est, scilicet deficiendo, & tamen transparendo manifestant hominum ingratitudinem, & produnt homines ad tam sanctam sumptionem reos, & indignos. Item dixit spiritus ad animam mortui. O anima gaude, & exulta, quia fides tua sperauit te a diabolo, simplicitas tua abbreuiabit tibi longam viam purgatorij, patientia tua dixit te ad portam gloriæ. Misericordia mea introducet te, & coronabit te.

NOTAE.

1 var. lect. *IN omnibus hactenus impressis exemplaribus vbi sic legimus.* Comedamus, & bibamus, quia gaudium Domini est fortitudo nostra. *Manuscriptus Farnesianus addit comedamus, & bibamus fruamurque in hac vita delitijs, quia gaudium Domini est.*

QVALITER DIABOLVS apparuit sponsæ volens ipsam per rationes apparentes decipere in sacramento corporis Christi, & qualiter Christus in adiutorium affuit sponsæ diabolum cogendo, ad veritatem coram sponsa dicendum. Et de conformatione, & informatione vtilissima Christi ad sponsam de suo glorioso corpore in sacramento.

CAP. LXIII.

ITEM APPARVIT SPONSE quidam demon longo ventre, & ait. Quid credis tu mulier, & quid magna cogitas? ego etiã multa scio, & aperta rãõe probare volo dicta mea, sed consolo tibi, dimitte cogitare incredibilia, & crede sensibus tuis. Nonne tu vides oculis, & auribus carnis tuæ audis sonum fractionis hostiæ materialis panis, vidisti eũ euomi, tangi, inhoneste deijci in terram, pluraque indigna fieri, quæ ego in me non tolerarem. Et si Deum in ore iusti possibile esset esse, quomodo descendet ad iniustos quorum auaritia est sine fundo, & sine modo? Respondit illa ad humanitatem Christi, quæ statim post tentationes apparuit dicens. O Domine Iesu Christe regratior tibi pro omnibus, & specialiter pro tribus. Primo, quia vestis animam meam, inspirando scilicet pœnitentiam, & contritionem, qua omne diluitur peccatum quantũcumq; graue. Secundo cibas animam infundendo charitatem tuam, & memoriam passionis tuæ qua anima, quasi cibo optimo delectatur. Tertio consolaris omnes inuocantes te in tribulatione. Ergo domine miserere mei, & adiuua fidem meam, quamuis enim digna sim tradi illusionibus diaboli, credo tamen quod sine permissione tua ipse nihil potest, nec permissio tua est sine consolatione. Tunc ait Christus ad diabolum. Cur inquit loqueris sponsæ meæ nouæ. Cui diabolus respondit, Quia inquit colligata erit mihi, & spero adhuc eam irretiendam reti meo. Tunc autem colligata erat mihi, quando consentiendo mihi plus placuit, & placere studuit consilijs meis, quã tibi Creatori suo. Nam custodiui vias eius, & nondum exciderant a memoria mea. Respondit Dominus. 1. Ergo negociator es tu, & omniũ viarum explorator. Cui diabolus

Vere explorator ſum, ſed in tenebris, quia
tenebroſum me feciſti. Et Dominus, quan-
do inquit vidiſti, & quomodo tenebroſus fa
ctus es? Vidi inquit demon quando me crea
ſti pulcherrimum, ſed quia incaute irrui in
ſplendorem tuum, tanquam baſiliſcus exce-
catus ſum à ſplendore. Vidi te cum deſidera
bam pulchritudinem tuam. Vidi te in con-
ſcientia mea, & noui quando deieciſti me.
3 Noui etiam te in carne aſſumpta, & ſeci,
quod permiſiſti me, 3 Noui, quando reſur-
var. gendo, ſpoliaſti à me captiuos tuos. Noſco
lect. quotidie potentiam tuam, qua me illudis,
& confundis. Et Dominus, ſi inquit noſti,
& ſcis de me veritatem cur mentiris electis
meis, vbi ſcis veritatem de me? Nonne ego
dixi, quod qui manducat carnem meam vi-
uet in æternum? Et tu dicis, quod mendaciũ
eſt, & quod nemo manducat meam carnem.
Ergo populus meus plus idolatra eſt, quam
qui colit lapides, & ligna. Veruntamen
quia omnia ſcio. Reſponde mihi audiente
iſta, quæ hic aſtans, ſpiritualia niſi per ſimi
4 litudines intelligere non valet. 4 Thomas,
var. qui tetigit me poſt reſurrectionem, verum
lect. erat corpus quod tangebat ſpirituale, an
corporale, & ſi erat corporale quomodo in
trabat ianuis? Si vero ſpirituale quomodo
viſibile fuit oculis corporeis. Reſpondit
diabolus graue eſt ibi loqui, vbi loquẽs om
nibus ſuſpectus eſt, & inuitus cogitur loqui
veritatem. Veruntamen compulſus loquar
quod reſurgendo, & ſpiritualis, & corpora-
lis eras. Et ideo propter æternam deitatis
virtutem, & propter ſpiritualem carnis glo
rificatæ prerogatiuam, vbique ingrederis,
& vbique eſſe potes. Dixit iterum Deus.
Virga Moyſi, cum conuertebatur in ſerpen
tem, dic verum ſimilitudo fuit ſerpentis, aut
totum intus, & extra ſerpens, aut ſportę il-
læ panum, ſeu fragmenta panum, dic verum
verus panis fuit totus, an ſimilitudo panum?
Reſpondit diabolus. Totum erat in virga
ſerpens, totum in ſportis panis, & totum
virtute tua, totum potentia tua facta eſt.
Et Dominus Nunquid inquit difficilius eſt
mihi nunc operari, quam tunc miraculum
conſimile, aut mirabilius ſi placet mihi, an
ex quo tunc caro glorificata, potuit ianuis
clauſis intrare ad apoſtolos, & quare nunc
in manibus ſacerdotum eſſe non valet. An
forſan labor aliquis eſt deitati meæ, ima ſo
ciari cæleſtibus, terrenaq; ſummis. Nequa-
quam Sed vere pater mendacij, ſic malitia
tua maxima eſt, ſic charitas mea eſt, & erit
ſuper omnes. Nam etiam ſi ſacramentum
illud vobis videretur comburere, alter tere-
re ſub pedibus, ego ſolus ſcio fidem omniũ,
& in menſura, & patientia diſpono omnia.
Qui de nihilo facio aliquid, & de viſibili in-
uiſibile, qui, & in ſigno, & forma aliquid vi-
ſibile oſtendo, quod tamen in ſignato aliud
veraciter eſt, aliudque videtur. Reſpondit
diabolus. Huius rei veritatem ego quoti-
die experior, quando homines amici mei
elongant ſe à me, & fiunt amici tui. Sed
quid dicam amplius ſeruus dimiſſus ſibijpſi,
ſatis oſtendit voluntate, quid faceret actu ſi
permitteretur. Tunc iterum loquitur fi-
lius Dei. Crede filia, quod ego Chriſtus
ſum reparator vitæ, & non proditor. Verax
& ipſa veritas, & non mendax, poteſtaſ-
que æterna, ſine qua nihil fuit, & nihil erit.
Nam ſi habueris fidem, quod ego ſum in
manibus ſacerdotis, etiam ſi ſacerdos dubi-
taret, tamen propter fidem credentium, &
aſtantium, ter inſtrui, & dixi, ego veraciter
ſum in manibus, & propter verbum, quod
5 ego ipſe perſonaliter locutus ſũ. 5 Et oĩs qui
ſumit me, ſumit Deitatem, & humanitatem,
& formam panis. Quid enim eſt Deus, niſi
vita, & dulcedo lux illuminans, bonitas de
lectans, iuſtitia iudicans, & miſericordia
ſaluans, Quid vero eſt humanitas mea, niſi
caro agillima, coniunctio Dei, & hominis,
caput omnium Chriſtianorum. Ergo omnis
qui credit in Deum, & accipit corpus eius,
ipſe ſumit deitatem, quia ſumit vitam. Su-
mit, & humanitatem qua Deus homo con-
iungitur. Sumit, & formam panis, quia
ſub alia forma ſumitur ipſe, qui latet ſub
forma ſua propter fidei augumentum. Si-
militer, & malus ſuſcipit eandem deitatem,
ſed iudicantem non demulcentem, ſumit, &
humanitatem, ſed minus placabilem ſibi.
Sumit, & formam panis, quia ſub forma vi-
ſa recipit latentem veritatem, ſed non dul-
ceſcentem, ſibi ſuauitatem. Nam quando ap
plicauerit me ad os ſuum, & dentes com-
pleto ſacramento, ego recedo cum deitate,
& humanitate, ſola forma panis remanet ſi
bi. Non quia non veraciter ibi ſum, ita
cum malis, ſicut cum bonis, propter ſacra-
menti inſtitutionem, ſed quia ſimilem effe-
ctum non habent boni, & mali. Denique in
ſacrificio ipſo offertur homini vita, ipſe ſci-
licet Deus, & ingreditur vita, ſed non per-
manet cum malis, quia malum non relin-
quunt, & ideo remanet ſenſibus eorum ſola
6 forma panis. 6. Non tamen quod forma il-
la panis, quæ eſt ſub ſubſtantia panis, ali-
quid ſit eis effectiuum, ſed quia de ſumptio-
ne illa nihil recogitant, niſi quaſi ſi viderẽt,
& ſentirent formam panis, atque vini, tan-
quam ſi dominus potens ingrederetur do-
mum alicuius, & ſpecies eius quidem remi-
niſceretur, ſed præſentia bonitatis eius obli
uiſceretur, & negligeretur.

NOTAE.

1 Ergo negotiator es tu, & omnium viarum explorator, cui diabolus vere explorator sum, sed in tenebris, quia tenebrosum me fecisti, & Dominus, quando inquit vidisti, & quomodo tenebrosus factus es, vidi inquit demon quando me creasti pulcherimum.

In praesenti capite demonem, & Negotiatorem, & exploratorem Christus Dominus appellat, Negotiatorē quidem, quia quas Christus suo sanguine lucratus est animas, demō eas vt perdat pro viribus studet, explorator quoq; dicitur hic, & à Gloss. interlineari super Iudic. cap. 10. quoniam sagaciter, & quasi occulte hominum statum, & consilia diligenter inquirit, vt eos suum ad inferos in aeternum pas surus trahat; peculiaris autem luciferi negotiatio fuit, cum ad coelum ascendere voluit sibique Dei aequalitatem vsurpare contendit, vt animaduertit D. Hieronym. super Ezech. cap. 28. & super Isaiam cap. 23. ob quam negotiationem factus est, vt scribitur hic tenebrosus à Deo, non quod Deus illius peccato cooperatus sit, eumque ad peccandum induxerit, quia ipse auctor peccati nullatenus esse potest, & intentator malorum est, vt affirmat D. Iacobus in sua canonica cap. 1. sed tenebrosus à Deo factus demon dicitur, quatenus eum peccare permisit, illumque ob commissa peccata ad exteriores tenebras amandauit, vel quia à Deo gratia priuatus fuit, quae lux est, per quam Christus omnes homines venientem in hunc mundū illuminat Ioannis primo: quomodo vero, quae immediate sequūtur accipienda sint, nimirum, vidi inquit demon quando me creasti pulcherimum, explicauimus supra lib. 1. Reuelat. cap. 34. nota 1. 2. 3. & 4. vbi ostendimus, quid viderit Demon, & quam cognitionem habuerit antequam in peccatum lapsus sit quae ve suae ruinae causa fuerit, & quod peccatum commiserit.

2 Noui etiam te in carne assumpta, & feci, quod permisisti me.

A Demone Redemptorem nostrum, vt verum Messiam, & filium Dei naturalē fuisse cognitum videntur indicare D. Marcus, cap. 1. & D. Lucas ca. 4. qui narrant Christum descendisse Capharnaum, & sinagogam ingressum, obsessum à Demone liberasse, qui voce magna clamans dicebat, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos, scio te, quia sis, sanctus Dei, aut vt Graeci codices habent scio te, qui sis sanctus Dei: ex his tamen euidenter non colligitur Demones nouisse Christum, vt filium Dei, sed quod coniecturis quibusdam suspicabantur, affirmabant, vt vel per commendationem, vel tandem à contrarietate Christus desisteret eos expellere, aut potius sicut docuit Iansenius par. 1. ca. 27. sue concordantiae, vt experirentur an Christus oblatum titulum sibi vsurparet, sed quidquid sit dicendum videtur Demones, & si aperte Christum, vt Dei filium Naturalem, & Messiam in lege promissum non nouerint, & aliquando etiam de illius diuinitate dubitauerint probabilissimum tamen esse, & sanctorum Patrum doctrinis consonum, eum qui multa testimonia in vetori testamento de illo per prophetas allata nouerat, et intellexerat etiam Christum, vt talem ex illis scripturis cognouisse id quae pluribus, quoque coniecturis assequi potuisset, & primum per miracula ab ipso met Christo facta, & à Demone visa, quae sufficienter probabant, & diuinitatem eius, ac etiam illum esse Messiam promissum. Secundo etiam, quia audierunt a Christo testimonium huius rei, nam Ioan. 5. 8. & 10. scribitur dixisse se esse filium Dei; & secundum hunc sensum accipienda sunt verba praesentis notae cum legimus dicentem Demonem noui etiam te in carne assumpta, & haec est sententia, primum D. Hieron. Matt. 8. D. Greg. 33. moral. cap. 7. alias 10. vbi explicans illa verba Iob cap. 40. in oculis eius, quasi hamo capiet in oculis inquit eius eum habere dicimus, quod coram nobis positum videmus: antiquus vero hostis humani generis redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit dicens, quid nobis, & tibi fili Dei, in oculis itaque suis hamo captus est, quia, & nouit, & momordit, idem habet homi. 25. in Euang. sequitur etiam Greg. Nissenus oratione prima de resurrect. qui eodem modo locum citatum Iob exponit Fauet huic sententiae Tertullianus in lib. contra praxeam cap. 26. & lib. 5. contra Marcionem cap. 6. Athanasius libr. de Incarnatio verbi aliquanto post medium, vbi loquentes demones in haec verba facit, cum ille in carne versaretur, nouimus qui sis, tu es ille sanctus Dei, rursumque clamabant, quod tibi nobiscum fili Dei, hoc ipsum asserit Greg. Nazienz. oratione 42. in qua de Christi Natiuitate agens hi (ait) cum à quo fugabantur, Deum agnouerunt, doloribus nimirum, quos sentiebant ab eo ipsis facientibus, & haec est sententia D. Thomae, qui affirmat postquam Christus coepit praedicare, antequam pateretur, permissum fuisse, seu non impeditum, vt Demon Christum agnosceret sic 3. p. qu. 46. art. 1. ad. 2. & q. 40. ar. 40 sequitur Liranus Marci 1. & Lucae 4. Abulensis Matt. 4. q. 212.

3 Noui quando resurgendo spoliasti à me captiuos tuos.

var, lect. *Sic habent omnes impressi codices, sed MS. Farnesianus legit, quando spoliasti me captiuis, spoliauit autem Demonem Christus, quando descendens ad inferos veteris testamenti Patres, qui in limbo veluti in carcere captiui detinebantur liberauit, aut etiam quando per mortem suam pro peccatis nostris diuinae satisfaciens iustitiae, nos de illius potestate eripuit, in cuius signum dicebat Ioa. 12. nunc princeps huius mundi eiicietur foras. sed hac de re egimus lib. 1. Reuel. cap. 49. nota 4. & 5. vbi quaesiuimus an Christus descenderit ad infernum damnatorum, an tantummodo ad limbum patrum.*

4 Thomas, qui tetigit me post resurrectionē vtrum erat corpus, quod tangebat spirituale, an corporale, & si erat corporale quemodo intrabas ianuis, &c.

var lect. *Omnino hic arbitror addendam esse verbum clausis, & legendum cum M. S. Farnesiano quomodo*

mutatæ sunt, & contemptæ, diligitur quippe pro confessione excusatio, & leuigatio culpæ: pro castitate, scurrilium continuatio, pro labore salutis animæ, labor vtilitatis corporis. Pro honore & amore Dei, ambitio mundialium, & superbia. Pro parcitate laudabili superfluitas in omnibus. Pro timore Dei, præsumptio, & diiudicatio iudiciorum Dei. Pro dilectione Dei super omnia, ingratitudo

4 cleri super omnes. 4. Ideo sicut dixi per Prophetam veniam in indignatione, & tribulatio dabit eis intellectum. Tunc Mater misericordiæ astans, Respondit. Benedictus sis tu fili mi pro iustitia mea, loquor ad te, qui omnia scis propter sponsam istam, quam tu vis intelligere spiritualia, quæ tamen nisi per similitudines capere non valet spiritualia.

5 Tu quippe dixisti in deitate tua, ante quam suscepisses humanitatem de me, quod si decem viri iusti inuenirentur in ciuitate misereri velles toti ciuitati propter decem. Nunc autem adhuc infiniti sunt sacerdotes, qui te oblatione corporis tui placant. Ergo miserere propter eos his, qui parum boni habent, hoc, quæ te secundum humanitatem genui rogo, hoc omnes electi tui petunt mecum. Respondit filius: Benedicta sis tu, & benedictum verbum oris tui. Tu vides, quod tripliciter parco propter triplex bonum, quod oblatio corporis mei habet. Sicut enim ex præsumptione Iudæ tria ostensa sunt bona in me. Sic ex oblatione sacrificii huius tria veniunt animabus. Denique patientia mea laudatur, quod sciens proditorem meum Iudam, non repuli conuersationem eius. Secundo, quod astante proditore cum suis, omnes ex vnico verbo meo ceciderunt in terram, vbi potentia mea ostendebatur. Tertio, quia omnem malitiam eius & diaboli ad animarum conuerti salutem, vbi sapientia, & charitas diuina manifestabatur. Sic etiam ex oblatione sacerdotum tria veniunt bona. Primo, laudatur ab omni cœlesti exercitu patientia mea, quia idem sum in manibus boni, & mali sacerdotis, quia apud me non est personarum acceptio, nec merita hominum conficiunt hoc sacramentum, sed verba mea.

6 6 Secundo, quia hæc oblatio prodest omnibus à quocunque sacerdote sit oblata. Tertio, quia prodest etiam ipsis offerentibus quantumcunque malis, quia sicut ex vno verbo quod dixi, scilicet, ego sum, corruerunt hostes mei corporaliter in terram, sic dicto verbo meo, videlicet, hoc est corpus meum, fugiunt dæmones à tentando animas offerentium, nec auderent redire ad eos cum tanta audacia si affectus peccandi non sequeretur. Itaque misericordia mea parcit omnibus, & omnes suffert, sed iusticia clamat vindictam, quia clamo quotidie, & quam multi respondent mihi satis tu vides. Veruntamen mittam adhuc verba oris mei, & qui audierint complebunt dies suos in lætitia illa quæ nec dici nec cogitari potest præ dulcedine. Qui vero non audierint venient eis sicut scriptum est septem plagæ in anima, & septem in corpore, quas considerando, & legendo ea quæ gesta fuerant inuenient, ne experiendo contremiscant.

NOTAE.

1 Sacerdotes custodesque speciales eius, qui quodammodo etiam officio sunt supra Angelos, quia quem ipsi Angeli timent contingere timore reuerentiæ, hunc sacerdotes tractant Manibus, & ore.

Innuit hoc loco Redemptor noster, sacerdotes supereminere Angelis prout in Altaris Sacramento Ministri à Deo constituti sunt, & sanè si de potestate ipsis collata Christi corpus conficiendi sermo sit: eos hac in re superiores esse fatendum est, quandoquidem ratione impressi Characteris ipsi sacerdotes hanc obtinuerunt facultatem, quæ Angelis non est concessa, secundum ordinariam potestatem, vt egregie tradit D. Thomas 3. p. quæst. 64. art. 7. et nos annotauimus lib. 1. Reuelat. c. 47. nota 4. & probant Alexander Alens. 3. p. quæst. 10 de membr. 4. Gabriel d. Soto d. 1. quæst. 9. art. 2. Si vero loquamur de sumptione ipsius Sacramenti de qua Christum Dominum loqui ex illis verbis colligitur, scilicet (sunt supra Angelos, quia quem Angeli timent contingere hunc sacerdotes tractant manibus, & ore.) Dico in hoc quoque sacerdotes Angelis superiores esse, quia hominibus tantummodo datum est Christum spiritualiter manducare, prout est sub speciebus huius sacramenti, in quantum etiam, quis credit in eum cum desiderio hoc sacramentum sumendi, quod est Christum spiritualiter manducare, & spiritualiter hoc sacramentum sumere, vt probat D. Thomas 3. p. quæst. 80. art. 2. & patet ex D. Augustino ab eo citato tract. 25. in Ioannem paulo post medium, non tamen negandum est, si consideremus ipsum Christum in propria specie dici posse, ipsos met Angelos sic eum spirituali manducatione sumere, quatenus in cœlo perfecto charitatis vinculo cum illo vniuntur, & perpetua visione fruuntur secundum illud Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, sed hac de re vide Durandum in 4. d. 19 quæ. 3. & Franciscum Suarez in comment. ad 3. p. D. Thomæ qu. 80. disput. 65. sect. 3.

2 Et in huiusmodi continentiæ signum capilli primo tondentur, ne voluptas animo, seu carni dominetur.

Inter cæteras, quas SS. Patres de Clericorum Tonsura causas pluribus in locis attulerunt, hæc quam in præsenti nota legimus potissima est, negari enim non potest per capillos, corporis superfluitates intel-

intelligi debere, & idcirco Clericos tonderi, vt innuatur superflua, & præcipue carnis prauas cupiditates ab illis amputandas esse, eiusque rebelles motus coercendos, ne voluptas animæ, seu carni dominetur, vt scribitur hic, eandem quoque rationem reddiderunt S. Isidorus lib. 2. de diuinis officijs cap. 4. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 3. cap. 1. Secundam rationem adducit venerabilis Beda lib. 5. Hist. cap. 1. & cap. 22. & Guglielmus Durantus in Rationali diuinorum lib. 2. cap. 4. vt scilicet in Clericis Christi Spinea coronæ imago exprimatur, sicut enim Christiani omnes communi sanctissimæ crucis signo ornantur, ita quoque expedire visum est, vt Clerici, qui Christum patientem imitari debent speciali signo honorentur. Tertiam affert causam D. Dionys. cap. 6. Ecclesiasticæ hierarchiæ, vt ea capitis nudatione significetur vita innocens, aperta, & pura, quam Religiosi, aliique Deo specialiter dicati debent prebere. Quarta, & nos addere possumus Clericos sic tonderi debere, vt capillorum circulus relinquatur in formam coronæ, et sic Regia demonstretur corona, ad quam euecti sunt, & idcirco de his scripsit B. Petrus in sua prima Canonica cap. 2. Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.

3 Ego quippe ostendi in monte Moysi vestes quibus Sacerdotes legis vterentur.

In veteri testamento Dominus præcepit Moysi, vt Aaron Sacerdoti suisque filijs vestes faceret sanctas, in gloriam, & decorem, vt nonnisi sanctis, sacrisque (vt oportebat induti) vestibus sacra peragerent, sicut Exodi 28. & 39. legimus, vbi diligentissime omnium sacerdotalium vestium forma, ac numerus describitur, quod si in antiquæ legis sacrificijs, quæ futurorum solum erant adumbratio mysteriorum, quæve emundationem tantummodo carnis spectabant, huiusmodi vestimentorum ritus erat necessario obseruandus, quanto magis in consecratione corporis, & sanguinis Domini, in quibus vera sita est ratio sacrificij, & carnis, ac spiritus perfecta emendatio hoc faciendum erit, idem indicant, ea verba, quæ non longe à verbis præsentis notæ distant, quæ sunt, vt sciatur quanta reuerentia, & munditia opus est his, qui habent ipsam veritatem scilicet corpus meum, si tantam munditiam, ac reuerentiam habebant, hi qui portabant vmbram, & figuram, idem annotauit Iuo Carnotensis epistola 124. id autem, quod proxime sequitur nimirum (ad quid Moysi ostendi tantam vestium materiarum pulchritudinem, nisi vt per eas significaretur ornatus animæ.) Indicat Sacerdotes his virtutum ornamentis refertos esse debere, quæ per harum decorem vestium designantur, qui enim ornatur vestibus, & honestis moribus non induitur, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior apud Deum redditur, itaque gloriam tamen honoris non commendat vestium, sed splendor animarum, hæc Innocentius III. lib. de Myster. Missæ ca. 64. & D. Hyeron. in 44. ca. Ezechielis affirmat id institutum esse, ne cum pollutis vestibus sacra conficiantur, vt discant Ecclesiastici, cum munda conscientia, & mundis vestibus Domini Sacramenta tractare, hoc ipsum tradit Origenes Hom. 11. in cap. 20. Leuit. & expresse habetur in Concil. Romensi, apud Bruchard. lib. 2. cap. 40. sed de sacerdotalium vestimentorum ritu, ac significatione latissime agit, Ioannes Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiasticis lib. 2. cap. 4.

4 Ideo sicut dixi per Prophetam veniam in indignatione, & tribulatio dabit eis intellectum.

Sic Isaiæ 63. inebriabo eos in indignatione mea, & alibi centies, hac loquendi formula vsi sunt Prophetæ quando indicabant Deum homines punire velle, & ad eos grauissima flagella mittere, vt Trenorum 4. effundam iram indignationis, Ezech. 5. & 6. complebo indignationem meam in eis. Nahum 1. Sophon. 2. & 3. illud autem, & tribulatio dabit intellectum habetur Isaiæ 63.

5 Tu quippe dixisti in deitate tua antequã suscepisses humanitatem de me, quod si decem viri iusti inuenirentur in ciuitate: misereri velles toti ciuitati propter decem.

Sic legimus Genesis 18. quod si inuenti fuerint decem, & dixit non delebo propter decem, adducit autem Beatissima Virgo huiusmodi textum vt Christum inducat ad parcendum malis Sacerdotibus, quos supra iam dixerat grauiter punire velle, probat autem, quia ipse sodomitis parcere promisserat, si sodomis decem fuissent inuenti iusti cum ergo inquit Maria nunc plures reperiantur Sacerdotes, qui tibi tui corporis oblatione placant, ergo miserere propter eos his, qui parum boni sunt.

6 Secundo, quia hec oblatio prodest omnibus à quocumque Sacerdote est oblata.

Quemadmodum in consecratione Christi corporis, et sanguinis nihil a bono magis, nec minus a malo Sacerdote perficitur dummodo iuxta formam sibi diuinitus datam celebretur, non enim merito Sacerdotis conficitur, sed diuina in verbis reposita virtus operatur, neque illud bonæ vitæ sanctitati ascribitur, sed Christi Domini virtuti, ac potestati gerit tribuendum est, ex quibus consequens fit, vt Sacerdotis iniquitas nullatenus huius Sacramenti effectum impedire queat, sicut nec Medici infirmitas medicinæ effectum minime tollit, nec corrumpit, sicut enim D. Chrysost. Hom. 87. in Lucam, Asinum Deus loqui fecit, vt per vatem benedictiones spirituales largitus est, multo magis per Sacerdotes etiam si praui sint, hæc efficit omnia, vnde D. Greg. Magnus Hom. 17. in illud Lucæ 10. designauit Dominus septuaginta duos, Sacerdotes malos aquæ Baptismatis comparat quæ peccata Baptizatorum diluens ipsa in cloacas descendit, idem habet D. August. tract. quinto in Ioan. si superbus ait fuerit Minister, cum Diabolo computatur, sed donum Christi non contaminatur, hoc ipsum probat Hector Pintus in Ezechielem cap. 7. qui affirmat mali Sacerdotis sacrificium etiam alijs prodesse, sicut

cut docet hic B. Brigitta, & quamuis inquit, in sancto Missæ sacrificio, si eam lethali peccato celebrat iudicium sibi manducat, & bibit, impetrat tamen à Deo, quod pro offerentibus petit, similis procuratori captiuorum, cui eorum contemplatione pro quibus petit, large datur eleemosina, cum tamen ipsi pro se petenti nihil daretur, non tamen negarim, si in Missa orationes spectemus, illam considerando ex opere operantis, vt Theologi Scholastici loquuntur pluris esse valoris Missam boni sacerdotis, quamquã dicendum sit, fructu non carere sacerdotis etiam mali orationes in persona Ecclesiæ prolatæ, vt docet Doctor Angelicus 3. p. q. 82. ar. 6. & D. Bonau. in 4. sent. dist. 13.

VERBA CHRISTI AD Sponsam qualiter sacerdos tenetur habere tria, primo corpus Christi consecrare, secundo munditiam carnis, & spiritus habere, tertio Parochiæ suæ prouidere. Etiam tenetur habere librum, & oleum. Et quomodo sacerdos angelus Dei est, immo, quod eius officium est maius quam Angeli.

CAP. LIX.

FILIVS loquitur. Sacerdos tenetur habere tria; Primo, consecrare corpus Dei. Secundo habere mundiciam carnis, & spiritus. Tertio, prouidere Parochiæ suæ. Sed potes quærere quid prodest habere ecclesiam, si non habet parochiam? Respondeo tibi, sacerdos habens voluntatem omnibus prodesse, & prædicare propter amorem Dei, ille habet tam latam parochiam quasi si haberet totum mundum, quia si posset loqui toti mundo minime parceret labori suo. Ideo voluntas bona reputatur ei pro opere. Nam Deus propter ingratitudinem audientium multoties parcit electis suis à labore prædicandi, nec tamen fraudantur mercede
1 propter affectum bonum. 1. Presbyter etiã tenetur habere librum, & oleum. Librum ad instruendum imperfectos, oleum sanctum ad infirmos liniendum. Sicut enim in libro continetur doctrina corporalis, & spiritualis, sic in sacerdote sit sapientia ad seipsum, moderando carnem, ne dissoluatur intemperantia, qua scandalizantur parochiani, fugiendo cupiditatem mundi, qua vilipenditur decor ecclesiæ, deuitando mores secularium, quibus dignitas clericalis dehonestatur. Spiritualis vero sciendum est instruere insipientes, corripere dissolutos, accendere proficientes. In oleo vero notatur dulcedo orationis, & exempla bona. Sicut enim oleum pinguius est pane, sic oratio charitatis, & exempla bonæ vitæ, efficaciora sunt ad trahendum homines, & pinguiora
2 ad placandum Deum. 2. Vere dico tibi filia, quod magnum est nomen sacerdotis;
3 quia angelus Domini est, & mediator. 3. Sed maius est officium eius, quia tractat incomprehensibilem Deum, iamque cælestibus in manu eius coniunguntur.

NOTAE.

1 PResbyter etiam tenetur habere librum, & oleum.

Duo in primis, sacerdotibus necessaria esse ostendit Christus in præsenti capite sub similitudine libri & olei scientiam, scilicet, & vitæ sanctitatem. & vt a primo sumamus exordium nulli dubium est per librum in præsenti nota sacrarum rerum scientiam designari, qua sacerdos præditus esse debet, & de hoc libro Exodi 17. sermo fit, vbi legimus Deum iussisse vt in illo scriberetur ob monumentum, in cuius capite de Christo scriptum est, vt psal. 39. Dauid dixit, & hanc esse Scripturam sacram auctor est Arnobius in citatum psalmum, is etiam liber inuolutus, ac signatus dicitur Isaiæ 29. & Ezech. 2. quandoquidem diuina mysteria figuris inuoluta continet, intus quoque, & foris eum scriptum esse D. Ioannes Apocalyp. 5. affirmat, quoniam sacra scriptura præterita, & futura, litterã & spiritum includit, vt annotarunt D. Hyeronim. super Isaiam, cap. 8. & 29. & super Ezech. cap. 2. Orige. super eundem Hom. 14. Gregorius Magnus 27. moral. cap. 11. hic ergo liber est, quem monuit Christus Dominus hoc loco, vt sacerdos penes se habeat, vt sacræ scripturæ mysteria populo aperiat quomodo inquit S. Isidorus lib. 3. de summo bono, cap. 35. docere poterunt, quod ipsi non didicerunt desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere: ignorantia quippe præsulum vitæ non congruit subiectorum, hinc est, quod Oseas Propheta, cap. 4. suorum reuelationum prædicit, sacerdotes si hanc sibi comparare scientiam neglexerint, a sacerdotij munere reiciendos esse, quia inquit scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. præter scientiam debet etiam sacerdos oleum habere virtutem nimirum misericordiæ, & charitatis, & bonorum operum executionem, hæc enim per oleum designantur, vt Exodi 29. & Leuit. 2. legimus, & docent Origen. in Leuit. Homil. 4. 8. & 13. D. Hyeron. super Isaiam, cap. 10. D. Augusti. in lib. 83. q. q. 59.

2 Vere dico tibi filia, quod magnum est nomen sacerdotis, quia Angelus Domini est, & Mediator.

Et secundum hoc loco dignitas commendatur, dum eos Christus, & Angelos, & Mediatores appellat, est enim Angelus sacerdos, quoniam Angelorum exercet officium, quorum est proprium hominibus diuina reserare secreta, eosque illuminare, quod ad sacerdotes spectat, vt superiori nota demonstrauimus, & ex Malachia Propheta colligi potest cap. 2. labia inquit sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, vnde Apostolus 1. Corinth. 11. prohibuit, vt mulieres detecto capite ingrederentur Ecclesias propter Angelos, hoc est, propter sacerdotes, sic hunc locum interpretantur Lyranus, & Dionysius Carthusianus, qui sacerdotes Angelos vocandos esse asserit, Primo propter ampliorem scientiam diuinorum, secundo propter annunciationem mandatorum diuinorum, Tertio propter munditiam castitatis, Quarto propter custodiam Dominici Gregis, idem insinuant D. Gregor. hom. 6. in Euang. vnusquisque ait fidelis, si à prauitate proximum reuocat, & ad bonum exortatur, si aeternum regnum, vel supplicium erranti denunciat profecto Angelus Domini est, secundo sacerdotes dici possunt etiam Angeli propter vitae Angelicae puritatem, quae exigitur ab illis.

Sed maius est officium eius, quia tractat incomprehensibilem Deum.

Superiori capite non longe ab initio idem probatur, quod hoc loco innuit Christus Dominus nimirum, sacerdotes respectu consecrationis Corporis Christi dignitate excellere Angelos. vide plura cap. 78. hoc eodem lib. nota 1. vbi hac de re late egimus.

VERBA SPONSAE AD Deum de grato modo effundendi preces coram Deo.

CAP. LX.

BENEDICTVS sis tu Creator, & redēptor meus. Ne indigneris, si loquor ad te, sicut vulneratus ad Medicum, sicut tribulatus ad consolatorem, sicut pauper ad diuitem & abundantē. Vulneratus quippe dicit. O Medice noli abominari me saucium, quia frater es. O consolator optime, noli me despicere, quia anxius sum, sed da cordi meo requiem, sensibusque meis consolationem. Pauper vere dicit. O tu diues, & nullius egens, respice me, quia periclitor fame. Vide me quia nudus sum, & da mihi vestes quibus calefiam, sic ego dico. O Domine omnipotentissime, & optime, ego considero vulnera peccatorum meorum, quibus ab infantia vulnerata sum, & ingemisco, quia tempus consumptum est inutiliter. Vires nō sufficiunt ad labores, quia exhauste sunt in vanitatibus. Ideoque quia tu es fons totius bonitatis, & misericordię, rogo te miserere mei. Tange cor meum manu dilectionis tuæ, quia Medicus es optimus, consolare animā meam, quia consolator es bonus.

QVALITER DIABOLVS apparuit sponsæ in eleuatione corporis Christi loquens, & per rationes probans ei, quod illud, quod eleuabatur non esset corpus Christi. Cui Angelus Domini statim apparuit cōfortans eam, & dicens. Noli credere &c. Et qualiter Christus apparens coegit diabolum, vt diceret veritatem coram filia. Et qualiter corpus Christi sumitur, sic à bonis, & de remedio opportuno in tentationibus de corpore Christi.

CAP. LXI.

1 var. lect. APPARVIT Sponsæ in eleuatione Corporis Christi, quidam deterrimus, & ait. Nunquid credis tu fatua, quod hęc cortella panis Deus est, diu denique consumptus esset, etiam si mons montium fuisset. Nullus quippe sapientium iudæorum, quibus à Deo data est sapientia hoc credit, sed nec aliquis credat, quod Deus ab immundissimo sacerdote, 2 qui cor habet caninum tangi dignatur, & amari. Et vt probes, quod dico. Iste
2 var. lect. sacerdos meus est, quem cum voluero, & in puncto auferam ad meipsum. Tunc statim bonus Angelus apparens dixit. O filia non respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ipse enim qui apparuit tibi, est pater mendacij, sed esto parata, quia sponsus noster iam prope est. Qui sponsus Iesus veniens, ait ad diabolum. Cur inquit conturbas filiam meā, & sponsam? Ideo dico filiam, quia creaui eam. Ideo sponsam, quia redemi eam, & chastitate mea copulaui eam mihi. Respondit dæmon. Ideo loquor, quia permissus sum, & vt ipsa refrigesceret in seruitio tuo. Et Dñs. Hoc, inquit nocte ista experta est, quando & oculos, & reliqua membra compressisti, & maiora fecisses si fuisses admissus, sed quoties ipsa restitit immissionibus tuis, toties ei dupli-

duplicatur corona. Veruntamen tu diabole, quia dixiſti me diu fuiſſe comeſtum, etiam ſi fuiſſem mons, dicito mihi audiente filia mea, quæ corporalis eſt.
3 Scriptura dicit, quod percunte populo erigebatur ſerpens Aeneus, quo viſo omnis percuſſus à ſerpentibus ſanabatur. Vtrum iſta virtus ſanatiua erat ex æris fortitudine, aut ſpecie ſerpentis, aut de Moyſi bonitate, ſeu virtute occulta diuina? Reſpondit dæmon. Hęc virtus ſanationis a nullo erat niſi a propria, & ſola virtute Dei, & fidei populi credentis, & obedientis, qui ſic firmiter credidit Deo, quod Deus, qui de nihilo fecit omnia, etiam omnia poſſet facere, quæ non erant prius. Iterũ dixit Deus. Dicito dæmon, quando virga facta eſt ſerpens, verum factum eſt pręcipiente Moyſe an iubente Deo? Aut quia Moyſes ſanctus fuit, an quia verbum Dei ſic dixit? Cui dæmon. Quid inquit erat Moyſes niſi homo infirmus ex ſe, ſed iuſtus ex Deo, ad cuius verbum, quod iuſſit, & protulit Deus, facta eſt virga ſerpens, Deo veraciter iubente, & Moyſe tanquam miniſtro obſequente. Nam ante præceptum, & verbum Dei virga erat virga, præcipiente vero Deo, veraciter virga facta eſt ſerpens, ita vt & Moyſes formidaret. Tunc Dominus ait ad ſponſam iſta videntem. Sic eſt etiam nunc in altari ante enim verba ſacramenti, panis poſitus in altari panis eſt, dicto vero verbo, hoc eſt corpus meũ, fit corpus Chriſti, quem ſumunt, & tractant ita boni, ſicut & mali, ita vnus ſicut mille, eadem veritate, ſed non eodem effectu, quia bonus ad vitam, malus vero ad iudicium ſui. Quod vero dæmon dixit *Deum* fœdari ex immunditia offerentis, hoc veriſſime falſum eſt. Sicut enim ſi ſeruus leproſus miniſtrat *Domino* claues. Aut ſi infirmus offert fortiſſimarum herbarum cõfectiones, nihil hoc obeſſet ei, cui miniſtrarentur, cum eadem virtus eſt in eis per qualemcumque offeratur. Sic *Deus* nec ex malitia mali miniſtri fit malus, nec ex bono fit melior, quia ſemper immutabilis eſt, & ſemper idem. Quod vero dixit dæmon eum citius moriturum, hoc nouit ex ſuæ naturæ ſubtilitate, & ex cauſis exterioribus. Attamen auferre eum non poterit niſi me permittente. Veruntamen iſte ſacerdos ſuus eſt proprius, niſi ſe correxerit, & hoc propter tria. Ideo idem dæmon dixit eum habere membra fœtentia, & cor caninum, quia fœtidus vere eſt, & febricitans, quia habet calorem exteriorem, ſed interiorem frigiditatem, ſitim intolerabilem, languorem membrorum, panis faſtidium, & omnis ſuauitatis abominatione. Caleſcit enim ad mundum, frigeſcens eſt ad *Deum*, ſitit voluptatem carnis faſtidiens virtutum pulchritudinem. Inſipidus eſt ad mandata *Dei*, ſeruens ad omnia, quæ ſunt carnis. Ideo non mirum, quia non ſapit ſibi corpus meum, niſi ſicut panis coctus in clibano, quia non cogitat, nec ſapit ei ſpirituale opus, ſed carnale. Ideo dicto *Agnus Dei*, & ſumpto corpore meo in corpus ſuum, diſcedit ab eo patris potentia, abſcedit & filij dulciſſima preſentia. Depoſitis vero ſacris veſtibus, recedit Spiritus ſancti benignitas, qui eſt vinculum coniunctionis, ſola autem forma, & recordatio panis remanet ei. Non tamen cogitare debes, quod ipſe, vel alius quantumcumque malus ſine Deo ſit, ſed recedit Deus maiorem conſolationem non infundendo, permanet vero tolerando eum, & à diabolo defendendo. Quod vero diabolus dixit, nullum ſapientum iudæorum hoc velle credere. Reſpondeo. Ipſi iudæi ſunt ita diſpoſiti, ſicut, qui dextros oculos amiſerunt, ideo claudicant vtroque pede ſpirituali, propter quod & inſipientes ſunt, & erunt vſque in finem. Ergo non mirum, quod diabolus excœcat, & indurat corda eorum, & ſuadet eis impudica & ea, quæ ſunt contra fidem. Itaq; quotieſcumque aliqua cogitatio talis de corpore Chriſti occurrerit menti tuæ, refer ad ſpirituales amicos tuos, & ſta ſtabilis in fide, quia abſque dubio ſcias, quod hoc corpus, quod de Virginea carne ſumpſi, quod crucifixum eſt, & regnat in cælo, hoc idem eſt in altari, & hoc ſumunt boni, & mali.
4 Nam ſicut oſtendi me diſcipulis euntibus in Emaus in aliena forma, cum tamen eſſem verus Deus, & verus homo, ingrediens ad diſcipulos ianuis clauſis, ſic ſub aliena forma oſtẽdo me ſacerdotibus, vt fides habeat meritum, & hominum appareat ingratitudo. Nec mirum. Ego enim idem nunc ſum, qui oſtendi deitatis meæ potentiam per ſigna terribilia, & adhuc dixerunt tunc homines, faciamus Deos, qui nos præcedant. Ego etiã oſtendi iudæis veram humilitatem meam, & crucifixerunt illam. Ego idem quotidie in altari ſum, & dicitur nauſea, & tentatio eſt nobis ſub cibo iſto. Quæ ergo maior ingratitudo eſſe poterit, quam velle ratione comprehendere *Deum*, eiuſque occulta iudicia, & myſteria, quæ in manu ſua propria poſſidet, audere iudicare? Ideo indoctis & humilibus oſtendere volo inuiſibili effectu, & viſibili forma. Quid ſit viſibilis forma panis, ſine pane, & ſine ſubſtantia. Quid vero ſubſtantia in forma, quid vero diuiſio in forma, ſine ſubſtantia, aut cur tanta indigna, & tam deformia perfero in corpore meo, vt & humiles exaltentur, ſuperbique confundantur.

VERBA

NOTAE.

1 var. lect. APparuit Sponsę in eleuatione corporis Christi quidam deterimus, & ait; nunquid credis tu fama, quod hęc cortella panis Deus est.

Hunc textum pluribus librariorum incuria refertum erroribus cum MS. Farnesiano sic corrigendum esse arbitror. apparuit Sponsæ in eleuatione corporis Christi quidam teterrimus, & ait nunquid credis tu fatua, quod sub hac torta panis Deus sit: torta autem panis carnem Christi passam indicat, & ideo non est mirum, si per eam Eucharistiæ Sacramentum designetur, quod est passionis memoriale sic Isichius super Leuiticum cap. 25. D. Greg. super primum Regum, Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pedagogi cap. 6. & psal. 147. bucella etiam panis dicitur Eucharistia, vt testis est D. Hyllar. ibidem, & Glos. super primum Regum, cap. 2. postremo etiam placentula panis vocatur, vt psal. 71. erit firmamentum in terra in summis montium in hebreo habetur, erit placentula panis, vt interpretatur Paulus Burgensis in additionibus ad postillam Nicolai de Lyra, vel vt alij vertunt erit pugillus, vel particula frumenti in terra in capite montium, Caldaica vero translatio habet erit panis super montes, vbi per montes intelligunt sacerdotes, & vertunt erit placentula frumenti in capitibus sacerdotum, & Rabi Ionathas in libro collectionum habet placenta panis fiet sacrificium in capitibus sacerdotum, hinc est, quod crediderũt aliqui legendum hic esse non firmamentum, sed frumentum, vt habet translatio Hyeronimi; erit memoriale triticum, plura circa expositionẽ verborum horum habent Galatinus lib. 10. cap. 4. Genebrardus in hunc locum, Adrianus finus lib. 8. aduersus Iudeos, cap. 4.

2 var. lect. Et paulo post vbi in vulgatis habetur, quod Deus ab immundissimo sacerdote qui cor habet caninum tangi dignatur.

Farnesianus codex legit qui cor habet carneum, quia scilicet, carni deditus est, & carnis voluptatibus inuolutus.

3 var. lect. Scriptura dicit, quod pereunte populo erigebatur serpens æneus, quo viso omnis percussus a serpentibus sanabatur.

Numerorum cap. 21. habetur mandasse Deum Moysi, vt serpentem æneum faceret poneretque eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanarentur, adducit autem hunc textum Christus hic, vt probet à simili, conuersionem panis in corpus Christi, non humana aliqua fieri virtute, sed diuina sicut enim inquit sanitas, quæ ex serpentis manabat visione nullatenus ex ipsomet serpente naturaliter, sed diuinitus tantummodo procedebat, & quemadmodum conuerti nullo modo potuisset virga Moysis in serpentem, nisi diuina vi, ac potestate; ita quoque, nec panis conuerteretur in corpus Christi, nisi verba diuina huiusmodi conuersionem efficerent, & idcirco legimus paulo ante medium præsentis capitis, sic etiam nunc in Altari, ante enim verba consecrationis panis positus in Altari panis est, dicto verbo, hoc est corpus meum, fit corpus Christi. MS. legit fit caro Christi, quod confirmans diuus Gregorius Nazianz. hom. 60. ad populum Antiochenum dicit, verum & tu laice, cum sacerdotem videris offerentem, ne tu sacerdotem putes esse, hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.

4 Nam sicut ostendi me discipulis euntibus in Emaus in aliena forma, cum tamen essem verus Deus, & verus homo ingrediẽs ad discipulos ianuis clausis, sic sub aliena forma ostendo me sacerdotibus, vt fides habeat meritum.

Hoc loco Redemptor noster Christus causam affert, quapropter voluerit se in Altaris Sacramento tectum, & quodammodo velatum exibere, id qua similitudine exprimit, quemadmodum enim se sub aliena forma ostenderat discipulis euntibus in Emaus, vt refert D. Lucas, cap. 24. ita inquit ostendo me sacerdotibus, quod vt palam fiat, & similitudinis allatæ ratio melius innotescat breuiter à nobis duo explicanda erunt, primum quidem modus quo Christus à duobus illis discipulis se abscondere voluerit, secundum, vero quare nobis sub sacramentalibus speciebus pertractandum, ac sumendum dederit, & quantum ad primum D. Hieron. in epistola ad Pamachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, & D. Aug. de consensu Euãgelistarum, lib. 3. cap. 25. arbitrantur hoc contigisse discipulis ob aliquam mutationem, quæ in eorum oculis facta sit, vt probare videntur verba D. Lucæ loco citato, vbi dicit oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, quod inquit, Augustinus, Marcus ait, in alia effigie eis apparuisse dominum, hoc Lucas affirmat, quod eorum oculi tenebantur ne eum agnoscerent, oculis quippe eorum aliquid acciderat, quod ita manere permissum est, vsque ad fractionem panis certi mysterij causa, vt eis in illo alia ostenderetur effigies, sed Theophilactus intelligit id ex lineamentorũ corporis Christi mutatione fuisse factum, vt eum nõ agnoscerent discipuli, cui sententiæ fauere etiam videtur D. Augustinus epistola 59. ad Paulinum in solutione octauæ quæstionis. Beda super Matt. cap. 24. Postremo Cardinalis Caetanus in Ientaculis. qu. 1. Ientaculo septimo, putat impedimentum fuisse in oculis internis, constat inquit externos discipulorum oculos fuisse apertos, quia non oculis ibant clausis, sed quidquid sit cum legimus Marci 16. cap. in alia effigie apparuisse Dominum, hoc intelligendum esse arbitror secundum eorum existimationem, non vero secundum rei veritatem quandoquidem Christus, tunc temporis immortalis, incorruptibilis, & immutabilis resurrexerat, quod etiam annotauit Durand. in tertio sent. d. 22. qu. 6. ex his, ergo Christus Dominus hic infert, quod sicut

se

se sub aliena forma duobus illis discipulis ostenderat post resurrectionem, ita quoque se sacerdotibus, alijsque in sacramento Altaris, ostendit, quod egregie declarauit Algerus, qui disputans contra Berengarium lib. 2. cap. 5. ad Eucharistiæ Sacramentum, hunc Mattei locum accommodauit, quemadmodum etiam in hoc capite fit, ut ex præsentis notæ verbis liquido constat (sicut inquit Algerus in Emaus peregrinus in fide apparuit,) sic nobis peregrinis in mundi exilio peregrina, & externa sibi specie apparet in Sacramento, vt quia, quod in nobis exterius apparet mortale est, mortalitati cibus ipse exterius videatur, cum tamen per ipsum, qui immortalitatis est alimonia, intus vere est inuisibiliter, mors æterna sanetur. cæterum, fide modo quo Christus est sub his speciebus sermo hic discendum videtur, nullatenus à nobis [illegible] nisi per fidem, neque ab ipsis met Angelis secundum sua naturalia comprehendi posse, vt auctor est D. Thomas 3. par. quæst. 76. art. 7. & testatur conc. Trident. Sess. 13. cap. 1. Saluatorem nostrum semper ad dexteram Patris in cœlis assidens, iuxta modum existendi Naturalem, & vt multis nihilhominus alijs in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione quam, & si verbis exprimere vix possumus, possibile tamen esse Deo ex cogitatione per fidem illustrati assequi possumus, & constantissime credere debeamus restat modo causas afferamus cur Christus sub Sacramentalibus speciebus se nobis pertractandum dederit, cuius rei tres in vniuersum probabiles rationes reddi possunt, quarum prima habetur hoc loco nimirum, vt fides habeat meritum, est enim de rebus non visis, vnde egregie D. Greg. Magnus hom. 26. in Euang. fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, secunda causa est ad tollendam nauseam, quæ ex esu carnis sub propria specie oriri posset, & has duas etiam attulit Magister sent. in 4. di. 11. quibus etiam addendum esse censui, quia nimirum illius gloriosi corporis splendorem oculi nostri nequaquam sustinere potuissent, & idcirco se Dominus sub illis speciebus veluti sub velamine quodam abscondidit.

*

VERBA INCREPATIONIS Domini ad quendam sacerdotem sepelientem quendam qui in patientia mortuus est præsente sponsa. Et qualiter cum septem plagis spiritualibus, & septem corporalibus, Christus veniet ad iniquos sacerdotes. Et qualiter illa omnia propter patientiam obtinuit gloriam.

CAP. LXII.

CVM QVIDAM sacerdos sepeliret quendam mortuũ, qui tribus annis cum dimidio iacuit in lecto. Tunc audiuit sponsa qualiter dixit spiritus. Amice quid facis cur præsumis tangere mortuum, cum manus tuæ sanguinolentæ sint? Cur clamas pro eo ad omnipotentem, cum vox tua est quasi ranarum? Cur præsumis pro eo placare iudicem, cum gestus tui, & mores similiores sunt ioculatoris quam deuoto sacerdoti? propterea virtus verborum meorum, & non opus tuum proficiet mortuo, fidesque sua, & patientia longa introducent ipsum ad coronam. Item dixit spiritus sponsæ, Manus illius sunt sanguinolentæ, quia omnia opera eius sunt carnalia, quibus tangere non valet mortuum, quia iuuare eum non poterit meritis suis, sed dignitate Sacramenti. Nam boni sacerdotes prosunt dupliciter animabus, scilicet, virtute corporis Dominici, & propria qua ardent charitate. Vox quoque eius est quasi ranarum, quia tota est de lutosis operibus, tota ad voluptatem carnis. Ideo non ascendit ad Deum, qui placari desiderat voce humilis confessionis, & contritionis. Mores etiam sui sunt quasi ioculatoris. Quid enim facit ioculator, nisi quod cõformat se moribus mundialium? Quid vero cantat, nisi comedamus, & bibamus fruamur que in hac vita delicijs? Sic facit iste, conformat enim se veste, & actu cum omnibus, vt omnibus placeat, omnesque exemplo suo, & excessu ad superflua incitat dicendo. 1 Comedamus, & bibamus, quia gaudium domini est fortitudo nostra sufficiat nobis venire ad portam gloriæ, & si prohibear ab ingressu sufficiat mihi residere iuxta portam, nolo esse perfectus. Hæc vox, & vita grauis est, quia nemo veniet ad portam

1 var. lect.

gloriæ

gloriæ, nisi perfectus aut perfecte purgatus, & nemo apprehendet gloriam, nisi perfecte desiderando eam, aut perfecte cum poterit pro ea laborando. Attamen ego dominus omnium ingredior ad sacerdotem istum, sed non includor, & commaculor. Ingredior vt sponsus, egredior vt iudex iudicaturus, contemptus à sumente. Propterea sicut dixi. Veniam sacerdotibus cum septem plagis. Priuabuntur enim omnibus, quæ dilexerunt, eijcientur a conspectu Dei, & indicabuntur in ira eius, tradentur demonibus patientur absque requie, contemnentur ab omnibus, egebunt bonis omnibus, malisque omnibus abundabunt. Similiter etiam alijs septem corporalibus malis, sicut Israel flagellabuntur. Ideo non debes mirari si tolero malos, aut si aliqua indigna ostenduntur in sacramento meo, quia ad ostendendam patientiam meam, & ingratitudinem hominum suffero, vsque in finem. Nec cogitare debes, quod talis indignitas, sicut audisti de vomitu, sit in corpore meo, sed species illæ sensuales ostendunt quod suum est, scilicet deficiendo, & tamen transparendo manifestant hominum ingratitudinem, & produnt homines ad tam sanctam sumptionem reos, & indignos, Item dixit spiritus ad animam mortui. O anima gaude, & exulta, quia fides tua separauit te a diabolo, simplicitas tua abbreuiabit tibi longam viam purgatorij, patientia tua dixit te ad portam gloriæ. Misericordia mea introducet te, & coronabit te.

NOTAE.

1 var. lect. IN omnibus hactenus impressis exemplaribus ubi sic legimus. Comedamus, & bibamus, quia gaudium Domini est fortitudo nostra. *Manuscriptus Farnesianus addit comedamus, & bibamus fruamurque in hac vita delitijs, quia gaudium Domini est.*

QVALITER DIABOLVS apparuit sponsæ volens ipsam per rationes apparentes decipere in sacramento corporis Christi, & qualiter Christus in adiutorium affuit sponsæ diabolum cogendo, ad veritatem coram sponsa dicendum. Et de conformatione, & infirmatione vtilissima Christi ad sponsam de suo glorioso corpore in sacramento.

CAP. LXIII.

ITEM APPARVIT SPONSÆ quidam demon longo ventre, & ait. Quid credis tu mulier, & quid magna cogitas? ego etiā multa scio, & aperta rōe probare volo dicta mea, sed consolo tibi, dimitte cogitare incredibilia, & crede sensibus tuis. Nonne tu vides oculis, & auribus carnis tuæ audis sonum fractionis hostiæ materialis panis, vidisti eū euomi, tangi, inhoneste deijci in terram, pluraque indigna fieri, quæ ego in me non tolerarem. Et si Deum in ore iusti possibile esset esse, quomodo descendet ad iniustos quorum auaritia est sine fundo, & sine modo? Respondit illa ad humanitatem Christi, quæ statim post tentationes apparuit dicens. O Domine Iesu Christe regratior tibi pro omnibus, & specialiter pro tribus. Primo, quia vestis animam meam, inspirando scilicet pœnitentiam, & contritionem, qua omne diluitur peccatum quantūcumq; graue. Secundo cibas animam infundendo charitatem tuam, & memoriam passionis tuæ qua anima, quasi cibo optimo delectatur. Tertio consolaris omnes inuocantes te in tribulatione. Ergo domine miserere mei, & adiuua fidem meam, quamuis ego indigna sim tradi illusionibus diaboli, credo tamen quod sine permissione tua ipse nihil potest, nec permissio tua est sine consolatione. Tunc ait Christus ad diabolum. Cur inquit loqueris sponsæ meæ nouæ. Cui diabolus respondit, Quia inquit colligata erit mihi, & spero adhuc eam irretiendam reti meo. Tunc autem colligata erat mihi, quando consentiendo mihi plus placuit, & placere studuit consilijs meis, quam tibi Creatori suo. Nam custodiui vias eius, & nondum exciderant a memoria mea. Respondit Dominus. 1. Ergo negociator es tu, & omniū viarum explorator. Cui diabolus

NOTAE.

1 Ergo negotiator es tu, & omnium viarum explorator, cui diabolus vere explorator sum, sed in tenebris, quia tenebrosum me fecisti, & Dominus, quando inquit vidisti, & quomodo tenebrosus factus es, vidi inquit demon quando me creasti pulcherimum.

In praesenti capite demonem, & Negotiatorem, & exploratorem Christus Dominus appellat, Negotiatorē quidem, quia quas Christus suo sanguine lucratus est animas, demū eas vt perdat pro viribus studet, explorator quoq; dicitur hic, & à Gloss. interlineari super Iudic. cap. 10. quoniam sagaciter, & quasi occulte hominum statum, & consilia diligenter inquirit, vt eos suum ad inferos in aeternum pas surus trahat: peculiaris autem luciferi negotiatio fuit, cum ad caelum ascendere voluit sibique Dei aequalitatem vsurpare contendit, vt animaduertit D. Hieronym. super Ezech. cap. 28. & super Isaiam cap. 23. ob quam negotiationem factus est, vt scribitur hic tenebrosus à Deo, non quod Deus illius peccato cooperatus sit, eumque ad peccandum induxerit, quia ipse auctor peccati nullatenus esse potest, & intentator malorum est, vt affirmat D. Iacobus in sua canonica cap. 1. sed tenebrosus à Deo factus demon dicitur, quatenus eum peccare permisit, illumque ob commissa peccata ad exteriores tenebras amandauit, vel quia à Deo gratia priuatus fuit, quae lux est, per quam Christus omnes homines venientem in hunc mundū illuminat Ioan. cap. primo: quomodo vero, quae immediate sequuntur accipienda sint, nimirum, vidi inquit demon quando me creasti pulcherimum, explicauimus supra lib. 1. Reuelat. cap. 34. nota 1. 2. 3. & 4. vbi ostendimus, quid viderit Demon, & quam cognitionem habuerit antequam in peccatum lapsus sit quae ve suae ruinae causa fuerit, & quod peccatum commiserit.

2 Noui etiam te in carne assumpta, & feci, quod permisisti me.

A Demone Redemptorem nostrum, vt verum Messiam, & filium Dei naturalē fuisse cognitum videntur indicare D. Marcus cap. 2. & D. Lucas cap. 4. qui narrant Christum descendisse Capharnaum, & sinagogam ingressum, obsessum à Demone liberasse, qui voce magna clamans dicebat, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos, scio te, quia sis, sanctus Dei, aut vt Graeci codices habent scio te, qui sis sanctus Dei: ex his tamen euidenter non colligitur Demones nouisse Christum, vt filium Dei, sed quod coniecturis quibusdam suspicabantur, affirmabant, vt vel per commendationem, vel tandem à contrarietate Christus desisteret eos expellere, aut potius sicut docuit Iansenius par. 1. cap. 27. suae concordantiae, vt experirentur an Christus oblatum titulum sibi vsurparet, sed quidquid sit dicendum videtur Demones, & si aperte Christum, vt Dei filium Naturalem, & Messiam in lege promissum non nouerint, & aliquando etiam de illius diuinitate dubitauerint probabilissimum tamen esse, & sanctorum Patrum doctrinis consonum, eum qui multa testimonia in veteri testamento de illo per prophetas allata nouerat, et intellexerat etiam Christum, vt talem ex illis scripturis cognouisse id quae pluribus, quoque coniecturis assequi potuisset, & primum per miracula ab ipso met Christo facta, & à Demone visa, quae sufficienter probabant, & diuinitatem eius, ac etiam illum esse Messiam promissum. Secundo etiam, quia audierunt a Christo testimonium huius rei, nam Ioan. 5. 8. & 10. scribitur dixisse se esse filium Dei, & secundum hunc sensum accipienda sunt verba praesentis notae cum legimus dicentem Demonem noui etiam te in carne assumpta. & haec est sententia, primum D. Hieron. Matt. 8. D. Greg. 33. moral. cap. 7. alias 10. vbi explicans illa verba Iob. cap. 40. in oculis eius, quasi hamo capiet in oculis inquit eius eum habere dicimus, quod coram nobis positum videmus: antiquus vero hostis humani generis redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit dicens, quid nobis, & tibi fili Dei, in oculis itaque suis hamo captus est, quia, & nouit, & momordit, idem habet hom. 25. in Euang. sequitur etiam Greg. Nissenus oratione primo de resurrect. qui eodem modo locum citatum Iob exponit. Fauet huic sententiae Tertullianus in lib. contra praxeam cap. [illegible] & lib. 5. contra Marcionem cap. 6. Athanasius lib. de Incarnat. verbi aliquanto post medium, vbi loquentes demones in haec verba facit, cum ille in carne versaretur, nouimus qui sis, tu es ille sanctus Dei, rursumque clamabant, quod tibi nobiscum fili Dei, hoc ipsum asserit Greg. Nazianz. oratione 42. in qua de Christi Natiuitate agens hi (ait) eum à quo fugabantur, Deum agnouerunt, doloribus nimirum, quos sentiebant fidem ipsis facientibus, & haec est sententia D. Thomae, qui affirmat postquam Christus coepit praedicare, antequam pateretur, permissum fuisse, seu non impeditum, vt Demon Christum agnosceret sic 3. p. qu. 44. art. 1. ad. 2. & q. 40. [illegible] sequitur Liranus Marci 1. & Luce 4. Abulensis Matt. 4. q. 22.

3 var, lect. Noui quando resurgendo spoliasti à me captiuos tuos.

Sic habent omnes impressi codices, sed MS. Farnesianus legit, quando spoliasti me captiuis, spoliauit autem Demonem Christus, quando descendens ad inferos veteris testamenti Patres, qui in limbo veluti in carcere captiui detinebantur liberauit, aut etiam quando per mortem suam pro peccatis nostris diuinae satisfaciens iustitiae, nos de illius potestate eripuit, in cuius signum dixerat Ioa. 12. nunc princeps huius mundi eicietur foras. sed hac de re egimus lib. 1. Reuel. cap. 44. nota 4. & 5. vbi quaesiuimus an Christus descenderit ad infernum damnatorum, an tantummodo ad limbum patrum.

4 var lect. Thomas, qui tetigit me post resurrectionē vtrum erat corpus, quod tangebat spirituale, an corporale, & si erat corporale quomodo intrabat ianuis, &c.

Omnino hic arbitror addendam [illegible] clausis, & legendum cum M. S. Farnesiano quomodo

intrabat Iannis clauſis, ſic enim infra legimus hoc eodem capite, an ex quo tunc caro glorificata potuit iannis clauſis intrare ad Apoſtolos. & Marci 16. Lucæ 24. & Ioã. 20. cum fores eſſent clauſæ, hic autem examinanda breuiter eſt dubitatio hoc loco Dæmoni à Chriſto propoſita, & quærendum quomodo corpus glorioſum ſit palpabile, vt in præſenti nota ſupponitur, & ipſemet Chriſtus fatetur Lucæ vltimo dum diſcipulos ad corpus ſuum glorioſum palpandum inuitat, vt vere ſe reſurrexiſſe probet, palpate inquit, & videte ſic Lucæ 24. ratio vero dubitandi deſumi poſſet ex D. Greg. Hom. 26. in Euangel. vbi dicit corrumpi neceſſe eſt, quod palpatur; ſi ergo corpus glorioſum incorruptibile eſt, ergo, & impalpabile. Rurſus cum glorioſi corporis qualitas ea eſſe dicatur, vt adeo ſubtile ſit vt nec attrectari poſſit, neque teneri non videtur quomodo illud palpari, & tangi potuerit, ſed ad huius rei intelligentiam ſciendum eſt, aliquod corpus palpabile dici ex duobus, primo ex qualitatibus tangibilibus, ſecundo ex hoc, quod reſiſtit tangenti palpare namque ſupra tangere addit reſiſtentiam, vnde Aer dicitur quidem tangibilis, ſed non palpabilis, quia non reſiſtit tangenti, vt non pertranſeat, omne ergo corpus palpabile eſt tangibile, ſed non è contra, hæ vero tangibiles qualitates ſunt calidum, frigidum, & humidum, & his ſimiles, quæ in corporibus tantummodo inueniuntur, quæ ad inuicem contrarietatem habent, cum ergo corruptibilia corpora tangibilia ſint, ideo Gregorius dixit corrumpi neceſſe eſt, quod tangitur, corpus autem glorioſum habet quidem à ſua natura qualitates, quæ natæ ſint tactũ immutare, ſed quia illud omnino ſpiritui ſubditur, ideo in poteſtate eius eſt, vt ſecundum eas immutet, vel nõ immutet tactum, ſic etiam ſecundũ naturam habet, vt alteri corpori tranſeunti reſiſtat, ita vt non poſſit ſimul cum eo eſſe in eodem loco, ſed id miraculoſe diuina virtute fieri poteſt, vt ad nutum ipſius ſit, cum alio corpore in eodem loco, & non reſiſtat tranſeunti, vel tangenti, ex quibus patet, quod ſecundum naturam ſuam corpus glorioſum eſt palpabile, ſed ex diuina obtinet virtute, vt cum vult non palpetur à corpore non glorioſo, & cum etiam vult palpetur, ecce ergo ex his euidenter conſtat, quod Diuus Thomas verum Chriſti corpus tetigit, & quomodo clauſis ianuis Chriſtus ad diſcipulos ingreſſus ſit, vt enim corpus verum erat habens qualitates tangibiles, palpandum illud Apoſtolo præbuit, vt vero fieri potuit, ne alteri reſiſteret corpori addita dote ſubtilitatis, clauſis ad diſcipulos Chriſtus ingreſſus eſt ianuis, & propterea Chriſoſt. Cyrillus, Leontius, & Theophilatus, Io. 20. quærentes an Thomas vere Chriſtum poſt reſurrectionem tetigerit reſpondent quod, & ſi corpus Chriſti poſt reſurrectionem ratione ſubtilitatis non videbatur tangibile, fuiſſe tamen diuina diſpenſatione factum, vt tangi poſſet, vt reſurrectionis fides probaretur, Thomam vero corpus Chriſti vere tetigiſſe affirmarunt D. Auguſt. ſerm. de tempore 146. & 155. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 24. Greg. Hom. 26. in Euang. Bernard. ſerm. 2. ſuper miſſus eſt, & ſerm. 62. in Cant. Maxentius dialogo 2. Theodorus Heracleotes, & Mopſuet in catenis Græcorum & omnes fere Patres Græci. veriſſimum, ergo eſt, quod ſcribitur hic, & Thomam Chriſti corpus tetigiſſe glorioſum; & Chriſtum ianuis clauſis ad diſcipulos ingreſſum eſſe, & idcirco propoſitæ dubitationi reſpondiſſe Dæmonem hoc loco legimus paulo poſt verba præſentis notæ, veruntamen compulſus loquar, quod reſurgendo, & & ſpiritualis, & corporalis eras, & ideo propter æternam deitatis virtutem, & propter ſpiritualem carnis glorificatæ prærogatiuam, vbique ingrederis, & vbique eſſe potes.

4 Ei omnis, qui ſumit me, ſumit deitatem, & humanitatem, & formam panis.

Hoc loco per formam panis nullo pacto intelligenda eſt ſubſtantia panis; quandoquidem illa per verba conſecrationis tranſit in ſubſtantiam corporis Chriſti, & nihil eius remanſit; vt tradit Conc. Lateranenſ. ſub Innocent. iij. & habetur in cap. firmiter de ſum. Trinit. & fide catol. & Conc. conſtant. Seſſ. 8. & Conc. Florent. & Trident. Seſſ. 13. cap. 2. & 4. idem probant omnes Sancti Patres. Tertullianus de carne Chriſti, Theophilatus Matt. 26. & alij plures, dicendum ergo eſt nomine formæ, hic accidentia panis deſignari, quæ in Sacramento remanſerunt, vt quantitas, color, ſapor, odor, ſeu per formam panis intelligas illam rotunditatem hoſtiæ; quam aliqui formam impropriè appellare conſueuerunt, quod autem ipſa panis ſubſtantia per formam intelligenda minime ſit; ſed ipſamet panis figura, quam præ ſe ferunt viſibiles illæ ſpecies panis, patet ex his verbis, quæ hoc eodem capite, circa finem legimus nimirum ſumit, & formam panis, quia ſub forma viſa recipit latentem veritatem, ſed non dulceſcentem ſibi ſuauitatem, hoc eſt recipit veram Chriſti carnem ſub illa forma latentem.

6 Non tamen, quod forma illa panis, quæ eſt ſub ſubſtantia panis aliquid ſit eis efficiendum, ſed quia de ſumptione illa nihil recogitant.

Si verba huius notæ dicta intelligantur ante conſecrationem nullam contradictionem inuoluunt quandoquidem ſub illa forma panis adhuc eſt ſubſtantia panis; vt ſcribitur hic ſecus vero ſi poſt conſecrationem, tunc enim omnino legendum eſſet formæ illa panis, quæ fuit ſub ſubſtantia panis, quoniam ibi amplius non eſt aliquid panis, vt ſuperiori nota probauimus, aut dici poſſet, quod ea forma adhuc quo ad eos, qui hoc ſacramentum indigne ſumunt dicitur eſſe ſub panis ſubſtantia, quia illud Sacramentum, ſic recipiunt, ac ſi ſub his ſpeciebus non eſſet verum Chriſti corpus, ſed ipſamet ſubſtantia panis, & vini, & ſenſus iſte ſatis aperte colligitur ex immediate ſequentibus verbis, quæ ſunt, ſed quia de ſumptione illa nihil recogitant, ac ſi nihil viderent, & ſolam perciperent ſubſtantiam.

VERBA MATRIS AD FILIAM qualiter filius suus assimilatur pauperi rustico. Et qualiter tribulationes, & persecutiones bonis, & malis illatæ sunt, bonis ad purgationem, & coronam.

CAP. LXIV.

MATER Loquitur. Filius meus est quasi pauper rusticus, qui non habens bouem, nec asinum, personaliter ligna portabat de silua, & alia instrumenta ad opera sua necessaria perficienda. Qui inter alia instrumenta etiã virgulas apportabat, quæ ad duo sunt necessariæ, scilicet ad flagellandum filium inobedientem, & ad calefaciendum frigidos. Sic filius meus omnium Dominus, & Creator factus est pauperrimus, vt æternis non transitorijs diuitijs omnes ditaret, qui in dorso suo grauissimum pondus, scilicet amaram crucem portans, omnium peccata sanguine suo purgauit, & deleuit. Qui etiam inter cætera opera sua, elegit instrumenta virtutum, idest viros virtutum, per quos operante spiritu Dei, multorum corda ad charitatem Dei sunt inflammata, viaque veritatis manifestata. Elegit quoque virgulas, quales sunt amatores mundi, per quos filij, & amici Dei flagellantur ad eorum eruditionem, & purgationem, & maiorem cautelam & remunerationem. Virgulæ etiam calefaciunt filios frgidos, & Deus incalescit etiam ex eorum igne. Sed quomodo? Vtique quando mundani tribulant amicos Dei, & illos, qui solo timore pœnę diligunt Deum, qui tribulati sunt feruentius conuertunt se ad Deum, considerata vanitate mundi, quorum tribulationi compatiens Deus, immittit eis consolationem, & charitatem. Sed quid fiet de virgulis filijs flagellatis. Vtique proijcientur in ignem comburendæ. Non enim despicit Deus populum suum, quando eum manibus impiorum tradit. Sed sicut Pater caudit filium, sic Deus malicia impiorum vtitur ad suorum coronationem.

1 var. lect.

VERBA MONITIONIS AD filiam per exemplum probantia, qualiter amici Dei nec attediari, nec cessare debent à labore prædicationis, & de magna talium remuneratione.

CAP. LXV.

MATER loquitur. Tu debes esse sicut vas vacuum aptum ad implendum, quod non sit sic latum, vt defluant imposita, nec sit ita profundum vt careat fundo. Vas autem illud corpus tuum est, quod tunc vacuum est, cum ab appetitu voluptatis extraneum est. Tunc autem moderate est latum, quando caro discrete affligitur, vt anima habilis sit ad intelligẽda spiritualia, & corpus robustum ad laborandũ. Tunc vero vas est sine fundo, quando caro nulla coarctatur abstinentia, sed quicquid animus appetit hoc corpori non negatur. Sed audi quæ loquor; Seruus meus protulit verbum impensatum dicens, quid ad me loqui de his, quę non tangunt statum meum? Verbum tale non decet seruum Dei. Nam omnis qui audit, & scit veritatem, si tacuerit eam reus est, nisi omnino contemnatur. Nam Dominus quidam erat habens castrũ fortę, in quo erant quattuor bona, scilicet cibus imputridus pellens omnem faniem, aqua salutaris extinguens omnem sitim, odor odoriferus depellens omnem fœtorem, arma necessaria debilitantia omnem inimicum. Tandem Domino intendente alijs obsessum est castrum. Quod intelligens Dominus ait præconi famulo suo. Vade inquit, & clama alta voce militibus meis sic. Ego Dominus liberabo castrum meum, quicunque me sequitur bona voluntate, erit mecum in gloria, & honore consimilis. Qui vero in pugna ceciderit suscitabo eum ad vitam, quæ non habet defectum, nec anxietatem, daboque ei honorem permanentem, & abundantiam indeficientem. Seruus itaque accepto mandato clamauit, sed minus sollicitus fuit in clamando, In tantum, quod clamor ad nouissimum militem non peruenit. Et ideo miles destitit a labore. Quid ergo facturus est dominus militi, qui voluit libenter laborare, sed non audiuit vocem præconis? Vtique remunerabitur pro voluntate:

1 var. lect. 2 var. lect. 3 var. lect.

Sed preco tepidus non erit immunis a correptione. Itaque castrum illud est sancta Ecclesia, fundata sanguine filij mei, in qua est corpus suum, quod depellit omnem famem, aqua sapientiæ Euangelicæ, odor exemplorum sanctorum eius, & arma passionis eius. Hoc castrum nunc obsessum est ab hostibus, quia in Ecclesia sancta multi reperiuntur, qui voce prædicant filium meum, sed mori-
2 bus non concordant, 2 immo etsi voce di-
var. cunt, voluntate contradicunt, non curantes
lect. de cælesti patria, si voluptatem suam possent adipisci. Ergo vt minuantur hostes Dei, attediari non debent amici Dei, quia remuneratio non erit temporalis, sed illa quæ nescit finem.

N O T AE.

1 *PAulo ante medium præsentis capitis, vbi ha-*
var. *ctenus impressi Codices legunt.* Nam Do-
lect. minus quidam erat habens castrum forte, in quo erant quattuor bona, scilicet cibus imputridus pellens omnem saniem.

M. S. Farnesianus habet, pellens omnem famē, qua lectio cohæret magis cum sequētibus, vbi scribitur, aqua salutaris extinguens omnem sitim, ergo legendum est, cibus imputridus, pellens omnem famem, sic etiam ad finem huius capitis habetur, in qua est corpus suum depellens omnem famem.

2 *Et aliquanto post vbi scribitur,* immo & si vo-
var. ce dicunt, voluptate contradicunt.
lect. *Manuscriptus Codex legit, voluntate, & opere contradicunt.*

VERBA MATRIS AD FILIAM qualiter bona temporalia discrete possessa non nocent, nisi affectus possidendi fuerit inordinatus.

CAP. LXVI.

MATER Loquitur. Quid nocet, si quis acu vel ferro pungitur in pallio, dummodo non læditur caro? Sic nec temporalia bona discrete possessa nocent, nisi affectus possidendi fuerit inordinatus. Ideo obserua cor tuum, vt intentio bona sit, quia per te verba Dei diffundi debent in alios. Nam sicut retentaculum aquæ molendinariæ retinet aquam, & iterum discurrere facit quoties expedit, sic tu influentibus cogitationibus varijs, & tentationibus sollicite obseruare debes, vt quæ vana sunt, & secularia, dimittantur. Quæ vero diuina sunt continue rememorentur, sicut scriptum est, quod aquæ inferiores defluebant, superiores vero stabant quasi murus. Aquæ inferiores sunt cogitationes carnis, & cupiditates inutiles, quæ defluere debent, & non attendi. Superiores vero aquæ sunt infusiones Dei, & verba sanctorum, quæ stabiles sint in corde, sicut murus, vt nullis tentationibus à corde diuellantur.

VERBA CHRISTI AD Sponsam sui ipsius magnificētiam ostendentia. Et qualiter omnia secundum eius ordinationem perseuerant, preterquàm misera anima peccatoris. Et de omnibus inducitur per exemplum, & qualiter voluntas in agendis est custodienda.

CAP. LXVII.

FILIVS loquitur ad sponsam. Ego sum cum Patre, & Spiritu sancto vnus Deus. In deitatis meæ prouidentia, omnia ab initio, & ante sæcula præuisa, & stabilita sunt. Et omnia tā corporalia, quā spiritualia, certam dispositionem & ordinationē habent, omniaq. stant, & currunt secundū, quod in præsciētia mea est ordinatum, & præscitum. Sicut per exemplum intelligere poteris ex tribus. Primo ex his, quæ vitam habent sicut illud est, quod fœmi-
1 na parit, & non homo. 1 Secundo patet ex
var. arboribus, quia dulcia portant dulcem fru-
lect. ctum, & amara vsum fructum. 2 Tertio
2 patet ex sideribus, nam Sol, & Luna, & omnia cælestia cursum suum peragunt secundum, quod in deitate mea est præfinitum, sic & animæ rationales præscitę sunt in deitate mea quales futuræ erunt præcognitę, quibus tamen præscientia mea in nullo obfuit, nec obest, quia eis dedi liberam voluntatis suæ motionem, idest liberum arbitrium, & potestatem eligendi quicquid eas delectat. Ergo sicut fœmina parit, & non homo, sic anima bona vxor Dei parere debet auxilio Dei, quia anima ad hoc creata est, vt virtutibus proficiat, & semine virtutum fœcunda crescat, vt veniat inter brachia diuinę charitatis. Anima autem quæ degenerat ab ortu suo, & Creatore suo, nec ei fructificat, facit contra dispositionem Dei, & ideo indigna est

est dulcedine Dei. Secundo apparet immutabilis dispositio Dei in arboribus, quia dulces arbores portant dulcia, & è contra, quæ amaræ sunt amara, sicut in dactilo duo sunt, dulcedo scilicet, & lapis durus. Sic ab æterno præuisum est, quod vbi Spiritus sanctus habitator est, ibi omnis mundana delectatio vilescit. Ibi omnis mundanus
3 var. lect. honor est onerosus, 3. tantaque in illo corde spiritus Dei est fortitudo, & duritia, quod nulla frãgatur impatientia, nulla deijcitur aduersitate, nulla prosperitate super se eleuatur. Sic etiam ab æterno præuisum est, quod vbi est spina diaboli, ibi est fructus ab extra rubeus, sed intus plenus immundicijs, & aculeis. Sicut in delectatione diaboli, momẽtanea, & apparẽs est dulcedo, sed plena est sentibus, & tribulationibus. Quia quo plus quis implicatur mundo, tanto grauiori onere computationis oneratur. Itaque sicut omnis arbor talem profert fructum, qualis est radix, & truncus. Sic omnis homo ex intentione operis sui indicatur. Tertio, omnia elementa stant in ordine suo, & motu, sic vt ab æterno præuisum est, & mouentur secundum factoris voluntatem. Sic omnis rationalis creatura moueri, & parata debet esse secundum creatoris institutionem. Cum autem facit contrarium, perspicuum est, quod arbitrio libero abutitur, & vbi irrationalia custodiunt metas suas, ibi rationalis homo degenerat, & aggrauat iudicium suum, quia non vtitur ratione. Itaque custodienda est voluntas hominis, quia non maiorem iniuriam facio diabolo quam angelis meis, quia sicut Deus exigit à sponsa sua casta dulcedinem illam indicibilem, sic diabolus quærit à sponsa sua spinas, & aculeos. Nec in aliquo præualere poterit diabolus, nisi voluntas fuerit vitiata.

NOTAE.

1 var. lect. Secundo patet ex arboribus, quia dulcia portant dulcem fructum, & amara vsũ fructum.

Hic textus cum MS. Farnesiano, sic restituendus est, quia dulcia portant dulcem fructum, & amara amarum fructum, quæ lectio probatur etiã ex his, quæ infra legimus hoc eodem cap. vbi eadem planè sententia repetitur circa medium capitis ibi, secundo, apparet immutabilis dispositio Dei in arboribus, quia dulces arbores portant dulcia, & e contra, quæ amara sunt amara.

2 Tertio patet ex sideribus, nam Sol, & Luna, & omnia celestia cursum suum peragunt secundum quod in deitate mea est præfinitum, sic & animæ rationales præscitæ sunt in deitate mea quales futuræ erant prę cognitæ, quibus tamen præscientia mea in nullo obfuit, nec obest, quia eis dedi liberam voluntatem.

In hoc capite de præscientia Dei fuse agitur, ac satis aperte ostenditur, creaturas rationis expertes semper eodem modo, & secundum eum operandi institutum, & finem operari, secundum quem à Deo Opt. Max. factæ sunt, secus vero homines, qui frequenter ab eo eiusque præceptis, & consilijs discedunt, & quanquam eorum actiones singulæ præ definitæ sint, tamen, quia Dei præscientia vim libero non infert arbitrio, in eorum potestate manet eligendarum rerum libera facultas, & hoc est, quod scribitur infra paulo ante medium præsentis capitis nimirum, quia dedi eis liberam voluntatis suæ motionem idest liberum arbitrium eligendi, quidquid eis delectat, ex quibus inferri minime potest, quod licet ab æterno Deus scinerit, voluerit, & preuiderit omnia futura, ea necessario, & absolute fieri debere, quod fuit definitum in Conc. Constantiensi Sess. 8. vbi inter errores Vuiclephi 27. is erat præcipuus, quia asserebat omnia ex necessitate prouenire absoluta; qui error ex eo etiam reicitur, quoniam sic liberum destrueretur arbitrium, & de medio tollerentur leges, præcepta, consilia præmia, & supplicia, quibus homines à malis arcentur, & ad bonum excitantur: vnde egregie D. Chrisost. Hom. 60. in Matt. non destruit inquit libertatem arbitrij, neque necessitati aliquas res supponit, sed quod omnino futurum est prædicit, neque enim, quia prædixit, propter hoc fit, sed quia omnino futurum erat, propter hoc prædixit, qua de re legendus est D. Augustin. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 9. & 10. contra Ciceronem, & alios stoicos, qui, vt hominibus liberum arbitrium tribuerent, negauerunt præscientiam, & prouidentiam Dei, circa res humanas de eadem re agit D. Thom. pp q. 19. art. 8.

3 va. l. Tantaque in illo corde spiritus Dei est fortitudo, & duritia.

Manuscriptus Farnesianus legit, tantaque in illo corde est virtutis fortitudo, & patientia duritia, quod nulla frangatur impatientia.

VER-

VERBA MATRIS AD FILIAM de vulpe, & qualiter diabolus vulpi assimilatur, & qualiter diabolus subdolus tanquam vulpis vario, & multiplici modo tentationum decipit homines, & conatur decipere, quam maxime quos videt in bonis proficere.

CAP. LXVIII.

MATER loquitur. Est quoddam animal paruum, quod vulpis dicitur, sollicitum in procurandis omnibus necessitatibus suis, & subdolũ. Quod fingit se quandoque dormire, & quasi mortuum, vt aues sedentes super se, eo liberius capiat, & deuoret, quo incautiores sunt in sedendo. Considerat quoque volatum auium, & quas præ lassitudine videt in terra quiescere, vel sub arbore illas rapit, & deuorat. Sed quæ duabus alis euolant, illæ confundunt eum, & frustrant in laborando. Vulpis ista diabolus est, qui amicos Dei semper insequitur, & maxime eos, qui felle malitiæ, & veneno nequitiæ eius carent. Qui fingit se quasi dormire, & mortuum, quia quandoq. dimittit hominem liberum a tentationibus grauioribus, vt incautum in minimis, eo liberius decipiat, & inuoluat. Quandoque etiam vitium facit videri virtutem, & e contra virtutem vitium, vt homo inuolutus incedat inuacuum, & nisi discretione subueniente pereat. Sicut per exemplum intelligere poteris. Nam misericordia quandoque vitium est, quando scilicet fit ad hominibus placendum. Iustitiæ vigor est iniustitia, quando scilicet exercetur propter cupiditatem, & propter impaticatiam. Humilitas vero superbia est, quando fit propter ostentationem, & vt videatur ab hominibus. Patientiæ virtus ostenditur, & non est, quando se vindicaret, si posset de iniuria, sed tamen tolerat, quia aptum tempus non inuenit ad vindicandum. Quandoque etiam diabolus summittit tribulationes & tentationes, vt homo nimia resoluatur tristitia. quandoq. etiã diabolus immittit anxietates, & sollicitudines in cor, vt homo tepescat in seruitio Dei. Aut dum homo incautus est in minimis, ruat in maiora. Sic iste de quo loquor supplantatus est a vulpe. Cum enim in senectute omnia haberet ad votum, & iam diceret se esse felicem, optaretque viuere, raptus est absque sacramentis, & ratiocinijs operũ & rerum suarum. Quia quasi formica congregabat nocte, ac die, sed non in horreum Domini. Et cum peruenisset ad foramen tumuli, vbi introduceret grana mortuus est, relinquens alijs labores suos. Quia qui non congregat tempore messis fructuose, de semine non gaudebit. Ideo felices sunt aues Domini, quæ non dormitant sub arboribus deliciarum mundi, sed in arboribus desideriorum cęlestium, quas si apprehenderit tentatio vulpis iniqui diaboli, citius duabus alis, scilicet humilitate confessionis, & spe cælestis auxilij euolabunt.

Declaratio.

Christus filius Dei loquitur. Iste præpositus est materia Episcopalis, Ideo qui arborem dulcis fructus ascendere voluerit capiendo fructus dulces, debet esse expeditus ab onere, præcinctus, & robustus ad colligendum, & vas habere mundum, in quo fructus deponatur. Sic iste studeat amodo decorare corpus suum virtutibus dando ei necessaria non superflua, fugiendo occasionem incontinentiæ, & cupiditatis ostendendo se speculum mundum, & exemplum hominibus imperfectis. Alioquin veniet ei casus horribilis finis subitus, & plaga manus meæ. Ita omnia hæc euenerunt.

VERBA CHRISTI AD Sponsam. qualiter boni mores, & bona opera clericorũ per claras aquas, & mali mores, & mala opera per turpes, & turbidas aquas designantur.

CAP. LXIX.

FILIVS loquitur. Ex tribus perpendi potest, si aqua fontis non est bona. Primo si non habet debitum colorem. Secundo, si est lutosa. Tertio, si aqua est continue stans, & non in motu recipiens, sed non eijciens omnes sordes aduenientes. Per istas aquas intelligo mores, & corda clericorum, qui tanquam fontes tenentur esse dulces ad potandũ, & suauitatem morum. Clausi contra omnes sordes vitiorum. Ergo proprius color clerici est vera humilitas, vt tanto plus humiliet se cogitatione, & opere, quanto obligatiorem se conspicit pro Deo debere laborare.

Vbi

Vbi enim superbia est, ibi color est diaboli,
quæ sicut manus leprosi hauriens aquam de
fonte, quasi abominabilem reddit aquam
intuentibus, sic ipsa superbia opera clerici
monstrat maculosa. Tunc vero est aqua lu-
tosa, quando clericus cupidus est, nec con-
tentatur de necessarijs, qui sicut sibi ipsi inu
tilis est, & anxius, sic alijs per exemplum
cupiditatis suæ est nociuus. Tertio aqua im-
munda est, quæ recipit sordes, & non eijcit,
& hoc prouenit ex incluso meatu, & quia nõ
habet motum. Sic clericus immundus est,
qui voluptatem carnis amat in corde, & cor
pore, & non per veram contritionem eijcit
a se quicquid immundum occurrerit. Nam
sicut macula in corpore vbique est defor-
mis, sed maxime in facie, sic immunditia
omnibus odiosa esse debet, sed maxime his,
qui ad excellentiora sunt vocati. Ergo hi
clerici ad opus meũ eligendi sunt, qui non
abundant verbosa scientia, sed humilitate,
& puritate, qui & sibi ipsis viuunt, & alios
erudiunt verbo, & exemplo, quia etiam ma-
nus leprosa ad opus meum est vtilis, dum-
modo mens bona sit, & manus non desit spi
ritualis.

VERBA MATRIS AD FILIUM passionem filij sui Benedicti per ordinem narrantia. Et de forma, & pulchritudine corporis eiusdem filij.

CAP. LXX.

MATER loquitur. Immi-
nente passione filij mei la
crymæ erant in oculis e-
ius, & sudor in corpore
præ timore passionis, &
mox a conspectu meo ab-
stractus est, nec eum vltra
vidi, donec educeretur ad flagellandum.
Tunc autem ad terram, ita trahitur, & impul
siue prosternitur crudeliter, vt concusso ca-
1 pite dentes colliderentur, 1 & ad collum, &
maxillam percutitur ita fortiter, vt sonus
percussionis ad aures meas perueniret. De-
inde iubente lictore seipsum vestibus exuit
columnam sponte amplectens, post ligatur,
2 2 & flagellis aculeatis infixis aculeis, & re-
tractis non euellendo, sed sulcando totum
3 corpus eius laceratur. 3 Ad primum igitur
ictum. Ego quasi corde percussa sensibus
abducor, & post tempus euigilans, corpus
4 eius laceratum video, 4 toto enim corpore
nudus erat cum flagellaretur. Tunc vnus
inimicorum eius assistentibus lictoribus di-
cebat, vultis hominem hunc sine iudicio
occidere, & causam mortis eius vestrã face
re, & hæc dicens secuit ligamen. Et iam so-
lutus filius meus a columna, primum ad ve-
stimenta sua se conuertit, nec tamen spatiũ
induendi se ei conceditur. Sed adhuc dum
traheretur, brachia sua manicis inseruit.
Vestigiaque eius, in quibus ad columnam
1 stetit, plena erant sanguine, taliter, quod ego
bene poteram omnia vestigia eius, quæ iuit,
signo sanguinis agnoscere, qui tunc vultum
suum manante sanguine tunica detersit.
5 5 Deinde iudicatus crucem portans educi-
tur, sed in via portans alius substituitur.
6 6 Perueuto igitur ad locum crucifixionis,
& ecce malleus, & quattuor claui acuti in
prompto sunt, & mox iussus vestes ponit,
paruumque linteum verẽdis prætexit, quod
& ipse inde quasi consolatus adiuuit ad li-
7 gandum. Erat autem crux fixa, & brachia
eius eleuata, ita vt nodus crucis inter sca-
pulas esset, nec vllum capiti reclinatorium
crux præbebat, & tabula tituli vtrique bra-
chio super caput eminenti affixa erat. Ad
crucem igitur iussus dorsum vertit. Et ma-
8 num postulatus primo dexteram extendit.
Et inde alia manus, ad reliquum cornu non
attingens distenditur. Et pedes similiter ad
foramina sua distendũtur, cancellatique, &
quasi infra a tybijs distincti, duobus clauis
ad crucis stipitem per solidum os, sicut, &
manus erant configuntur. Ad primum igi-
tur ictum ferientis mallei, ego ex dolore in
extasi fio, & euigilans filium meum confi-
xum video, colloquentes etiam homines al-
terum ad alterum audio, quid hic fecit,
furtum rapinam vel mendacium? Alijs res-
pondẽtibus quòd mendax esset. Et tunc co-
rona spinea capiti eius arctissime imposita
fuit, quæ ad medium frontis descendebat,
plurimis riuis sanguinis ex aculeis infixis
decurrentibus per faciem eius, & crines &
oculos & barbam replentibus, vt quasi mihi
nisi sanguis totum videretur, nec ipse me
astantem cruci videre potuit, nisi sanguine
expresso per ciliorum compressionem. Me
igitur discipulo suo cõmendata per eũ, vocẽ
ex imo pectoris erecto capite oculis in cœlũ
directis, & lacrymantibus emisit dicẽs Deus
meus Deus meus vt quid me dereliquisti? quã
vocem, ego nunquam donec ad cælum veni
obliuisci potui, quam plus ex compassione
mea, quàm sua permotus protulit. Tunc co-
lor mortis in partibus, quibus præ sanguine
aspici potuit accessit, dentibus maxillæ
inhæserunt. Costæ vero attenuatæ dinumera-
ri poterant. Venter autem consumptis iam
humoribus dorso applicatur, & iam nari-
bus attenuatis cum cor prope scissionem
esset, totum corpus eius contremuit, & tunc
barba

barba eius super pectus eius cecidit. Tunc ego exinanita corrui in terram. Igitur ore aperto, sicut iam expirauerat, lingua, dentes, & sanguis in ore ab aspicientibus poterant videri, & oculi semiclausi deorsum versi erant, & corpus iam mortuum dimissum pendebat, genibus autem in partem vnam inclinatis, pedes ad partem alteram super clauos, quasi cardines declinabant. Interim vero alij homines astantes quasi insultando dicebant. O Maria iam filius tuus mortuus est. Alij quibus altior sensus erat dicebant. O domina iam pœna filij tui ad æternam suam gloriam soluta est. Modico autem tempore post aperto latere, & extracta lancea, sanguis in cuspide, quasi brunei coloris apparuit, vt ex hoc intelligeretur cor transfixum, quæ punctura cor meum penetrauit, & mirum fuit, quod, & ipsum non crepuit. Alij igitur recedentibus ego recedere non potui.
7 7. Sed iam quasi consolata sum, quod corpus eius iam de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere, vulnera explorare, & extergere sanguinem. Deinde os eius digiti mei clauserunt, & oculos pariter composui. Brachia vero rigentia flectere non potui, vt se supra pectus componerent, sed super ventrem. Genua quoque extendi non potuerunt, sed eminebant, sicut in cruce obriguerunt. Item loquitur Mater, Filium meum qualis est in cælo videre non poteris. Sed qualis erat secundum corpus in mundo cognosce. Ipse enim tam pulcher facie erat, quod nullus videbat eum facie, qui non consolabatur in aspectu eius, etiam si præcordialiter dolorem haberet. Iusti vero spirituali consolatione consolabantur. Sed & mali à tristitia sæculi, tanto tempore quo eum videbant releuabantur. Vnde, & dolentes dicere consueuerunt. Eamus, & filium Mariæ videamus, vt saltem tanto tempore releuemur.
8 8. Anno igitur vigesimo ætatis suæ, in magnitudine, & fortitudine virili perfectus erat. Inter medios moderni temporis magnus, non carnosus, sed neruis, & ossibus corpulentus. Capilli eius supercilia, & barba, crocee brunea erant, longitudo barbæ palmo per transuersum manus. Frons vero non prominens, vel mersa, sed recta. Nasus æqualis, non paruus, nec nimis magnus, oculi vero eius tam puri erant, quod etiam inimici eius delectabantur eum aspicere, labia non spissa, sed clare rubentia. Mentum non erat prominens, nec nimis longum, sed pulchro moderamine venustum. Maxillæ carnibus modeste plenæ, color eius erat candidus claro rubeo permixtus, statura eius recta, & in toto corpore suo nulla macula erat, sicut, & illi testabantur, qui eum totaliter viderunt nudum, & ad columnam ligatum flagellabant, nunquam super eum vermis peruenit, non perplexitas aut immunditia in capillis.

NOTÆ.

1 AD collum, & maxillam percutitur, ita fortiter, vt sonus percussionis ad aures meas perueneerit.

r *Ex verbis huius notæ admodum aperte colligitur Beatissimam Virginem non longe fuisse à loco vbi redemptor noster Christus ad collumnam verberibus affectus est, quandoquidem verberum ipso percepisse sonum hoc loco asseuerat, duplicis vero percussionis generis, hic mentio fit colaphi nimirum, & alapæ, quæ qua ratione differant tradidimus lib. 1. Reuelat. cap. 10. nota septima.*

2 Et flagellis aculeatis infixis aculeis, & retractis non euelendo, sed sulcando totum corpus eius laceratur.

Flagella quibus Christus Dominus ad collumnam cæsus fuit, qualia fuerint, & quot numero plagæ inflixerint annotauimus lib. 1. cap. 10. nota nona.

3 Ad primum igitur ictum ego quasi corde percussa sensibus abducor.

Verba præsentis notæ nobis ansam præbent, vt hoc loco breuiter quæramus; an vere Beatissima Virgo in passione filij sui spasmum passa fuerit, & quoties, & quidem in præsenti capite semel, atque iterum hoc illi accidisse scribitur: primum quidem in flagellatione ad collumnam, secundo vero in ipsa met crucifixione Christi, sic etiam habetur lib 6. Reuelat. cap. 57. circa medium capitis ibi tertio fuit dolor meus in visu, nam quando vidi filium meum ligari, & flagellari, & in ligno suspendi corrui quasi exanimis; sed reassumpto spiritu steti dolens, & nec inimici, nec alij in me aliud reperirent nisi grauitatem, idem habetur lib. 7. cap. 15. & in serm. de Virginis excellentia cap. 18. paulo ante medium, sed vt hæc legentibus nota fiant, videndum est, quid spasmus sit. Postremo an Beatissima virgo illum in passione sui filij passa fuerit, & quidem si de spasmo proprie sermo sit, dicendum est primo spasmum aliud non esse, quam morbum quendam neruos contrahentem ex ingenti quodam dolore causatum, sic docuit Auicenna in tractatu de spasmo à Caetano citato tom. 2. opusc. tract. 13. qu. vnica. & Galenus 6. Aphoris. 39. dicit spasmum esse passionem inuoluntariam in neruis, & 3. de locis affectis 6. asserit esse conuulsionem, & inuoluntariam contractionem neruorum ad principium, & 2. de simptomatum causis, vocat spasmum simptoma motricis facultatis inuoluntarie mouentis: plura de eo habet Hieronymus mercurialis nostris hisce temporibus Medicus, ac philosophus insignis lib. 1. de cognoscendis, & curandis animi affectionibus cap. 25. sed D. Isidorus lib. 2. Etimolog. cap. 6. spasmum fieri dicit per contractionem subitam partium aut ner-

dorem cum dolore nimio, contingere autem dicitur ex repletione aut ex inanitione: idem annotauit Pelbartus in Rosario To. 2. V. infirmitas §. 13. atque hinc sit hunc patientem in terram cadere, tum ob membrorum contractionem, tum ob sensuum perturbationem. Dico secundo, si sermo sit de spasmo non proprie dicto, sed large sumpto, posse spasmum fieri absque neruorum contractione, vel conuulsione, dolor tamen ita potest augeri, vt cruciatuum acerbitas patienti rationis deliquium vel syncopem inferat, & de spasmo in hoc sensu hic non loquimur, quandoquidem nullo pacto credendum est Mariam Virginem aliquando à ratione fuisse abstractam, hoc enim notabile eius dignitati praeiudicium inferret: per spasmum ergo hoc loco intelligendum esse arbitror, dolorē quendam ingentem, & acutum, qui, & si neruos non afficiat, nec contorqueat, neque rationis vsum intercipiat, sit tamen patientem cruciat, & vires corporis minuit, vt vix homo se sustentare possit, propterea necesse sit, vt in terram labatur, vt dictum est supra. His declaratis, sciendum est fere omnes Theologos recentiores negasse Mariam in passione sui filij viribus defecisse, nec spasmum passam fuisse, sic Iodocus Clichtoueus in homilia de Oratione Virg. iuxta crucem. Caietanus vbi supra, Cornelius Iansenius in concordantia 4. par. cap. 143. super illud Ioan. 19. Stabat mater iuxta crucem. Medina super 3. par. S. Thomae qu. 39. art. 4. Ioannes Molanus de imaginibus lib. 4. cap. 8. Franciscus Suarez in comment. super 3. par. S. Thomae tom. 2. quaest. 27. disp. 4. sect. 3. & quae. 51. disp. 41. sect. 2. Cardinalis Toletus in Lucam cap. 2. annot. 57. Ioannes Maldonatus in Lucam cap. 2. num. 35. ad ea verba, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, atque hi omnes citati doctores in suam sententiam trahunt D. Ambrosium, Anselmum, & Bernardum, quippequi hoc ipsum indicarunt, quod Ioan. Euangelista cap. 19. refert Mariam in morte filij sui iuxta crucem stetisse, vbi verbum stetisse sumunt proprie pro eo quod est erectū manere, non sedere; cum tamen, vt ex textu absoluto aperte colligi potest stare pro manere positum sit, quod & Lyranus annotauit ibidem, vbi sic conciliat illud Lucae 23. stabant autem noti eius à longe, & Ioan. 19. stabat mater eius iuxta crucem, dicit enim quod primo fuerunt prope, vt Ioannes dicit, sed procedente passione propter turbam comprimentem, se retraxerunt secundum, quod dicit Lucas, & sic stabant à longe, vel forte personae à Ioanne nominatae tanquam magis feruentes in amore Christi propinquius stabant: ex quibus aperte constat, quod verbum stare sumitur pro manere, & morari, vel longe, vel prope. Verum, nec obstat si dicamus verbum stare hoc loco debere proprie sumi, nam cum Salmerone Societatis Iesu Theologo, et doctore insigni lib. 10. tract. 41. dicet posset B. Virg. à principio erectae crucis in terram corruisse prae doloris magnitudine, postea vero semper stetisse, vt scriptum reliquit Ioan. vbi supra. Probant secundo idem ex D. Ambros. de obitu Valentiniani, ex illis verbis, Mariam stantem lego, flentem non lego quod etiam insinuat epistola 82. & de instit. Virg. cap. 7. verum hoc testimonium parum probat, quia verissimum dicit Ambrosius apud Euangelistam legisse Mariam stantem, quia vere ipsa iuxta crucem in passione sui filij manebat, non tamen legisse, flentem, quia quod ipsa fleuerit tunc Euangelista non scripsit, praeterquam quod argumentum ab auctoritate negatiua parum probat: cui addendum est, quod non videtur negandum Mariam in passione filij sui flauisse, hoc enim, & patres tradunt, & D. August. in serm. de passione multoties repetit, vbi referens, quod Christus Matrem suam Ioannī commendauerit illis verbis ecce Mater tua, curam inquit illius habe, eam tibi commendo suscipe matrem tuam, immo magis suscipe matrem meam, dum haec pauca diceret, illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant, tacebant ambo illi martires, & prae nimio dolore loqui non poterant, isti duo virgines Christum audiebant, & voce loquentem, & ipsum videbant paulatim morientem, amare flebāt, quia amare dolebant, nam gladius doloris Christi animas vtrorumque transibat haec August. de lachrymis Mariae, quod etiam probat Salmeron, vbi supra, qui lachrymas Mariae asserit fuisse cum ratione coniunctas, & cum indicio mentis effusas. Idem quoque tradidit, Ludulphus de vita Christi 2. par. cap. 63. & alij, quos ibi ille citat. Confirmāt 3. opinionem suam ex Anselmo de excellentia Virg. cap. 5. quia inquit Anselmus Gladius mortis Christi penetrauit animam Virginis, & tanto dolore illam affecit, vt nisi speciali gratia confortaretur viribus prorsus defecisset, ex quibus verbis nullatenus deduci potest Anselmum negasse Beatissimā Virg. fuisse sub crucem in terram lapsam, & deliquium animae passam, sed tantummodo indicat, quod nisi diuinitus Maria roborata fuisset prae doloris magnitudine occubuisset. Postremo supra citati doctores probant, Mariam minime fuisse spasmum passam, tum ratione conformitatis suae voluntatis cum diuina, per quam volebat filium suum pro humani generis redemptione mori, tum ratione constantiae, & fortitudinis animi, qua ipsa praedita erat, tum etiam ratione decentiae cuiusdam, quam decuit virginem seruare, non enim inquiunt Caietanus, Suarez, & Toletus conueniebat Matrem Dei corporales quosdam defectus habere aut aliquod dissonum, & indecorum in ratione esse, grauius enim erat, quod compateretur filio secundum rationem, quam secundum partē sensitiuā. Caeterū haec non vndequaque conuincunt, vt necessario dicendum sit Mariam non sic fuisse spasmum passam, sicut in praesenti capite scribitur: nam quantum spectat ad primum, & si voluntas Mariae cum diuina voluntate in passione sui filij fuerit conformis, tamen non inde sequitur, quod de morte eius vehementer non doluerit, quod huiusmodi deliquium minime passa fuerit, sicut enim cum ista conformitate vehementissimus dolor esse poterat, ita quoque animi deliquium, quod est effectus manans ab illa,

vt supra probauimus, & patet etiam in Christo, cuius voluntas perfecte conformis erat cum patre, & tamen Lucæ 22. legimus ob instantem mortem, & doluisse, & à corpore illius præ ingenti tristitia sudorem sanguineum manasse, & multo minus etiā obstat hoc, & fortitudini, & constantiæ animi eius quandoquidem fortitudo, animique constantia virtutes sunt in animo collocatæ, spasmus vero affectio quedam est, & morbus corporis, ex doloris magnitudine causatus, quo quispiam à sensibus destituitur, nemo autem dicit hominem sanctitatem, & integritatem perdere, animi sanctitate manente, etiam si corporis sanitas amittatur, sic habetur in sententijs decerptis ex Augustino sentent. 5. probat pudicitiam non perdi, etiam si corpori vis inferatur, cum tamen consensus non præstatur, quod latius confirmat in pluribus locis, vt lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. & epistola 122. circa finem ad Victorianum, & 180. ad Honoratum, ita quoque dicendum Mariam, nec fortitudinem, neque animi constantiam perdidisse etiam si dicamus spasmum in morte sui filij passam fuisse. Postremò, nec contra sententiam nostram facit, quod ipsi aduersarij obijciunt non licere in Virgine corporales quosdam defectus ponere, & maxime eos, qui indecentiam aliquam importare videntur, sicut est spasmus; nam cum hic non agamus de aliquo morali defectu, qui culpam aliquam importet, quæ nulla prorsus fuit in Virgine. Maxime cum spasmus sit passio inuoluntaria, vt supra ex Galeno, & alijs probauimus, sed de naturali, qui ad dolorem ingentem sequitur, qualis fuit in Maria, nulla videtur esse ratio, quare in ea non sit ponendus cum præsertim, hoc plures grauissimi doctores tradiderint, quos infra citabimus, neque ob id indecentiam aliquam in Maria fuisse asseueramus, non enim tunc dicimus Mariam vulsisse comas, caput defœdasse, pectus contudisse, aliudque, quod animi leuitatem possint ostendere fecisse, sed solummodo ingenti dolorem oppressam, sensum per aliquod breue temporis spatiū amisisse, videndo filium suum, qui vt scripsit David psal. 44. cum esset speciosus præ filijs hominum ob multitudinem cruciatuum, ac dolorum, ita deformis factus erat, vt ei non esset species, neque decor, sicut Esaiæ 53. legimus, & hanc sententiam de spasmo Virginis secuti sunt in primis Anselmus in dialogo de passione Domini, qui in persona Mariæ loquens cum venissent inquit ad locum Caluariæ nudauerunt Iesum filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui, idem habet D. Bonauentura in lib. meditat. vitæ Christi cap. 77. ibi cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat semimortua facta est præ angustia, idē repetit, cap. 79. & clarius hoc fatetur D. Bernardus in opusculo de lament. Virginis iuxta crucem stabat mortua mater, quæ ipsum ex Spiritu sancto concepit, vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallebat quasi mortua viuens, viuebat moriens moriebatur viuens, nec mori poterat, quia viuens, mortua erat; idem colligitur ex D. Augustino epistola 58. relato a Ludulpho de vita Christi 2. par. cap. 70. circa finem. verba Augustini, sunt hæc illa pia mater immani dolore eiulans, ita viscera fatigauerat, & membra, vt iam sensu deficiens, vix potuisset ad funus Christi peruenire. Fauent huic opinioni Laurentius Iustinianus de Triumphali Christi agone cap. 21. Dyonisius Cartusianus Ioan. 39. Ludolphus de vita Christi 2. par. cap. 64. & 70. Lanspergius in lib. elucidationum in Christi passione. Veruchimus in lib. Meditat. Frater Daniel Mallonius in elucidationibus, Stigmatum sacræ sindoni impressarum cap. 17. ad finem, ex dictis euidenter constat reiciendum esse, quod affirmarunt Medina, vbi supra, & Ioannes Maldonatus in comment. in Lucam cap. 2. num. 35. ad ea verba, & tuam ipsius animam pertransibit gladius dicunt enim errori esse affine hoc asserere de Virgine, idq; nō reperiri apud auctores aliquos graues verū non credendum est, tot citatos à nobis patres errasse, qui Mariam fuisse spasmum passam asseuerarunt eo quæ magis, quod iuxta Caluariæ Montem fuisse templum testantur hi, qui loca illa sancta visitarunt, cuius ruinæ nunc extant, quod Sanctæ Mariæ de spasmo dicebatur, quo loco Mariam occurrentē filio crucem portanti, ibique præ dolore quasi exanimem in terram corruisse traduntur rursus hoc idem confirmatur, ex antiquissimis picturis in quibus videmus sub cruce depictam Mariam veluti mortuā in terra iacentem, postremo hoc quoque ratione suaderi potest, quoniam sic Maria Materni dilectionis egregium signum erga filium exhibuit, quæ dilectio maxima fuit tum ratione ipsius Christi, qui summe diligendus erat, tum ratione ipsius Virginis Matris in qua non sicut in alijs filiorum amor partitus erat, inter patrem, & matrem, hic autem totus erat in matre, quippeque sola sine Patre Spiritus sancti virtute filium genuit, non ergo mirum est si in passione sui filij tantus dolor tanto amori responderit, vt spasmum in ea excitare potuerit.

4 Toto enim corpore nudus erat.

In præsenti capite Christum Dominum bis vestibus coram populo fuisse spoliatum, & nudum apparuisse legimus, quod primum factum est, cum Saluator ad Collumnam verberibus affectus fuit, secundo vero cum cruci affixus: a doctoribus vero dubitari solet, an omnibus penitus vestibus fuerit denudatus Christus, ita vt nec aliquod velum haberet, quo verenda tegerentur, & quidem cum ad Collumnam flagellatus est omnino fuisse nudum, omnes fere asseuerarunt, & hanc esse communem omnium opinionem affirmat Franciscus Suarez in comment. ad 3. par. S. Thomæ tom. 2. quæst. 46. disp. 39. sect. 4. & hoc patet ex verbis præsentis notæ cum dicitur toto enim corpore nudus erat, & clarius habetur lib. 1. Reuelat. cap. 10. ibi alligatus autem nihil omnino opperimenti habebat. Tota ergo controuersia est, an penitus fuerit nudus absque, velamine aliquo cum Crucifixus est, nudum vero omnino ascendisse crucem videtur affirmasse D. Athanasius orat. de passione, & cruce dicens

exuebas

exuebat vestimenta sua, decebat enim, cum hominem introduceret in paradisum, exuere tunicas, quas Adam accepit cum e Paradiso eiceretur, idem insinuauit Ambrosius libr. 10. in Lucam. Nazianzenus in Christo patiente. Nudum triclani repositum ligno, Hieronymus in sua regula ad Eustochium cap. tertio. Augustinus lib. 16. de ciuitate cap. secundo, & libro duodecimo contra Faustum, D. Bernardus in serm. de passione Domini, & Diuus Bonauentura in libro meditationum vitæ Christi cap. 78. & Lipsius de cruce libro secundo cap. septimo, in initio receptum inquit hoc in plerisque suppliciis, velut naturæ suasu, quæ nudos induxit in vitam, & educit etiam inde. Verum citati patres loquuntur de nuditate, qua quispiam nudus esse dicitur, cum pallio, tunica, vel aliquo alio genere vestis proprie spoliatur, nomine namque vestis, hoc proprie veniunt, illud vero velum, quo genitalia conteguntur, non nisi improprie vestis appellatur, sed perizoma, aut succinctorium, vt docuit Diuus Isidorus libro decimonono Etimolog. cap. vigesimo secundo, & annotauit Gloss. interlinearis, & Lyranus Genesis 3. ibi, & fecerunt sibi perizomata, hoc est succinctoria circa lumbos, vel pudendorum velamina, sed vestis est illa, quæ vsque ad vestigium protenditur teste Isidoro vbi supra, dicendum ergo videtur Christum fuisse cruci affixum non penitus nudum, sed velamine tectum, sic enim habetur in præsenti capite aliquanto post initium ibi (exutus vestes ponit, paruumque linteum verendis prætexit) idem legimus libro primo Reuelationum, cap. decimo his verbis, (stante filio meo sicut natus erat nudo corpore, vnus tunc accurens aportauit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verenda sua.) hanc opinionem probant in primis omnes crucifixi imagines, quæ velo tectæ pinguntur. Secundo, quia hoc spectare videtur ad decentiam quandam, & honestatem, Christus enim ea tantummodo passus est, quæ decreuit ac voluit, cum ergo in huiusmodi nuditate indecentia quadam honestati repugnans esse potuisset, probabilissimum est, illam sic vitasse, eoque magis, quod natura hoc horreat facinus, tum quod credendum maxime est, quod Christus coram castissima Matre, aliisque mulieribus sanctitate conspicuis, sic apparere noluerit, & ideo sunt qui pie existimauerint Beatissimã Virginem velamen illud suo filio dedisse, vt verenda tegeret, sic habetur in dialogo, qui inscribitur, Maria, & Anselmi de passione Domini, vbi Mariam sic loquentem legimus, Peplum capitis mei circumligaui lumbis eius, quod etiam indicauit Lodolphus de vita Christi parte 2. cap. 58. & 63. Molanus de imaginibus libro quarto, cap. quarto, qui hanc opinionem magis piam, ac probabiliorem esse arbitratur, quo loco eandem confirmat ex visione quadam relata ex Gregorio Turonensi de gloria Martyrum cap. vigesimotertio, qui asserit quendam crucifixum aliquando Basilio cuidam præsbytero apparuisse, eique imperasse, vt imaginem quandam crucifixi, quæ in Narbonensi vrbe collocata erat, linteo tegeret: libet autem hoc loco breuiter aliquas causas huius nuditatis Christi afferre, quarum potissima est, vt inde homines discerent libenter pro Christi amore sufferre nuditatem, & paupertatem, alteram huius nudationis causam reddit Diuus Athanasius vbi supra, dicit enim primo id factum esse, vt Christus exueret Adamum tunicis pelliceis, quibus indutus fuerat propter peccatum, illis enim significabatur mortalitas, quam ipse incurrerat, secundo addit Athanasius Christum vestibus fuisse spoliatum, vt se se pararet ad pugnam, debebat enim tunc temporis luctari cum dæmone, & propterea Diuus Gregorius dicit Homil. 42. in Euangelia, nudos cum nudis luctari debere, nam inquit si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram deicitur, quia habet vnde teneatur hæ ergo causæ sunt, quapropter Saluator noster Christus cum diabolo pugnaturus crucem nudus ascendit, ibique de eo triumphum reportauit.

5 Deinde iudicatus Crucem portans educitur, sed in via portans aliis substituitur.

8

Huius notæ verba aperte indicant, sicut etiam ex Euangelistarum narratione manifeste colligitur, Christum Dominum prius portasse Crucem solum, & postea Symonem Cyreneum in via fuisse substitutum ad eandem Crucem portandam, Ioannes enim decimonono cap. scribit, & baiulans sibi crucem exiuit, & Lucas 23. cum ducerent eũ apprehenderunt Symonem quendam Cyrenensem venientem de Villa, & imposuerunt ei crucem portare post Iesum, ex quibus duo a nobis deducenda sunt, primum Symonem fuisse in via inuentum, & crucem ei ab humeris Iesu fuisse impositam, hoc enim significat Euangelista illis verbis (venientem de villa.) Secundo infertur hunc Symonem cum Iesu Crucem minime gestasse quemadmodum Pictores male consueuerunt frequenter exprimere, quod probari potest primo ex verbis citatis Lucæ ibi (portare post Iesum) quo loco (ly post) refertur ad tempus, vt sensus sit, postquam Christus crucem portauit, ad eandem portandam postmodum substitutus est Symon Cyreneus, id quod etiam legenti constare poterit ex verbis præsentis notæ, quæ hoc aperte insinuant, legimus enim alium fuisse ad eam portandam in via substitutum. id ipsum testatur Beatissima Virgo B. Brigittæ libro primo Reuelationum cap. decimo: imposuerunt inquit filio meo crucem portandam, quam cum ad modicum portasset veniens vnus assumpsit eam portandam sibi, quod etiam animaduertit

Diuus Augustinus libr. 3. de consensu Euangelist. cap. 10. qui rem hanc hisce verbis explicat, vnde intelligitur, quod ipse sibi portabat crucem cum exiret in locum memoratum, Simon autem ille angariatus est de quo tres commemorant cui, postea data est crux portanda, vsque ad locum. Cæterum Christum Dominum per totam vrbem Hyerosolimitanam solum gestasse crucem, in exitu vero vrbis angariatum Simonem Cireneum, vt eam vsque ad locum vbi crucifigendus erat, portaret affirmarunt Athanasius serm. de passione, & cruce, Augustinus loco citat. Origen. tractat. in Matt. 35. Hieronymus Eutimius, Beda, & Theophilat. Matt. 27. Lyranus, & Gloss. Lucæ 17. Ludulphus de vita Christi part. 2. cap. 62. & sanct. Leo Pontifex ser. 3. de pass. his verbis inuentus est Simon Cireneus in quem lignum supplicij trãsferretur, eandem sententiam quidam ex Neotericis Theologis secuti sunt Cardinalis Toletus in ca. 19. Ioannis Crestserus lib. 1. de cruce cap. 15. Franciscus Suarez in comment. super Sanctum Thomam qu. 46. disputat. 36. sect. 2. tom. 2 Ioannes Maldonatus in comment. in Matt. cap. 27. Contrariam tamen opinionẽ secutus est Cardinalis Baronius to. 1. Annalium anno Christi 34. cogitur inquit. & Symon Cyreneus altera ex parte crucem post Iesum portare: idem etiam senserunt Didacus Stella in Lucam, & Caetanus in caput. 23. Lucæ, sed vere neutra sententia ita certa est, vt ex sacris litteris probari euidenter possit. verum nostra opinio communior quidem est, vt excitatis auctoribus patet, & veritati etiam conformior, si quis autem quærat quapropter ad ferendam Saluatoris nostri crucem fuerit ascitus Symon Cyreneus id factum esse crediderim, quia nouerant Iudei, quod Redemptor noster ob maximam debilitatem, quam ex ingenti effusi sanguinis copia contraxerat in flagellatione ad columnam, nequaquam tantam ligni molem vsque ad crucifixionis locum portare potuisset. Sunt etiã qui existimauerint Iudeorum studio id factum esse, adeo Christi mortem accellerantium, vt quia Christus tanto pondere opressus festinare quantum ipsi volebant non posse videbatur; robustum coniunxerint hominem, qui crucem portaret. Verum hoc non absque diuina dispensatione illud accidisse arbitror, vt scilicet nobis Spiritus sanctus significaret, crucem Domini a Gentili præsertim populo suscipiendam, ferendamque, huius autem rei figuram fuisse Isaac asseruit Tertullianus contra Iudeos cap. 10. Isaac inquit cum a patre hostia duceretur, & lignum ipse sibi portaret, Christi exitum iam tunc notabat in victimam concessi a Patre, lignum passionis suæ baiulantis, & paulo post ibidem citans illud Isaiæ, cuius imperium super humerum eius, solum ait nouus Rex Christus nouæ gloriæ potestatem, & sublimitatem in humero exulis idest crucem. Idem annotauit Theophilatus in cap. 19. Ioan. Vide ait in veteri typo hoc factum Isaac, enim, & illic ligna portans vadit, vt immoletur, ita & hoc loco Dominus crucem habens vadit, & quasi miles Arma gerit quibus aduersarium prosternat. Sed de huius figuræ explicatione fuse egit Augustinus serm. 71. 72. & 73. de tempore, & lib. 16. de ciuitate cap. 32. Diuus Gregorius libr. octauo Moral. cap. 26. Ambros. libr. 3. de fide cap. quarto.

6 Perdento igitur ad locum crucifixionis, & ecce Malleus, & quatuor claui acuti in prompto sunt.

Hoc loco Beatissima Virgo insinuat Beatæ Brigittæ filium suum cruci fuisse affixum, quatuor clauis, quam sententiam secuti sunt plures ex patribus Græcis, quos supra citauimus libri I. Reuelat. cap. 10. nota decima, vbi hac de re latius egimus.

7 Sed iam quasi consolata sum, quod corpus eius iam de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere.

De depositione Christi seruatoris nostri de cruce agitur libro secundo Reuelationum capo vigesimo primo per totum, vbi diligentissime singula narrantur, quæ ad huius mysterij cognitionem pertinent, & ibi nos quoque quamplurima annotauimus nota prima, secunda, & tertia.

8 Anno igitur vigesimo ætatis suæ, in magnitudine, & fortitudine virili perfectus erat.

Describit ad finem præsentis capitis Beatissima Virgo, Christi Domini seruatoris nostri faciem, & formam corporis, pulchritudinem, ac magnitudinem, & quidem quantum spectat ad venustatem fuse egimus libro primo cap. 37. nota prima, quo loco probauimus Saluatorem nostrum fuisse præ filijs hominum forma speciosum iuxta Dauidis Vaticinium psalm. 44. Nunc autem superest, vt sermo fiat de statura, & corporis magnitudine, insinuat autem hoc loco sanctissima Virgo Beatæ Brigittæ, Redemptorem nostrum cum annum ageret vigesimum, inter medios moderni temporis magnum fuisse, ex quo colligendum est, Christum iustæ fuisse staturæ, nam si inter medios magnus fuit, profecto, nec ad Giganteam staturam vergebat, quia humani corporis equam non excessit proceritatem, nec ad pigmeam, quia ad iustam corporis peruenit magnitudinem, & sicut ex complexione omnium elegit optimam, ita quoque censendum est cuncta assumpsisse eorum, quæ ad corporis humani iustam spectant proportionem, & hoc est, quod scribitur hic, eum fuisse inter medios moderni temporis magnum, quod cum eo quadrat, quod legimus in epistola Pilati ad Tiberium Cæsarem scriptam cuius meminit Hegesippus in sua Anacephaleosi de morte, & resurrectione Christi, in cuius titulo eum errasse admonuit Cardinalis Baronius tomo primo

Annal.

Anal. Anno Christi 34. dicit enim loco Tiberij posuisse Claudium. Caeterum quantum ad rem nostram attinet de corporis Christi magnitudine sic in ea epistola scribitur. Homo quidem prae caeteris statura mediocris. meminit etiam huius epistola Franciscus Samarinus 4. part. Sacerdotalis fol. 8. Fertur, & alia epistola Publij Lentuli in Iudaea Magistratum gerentis ad Senatum Romanum missa, de qua Sanctus Antoninus in Chronicho, atque in ea legitur Christum fuisse statura quidem procera mediocriter, sed quid quid sit de harum epistolarum fide, Nicephorus probatissimus auctor haec dere verba faciens tradidit Saluatoris nostri staturam corporis ad palmas prorsus septem esse comensurandam, libet autem hoc loco rem hanc ex Lodulpho propalare, qui in prologo vitae Christi, circa finem hoc admodum diligenter ex alijs refert. Christus (inquit) statura fuit procera mediocris, & spectabilis, vultum habens venerabilem, quem possent intuentes, & diligere, & formidare: capillos habens ad modum nucis auellanae praematurae, fere vsque ad aures, ab auribus cincinnos crispos aliquamulum ceruleos, ab humeris ventilantes, discrimen habens in medio capitis iuxta morem Nazarenorum: frontem planam, & serenissimam, cum facie sine rugá, & sine macula, quam rubor moderatus venustauit, nasi prorsus, & oris nulla fuit reprehensio: Barbam habens copiosam, & impubem, capillis concolorem, non longam, sed in mento bifurcatam: Aspectum simplicem, & maturum, oculis glaucis, varijs, & claris existentibus. In increpatione erat terribilis, in admiratione blandus, & amabilis: hilaris, seruata grauitate. Aliquando fleuit, sed nunquam risit. In statura corporis, propagatus, & rectus, manus, & brachia visui delectabilia. In colloquio grauis, rationabilis, rarus, & modestus. Caeterum de Christi domini corporis statura, pulchritudine, forma traditur etiam libr. primo Reuelation. cap. 10. & lib. sexto cap. 1. & 58. & libr. septimo capit. decimo quinto.

QVAESTIONES GRATAE a Christo sponsae propositae, & responsiones humiles sponsae ad Christum factae, & qualiter Christus subiunxit pro electione filiae sponsae, tres laudabiles status, scilicet virginalis, coniugalis, & vidualis.

CAP. LXXI.

FILIVS DEI loquitur sponsae. Responde mihi ad quatuor, quae quero. Si inquit aliquis daret amico suo palmitem fructiferum, quem tamen dator retineret prope domu suam, eo quod haberet ex visu eius, & odore consolationem, quid respondere deberet dator, si is cui palmes datus esset peteret palmitem, ad transplantandum eum in aliu locum vbi vberius fructificaret? Respondit illa. Si amicus dedit ex charitate, & esset sapiens, cuperetque amicum bonum permitteret vtiq; amico facere de palmite quicquid vellet, dicendo ei. O amice licet ego ex vicinitate palmitis habeo gaudium, tamen quia non multum fructificat mihi, gaudeo, quod ipsum transferre possis si volueris in locum vberiorem. Quaesiuit dominus secundo. Si parentes dedissent alicui iuueni filiam suã virginem, virgineque consentiente in iuuenem, si puer interrogatus a parentibus verũ ipse vellet habere virginem vel non, & nihil responderet, vtrum esset virgo desponsata vel non. Respondit illa, vt mihi apparet, quia puer non expressit velle suum, virgo non est desponsata. Dixit Dominus tertio. Iuuenis nobilis stãs inter tres virgines, proposuit eis, quod quecunque illarum trium tale verbum proferret, quod eum ad frequentiorem prouocaret charitatem, illa obtineret illud quod iuuenis feruentius adamaret. Tunc respondit prima. Ego sic feruenter diligo iuuenem hunc, quod antequam inquinari vellem cum alio, magis morerer. Secunda dixit. Antequam vnicum verbum proferrem contra velle suum, aut quod eum offenderet, magis paterer omnem pœnã. Respondit tertia. Priusquam viderem minimum eius contemptum, seu damnum, magis cuperem mihi omne damnum pœnamque amarã pati. Ergo inquit dominus, dic mihi, quae istarum trium virginum plus dilexit iuuenem, & quae praeferenda est in amore eius?

 Respondit

Respondit illa. Vt mihi videtur omnes eque feruenter dilexerunt, quia omnes erant vnius cordis ad eum, & ideo omnes æque digne erant ad habendam eius charitatem. Dixit Dominus quarto. Amicus inquit erat, qui consuluit alium, ego inquit habeo granum tritici valde fructiferum, si seminetur in terra fructificat in magnam segetem. Sed quia valde esuriens sum, quid tibi videtur consultius, comedere illud an seminare in terram? Respondit amicus, per aliam occasionem ista potest extingui esuriens, sed est vtilius tibi, vt in terra seminetur. Tunc Dominus subiunxit.
Nonne filia, & tibi apparet similiter, vt fames patientis supportetur, & granum multis profuturum seminetur. Iterum dixit Dominus. Ista quatuor dicta pertinent ad te, filia namque tua est, quasi palmes, quam mihi vouisti, & dedisti. Nunc autem, quia acceptiorem locum scio pro ea, transplantare eam volo vbi mihi placet, nec ex hoc tu turbari debes, quia in transplantatione consensisti. Iterum dixit dominus. Tu dedisti mihi filiam tuam, sed ego non ostendi tibi, quid mihi acceptius esset, virginitas eius an coniugium, vel vtrum placeret mihi sacrificium tuum an non. Ideo nunc cognita certitudine, ea quæ in certitudine facta sunt corrigi possunt, & mutari. Item
1 dixit dominus. 1. Virginitas bona est, & summa, quia Angelis similis est, si tamen rationabiliter obseruetur honeste. Si vero vnum sine alio defuerit, scilicet virginitas carnis, & non virginitas mentis, deformata est virginitas.
2 2. Nam acceptior est mihi coniugata humilis, & deuota, quam
3 virgo superba, & impudica, 3. equalisque meriti esse possunt coniugata non lasciuiens, & iuxta regulam suam in timore Domini viuens, & virgo pudica, & humilis.
Quia licet magnum est in igne probationis esse, & non ardere, tamen eque magnum est, extra ignem esse religionis, & in igne velle libentius esse, & maiori ardore feruere ad Deum extra ignem, quam qui est in igne. Ecce de tribus pono tibi exemplum. Tres quippe fuerunt Susanna, Iudith, & Tecla virgo. Prima fuit coniugata. Secunda Vidua. Tertia virgo.
Iste inequalem vitam, & intentionem habuerunt, & tamen ex merito actionis suæ, in primo se conformant. Susanna denique cum a sacerdotibus false turbaretur, ex diuina charitate maluit mori quam contra regulam suam inquinari. Et quia me tanquam vbique presentem timuit, ideo, & saluari meruit, & ex saluatione glorificari.
Iudith vero cum inhonorationem meam videret, & populi sui dispendium, tantum turbabatur, quod nō solū opprobrio, & damno se exposuit ex diuina charitate, sed & parata erat pro me penam pati. Tecla vero quæ virgo fuit, hæc amaras passiones maluit pati, quam vnum verbum contra me loqui. He tres licet non habuerint vnam actionem, tamen in merito concordant. Ideo siue virgo, siue vidua, omnes mihi eque placere poterunt, dummodo desiderium totum ad me fuerit, & vita bona. Item dixit dominus. Filia tua siue steterit in virginitate, siue in coniugio, eque acceptum est mihi, dummodo ad velle meum ordinetur. Quid enim prodest ei forte si includeretur
4 corpore, & foris esset mente. 4. Aut quid gloriosius est, sibiipsi viuere, an alijs prodesse? Sed ego qui omnia scio, & prauideo, nihil facio sine causa, ideo non veniet ad locum statutum cum primo fructu, quia ex timore est, nec cum secundo, quia ex tepiditate est. Sed in medio veniet, quia habet medium calorem amoris, & fructum honestatis. Qui vero eam recepturus est habeat tria. Domum, vestes, & cibum quo eam recipiat. Declaratio. Filius loquitur. Miraris quare virgo hec non peruenit ad coniugium eo modo quo sperabas. Respondeo tibi per similitudinem. Quidam nobis disposuit filiam suam dare in matrimonium cuidam pauperi, qui pauper cum ad desponsationem virginis deberet venire, præuaricatus est leges ciuitatis, & ob hoc repulsus est cum dedecore a ciuibus, nec obtinuit virginem, quam concupiuit. Sic ego feci domino terræ huius, promisi enim ei facere grandia, sed ipse magis inhesit inimicis meis, & ideo non peruenit ad ea, quę promittebam.
5 Sed potes quærere, nunquid non promittebam futura? Vtique præuidit sicut, & de
var. lect. Moyse, & populo eius legitur, sed ideo ostendi, & ostendo multa, vt homines præparent se ad bona, & sciant facienda, & patienter expectent. Veruntamen scias, quod ve vnum abijt, & alterum veniet super ingratos regni huius, & post veniet benedictio mea super humiles petentes misericordiam meam.
Scio etiam quod virgini hoc expediret quod staret consilio meo, & sapientum. Ista virgo creditur fuisse domina Cecilia filia S. Brigittæ de qua vide infra in vita sua.

NO-

NOTAE.

1 Virginitas bona est, & summa, quia Angelis similis est, si tamen rationabiliter ob seruetur, & honeste, si vero vnum, sine alio defuerit, scilicet virginitas carnis non virginitas mentis, deformata est virginitas.

Quamquam ad virginitatem omnino carnis integritas spectare videatur, exigitur tamen ad perfectam eius naturam in virgine propositum perpetuo abstinendi à venereis delectationibus, hoc enim illud est, quod huic tam excellenti virtuti formam tribuit, sine quo parui aut nihili facienda est, idque tradit Diuus Augustinus, qui deffiniens eam lib. de Virginit. tomo 6. cap. 13. virginitas inquit est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, vbi per meditationem propositum rationis intelligendum esse arbitror de virginitate seruanda, sed ad huius rei intelligentiam in memoriam reuocanda sunt, quæ tradit D. Thom. 2.2. quæstion. 152. artic. 1. dicit enim in delectatione venereorum tria considerari debere, vnum quidem quod est ex parte corporis, scilicet violatio signaculi virginalis; secundum est in quo coniungitur id quod est animæ cum eo, quod est corporis, & hoc est seminis resolutio, tertio id quod est solum ex parte animæ, & est propositum perueniendi ad talem delectationem: ex his autem tribus, primum per accidens solum spectat ad actum moralem, secundum vero materialiter ad eum pertinet, quia sensibiles passiones sunt materia malorum actuum, sed tertium formaliter, & completiue se habet ad virginitatem, & idcirco hic recte scribitur, si vero vnum sine alio deffuerit scilicet virginitas carnis, & non virginitas mentis deformata est virginitas, sed hac de re latius egimus hoc eodem lib. cap. 4. nota sexta.

2 Nam acceptior est mihi coniugata humilis, & deuota, quam virgo superba.

Nulli dubium esse potest, quod virginitas cæteris paribus præstantior est continentia coniugali, & status virginalis excellentior est statu coniugali, & cælibatu, vt diffiniuit Concil. Tridentin. Sess. 24. can. 10. & Diuus Augustinus libr. de virgin. cap. 19. tomo sexto in fine. fieri tamen potest, vt coniugatus, aut qui cælibem vitam ducit, melior sit, quam virgo, quia ille, qui virgo non est aliquam fortasse habet virtutem cumque etiam excellentiorem, quam ille, qui virgo est, vt legimus hic de coniugata, humilitatem, & deuotionem habente, & de virgine superba, vnde Diuus Augustinus in psalm. 29. quid prodest inquit integra caro, mente corrupta, melius est humile coniugium quam superba virginitas, immo nullum habiturum esse iure promissione premium, virginem tantummodo carne non mente tradidit Diuus Isidorus lib. 2. de summo bono. Postremo dicere quoque possumus, quod ille qui coniugatus, aut cælebs est, si ad seruandam castitatem promptior sit eo, qui actu virgo est, & meliorem, & Deo gratiorem indicandum esse; quod etiam annotauit D. Thom. 2.2. qu. 152. art. 4. ad secundum.

3 Aequalisque meriti esse possunt coniugata non lasciuiens, & iuxta regulam suam in timore Domini viuens, & virgo pudica, & humilis.

Cum meritum non ex genere tantummodo pensetur actus, sed ex animo operantis magis perpendatur, contingere de facili poterit coniugatam feruentiorem habere posse, animum castitatem seruandi, quam virginem sicut, & aliquando etiam virtutem aliquam habet, quam virgo non habet, aut eandem forsitan habet, sed in excellentiori, aut æquali gradu ratione cuius, vel æquale vtriusque poterit esse meritum, & præmium, vt traditur hic, aut etiam poterit esse maius, vt superiori nota probauimus, cæteris tamen paribus, sicut virginitas præstantior est, & statu coniugali, & cælibatu, ita quoque virgo maioris erit meriti, si in suo laudabili statu recte, probeque se gesserit, quam coniugatus aut celebs, vnde Apostolus 1. Cori. 7. virginitatem consuluit, vt maius bonum.

4 Aut quid gloriosius est sibi ipsi viuere, an alijs prodesse.

Si vitam contemplatiuam cum actiua conferamus dubitationem hoc loco propositam de facili soluemus, an scilicet gloriosius sit sibi viuere, an vero alijs prodesse, & licet secundum quid, & in aliqua re actiua vita contemplatiuam videatur excellere, quatenus ob præsentis vitæ nostræ necessitates plus necessaria esse censetur, & ideo magis eligenda absolute tamen contemplatiua considerata præferenda esse videtur, quod Arist. multis argumentis probat lib. 10. Etic. cap. 7. & 8. D. Thom. 2.2. qu. 180. art. 1. vita namque contemplatiua conuenit homini secundum illud, quod est optimum in ipso, nimirum secundum intellectum, & respectu propriorum obiectorum, scilicet intelligibilium, vita vero actiua occupatur circa exteriora, & hinc est quod Lucæ 10. Dominus dicit Mariam optimam partem elegisse, quæ non auferetur ab ea, hoc est securam magis, & digniorem elegit Maria partem, vbi per Mariam significatur vita contemplatiua; quod exponens D. August. non tu malam inquit, sed illa meliorem, audi vnde meliorem, quia non aufferetur ab ea: præstantior ergo est, & dignior, quia Angelorum, ac Beatorum conuersationi conformior, & vicinior, & quia securior, & quietior, quia iocundior, & diuturnior: illa vero periculosior, quia inter pericula agẽdo moratur, quippe que de rebus huius mundi pertractat, est etiam laboriosior, ob sollicitudinem, ac occupationem, sed tamen vtilior propter proximi edificationem, ac subuentionem, vt indicauimus supra in principio huius nota.

nota. Cæterum quoniam non deffuerunt, qui existimauerint vitam actiuam præferendam esse contemplatiuæ, quo ad meritum, & dignitatem, vt facit Henricus Gandauensis in quodlibet. quodlibeto ij idcirco, vt hanc litem componamus duplex à nobis hic actio distinguenda est: prima, quæ consistit in exercitio virtutum moralium, secundum quod aliquis se exercet in illis, vt disponatur ad contemplationem, de qua Diuus Gregorius loquitur lib. 1. Reg. cap. 14. dum ait, qui contemplationis arcem tenere desiderat, necesse est, vt prius in actionis arce se probet, sedatis enim passionum tumultibus per exercitium moralium virtutum disponitur anima, vt libere possit eleuari in contemplationem veritatis: hinc euidenter patet huiusmodi actionem ordinari ad contemplationem, vt ad finem, finis vero, quia melior est, his, quæ sunt ad finem, ideo fit contemplationem potiorem, ac digniorem esse tali actione, alia autem actio est, quæ contemplationem sequitur, procedens ex perfectione, & plenitudine ipsius met contemplationis, quæ propria Episcopis alijsque S. R. E. Prælatis, & concionatoribus competit, vt est docere, & in animarum gubernatione laborare, & de hac plures doctores grauissimi admonent, quod melior est ipsa contemplatione, quippeque magis proficua proximorum ædificationi, & animarum saluti, & de hac loquuntur hi, qui vitam actiuam arbitrantur præferendam esse contemplatiuæ.

5 . Sed potes quærere numquid non promit-
var. tebam futura, vtique præuidi; sicut
lect. & de Moyse, & de populo eius legitur.

Manuscriptus Farnesianus non habet promittebam, sed præuidebam, atque ita esse legendum colligi potest ex sequentibus verbis, quæ cohærent cum antecedentibus nimirum vtique præuidi.

VERBA CHRISTI AD Sponsam de sororibus, & Lazaro resuscitato. Et qualiter sponsa, & eius filia, per sorores, & anima per fratrem Lazarum, & inuidi per iudeos designantur. Et quomodo Deus fecit cum istis maiorem misericordiam, quam cum sororibus Lazari. Et qualiter scientes multa loqui, & pauca facere indignantur contra bene operantes.

CAP. LXXII.

FILIVS loquitur. Sponsæ, Duæ erant sorores, Martha, & Maria, quæ habuerunt fratrem Lazarum quem eis a morte suscitaui, qui suscitatus plus mihi seruiuit postea quam antea. Sic & sorores eius, quæ licet familiares, & sedulæ erant in ministrando mihi, ante fratris suscitationem, Multo tamen sollicitiores, & deuotiores postea inueniebantur. Consimili modo vobiscum nunc feci spiritualiter, cum suscitaui vobis fratrem vestrum, idest animam vestram, quæ per quatuor dies mortua fetens alienauit se a me transgressione mandatorum meorum, praua cupiditate & dulcedine mundi, & peccatorum delectatione. 1. Sed quatuor erant, quæ me ad resuscitandum Lazarum mouebant. Primum quia amicus meus erat dum viueret. Secundum dilectio sororum. Tertium quia humilitas Mariæ tantum meruit in lotione pedum meorum, vt sicut in conspectu conuiuantium se deiecit propter me, sic in conspectu multorum lætaretur, & honoraretur. Quartum, vt gloria humanitatis meæ manifestaretur. Ista vero quatuor non fuerunt in vobis, quia diligitis plus illis mundum. Ideo maior est misericordia mea in vobis, qui nullis meritis misericordiam meruistis,
2 quam in illis sororibus. 2. & tanto plane maior, quanto mors spiritualis periculosior est corporali morte. Et resurrectio animæ gloriosior resurrectione corporali. Ergo quia misericordia mea præcessit opera vestra, colligite me sicut sorores illæ in domum mentis vestræ cum charitate feruentissima, nihil diligendo sicut me, totam fiduciam habendo in me, humiliando vos cum Maria, quotidieque plorando peccata vostra, non erubescendo humiliter viuere in-

ter

rer superbos, continentes cum incontinentibus, ostendendo alijs exterius, quantum interius me amatis. Debetis quoque esse, sicut sorores illę cor vnum, & anima vna, fortes ad mundi contemptum, & promptę ad Dei laudem. Et si sic feceritis, tunc ego qui resuscitaui vobis fratrem vestrum, idest animam, defendam eam, ne a iudeis interficiatur. Quid enim profuisset Lazaro surrexisse a præsenti morte, nisi viuendo honestius in præsenti vita gloriosus resurrexisset in secundam, & permanentem vitam. Sed qui sunt iudei, qui Lazarum quærunt interficere, nisi illi qui ex eo indignantur, quod melius his viuitis, qui sublimia didicerunt loqui, & modica facere, qui fauores hominum sequentes tanto contemptibilius contemnunt facta prædecessorum suorum, quanto minus dignantur vera, & altiora intelligere. Tales sunt multi, qui de virtutibus sciunt disputare, sed non eas viuendo virtuose seruare. Ideo, & eorum animæ periclitantur, quia verba plurima sunt, & facta non apparent. Nunquid sic fecerunt prædicatores mei? nequaquam. Ipsi certe monebant peccatores, non verbis sublimibus, sed paucis, & charitatiuis, parati dare animas suas pro animabus eorum. Ideo propter charitatem eorum, alij obtinuerunt charitatem. Nam ardor docentis plus quam verba animum audientis informabat. Nunc autem plerique loquuntur de me ardua, sed nullus sequitur fructus. Quia flatus solus non incendit ligna, nisi & igniculus scintillę cooperetur. Ergo ab istis iudeis protegam, & custodiam vos, ne vel per verba, vel eorum facta a me discedatis, non tamen ita defendam vos, quod nihil patiamini, sed ne per impatientiam succumbatis. Vos enim adhibete voluntatem, & ego cum charitate mea incedam valle vestrum.

VERBA VIRGINIS AD Sponsam qualiter non debet turbari de milite denunciato, & ostenso, quasi mortuo.

CAP. LXXIII.

MILES quidam viuens nunciabatur mortuus, qui etiam in spirituali visione ostendebatur sponsę quasi mortuus petens auxilium, de cuius morte cum dicta domina turbaretur, dixit mater misericordiæ ad eam:

Filia vtrum miles iste mortuus sit, vel non, scies tempore suo, sed nos volumus operari ad hoc, vt melius viuat.

VERBA CHRISTI AD Sponsam, & Ioannis Baptistę ad Christum ipsum laudando, & in conspectu sui preces deuotas fundendo pro Christianis. Et quam maxime pro quodam milite, cuius precibus ipse miles per manus ipsius, & Virginis gloriosæ, & Petri, & Pauli est armaturis spiritualibus, id est, virtutibus armatus, & honoratus. Et quid per omnia arma corporalia sigillatim designetur, & de bonis orationibus.

CAP. LXXIIII.

FILIVS DEI Loquebatur sponse dicens. Tu composuisti hodie, quod melius esset præuenire quam præueniri. Sic ego præueni te dulcedine gratiæ meæ, ne diabolus dominaretur animæ tuæ. Et statim apparens Ioannes Baptista dixit. Benedictus sis tu Deus, qui es ante omnia, cum quo nullus vnquam fuit Deus, & propter quem nullus, & post quem nullus erit. Quia tu es, & eras aeternaliter vnus Deus. Tu es veritas promissa a prophetis, de quo ego nondum natus exultaui, & quem demonstrando plenius agnoscebam. Tu es gaudium nostrum, & gloria. Tu desiderabile nostrum & fruitio. Quia videre te, replet nos suauitate indicibili quam nemo agnoscit, nisi qui degustat. Tu quoque es sola dilectio nostra. Nec mirum, quod diligimus te, quia tu cum sis ipsa charitas, non solum diligentes te diligis, sed etiam, cum sis creator omnium, etiam his facis charitatem, qui te dedignantur scire. Nunc ergo domine mi, quia diuites sumus de te, & in te, rogamus te, vt des de nostris diuitijs spiritualibus his, qui nihil diuitiarum habent. Vt sicut nos gaudemus in te, ex nostris meritis, sic plures participentur bonis nostris. Respondit Christus. Tu vere es summum membrum cum capite, & iuxta caput. Veruntamen fauces sunt propinquiores & excellentiores. Sic ego omnium caput sum. Mater vero mea quasi fauces deinde Angeli, tu vero, & Apostoli mei quasi spondilia dorsi, quia non solum diligitis me, sed & diligentes me promouendo

2 mouendo honoratis. 2 Ideo fixum eſt, quod
Ioa.14. dixi, opera, quæ ego facio, & vos facietis.
Et voluntas veſtra eſt voluntas mea. *Sicut*
enim non mouetur caput carnale ſine mem
bris, ſic nec in veſtra ſpirituali coniunctio-
ne, & vnione, aliquid eſt velle, & non poſſe.
Sed totum eſt poſſe, quod vnuſquiſque ve-
ſtrum velit, ideo fiat quod petis. Quibus
dictis. Ioannes quendam militem, quaſi ſe
mimortuum protulit in medium, & dixit,
Ecce domine. Ecce iſte qui hic aſtat deuo-
uerat tibi militiam, qui conatur ad pugnan
dum, ſed non præualet, quia inermis eſt, &
infirmus. *Ego* vero duplici de cauſa iuuare
eum teneor, tum propter merita parentum,
tum etiam propter charitatem qua afficitur
circa honorem meum. Ergo propter te-
metipſum, da ei veſtes militiæ, ne appa-
reat confuſio nuditatis ſuæ. Reſpondit
Dominus. *Da* ei inquit quod vis, & veſti eum ſi-
cut placet. Tunc ait Ioannes. *Veni* fili, &
accipe a me primum veſtimentum militiæ
tuæ, quo adepto, facilius accipere, & tole-
rare poteris reliqua militaria indumenta.
3 3. Ad militem itaque pertinet habere vici-
nius ad carnem hoc quod molle eſt, & lene
ſcilicet diploydem, hac ergo induam te,
quia ſi placet Deo. *Sicut* enim corporalis
diploys mollis eſt, & lenis, ſic ſpiritualis
eſt diploys, habere *Deum* charum in anima
& ſuauem in effectu. *Dulcedo* quippe ad
Deum prouenit ex duobus ſcilicet ex con-
ſideratione beneficiorum Dei, & ex recor-
datione peccatorum commiſſorum. *Hæc*
duo ego puer habui. Conſideraui quippe
quali gratia me præuenit *Deus* nondum na-
tum. Quanta benedictione benedixit me
poſt natiuitatem. Et conſiderando inge-
mui, quid poſſem dignum reddere *Deo* meo.
Conſideraui etiam inſtabilitatem mundi, &
ideo cucurri in eremum vbi tantum dulce
ſcebat mihi dominus Ieſus meus, quod om-
nia deſiderabilia mundi erant mihi in ſtu-
dio ad cogitandum, & oneroſa ad concu-
piſcendum. Veni ergo miles, & induere
iſta diployde, quia reliqua, dabuntur tibi
4 tempore ſuo. 4 Deinde apparuit beatus
Petrus Apoſtolus dicens. Ioannes dedit ti-
bi diploydem, ego autem qui grauiter ce-
cidi, ſed fortiter ſurrexi, impetrabo tibi lo-
ricam, ideſt diuinam charitatem. *Sicut*
enim lorica ex multis eſſe conſtat circulis
ferreis, ſic charitas defendit contra tela
inimici, & animequiorem reddit hominem
ad toleranda mala ingruentia. Agiliorem
efficit ad honorem Dei, & feruentiorem ad
diuinos labores. Inuictum in aduerſitati-
bus longanimem in ſpe, perſeuerantem in
inceptis. *Hæc* itaque lorica fulgere debet,
vt aurum, fortis eſſe, vt calibis, & ferrum:

Quia omnis homo charitatem habens, du-
ctilis debet eſſe, vt aurum per patientiam,
contra aduerſitates. Fulgenſque per ſapien
tiam, & diſcretionem, ne hereſim recipiat
pro integritate fidei, dubiaque pro certis.
Sit quoque lorica fortis, & vt ferrum do-
mat omnia, ſic homo vtens charitate, ſtu-
deat humiliare eos, qui reſiſtunt fidei, &
bonis moribus. Non retrocedat propter
oblocutiones. Non flectatur propter ami-
citias. Non tepeſcat propter commoda
ſua temporalia, non diſſimulet propter quie
tem carnis. Non vereatur propter mortem,
quia nemo poteſt auferre vitam, niſi permit
tente Deo. Veruntamen quamuis lorica ex
multis conſtat eſſe circulis, tamen duo ſunt
principales circuli, quibus lorica contexi-
tur charitatis. Primus, itaque charitatis
circulus eſt cognitio Dei, & frequens con
ſideratio diuinorum beneficiorum, & præ-
ceptorum. Vt ſciat homo, quid faciendum
ſit *Deo*, quid proximo quid mundo. Secun-
dus circulus eſt refrenatio propriæ volunta
tis propter Deum. Omnis quippe, qui
Deum perfecte, & integre diligit, nil ſibijpſi
de voluntate ſua, quæ contra *Deum* eſt re-
ſeruat. Ecce fili hanc loricam dat tibi
Deus, & ego promerui tibi præueniens cha-
ritate Dei. *Deinde* apparuit beatus Pau-
lus, dicens. O fili. *Petrus* ſummus Paſtor
ouium dedit tibi loricam, ego vero ex cha-
ritate Dei dabo tibi thoracem, quæ eſt cha-
ritas ad proximum. Velle ſcilicet pro ſa-
lute proximi libenter operante *Dei* gratia
mori. Sicut enim in thorace multæ ſunt la-
1 minæ combinatæ, & claui coniungentes, ſic
in charitate proximi multæ concurrunt vir
tutes. Omnis quippe, qui diligit proxi-
mum, tenetur primum dolere, quod omnes
qui ſunt redempti ſanguine Ieſu Chriſti, nõ
rependunt *Deo* dilectionem. Secundo do-
lendum eſt, quod ſancta Eccleſia ſponſa *Dei*
non ſtat in ſua laudabili diſpoſitione. Ter-
tio, quod pauciſsimi ſunt, qui paſſionem
Dei recordantur cum amaritudine, & chari
tate. Quarto, attendere debet ne proxi-
mus ſuus corrumpatur aliquo exemplo ſuo
prauo. Quinto, dare proximo ſuo bona
ſua hilariter, & orare pro eo *Deum*, vt in
omni bono proficiat, & perficiatur. Claui
vero coniungentes laminas, ſunt verba diui
na. Nam homo charitatiuus vbi viderit
proximum tribulatum, debet eum conſola-
ri verbis charitatiuis. Impugnatum vero
contra iuſtitiam defendere, infirmos viſita-
re, captiuos redimere, pauperes non erube
ſcere, veritatem ſemper amare, charitati
Dei nihil præponere. 2 iuſtitia nunquam
deuiare. *Hac* igitur thorace ego fui indu-
1 tus qui infirmus fui cum infirmis. Qui in

con-

conspectu regum, & principum, non erubui veritatem loqui, & pro salute proximi mori paratus fui. Deinde apparuit Mater Dei, & dixit isti militi. Quid inquit fili adhuc tibi deest? Et ille, caput inquit non habet galeam. Tunc Mater misericordiæ dixit ad Angelum custodem animę eius. Quid inquit profuit animæ custodia tua, aut quid habes præsentare domino nostro? Respondit Angelus, Habeo aliqua licet modica sint. Nam quandoque fecit eleemosynam, & legit aliquas orationes ex charitate Dei, quandoque etiam dimisit voluntatem propriam propter Deum. Rogans Deum synceriter vt ei vilesceret mundus. Deus fieret ei super omnia carus. Respondit Mater. Bonum est aliqua apportare. Ergo volumus facere sicut bonus aurifaber facit, qui faciens opus grande de auro, si necessitatur, & deficit in auro, petit auxilium ab amicis habentibus, quem omnes habentes aurum iuuant, vt perficiatur opus eius. Qui vero facit opus luteum, quis dabit ei de auro suo? cum indignum sit lutum misceri auro. Ergo omnes sancti diuites auro, promerebuntur tibi mecum galeam quam habiturus es. Ista autem galea est voluntas placendi soli Deo. Sicut enim galea defendit caput à iaculis, & ictibus, sic voluntas bona, & sola ad Deum defendit animam, ne tentationes diabolicæ præualeant contra eam, Deumque in animam introducit. Hanc habuit ille bonus Georgius, & Mauricius, & plures alij, immo etiam latro pendens in cruce, sine qua nemo fundamentum bonum iacet, nec perueniet ad coronam. In hac quoque galea debent esse duo foramina ante oculos, quibus præuideantur aduenientia, quæ sunt discretio faciendorum, & cautio omittendorum, quia sine discretione, & præmeditatione, multa sunt in fine mala, quæ in principio videntur bona. Item loquitur Mater ad militem, quid adhuc tibi deest fili? Et ille respondit. Manus inquit nude sunt, & non habent armaturam. Cui Mater. Ego inquit iuuabo, vt manus non sint nude. Ergo sicut duæ sunt manus carnis, sic duæ sunt manus spirituales. Dextera autem manus, qua tenendus est gladius significat opus iustitiæ, in qua debent esse quinque virtutes quasi quinque digiti. Prima vt omnis iustus primo sit iustus sibijpsi, cauendo scilicet ne quid in locutione, seu operatione, aut exemplo appareat, quod proximum possit offendere. Ne, quod ex iustitia reprehendit vel docet in alijs destruat moribus inordinatis. Secunda est non facere iustitiam, seu iustitiæ opera propter fauorem hominum, seu cupiditatem mundi, sed amore solius Dei. Tertia est, non timere aliquem contra iustitiam, nec dissimulare propter amicitiam. Nec flecti à iustitia pro paupere, vel diuite, amico, seu inimico. Quarta est libenter etiam velle pro iustitia mori. Quinta est, non solum facere iustitiam, sed etiam sapienter diligere iustitiam, vt & in iuditio sit misericordia, & iustitia. Et vt aliter corrigatur qui minus peccat, & aliter qui grauius, aliterque, qui peccat ex ignorantia, & aliter qui peccat ex industria, seu malignitate. Quicunque autem istos digitos quinque habuerit, cauere debet ne gladium exacuet in impatientia. Nec delectatio mundana heberet, ne improuidentia excotiet, ne leuitas animi denigret. Sinistra vero manus est oratio diuina, quæ etiam quinque digitos habebit. Primus est firmiter credere articulos fidei, de deitate, & humanitate, omniaque operando. Credere, quæ sancta Ecclesia sponsa Dei cõfitetur. Secundus est, nolle peccare scienter contra Deum, velleque commissa omnia contritione, & satisfactione emendare. Tertius orare Deum vt amor carnis conuertatur in amorem spiritualem. Quartus est, non ad aliud viuere in mundo, nisi vt Deo faciat honorem, & vt minuat peccata. Quintus est, nihil de seipso præsumere, sed semper timere Deum, mortemque omni hora expectare. Ecce fili, hæ sunt duæ manus, quas habere debes dextra scilicet, qua vibrandus est gladius iustitiæ, contra transgressores iustitiæ, sinistra vero orationis, qua petendum est auxilium a Deo, vt nunquam confidas de tua iustitia, nec insolescas contra Deum tuum. Iterum apparuit Beata Maria, & dixit militi, quid adhuc tibi deest fili? Respondit ille. Armatura inquit pedum. Et illa. Audi inquit miles olim mundi, sed iam nunc meus, omnia quecumque sunt in cælo, & in terra creauit Deus, sed inter omnia inferiora, dignior, & pulchrior creatura est anima, quæ similis est in imaginationibus suis voluntati bonæ. Sicut enim de arbore multi procedunt palmites, sic de animæ spirituali exercitatione, & operatione, omnis proce-
5 dit tua perfectio, 5. ergo vt obtineatur spiritualis armatura pedum, voluntas bona mediante gratia Dei debet esse initiũ. In qua debet esse duplex consideratio tanquam duo pedes super bases aureas. Primus itaque pes animæ perfectæ, est consideratio huiusmodi scilicet, quod nollet peccare contra Deum, etiam si non sequeretur pena. Secundus pes est bona opera facere etiam si sciret se damnandum, propter magnam patientiam, & charitatem Dei. Genua vero animæ sunt hilaritas, & fortitudo bonæ voluntatis. Sicut enim genua incuruantur, & flectuntur ad vsum pedum, sic volun-

lun-

luntas animæ flecti, & refrenari debet secundum rationem ad velle *Dei*. Scriptum enim est, quod spiritus, & caro sibi ad inuicem aduersantur. Ideo, & Paulus dicit. Non quod volo bonum hoc ago. Quasi diceret, Quedam bona volo, secundum animam, sed non præualeo propter infirmitatem carnis, sed & si quandoque potero facere, sed non cum hilaritate, quid ergo? Nunquid ideo priuabatur Apostolus mercede, quia voluit & non potuit? Aut quia fecit bona, sed non cum hilaritate? Nequaquam, sed magis augebatur ei corona dupliciter. Primo ab exteriori homine, erat ei laboriosa operatio, propter carnem reluctantem bono. Secundo ab homine interiori, quia non erat ei consolatio semper spiritualis. Ideo multi seculares laborant temporaliter, sed non pro his coronantur, quia laborant motu carnis. Qui quidem labor si esset præceptum Dei, nequaquam sic feruerent in laborando. Isti itaque duo pedes animæ, scilicet nolle peccare contra *Deum*, & velle bona opera facere, etiam si sequeretur damnatio, armādi sunt duplici armatura, scilicet discreto vsu temporalium, & discreto desiderio ad cælestia appetenda. Discretus autem vsus temporalium est, habere bona ad moderatam suam sustentationem, non ad superfluitatem. Discretum vero desiderium cælestium est, cælestia bonis operibus, & labore velle promereri. *Homo* quippe per ingratitudinē, & desidiam auersus est à *Deo*, ideo per labores, & humilitatem ad Deum est redeundum. *Ergo* fili, quia ista non habuisti, rogemus sanctos Martyres, & confessores, qui talibus diuitijs abundabant, quod tibi auxilientur. Tunc statim sancti apparentes dixerunt. O domina benedicta, tu portasti dominum in te, & tu domina omnium es, quid est quod non poteris? Quod enim tu vis hoc factum est, voluntas tua semper est nostra, Tu merito Mater charitatis es, quia omnes visitas charitate. Iterum apparuit Mater, & dixit militi. Fili adhuc deficit clypeus vobis. Itaque ad clypeum duo pertinent, scilicet fortitudo, & signum domini sub quo militat. Ergo clypeus spiritualis significat considerationem amaræ passionis *Dei*, quæ debet esse in sinistro brachio iuxta cor. Vt quoties animum delectat voluptas carnis, considerentur liuores Iesu Christi. Quoties vero pungit, & contristat animum despectio, & aduersitas mundi, rememorentur paupertas, & opprobria Christi. Quoties vero delectat honor, & longa vita carnis, recogitetur amara mors, & passio Christi. Talis clypeus debet habere fortitudinem perseuerantiæ in bono, latitudinēque charitatis. *Signum* vero clypei, debet esse de duobus coloribus, quia nihil clarius, & longius prospicitur quam quod de duobus coloribus fulgentibus est compactum. *Duo* autem colores, quibus clypeus considerationis passionis diuinæ decoratus sunt continentia affectuum inordinatorum puritasque, & refrenatio motuum carnis. His enim duobus illustratur clypeus. Et Angeli videntes congratulando gaudent dicentes. Ecce signum puritatis, & societatis nostrę, adiuuare tenemur militem istum. Demones vero videntes militem his signis clypei decoratum clamabunt. Quid faciemus, ò socij? Iste miles terribilis est in congressione, decorus in armis. In lateribus eius sunt arma virtutum. In tergo castra Angelorum. A sinistris vigilantissimum habet custodem scilicet Deum. In circuitu plenus est oculis, quibus inspicit malitiam nostram. *Impugnare* eum quidem possumus, sed in confusionem nostram, quia nequaquam præualemus. O quam fœlix est talis miles, quem Angeli honorant, & cuius timore demones contremiscunt. Veruntamen fili, quia iustum clypeum nondum obtinuisti, rogemus sanctos Angelos puritate spirituali nitentes, vt te iuuent. *Iterum* loquitur Mater. Fili adhuc deficit nobis gladius. Itaque ad gladium duo pertinent. Primo, quod habeat duas acies, secundo, quod sit bene exacuatus. Gladius vero spiritualis, est confidentia in *Deo* ad præliandum pro iustitia, *hæc* autem confidentia duas debet habere acies scilicet rectitudinem iustitiæ in prosperis tanquam à dextris, & gratiarum actionem in aduersis, tanquam à sinistris. Talem gladium habuit ille bonus Iob, qui in prosperis obtulit sacrificium pro filijs, qui pater erat pauperū, & ostium eius viatori patuit. Qui in vanitate non ambulauit, nec concupiuit aliena, sed timuit *Deum*, sicut sedens super fluctus maris. *Habuit* quoque gratiarum actionem in aduersis, quando perditis filijs, & bonis quando conuiciatus ab vxore, & percussus vlcere pessimo, sustinuit patienter dicens. Dominus dedit dominus abstulit, sit ipse benedictus. *Hic* quoque gladius debet esse bene exacuatus, conterendo impugnantes iustitiam, vt Moyses, & Dauid. *Habendo* zelum legis vt Phinees. Loquendo constanter vt *Helias*, & *Ioannes*. O quam multorum gladius nunc nimis hebetatus est qui si loquuntur verbo, digito non mouent, Quærentes amicitiam hominum, & gloriam *Dei* non attendunt. Ergo, quia gladium talem non habuisti, rogemus Patriarchas, & prophetas, qui talem confidentiam habuerunt, & dabitur nobis confidenter.

6 Iterum apparuit *Mater* dicens militi. 6. *Ad* huc

huc fili necessarium est tibi coopertorium super arma, quo arma defendantur a rubigine, & ne a pluuia maculentur. Hoc autem coopertorium est charitas, velle mori pro Deo. Et etiam si possibile esset sine Dei offensa, separari a Deo pro salute fratrum. Hæc charitas operit omnia peccata, conseruat virtutes; mitigat iram Dei, omnia facit possibilia, deterret dæmonia, gaudium est Angelorum. Hoc vero operimentum debet esse intus album, & ab extra fulgens, quasi aurum. Quia vbi zelus diuini amoris est, ibi veraque munditia non est neglecta. Hac itaque charitate abundabant Apostoli, ideoque rogandi sunt, vt tibi auxilientur. Iterum apparuit Mater dicens. Adhuc tibi fili necessarius est equus, & sella. Itaque per equum spiritualiter intelligitur baptisma. Sicut enim equus prouehit hominem ad aliquam perficiendam viam, habens quatuor pedes, sic baptisma, quod per equum intelligitur, prouehit hominem ante conspectũ Dei, habens quatuor effectus spirituales. Primus est, quod baptizati liberantur a diabolis, & obligantur ad mandata, & seruitia Dei. Secundus est, quod purgantur a peccato originali. Tertius est, quod filij Dei efficiuntur, & coheredes Dei. Quartus est, quod cælum eis aperitur. Sed heu multi sunt, qui cum ad annos discretionis perueniunt, imponunt equo baptismatis frenum, & abducunt eum per viam falsam. Tunc quippe via baptismatis recta est, & tenetur recte, quando homo infra annos discretionis instruitur, & conseruatur in bonis moribus. Et quando homo peruenit ad annos discretionis, & cogitat sedule, quid in fonte baptismatis promissum est, tenetque fidem, & charitatem Dei inuiolatam. Sed tunc abducitur a via recta, & imponitur frenum, quando mundus, & caro præponuntur Deo. Sella vero equi, idest baptismi, est effectus amaræ passionis, & mortis Iesu Christi, per quem baptismus obtinuit effectum. Quid enim est aqua, nisi elementum. Postquam vero effectus est sanguis Dei, venit ad elementum verbum Dei, & virtus effusi sanguinis Dei. Et sic aqua baptismi, per verbum Dei facta est reconciliatio hominis, & Dei. Porta misericordiæ, expulsio dæmonum. Via cæli, venias peccatorum. Ergo, qui in virtute baptismi gloriari voluerit, cogitet primo amaritudinẽ institutionis baptismalis effectus. Vt cum mens humana contra Deum intumuerit, cogitet quam amare redemptus sit. Quoties etiam votum baptismi transgressus est. Quid ve pro tanta reciduatione promeretur. Item, vt homo firmiter in sella baptismalis effectus sedeat, necessariæ sunt duæ strigiles, scilicet duplex consideratio in oratione. Primo orare debet taliter. O domine Deus omnipotens, benedictus sis tu, quia me creasti, & redemisti. Et dum damnatione dignus essem, in peccatis tolerasti, & ad pœnitentiam reduxisti. Recognosco Domine coram maiestate tua, omnia quecumque dedisti mihi ad salutem inutiliter, & damnabiliter me expendisse, videlicet tempus pœnitentiæ meæ in vanitatibus, corpus in superfluitatibus, gratiam baptismi in superbijs, Et omnia dilexi plus quam te creatorem, redemptorem, nutritorem, & conseruatorẽ meum. Et ideo misericordiam tuam peto, quia miser sum ex me, & quia non agnoui benignam patientiam tuã in me. Non timui horrendam equitatem tuam. Non attẽdebã quid tibi pro innumerabilibus bonis tuis respõderem, sed contra me de die in diem, te malis meis prouocabam propterea non habeo, nisi vnicum verbum ad te, scilicet. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Item secunda oratio sit talis. O Domine Deus omnipotens, scio me omnia habere a te, nihil esse a me. nec posse, nisi solummodo hoc, quod ego ipse feci secundum peccatum. Ideo deprecor humiliter pietatem tuam, vt non secundum peccata mea facias mihi, sed secundum magnam misericordiam tuam. Et mitte mihi spiritum tuum sanctum, qui illuminet cor meũ, & confirmet in viam mandatorum tuorum, vt in his quæ te inspirante cognoui, perseuerare valeam nullisque tentationibus a te separari. Ergo fili, quia ista deficiunt tibi rogemus illos, qui passionem Dei amarius fixerunt in corde suo, vt tibi tribuant de charitate sua. Quibus dictis, statim apparuit, quasi vnus equus paratus cum ornamentis deauratis. Et respondit Mater. Iste inquit ornatus equi significat dona Sancti spiritus
8 quæ in baptismo largiuntur. 8. In baptismo quippe, siue per bonum, siue per malum ministretur ministrum, remittitur paternũ delictum. Augetur gratia. Dimittur quodcunque peccatum. Datur Spiritus sanctus in pignus. Angeli in custodiam, cœlum in hæreditatem. Ecce fili hæc sunt ornamenta spiritualis militis. Quibus, qui indutus fuerit, accipiet stipendium illud indicibile, quo emitur delectabile perpetuum, honor quietissimus, æternalis abundantia, vita sine fine.

Iste miles fuit Dominus Karolus filius sanctæ Brigittæ.

super Hieremi. cap. 2. qui pedes à nuditate prohibendos esse admonet, vt nostra habeant opera rectitudinem, & hæc opera pedes sunt sponsæ Cant. 5. sic ibi docet D. Greg. Magnus, & super Ezechielem homil. & 31. moral. cap. 8. & pedes Aaron, & filiorum eius bona opera significare testatur Isichius in Leuit. cap. 9. Cum autem legimus, vt obtinendæ spiritualis armaturæ pedum voluntas bona mediante gratia debet esse initium, non est intelligendum, quod iustificationis nostræ in nobis voluntas principium sit, aut quod vitare peccata, & meritoriis actionibus operare, primo à voluntate pendeat, ut semipelagiani hæretici tradiderunt, contra quos Concilia, & præsertim Arausicanum secundum, & sancti patres deffiniunt ad salutis opera facienda omnino necessarium esse auxilium gratuitum, & primam gratiam nullo pacto fundari posse in meritis nostris, eiusque initium in nobis minime esse posse, sed pendere à voluntate simpliciter Dei ad hoc auxilium suum gratis conferentis, & ideo D. Aug. lib. 1. retract. cap. 23. negat in nobis esse initium fidei, affirmatque meritum ab ipsa fide inchoari, qua de re legendi sunt, qui hunc errorem suis scriptis confutarunt, vt D. Prosper lib. contra collatorem, Petrus Diaconus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. D. August. fuse in præfat. psalm. 31. vbi sic incipit gratia Dei iustificationi nostræ, nullis præcedentibus meritis nostris, sed præueniente nos misericordia Dei nostri, &c. & de gratia, & libero arbitrio cap. 6. & sequentis. Fulgentius de Incarnat. & gratia cap. 12. 13. & 17. Cælestinus epist. 1. Conc. Trident. Sess. 6. cap. 5. Dicendum ergo nobis est, voluntatem nostram ad bona opera relatam hic dici quoquomodo initium, vt sæpe contingit, aliquod supernaturale auxilium ex operibus dari, hoc est ex merito vel de condigno, vt cum iustus bene vtendo donis obtentis, ex probabili iam gratia meretur subsequentia, vel de congruo, vt cum peccator bene, & supernaturaliter operans, ex priori auxilio meretur subsequens, & id insinuant nobis illa verba, voluntas bona mediante gratia debet esse initium, quod colligi potest ex D. August. epist. 105. ad Sixtum & epist. 106. ad Bonifatium tom. 2. & hinc fit voluntatem nullatenus dici posse, nec esse initium respectu primæ gratiæ, sed in ordine tantummodo ad subsequentia bona, quæ homo sibi potest promerere mediante gratia bene vtendo supernaturalibus auxiliis, & donis à Deo datis, ex quo recte possumus intelligere celebre illud eiusdem Augustini dictum epistola superius citata 105. aliquanto post initium in homine opera bona ab homine fieri, fidem vero produci, sine qua illa à nullo fiunt homine.

6 Adhuc filij necessarium est tibi cooperatorium super arma, quo arma deffenduntur a Rubigine.

Charitatem hoc loco Christus Dominus coopertorium appellat, quo arma spiritualis militiæ necessaria à rubigine deffenduntur, cum enim, vt ex antecedentibus colligitur, peculiaria arma ad spiritualem vitam optime traducendam virtutes sint, & fuga vitiorum, cumque charitas, vt scribit Apostolorum princeps Petrus in sua prima canonica capite quarto, & Salomon Prouerb. 10. operiat multitudinem peccatorum, sitque cæterarum virtutum forma, & nutrix, sine qua, vt admonuit Augustinus epistola 105. ad Sixtum Presbyterum nullus veram virtutem, nec castum timorem, nec veram sapientiam, nec religiosam 7
continentiam habere potest. Inde fit, eam recte hoc loco coopertorium appellari, quo arma spiritualia a rubigine deffenduntur, id autem, quod immediate sequitur, nimirum (etiam si possibile esset sine Dei offensa separari à Deo pro salute fratrum) hoc idem esse censeo, quod aliquando Apostolum Paulum dixisse legimus Rom. 9. optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, quod sane nullo pacto intelligendum est de separatione, quæ per peccatum mortale à Deo fit, neque optauit Paulus propter Iudæorum conuersionem deleri de libro vitæ, sed vt tradunt Origenes in commentar. epistolæ ad Romanos, & 8
Diuus Hieronymus quæst. 9. ad Algasiam, ex charitate desiderasse non spiritu, sed carne, hoc est per corporalem mortem à fratribus separari, seu pro illis mori, & mortificari, hanc tamen interpretationem Diuus Chrysost. Ho. 16. in epistola ad Romanos, & libr. 3. de prouidentia Dei reiicit existimans, hunc textum, non de corporali morte esse simpliciter intelligendum, quomodo inquit optasset Paulus à Christo anathema fieri, hoc est separari ab eo per mortem carnis, cum mors ipsa magis ad eum chorum, qui cum Christo est coniungat. Et ipsius gloria potiri faciat vermicularum est itaque in lato latitantium ista suspicio, vterque enim tam Moyses quam Paulus, cum hæc dicerent, non solum cogitatione transcenderunt omnes præsentis vitæ agones, ac mortem, sed etiam pro Deo, quem magis, quam se ipsos diligebant, cælos, & Angelos supergredientes omnia inuisibilia spreuerunt, ac pro Dei amore ab ipsa Dei fruitione, & ineffabili gloria excidere, non tamen petierunt, sed quod magis est etiam optarunt, hactenus D. Chrysost. qua de re legendi sunt Theodoretus, Dyonisius Carthusianus, Lyranus, & Benedictus Pererius ibidem, qui plura ad huius loci intelligentiã afferunt. quantum vero spectat ad præsentis notæ interpretationem, nempe ego verba, hæc (scilicet si possibile esset sine offensa Dei separari à Deo pro salute fratrum) scripta esse hic, per quandam exagerationem, & emphasim, vt sic commode exprimatur, quantus debeat esse amor noster, ac dilectio proximi, vt etiam nobis pro eius salute separari optandum sit à Deo, si absque illius offensa fieri posset, quod sane, & corporali

morte, & quauis alia pœna execrabilius est. & Christiano homini maxime fugiendum, ac timendum, Vt in hunc quoque sensum accipi posse verba Pauli Apostoli loco supracitato crediderim, cum enim Romanorum 8. dixisset, quis separabit nos a charitate Christi tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius, modo in sequenti capite fratrum conuersionis anxius, vt illi salutem consequantur etiam pro his a Christo separari optat, non quidem quia eos seruatori Christo præferat, sed vt maximum in eos amorem suum sic exprimat.

7 Quid enim est aqua nisi elementum; postquam vero effusus est sanguis Dei, venit ad elementum verbum Dei, & virtus effusi sanguinis Dei.

Quoniam nouæ legis sacramenta à Christo Domino instituta sunt, & eorum vis, ac efficacia ab eius passione principaliter pendet; propterea hic loco legimus, non nisi post Christi sanguinis effusionem accessisse ad elementum verbum Dei, & tunc vere sacramentum factum esse, quod etiam animaduertit D. Augustinus tract. 80. in Ioannem, cum dixit, accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

8 In Baptismo quippe siue per bonum siue per malum ministretur ministrum remittitur paternum delictum.

Omnino credendum est, quod sancti Patres suis scriptis affirmarunt, Sacramentum Baptismi à malis ministris collatum firmum ratumque esse, ac gratiæ fructum nullatenus impediri, nisi iis, qui suscipit, Spiritui sancto velit per peccatum obsistere, seque tanto bono fraudare: modo huiusmodi ministris ea forma, ac materia vtantur, quam ex Christi institutione semper catholica seruauit Ecclesia, idque facere intendant, quod ipsa in his administrandis facere consueuit, tunc enim vere paternum remittitur delictum, vt scribitur hic: originale videlicet peccatum, quod ad nos à primis nostris parentibus transiuit, augetur etiam gratia, & quodlibet aliud condonatur peccatum; idque ex eo, vel maxime contigit, quoniam hi quidem ministri in illa sacra functione non suã, sed Christi personã gerunt, Propterea D. August. tract. 5. in Ioannem, si inquit superbus fuerit minister cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit, optime ergo sancti patres ex D. Ioannis Euangelio colligunt, Iudam Iscariotem Baptizasse plurimos, ex quibus tamen neminem iterum Baptizatum fuisse inuenimus, vt mirum non sit si D. Augustinus loco supracitato scriptum reliquerit, dedit baptismum Iudas, & non Baptizatum est, post Iudam dedit Ioannes, & Baptizatum est post Ioannem, quia si datum est à Iuda Baptisma erat, quod autem à Ioanne datum est Ioannis erat, idem probat lib. 2. contra epistolam parmeniani ca. 13. & si in illis Baptismus nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuit non potest dici non datum, quamuis recte dici possit illicite datum. constat hoc etiam ex cap. A quodam Iudeo de consecra. dist. 4. vbi Nicolaus Papa definit, verum esse Baptismum datum à Iudeo sub debita forma. & clarius habetur in cap. Romanus eadem dist. vbi legimus Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet paganus sit, qui baptizat, docet hoc etiam D. Thom. 3. par. qu. 67. ar. 3. ad primum, & affirmat Conc. Trid. Sess. 7. can. 4. vbi definit Baptismum datum ab hereticis, cum debita intentione, & forma esse verum Baptismum.

VERBA SPONSAE PRAECantia ad Christum, & ad Virginem laudes optimas inducendo. Et responsio Virginis consolatoria ad filiam; probans per exempla exposita, quod Deus iusto iudicio frequenter de mendacio diaboli permittit, vt virtus Dei fiat manifestior, & quomodo tribulationes inductiuæ sunt ad spiritualia bona.

CAP. LXXV.

BENEDICTVS sis tu Deus meus, Creator, & Redemptor meus. Tu es stipendium illud, quo à captiuitate redempti sumus, quo ad salutaria cuncta dirigimur, quo vnitati, & spiritati sociamur. Propterea, & si de seditate mea erubesco, gaudeo tamen, quod tu qui semel pro salute nostra mortuus es, nunquam amplius morieris. Tu enim vere ille es, qui etiam ante sęcula eras. Tu es qui potestatem habes, & vitæ, & mortis. Tu solus es bonus, & iustus. Tu solus omnipotens, & metuendus. Ideo tu sis benedictus in æternum. Sed quid de te dicam? ò benedicta Maria mundi tota salus. Tu es illi similis, qui amico dolenti de perdita re, subito fecit videri, quod perditum erat, quo mitigabatur dolor, creuit gaudium, & mens tota reaccendebatur lætitia. Sic tu dulcissima Mater, ostendisti mundo Deum suum quem homines perdiderant, genuistique eum in tempore, qui ante tempora genitus est, ex cuius natiuitate cœlestia, & terrestria

vestra sunt gauisa. Heu dulcissima Mater rogo te adiuua me, ne gaudeat inimicus meus de me, nec præualeat aduersum me fraudibus suis. *Respondit Mater. Ego* iuuabo te; sed cur turbaris, quod aliud ostendebatur tibi spiritualiter, & aliud audiebatur corporaliter, in eo scilicet, quod ille miles, qui viuit corporaliter, ostendebatur tibi mortuus spiritualiter, & spirituali auxilio indigere. *Sed* audi nunc certitudinem. Omnis namque veritas de Deo est, omneque mendacium à diabolo, quia pater mendacij est. Ideo quamuis veritas ex *Deo* est tamen de malitia diaboli, & mendacio, quod *Deus* quandoque permittit occulto iudicio, virtus *Dei* fit manifestior. *Sicut* per exemplum indicabo tibi. Virgo quedam fuit, quæ sponsum suum tenerrime diligebat, & similiter sponsus virginem, ex quorum dilectione *Deus* glorificabatur, & parentes amborum lætabantur. Quod inimicus eorum considerans, cogitauit taliter. Scio inquiens, quod sponsus, & sponsa per tria conueniunt scilicet per litteras, per mutua colloquia, aut per corporum vnionem. Ergo ne nuncij, & portatores litterarum aditum obtineant, implebo vias omnes stipitibus, spinis, & vncinis. Ne ergo appropinquent ad mutua colloquia, faciam clamores, & strepitus, quibus distrahantur in colloquendo. Ne vero nudi conueniant in lecto statuam custodes tales, qui quamlibet rimam obseruabunt, ne aliquam occasionem obtineant conueniendi. Sponsus itaque astutior hoste intelligens illa, dixit seruis suis. Hostis meus ponit mihi insidias in talibus, & vos illis locis attendite, quod si ita inueneritis, sinite eum laborare donec posuerit laqueos, & postea consurgentes non interficiatis eum, sed deludendo inclamate eum. Vt conserui vestri videntes astutias hostis, efficiantur sollicitiores in vigilando, & custodiendo. Simili modo est etiam in spiritualibus. Nam litteræ quibus sponsus, & sponsa, idest *Deus*, & bona anima conueniunt, nihil aliud sunt, nisi orationes, & suspiria bonorum, sicut enim litteræ corporales, indicant affectum, & voluntatem mittentis eas, sic orationes bonorum ingrediuntur ad cor Dei, & coniungunt animam Deo in vnum vinculum charitatis. Sed diabolus quandoque impedit corda hominum, ne rogent ea, quæ salutis animæ sunt, aut quod carnali voluptati contrarium est. Impedit quoque, ne rogantes pro alijs peccatoribus exaudiantur, qui peccatores pro se vtiliora animæ non petunt, nec rogant ea, quæ sunt ad vtilitatem sempiternam. Quid vero sunt mutua colloquia, quibus sponsus, & sponsa efficiuntur vnum cor, & vna anima, nisi pœnitentia, & contritio. In quibus quandoque diabolus tantum facit clamorem, quod ad inuicem non audiuntur. Quid autem est clamor eius, nisi suggestio eius praua, suggerens cordi fructuose volenti pœnitere, dicendo inspirationibus suis. O anima inquiens delicata, durum est aggredi inconsueta, & insolita, nunquid omnes possunt esse perfecti, sufficit tibi vnum esse de multis, quid maiora attentas? Cur facis, quod nemo facit? perseuerare. n. non poteris. *Deri*deris quidem ab omnibus, si te nimis humilias, & submittis. Talibus igitur anima delusa inspirationibus, cogitat secum graue inquit est consueta relinquere, ideo faciam cõfessio ne de præteritis, sufficit. n. mihi sequi viam plurium, non valeo esse perfecta, *Deus* quippe est misericors. Nec redemisset nos si perire nos voluisset. Talibus clamoribus impedit diabolus animam, ne audiat Deus. Non quod Deus non audit omnia, sed quia in audiendo talia non delectatur *Deus*, quando anima magis consentit tentationi suæ, quam propriæ rationi. Quid vero est, quod Deus, & anima coniunguntur nudi, nisi desiderium celeste, & charitas pura, quibus anima flagrare debet omni hora. Sed hæc charitas impeditur quadrupliciter. Primo instigat diabolus animæ aliquid facere contra *Deum*, quod licet non reputatur graue, tamen delectat animum, & huiusmodi delectatio, quia deuigatur, nec curatur, odiosa est apud *Deum*. Secundo inspirat diabolus animæ aliqua bona facere propter cõplacentiã hominũ, & omittere quandoque bona, quæ posset facere, propter honorem, & timorem mundi. Tertio diabolus immittit obliuionem faciendorum bonorum animæ, & tedium, per quæ animus absorptus, accediatur in faciendo bona. Quarto diabolus sollicitat animam, aut in curis mundialium, aut in gaudio, & dolore superuacuo, seu in timore dispendioso. Per talia itaque impediuntur litteræ, & orationes iustorum, & mutua colloquia sponsi, & sponsæ. *Sed* licet diabolus astutus sit, tamen Deus sapientior, atque fortior est, comminuens laqueos hostium, vt litteræ missæ peruenire valeant ad sponsum. Tunc autem franguntur laquei, quando Deus immittit cogitare, quæ bona sunt, & cor desiderat, vt obtineat voluntatem fugiendi, quæ praua sunt, & faciendi, quæ placita sunt Deo. Dissipatur etiam clamor hostis, quando animã discrete penitet, habens velle confessa non iterandi. Scito etiam, quod diabolus non so-

lum facit clamorẽ,& ſtrepitum his,qui ſunt inimici Dei,ſed etiam amicis Dei, ſicut per exemplum intelligere poteris, quaſi eſſet virgo, cui cum loqueretur vir, apparuit quoddam antipendium inter eos, quod quidẽ vir vidit ſed non virgo. Finita autem collocutione, virgo eleuatis oculis vidit antipendium, & timens cogitauit ſecum. Prouideat inquit Deus, ne forte laqueis hoſtis ſim decepta. Sponſus vero videns virginem contriſtatam, remouit antipendium,& oſtẽdit ei omnem veritatem. Sic etiam perfecti homines, viſitantur inſpirationibus diuinis, quibus diabolus facit tunc clamores, quando vel eleuantur ſuperbia ſubita, aut eijciuntur nimio timore, ſeu inordinate condeſcendendo tolerant aliorum peccata, aut nimia lætitia, vel triſtitia diſſoluuntur. Similiter factum eſt, & tecum. Diabolus quippe inſtigabat quoſdam ſcribere tibi filium eſſe mortuum, qui viuebat, vnde magnum concepiſti dolorem. Sed Deus oſtendit ſpiritualem mortem eius, vt quod ſcriptores dixerunt corporaliter eſſe falſum, hoc Deus conſolando te ſpiritualiter oſtendit eſſe verum. Ideo verum eſt quod dicitur, quod tribulationes inductiue ſunt ad ſpiritualia bona, quia niſi propter mendacium auditum,fuiſſes contriſtata, tanta virtus,& pulchritudo animæ oſtenſa tibi non fuiſſet. Propterea vt intelligeres occultam Dei diſpenſationem, quaſi quoddam antipendium erat inter animam tuam,& Deum loquentẽ, & quia anima apparuit in ſpecie indigentis auxilio, & Deus in omni locutione ſua iſtã obſeruauit cõcluſionem, verum inquit mortuus eſt, vel viuit,ſcias tempore ſuo. Oſtenſa vero pulchritudine animæ,& ornatu,quo anima perfici debet ad ingreſſum cæli, ablatum eſt antipendium,& oſtenſa veritas,ſcilicet,quod homo ille corporaliter viuebat,& ſpiritualiter erat mortuus,& talibus virtutibus armari debet, quicumque patriam cœleſtem eſt ingreſſurus. Veruntamen diaboli intentio fuit iſta, vt videlicet probaret te per mendacium,& tribularet. Et vt doſendo de ſubtractione, tam chari amici diſtraheret te ab amore Dei, ſed poſtquam dixiſti, prouideat Deus ne forte iſtud ſit illuſio,& dixiſti Deus adiuua me. Tũc ablatum eſt velamen, & oſtenſa eſt tibi veritas a Deo, tam corporalis,quam ſpiritualis.

Ideo ergo permittitur diabolo etiam tribulare iuſtos,vt eorum corona augeatur.

VERBA VIRGINIS AD Filiam oſtendentia, qui ſunt amici Dei. Et quomodo pauci inueniuntur modernis temporibus aſſignando omnem ſtatum, tam laicorum, quam clericorum. Et quæ eſt cauſa, quare Deus diues dilexit paupertatem, & qualiter elegit pauperes, & non diuites, ad quem finem diuitiæ fuerunt conceſſę Eccleſię.

CAP. LXXVI.

MATER LOQVITVR Sponſæ chriſti. Cur turbaris filia, quia inquit timeo mitti ad induratos? Et mater. Vnde inquit intelligis induratos aut amicos Dei? Et illa. Neſcio diſcernere, nec de aliquibus iudicare audeo, quia duo homines oſtenſi ſunt mihi prius,quorum alter humillimus, & ſanctiſſimus iudicio hominum apparebat. Alius vero largus,& ambitioſus, quorum tamen intentio,& voluntas diſcordabant ab opere, vehementer turbaront intellectum meum. Reſpondit Mater. Ex his quæ aperte videntur mala, iudicare permittitur,animo ſcilicet compatiendi, & corrigendi. De dubijs vero, quæ quo animo fiunt nunquam certa, iudicare non eſt tuum. Propterea indicare tibi volo,qui ſunt amici Dei. Scito itaque illos eſſe amicos Dei, qui acceptis donis Dei timidi ſunt,& pro his omni hora regratiantur Deo, & ſuperflua non requirunt, ſed de datis contentantur. Sed vbi inueniuntur illi tales? Inquiramus primo in communitate. Quis eſt, qui dicat ſufficit, maiora non quæro? Inquiramus in militibus,& dominis alijs quis eorum cogitat taliter,bona,quę habeo hæreditate acquiſiui,& de his ſuſtentamentum meum moderatum, iuxta ſtatum meum Deo,& hominibus conuenientem requiro, cætera vero Deo, & pauperibus communicabo. Si vero bona iſta hæreditaria ſcirem acquiſita male, aut reſtituerem, aut dimitterem conſilio electorum ſpiritualium ſeruorum Dei. O filia,talis cogitatio rara eſt,ipo certa. Inquiramus etiam in Regibus,& in Ducibus, quis ſtat in laudabili ſuo ſtatu. Ille quippe eſt Rex,qui in moribus ſuis eſt, ſicut Iob, in humillitate, ſicut Dauid in zelo legis, vt Phinees, vt Moyſes in manſuetudine, & longanimitate. Ille quoque eſt dux, qui regis exercitum regit,& informat ad prælia, qui fiduciã habet in Deo,& timorem, vt Ioſue, qui vtilitatem

domi-

domini sui plus quærit, quam propriam, vt Ioab, qui zelum legis, & commodum proximorum diligit, vt Iudas Machabeus.

Talis dux similis est vnicorni, qui acutum habet cornu in fronte, & sub cornu lapidem preciosũ. Quid aũt est cornu Ducis nisi cor virile Ducis, quomodo pugnãdũ est fortiter, Hostesq; fidei feriẽdi. Lapis vero sub cornu Ducis est charitas diuina, quę iugiter in corde manẽs, reddit eũ ad oĩa agilẽ, & inuictũ. Sed tunc Duces similiores sunt hedis lasciuis, quam vnicornibus, quia vbique pugnant pro carne, non pro anima, nec pro Deo. Inquiramus ergo in regibus, quis eorum non grauat subditos suos propter superbiam suam. Quis tenet statum suum iuxta redditus coronæ, quis restituit ea, quæ corona detinet iniuste? Quis est, qui exoccupat se ad faciendam iustitiam propter Deum, vtinam filia in mundo reges tales appareant, vt glorificetur Deus. Inquiramus insuper in clero, quorum est diligere continentiam, paupertatem, & deuotionem, & certe hi etiam à via recesserunt. Quid autem sunt clerici, nisi pauperes, & eleemosinarij Dei? vt viuentes de oblatione Dei, tanto essent humiliores, & ad Deum feruentiores, quanto à curis mundi plus debent esse segregati. Ideo, & à tribulatione, & paupertate primum surrexit Ecclesia, vt Deus esset hæreditas eorum, & nõ in mundo, nec in carne, sed in Deo glorientur.
1 1. Sed nunquid filia non potuisset Deus elegisse Reges, & Duces in Apostolos, & tunc per eos hæreditate terrena ditata fuisset Ecclesia? Potuisset quidem, sed diues Deus venit in mundum pauper, exemplo, vt terrena ostenderet transitoria esse, & vt homo domini sui, addisceret, nec erubesceret paupertatem, sed ad veras diuitias, & cęlestes festinaret. Ideo cum paupere piscatore, inchoabat pulcherrimam dispositionem Ecclesiæ, & posuit eum in locum suum, vt de sorte domini, non de hæreditate, viueret in hoc mundo. Itaque à tribus bonis cepit Ecclesia. Primo à feruore fidei. Secundo a paupertate. Tertio ab effectu virtutum, & miraculorum. Hæc quoque tria fuerunt in beato Petro. Nam habuit feruorem fidei, quando libera voce Deum suum confessus est, & pro eo mori non dubitauit. Habuit etiam paupertatem, quando circumeundo mendicabat, & laborando manibus se pascebat. Veruntamen in spiritualibus erat diues, quod maiũs est, quando scilicet claudo dedit gressum, quod nullus principum potuit, cui aurum, & argentum dare non habebat. Sed nunquid Petrus non obtinuisset aurum, qui suscitauit mortuum si voluisset? vtique, sed exonerauit se ab onere diuitiarum, vt expeditus intraret cœlum, & vt magister ouium, humilitatis exẽplum daret ouibus, quia humilitas, & paupertas aut spiritualis aut corporalis, ingressus est in cœlum.
2 2. Tertio fuit in eo effectus miraculorũ, quia prętermissis altioribus miraculis, etiam ad vmbram Petri infirmi sunt sanati. Ergo, quia habuit secum perfectionem virtutum, quæ est contentari de necessarijs, & ideo lingua eius clauis cœli facta est, & nomen eius in benedictione est in cælis, & in terris. Qui vero nomina sua vocauerunt in terris, & stercora, idest terrena dilexerunt, neglecti sunt in terris, & in libro iustitię diuinæ horribiliter sunt descripti. Veruntamen Deus ostendere volens, quod non paupertas Petri, nec aliorum sanctorum coacta erat, sed spontanea, ideo incitabat animos multorum ad largiendum eis. Sed ipsi plus in paupertate quam in sentibus diuitiarum gloriabantur, propterea, & quo plus abundabat in eis paupertas, tanto deuotio cumulatius augebatur. Et quidem mirum, qui enim partem suam, & gaudium posuerunt Deum, quomodo poterit Deus abesse eis? Qui vero delicias mundi appetebant, quomodo potuit eis dulcescere Deus? immo peregrinus erat in oculis eorum.
3 3. Processu vero temporis, vt amici Dei feruentiores, & expeditiores essent ad prædicandum verbum Dei, & vt sciretur, quod non diuitiæ malæ sunt, sed abusus earum; ideo sub Siluestro, & alijs, bona temporalia Ecclesiæ data sunt, quas viri sancti longo tempore, ad solam necessitatem suam, & amicorum Dei, pauperum sustentationem dispensabant. Ergo tales scito amicos Dei, qui contentantur de dispositione Dei, qui & si tibi non sunt cogniti, filius meus subtilius videt eos, quia in duro metallo multoties inuenitur aurum, & de duro silice extrahitur scintilla ignis. Vade itaque secura, quia prius clamandum est, & postea faciendũ, quia nec filius meus in carne manens omnem simul iudeam conuertit. Nec Apostoli simul, & semel gentilitatem, sed tempora longiora habenda sunt ad perficiendum opera Dei.

Digitized by Google

NOTAE.

1 Sed nunquid filia non potuisset Deus elegisse Reges, & Duces in Apostolos, & tunc per eos hæreditate terrena, ditata fuisset Ecclesia.

Beatissima Virgo hoc loco Brigittam certiorem facit, quare Deus Apostolos non potentes, & diuites, sed pauperes, & impotentes elegerit, cuius rei duas hic legimus causas, quarum prima est, vt homines sui exemplo magistri adiscerent terrena negligere, quæ caduca, & mobilia sunt: secunda ne paupertatem erubescerent, sed temporalibus diuitijs posthabitis cælestia sibi comparare studerent, cæterum sancti patres propositæ dubitationis causas inuestigantes affirmarunt, idcirco Christum humiles, nec sapientes, aut doctos, vel nobiles ad Apostolatus officium assumpsisse, ne diuitiarum, aut nobilitatis intuitu ad suam gratiã eos traxisse videretur, neque Euangelij fructus humanis viribus, aut scientiæ, aut prudentiæ hominum ascriberetur, sed veritati tantummodo passionis suæ, & efficaciæ, ac etiam prædicationi tribueretur, vtque per ea, quæ stulta, ac infirma mũdi sunt, fortes, & sapientes confunderet: hinc Paulus 1. Corint. 1. dicebat videte vocationem vestrã fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes non multi nobiles, sed stulta mundi elegit Deus, vt fortia confundat, addit, & aliam causam D. Augustinus in expositione psalmi 65. ad illa verba date gloriam laudi eius: si doctos inquit primos elegisset doctrina sua merito se electos putarent, & ita illorum scientia laudaretur, & laus Christi gratiæ minueretur, & serm. de Apostolis de hac electione verba faciens, non inquit de foro Iustiniani, sed de simplicitate piscatoria Apostolos assumpsit, inflat enim sapientia huius mũdi. & legum ventosa loquacitas, elegit non Reges, non Senatores, non Philosophos, sed plebeios, pauperes, indoctos, piscatores, ineruditos liberalibus disciplinis, non peritos grammatica non armatos dialetica, non Rethorica inflatos, hoc ipsum latius explicat D. Chrisost. siue quisquis fuerit auctor operis imperfecti homil. 7. similitudine quadam artificis, qui gemmas videns pretiosas, & non dolatas elegit illas non quod sint, sed quod fieri possint habens enim artis scientiam bonum in compositum non contemnit sic, Dominus videns Apostolos non eorum elegit opera, sed corda, nec quasi Apostolos eligit eos, sed quia fieri poterant Apostoli, idem habet Clemens Alexandrinus libr. 6. stromatum.

2 Tertio fuit in eo effectus miraculorum, quia prætermissis altioribus miraculis etiã ad vmbram Petri, infirmi sanati sunt.

Tanta Apostolorum Principi edendi miracula virtus à Christo concessa est, vt & egro tãtum morbos sui tantummodo corporis vmbræ contactu sentiret, & idcirco actorum quinto scripsit D. Lucas Euangelista, quod in plateas eiciebant infirmos, & in lectulis, & in grabatis ponebant, vt veniente Petro saltem obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis, qua in re non deffuerunt, qui dixerint Petri miracula insigniora, ac præstantiora fuisse miraculis Christi Domini, sic D. Dyonisius Cartusianus actorum quinto, & ibidem Theodorus heracliensis, Rupertus, Beda, & D Augustinus in Ioan. tract. 71. & 72. maius inquit fuit vmbra sua trãsitu quod discipuli fecerunt, quam fimbriæ suæ tactu, quod ipse omnes fecit sanari languentes, & hoc illud est, quod Dominus illis pollicitus fuerat Ioan. 14. Amen Amen dico vobis, qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, neque tamen censendum est hoc Christo derogasse, quia non sua Petrus, sed Christi virtute ea fecit, quod etiam, & nos annotauimus supra hoc eodem lib. cap. 74. nota secunda, & obseruarunt in locum D. Ioan. citatum, Beda, Eutimius, & Theophilatus. Theodorus vero heracleotes tribus rebus Apostolorum miracula Christi miraculis censuit excelluisse primũ, quod ipsa per se maiora fuerint, vt de vmbra Petri dictum est, secundo, quod Christus nullum nisi beneficij loco miraculum fecerit, quale est mortuos suscitare, ægrotos curare, Apostolos vero multa miracula non ea solum, quæ ad hominum beneficientiam, sed etiam quæ spectarent ad pœnam fecisse, vt actorum quinto, & nono legimus Petrum Ananiam et Sapphiram solo verbo intermisse, & Paulum Elymam magum excæcasse actorum 13. & Corinthum illum sathanæ vexandum tradidisse 1. Corin. 5. Tertio Christum tantummodo in iudea, Apostolos vero per totum terrarum orbem miracula patrasse, addit Rupertus Christum non nisi vna locutum lingua, Apostolos omnibus, quod & si non ad magnitudinem miraculorum ad celebritatem saltem spectare affirmauit.

3 Processu vero temporis, vt amici Dei feruentiores, & expeditiores essent ad prædicandum verbum Dei, & vt sciretur, quod non diuitiæ malæ sunt, sed abusus earum, ideo sub Siluestro, & alijs bona temporalia ecclesiæ data sunt.

Ex verbis præsentis notæ duplex deducitur causa quapropter Ecclesiæ bona temporalia collata sint, primo quidem ne amici Dei in sibi comparandis ad victum, & vestitum necessarijs solliciti fierent, & inde a verbi Dei prædicatione impedirentur, & tepidi, ac negligentes euaderent: ideo legimus Matt. 10. Marci 6. & Lucæ 9. Christum Dominum Apostolis præcepisse, vt de pedibus puluerem excuterent in signum excussionis diuitiarum appetitus, ac sollicitudinis, a quibus abstinere penitus debuerant, promisit ergo Deus ad hanc tollendã sollicitudinẽ ecclesiã diuitijs abundare vtque

etiam

etiā palam fieret diuitias minime malas esse, sed illarū tantummodo abusum. Cæterum hoc loco legimus sub Siluestro Pontifice sanctissimo, plura illi fuisse donata ab Imperatore Constantino, quem non nisi diuinitus inspiratum id fecisse credimus, ad maiorem totius Ecclesiæ, ac Fidei Catholicæ amplitudinem, & maiestatem, præterquam quod ab eo quasi in remunerationem pro salute, victorijs aliisque comparatis, cæterisque beneficijs acceptis factam esse credendum est, sicque a Pontifice Siluestro huiusmodi donationem approbatam fuisse, in eaque Summos Pontifices hactenus perseuerasse, vt constat distinct. 96. cap. Constantinus 1. & 2. & tradit Albertus Pighius lib. 5. Hierarch. Ecclesiasticæ cap. 16. & Maior in 4. dist. 15. q. 10. part. 2. & inter Iuris peritos Bartolus, Panormitanus, & alij plures, quos citat Ludouicus Molina de iustitia & Iure tract. 2. disp. 25. Siluester in verbo Papa quæst. 10. Cardinalis Baronius Tomo 3. Annalium anno Christi 324. car. 127.

VERBA SPONSAE AD Christum, magnificam misericordiam quam Christus cum ea fecit manifestantia, & verba Christi ad Sponsam, eandem misericordiā dulciter in Sponsa conformantia. Et qualiter ipsam elegit in vas implendum vino, & per ipsam seruitoribus Dei propinando, & de grata interrogatione, & humili Sponsæ ad Christum.

CAP. LXXVII.

HONOR SIT omnipotenti Deo pro omnibus quæ creata sunt, laus sit ei pro omnibus suis virtutibus. Decus & seruitium reddatur ei pro omni charitate sua. Ego indigna persona, quæ a iuuentute mea multa contra te Deum meum deliqueram, regratior tibi dulcissime Deus meus. Et pro hoc maxime, quod nullus ita criminosus est, quod ei misericordiam tuā denegas, qui cum charitate, & vera humilitate misericordiam a te postulat, cum proposito emendandi. O charissime Deus, & omnium dulcissime, mirabile omnibus audientibus est illud quod tu mecum fecisti.

Nam quando placet tibi tunc sopis corpus meum, non tamen sopore corporali, sed quiete spirituali. Animam autem meam tunc quasi a somno excitas ad videndum, & audiendum, atque sentiendum spiritualiter. O Domine Deus, o quam dulcia sunt oris tui verba. Videtur vero mihi quoties verba spiritus tui audio, quod anima mea in se illa deglutiat cum quodam sentimento ineffabilis dulcedinis, sicut suauissimum cibum, qui cadere videtur in cor corporis mei, cum magno gaudio, & ineffabili consolatione. Mirabile tamen hoc esse videtur, quod dum verba tua audio, tunc vtrumque efficior, scilicet satiata & famelica, propter hoc autem satiata, quia tunc nihil aliud mihi libet nisi illa, propter hoc vero famelica, quia semper augetur appetitus meus ad illa. Benedictus igitur sis tu Deus meus Iesu Christe, da ergo mihi Domine auxilium tuum, vt omnibus diebus vitæ meæ, quæ tibi placita sunt, perficere valeam. Christus autem respondit, dicens: Ego sum sine principio, & sine fine, & omnia creata sunt ex potentia mea, & ordinata ex sapiētia mea, omnia etiam reguntur ex meo iudicio, nihilque mihi impossibile est, & vere omnia opera mea cū charitate sunt disposita. Et ideo nimis durum est illud cor, quod non vult diligere me, nec me timere, cum sim vtrūque, scilicet omnium hominū nutritor & iudex; Diaboli autem, qui lictor meus est, & ipsorū hominum proditor, voluntatem faciunt. Ipseque denique tam pestiferum virus in mundo propinauit, quod viuere non potest anima, illud delectabiliter prægustans, sed mortua in infernum cadit, in miserijs tamen æternaliter victura. Hoc autem virus peccatum est, quod licet multis dulciter sapit, in fine tamen horribiliter amarescit. Hoc certissime venenum, de manu diaboli bibitur cum delectatione omni hora, & quis talia
2 audiuit vnquam, aut maius mirum? Præbetur enim hominibus vita, & ipsi mortem eligunt, & voluntarie amplectuntur. Ego autem qui potēs sum super omnia, compatior eorū miseriæ, & angustiæ magnæ. Ego enim feci sicut rex diues & charitatiuus, qui mittens familiaribus seruitoribus suis preciosū vinum, diceret, ita propinate pluribus vinū quàm vobis solis, quoniam valde salubre est. Hoc enim ægris sanitatem reddit, mestis consolationem, & sanis hominibus cor virile. Vinum etiā non mittitur sine vase. Vere sic ego feci in regno hoc. Ego quidem seruitoribus meis misi verba mea, quæ vino optimo comparantur, & ipsi alijs ea dabunt, quoniam salubria sunt. Per vas autem te intelligo, quæ verba mea audis. Nam tu vtrumque fecisti, quia verba audisti, & protulisti, quia tu es vas meum proprium, quod implebo dum voluero, & ex quo,

dum

frequenter dormientes eorum, quæ viderunt, quæve in somnijs dixerunt non recordantur, & multoties inscij sunt, secus vero patientibus ecstasim accidit, qui cum sensibus restituuntur, tunc magis suas mentes supernaturali lumine illustratas esse sentiunt, quod etiam euidenter probatur ex verbis præsentis capitis, quæ sunt: O Domine Deus, ō quam dulcia sunt oris tui verba, & alia quæ sequuntur, quæ omnia a B. Brigitta
dicebantur post ecstasim, quando Deo de sibi reuelatis gratias agebat. 1

2 Præbetur enim hominibus vita, & ipsi mortem eligunt.

Præsentis notæ verba de spirituali vita, & spirituali morte intelligenda esse arbitror, quod manifeste deducitur, tum ex antecedentibus, tum etiam consequentibus: agitur namque de his, qui peccantes dicuntur voluntariam mortem eligere, quoniam excludunt a se gratiam, quæ vera est vita animæ, & peccatum mortale committunt, per quod occiditur anima, vt Sapient. 16. dicitur: Homo per malitiam occidit animam suam, & hæc proprie mors spiritualis appellatur, vt annotauimus supra hoc eodem lib. cap. 71. nota secunda.

VERBA SPONSAE DIVInitus reuelata, immo ab ore dulcissimo Virginis gloriosæ clare, & absque antipendio Sponsæ directa, & promulgata, &c.

CAP. LXXVIII.

VESTRAE honorandæ Paternitati. Ego vidua quedam significo, quod mulieri cuidam in sua patria existenti multa valde miraculosa sunt reuelata, quæ diligenti examine Episcoporum, ac magistrorum claustralium, & secularium Clericorum probata sunt, ex pia & mirifica sancti Spiritus illustratione, & non aliunde processisse, quod etiam illius regni Rex, & Regina nouerunt
1 probabili ratione. 1 Eadem itaque mulier ad vrbem Romanam peregre profecta est, quæ die quadam in Ecclesia maiori beatæ Virginis orationi vacans, rapta est in spiritualem visionem, corpore tanquam in grauedinem ducto, sed non tamen in somni grauedinem. In illa denique hora apparuit ei quædam reuerendissima Virgo. Mulier autem prædicta admiratione visionis turbata, fragilitatem suam recognoscens, diaboli timebat fraudulentiam, diuinæ pietati intime supplicans, ne permitteret eam in diabolica cadere tentamenta. Virgo igitur quæ ei apparebat, ait: Ne timeas ea, quæ nunc videris, seu audieris, a spiritu mali-
2 guo fore existimans. 2 Quemadmodum enim cum solis appropinquatione duo veniunt, lux videlicet & calor, hæc autem caliginosam vmbram non sequuntur. Simili modo cum Spiritussancti aduentu, in cor hominis hæc duo veniunt, ardor videlicet diuinæ charitatis, & Catholicæ Fidei perfecta illuminatio. Hæc autem duo in teipsa nunc sentis, ita quod nihil diligis sicut Deū, & in Catholicæ Fidei integritate, tibi non deficit vnus punctus. Sed hæc duo malignū spiritum, qui vmbræ caliginosæ comparatur, non sequuntur. Deinde eadem Virgo subiunxit, dicens eidem mulieri: Tu debes verba mea mittere tali Prælato ex parte mea. Cui cum magno mœrore mulier respondit, dicens: O mea Reuerenda Virgo non credet mihi, sed magis sicut existimo, habebit verba pro derisu, quām pro diuina veritate. Cui Virgo respondit, dicens: Quāuis ego cordis eius dispositionē, ac responsionis prolationem, suæque vitæ terminationem iam bene nouerim, nihilominus tamen ei verba mea mittere debes.

3 3 Ego quidem ei notum facio, quod in parte dextra sanctæ Ecclesiæ fundamentum vehementer dilapsum est, in tantum quod summa testudo plures in se rupturas habet, dans ex se casus tam periculosos, quod multi ex se subeuntibus perdunt vitam. Plerique eius columnæ, quæ in altum tendere deberent, vsque ad terram se iam inclinant, totumque pauimentum eius tam fossum est, quod cæci introeuntes periculose cadunt, & adhuc interdum contingit clare videntes vna cum cæcis grauiter cadere, causa periculosarum fossarum eiusdem pauimenti. Et propter has causas stat nimis periculose Ecclesia Dei. Et quid sibi ex hoc eueniet, statim propinquius esse dignoscitur. Nam ruinam certissimæ patietur, nisi reparationis iuuamen habuerit. Et ipsius ruina tam grandis erit, quod per totam Christianitatem audietur, & hæc debent spiritualiter intelligi. Ego autem illa Virgo sum, in cuius vterum Dei Filius venire dignatus est, cum Deitate, & Spiritu sancto, exclusa quacumque contagiosa corporis delectatione. Et illæ idem Dei Filius de meo clauso vtero natus est cum deitate, & humanitate, & Spiritu sancto, cum maxima consolatione mei, & sine pœna. Ego etiam iuxta crucem eius steti, quando ipse cum vera patientia infernum victoriose deuincebat, ac sui cordis sanguine cælum aperiebat. Ego quippe in monte eram, dum idem Dei Filius, qui

quidem eſt meus filius, ad cęlos aſcendebat. Ego denique totam Catholicam Fidem clariſſime noui, quam ipſe euangelizando, omnes cæleſte regnum ingredi volentes edocuit. Ego itaque iam ſto ſuper mundum cum oratione mea aſſidue ad meum chariſſimum filium, ſicut arcus ſuper nubes cęli, qui ad terram inclinari videtur, & ambobus finibus ſuis eam tangere. Per arcum enim meipſam intelligo. Nam ad habitatores mundi me inclino, ſcilicet tangendo vtroſque, bonos & malos continua oratione mea, ad bonos namque me inclino, vt ipſi in his quę ſancta Mater Eccleſia pręcipit, ſtabiles efficiantur. Ad malos vero, ne in malitia ſua habeant proceſſum, & deteriores fiant. Illi igitur cui hæc verba mitto notum facio, quod ex vna parte, tetrę, ac horribiles nubes ſurgunt contra arcus claritatem, per quod illos intelligo, qui in carne ſua vitam meretricalem habent, & ſunt inſatiabiles ac ſine fundo, ſicut vorago maris ad cupiditatem pecunię. Bona quoque irrationabiliter, & prodigaliter, ſicut torrens in impetu ſuo, aquam ſuam effundit, pro pompa terrena, & ſuperbia largiuntur. Hæc itaque tria nunc exercent ſanctæ Eccleſiæ plerique prouiſores. Quorum peccata in cælum aſcendunt abominabilia, & terra ante Dei conſpectum, contra meam orationem, ſicut teterrime nubes contra clarum arcum cæli. Et ſic hi qui vna mecum Deum placare deberent, ipſi iram eius contra ſeipſos grauiſſime excitant. Et tales in ſancta Eccleſia exaltari non deberent, ſed deprimi. Quicumque igitur curam apponere voluerit, vt Eccleſię fundamentum ſtabile fiat, ac pauimentum planum renouare cupiens, illam benedictam vineam, quam ipſe Deus plantauit, ac ſanguine ſuo irrigauit, ſi ſe ad hoc modicum, ſeu inſufficientem eſſe crediderit, ego Regina cęli, cum omnium Angelorum cetibus ſibi in adiutorium venire volo, zabuloſas radices extirpando, & ſteriles arbores ad comburendum in ignem eijciendo, ac in earum locis plantando ramuſculos fructuoſos. Per vineam autem intelligo ſanctam Dei Eccleſiam, in qua duo, ſcilicet humilitas, & diuina charitas deberent renouari. Hæc omnia vero illa glorioſa Virgo, quæ mulieri apparuit, mitti præcepit vobis in ſcriptis. Vnde nouerit veſtra Reuerenda Paternitas, quod ego quæ hanc litteram vobis miſi, iuro per Ieſum verum, & omnipotentem Deum, & per eius digniſſimam matrem Mariam, volens vt ita me adiuuent ad vtrumque ſcilicet corpus, & animã, ſicut hanc litteram propter aliquem mundi honorem, ſiue propter cupiditatem, aut propter humanum fauorem non miſi. Sed quia inter alia plura verba, quæ eidem mulieri in ſpirituali reuelatione dicta ſunt, omnia quę hæc cartula in ſe continet, iuſſa ſunt veſtræ dignitati intimari.

N O T Æ.

1 Eadem itaque mulier ad Vrbem Romanam peregre profecta eſt, quæ die quadam in Eccleſia maiori B. Virginis orationi vacans rapta eſt in ſpiritualem viſionem.

In principio præſentis capitis loci mentio fit, in quo Beatiſſima Brigitta Reuelationes, quæ hoc capite cõtinentur diuinitus accepit, & hanc fuiſſe Eccleſiã S. Mariæ Maioris de Vrbe arbitror, inſuper & ipſamet B. Brigittæ perſona diligẽter deſcribitur, vt certiora, ac notiora redderentur ea, quæ prædicit, vtque deinceps nullus dubitare queat, has eſſe diuinitus datas reuelationes, & non dæmonum illuſiones: hanc ob cauſam conſueuerunt etiam prophetæ, in ſuarum reuelationum initijs, meminiſſe locorum, parentum, Regum, & Ducum, ſub quibus prophetarunt, vt ex his & fides ei præſtaretur, & prophetia certior, ac verior haberetur. Rurſus ſciendum eſt hoc loco, tradi modum, quo B. Brigitta Reuelat. præſenti capite contentas accepit, cum ſcribitur rapta in ſpiritualem viſionem, corpore tamquam in grauedinem ducto, non tamen in ſomni grauedinem, ad cuius rei cognitionem dicendum nobis eſt, viſionem ſpiritualem eſſe, cũ dormientes, aut etiam vigilantes non corpora, ſed rerum imagines cernimus, quibus aliquid aliud ſignificatur, vt Geneſis 41. legimus ſomnio vidiſſe Pharaonem ſeptem ſpicas, quæ pullulabant culmo vno plenæ, & formoſæ, & alias ſeptem tenues, & percuſſas vrendine deuorantes priorum pulchritudinem, & per primas ſeptem ſignificabantur ſeptem dona Spiritus ſancti, vt admonuerunt Eucherius, Rupertus, & alij. Septem vero aliæ deſignabant ſterilitatis annos, quæ nouiſſimis Antichriſti temporibus futura eſt, eo quod fame veritatis, & verbi Dei tunc magna populorum copia peritura eſt. Cæterum plura ex ſacris litteris ad viſionem hanc ſpiritualem declarandam exempla, attulimus in præludijs noſtris ad Reuelat. cap. 3. & 4. vbi hac de re latiſſime egimus, ex quibus quiſpiam aperte colligere poterit, quæ, & qualis ſpiritualis, ſeu imaginaria viſio ſit, quidve ſignificet. B. Brigittam in viſionem ſpiritualem raptam eſſe, illa namque ſub ſimilitudine quadam columnarum, pauimenti, Arcus caleſtis, & vineæ prædicit hoc loco Eccleſiam vitio Prælatorum, & prauo malorum Chriſtianorum exemplo damna plurima, & incommoda paſſuram eſſe, quandoquidem Prælati, qui columnæ, & pauimentum eius ſunt, quibus ſuſtentanda eſt, ruinæ anſam præbebunt, ideoque ſcribitur hic paulo ante medium hu-

ius capitis plerique columnæ eius, quæ in altum tendere deberent, se ad terram vsque inclinarunt, eiusque pauimentum effossum est: eorum præsidio, quod Beatissima Virgo pro Ecclesia perpetuo Deum rogare consueuerat, & hoc sub similitudine cælestis Arcus, cui Maria hoc loco similis esse perhibetur, cum dicitur: Ego itaque sto super mundum, cum oratione mea assidue ad meum carissimum filium, sicut arcus super nubes cæli. Huius autem similitudinis sensus aliquot reddidimus lib. 3. Reuelat. cap. 10. nota 1.

2 Quemadmodum enim Solis appropinquatione duo veniunt.

Ex duobus his colligit insigniter D. Brigitta Reuelat. cælestis fuisse inspirationes, & nullo pacto dæmonis ministerio datas: hæc namque duo signa sunt, & mentis illustratio, & amoris diuini inflammatio, quæ sane a dæmone nullatenus possunt prouenire, vt hac loca trademus paulo post verba præsentis notæ, vbi legimus: Sed hæc duo maligni spiritus, qui tenebra caliginosa comparantur, non sequuntur, quod etiam affirmauit D. Bernardus Serm. 8. in Cantica, quem supra citauimus libro 4. Reuelat. cap. 4. nota 2. vbi de eadem re fusius egimus.

3 Ego quidem ei notum facio, quod in parte dextera S. Ecclesiæ fundamentum vehementer dilapsum est.

A verbis præsentis notæ, vsque ad finem capitis omnia reperiuntur ad verbum lib. 3. Reuel. cap. 10. quæ ergo ad horum intelligentiam faciunt, ibi Lector explicata inueniet.

PROHEMIVM NOTABILE

in quo multa bona continentur, diuinitus eidem Sponsæ reuelatum, super informatione vtilissima, quæ continetur in sequenti capitulo.

CAP. LXXIX.

LAVS, ET GLORIA sit omnipotenti Deo pro omnibus suis operibus. Sit & ipsi honor perpetuus, qui tecum inchoauit gratiam facere. Nos videmus, quod dum terra cooperta fuerit niue & frigore, quæcumque semina in eam sparsa fuerint, certum est quod germinare non possunt nisi in locis paucissimis, quæ ex radijs solaribus calefiunt, vbi ex beneficio folia, gramina, & flosculi oriuntur. Ex quibus cognosci poterit cuius generis sint, aut cuius virtutis. Vere simili modo totus mundus videtur mihi superbiæ, & cupiditatis, atque luxuriæ frigore tam dorice iam coopertus existere, quod heu paucissimi sunt, quorum verbis, atque operibus intelligi possit, Dei perfectam charitatem in ipsorum cordibus habitare. Vnde sciendum est, quod sicut Dei amici inde gauisi sunt, quod Lazarum a morte viderunt resuscitatum ad Dei gloriam, ita & nunc Dei amici gaudere possunt, quando aliquem resurgere viderint a prædictis tribus vitijs, quæ sunt verissime mors æterna. Item notandum, quod sicut Lazarus resuscitatus, post resurrectionem suam duplex odium incurrit. Nam quosdam hostes corporales habebat, scilicet homines, qui erant inimici Dei, & hi Lazarum corporaliter oderunt. Quosdam etiam hostes habebat spirituales, scilicet dæmones, qui nunquam desiderant amici Dei fieri, & illi eum oderunt spiritualiter. Ita etiam quicumque nunc a vitijs mortalibus resurrexerint, sectare volentes castitatem, & fugere superbiam, & cupiditatem, duplex odium incurrunt. Nam dupliciter homines, qui Dei inimici sunt, eis nocere volunt corporaliter. Et diaboli etiam duplici modo eos damnare, seu nocere conantur spiritualiter. Primo namque homines mundani verbis suis vituperant eos. Secundo etiam si possunt libenter eos operibus suis debellant, vt sic eos sibi in vita, & actibus similes faciant, retrahendo eos a bonis inceptis. Sed homo Dei sic nouiter conuersus ad vitam spiritualem, istos tales malignos homines optime vincere potest, si contra verba sibi contraria patientiam habuerit, & si tunc frequentius, & feruentius bona opera spiritualia & diuina ipsis videntibus exercuerit. Dæmones etiam alijs duobus modis decipere nituntur. Primo, quia summe desiderant, vt ipsum nouum seruum Dei recidiuum faciant ad peccata. Qui si hoc nequiuerint, tunc ipsi dæmones ad hoc sollicite laborant, vt irrationabiliter & indiscrete ille, sua bona opera perficiat, scilicet in vigilando, vel abstinentias indiscretas vltra debitum modum indiscrete faciendo, vt sic eius vires citius euacuentur, & in diuinis laboribus fit infirmior. Contra primum est optimum remedium ipsa frequens, & pura suorum peccatorum confessio, & pro delictis vera cordis interna contritio. Contra secundum optimum remedium est talis humiliatio, videlicet vt magis velit alicui seniori spirituali obedire, quam se personaliter regere in suis operibus, & pœnitentijs faciendis. Et vere hæc medicina est valde proficua, & optima in tantum, quod etiam si adhuc indignior esset dator consilij quam acce-

acceptori, & tunc certissime sperandum est, quod ipsa diuina Sapientia, quæ est Deus, per suum adiutorium cooperabitur datori consilij, ad illa conferenda consilia, quæ vtilissima fierent acceptori, si ambo ad Dei honorem & gloriam perfectam voluntatem habuerint. Nunc autem amice dilecte, quoniam ambo, scilicet tu & ego de peccatis surreximus, deprecemur Deum, vt nobis ambobus diuinum adiutorium donare dignetur, mihi in dicendo, & tibi in obediendo. Et tanto magis super hoc Deus rogandus est, ex eo quod vos qui estis diues, sapiens, & nobilis, dignatus fuistis me indignam, & modicum intelligentem, atque ignotam consulere. Et vere spero, quod Deus vestram humilitatem velit respicere, & ad corpus, & ad animam vobis vtile facere, quod ad suum honorem vobis scribo.

INFORMATIO DIVINITVS reuelata Sponsæ valde discreta, & vtilis ad quendam Clericum, de modo viuendi tam spiritualiter, quam corporaliter.

CAP. LXXX.

PRIMO IGITVR consulo tibi, vt maneas in hospitio tuo prope Ecclesiam tuam sanctæ Mariæ virginis, vnum famulum tantum tecum habeas, vt totum illud quod deductis necessarijs expensis de tuis redditibus superfuerit, statim reddas tuis creditoribus eisdem de debitis plenarie satisfaciendo. Quoniam non est licitum, nec rationabile multas pecunias pauperibus, seu diuitibus amicis & parẽtibus dare, priusquã omnia debita plene fuerint persoluta, tunc omnia, quæ tibi & famulo tuo deductis expensis superfuerint, ad Dei honorem distribue pauperibus & indigentibus. Clericalem habens habitum honestum, & vtilem diligenter attẽdendo, ne in qualitate panni, seu in forma vestimentorum tuorum aliqua põpa, seu vanitas notari posit, sed sola honesta necessitas, & vtilitas corporalis. Duobus enim paribus vestimentorum tantummodo sis contentus, vnum scilicet pro diebus festiuis, & alterum pro reliquis diebus quotidianis. Nec etiam plura, quam duo paria caligarum, seu calceorum habeas, & quicquid de vestimentis tuis superest, commutes in alios tuos vsus, aut in solutionem debitorum tuorum. Vestimenta linea omnino deponas, tam noctibus quam diebus per hunc annum. Ecclesiam tuam, scilicet beatæ Mariæ per hunc annum habeas pro Ecclesia claustrali propter tria. Primo pro eo, scilicet quod si forte prius in ea vnquam stetisti propter aliquam superbiam, sic de cætero in ea resideas, in honorem humillime Virginis Mariæ, per diuinam obedientiam. Et si forte per Canonicos & Beneficiatos illius Ecclesiæ a seruitio Dei in honestis verbis trahebaris ad malam concupiscentiam, sic conare modo per Dei adiutorium, diuinis & spiritualibus verbis tu aliquem a mala concupiscentia, trahere ad delectationem amoris Dei. Et si forte aliquibus te videntibus per aliquos tuos illicitos mores malum exemplum dedisti, sic amodo cures per bona opera tua, & honestos mores tuos, animabus eorum dare proficuum, & virtuosum exemplum. Deinde amice dilecte oportet, quod nocturna tempora, & diurna ad Dei laudem rationabiliter ordines, & discrete. Ego enim attendi, quod campanæ vestræ Ecclesiæ satis statutis temporibus pulsantur. Et ideo consulo, vt statim cum ipsas de nocte audieris, a lecto tuo surgas, & cum quinque genuflexionibus, & quinque vicibus Pater noster, & Aue Maria, recorderis quinque vulnerum *Iesu Christi*, & dolorum suæ dignissimæ matris.

Post hæc autem incipias Matutinum de Beata Virgine, & alias deuotiones tibi placitas dicas, donec conueniunt Canonici in Choro ad psallendum. Et melius est, quod tu cum primis ad Ecclesiam venias, quam cum vltimis. Deuote igitur cantando Matutinum de tempore & honeste, vsque ad finem stare debes, & interdum sedere, sicut decens est. Sed minime loquendo, nisi aliquid interrogatum a te fuerit, & tunc cum paucissimis verbis respondeas, & non clamorosis, excluso quolibet iracundiæ, atque impatientiæ signo, si fieri poterit. Multum enim te ordinares honeste, si esses in præsentia alicuius domini temporalis, & terreni, & idcirco multo magis debes cum omni honestate, & modestia, & humili reuerentia interna, & etiam exteriori, stare in præsentia, & seruitio æterni Regis cælorum, semper & vbique præsentis, & omnia videntis. Et si forte necessitate compulsus fueris super magnis rebus te, vel aliũ tangentibus ad loquendum in ipsis medijs horis, tunc de choro exeas, & quod tibi videtur paucis verbis extra chorum sine clamore respondeas, sine mora in tuum stallum chori redeundo. Et si poteris, ordina vel

illud

illud negocium ad expediendum in alio loco & tempore suspendatur, ne cultus diuinus, vel honor Dei diminuatur, vel impediatur. Caue etiam ne vadas girouagando per Ecclesiam quasi spatiando, huc illuc ambulando cum cantantur horæ, hoc enim est inconstantis, & girouagantis animi, & tepidi spiritus, & modicæ charitatis & deuotionis. Tempore autem interualli, scilicet inter horas, tunc ora, vel lege aliqua vtilia animæ, & deuota, vel aliis proficua, hoc iugiter obseruando, quod ab hora qua surgis a lecto tuo ad matutinum, nullis te libenter operibus implices, nisi cantui lecturæ orationi, vel studio, donec summa missa fuerit finita, nisi forte in capitulo vestro inter vos de aliquibus sit tractandum, super rebus Ecclesiæ, seu meliori statu & ordinatione faciendum. Deinde celebrata summa Missa, de corporalibus vtilitatibus, & commodis, atque honestis consolationibus virtuosis loqui, & confabulari bene conuenit. Quando autem intras ad mensam, legantur benedictiones mensæ. Et siue tu fueris hospes alterius, siue tu hospites habueris, incipias inter fercula primum in mensa loqui de Deo, vel de sua dignissima Matre, aut de aliquo sancto, pro ædificatione & vtilitate commensalium, & etiam seruitorum mensæ, ad minus vnum verbum, vel duo, aut etiam aliqua de Deo, vel de sua Matre, aut de sanctis Dei ab aliis interroga. Et adhuc dum solus fueris in mensa astante tuo famulo, similiter facias, & hoc habeas pro lectione, quæ consueuerit in fratribus in monasteriis solent legi. Facta autem comestione, & gratiis Deo redditis, & benefactoribus. Et tunc de rebus, seu de negociis te tangentibus, cum quibuscumque personis honestis tibi placet, per aliquam breuem horam loquere. Et postea statim ingredere cubiculum tuum, & flexis quinquies genibus, legas quinquies Pater noster, & quinque vicibus Aue Maria, propter vulnera Domini nostri Iesu Christi, & propter dolores suæ Matris. Deinde mediatatem temporis, quod est vsque ad vesperas ad studendum vel legendum, atque ad quiescendum aliquantulum habeas, nisi forte in negociis tuis pro tunc aliqua, vos tangentia fuerit impedimenta, & aliam medietatem temporis prædicti ad spatiandum habeas pro honesta consolatione corporali, vt fortior efficiaris ad laudem Dei. Deinde cum pulsatur ad vesperas, statim ad officium decantandum ad chorum Ecclesiæ intres. Ita te habendo in choro, sicut prius supra dictum est. Et dicto Completorio, omni die pro mortuis vigilias legas cum tribus lectionibus ante cœnam. Facta autem cœna exercitare in talibus moribus, sicut dictum est de prandio. Post gratias vero ad spatiandum vadas, loquendo vtilia, & consolatoria verba, donec dormitum ire volueris. Et tunc etiam antequam ad lectum vadas, pone te ante lectum, & ibi deuote dicas quinque vicibus Pater noster, & quinque Aue Maria pro passione Iesu Christi, & postea intra lectum tuum, & corpori tuo de somno, & quiete tantum tribue, quod non vrgearis vigiliæ temporibus, propter quietis & somni breuitatem dormitare. Omni autem sexta feria legas deuote septem Psalmos cum Litaniis. Et illo die quinque denarios tribue quinque pauperibus indigentibus pro reuerentia quinque vulnerum Iesu Christi. Præterea frater, & amice charissime consulo tibi, vt infra scriptam abstinentiam habere velis per hunc annum pro peccatis propriis. Primo totam Quadragesimam ieiunes omni die ad vnam comestionem in piscibus. Et similiter in Aduentu Domini. Omnes vigilias beatæ Mariæ in pane & aqua, vigilias Apostolorum in piscibus. Omnes quartas ferias ad comestionem in caseo, ouis, & piscibus. Omni sexta feria in pane & vino tantum, & si forte magis libuerit aquæ quam vinum cum pane habere, hoc tibi non dissuadeo. Omni die Sabbati in piscibus, & oleo ad vnum prandium. Dominico autem die, & in die Lunæ, & Martis, & in die Iouis bis in die comede de carnibus, dum tamen ab Ecclesia non præcipiatur ieiunare.

Nota frater dilecte, quod propter tria hæc tibi scribere, & consulere decreui. Primo vt inuidia diaboli, & eius astutia te ad hoc non traheret, quod teipsum ita subito totū consumeres, quod sensus tui, atque vires cito deficerent, & postea in tota vita tua Deo minus seruires, quam oporteret. Secundo, quod si mundani homines in tuis sensibus, aut viribus ex nimio labore defectum aliquem in te notauerint, aut in laboribus inceptis te attediari conspexerint, abhorrerent, & pertimescerent diuinis laboribus se subiicere. Tertio, quia spero opera tua ex eo, Deo magis placere, quia potius ali gis alterius cōsilio humiliter acquiescere, quam teipsum personaliter tuo proprio iudicio regere.

RESPONSIO VIRGINIS ad Sponſam de tribus hominibus, pro quibus Sponſa ad Deum intercedebat, & quæ ſunt lacrymæ meritoriæ, & quæ non. Et qualiter charitas Dei augmentatur ob meditationem Chriſti humilitatis. Et quomodo timor, quamuis non filialis, nec initialis ſit bonus.

CAP. LXXXI.

ILLE homo eſt quaſi ſaccus plenus ariſtis, de quo ſi vna ariſta auferretur, apponerétur in eo decẽ. Talis eſt ille homo, pro quo tu rogas. Quia ipſe dimittit vnum peccatum ex timore, ſed addit decem propter honorem mundi. De altero vero homine, pro quo tu poſtulas reſpondeo tibi, quod non eſt conſuetudo, putridis carnibus precioſa ſalſamenta apponere. Rogas quippe dare ſibi corporales tribulationes propter vtilitatem animæ ſuæ, ſed voluntas ſua contraria eſt petitioni tuæ. Ipſe quippe appetit honores mundi, magiſque deſiderat diuitias, quã ſpiritualem paupertatem, & voluptas eſt ei dulcis. Propter quod anima eius eſt putrida, & fœtens coram me, & ideo non pertinent ei ſalſamenta precioſa, quæ ſunt iuſtitiæ tribulationes. De tertio quoque homine, in cuius oculis vides lacrymas, reſpondeo etiam tibi, quia tu vides corpus, & ego intueor cor. Sicut enim tu vides, quod aliquando tenebroſa nubes procedit de terra, & trahit ſe in cælum ſubtus ſolem, & iſta nubes producit de ſe triplicem humorem, ſcilicet pluuiam, niuem latam, & grandinem. Poſtea vero euaneſcit nubes, quia de immunditia terræ orta erat. Sic tali nubi comparatur omnis homo, qui in peccato, & voluptate nutritus eſt vſque ad ſenium. Veniente autem ſenio, incipit timere mortem, & cogitare periculum ſuum, ſed tamen in animo delectabile eſt ei peccatum. Ergo ſicut nubes trahit de ſe immunditias terræ in cælum, ſic conſcientia talis hominis trahit ſe de immunditia corporis, ideſt peccati, ad conſiderationem ſui, & dat de ſe triplices lacrymas. Primæ comparantur aquæ, quæ ſunt pro his, quæ carnaliter diligit homo. Vtputa, ſi amittit amicos, aut bona temporalia, vel ad ſalutem ſuam, & quia tunc amaricatur de Dei diſpoſitione, & permiſſione, ideo effundit multas lacrymas indiſcrete. Secundæ lacrymæ comparantur niui, quia quando homo incipit cogitare pericula corporis ſui imminentia, pœnamque mortis, & inferni miſerias, tunc incipit plorare non ex charitate, ſed timore. Et ideo ſicut nix cito diſſoluitur, ſic etiam cito tales lacrymæ diſſoluuntur. Tertiæ lacrymæ aſſimilantur grandini, quia quando homo cogitat quã dulcis eſt, & fuerat ſibi voluptas carnalis, & quod amiſſurus eſt eam, quanta etiam conſolatio eſt in cælis, incipit plorare diſpendium damnationis, & amiſſionis ſuę, non curans plorare de inhonoratione Dei, ſi Deus amitteret animã, quam redemit ſuo ſanguine. Nec curans verum Deum videret poſt mortem, an non: dummodo vnam manſionem obtineret in cælo, vel in terra, vbi non ſentiret pœnam, ſed haberet æternaliter ſuam voluptatem. Ideo tales lacrymæ bene ſimilantur grandini, quia cor talis hominis nimis durũ eſt, & nullum calorem charitatis habet ad Deum. Ideo nec tales lacrymæ trahunt animam in cælum. Sed nunc oſtendere tibi volo lacrymas, quæ trahunt animam in cælum, quæ ſimilantur rori. Nam aliquando vapor quidam procedit de dulcedine terræ, & aſcendit in cælum, trahens ſe ſubtus ſolem, qui de calore ſolis factus humidus, iterum deſcendit in terram, & omnia terræ naſcentia fructifera facit, & iſtud vocatur vobiſcum ros, ſicut patet in folijs roſarum, quæ appoſita ad calorem, primo dant ex ſe humorem, & poſtea deſcendit humor. Sic eſt de viro ſpirituali. Omnis quippe qui cogitat terram illam benedictam, quæ eſt corpus Chriſti, & verba illa, quæ Chriſtus ore proprio loquebatur, qualemque gratiã fecit in mundo, & quam amaram pœnã pertulit, commotus ardoris amore pro animabus noſtris, tunc charitas quam habet ad Deum, cum magna dulcedine vadit in cerebrum, quod ſimilatur cælo. Cor quoque eius, quod comparatur Soli impletur diuino calore. Oculique eius implentur lacrymis, plorans ſe offendiſſe tam infinite bonum, & benignum Deum. Magis iam volens omnem pœnam pati ad honorem Dei, quam omnia delectamenta habere, & carere Deo. Itaque iſtę lacrymæ bene conparantur rori cadenti, quia tribuunt virtutẽ faciendi bona opera, & fructificant in cõſpectu Dei. Et ſicut flores creſcentes trahunt in ſe rorẽ cadentem, & ros includitur in flore. Sic etiã lacrymæ, quæ ex diuina charitate funduntur, claudunt Deum in anima, & Deus animã in ſe trahit.

1 1 Verumtamen bonum eſt timere propter duo. Primo, quia tanta poſſunt eſſe bona opera facta ex timore, quod trahunt poſtea aliquã ſcintillã gratię in cor

ad ob-

ad obtinendam charitatem. Sicut per similitudinem intelligere poteris, quasi esset vnus aurifaber, imponens aurum mundum stateris, ad quem veniens carbonarius dixit, Domine carbones ad opus tuum habeo, da mihi pretium quantum valent. Respondit ille: Carbones taxati sunt quantum valent, & dato illi auro pro pretio, aurifaber disposuit carbones ad opus suũ, aurum vero ille ad victum suum. Sic est
2 enim in spiritualibus. 2 Nam opera facta sine charitate, similantur carbonibus, charitas vero auro. Ideo omnis, qui facit opera bona ex timore, habens tamen desiderium acquirendi sibi ad salutem animæ cum eis, iste licet non desideret Deum in cælis, sed timet hospitari in inferno, nihilominus tamen habet bona opera, sed frigida, & apparent quasi carbones in conspectu Dei. Deus vero comparatur aurifabro, qui scit in spirituali iustitia, quibus modis bona opera remuneranda sunt, vel quali iustitia charitas Dei acquiratur. Ipse etiam in prouidentia sua sic ordinat, quod propter bona opera ex timore facta, homini datur charitas, quam postea ho-
3 mo disponit ad salutem animæ suæ. 3 Ergo sicut charitatiuus aurifaber vtitur carbonibus ad opus suum, sic Deus frigidis operibus vtitur ad honorem suum. Secundo bonum est timere, quia quot peccata homo dimittit ex timore, a tot peccati pœnis liberabitur in inferno. Attamen quia charitatem non habuit, ideo nec iustitiam habet ad ascendendum in cælum. Nam cuius voluntas est talis, quod si posset vellet æternaliter viuere in mundo, in eius corde charitas Dei nequaquam est, & facta Dei quasi cæca sunt ante ipsum, ideo mortaliter peccat, & iudicabitur ad infernum. Attamen ardere non tenetur in pœnis, sed sedere in tenebris, qui omisit peccatum ex timore, sed non sentiet gaudium cęli, quia non desiderabat illud quamdiu vixit. Propterea sedebit sicut cæcus, & mutus, & sicut homo sine manibus & pedibus, quia eius anima intelligit malum inferni, & modicum de gaudio quod est in cælo.

Declaratio.

Hæc reuelatio est de tribus militibus. Primus fuit de Scania, de quo facta est reuelatio talis. Domina Brigitta vidit animam vestitam quasi cocco bis tincto, sed paucis guttis, quasi nigris respersam, & cum vidisset eam statim euanuit a cõspectu eius. Item post tres dies vidit eandem animam totam rubeam, sed quibusdam gẽmis quasi aureis interlucentibus effulgentem. Cumque miraretur Domina ad hæc, dixit Spiritus Dei: Hæc, inquit, anima detenta fuit curis mundi, sed habens veram fidem venit ad indulgentias Romæ, ea intentione vt obtineret charitatem, & diuinam dilectionem, & voluntatem amplius scienter non peccandi. Ideo quia vidisti animam vestitam cocco bis tincto, significat quod ante mortem corporis obtinuit diuinam dilectionem, licet imperfectam. Quod vero vidisti eam respersam guttis nigris, significat, quod ipsa quadam affectione carnali mouebatur ad parentes carnales, & videre patriam suam. Attamen omnem voluntatem suam commisit mihi. Ideo meruit purgari, & ad sublimiora præparari. Quod vero vidisti interlucentes gemmas in rubeo colore, significat, quod propter bonam voluntatem, & effectum indulgentiarum istarum, appropinquabat coronæ desideratæ. Vide ergo filia, & considera quæ bona faciunt indulgentiæ huius Vrbis, hominibus illis, qui veniunt intentione sancta huc propter eas. Nam si donarentur alicui mille millia annorum, sicut & donantur propter fidem, & deuotionem venientium, adhuc non esset digna ponderatio ad obtinendam diuinam charitatem sine gratia Dei, quæ quidem charitas veraciter donatur, & promeretur propter indulgentias istas, quas Sancti mei promeruerunt sanguine suo. De secundo milite in eadem reuelatione, qui fuit de Hallandia, Filius Dei loquitur. Quid tibi dixit ille magniloquus, & flabellum ventorum. Nonne quod multi dubitant de Sudario meo, vtrum sit verum, an non. Dic ergo ei constanter quatuor, quæ dico. Primum est, quod multi thesaurizant, & nesciunt quibus. Secundum est, quod omnis, qui talentum Domini commissum non expendit hilariter, sed custodit inutiliter, incurrit iudicium. Tertium est, quod ille, qui plus diligit terram, & carnem, quam Deum, non erit ĩn consortio eorum, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Quartum est, quod omnis qui clamantes non exaudit, clamabit ipse, & non exaudietur. De Sudario meo sciat, quod sicut sudor sanguinis mei de corpore meo fluxit, imminente passione mea, quando rogaui Patrem. Sic iste sudor exiuit de facię mea propter qualitatem rogantis me, ad consolationem futurorum. Tertius miles eiusdem reuelationis fuit de Suecia, de quo est ista reuelatio. Filius Dei loquitur: Scriptum est, quod vir saluatur per fidelem mulierem. Sic vxor huius viri cucurrit, & rapuit virum suum de faucibus diaboli,

ambabus manibus. Nam vna manu eripuit eum de manu diaboli, cum lacrymis scilicet, & orationibus, & operibus charitatis. Alia manu eripuit eũ admonitionibus suis, & exemplo, & informatione, ita quod iam appropinquat viæ salutis. Propterea sunt & tria consideranda, quæ scribuntur in lege vulgari. In illa enim sunt tria membra, vnum quod intitulatur possidere, aliud vocatur vendere, tertium est emere. In primo membro, quod est possidere dicitur, quod nihil iuste possidetur, nisi quod iuste acquiritur; quicquid enim acquiritur per subdolas adinuentiones, per occasiones malitiæ, per minora pretia. Talis acquisitio non est Deo grata. Secundum membrum vocatur vendere, quandoque aliqua res venditur propter inopiam, & timorem, quandoque propter violentiam, & iudicia iniusta. Talis conscientia est scrutanda, si compassio, & charitas est in mente. Tertium membrum vocatur emere, qui enim aliquã rem emere voluerit, scrutari debet si res illa, qua aliquid emitur, iuste quæsita est. Nam in lege non fuit acceptum, quicquid iniqua exactione fuit acquisitum. Ideo iste, ista tria prædicta scrutetur diligenter in animo suo, & sciat pro certissimo, quod redditurus est mihi rationem de omnibus, & etiã de his, quę parentes sui reliquerunt sibi, si ea plus propter mundum, & vltra debitam vtilitatem expenderit, quam propter Deũ. Iste etiam sciat, quod redditurus est mihi rationem de militia sua, qua intentione eam recepit, & quomodo eam tenuerit, & quomodo votum suum, quod mihi vouit, adimpleuit.

NOTAE.

1 VEruntamen bonum est timere propter duo, primo, quia tanta possunt esse bona opera facta ex timore, quod trahãt postea aliquam scintillam gratię in cor ad obtinendam charitatem.

Ad horum intelligentiam notandum breuiter est cum Magistro in 3. dist. 34. & D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 2. timorem multipliciter posse diuidi, primo quidem alius humanus dicitur, quo quis declinat a bono ad malum, vt corporale vitet periculum, sicut Petrus, qui ne corporalem mortem incurreret, vitam negauit, alius vero mundanus est, quo quis a bono tendit ad malum, vt temporale fugiat incommodum, vt fecit Herodes, qui ne regnum perderet, pueros Innocentes occidit, atque duos hos timores, secundum substantiam idem esse probabiliter existimandum est. Tertius timor naturalis vocatur, estque quo quilibet homo naturaliter pœnas, ac flagella horret, quod fecit Christus Saluator noster, qui mortem timuit, de quo Marci 14. scribitur: Cœpit pauere, tædere, & mæstus esse. Quartus timor seruilis appellatur, & est, quo aliquis peccare timet formidine pœnæ, cuius meminit D. Ioan in sua 1. Can. cap. 4. cum dicit: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem; quinto alius reperitur, quem initialem vocant, quo quis gehẽnam quidem timet, sed cum illo offensam etiam Dei, & declinat a malo, partim amore iustitiæ, partim timore pœnæ, de quo Ecclesiast. 1. legimus: Initium sapientiæ est timor Domini, quem secundum substantiam idem esse cum filiali, probat D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 8. & ibi Card. Caetanus contra Durandum in 3. d. 34. q. 5. Postremus vero timor, qui perfectius est, quẽ Theologi filialem, & castum nominant, ille censendus est, quo quis amore tantummodo boni timet Deum offendere, & ab eo separari, & amore solum iustitiæ declinat à malo, qui per charitatem tantum abest vt expellatur, vt ea crescente ipse crescat, vt auctor est D. Thomas quæst. supra citata art. 10. His positis. Dico primo hoc loco, nec de humano timore, nec de mundano verba fieri, quoniam hi duo cum mali sint, non possunt esse meritorij, vt supponitur hic: idem quoque dicendum videtur de naturali, qui de se, nec bonus, nec malus est, sed indifferens, aut etiam de casto, aut filiali, quandoquidem cum eo indicauimus supra, simul charitas stat, qua crescente & ipse crescit, hic vero de timore agitur, qui esse potest congrua dispositio ad charitatem adipiscendam. Reliquum est ergo, vt dicamus hunc locum intelligendum esse de initiali timore, aut etiam seruili, quem quidem a Spiritu sancto esse deduxit Gloss. Ordinaria ex illis verbis Apostoli Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, & declarauit apertius Cõc. Trid. sess. 14. cap. 4. vbi habet, dolorem conceptum etiam consideratione pœnarum, & gehennæ esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, & hoc est, quod scribitur hic, bona opera ex timore facta, charitatis scintillam trahere.

2 Nam opera sine charitate facta similantur carbonibus, charitas vero auro.

Merito hic opera absque charitate facta carbonibus comparantur, quippe qui sicut extincti nullum calorem, nec lucem habent, sic actiones nostræ a charitate seiunctæ, nullum caloris, aut luminis gradum obtinent, quandoquidem nec nos, neque proximum in dilectione Dei,

vt par

ut per esse ferventes reddunt, cumque homine gratia privatae sint, rectam nobis viam minime ostendunt, & idcirco paulo infra, & opera frigida esse legimus, cum dicitur nihilominus tamen habent bona opera, sed frigida, & apparent quasi carbones in conspectu Dei, atque desolatorios carbones huiusmodi opera esse vocanda cum Davide Psalm. 119. crediderim: Quoniam & extincta sum, & calore, ut lumine orbata. Similis etiam auro hoc loco charitas esse dicitur, quod sicut inter metalla est pretiosissimum, suaque natura constantissimum, & in tenuissima, ac subtilissima lamina extensum minime frangitur, & sepissime in ignem coniectum non solum non consumitur, verum & purissimum redditur: sic quoque Charitas inter virtutes praestantissima est & omnibus supereminet, ut ait Apostolus 1. Corinth. 13. nec ipsa per tribulationes frangitur, sed quo magis angustiis curisve premitur, eo purior ac firmior fit, qua de re legendi sunt, qui hac eadem utuntur similitudine, D. August. in Psal. 67. in expositione illius versiculi, & posteriora dorsi eius in pallore auri, & ibidem D. Hilar. D. Greg. super Ezech. hom. 15. Ricard. Victorinus de somnio Nabuchodonosor, c. 23.

9 Ergo sicut charitatiuus Aurifaber vtitur carbonibus ad opus suum, sic Deus frigidis operibus ad honorem suum.

Congrua sane similitudine exponitur hic, Deum Opt. Max. operibus moraliter bonis a charitate seiunctis uti ad honorem suum, dicitur namque facere sicut artifex, qui ad conficiendum opus suum carbonibus utitur. Quod ut explicemus apertius, animadvertendum est, huiusmodi opera a charitate seiuncta, que hic carbones dicuntur posse disponere ad consequendam gratiam, non quidem primam, quam nullus mereri potest, ut docuimus supra hoc eodem lib. cap. 74. nota quinta. & multo minus possunt esse immediate dispositiones ad gloriam obtinendam, quoniam non existens in gratia nequaquam potest opera vitae aeternae meritoria agere, superest ergo ut disponere aliquo modo queant, ad gratiam, ut explicat Durandus in 4. distinctione 15. quaest. 3. id autem, quod innuitur supra non longe a verbis praesentis nota, ubi ipse etiam in providentia sua sic ordinat, quod propter bona ex timore facta homini datur charitas, intellige non de humano, vel mundano timore, sed de initiali, qui bonus est, ut hoc eodem capite nota prima suse tradidimus. Cedunt etiam haec opera in Dei honorem, quia cum ipse iustissimus sit, nullumque bonum irremuneratum relinquat: sic operantibus retributionem saltem temporalem confert, per quam ab omnibus, veluti humanarum actionum equissimus Iudex laudatur. Postremo quoque iusti eorum exemplo, qui ita operantur adducti, eadem etiam faciunt, quamuis tunc illa nec frigida, nec mortua sint; quae cum charitate coniuncta sunt: neque operibus tantummodo moraliter bonis, sed etiam malis, quandoque Deus ad honorem suum, & ad bonorum etiam commodum utitur, teste D. Gregorio Magno 34. Moralium cap. 7. Deus, inquit, scit ad bonorum custodiam, etiam bene, uti mala actione reproborum, lapsum cadenti vertit in profectum manentium, idem habet Augustinus epistola 121. & de gratia, & libero arbitrio sapissime, quibus locis explicat illud Apostoli Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; idem admonuit Ambrosius in hunc locum Pauli, & Carthusianus ibidem.

CHRISTVS LOQVENS Sponsae dicit ei, quòd deuota anima debet habere sicut Sponsa os delectabile, aures mundas, oculos pudicos, & cor stabile, exponens omnia dicta membra spiritualiter valde pulchre.

CAP. LXXXII.

FILIVS loquitur: Tu debes habere sicut Sponsa os delectabile, aures mundas, oculos pudicos, & stabile cor. Sic & anima debet esse disposita, eius enim os est mens munda, vt ibi nihil intret, nisi quod mihi placet. Sit quoque os, id est, mens delectabilis ex odore bonae cogitationis, ex sedula memoria meae passionis. Sit etiam mens sicut os rubicunda, id est feruens diuina charitate, vt qui intelligit operetur. Nam sicut pallidum os nullus osculari desiderat, sic nec anima, nisi faciat bona opera ex bona voluntate, nequaquam mihi placet. Mens etiam sicut os habere debet duo labia, id est duas affectiones, vnam qua desiderat caelestia, aliam qua contemnit omnia terrena. Palatum vero animae inferius, debet esse timor mortis, qua separatur anima a corpore, & qualis tunc tenetur esse constituta. Palatum autem superius sit timor iudicij terribilis. Inter haec duo lingua animae versari debet, quae vero est lingua animae, nisi frequens consideratio misericordiae meae? Ergo considera misericordiam meam, quomodo te creaui, & redemi, quomodo te patior. Cogita etiam quam districtus iudex sum, qui nihil dimitto impunitum, & cogita quam incerta est hora mortis. Oculi animae sint simplices sicut columbae, quae circa aquas conspicit accipitrem, idest, cogitatio

tua semper sit circa charitatem; & passionem meam, & circa opera, & verba electorum meorum, in quibus intelliges, quomodo te diabolus decipere poterit, vt numquam de te sis secura. Aures tuæ sint mundæ, vt scilicet non affectes audire scurrilia, seu risu digna. Cor vero sit stabile, vt non timeas mortem seruando fidem, non erubescas de opprobrio mundi. Non turberis de damno corporali propter me Deum tuum.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ dicit, quod ipsa debet diligere eum, sicut seruus bonus dominum suum, sicut filius bonus patrem, & sicut fidelis vxor maritum suum, quæ numquam debet ab eo separari. Et exponit omnia supradicta spiritualiter, & vtiliter.

CAP. LXXXIII.

FILIVS LOQVITVR: Ego diligo te, sicut bonus Dominus seruum suum, & sicut pater filium, & sicut vir vxorem. Dominus enim dicit seruo: Dabo tibi vestes, victum congruum, & laborem moderatum. Ad filium autem dicit pater, omnia mea tua sunt. Vxori vero dicit vir, requies mea, requies tua, & consolatio mea, consolatio tua est. Quid igitur isti tres respondebunt pro tanta dilectione? vtique seruus, si bonus est, dicturus est domino, quia seruilis sum conditionis, magis tibi seruiam, quam alteri. Filius vero dicturus est patri, quia omne bonum habeo a te, ideo a te separari nolo. Vxor autem dicet marito, quia de labore tuo sustentor, calorem de pectore tuo habeo, & dulcedinem in verbis, ideo magis mori volo, quam a te separari. Ego autem Dominus sum vir iste. Anima vero est sponsa mea, quæ consolari debet in requie mea, refici cibo Deitatis meæ, ad quam pertinet omnia tormenta magis sustinere, quam se a me separare, quia sine me non habet consolationem, nec honorem. Sed ad coniugium duo pertinent: Primo bona, vnde coniuges sustententur. Secundo filius, qui recipiat eorum hæreditatem. Seruus vero fit ad obsequium faciendum, sicut legitur de Abraham, qui ex eo, quod non habuit filiũ turbabatur. Itaque anima tunc habet bona sustentationis, quando virtutibus plena est. Habet etiam filium, quando habet ratione discretionis, scilicet discernendi virtutes a vitijs, & quando discernit secundum Deum. Habet & seruum, idest carnalem affectum, qui non viuit secundum concupiscentiam carnis, sed prout expedit corpori, & secundum quod anima perficiatur. Igitur ego diligo te sicut vir vxorem, quia requies mea requies tua. Ideo tuum est omnem tribulationem magis libenter sustinere, quam me ad iram prouocare. Diligo quoque te sicut pater filium, quia tibi dedi discretionem, & liberam voluntatem. Diligo etiam te sicut dominus seruum, cui præcepi habere necessaria moderata, & laborẽ temperatum. Sed hic seruus, idest corpus ita infensatum est, quod magis velit seruire diabolo, quam mihi, quia diabolus numquam dat ei requiẽ a solicitudinibus mundi.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ dicit, quod sunt tres supplantati per mulieres, quorum vnus assimilatur asino coronato, alius habet cor leporinum, & tertius assimilatur basilisco. Et ideo debet mulier semper subdita esse viro.

CAP. LXXXIIII.

FILIVS loquitur: Tres leguntur supplãtari propter mulieres. Primus erat rex, quem amasia sua percussit in faciem, quando non arrisit sibi, quia fatuus erat, & non retrenabat eam, nec curabat de honore suo. Iste erat similis asino coronato, asino propter fatuitatem, coronato propter dignitatem. Secundus erat Sampson, qui licet esset fortissimus, tamen a muliere victus est. Iste habuit cor leporinum, quia non potuit domare vnam mulierem. Tertius erat Salomon, qui fuit quasi basiliscus, qui visu interficit, & speculo interficitur. Sic Salomonis sapientia omnes excedebat, attamen facies mulieris occidit ipsum. Ideo oportet quod mulier subdita sit viro.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ dicit ei, quod ante eum sunt duo folia libri, In vno scripta est triplex misericordia, & in alio iustitia, monens eam, quod dum tẽpus habet conuertatur ad misericordiam, ne postea puniatur a iustitia.

CAP. LXXXV.

FILIVS LOQVITVR ad Sponsam. Ego sum creator omnium, Ante me sunt quasi duo folia: In vno scripta est misericordia, in alio iustitia. Itaque quicumque conteritur de peccatis, & proponit vltra non facere huic dicit misericordia, quod spiritus meus accendet eum ad faciendum bona opera. Quicumque vero se vellet libenter separare ab istis vanitatibus mundi, hunc Spiritus meus feruentiorem facit. Cum vero qui paratus est etiam mori pro me, hunc Spiritus meus in tantum inflammabit, quod totus sit in me, & ego in eo. In alio autem folio scripta est iustitia, quæ dicit: Quicumque se nõ emendat cum tempus habet, & scienter se auertit a Deo, hunc Pater non defendet, nec propiciabitur ei Filius, nec inflammabit Spiritus sanctus. Ideo cum tempus est, diligenter considera folium misericordiæ, quia aut aqua, aut igne purgabitur omnis qui saluabitur, idest, aut modico pœnitentiæ labore in præsenti tempore, aut igne purgatorio in futuro, donec purgatus fuerit. Scias etiam, quod ostendi vni homini quem tu nosti, illa duo folia libri misericordiæ, & iustitiæ, sed ipse iam deridet folium misericordiæ meæ, & quod sinistrum est, reputat esse dexterum. Et sicut herodius super aues, sic ipse ascendere quærit super omnes, & ideo timendum est sibi nisi cauerit diligẽter, quod ridendo morietur, & ludentibus de mundo auferetur. Sic etiam post hoc euenit, sicut prædixit, enim a [illegible] lætus, & nocte ab inimicis interfectus est.

MATER DEI LOQVITVR dicens, quod ipsa est similis flori, a quo apes trahunt dulcedinem. Apes enim sunt serui, & electi Dei, qui quotidie ab ea trahunt dulcedinem gratiæ, & habent spirituales alas, & pedes.

CAP. LXXXVI.

MATER LOQVITVR. Ego sum regina, & mater misericordiæ. Filius meus creator omnium, tanta circa me dulcedine affectus est, quod omniũ quæ creata sunt, spiritualem dedit mihi intelligentiam. Ideo ego simillima sum flori, de quo apes maxime trahunt dulcedinem. A quo quantumcumque colligitur, nihilominus ei dulcedo remanet. Sic ego omnibus gratiã impetrare possum, & ego superabundo. Verumetiam electi mei similes sunt apibus, qui tota deuotione circa honorem meum afficiuntur. Ipsi enim quasi apes habent duos pedes, scilicet continuum desiderium augendi honorem meũ, secundo laborant in hoc sollicite, operando quæ possunt. Habent etiam duas alas, scilicet reputando se indignos laudare me, secundo obediendo omnibus, quæ sunt ad honorem meum. Habent etiam aculeum, qui si defecerit eis moriuntur. Sic amici Dei, habent tribulationes mundi, quæ ante finem vitæ propter virtutum custodiam non auferuntur ab eis, sed ego abundans consolatione consolabor eos.

CHRISTVS LOQVITVR Sponsę dicens, quod ipsa debet habere mẽbra pulchra, & sine macula, comparans omnia membra spiritualiter perfecte dilectioni Dei, & proximorum, & præsertim amicorũ Dei. Concludit etiam quod debeat facere spiritualiter sicut Fenix facit corporaliter, quæ colligit ligna, & ibidem seipsam comburit.

CAP. LXXXVII.

FILIVS loquitur Sponsæ. Dixi tibi prius, quod debes habere oculos serenos, vt videas mala quæ fecisti,

ciſti, & bona quæ omiſiſti, os tuum, ideſt mens tua ſit ab omni macula munda. Labia vero ſunt duo deſideria habendi, ſcilicet deſiderium relinquendi omnia pro me, & voluntas manendi mecum, & hæc labia ſint de colore rubeo, qui decentior colorũ eſt, & longius videtur. Color vero pulchritudinem ſignificat, & omnibus pulchritudo eſt in virtutibus, quia illud acceptius eſt Deo quando hoc ei offertur, quod homo magis diligit, & vnde alij poſſint plus ad animam ædificari. Ergo hoc dandum eſt Deo, quod homo charius habet, ſiue affectu, ſiue opere. Ideo legitur, quod Deus perfectis operibus ſuis lætatus eſt. Sic etiam lętatur Deus, quando homo ſe totum offert ei, volendo eſſe in ſupplicio, ſeu gaudio ad voluntatem Dei. Brachia vero debent eſſe leuia, & flexibilia ad honorem Dei. Ergo brachium ſiniſtrum eſt conſideratio bonorum, & beneficiorum meorum, quæ tibi feci, ſcilicet te creando, & redimendo, & ingratitudo tua ad me. Brachium vero dextrum eſt dilectio tam feruens ad me, quod malles tormenta ferre, quam me perdere, & ad iram prouocare. Inter hæc duo brachia libenter quieſco, & cor tuum erit cor meum, quia ego ſum quaſi ignis quidam diuinæ dilectionis, & ideo volo ibi feruenter diligi. Coſtę vero defendentes cor, ſunt parentes tui, non carnales, ſed electi mei, quos teneris diligere ſicut me, & pluſquam parentes carnales. Ipſi vere ſunt parentes tui, quia te regenerauerunt ad æternam vitam. Pellis vero ſeu cutis animæ debet eſſe ſic pulchra, quod non habeat maculam. Per pellem vero intelligitur omnis proximus tuus, quem ſi ſicut teipſam dilexeris, amor meus, & ſanctorum meorum illæſus ſeruatur. Si autem odis, læditur cor, & coſtæ eius denudantur, ideſt, amor ſanctorum meorum in te minor erit. Ideo pellis nullam habeat maculam, quia proximum tuum odire non debes, ſed omnes diligere ſecundum Deum, quia tunc eſt cor meum ſanum cum corde tuo. Item dixi tibi prius, quod ego volo feruenter diligi, quia ſum ignis quidam diuinæ dilectionis. In igne quippe meo ſunt tria mirabilia. Primum eſt, quod ardet, & numquam incenditur. Secundum quod numquam extinguitur. Tertium, quod ſemper ardet, & nũmquam conſumitur. Sic charitas mea ab initio erat ad hominem in Deitate mea, quæ in aſſumptione humanitatis meæ amplius ardebat, & ardet in æternum, quod numquam extinguitur, ſed feruentem facit animam, nec conſumit eam, ſed amplius ſemper fortificat. Sicut in Fenice colligere poteris, quæ ſenectute grauata colligit ligna in monte altiſſimo, & illis ex calore ſolis accenſis, proijcit ſe in ignem, & ſic ab illo igne mortua reuiuiſcit. Sic anima, quæ ex igne charitatis diuinæ ſuccenditur, de eo quaſi Fenix melior, & fortior conſurgit.

CHRISTVS LOQVENS

Sponſæ dicit, quod ei omnia creata ſunt ad voluntatem ſuam, prçter homines, dicit etiam quod tria ſunt genera hominum in hoc mundo, qui comparantur tribus nauibus ambulantibus in mari, quarum prima periclitatur, & perit, ſecunda fluctuat, cum tertia bene agitur.

CAP. LXXXVIII.

1 FILIVS loquitur: 1 Ego ſum Creator omnium ſpiritoum bonorum, & ma-
lorum. 2 Ego etiam om-
2 nium ſpirituum moderator, & rector ſum. Ego quoque Creator ſum omnium illorum animalium, & rerũ quæ ſunt, & habent vitam, necnon & omnium eorum
3 quæ ſunt, & non habent vitam. 3 Itaque quæcumque ſunt in celo, terra, & mari, omnia ſunt ad voluntatem meam, præter hominem ſolum. Scito igitur, quod homines quidam ſunt ſicut nauis, quæ amiſerat gubernaculum & malum, ideſt arborem, huc, & illuc vagatur inter procellas maris, donec veniet ad ripas inſulæ mortis. In iſta naui ſunt illi, qui deſperantes, ſe tradunt omni voluptati. Alij ſunt quaſi nauis, quæ adhuc malum habet, ideſt arborem, & gubernaculum, & vnam anchoram cum duobus funibus. Sed capitalis anchora fracta eſt, & gubernaculum citius ſoluitur, ſi impetus aquarum intrauerit inter nauem & gubernaculum. Ideo caueatur, quia quamdiu gubernaculum, & nauis cohęrent, propter coniunctionem mutuam, quaſi quemdã calorem habent inter ſe. Tertia nauis habet paramenta, & armaria ſua omnia, & eſt parata velificare cum fuerit tempus. Et prima anchora, quæ eſt capitalis, de qua ſupra dixi, eſt diſciplina religionis, ducta, & leuigata per patientiam, & feruorem diuinæ dilectionis. Hæc iam diſſoluta eſt, quia inſtitutio Patrũ proiecta eſt ſub pedibus, &

vnuſ-

vnusquisque quod sibi videtur vtile habent
4 pro religione, & sic fluctuant sicut nauis in-
var. ter fluctus. Secunda anchora, quæ est ad-
lect. huc sana, vt supra dixi, est voluntas seruiendi Deo, ligata cum duobus funibus, spe scilicet, & fide, quia credunt me Deum, & habent in me spem, quod velim saluare eos, quorum gubernaculum ego sum, qui quamdiu ero in naui, fluctus procellarum non intrant, & quasi quidam calor est inter me, & illos. Tunc autem ego Deus adhereo naui eorum, quando ipsi nihil diligunt, sicut me, quibus ego affigor, quasi tribus clauis, scilicet timore, humilitate, & consideratione operum meorum. Sed si ipsi aliquid diligunt plus quam me, tunc ingreditur aqua dissolutionis, tunc dissoluuntur claui, timor scilicet, & humilitas, & diuina consideratio, tunc frangitur anchora voluntatis bonæ, & tunc rumpuntur funes fidei, & spei. Sed qui in ista naui sunt, nimis instabiles sunt, ideo tendunt ad loca periculosa. In tertia naui quam dixi, quod erat parata velificare, sunt amici mei.

NOTAE.

EGo sum Creator omnium spirituũ bonorum, & malorum.

1 *Deum Opt. Max. creaturas omnes, homines, & Angelos, ac eas quoque, quæ ratione minime prædictæ sunt, bonas, atque in suo statu optimas condidisse testatur Moyses Genes. 1. vidit inquit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, insuper, & hominem fecisse rectum. Angelos etiam vniuersos fuisse creatos ab eo bonos putat Ezech. 28. in delitiis Paradisi fuisti, & Isaiæ 14. quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris, & tradunt D. August. 11. de ciuit. ca. 15. oportet inquit, hoc sic accipiamus, quod in veritate fuit, & probat D. Thom. part. 1. qu. 63. art. 4. & 5. Origen. hom. 11. in Ezech. & Magister in 2. dist. 3. docet Angelos esse bonos, quia non potuit optimus creator esse mali auctor, quod etiam aperte asseritur lib. 4. Reuel. cap. 63. paulo ante medium, vbi legimus dæmonem de se hoc idem dicentem, vide inquit quando me creasti pulcherrimum, quod etiam fuit definitum in cap. firmiter de summa Trinit. & fide Catholica, & in Conc. Bracharensi 1. can. septimo, cum ergo hæc verissima sint. Dicendum est cum hoc loco Deus affirmat se esse malorum spirituum creatorem, non esse intelligendum, quod Angelos, vel dæmones in primo instanti suæ creationis malos creauerit, sed quod tales eos fecerit, dando illis liberum arbitrium, vt ad malum potuerint per libertatem suæ voluntatis declinare, vt vere declinarunt, quod explicauimus lib. 1. cap. 1. nota sexta, & cap. 34. nota tertia, & quarta, libr. 4. cap. 63. nota prima: cuius rei ratio esse potest, quia sapient. 11. scribitur nihil Deum eorum odisse, quæ fecit ergo Deus si malos eos creasset aliquid fecisset, quod odio haberet: rursus certa fide tenendum est, illum nullatenus auctorem esse posse peccati, aut mali culpæ, vt probat D. Basil. Hom. quod Deus non est auctor malorum, & D. Thom. par. 1. quæst. 49. art. 2. dicendum ergo est Angelorum, hominumq; malitiam ex eorum praua manasse voluntate, quatenus in illa quidam malus effectus extitit: non debita scilicet subiecti ad rationis regulam, vt egregie tradit quæst. supra citata D. Thom. in resp. ad tertium argumentum, & insinuatur Oseæ 13. cum dicitur perditio tua ex te Israel est tantummodo in me auxilium tuum.*

2 Ego etiam omnium spirituum moderator & rector sum.

Eandem fere sententiam habet Salomon Prouer. 16. spirituum inquit ponderator est dominus, ipse namque est, vt dicit Apostolus hebreorum quarto discretor cogitationum, ac intentionum cordis, & is etiam est, qui, vt sapientiæ 14. legimus ab initio cuncta gubernat, & regit, quoniam ipse dedit in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam ostendens, quia potens est ex omnibus sanare etiam si sine rate aliquis adeat Mare.

3 Itaque quecumque sunt in cœlo, terra, & & mari omnia sunt ad voluntatem meam, præter hominem solum.

Ex his, quæ superiori nota docuimus, Deum nimirum cuncta gubernare, ac regere sequitur, quod in præsenti nota legimus, omnia quecumque creata sunt Dei voluntati subesse, & obedire, sed miser homo. cui cum liberum Deus dederit arbitrium per illud recedit ab eo, & propriam studet adimplere voluntatem, omnes namque creaturæ ratione carentes diuinis obtemperant præceptis, & solus homo Dei voluntati, in quo maiora, & potiora recepit beneficia, & propter quem cætera facta, sunt resistere audet.

4 Circa medium præsentis capitis, vbi ha-
var. ctenus impressi codices habent; & sic flu-
lect. ctuant, sicut Nauis inter fluctus.

Manuscriptu, Farnesianus legit fluctuat, sicut Nauis inter procellas fluctuans.

CHRI-

CHRISTVS LOQVENS Sponſæ dicit ei modum, quem debet tenere miles ſpiritualis in prælio, ſcilicet quod confidat in Deo, & non in viribus proprijs, datque ei duas orationes breues, quas quotidie dicat, & dicit etiam, quod debet eſſe armatus armis ſpiritualibus hic contentis.

CAP. LXXXIX.

FILIVS LOQVITVR. Quicunque velit pugnare ſit magnanimus, reſurgendo ſi cadit, confidens non proprijs viribus, ſed miſericordia mea. Qui enim diffidit de bonitate mea, cogitans ſecum taliter. Si aliquam attentauero, vel refrenando carnem ieiunijs, vel laborando vigilijs, non potero perſeuerare, nec abſtinere a vitijs, quia *Deus* non me adiuuat. Ille merito cadit. Ergo qui pugnare ſpiritualiter velit, confidat de me, & quod poſſit perficere cooperante gratia mea. *Deinde* habeat voluntatem faciendi bona, & omittendi mala, & reſurgendi quoties cadit, iſtamque legendo orationem. *Domine* Deus omnipotens, qui omnes ducis ad bonum, ego peccator nimis longe receſſi à te per facinora mea, gratias ago tibi, quia reduxiſti me ad viam rectam. Ideo rogo te piiſſime *Ieſu*, ut miſerearis mei, qui in cruce ſtetiſti ſanguineus, & doloroſus. Et rogo te per quinque vulnera tua, & per dolorem, qui de venis tuis perforatis ad cor proceſſit, quatenus conſeruare me digneris hodie, ne cadam in peccata. Da quoque mihi virtutem reſiſtendi telis inimici, & viriliter reſurgere, ſi contingat me cadere in peccata. Ad hoc autem quod pugnans poſſit perſeuerare in bonis, oret iſto modo. *Domine* Deus cui nihil eſt impoſſibile, & qui omnia potes, da mihi fortitudinem faciendi bona opera, & in bonis poſſe perſeuerare. Poſt hæc aſſumat gladium in manu, ideſt, confeſſionem puram, quæ debet eſſe bene limata, & ſplendens. Limata vt diligenter diſcutiat conſcientiam ſuam, quomodo, & quantum, vel vbi deliquerit, & de qua cauſa. *Sit* etiam ſplendens, vt nihil erubeſcat, vel occultet, nec aliter dicat, quam ſicut peccauit. *Hic* gladius debet habere duas acies acutas ſcilicet voluntatem vltra non peccandi, & voluntatem commiſſa emendandi. Cuius gladij cuſpis, eſt contritio, qua diabolus occiditur, quando homo ſicut prius in peccato gaudebat, ſic non conteratur, & ingemiſcat, ex eo quod me *Deum* ad iram prouocauit. *Hic* gladius etiam debet habere capulum, id eſt, conſiderationem magnæ miſericordiæ *Dei*. Cuius miſericordia tanta eſt, quod nullus talis, & tantus peccator eſt, qui non habeat veniam ſi eam petierit cum voluntate ſe emendandi. Cum hac igitur intentione, ſcilicet, quod Deus eſt ſuper omnia miſericors, tenẽdus eſt gladius confeſſionis, ſed ne forte ex aciebus vulneretur manus. Obſiſtat ferrum, quod eſt inter acies, & capulum. *Et* ne forte gladius cadat de manu, prohibeat tolus. Similiter qui habet gladium confeſſionis ſperans per miſericordiam *Dei* remitti, & purgari peccata, caueat ne cadat per præſumptionẽ veniæ. Ideo obſiſtat tolus, ideſt, timor Dei, metuendo ſcilicet ne *Deus* auferat gratiã, & inferat iram propter nimiã præſumptionem. Sed ne forte vulneretur, & minuatur manus operationis, per nimium feruorem laboris, & indiſcretionem, prohibeat *ferrũ* quod eſt inter manus, & acies, id eſt, conſideratio equitatis Dei, quia licet iuſtus ſim intantum, quod nihil dimitto impunitum, & indiſcuſſum, ita tamen miſericors, & equus ſum, quod non requiro vltra quam natura bene ferre poſſit, & propter bonam voluntatem dimitto maximum ſupplicium, & peccatum magnum pro parua emendatione. Lorica vero militis eſt abſtinentia. Sicut enim lorica conſtat ex multis catenulis, ſic abſtinentia eſt ex multis virtutibus, ſcilicet à prauo viſu, & ſic in reliquis ſenſibus. Et à gula, & luxuria, & habitu ſuperfluo, & à multis alijs, quæ beatus Benedictus præcepit non agenda. Verum, hanc loricam non poteſt perſonaliter aliquis adaptare, ſibi ſine adiutorio alterius. Ideo Mater mea Virgo Maria inuocanda, & honoranda eſt, quia in ea fuit omnis modus vitæ, & omnis forma virtutum, quæ ſtabiliter inuocata omnem perfectam abſtinentiam menti indicabit. Galea vero eſt ſpes perfecta, quæ habeat, quaſi duo foramina, per quæ miles reſpiciat. Primum foramen eſt cogitatio faciendorum. Secundum eſt conſideratio omittendorum. Quia omnis qui ſperat in Deo, cogitat ſemper quid ſit ei ſecundum Deum faciendum, quid ve omittendum. Clypeus vero ſit patientia, quæ omnia aduenientia libenter patiatur.

CHRI-

CHRISTVS LOQVENS dicit quod amici eius sunt, quasi brachium eius ex eo, quod ipse, sicut bonus medicus abscidit ab eis carnem putridam, & omnia nociua, & coniungit carnem bonam eius transformando eos in se.

CAP. XC.

FILIVS Loquitur. Amici mei sunt, quasi brachium meum. In brachio sunt quinque scilicet pellis, seu cutis sanguis, ossa, caro, & medulla. Sed ego sum sicut sapiens medicus, qui primo abscindit omnia inutilia, postea vnit carnem carni, & os ossi, inde apponit medicamentum sanitatis. Sic ego feci eisdem amicis meis. Primo abstuli ab eis omnem cupiditatem mundi, & illicita carnis desideria. Inde coniunxi medullam meam medullæ eorum. Quæ est medulla mea, nisi potentia *Deitatis* meæ? Sicut enim sine medulla omnis homo mortuus est, sic qui non communicat Deitati meæ moritur. *Nam* igitur ego tunc coniunxi infirmitati eorum quando sapientia mea sapit eis, & fructificat in eis, quando anima eorum intelligit facienda, & omittenda. Ossa vero significant fortitudinem meam, hanc ego coniunxi fortitudini eorum, quando facio eos fortes ad faciendum bona. Sanguis vero significat voluntatem, hanc ego coniunxi voluntati eorum quando voluntas eorum est secundũ velle meum, & quando nihil desiderant, nec quærunt, nisi me solum. Caro significat patientiam meam, hanc ego coniunxi patientiæ eorum, quando patientes sunt, sicut ego fui, quando à planta pedis vsque ad verticem non habui sanitatem. Pellis vero significat dilectionem, hanc ego mihi coniunxi, quãdo nihil tantum diligunt, sicut me, & libenter cum adiutorio meo etiam volunt mori pro me.

CHRISTVS ADMONET Sponsam, quòd debeat se humiliare quadrupliciter, vt patet coram potentibus mundi, & coram peccatoribus, ac etiam coram amicis Dei spiritualibus, & coram pauperibus mundi.

CAP. XCI.

FILIVS Loquitur ad sponsam. Tu debes quadrupliciter te humiliare. Primo coram potentibus mundi, quia ex quo homo contempsit obedire Deo, dignum est, vt obediat homini. Et quia sine rectoribus homo stare non potest. Ideo deferendum est potestati. Secundo coram spiritualibus pauperibus, idest coram peccatoribus, orando pro eis, & regratiando *Deo*, quia forte non fuisti, nec es talis. Tertio coram spiritualibus diuitibus, id est, coram amicis *Dei*, cogitando te indignam seruire eis, & conuersari cum eis. Quarto coram pauperibus mundi, iuuando, & vestiendo eos, & lauando pedes eorum.

CHRISTVS ADMONET Sponsam, quod progrediatur, & perseueret in virtutibus, imitando vitam sanctorum, vt efficiatur brachium eius, probat enim quod sancti transformatiue efficiuntur brachium Christi.

CAP. XCII.

1 FILIVS LOQVITVR. a Dixi tibi prius, quod amici mei sunt brachiũ meum. Vere sic est in eis. Est enim Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & Mater mea cum omni
2 cælesti exercitu. a. *Deitas* quippe est, sicut medulla, sine qua nemo viuit. Ossa sunt humanitas mea, quæ fortis fuit ad passionẽ. Spiritu sanctus vero est, sicut sanguis, quia implet, & lætificat vniuersa. Mater vero mea est, sicut caro, in qua fuit deitas, & humanitas, & Spiritus sanctus. Pellis autem, aut

3 aut cutis, est omnis cælestis exercitus. 3. Sicut enim pellis tegit carnem, sic Mater mea omnes sanctos præcellit virtute. Nam licet Angeli mundi sunt, mundior est tamen ipsa, & licet prophetæ impleti fuerūt spiritu Dei. Martyres quoque multa passi, plenior tamen, & feruentior fuit in Matre mea spiritus, ipsaque plusquam martyr fuit. Confessores etiā, & si se ab omnibus sustinuerunt, perfectiorem tamen abstinentiā habuit Mater mea, quia in ipsa fuit deitas mea cum humanitate. Ergo amici mei qui me habent, in eis est deitas qua anima viuit. Est fortitudo humanitatis meæ, qua fortes fiunt, vsque ad mortem. Et sanguinis spiritus mei, quo voluntas eorum fit mobilis ad omne bonum. Caro quoque eorum tunc impleta est sanguine meo, & carne mea, quando nolunt inquinari, seruantes se in castitate cooperante gratia mea. Pellis quoque mea est coniuncta pelli eorum, quando vitam, & mores sanctorum meorum imitantur. Sic ergo sancti mei bene vocantur brachium meum, quorum, & tu effici debes membrum per voluntatem progrediendi in bono, & eos inquantum poteris imitando. Sicut enim coniungo eos mihi per corporis mei coniunctionem, sic tu eis coniungi debes, & mihi, per idem corpus meum.

NOTÆ.

1 DIxi tibi prius, quod amici mei sunt brachium meum.

Merito in præsenti capite amici Dei brachia Domini dicuntur, quoniam sicut cum eorum extremitate magnus coniunguntur, quibus veluti instrumentis quibusdam opera nostra perficimus, sic sancti sunt, quorum ministerio Deus aliquid faciendum quid quid humanæ saluti prodesse potest viuit, ab his vero brachiis spicas esse quærendas, ac colligendas tradit Isaias Propheta cap. 17. quod nō aliud signi ficare docent D. Hieron. ibi, & Theodoretus de veris & falsis oraculis lib. 10. non longe à fine quam per Apostolos, & concionatores, Iudæos, ac Gentiles fide tandem collectos. ab his quoque brachiis populos iudicandos esse idem propheta asseruit ca. 51. secundum Reuelat: quandoquidem cum sanctis in vniuersali iudicio Deus iudicaturus est mundum, vt asserit Paulus Apostolus 1. Corint. 6. an nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt, & Matth. 19. & Luca 22. vos qui secuti estis me sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel, & cap. 3. iudicabunt iusti nationes, quod esse intelligendum arbitror, vel de iudicio approbationis, vel quod in locis citatis verbum iudicare sumitur pro condemnare sic Hieron. Matt. 19. vel quod sancti iudicare dicuntur non aliter quam per comparationem, quia illis credentibus cæteri credere noluerunt, sic Hieron. & Auctor operis imperfecti, aut postremo iudices futuri sunt, tanquam Christi ministri, & præcones, eius sententiam promulgantes.

2 Deitas quippe est, sicut medulla, sine qua nemo viuit, ossa sunt humanitas mea, quæ fortis fuit ad passionem.

Optime hoc loco Deitas medullæ comparatur, ossa vero humanitati Christi, quoniam sicut medulla intra ossa continetur, sic quoque tota diuinitas in Christi humanitate includebatur, iuxta illud Apostoli ad Coloss. 2. in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: dicitur autem seruatoris nostri humanitas os, quoniam per eam sic se contra dæmonem, & Iudæorum, ac aliorum persequentium ictus opposuit, vt nullo vnquam tempore frangi potuerit, immo de illis per patientiā triumphum retulit, tum quia hac fortitudine tantum sanctæ Matri Ecclesiæ robur promeruit, vt portæ inferi contra eam deinceps præualere nunquam possint, sicut scribitur Matth. 16. de hac ergo fortitudine circa finem præsentis capitis sermo fit, cum dicitur tantā est fortitudo humanitatis meæ, vt amici mei fortes fiant vsque ad mortem.

3 Sicut enim pellis tegit carnē, sic Mater mea omnes præcellit virtute, nam licet Angeli mundi sint, mundior tamen est ipsa, &c.

Ex verbis huius notæ euidenter colligitur, Mariam Virginem Angelos puritate, prophetas Spiritus sancti plenitudine, Martyres fortitudine, confessores abstinentia, cæterosque sanctos virtute præcellere cuius rei ratio reddi potest, quoniam cum Christus sit totius gratiæ principium, vt Ioan. 1. scribitur, gratia, & veritas per Iesum Christū facta est, ipsa vero ei vicinissima Christo fuerit, quippe quæ eum gestauit in vtero, vbi ille humanā accepit naturam, ex quo deinde factum est, quod præ cæteris Maria gratiæ plenitudinem obtinuerit: verum est etiam celebratum illud Axioma, quod quanto magis aliquid suo appropinquat principio, tanto magis effectum eius particeps sit, & hoc est quod dicitur hic paulo post verba huius notæ (ideo perfectiorem habuit abstinentiam Mater mea, quia in ipsa fuit deitas mea cum humanitate) quod egregie explanat Petrus Damianus in serm. super illud Matth. 1. Liber generat. Iesu Christi quid mirum inquit si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus humanæ vocis modum exuperat, cum & ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat, non enim excellentissimus ille patriarcharum chorus, non prouidus prophetarum numerus, non sacer Apostolorum senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis aliquorum, non quisquam sequentium Patrum huic beatissimæ Virgini deesse potuit, quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit, & paulo post dicit, nec mirum si cunctorum merita transcendit mortalium, quoniam & ipsa super excedit celsitudinem Angelorum: idem habet S. Idelphonsus serm. 7. de Assumpt. qui Mariam honoratiorem Cherubin, & Seraphin esse

tradit

tradit: hoc etiam confirmant Anselmus de excellentia Virg. cap. 7. Epiphanius Serm. de laudibus Mariæ, Bernard. Serm. de Assumpt. Greg. Nazianz. in tragedia Christus patiens; Canisius de B. Virg lib. 5. cap. 4.

CHRISTVS LOQVITVR Sponsæ; præcipiens ei tria, scilicet quod nihil desideret, nisi victum & vestitum; quod spiritualia non cupiat habere, nisi ad voluntatem Dei. Et de nullis contristetur, nisi de peccatis suis & aliorum, dicit etiã quod illi, qui in hac vita peccata sua per austeritatem pœnitentiæ purgare, & emendare noluerint, in diuino iudicio grauissime punientur.

CAP. XCIII.

FILIVS loquitur: Tria præcipio tibi, scilicet nihil desiderare, præter victum, & vestitum. Secundo spiritualia non concupiscere, nisi ad voluntatẽ meam. Tertio de nullis contristari, nisi de peccatis tuis, & aliorum. Si enim dolere volueris, considera districtionem iudicij mei, quam perpendere, & timere poteris in quodam homine iam iudicato, qui ingressus monasterium tria habuit in animo, scilicet, vt esset sine labore, & vt haberet victualia sine sollicitudine: tertiò cogitauit, si apprehendit me tentatio carnis, euadere potero per aliquam occasionẽ sine commixtione. Propterea tripliciter afflictus est. Quia enim voluit esse sine labore, ideo verbis, & verberibus coactus est ad laborem. Pro secundo patiebatur defectum in victualibus & nuditatem: tertio fuit despectus ab omnibus, intantum quod non potuit in luxuria delectari. Instante vero tempore professionis, cogitauit secum sic: Quia, inquit, non potero esse in mundo sine labore, ideo melius est mihi esse in monasterio, & laborare pro Deo. Propterea cooperante tali voluntate, venit ad eum misericordia mea, cum iustitia, vt purgatus veniret ad gloriam sempiternam. Nam facta professione, statim infirmitate graui percussus est, & intantum tribulatus est, quod oculi præ dolore exierunt. Aures nihil audierunt, & in omnibus membris destitutus est, quia voluit sine labore esse. Patiebatur & nuditatem maiorem quam in sæculo, & cum haberet delicatiora non potuit ea comedere, & cum natura requirebat non habebat illa. Sic quoque natura eius consumpta fuit ante mortem, quod factus est quasi inhabilis truncus. Mortuus vero venit ad iudicium quasi fur, quia voluit esse in religione ad voluntatem suam, non ad melius viuendum, sed tamen non debuit iudicari vt fur, quia licet puer, & fatuus fuit in ratione, & conscientia, attamen fidem & spem habebat in me Deum suum, & ideo ad misericordiã iudicatus fuit. Cuius peccatum, quia in pœna corporali ad plenum purgari non potuit, ideo anima eius adhuc ita grauiter punitur in purgatorio, ac si cutis extracto osse in prælo poneretur, vt medulla melius extorqueretur. Quid igitur passuri sunt illi, qui omnem processum vitæ suæ in peccato habent, & nihil contrarij habent, nec habere volunt? Væ eis, quia ipsi mihi dicunt, quare mortuus est Deus, aut quæ vtilitas est in morte eius? Hæc mihi repẽdunt, quia redemi eos, quia seruo eos, quia do eis sanitatem, & necessaria eorum. Et ideo exquirã ab eis iudicium, ex eo quod fregerunt fidem quam vouerunt in baptismo. Et ex eo, quod quotidie delinquunt, contemnendo mandata mea. Nec aliquod minimum ad quod obligantur in religione, dimittam impunitum.

Declaratio.

Hic frater occultum habuit peccatum, quod nunquam voluit confiteri. Ad quem ex mandato Christi beata Birgitta accessit dicens: pœnitere attentius, est tibi aliquid occultum in corde, quod quamdiu clausum tenueris, mori non poteris. Cui respondit ille, se nihil habere quod in pœnitentia non esset publicatum. Et illa: Inquire, inquit, qua intentione hucusque vixisti, & inuenies in corde tuo veritatem. Tunc resolutus in lacrymas ait: Benedictus Deus, qui te misit ad me. Iam enim ex quo tu ex secreto meo locuta es, dicere volo audientibus veritatem. Ego enim quoddam occultum habeo in corde, quod prodere numquam audebam nec poteram, quia quoties pœnitui de alijs peccatis, de isto quasi semper lingua mea erat ligata, & nimius etiam pudor inuasit me, ne confiterer absconditũ remorsum cordis mei. Ideo quoties confessionem cordis mei feci, inueni mihi nouam conclusionem verborum meorum, dicens: O pater, confiteor vobis culpam meam de omnibus quæ vobis dixi, & etiam de alijs, quæ non dixi, credens per hãc conclusionem omnia secreta mea dimitti. Sed nunc Domina mea, si placeret Deo, libenter dicerem toti mundo ea quæ in corde meo, plene tanto tempore occultaui igitur Confessori. Vocato cum lacrymis omnia peccata illa explicauit, & & eadem nocte mortuus est.

CHRISTVS DOCET Sponſam pulchras orationes, quas debet dicere quando induitur, & quã do vadit ad menſam, & ad dormiendum, monens eam, quod in omnibus veſtimentis ſuis ſit humilis, & in mẽbris ſuis honeſta, & moderata.

CAP. XCIIII.

FILIVS Dei loquitur ad Sponſam, dicens: Pulchritudo exterior, ſignificat pulchritudinem interiorem, quam homo debet habere. Ideo cum imponis tibi victam, ſeu velum capitis, qua ſtringuntur capilli. Dicito: O Domine Deus gratias ago tibi, quia ſupportaſti me in peccato meo, & quia per incontinentiam meam non ſum digna videre te, ideo velo capillos meos. Et adiunxit Dominus: In tantum eſt abominabilis mihi incontinentia, quod etiam quæcumque virgo ſi volũtatem habet luxuriandi, non eſt apud me virgo munda, niſi pœnitentia correxerit illam voluntatem. Quando vero velas frontem, dicito: O Domine Deus, qui omnia bene creaſti, & hominem excellentius præ omnibus ad imaginem tuam creaſti, miſerere mei. Et quia non ſeruaui pulchritudinem faciei meæ ad honorem tuũ, ideo velo frontem meam. Cum vero attrahis calceos dicito: Benedictus ſis tu Deus meus, qui præcipis mihi habere calceos, vt ſim fortis, & non tepida in ſeruitio tuo, conforta igitur me, vt in mandatis tuis poſſim ambulare. In cęteris etiam veſtimentis tuis omnibus humilitas ſit, & in omnibus membris tuis honeſtas moderata. Cum vero ad mẽſam accedis, dicito: O Domine Deus, ſi velles ſicut potes me ſine cibo ſubſiſtere, libenter rogarem te, nunc autem quia præcipis nos cibum ſumere cum diſcretione, rogo te da mihi cõtinentiam in cibo, vt per gratiam tuam poſſim comedere ſecundum naturæ neceſſitatem, & non ſicut cupiditas carnis petit. Cum autem accedis ad ſomnum, dicito: Benedictus ſis tu Deus, qui temporum viciſſitudines diſponis nobis ad alleuiationem, & ſolatium animæ & corporis, rogo te da corpori meo requiem in hac nocte, & ſerua me illæſam a poteſtate, & illuſione inimici.

CHRISTVS LOQVENS Sponſæ, declarat ei, quæ, & qualia ſunt arma iniquorũ, qui ſi glorificauerint ſe in peccato cum volũtate in eo perſeuerandi, gladio ſeueritatis diuinę iuſtitię terribiliter conſumentur.

CAP. XCV.

FILIVS Dei loquitur: Ego ſto quaſi rex prouocatus ad pugnam. Diabolus autem ſtat contra me cum exercitu ſuo. Verum intentio, & ſtabilitas propoſiti mei eſt talis, quod antequam a iuſtitia diſcederem ad vnum punctum, prius cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, caderent.

1 Diaboli vero intẽtio talis eſt, quod priuſ quã ſe humiliaret, prius vellet vt eſſent tot inferni quot ſunt athomi in ſole, & vnũ cum alio ſine fine ſuſtinere. Itaque inimici mei aliqui appropinquant ad iudicium, & non eſt diſtantia inter nos pluſquam ad duos pedes. Vexillum eorum erectum eſt, clypeus eſt in brachio, manus ad gladium, ſed nondum extractus eſt.

2 Tantaque eſt patientia mea, quod niſi ipſi prius percuſſerint tũ percutiam ego. In vexillo autem inimici tria ſunt, gula, cupiditas, & luxuria. Quorum galea eſt duritia cordis eorum, quia non attendunt pœnam inferni, nec attendunt quam abominabile eſt peccatum. Foramina galeæ ſunt voluptas carnis, & volũtas placere mundo. Per talia enim diſcurrunt circumquaque, & vident non videnda. Clypeus vero eorum eſt perfidia, qua excuſant peccatum, & imputant fragilitati carnis, ideo pro nihilo ducunt petere veniã pro peccatis. Gladius vero eorum eſt voluntas perſeuerandi in peccato, qui nondum extractus eſt, quia nondũ completa eſt malitia eorum. Tunc vero extrahitur gladius, quando volunt tamdiu peccare, quanto tempore viuere poſſent. Tunc vero percutiunt quando gloriantur de peccato, & optant in ſtatu peccati permanere. Cũ igitur ſic completa fuerit eorum malitia, tunc vox in exercitu meo clamabit, dicens, percute nunc. Et tunc gladius ſeueritatis meæ conſumet eos, & quilibet ſicut armatus eſt, ſuſtinebit pœnam. Quorum animas rapient dæmones, qui ſicut rapaces aues non quærunt bonum temporale, ſed animas, quas ſine ceſſatione laniabunt.

NO-

NOTAE.

1 Diaboli vero intentio talis est, quod priusquam se humiliaret prius vellet esset tot infernos quot sunt athomi in Sole.

Diabolum nullo pacto sui delicti pœnitere posse legimus. etiam supra lib. 1. Reuelat. cap. 34. & ibi nota septima reiecimus sententiam Origenis, qui lib. 1. Periarchon cap. 6. contrariam sententiam sequitur, vnde autem huiusmodi obstinatio oriatur declarauimus ex mente S. Thomæ, & Scoti nota supra citata.

2 Tantaque est patientia mea, quod nisi prius percusserint non percutiam eos.

Cum Dei propriũ sit misereri potius, & parcere, quam flagellis homines cædere, mirum non est, quod ipse nobis minime inferat pœnas, nisi eum prius peccatis nostris prouocauerimus ad iram: pœnitentiam inquit D. Hilarius in psalm. 2. memorat Deus ad pœnam, quia puniri desinerent, qui esse impij destitissent, & hoc est quod legimus hic, quod nisi ipsi prius percusserint, non percutiam ego, signanter autem verbum percusserint apponitur, quoniam sic Deus odio habet peccata, vt cum ea homines committunt, existimet ab his se esse percussum, secundum illud Apostoli hæbreorum 6. rursus crucifigentes sibi met ipsis filium Dei, idem habetur lib. 1. Reuelat. c. 37. non longe ab initio ibi, nam licet deitas impassibilis sit, nec mori posset tamen cum proprijs vitijs crucifigunt eum. Hoc ipsum satis aperte explicat Lodulphus de vita Christi 2. pa. ca 63. his verbis, sed caue ne tu clauos Crucis Christi fabrices, vel manus, aut pedes Domini eius vulneres, aut configas, clauos enim Crucis Christi fabricat, qui inter proximos discordias seminat, manus vero Domini videtur clauis vulnerare, & configere, qui de bonis a Deo datis nõ vult eleemosinas erogare. pedes autem Christi clauis ferreis perforat, qui theatra seu spectacula, & tabernas magis quam Ecclesias visitat, sed hoc de re etiam legimus libr. 6. cap. 18. nota secunda.

DECLARAT SPONSVS Sponsę quid significat distantia duorum pedum, & extractio gladii, de quibus dixerat supra in proximo capitulo.

CAP. XCVI.

FILIVS Loquitur. Dixi tibi prius, quod inter inimicos, & me non est, nisi distantia duorum pedum. Iam enim modo ipsi ad iudicium alio pede appropinquant. Vnus istorum pedum est remuneratio illorum bonorum operum, quę pro me fecerunt, ideo ab isto die augebitur infamia, amarescet delectatio eorum, auferetur gaudium, augmentabitur tribulatio, atque dolor. Secundus vero pes est malitia eorum, quæ nondum completa est, sed sicut dici solet, quod quando aliqua res plena est, tunc crepat sic quando anima, & corpus separantur, damnantur a diiudicatore. Gladius vero est voluntas peccandi, qui ad dimidietatem extractus est, quia decrescente honore, & contrariis succedentibus plus angustiantur, & inardescunt iam ad peccatum. Prosperitas enim, & honor non multum sinebant eos cogitare de peccato. Nunc autem vt voluptatem suam perficiant, optant diutius viuere, & licentius iam apponunt peccare. Ve eis quia nisi se emendauerint perditio eorum iam appropinquat.

CHRISTVS LOQVENS Sponsę de quodam prælato dicit ei, quod anima deuota, quę perdidit deuotionis, & sanctæ meditationis calorem, propter superbiam, & cupiditatem suam, & propter implicationes mundi humiliando se perfecte Deo, & proximo recuperabit diuinum calorem, & lumen, vt sentiat diuinam dulcedinem.

CAP. XCVII.

FILIVS LOQVITVR per sponsam cuidam prælato dicens ei. Tu es similis rotæ molendini, quæ immobilis est, quæ cum stat fixa se non mouens, tunc grana in molendino non conteruntur. Rota itaque hęc

ſignificat voluntatem tuam, quę deberet eſſe mobilis non ad voluntatem, & deſideriū tuum, ſed ad meum, totumque relinquere te debes in manus meas. Sed hæc rota nimis immobilis eſt ſecundum velle meum, quia aqua terrenæ cogitationis nimis ſollicitat mentem tuam. Conſideratio vero operum tuorum, & paſſio mea, quaſi mortua eſt in corde tuo, propter quod cibus animę nō ſapit tibi, nec ſentitur. Et ideo tu irrumpe trāſitum aquæ obſtructum, vt defluat aqua, qua transeunte rota fiat mobilis, & grana faciliter contererentur. Obſtaculum autem, quod retentat aquam, ſuperbia mentis, & ambitio eſt, qua gratia Spiritus ſancti obſtruitur, & omne bonum quo anima fructificare debet impeditur. Ideo aſſume veram humilitatem in mente tua, per hanc enim influet dulcedo ſpiritus mei in animam tuā, & defluet terrena cogitatio. Per hanc etiā voluntas tua mobilis, & perfecta erit ad velle meum. Et tunc incipies opera tua tanquam grana diiudicare, & opera mea pro magno reputare. Quæ autem eſt vera humilitas, certe non curare fauores, & oblocutiones hominum, viam meam, quæ oblita, & neglecta eſt incedere. ſuperflua non quærere, ſimplicioribus te conformare. Si hanc viam diligis, tunc ſapiunt tibi ſpiritualia, tunc paſſio mea, & via ſanctorum meorum dulcis erit menti tuæ. Tunc intelliges quantum debitor es animabus quas regere ſuſcepiſti. Ergo quia iam in ſummitate rotę aſcendiſti duobus pedibus, potentia ſcilicet & honore. Ideo ex potentia tibi cupiditas, & ex honore eſt tibi ſuperbia. Propterea deſcende nunc humiliando te ipſum mēte, & humiles rogando pro te orare. Nam mittam tibi iuſtitiam meam, quaſi fluuium rapidiſſimum, & exigam à te nouiſſimum quadrantem, rationem ſcilicet pro affectu, pro cogitatu, pro locutione, & opere. Exigam quoq; animas quas prouidentiæ tuæ commiſſi, quas ego ipſe ſanguine meo redemi.

CHRISTVS LOQVENS Sponſę dicit, quod quatuor iaculis, ideſt quatuor increpationibus hic contentis, ſagittandi ſunt peccatores. Et tepidi, vt compungantur, & ad emendationem vitę humiliter reducantur.

CAP. XCVIII.

FILIVS loquitur. Ego dabo amicis meis quatuor iacula. Primo ſagittandus ē ille, qui altero oculo cecus eſt. Secundo, qui altero pede claudus eſt. Tertio qui alia aure ſurdus eſt. Quarto, qui proſtratus iacet in terra. Ille igitur alio oculo cecus eſt, qui mandata Dei, & opera ſanctorum meorum videt, & non attendit. Videt vero delectabilia Mūdi, & cōcupiſcit. Hic talis ſagittādus eſt
1 iſto modo dicēdo ei ſic. Tu ſimilis es lucifero, qui vidit ſummā pulchritudinē Dei, ſed quia iniuſte deſiderauit, quod non debuit, ideo deſcendit in infernum, ad quem, & tu deſcendes, niſi reſipueris. ex eo quod intelligis pręcepta Dei, & quod omnia tranſitoria ſunt in mundo. Ideo conſultiſſimum eſt tibi tenere certum, & dimittere trāſitorium, ne deſcendas in infernum. Ille vero alio pede claudus eſt, qui pœnitet, & conteritur de peccatis cōmiſsis, ſed laborat ad acquirendum terrena cōmoda, & lucra, quę mūdi ſunt, hic ſagittandus eſt taliter. Tu laboras pro commodo corporis, quod vermes comeſturi ſūt citius. Ideo labora fructuoſe pro anima tua, quæ in ęternum eſt victura. Ille vero alia aure ſurdus eſt, qui audire deſiderat verba mea, & ſanctorum meorum, ſed aliam aurē habet apertam ad ſcurrilia, & ad ea quæ ſūt mundi, ideo dicatur ei. Tu es ſimilis Iudæ, qui audiuit vna aure verba Dei, & per aliā exierunt: ideo non profuit ſibi ſermo auditus. Propterea claude aures tuas à vano auditu, vt ad Angelicos cantus poſsis peruenire. Ille vero iacet totus in terra, qui terrenis implicatur, ſed tamen cogitat, & vellet ſcire viam, per quam ſe emendare poſſet. iſti dicatur taliter. Tempus iſtud breue eſt, quaſi punctus, pœna vero inferni eterna, & gloria ſanctorum perpetua. Ideo vt ad vitā veram peruenias nō ſit tibi moleſtum aliquid aſſumere graue, & amarum, quia ſicut Deus pius eſt, ſic eſt, & iuſtus. Quicunque igitur ſic ſagittatus fuerit, ſi ſagitta de corde eius exierit ſanguinea, ideſt quod iſte vere compungatur, & proponat ſe emēdare, huic ego immittam oleum gratiæ meæ, qua omnia membra eius conualeſcent.

NOTAE.

1 TV similis es lucifero, qui vidit summã pulchritudinem Dei.

Quomodo intelligendam sit, quod legimus hic luciferum vidisse pulchritudinem Dei tradidimus lib. 1. Reuelat. cap. 34. nota 3. & cap. 41. nota 3. quibus locis docuimus dæmones ante lapsum nullatenus habuisse matutinam cognitionem & beatificã visionem, qua per lumen gloriæ sancti in Patria diuinam essentiam intuentur, sed hoc diximus esse interpretandum de visione diuina quam diabolus habuit reflectendo se ad considerandam nobilitatẽ, & pulchritudinem suæ naturæ per quam manducebatur ad cognitionem Dei prout est omnium creaturarum auctor, & moderator.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ conqueritur de iudæis crucifixoribus, & conqueritur etiam de Christianis contemnentibus eum, & eius charitatem, & iustitiam, peccando prȩsumptuose, & scienter contra mandata eius, & spernẽtes sententias excommunicationis Ecclesiæ sub prȩtextu misericordiȩ eius propter, quod comminatur eis cum ira, & furore iustitiæ suæ.

CAP. XCIX.

MATER Loquitur. Isto tempore patiebatur filius meus, qui appropinquante Iuda traditore suo inclinauit se ad eum, quia Iudas breuis staturæ erat, dans ei osculum dicens. Amice ad quid venisti? Et statim alij rapuerunt eum, alij traxerunt eum per crines, alij sputis deturpabant eum. Deinde
1 loquebatur filius dicens. 1. Ego reputor, quasi vermis qui quasi mortuus in hyeme iacet, in quẽ transeũtes expuunt, & calcant in dorso eius. Sic fecerũt mihi Iudȩi hodie quasi vermi, quia abiectissimus, & indignissimus ab eis iudicatus sum. Sic & Christiani contẽnunt me, quia omnia illa, quæ pro charitate eis feci, & pertuli, reputant pro vanitate. Calcant quoque quasi in dorso meo, quando plus timent, & venerãtur hominem quã me Deum suum, quando iustitiam meam reputant pro nihilo, & in arbitrio suo constituunt tempus, & modum miserationis meæ. Percutiunt quoque me, quasi in dentes quã do auditis præceptis meis, & passione mea dicunt. Faciamus in præsenti quicquid delectat nos, & nihilominus habebimus cælestia. Si enim perdere aut in æternum punire nos vellet Deus, non creasset nos, & nõ redemisset nos tam amare. Ideo sentient iustitiam meam, quia sicut nec minimum bonum erit irremuneratum, sic nec minimũ
2 malum erit impunitum. 2. Contemnunt etiam me, quasi conculcantes me, quando non attendunt iuditia Ecclesiæ, scilicet excõmunicationem, ideo sicut excommunicati publice ab alijs deuitantur, sic ipsi separabuntur à me, quia excommunicatio quando scitur, & contemnitur, grauius nocet quam gladius corporalis, ideo ego, qui quasi vermis videor nunc reuiuiscere volo, per
3 terribile iuditium meum. 3. & veniam sic terribilis quam videntes dicent montibus. Cadite super nos à facie iræ Dei.

NOTAE.

1 EGo reputor, quasi vermis, qui quasi mortuus in hyeme iacet.

Hoc loco Christus Saluator noster conqueritur tum de Iudæis, tum etiam malis Christianis, qui illum contemnentes eiusque iustitiã, & charitatem flocci facientes eum vermi similes faciunt: qua similitudine plures etiam ex sanctis Patribus vsi sunt D. Augustinus in exposit. psal. 21. ad eum versum ego sum vermis, & non homo, & epistola 120. latissime ad Honoratum in qua plurima, quæ ad huius psalmi interpretationem faciunt affert, idem habet Origen. hom. 14. super Lucam D. Dyonisius de cælesti hierarch. cap. 2. D. Hieron. & alij plures super citatum psal. idem quoque, nos annotauimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 26. nota 4.

2 Contemnunt etiam me, quasi conculcantes me, quando non attendunt iuditia Ecclesiæ scilicet excommunicationem: Ideo sicut excommunicati publice ab alijs deuitantur, sic ipsi separabuntur a me.

In præsenti nota de his agitur, qui ecclesiasticas censuras negligunt, duo autẽ Christus Dominus dicit; primum quidẽ eos, qui excõmunicationẽ contẽnunt, ipsum met Deũ cõtemnere, quandoquidẽ illa ab eo manat qui ab ipso Deo potestatẽ excõmunicãdi habet. Postremo affirmat peccatores à Christo

 spernari.

Digitized by Google

separari, sicut publice excommunicati ab alijs separantur, & deuitantur, quod intelligendum esse arbitror de nominatim excommunicatis, ac denunciatis iuxta Constitutionem Concilij Constantiensis sub Martino Quinto, vt probat Couarruuias in cap. Alma Mater 9. 2. numero nono, & Sotus in 4. distinctione 22. quæstione prima, articulo 4. col prima. Siluester Verb. Excommunic. 5. numero 7. & alij plures, vel etiam de notorijs Clericorum percussoribus.

3 Et veniam sic terribilis, quam videntes
var. dicent montibus, cadite super nos a facie
lect. iræ Dei.

Hunc textum cum manuscripto Farnesiano sic restituendum esse censeo, Et veniam sic terribilis, vt videntes dicturi sint Montibus, Cadite super nos a facie iræ Dei. Hæc autem eadem verba dicta fuisse à Christo Domino, patet Lucæ 23. quo loco Saluator noster insinuare voluit, Iudæos, qui illi mortem intulerant, præ calamitatum multitudine, ac magnitudine, quæsituros aliquando abditissima terræ loca, in quibus sese absconderent, & iminentia pericula vitarent, & quid tunc dicturos esse montibus, Cadite super nos. Quod factum esse arbitror, quando a Tito, & Vespasiano Imperatoribus ciuitas Hierosolymitana funditus est euersa, totque Iudæorum millia ab illis exquisitis tormentorum generibus fuere trucidati, & quoniam vt annotauit Gloss. Lucæ 23. illa miseria Iudæorum figura fuit miseriæ super incredulos ventura in vniuersali iudicio: ideo Christus eadem verba repetit, idem hoc loco significare volens, quantæ iterum impijs calamitates, nouissimis temporibus superuentura sint, & quam terribile vniuersale iudicium futurum sit, vt mirum cuique videri non debeat si dicat hic, quod reuiuiscere velit per terribile iudicium, quodque venturus sit sic terribilis, vt videntes dicturi sint montibus, Cadite super nos a facie iræ Dei.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ dicit ei, quod ipsa est quasi fistula Spiritus sancti, per quam ipse dulcem sonum faciet in mundo ad honorem suum, & vtilitatem gentium, propter quod Ipse vult eam extra deargentare bonis moribus & sapientia; intus vero deaurare vera humilitate, & cordis munditia.

CAP. C.

FILIVS loquitur ad Sponsam: Tu debes esse quasi fistula, per quam fistulator dulcem facit sonum. Qui autem possessor fistulæ est, deargentat eam exterius, vt videatur pretiosior, intus vero deaurat auro perseueranti. Sic & tu deargentata debes esse bonis moribus, & humana sapientia, vt intelligas quid debeas Deo, quidve proximo tuo, quid vero expedit animæ tuæ, & quid corpori ad æternam salutem. Intus autem debes esse deaurata per humilitatem, vt scilicet nulli placere appetas nisi mihi, nec displicere timeas hominibus propter me.

Deinde fistulator tria facit fistulæ suæ. Primo inuoluit eam syndone ne maculetur. Secundo facit ei coopertorium in quo custodiatur. Tertio facit coopertorio seram, ne a fure auferatur. Sic tu inuolui debes munditia, vt nec affectu, nec delectatione velis amplius inquinari, sed labora libenter, vt possis esse tela, quia corrumpit bonos mores conuersatio malorum. Sera vero est diligens custodia sensuum tuorum, & interiorum omnium, vt in omnibus actibus tuis attẽdas, ne astutia diaboli decipiaris. Clauis vero est Spiritus sanctus, qui cor tuum aperiat, prout mihi placuerit, ad honorem meum, & hominum vtilitatem.

CHRI-

MATER DEI LOQVITVR diceas, quod cor filij sui est suauissimum, mundissimum, & dulcissimum, & in tantum abundans charitate, quod etiam si peccator staret ad portas perditionis, si clamaret ad eum voluntate se emendandi, statim liberaretur, peruenitur ad cor Dei per humilitatem veræ contritionis, & per deuotam, & frequentem considerationem eiusdem passionis.

CAP. CI.

MATER Dei loquitur: Cor filij mei est suauissimum, quasi mel, & mundissimũ quasi fons purissimus, quia ab ipso quicquid est virtutis & bonitatis quasi a fonte procedit. Ipse etiam est dulcissimus. Quid enim est dulcius homini sensato, quam considerare charitatem eius in creatione, & redemptione, in labore, & doctrina, in gratia eius & patientia. Eius quippe charitas non est fluida sicut aqua, sed extensa & durabilis, quia charitas eius vsque ad nouissimum manet cum homine, in tantum quod si peccator staret ad fores perditionis, adhuc si inde clamaret cum voluntate emendandi se, eriperetur. Item ad perueniendum ad cor Dei sunt duæ viç. Prima est humilitas verç contritionis, & hæc inducit hominem in cor Dei, & in colloquium spirituale. Secunda via est consideratio passionis filij mei, quæ remouet duritiam a corde hominis, & facit currere gaudenter ad cor Dei.

OSTENDITVR SPONSAE in visione iudicium vnius animæ cu- a
iusdam religiosi coram Christo iudicante, pro quo beata virgo interpellat, quem diabolus de grauibus peccatis crudeliter accusat.

CAP. CII.

MATER Dei loquitur filio dicens: Quærimonia mea magna est, licet omnia scias, sed propter istã quç astat proteram. Respondit filius: Mihi omne iudicium datum est, & oportet me de singulis iudicare. Verum ad iudicem iustum nouem bona pertinent. Primo attente audire. Secundo discernere proposita. Tertio voluntas velle iudicare iuste. Quarto inquirere, qua de causa litigatur. Quinto inquirere quanto tempore lis durauerat, quia grauius damnum est de iudicij
dilatione. Sexto inquirere quales testes, si g
probati, si affirmatiue coniuncti, aut si alter litigantium habet plures testes. Septimo non esse præceps, nec timidus in iudicio, nec timere potestatem, aut damnum, seu dehonestationem propter veritatem. Octauo non curare preces, seu dona aliquorum. Nono esse æquum in iudicando sic iudicare pauperi sicut diuiti. Ita fratri & filio, sicut extraneo, non facere contra veritatem propter aliquod delectabile mundi. Ergo mater charissima dicito quç vis. Respondit *Mater*. Duo certant inter se, & in eis sunt duo spiritus, in vno bonus, & in alio malus. Certant vero de emptione sanguinis tui, alter ad occidendum, alius ad viuificandum. In vno est dilectio, & obedientia, in secundo odium & superbia. Fac igitur iudicium. Respondit filius: quot sunt testes cum amico tuo, & quot cum altero? *Respondit Mater*: Amicus meus habet paucos, alter vero multos habet, qui sciunt veritatem, & audire contemnunt. Respondit filius: Faciam iudicium iustum. *Et Mater ait*: Amicus meus non conqueritur, sufficit enim sibi sola sui corporis substantia, sed ego quæ Domina sua sum conqueror, ne malitia præualeat. Respondit Filius: Faciam quæ vis. Sed sicut scis, iudicium corporale præcede-
b re debet spirituale, 1 & nisi fuerit consumatum peccatum, non debet aliquis iudicari. *Et Mater*: O fili, licet nos omnia sciamus,

mus, tamen propter astantem quæro, quod
& quale in isto sit iudicium corporale, quid
2 vero spirituale? Et filius. 2 Iudicium, in-
quit, corporale est, vt anima eius celeriter
discedat a corpore, & manus eius fiat mors
eius. Iudicium vero spirituale est, vt ani-
ma eius suspendatur in patibulo inferni,
quod non est ex funibus, sed ex igne arden-
tissimo, quia ouis degenerans est a grege
suo. Tunc vnus de religiosis sancti Augu-
stini loquebatur ad iudicem dicens: Domi-
ne nihil tibi cum isto, tu vocasti eum ad
quietem, & ipse eius oblitus est, obedien-
tia sua fracta est, nomen eius ablatum est,
& opera eius nulla. Respondit iudex: Ani-
ma eius non est præsens in iudicio ad re-
spondendum. Cui diabolus dixit: Ego vo-
lo respondere, si tu vocasti eum a procellis
mundi ad quietem, ego vocaui eum de al-
tissimo vertice, seu cacumine, in profundis-
simam fossam. Obedientia eius promptis-
sima est ad me. Nomen eius apud me est
gloriosum. Cui iudex: Expone, inquit,
quid notas. Et dæmon dixit: faciam, licet
inuitus. Tu vocasti eum de procellis cu-
rarum mundi, ad requiem vitæ spiritualis,
quasi ad portum bonum, sed ipse reputat
hoc quasi pro nihilo, quia magis appetit
3 sollicitudines mundi. 3 Altissimus vero
vertex est contritio bona & confessio, hanc
qui perfecte tenet, ipse loquitur tecum, qui
es potentissimus, & attingit ad tuam maie-
statem. De hoc vertice, seu cacumine altis-
simo ego præcipitaui eum, quando ipse pec-
care proponit vsque in finem, quando pec-
cata reputat pro nihilo, & iustitiam tuam
pro vanitate. Profundissima vero fossa est
gula & cupiditas, quia sicut fossa profundis-
sima non de facili impletur, sic insatiabilis
4 est cupiditas sua. 4 Nomen autem eius
erat monachus, & nomen monachi est custo
dia sui, & abstinentia etiam a licitis, sed hæc
in eo abolita sunt, & iam vocatur Saul.
Sicut enim Saul recessit ab obedientia, nam
obedientia sua fracta est, quia sicut duæ ex-
tremitates ligni fracti non conueniunt pro-
pter putredinem eius, sic nec desiderium cæ
leste, nec diuina charitas, quæ sunt tamquã
duę extremitates, & vniones obedientiæ,
conuenire possunt in obedientia sua, quia
non obedit nisi ad mundanam vtilitatem, &
voluntatem suam propriam, & opera sua
sunt secundum opera mea. Quia licet ego
non legam Missam, nec cantem, nec faciam
reliqua sicut ipse, tamen quando omnia ista
facit secundum velle meum, tunc facit ope-
ra mea, & dici possunt opera mea. Nam cũ
celebrat Missas ex pręsumptione accedit ad
te, & ex præsumptione illa impletur maiori
malitia mea. Cantat etiã pro laude hominũ,
& cũ ego ostendo ei dorsũ meũ, ipse dorsum
suũ vertit ad me. Et quando ego volo, vertit
ventrem suum ad ventrem meum, id est om
nem voluptatem suam perficit secundum
voluntatem meam, & omnia quę facit cau-
sa præsentis vitæ, & propriæ voluntatis fa-
cit. Ideo opera eius sunt opera mea.

Additio Item anima eadem apparuit cę-
ca, & tremẽs, quam Aethiops quidam inse-
quebatur, vsquequo veniret ad iudicem,
qui residere videbatur in throno, grãdi mul
titudine astante. Et dixit Aethiops. O iu-
dex, iudica mihi animam istam. Iam ipsa
enim personaliter est præsens, & iam præ-
cessit iudicium eius corporale. Et addidit
Aethiops. Tu, inquit, dixisti, quod manus
eius fieret mors eius, hoc iam factum est.
Et iudex, hoc dupliciter potest intelligi, aut
quia operatio mala fuit occasio mortis
eius, aut quia manus eius corporalis abbre
uiabat vitam corporis eius. Respondit Ae-
thiops, vtrumque verum est. Nam vita
impudica occidit animam eius, & impatien
tia aperuit vulnus carnis eius, quo mortuus
est. Cui iudex: Tu, inquit, accusasti animã
istam prius, quia sequebatur in omnibus
velle tuum, & quia præcipitabas eam de ver
tice altissimo, & quia ventrem suum verte-
bat ad te. Ideo audiamus, quid dicit ipsa
anima. Et iudex quasi vertens se ad animã
dixit: O anima, tu habuisti rationem di-
scernendi inter bonum & malum. Cur no-
men sacerdotij honorificum strauisti sub
pedibus tuis? Respondit illa: Habui qui-
dem rationem, sed magis sequebar velle
meum, discredens quod sub specie tam mo-
dica, tanta magnitudo occultaretur. Dixit
iudex secundo: Tu sciuisti quod religionis
perfectio est humilitas, & obedientia, cur
sub specie ouis ingressus es lupus? Cui ani-
ma, inquit, vt effugerem opprobrium mun-
di, & quietiorem ducerem vitam. Respon-
dit iudex tertio: O frater sed non meus. Si
vidisti exempla sanctorum fratrum, & au-
disti verba sanctorum, cur non es illa secu-
tus? Respondit illa: Omnia illa bona, quæ
ego audiui, & vidi, erant mihi odiosa, & o-
nerosa, quia statui in corde meo magis se-
qui volũtatem meam, & mores meos, quam
mores Sanctorum. Item iudex dixit quar
to: Numquid non frequentabas ieiunia, &
orationes, & confessiones? Cui anima: Fre-
quentabam, ait, ieiunia & orationes, sed fe-
ci sicut ille qui dixit, minima vt placeat, sed
ne displiceat, abscondit maiora. Cui iu-
dex, inquit: Numquid non legisti, quod qui-
libet homo debet reddere rationem etiam
de quadrante, hoc est de minimis? Tunc ani
ma quasi cum maximo eiulatu, ait: Vere
Domine legi, & sciui in conscientia mea,

sed

sed putaui misericordiam tuam esse ita magnam, quod nolles æternaliter punire. Ideo habui velle pœnitere in senectute, sed dolor & mors ita venerunt subito mihi, quod cū vellem confiteri, perdidi memoriam, sed & quasi vinculo quodam erat mea lingua ligata. Tunc clamauit diabolus: *O iudex, ecce mirabile video, anima iudicat seipsam.* Confitetur nunc infructuose malum suum, & tamen ego non audeo apponere ad eam manum meam sine iudicio tuo. Respondit iudex: Factum est, & consummatum. Quibus dictis, Aethiops & anima quasi colligati disparuerunt, & quasi cū maximo tonitruo descenderunt. Item dixit iudex: *Hæc* omnia in vno puncto facta sunt, sed propter te, vt intelligas, videntur in tempore facta, vt videas, & scias, & timeas iustitiam Dei.

NOTAE.

1 ET nisi fuerit consummatum peccatum non debet aliquis iudicari.

Sermo fit in præsenti Nota de consummatione peccati in ordine ad consensum internum, non vero in ordine ad externum actum, quod vt palam fiat sciendum est, quod licet peccatum illud proprie consummatum dicendum videatur, quod ex interna cogitatione ad effectum foris perducitur, & quo ex consensu in opus itur, vt ex illo Iacobi 1. colligi potest, vbi scribitur, peccatum cum consummatum fuerit generat mortem, nihilominus ex verbis præsentis Notæ deduci minime debet, externum tantummodo actum malum iudicandum esse, quoniam si operationes quoque bonæ discutiendæ sunt, ac de his quærendum diligenter, quo fine, quibusve circumstantijs factæ sunt, vt David Psalm. 74. testatur, cum dicit in persona Christi: Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo, cumque nobis de singulis vsque ad minimum quadrantem reddenda ratio sit, quanto magis de actibus etiam internis malis iudicium habendum erit. Dicendum ergo non esse huius Notæ verba intelligi debere de consummatione peccati in ordine ad solum consensum, qui foris ad effectum, & actum externum non fuit perductus, qui consensus nisi fuerit plenus & consummatus, & ex deliberato rationis motu, posita sufficiente aduertentia huiusmodi peccatum, nullatenus iudicandum esse hoc loco, legimus, inferni scilicet pœna dignum, quoniam tunc veniale peccatum esse putatur, quod pœna tantummodo temporali non æterna punitur.

2 Iudicium, inquit, corporale est, vt anima eius celeriter discedat a corpore, & manus eius fiat mors eius.

In hoc capite Christus Dominus verba facit de quodam Monacho Augustinianæ familiæ, vt creditur, professo, sicut colligi potest ex verbis infra non longe ab his positis, quæ sunt: Tunc vnus de Religiosis S. Augustini loquebatur ad Iudicem, dicens: Domine nihil tibi cum illo, tu vocasti eum ad quietem, & ipse eius oblitus est, obedientia sua fracta est, nomen eius ablatum est, & opera eius nulla. De hoc ergo scribitur hic, quod manus eius fiet mors eius, quod esse intelligendum arbitror, aut quod propter peccata sua mortem sibi accelleraverit, prout innuitur, cum dicitur aliquanto post medium capitis, quia operatio mala fuit occasio mortis eius, & hoc congruit cum eo versiculo Psalmi 54. Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos, aut etiam dicendum est, quod huius Religiosi manus facta sit mors eius, quoniam ex desperatione sibi forsitan mortem intulit, vt videtur insinuari infra circa finem capitis, vbi legimus, aut quia manus eius corporalis abbreuiabat vitam corporis eius.

3 Altissimus vero vertex est cōtritio bona, & confessio, hanc qui perfecte tenet, ipse loquitur tecum, qui es potentissimus, & attingit ad tuam maiestatem.

Hoc loco nobis explicandum esset, quænam perfecta contritio sit, quasve partes essentiales requirat, sed quoniam hac de re late egimus supra lib. 3. Reuelat. cap. 26. Nota 4. ideo placet quædam tantummodo hic breuiter annotare, quæ ad horum cognitionem spectare videntur. Sciendum est ergo ad veram contritionem quatuor principaliter requiri: primo quidem dolorem maximū peccatorum, vt ipsa peccata sunt offensa Dei, & ille dolor debet esse maximus, saltem extensiue, vel appretiatiue, vt declarauimus ibi: secundo requiritur propositum amplius de cætero, non peccandi: tertio sacramentum Confessionis, in voto: quarto voluntas satisfaciendi; ille ergo qui huiusmodi contritionem omnibus his circumstantijs absolutam obtinet, dicitur hic cum Deo loqui, eiusque maiestatem attingere, quia remissa lethali culpa restituitur in pristinam amicitiam Dei, fitque, vt orationes eius ad eum perueniant, & ab illo exaudiantur, & hoc est Deum alloqui, eiusque maiestatem attingere.

4 Nomen autem eius erat Monachus, & nomen *Monachi* est custodia sui, & abstinentia etiam a licitis, sed hæc in eo abolita sunt, & iam vocatur Saul.

Optime hoc loco Monachus ille, cuius in præsenti cap. Nota 2. mentionem fecimus, non amplius Monachus, sed Saul est appellatus, quoniam sicut Saul præcepta Domini transgressus est, vt scribitur primo Regum cap. 15. qui contra eius mandatum pepercit Agag, & optimis gregibus ouium, &

ar-

armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluit ea diſperdere, prout Dominus iuſſerat: ſic Monachus iſte Religionis regulas tranſgrediens, noluit parcere vniuerſis, quæ pulchra ſibi, ac delectabilia videbantur, ſcilicet diuitijs, & carnis voluptatibus, vt merito Saul dici hic poſſit, cũ præſertim Saul interpretatur fouea, ſiue ſepulchrũ, vel infernus, & iſte Monachus de altiſsimo vertice in profundiſſimam inferni foueã lapſus eſt, vt legimus ſupra non longe ab initio huius capitis, inſuper addendum eſt, quod cum ille vitio gulæ deditus eſſet, iure ſepulchrum appellari poteſt. De his enim ſcriptum eſt Pſal. 5. Sepulchrum patens eſt guttur eorum.

ORANTE CHRISTI SPONſa vidit in viſione qualiter beatus Dionyſius orabat pro regno Franciç ad Virginem Mariam.

CAP. CIII.

CVM eſſem orando, vidi qualiter ad Mariam Virginem beatus Dionyſius loquebatur, dicens: Regina miſericordiæ tu es, cui data eſt omnis miſericordia, & Mater Dei facta es propter miſerorum ſalutem, miſerere igitur Regno Franciæ tuo, & meo. Tuo quidem, quia habitatores eius te pro modulo ſuo honorant. Meo autem, quia patronus eorum ſum, & in me habent fiduciam. Tu quippe vides quantæ animæ periclitantur omni hora, & hominum corpora quaſi beſtiæ proſternuntur, & quod grauius eſt animæ, quaſi nix deſcendunt in infernum. Conſolare ergo eos, & roga pro eis, quia Domina es, & omniũ adiutrix. Reſpondit Mater Dei: Procedas ad filium meum, & audiamus propter iſtam, quę aſtat, quid ipſe reſpondebit.

MATER DEI ORAT cum beato Dionyſio, & alijs Sanctis eundem filium ſuum pro Regno Frãciæ, & ſuper guerra iſtorum duorum Regum, qui aſſimilantur duabus beſtiis ferociſsimis.

CAP. CIIII.

MATER loquitur ad filiũ, dicens: Benedictus ſis tu fili mi. Scribitur, quod ego dicebar benedicta, quæ te portaui in vtero, tu vero reſpondiſti, quod ille eſt etiam benedictus, qui verba tua audiret, & ſeruaret illa. Ergo fili, ego ſum illa, quæ verba tua memoriter in corde meo ſeruaui. Ideo reduco vnũ verbum quod dixiſti, ſcilicet Petro quærenti ſi dimitteret peccanti vſque ſepties, reſpõdiſti dimittendum vſque ſeptuagies ſepties. Notans per hoc, quod quoties aliquis ſe humiliat cum voluntate emendandi, toties tu paratus es dare miſericordiam. Reſpondit filius: Teſtimonium tibi perhibeo, quod verba mea fuerunt radicata in te, ſicut ſemen quod ſeminatur in pingui terra, dans ex ſe fructum centeſimum. Sic etiam virtuoſa opera tua, omnibus faciunt lætitiæ fructum, ideoque pete quæ vis. Reſpondit Mater: Rogo te cum Dionyſio, & alijs ſanctis tuis, quorum corpora in hac terra iſtius Regni Franciæ ſunt, animæ vero in cælo, miſerere iſti Regno. Ego enim per ſimilitudinem loquendo, propter iſtam quæ præſens eſt ſpiritu, video quaſi duas beſtias ferociſſimas, quamlibet de genere ſuo. Altera enim cupidiſſima eſt deglutire quæ poteſt habere, & quo plus comedit, eo magis eſurit, nec ſatiatur fames eius. Beſtia vero ſecunda nititur ſuper omnes aſcendere. Iſtæ beſtiæ habent tria mala. Primo terribilem vocem. Secundo ſunt plenæ periculoſo igne. Tertio quælibet deſiderat alterius cor in ſe deglutire. Et vna inquirit in dorſo alterius, dentibus ſuis inuenire ingreſſum ad cor, vt mordendo occidat. Altera vero habet os ante pectus alterius, volens ibi inquirere ingreſſum ad cor. Vox terribilis iſtarum beſtiarum auditur longe. Et omnes beſtiæ, quæ aperto ore veniunt, erunt ardentes igne iſtarum beſtiarum, ideo cadent in mortem. Illæ vero beſtiæ, quæ clauſo ore veniunt, priuabuntur vellere, & diſcedent nudæ. In iſtis duabus

bus

bus bestijs intelliguntur duo Reges, scilicet Franciæ, & Angliæ. Rex alter non satiatur, quia bellum suum est ex cupiditate. Rex alius nititur ascendere, ideo ambæ plenæ sunt igne iræ, & cupiditatis. Vox bestiarum est talis: Recipe aurum, & diuitias mundi, vt non parcas sanguini Christianorum. Quælibet istarum bestiarum desiderat alterius mortem, & ideo quælibet quærit alterius locum ad nocendum. Illæ vero quærit in dorso nocere, qui iniustitiam suā desiderat audiri esse iustitiam, & vt alterius iustitia diceretur esse iniustitia. Alius autem quærit in pectore nocere cordi, qui scit se habere iustitiam, & ideo facit multum damnum, non curans de perditione, & miseria aliorum, nec in sua iustitia habet diuinam charitatem. Ideo ergo quærit in pectore ingressum, quia ipse maiorem habet iustitiam ad regnum, & cum ipsa iustitia habet superbiam, atque iram. Alius vero habet minorem iustitiam, ideo ardet cupiditate. Bestiæ quoque aliæ, quæ aperto ore veniunt, hi sunt qui propter cupiditatem veniunt ad eos. Horum ora aperta implēt hi, qui vocantur reges, sed sunt veri proditores. Proijciunt namque pecunias abundanter, & dona in ora ipsorum, & sic faciūt eos ardere ad bellum, vt cadant in mortem. Quorum bona remanent, & corpora recipiuntur in terra, & cor rodunt vermes, diaboli eorum animas. Et sic isti duo Reges produnt multas animas de filio meo, qui eas redemit sanguine suo. Illæ vero bestiæ, quæ priuantur vellere, sunt homines simplices, & qui contentantur de bonis suis. Qui hac intentione procedunt ad bellum, quia credunt se habere iustitiam, & bellum esse iustum, ideo priuantur velleribus, idest, corporibus per mortem. Animæ vero eorum recipiuntur in cælum, ideo fili mi miserere.

Respondit filius: Quia omnia fides in me, dic ista audiente quæ astat, quæ est iustitia, vt reges isti exaudiantur? Et Mater respondit: Ego, inquit, audio tres voces. Prima est istorum regum, quorum vnus cogitat sic: Si haberem mea, non curarem habere alia, & timeo carere omnibus. Et ex isto timore, scilicet, quod timet opprobrium mundi conuertit se ad me, dicens: O Maria roga pro me. Alter vero Rex aliter cogitat: Vtinam essem in statu priori, fessus sum. Ideo & ipse se etiam conuertit ad me. Secunda vox est communitatis, quæ quotidie rogat me pro pace. Tertia vox est electorum tuorum, qui clamant, dicentes: Non ploramus corpora mortuorum, non damna, non paupertatem, sed animarum casum, quæ quotidie periclitantur. Ideo o Domina roga filium tuum, vt animæ saluentur, propterea o fili mi miserere eis. Respondit filius: Scriptum est, quod pulsanti aperietur, vocanti respondendum est, & petenti dabitur. Sed sicut omnis qui pulsat extra ostium est, sic & isti reges extra ostiū sunt, quia me non habent in se. Tamen propter te petentibus est aperiendum.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ, dicit ei modum per quem debeat fieri pax inter Reges Franciæ, & Angliæ. Quod si ipsi Reges non obedierint grauissime punirentur.

CAP. CV.

FILIVS loquitur: Ego sum rex metuendus, & honorandus, ideo propter preces Matris meæ, mittam eis verba mea, ego sum pax vera, & vbi pax est, ibi pro certo ego sū.

1 Sic igitur isti duo reges Franciæ & Angliæ, si habere voluerint pacem, ego dabo eis perpetuam pacem. Sed pax vera haberi non poterit, nisi veritas & iustitia diligantur. Ideo quia alter regum habet iustitiā, placet mihi, vt per matrimonium fiat pax, & sic regnum ad legitimum hæredem peruenire poterit. Secundo volo, quod sint cor vnum, & anima vna in augendo fidem sanctam Christianam, vbi commodius fieri poterit ad honorem meum. Tertio deponant intolerabiles exactiones, & fraudolentas adinuentiones suas, & diligant animas subditorum suorum. Si autem ille rex, qui nunc tenet regnum obedire noluerit, sciat pro certissimo, quod non prosperabitur in factis suis. Sed in dolore finiet vitam, & regnum dimittet in tribulationibus. Et filius, & generatio sua erit in ira, & opprobrio & confusione, ita quod omnes admirabuntur. Si autem rex ille, qui iustitiam habet obedire voluerit, adiuuabo eum, & pugnabo pro eo. Si vero non obedierit, nec ipse perueniet ad desiderium suum, sed priuabitur obtentis. Et principium gaudiosum, dolorosus exitus obscurabit. Veruntamen quando homines regni Franciæ assumpserint veram humilitatem, regnum perueniet ad legitimum hæredem, & bonam pacem.

NO-

NOTAE.

1 SIc igitur isti duo Reges Franciæ, & Angliæ si habere voluerint pacem. &c.

In toto hoc capite de pacis ineundæ conditionibus inter Angliæ, & Galliæ Reges Christus Dominus cum B. Brigitta agit, hi tamen qui in specie fuerint hoc loco minime traditur, eorumque nomina reticentur, sed quantum coniecturis assequi possumus, ex his quæ hic afferuntur probabiliter credimus hos fuisse Odoardum huius nominis tertium Angliæ Regem, & Philippum Valesium, qui de hæreditario iure Franciæ, deque imperio multos annos decertarunt, quod satis aperte deduci potest ex verbis superioris capitis, in quo de eorumdem Regum bellis Maria Virgo cũ B. Brigitta tractat, ex quibus constat hos Reges, quorum ibi mentio fit, de Regni successione pugnasse. Sic enim legimus circa medium: in istis duabus bestijs intelliguntur duo Reges, Franciæ scilicet & Angliæ. Alter Rex non satiatur, quia bellum suum est ex cupiditate, Rex alius nititur ascendere. Rex autem Angliæ Odoardus ad regnum Galliæ nitebatur ascendere, existimans iure hæreditario illud sibi competere, sed hoc clarius habetur paulo post cum dicitur & ideo ergo quærit in pectore ingressum, quia habet maiorem iustitiã ad Regnum, constat igitur euidenter controuersiã de iure hæreditario Regni, & successione fuisse & tunc temporis, quo isti duo Reges adinuicem disceptabant B. Brigitta sanctitate floruit, fuit autem initium belli circa annum Domini 1336. & durauit per annos plurimos, ex quo probabiliter coniici potest in præsenti capite de his duobus Regibus Odoardo scilicet, & Philippo Valesio agi, horum autem res gestas, & bellorum exitus si quis scire desiderat, legat in primis Forsartum Gallum, qui horum bellorum historias copioso volumine scripsit, seu latius etiam de eadem re egit Polidorus Virgilius Tomo secundo historiarum Angliæ lib. 19. & Platina in vita Benedicti xij. qui affirmat Pontificem sæpe tentasse per Legatos inter hos duos Reges pacem componere, neque tamen ~~mihi~~ assequi potuisse. Dicit autem ibi, Odoardum aliquando tanta vi cum Gallis dimicasse, vt triginta milia Gallorum vna pugna interfecerit, quod fuit anno 1346. sicut testatur Georgius Lilius Brittannus in Epitome Chronicorum Regum Anglorum, & Polidorus Virgilius vbi supra.

CHRISTVS DICIT Sponsæ, quod non timeat frangere abstinentiam per obedientiam patris spiritualis, quia non est peccatum. Et etiam monet eam, quod stet stabilis, & resistat tentationibus continue, & quod habeat voluntatem firmam perseuernadi in bono exemplo Virginis Mariæ, & Dauid, & Abrahæ.

CAP. CVI.

FILIVS loquitur: Cur times. Nam etiam si quater in die comederes, non tibi imputabitur ad peccatum, si permissione eius feceris, cui teneris obedire. Sta ergo stabilis. Tu debes esse sicut miles, qui percussus in bello diuersis vulneribus, reddit inimicis vulnera multa acriora. Et eo ad pugnandum est feruentior quo plus ab hostibus appetitur.
1 Sic & tu inimicum tuum debes repercutere, & esse stabilis, & voluntatem rationabilem debes habere in bono perseuerandi. Tunc autem repercutis diabolum, quando tentationi non consentis, sed viriliter resistis, vt puta, opponendo humilitatem contra superbiam, continentiam contra gulam. Tunc vero es stabilis, cum in tentatione cõtra Deum non murmuras, sed cum hilaritate omnia sufferendo, & peccatis tuis omnia imputando, regratiaris Deo. Tunc vero voluntas tua est rationabilis, cum non desideras præmium, nisi ad voluntatem meam, cum te totam relinquis in manus
1 meas. 1 Primum itaque bonum, scilicet repercutere hostem, non habuit lucifer, qui
2 statim consensit cogitationi suæ, 2 ideo cecidit irrecuperabiliter, quia sicut nullum malitiæ suæ habuit instigatorem, ita etiam nullum habebit recuperatorem. Secundum bonum, scilicet stabilitatem non habuit Iudas, sed factus desperatus, seipsum suspendit. Tertium bonum scilicet voluntatem bonam non habuit Pilatus, quia feruentiorem voluntatem habuit ad placendum Iudæis, & ad honorem suum, quam ad me liberandum. Sed primum bonum, scilicet repercutere hostem habuit Mater mea, quæ quot habuit tentamenta, tot reddidit, & reopposuit contraria. Secundum vero bonum habuit Dauid, qui in aduersitate fuit patiens, & in casu suo non desperans. Tertium

bonum

Digitized by Google

bonum, scilicet voluntatem perfectam habuit Abraham, qui relicta patria, etiam filium vnicum immolabat. Hos igitur, & tu iuxta vires tuas imitare.

NOTAE.

1 PRimum itaque bonum non habuit Lucifer, qui statim consensit cogitationi suae.

Quoniam caeterorum daemonum princeps Lucifer praemium, quod ei ab aeterno paratum erat, non à Dei voluntate, sed à propria dependenter voluit, existimans illud sibi competere per naturam, quod illi debebatur per gratiam, cumque huiusmodi voluntas irrationabilis esset, atque huic cogitationi statim, vt scribitur hic consensum praestitisset eo praemio iure priuatus remansit, illud autē quod legimus hic nimirum, quod statim consenserit non arbitror intelligendum esse in primo suae creationis instanti, sed post primum instans, quoniam tunc peccasset, nullum verò Angelum in primo instanti creationis suae peccasse, ita certum est vt oppositum damnetur tanquam error à D. Thoma p.p. q. 63. art. 5. & de malo art. 4. & tradit D. Bonauent. in 2. d. 2. q. 2. vbi dicit hoc fuisse damnatum, vt erroneum à Magistris Parisiensibus, in hac etiam sententia conueniunt omnes fere Scholastici in 2. sent. d. 4. & 5. & probat Magister in 2. d. 3. vbi dicit Angelos esse bonos; quia non potuit optimus creator auctor esse mali, idem patet ex illo Ezech. 28. in delitiis paradisi fuisti, & Isaiae 14. quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris? & Ioan. 8. in veritate non stetit, ergo primo fuit in veritate, eandem sententiam sequitur D. August. 11. de Ciuit. cap. 13. & Conc. Bracharense primum can. 7. in quo damnantur anathemate asserentes, quod Angeli non prius facti sint boni, quam caderent: an verò de possibili in primo suae creationis instanti daemon peccare potuerit, affirmant Scotus in 2. d. 5. q. 1. Greg. Ariminensis [illegible] q. 1. art. 2. Gabriel in 2. d. 4. q. vnica art. 3. Marsilius d. 4. q. 3. art. 3. contrariam tamen sententiam tuetur D. Thomas q. supra citata, art. 6. & sequuntur vniuersi Thomistae, eamque D. Thom. fusius explicat in q. 16. de malo, art. 4. Sentent. Durand. & [illegible] 5. q. 9. D. Bonauent. art. 2. q. 2. Alensis 2. p. q. 109. membro 1. Henricus Gandauensis Quodlibet. 8. q. 10. 11.

2 Ideo cecidit irrecuperabiliter, quia sicut nullum malitiae suae habuit instigatorem, ita etiam nullum habebit recuperatorem.

Ex verbis huius notae aperte colligitur daemonis [illegible] lapsum irrecuperabilem esse, eorumque supplicia aeterna fore, contra id quod sensit Origenes lib. 1. Periarchon. cap. sexto, vbi ait: hi vero qui de statu primae beatitudinis moti sunt, non tamen irremediabiliter moti sunt, id ipsum affirmasse in expositione primi, & secundi capitis Epistolae ad Ephesios testatur D. Hieron. in comment. eiusdem Epistolae, & eundē errorem in Orig. detestantur D. Aug. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 17. de haeresibus ad Quoduultdeum haeresi. 43. Epiphanius Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, & Theophilus Alexandrinus lib. 2. Paschalis, Lindanus li. 2. & Orosius de haeresibus nostri temporis lib. 2. non tamen defuerunt qui Origenem ab huiusmodi errore vendicauerint asserentes eum fuisse insertum ab Haereticis in libris Origenis, vt gloriari possent sui erroris tantum habuisse patronum, vt Sotus in 4. dist. 54. q. 2. art. 2. & d. 50. q. vnica, art. 1. Picus Mirandulanus, & Iacobus Merlinus in Apolog. pro Origene, his ergo reiectis, quia ex sacris literis euidenter cōstat daemonum supplicia aeterna fore Matth. 25. nec eos saltem de facto habuisse, neque habituros esse poenitentiam, vt probat D. Chrysost. homilia de Adam, & Eua. Gregorius Nissenus lib. 1. de Epiphania cap. 3. Damasc. lib. 3. cap. 1. & 2. D. Greg. Magnus, lib. 3. Exposit. in primum Regum cap. 4. & 2. moral. cap. 4. & 4. moral. cap. 9. Augustinus in Enchiridion cap. 29. Ergo sicut hoc ab omnibus admittitur, sic in assignanda ratione quapropter eorum lapsus irrecuperabilis sit, & quare redempti minime sint mira inter Doctores est discrepantia: hoc autem loco vna satis probabilis redditur nimirum, quia sicut daemon nullo auctore, & suasore peccauit, ita quoque à nullo debuerat redimi homo vero eo suadente lapsus est hac eadem ratione vsi sunt D. Greg. lib. 4. moral. cap. 9. D. August. lib. 3. de libero arbitrio c. 10. D. Ireneus lib. 4. cap. 78. sed haec alicui fortasse non vndequaque satisfaciet, vt vtcumque admitti potest de primo illo Angelo, qui sua sponte peccauit, non vero de caeteris minoribus, quoniam hi habuisse videntur suasorem primum Angelum, & idcirco in praesenti nota, haec de Lucifero tantummodo scripta esse legimus, tum etiam quia, hoc ex D. Ioan. colligi potest, qui Apocalyp. 12. dicit, Luciferum traxisse tertiam partem stellarum secum, & tractus iste fuit moralis illo nimirum suadente, & instigante inferiores Angelos, propterea Sancti Patres, quam plures alias rationes attulerunt, vt D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 22. D. Augustinus in Enchiridion cap. 29. D. Gregorius in homilia de Adam, & Eua, dicunt ideo eos non fuisse redemptos, quia eorum peccato non fuit vniuersa natura Angelica damnata, peccato vero Adae totam humanam naturam periisse, sed aliam addit D. Ansel. loco supra citato, dicit enim Angelos non potuisse redimi à seipsis, quia aeger nō potest sibi afferre medicinam, ab aliis autem neque redimi debuerunt, quia cum singulis obiiceret propria, & priuata malitia, non debuit pro-

 desse

deſſe aliena iuſtitia, contra accidit in homine, qui aliena culpa fuerat infectus, ſed Caſsianus collat. 4 cap. 13. part. 10. putat id eueniſſe, quia Angelus, nec peccauit, nec peccare potuit ex perturbatione, vel paſsione aliqua, quod non accidit in homine. Poſtremo affirmant alij oriri hoc ex grauitate, & atrocitate peccati Angelici, quod indignum fuerit venia, ſed hæc minus probabilis videtur, quoniam eſto Dæmonum peccatum grauiſsimum fuerit, potuit tamen gratia diuina tolli, alij vero docent non decuiſſe redimi, quia non peccauerunt ex ignorantia, at vero homo ex ignorantia peccauit, ex his omnibus non habeo quid magis probem, quam primam, & tertiam rationem, quæ ad inuicem parum differre videntur, & ea eſt quæ hic affertur, niſi concludamus cum D. Auguſtino epiſtola tertia, quod tota ratio facti eſt potentia facientis.

CHRISTVS INDVCIT Sponſam id eſt animam ad conſeruandum diligenter ſemper contritionem puram, charitatem diuinam, & firmam obedientiam, contemnat etiam illos qui cõtemnunt obedientiam, & abſtinentiã, & bonam patientiam, auiſat quoque hominem ſpiritualem ne paulatiue ſub ſpecie lucis permittat ingroſſare, & obcecare ſcientiam ſuã.

CAP. CVII.

APPARVIT quidam Angelus miræ ſpeciei, ad quem alij Angeli ſunt loquuti dicentes. O amice cur offers Deo noſtro nucem vacuam? Reſpondit ille. Licet omnia ſciatis, tamen propter iſtam, quæ aſtat loquor. Ego ex præſentia Dei noſtri nunquam contriſtor, qui voluntati eius ſic deſeruio ad profectum animarum, quod eius nunquã careo præſentia. Cui, & ſi non offero nucem dulcedinis, offero tamen aliquid delectabile ſcilicet clauem de auro puriſſimo, vas argẽteum, & coronam de lapidibus præcioſis. Clauis vero ſignificat contritionem puram pro peccatis, quæ aperit cor Dei, & introducit peccatorem in corde Dei. Vas vero eſt diuina delectatio, & charitas, in qua Deus cum anima ſuauiter requieſcit. Corona eſt obedientia firma, & hilaris, hæc enim tria Deus meus requirit ab anima ſancta. Sed licet hoc, anima cuſtodiæ meæ deputata, iſta tria ſpreuit, repreſento tamen iterum Deo illa, quæ ei obtulit, & nihilominus honor ſuus erit. Nam clauis contritionis eſt ei onerosa intantum, quod nec cogitare de ea velit. Vas vero diuinę dilectionis eſt ei, ſic amarum, quod nullatenus illud odorare poteſt. Quomodo enim ei dulceſcere poſſet ſuauitas ſpiritualis, vbi radicata eſt voluptas carnis? Non enim duo contraria bene conueniunt in vno vaſe. Corona etiam obedientiæ grauis eſt ei ad portandum, quia propria voluntas tãtum ei placet, quod dulcius ei videtur ſequi voluntatem propriam quã Dei. Tunc Angelus conuertens ſe ad Deum dixit. Ecce domine vas, clauis, & corona, quibus iſta anima fecit ſe indignam, & ideo cum teſta crepuerit, intus plena eſt luto, quæ debuiſſet eſſe plena melle ſuauiſsimo. In medio vero teſte iacet ſerpens. Teſta igitur eſt cor, quod cum per mortem crepuerit, plenum eſt deſiderijs mundi, quæ ſunt quaſi lutum. Serpens autem eſt anima, quæ lucidior deberet eſſe ſolo, feruentior flamma, ſed facta eſt ſerpens plena veneno, nulli nociuo, niſi ſibijpſi ad perditionem. Dominus autem tunc locutus eſt ſponſæ dicens, Ego dico tibi per ſimilitudinem quandã, quomodo ille cõſtitutus eſt, quaſi ſi vnus homo ſtaret, & aliter eundo appropinquaret ei. Cumq; ambo facies haberent alter ad alterum, dixit ille, qui ibat. Domine, quaſi vnum interſtitium eſt inter nos, oſtende mihi viam per quam gradiar, quia video te potentiſſimum abſque comparatione, ſuauiſſimum abſque conſideratione, optimum tanquam illum a quo eſt omnis bonitas, & ſine quo nullus eſt bonus. Reſpondit ille. Amice monſtrabo tibi triplicem viam, quæ tamen ad vnum tendit, hanc ſi ſecutus fueris, periculoſa eſt in principio, ſed in fine pleniſſima. Obſcura eſt in capite, ſed lucida eſt in progreſſu. Amara ad tempus, ſed ſuauiſſima in fine. Reſpondit ille, tantum oſtende mihi viam, & libenter ſequar eã, video enim periculum eſſe in mora, & damnum in errore viæ, fructum maximum ſi ſecutus fuero viam. Ideo imple deſiderium meum, &

1 oſtende mihi viam veram. 1. Ego igitur

var. creator omnium ego ſum ille, qui ſto im-

lect. putabile, & in æternum ſtabilis. Tunc autem illa talis appropinquabat mihi, quando me diligebat, & nihil ſicut me quærebat. Ego quoque verti faciem meam ad eum, quando in animam eius immiſi diuinam conſolationem, & mundi gaudium erat ei odio, & omnis voluptas carnis. Ego etiam oſtendi ei triplicem viam, non loquendo voce carnis, ſed inſpirando animæ ſuę occulte, eo modo quo nunc inſpiro animæ tuæ in aperto. Primo igitur oſtendi ei, quod eſſet obediẽs mihi Deo ſuo, & prælatis ſuis, ſed ipſe reſpondit mihi intus, cogitando ſic in mente

ſua,

sua, non faciam, inquit, quia ductus est prælatus, & non charitatiuus, & ideo non valeo ei obedire hilari voluntate. Ostendi etiam ei secundam viam, scilicet, fugere voluptatem carnis, & sequi meam voluntatem Diuinam, fugere crapulam, & sequi abstinentiam. Hæ enim viæ sunt quæ ducunt ad obedientiam veram, sed ipse respondit mihi nequaquam: Natura quippe mea est infirma, ideo comedam, & dormiam ad saturitatem, loquar ad habendum gaudium, vt rideam propter solatium mundi. Ostendi etiam ei tertiam viam, scilicet, habere patientiam bonam propter me Deum suum; quia hæc est quæ ducit ad abstinentiam, & inducit ad obedientiam sanctam, sed ipse respondit mihi, non faciam. Si enim illa contumeliosa mihi fecero, arguar quod sum fatuus, si despectior cæteris fuero in habitu, confundar ab omnibus. Et si in membris meis est deformitas, necesse est, vt opus meum aliquid placidum hominibus hoc suppleat, & recompenset. Sic igitur ait Dominus: ego, & conscientia sua certabamus, vsquequo elongans se à me, vertebat occiput ad me, & non faciem. Sed quomodo vertebat? scilicet, quando voluit obedire in his tantum quæ sibi placuerunt. Et sic voluit esse patiens, vt nihil minueretur de amicitia mundi. Nunc autem diabolus laborat, vt faciat eum totum cecum, & mutum, proponens ligare manus eius, & pedes inuoluere, & ducere ad tenebras inferni. 2 Tunc autem facit ipsum cecum, quando cogitat sic. Deus redemit me passione sua, non perdet me, quia misericors est, nec sic districte Deus examinat peccatum, sicut homo offendit omni hora. Ex istis probatur, quod fides sua non est stabilis. Ideo inquirat in Euangelio meo, quod ego rationem quæram de verbis quanto magis de operibus. Inquirat etiam, quod diues non pro rapina sepultus est in inferno, sed quia abutebatur concessis. Tunc vero facit eum diabolus mutum, quando audiens exempla amicorum meorum, & verba dicit, nemo poterit nunc sic viuere. Ex isto probatur, quod habet modicam spem. Ego enim qui dedi amicis meis sic apte, & caste viuere, ego & potens sum isti dare similia, si in me spem haberet. Tunc vero ligat ei diabolus manus, quando aliqua plus quam me diligit, quando feruentius implicatur mundo, quam honori meo. Ideo attendat ne dum mundo videtur intendere, supplantetur per diabolum, quia ibi diabolus ponit hamum, vbi minus præcauetur. Tunc etiam innectit pedes quando cogitationes, & affectiones suas non attendit, quando modum tentationum suarum non considerat. Quando sit vtilitati proximi, & carnis intendit, quod de salute animæ suæ non intendit. Propterea cogitet, quid ego dixi in Euangelio: Qui homo ponens manum ad aratrum, non respiciat retro, & qui magis vtile inchoauerit non retrocedat. Tunc quandoque diabolus vinculum ponit super cor eius, quando voluntatem eius sic ad mala inclinat, vt cogitat, & velit in seculi honore esse, & in tali dispositione perseuerare. Ducit etiam eum ad tenebras quando cogitat taliter: Verum gloriam habeam, vel supplicium, modicum est mihi cura. Væ ei si tales tenebras incurrit. Verumtamen si conuertere se voluerit ad me, occurram ei quasi pater, sed quomodo? habendo, scilicet, voluntatē facere quantumcumq. poterit. Sicut enim non licet filio hominis recipere aliquam in coniugium contra voluntatem propriam, sic nec Filio Virginis licet. Voluntas enim est quoddam instrumentum, per quod charitas Diuina introducitur in animam. Sicut enim molendinarius volens præscindere lapides, primo inquirit rimas, vbi primo imponit graciliora instrumenta, inde grossiora, donec lapis dissoluitur. 3 Sic ego quæro voluntatem bonam, in quam gratiam meam infundo, deinde crescente opere, & voluntate proficiente, accrescit & maior gratia, donec cor lapideum conuertitur, & crescit in cor carneum, & cor carneū in cor spirituale.

Declaratio.

Hic fuit Prior in partibus Siciliæ prope montem vulcanum, ad quem facta est ista sequens reuelatio.

Additio.

Filius Dei loquitur: Frater iste miratur quare Apostoli mei Petrus, & Paulus, in isto loco cathacumbas tanto tempore iacuerūt & quasi neglecti? Respondeo tibi. Scriptura aurea dicit, quod Israel diu stetit in heremo, quia malitia gentiū quarum terras possessuri erant, nondum completa fuit. Sic etiā erat de Apostolis meis: Nondum erat tempus gratiæ, quo corpora Apostolorum meorum exaltanda erant, quia prius debuit esse tempus probationis, & postea coronationis, & quia nōdum erant illi nati, quibus honor ille exaltationis Apostolorum debebatur. Nunc autem potes quærere, si aliquem honorem corpora eorum habebant eo tempore, quo corpora eorum in puteo iacuerunt? Respondeo tibi, quod Angeli mei custodiebant, & honorabant corpora illa beata, quia sicut locus ille diligenter excolitur, vbi rosæ & plantæ seminandæ sunt. Sic iste locus cathacumbas, diu antea præparabatur, & honorabatur, de quo Angeli, & homines lætarentur. Ideo dico tibi, quod in mundo multa loca sunt vbi corpora Sanctorum requiescunt, sed non similia huic loco. Nam si sæpi

Sed & nos si procedimus contra eam cum
omnibus laqueis nostris, omnes ipsa dissol-
uit, & sicut stuppæ rumpuntur, & sicut fu-
nes veteres dissoluuntur. Si vero venimus
contra eam cum omni malitia nostra, &
immunditia nostra, omnia rescindit sicut
fœnum rescinditur à falcastro. Si autem
immittimus ei voluptatem, & mundi dele-
ctationem, facilius omnia extinguuntur
quam scintilla à torrente aquarum. Nato
vero Ioanne Baptista, ipse etiam displicuit
dæmonibus, in tantum quod quasi vox quæ-
dam sonuit, tunc de inferno dicens: Natus
est Puer mirabilis. Quid faciemus si pro-
cedimus contra eum cum superbia, cōtem-
nit audire nos, & minus vult suggestioni
nostræ obedire. Si prætendimus ei diuitias,
vertit ad nos occiput, & renuit videre, si
voluptatem, quasi mortuus est, & non po-
2 test sentire. 2 Quando vero Maria Mag-
dalena conuersa est dixerunt dæmones, quo-
modo reducemus eam. pinguem enim præ-
dam perdidimus, ipsa quippe in tantum se
aquis lacrymarum lauat, quod non aude-
mus aspectum nostrum in eam infigere. Sic
tegit se bonis operibus, quod nihil accedit
ad eam de macula. Sic feruens est, & cali-
da in Dei seruitio, & sanctitate, quod non
audemus ei appropinquare. Itaque isti tres,
sic habuerunt animam suam quasi domi-
num, corpus vero quasi seruum, quorum
anima tria habuit. Primo, nihil dilexit si-
cut me Deum suum. Secundo, nihil facere
voluit contra me. Tertio, nihil omittere
voluerunt, quæ erant Dei. Ergo quamuis
isti talem habuerunt animam, non tamen
spreuerunt corpus suum, nec dederunt ei
venenum pro cibo, nec spinas pro indumen
to, nec iacuerunt in tumulo formicarum,
sed habuerunt moderatam refectionem ad
honorem mei, & ad animæ vtilitatem. Ve-
stimentumq. ad corporis operimentum, nō
ad superbiam. Somnum vero ad quietem,
& lectum ad alleuiationem. Veruntamen
si ipsi sciuissent mihi placuisse, & ego dedis-
sem eis gratiam, libenter omnia amarissima
recepissent in cibum, & spinas pro veste, &
in tumulo formicarum iacuissent. Sed quia
considerabant me in omnibus iustum, & mi-
sericordem, ideo sicut ad corpus fuerunt iu-
sti, per refrenationem motuum illicitorum,
sic, & misericordes, & rationabiles fuerunt
ad indulgendum corpori, ne violentia labo-
ris corpus rueret, & ne laboris vehemen-
3 tia solueretur. 3 Nunc igitur poteris
quærere, cum Sancti heremitæ, & antiqui
illi Patres ta eam gratiam habuerunt, qui
quidam illorum non comederunt nisi semel
in septimana, alij vsi sunt cibo ministerio
Angelorum, quare istis non dedi talem gra-
tiam? Respondeo tibi, illi sancti Patres ta-
le ieiunium obtinuerunt triplici de causa.
Primo ad manifestandum gratiam, & po-
tentiam meam, vt sciant homines, quod si-
cut animam sine corporali cibo sustento, sic
etiam corpus sine cibo si mihi placeret, va-
leo sustentare. Secundo propter exemplum
ostendendum, vt ex eorum exemplo discāt
homines, quod corporalis labor, & tribula-
tio trahit animam in cælum. Tertio pro-
pter peccati vitationem, quia voluptas car-
nis non refrænata trahit hominem ad pœ-
nam. Ergo vt homines addiscerent conti-
nentiam, & modum viuendi, ego ipse Deus,
& homo quamuis sine cibo viuere potuissē
in mundo, tamen cibo, & necessarijs corpo-
ralibus vsus sum, vt homo in omnibus re-
gratietur mihi Deo suo, & solatium mode-
ratum habeat in mundo, & perfectam liber-
tatem cum Sanctis in cælo.

NOTAE.

1 Mater igitur mea quando, & postquā nata fuit sic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula.

In præsenti capite legimus, Deum præ ceteris tres Sanctos vnice diligere, Mariam, Ioannem Baptistam, & Magdalenam; & de Beatissima Virgine in specie scribitur hic, quod tota pulchra erat, quia nullam peccati contraxerat maculam, non solum originalem, sed nec mortalem, aut venialem, vt fuse supra à nobis probatum est lib. 6. Reuelat. c. 49. nota prima, & habetur etiam lib. 4 Reuelat. c. 109. & lib. 5 cap. vltimo vbi vas mundum Maria vocatur, quia tota pulchra erat, & tanta immunditia non inueniebatur in ea, vbi cuspis acus infigeretur, idem legitur serm. Angelico, c. 1. 2. & 21. hinc merito de ea Salomon Cant. 4. scriptū reliquit, tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

2 Quando vero Maria Magdalena conuersa est, dixerunt Dæmones: quomodo reducemus eam, pinguem enim prædā perdidimus.

De Maria Magdalena hoc loco plura afferuntur, primo quidem legimus, Dæmones ob eius conuersionem pinguem amisisse prædam: peccatorum namque adipe impinguata, pinguis Dæmonum præda fuit, quippe quæ eorum potestati se commiserat, hinc est quod D. Hieron. super Isaiam cap. 4. prædones Dæmones vocat, in quorum prædā mali dantur, & hi leonis præda sunt. Nahum. 2. ac luporum præda vocantur, qui ab eis vincuntur Habacuc 1. & tunc Christus prædam ab illis abstulit, quando sua prædicatione Magdalenam conuertit, de hac ergo in persona Christi loquitur Iob c. 19. conteram, inquit, molas eius, & de dentibus illius prædam auferam, quod declarans D. Greg. lib. 19.

 moral.

rit Plinius lib. 8. hist. nat. cap. 33. quod nec potu, nec cibo alitur, nec alio quàm aeris alimento, insuper, & cicadas ferunt, rore tantummodo vesci qui concreti aeris species est, vt mirum non sit si Plinius dixerit lib. 11. cap. 26. eas absque ore viuere, sed quidquid sit de animabus ratione carentibus, vt de homine sermo fiat, idē Plin. lib. 7. c. 2. de Astromorum gente dicit Radicum solummodo, florumque varijs odoribus, & habitu viuere, addit quoque Strabo libr. 15. eas gentes odore assarum carnium viuere, narrat etiam Abbas Vspergensis in Chronico tempore Lotharij Quinti Imperatoris in territorio tullensi puellam duodecim annorum post assumptum sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis, vsque ad annum tertium sine cibo potuque ieiunasse, ab anno nempe 822. vsque ad annum 825. quibus elapsis capit more aliarum manducare, idem legimus de sancta Catherina Virgine, & Martyre, quæ inclusa in carcere, sine cibo, & potu dies vndecim vitam traduxit, vt refert Simeon Metaphrastes in vita ipsius. Postremo Vncellidianus Philosophus, & Phisicus asseuerat obseruasse puellā suæ custodiæ traditam nomine Margaritam, ventris dolore correptam, à festo D. Michaelis anno 1530. vsque ad annum 1540. nihil cibi sumpsisse, de qua edidit ipse libellum in quo huius rei fuisse se testem oculatum tradit, id ipsum etiam admodum euidenter ex sacris litteris probari posset, vt Exodi 24. & 34. Deutoronomij nono, & decimo, vbi legimus Moysen ieiunasse quadraginta diebus, & totidem noctibus quamdiu in monte cum Deo fuit, & Helias in fortitudine cibi illius ieiunauit, ambulauitque quadraginta diebus, & totnoctibus lib. 3. Reg. cap. 19. totidem etiam Saluatorem nostrum Christum ieiunasse testes sunt D. Mat. cap. 4. & Marcus cap. 1. cæterum, si quis curiosius modum, & causas quærat, quibus isti sine cibo, & potu per tot temporum spatia vitam traducere potuerint quasdam assignare posse admodum probabiles arbitror, quæ suadeant hominem absque aliquo alimēto forinsecus immisso per aliquod tempus viuere posse, & quidem si ad diuinas recurramus, dicendum est, quòd sicut Deus omnibus creaturis ex se ipso esse dedit, & conseruari, ac etiam à putrefatione deffendi, ita eisdem conferre potuit, vt absque adminiculo cibi, potusque per aliquot mensium, vel annorum spatium viuerent, neque enim potentiam suam; ita secundis causis alligabit, vt ne queat absque earum ministerio, aut etiam illo, vel alio medio conseruare, quod in animabus fieri videmus, quas sine corporali conseruat alimento, idque facit, vel ad suam potentiam, vel ad hominibus collatam gratiam manifestandam, vt legimus hic cum dicitur, vt sciant homines, quòd sicut animam sine corporali cibo sustento, sic etiam corpus, sine corporali cibo si mihi placeret valeo sustentare, secundo quemadmodum in vniuersali corporum resurrectione, postquam nostra corpora mortalia induerint immortalitatem, non amplius necessaria erunt, nec corruptibilis cibus, nec vestes Matt. 19. non esurient, neque sitient amplius, ita quoque idem nunc fieri posset si Deus vellet, vt nec iisdem nobis ad viuendum opus essent. Postremo à ratione naturali, neque id videtur esse alienum, nam si quibusdam animatibus accidit, quæ se in cauernis hyeme abscondant, ibique sine cibo per menses aliquot dormiunt, vt de ghiris, alijsque proditum est, quæ animalia cum intus magna abundent humorum copia, sicque pinguia dormitum eunt, postea vero estate macilenta prodeunt, ita quoq. hominibus hoc posset contingere, si magna humorum copia essent referti, vt per paucos dies sine cibo in vita conseruarentur, & durasse vltra vndecimum diem plerosque certum est inquit Plinius lib. 11. cap. 54. dixi tamen id nequaquam fieri posse crediderim, nisi peculiari Dei beneficio, ac munere, quod fuisse concessum heremitis aliquibus in præsenti capite scribitur, vt sic ieiunio dediti, eorum exemplo cæteros homines ad ieiunium adducerent, ac etiam addiscerent, quod corporalis labor trahit animam ad cælum, vtque voluptas, carnis inedia non compressa eos trahit ad æternas pœnas.

MARIA LOQVITVR

Dicens, quod homo spiritualis postquam conuertitur labore pœnitentiæ charitatis, & contritionis, & patientiæ redimere debet priora tempora perdita ad hoc, vt vacuas nuces non offerat Deo.

CAP. CIX.

MARIA loquitur. Vbi præsentantur Domino nuces, quandoque aliq; inter eas inueniuntur vacuæ, quæ vt acceptabiliores fiant Domino impleri debent. sic etiam in spiritualibus operibus est. Multi faciunt plura bona opera propter quæ diminuitur peccatum, vt nō incurrant infernum. Attamen ante illa bona opera, & inter ea fuerunt multa vacua tempora, quæ necesse est, vt omnia impleātur, si tempus laborandi fuerit. Sin autem contritio, & charitas omnia supplent.
Sic Maria Magdalena obtulit nuces Deo, idest opera bona, inter quas nuces, quædam erant vacuæ, quia longa tempora habuit ad peccandum, sed omnia illa supplebat iuuante tempore patientia, & labore.
Sed & Ioannes Baptista obtulit nuces Deo, quasi plenas, qui à iuuentute seruiuit Deo offerens ei totum tempus suum. Apostoli vero obtulerunt Deo nuces quasi semiplenas

vita æterna. Secundo obtinetur honor ſpiritualis propter hæreditatem. Ego quippe per humanitatis meæ aſſumptionem, & paſſionem, homini emi cælum, & aperui hæreditario iure. Sicut enim homo hereditatem diuinam quodammodo vendidit diabolo, recipiendo pomum modicum in permutationem pro delectatione æterna, cibum vetitum pro ligno vitæ, falſitatem pro veritate. 2 Sic ego obediendo Patri diſcerpſi litteram inobedientiæ, per amaritudinem cordis mei ſatisfeci pro dulcedine pomi, per mortem meam promerui homini lignum vitæ, per fidem humanitatis meæ reduxi hominem, & inſtitui omnem veritatem. Ergo quicumque credit verbis veritatis meæ, & imitatur me, hic per hereditatem obtinebit diuitias ſpirituales, & gratiam meam. Tertio obtinetur honor ſpiritualis propter diuiſionem, ſcilicet, quando homo diuidit, & ſeparat ſe ab omni delectatione deliciarum carnalium, & conuertit voluptatem carnis in abſtinentiam, diuitias in paupertatem, honorem in abiectionem, parentes terrenos in amicorum Dei collocutionem, viſionem mundi pro viſione Dei. Quarto, obtinetur honor ſpiritualis, propter humilitatis, & ſeruitutis opera, ſcilicet, quando homo in ſeruitio Dei, & patientia militat quaſi miles validus in bello, ſeruit in humilitate, & fidelitate quaſi ſeruus, diſpenſat ſibi commiſſa miſericorditer, & iuſte ſicut bonus diſpenſator, & vigilat contra tentationes ſicut bonus ſpeculator. Hic eſt dignus habere honorem, & ſpirituales diuitias, quæ non ſcribuntur in pellibus animalium, ſed in anima, quia gradus triplicis legis ſcriptæ, vtilis eſt ad perficiendam iuſtitiam. Sed lex ſpiritualis ſuauis eſt ad fructum percipiendum. Ergo filia quere honorem ſpiritualem obtinere per charitatem, ſcilicet, nihil diligendo ſicut me. Quere per hereditatem, ſcilicet, credendo firmiter illa quę precipit Eccleſia. Quere per opera humilitatis, omnia, ſcilicet faciendo pro honore meo. In lege quippe mea tu vocata es, ideo & legem meam ſeruare teneris, lex vero mea eſt, viuere ſecundum voluntatem meam. Sicut enim bonus Clericus viuit ſecundum legem Eccleſię, ſic & tu viue ſecundum legem humilitatis meæ, conformando te amicis meis. Nam omnis lex temporalis partim tendit ad honorem mundi, & partim ad contemptum eius. Mea vero lex ſola tendit ad cęleſtia, quia ante me, & poſt me, nullus plene intelligit qualis, & quam glorioſa eſt cęleſtis regni ſuauitas, ſicut ego, & ille cui voluero reuelare.

2 var. lect.

NOTAE.

1 INſuper quicumque me diligit toto corde, & nihil niſi me deſiderat, habebit virtutem in terra, quę ſcribitur in corde digito Dei, & honorem in cęlo, qui ſcribitur in libro vitę, qui eſt vita ęterna.

Ad horum verborum intelligentiam duo à nobis hic explicanda ſunt: Primum quidem, quæ nã ſit virtus illa, quæ ſcribitur in cordibus diligentium Deum digito Dei: Secundo, quis ſit ille honor in cælo, qui in libro vitæ notatur, & vt à primo ſumamus exordium, dicendum videtur diligentibus Deum quatuor potiſsimum virtutes à Spiritu ſancto dari, quarum prima charitas eſt, quam Dauid, Pſal. 121. nomine generico virtutem Dei appellat, dum ait: Fiat pax in virtute tua, hac namque virtute amicus Dei fortis factus, vincit omnia, nec à quopiam vincitur, & ideo digito Dei, hoc eſt Spiritus ſancti virtute, iuſtorum cordibus infigitur, quod etiam annotarunt D. Hieron ſuper Pſal. 47. & D. Auguſtinus ibidem, & Hilarius in Pſal. ſupra citatum: Rurſus per virtutem, quæ amicis Dei confertur intelligi poteſt ipſemet Spiritus ſanctus, ſecundum illud Apoſtoli 2. Corint. 12 Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti, aut etiam humilitas, quæ tunc in nobis habitat, quando in infirmitatibus gloriamur, ſic habet Cyrillus lib. 14. Theſauri cap. 3. Poſtremo virtus illa, quæ dicitur hic ſcribi in cordibus diligentium Deum, eſt ipſemet Filius Dei, & potentia eius, ſic enim Filium Dei, eiuſque potentiam vocant virtutem. Hilarius in Pſalm. 62. in Expoſit. eius verſiculi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. & D. Auguſtinus in illud Pſal. 76. notam feciſti in populis virtutem tuam, Origenes ſuper Epiſtolam ad Romanos, c. 1. ſupereſt modo videamus quid ſit honor ille in cælo, qui ſcribitur in libro vitæ, & quid ſit diligentes Deum hunc habere honorem, & ſanè ſi per librum vitæ intelligamus diuinam notitiam, qua Deus cuncta cognoſcit hominum opera, & dicitur liber per metaphoram, de quo Dauid Pſal. 138. in libro tuo omnes ſcribentur, dicendum eſt præſentis notæ verborum ſenſum eſſe, quod qui Deum diligit honorem habet à Deo, cui hæc dilectio probe, nota & manifeſta eſt, & propter hanc confert diligentibus remunerationem, aut quod verius eſſe arbitror, cum per librum vitæ communiter ſacri Theologi intelligant notitiã, quam Deus certam habet omnium prædeſtinatorũ. cuius libri ſacræ Litteræ frequenter meminerunt, vt Danielis 12 Apocalyp. 10. & 21. Lucæ 10. cum dicitur nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis, & ad Philippenſ. 4. quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ conſequens inde fit, quod qui diligit Deũ habeat honorem ſcriptum in libro vitæ, quoniam

ipſemet

ipsemet ascriptus est in numero Sanctorum, quod inter honores maximus est, & hoc est habere in cælo honorem scriptum in libro vitæ.

a Sic ego obediendo Patri discerpsi litteram in obedientiæ per amaritudinem cordis mei, satisfeci pro dulcedine pomi per mortem meam.

var. lect.

Farnesianus Codex M. S. aliter legit, sic enim habet: Ego obediendo Patri delevi chirographum decreti per amaritudinē cordis mei, &c. quæ lectio probatur magis, quandoquidem Paulus Apost. ad Coloss. 2. de eodē deleto à Christo chirographo, verba faciens scriptum reliquit, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, vt autem quid sit delere chirographum decreti intelligamus sciendum est chirographum, esse scripturam manu propria confectū; qua quis se ad aliquid confitetur obligatum, vnde D. Isidorus lib. 5. Ethimol. c. 34. dicit esse cautionem, vel conscriptionem duarum instar cartarum, græce enim M. S. cautio dicitur, idē habet Eucherius de spiritualibus, formulis c. 10. sed quidquid sit de Ethimologia nominis hoc loco dicimus chirographū importare peccati obligationem quandam, quam homo pro peccato propria voluntate incurrit, est ergo memoriale trāsgressionis; secundum, quod homo non observauit in Paradiso decretum, hoc est præceptum Dei, & ideo appellatur chirographum præcepti, vnde Gloss. ad Coloss. 2. vocat chirographum memoriā transgressionis, quæ erat ex decreto, id est ex lege: habebat ergo dæmon, vt inquit Dionysius Cartus. super Epist. ad Colossen. c. 2. testimonialem litteram reatus, quem homo; & tota primi parentis posteritas incurrit, transgrediendo Divinum præceptum, verum. Gloss. vbi supra per chirographum asserit etiam intelligi posse peccatum Adæ, quod Christus tulit, & cruci affixit. Lyranus vero ibi tem chirographum asserit, esse obligationē legis veteris, quantum ad cæremonialia, & iudicialia, ex quibus nobis inferēdum est, quod vt Deus genus liberaret humanum, ab huiusmodi obligatione oportuit mittere Filium suum, qui pro peccatis nostris Divinæ iustitiæ satisfaceret, & hoc est quod legimus hic delere chirographi decretum, sed Theodoretus super Epistolam ad Coloss. 1. c. per chirographum mistice intelligit corpus nostrum, quo, inquit, omnes sceleratas, ac nefandas actiones suscipimus per oculos, quidem lasciue aspicientes, ac impudice, per linguam ea quæ non decet loquentes: per aures perniciosam doctrinam suscipientes, per manus, furtum, inuasionem, & cædem admittentes: Deus ergo nostra suscepta natura eam ab omni peccato liberam custodit, & deleuit, quæ mala à nobis facta sunt scripta debitorum, cum autem concessisset, vt ea cruci affigeretur exoluit omnium nostrum debitum.

CHRISTVS LOQVITVR Sponsæ dicens, quod caueat diligenter à vitio superbiæ, ne extollatur de pulchritudine membrorum, aut de bonis, seu de progenie. Nam superbus comparatur papilioni, qui habet alas latas, & modicum corpus.

CAP. CXII.

FILIVS loquitur ad Sponsam: Noli turbari de superbia istorum, quæ cito transiet. Est enim quoddam genus muscarum, quod vocatur papilio, hoc habet latas alas, & modicum corpus. Secundo, multiplices colores. Tertio volat alte propter subtilitatem suam, & leuitatem, sed ascendens in aerem, quia modicum habet fortitudinis in corpore, cadit citius in quodcumque est vicinius, siue ad lapides, siue ad ligna. Istud genus muscarum significat superbos, qui habent latas alas, & modicum corpus, quia mens eorum intumescit superbia quasi pellis in flato vento. Creduntque se omnia habere pro meritis suis, & præferunt se cæteris, arbitrantes se cæteris digniores, qui & nomen suum extenderent per totum mundum si possent. Sed quia vita eorum breuis est quasi vnus punctus, ideo cum non recogitant, cadunt. Secundo, superbi habent multiplices colores sicut papilio, quia superbiunt de pulchritudine membrorum de bonis, & de progenie, & iuxta omnem superbiæ suæ ad inuentionem mutant statum suū, sed cum moriuntur non sunt nisi terra. Tertio, superbi cum in altissimum gradum superbiæ ascenderint, periculose, & in momento cadunt in mortem. Ideo caue tibi à superbia, quia ipsa subtrahit faciem Dei ab homine, nec gratia mea ingreditur ad eum quem ipsa possidet.

CHRISTVS MONET Sponſam, quod humiliter viuat, nec curat de magna fama, & nomine, quia ipſe ad prædicandum Euangelium non elegit magnos doctores, ſed humiles piſcatores, qui enim laborant ad acquirendum ſibi in hoc mundo magnum nomen in inferno grauiter punientur.

CAP. CXIII.

1 FILIVS loquitur. 1 Legat ſcripturas, qui voluerit, & inueniet, quod de paſtore feci prophetam, & ſpiritu prophetiæ repleui iuuenes, & idiotas. Verum, quamuis non omnes receperint verba mea ſalutis, tamen vt innoteſceret charitas mea ad pleroſque verba mea peruenerunt. 2. Similiter ad prædicandum Euangelium non elegi doctores, ſed piſcatores, ne gloriarentur de ſapientia ſua; & vt intelligant omnes, ſicut *Deus* in ſe eſt mirabilis, & inexcogitabilis, ſic, & opera eius inſcrutabilia ſunt, & in minimis maxima operatur. Omnis itaque homo, qui vadit poſt mundum ad habendum gloriam eius, & voluptatem ſuam perficiendam, hic talis magnum onus impoſuit ſibi. *Ecce* dico tibi exemplum de vno viro. Ipſe toto deſiderio ibat poſt mundum, qui magnum nomen acquiſiuit ſibi a mundo, & maximum onus peccati impoſuit dorſo ſuo. Ideo magnum nomen nunc habet in inferno, maximum vero onus pro premio, excellentioremque locum in ſupplicio. Nam in locum illum quidam deſcenderunt ante illum, aliqui cum illo, aliqui poſt eum. *Illi* vero ante eum deſcenderunt, qui eum ad malitiam ſuam dilatandam confortabant, auxilijs, & conſilijs ſuis. Cum ipſo vero deſcenderunt retributiones operum ſuorum. Sed illi deſcendent poſt eum, qui exempla eius imitabuntur. Ideo primi clamant ad eum, quaſi de prælio, & dicunt, quia obediſti conſilijs noſtris, ideo ardentius ardemus de præſentia tua. Propterea maledictus ſis tu ſuſpendio illo dignus, vbi funis non rumpitur, ſed ignis manet perpetuus. Confuſio quoque ſit tibi peſſima pro ſuperbia, & ambitione tua. Opera vero eius clamant, & dicunt. O miſer, non potuit terra paſcere te cum fructu ſuo. Ideo cõcupiuiſti omnia, aurum, & argentum non valuerunt implere deſiderium tuum. Ideo vacuus relictus es ab omnibus. Propterea viuentes corui dilaniabunt animam tuam, quæ diſcerpetur, & nunquam minuetur, liqueſcet, & tamen viuet. Illi vero, qui poſt eum deſcenderunt clamant. Væ tibi, quia natus es, voluptas tua vertetur tibi in odium Dei, intantum, quod nolis vnum verbum loqui, quo *Deus* poſſit conſolari. Itaque ſicut in amore, & honore Dei, eſt omnis conſolatio, & delectatio bonum, & gaudium ineffabile, quo & nos propter tui imitationem ſumus indigni. *Sic* ſit tibi triſtitia, & diſcordia de dæmonum ſocietate, deformitas pro honore, ardor pro libidine, frigus pro tui amore, nulla requies pro carnis conſolatione. Inſuper & pro magno nomine, quod indigna portaſti ſit tibi maledictio, pro ſede vero glorioſa ſit tibi deſpectiſſimus locus. Ecce per ſimilitudinem loquendo talia merentur, qui talibus vltra conſtitutionem *Dei* implicantur.

Additio.

Quidam miles ſemper ſtudebat inuenire nouos modos, & multos, verbis, & exemplis traxit ad perditionem. Hic idem inuidens dominæ Brigittæ, cum non auderet iniuriã loqui ſibi, per ſeipſum: incitauit quendam, qui ſe fingebat ebrium, vt eidem dominæ Brigittæ verba contumelioſa loqueretur. Qui quidem domine ſedenti in menſa, dixit audientibus magnatibus. O domina nimis ſomnias, nimis vigilas, expedit tibi bibere, & plus dormire. Nunquid Deus reliquit religioſos, & cum ſuperbis mundi loquitur? Vanum eſt verbis tuis dare fidem. *Illo* itaque loquente, circumſtantes volebant vindicare in eum, ſed domina Brigitta prohibuit dicens, permittite eum loqui, quia *Deus* miſit eum. *Ego* enim quæ in tota vita mea quæſiui laudem meam, & blaſphemaui Deũ,
3 var. lect. 3. quare non audiam iuſtitiam meam? *Iſte* enim dicit mihi veritatem.

Quod audiens *Dominus* ille compunctus eſt, & reconciliatus eſt domine, venit Romam, & ibi laudabili fine quieuit.

NOTAE.

1 LEgat ſcripturas, qui voluerit, & inueniet, quod de paſtore feci prophetam & ſpiritu prophetiæ repleui iuuenes, & idiotas.

In principio præſentis capitis affirmat Chriſtus Dominus prophetiæ donum pluribus collatum eſſe à Deo, prout ipſe fuerat pollicitus, per Ioelem Prophetam cap. 2. effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, cum autem legimus quendā de paſtore prophetā Deū feciſſe, merito quiſquam poſſet hic quærere, qui nam iſte in ſpecie fuerit, cum eius nomen hoc loco non afferatur, & ſane non alium extitiſſe arbitror quam Dauidem, qui cū paſtor eſſet vt dicitur 1. Regum cap. 17. propheta factus eſt, & librum propheticum Pſalterium ſcilicet conſcripſit, in quo multa, quæ ad Chriſtum Apoſtolos, & legen. Euangelicam ſpectant prædixit, ſed quoniam nō defuerunt, qui negauerint pſalterium, nec eſſe à Dauide conſcriptum, & abſque vllo prophetico ſpiritu conditum, eumque nec fuiſſe prophetam, qui error, vt refert Philaſtrius in catalogo hæreticorum cap. 127, attribuitur Gnoſticis, & Manicheis, & Paulo etiam Samoſateno, vt habetur in quadam epiſtola Concilij Antiocheni cuius meminit Euſebius lib. 7 hiſt. Eccleſiaſt. ca. 25. quam etiā hæreſim renouarunt Anabatiſtæ, idcirco hic ſupponendum nobis eſt tanquam certum cum D. Auguſt. lib. 17 de ciuit. Dei cap. 14 & communi ſent. Patrum, & Scholaſticorum omnium, & præcipue Origenis, Ambroſij, Caſſiodori, & Hilarij. Dauidem fuiſſe Pſalmorum auctorem, qua de re etiam agit D. Hieronymus ad Sophronium, & D. Cyprianus de auctoribus pſalmorum, & alij plures interpretes, qui id ipſum conſtanter aſſeuerarunt, an vero omnes, vel aliquot tantummodo conſcripſerit noſtrum non eſt hac de re in præſentia diſputare, ſatis nobis erit demonſtrare eum fuiſſe prophetam. prout in præſenti capite aſſeritur, & probari poteſt ex pluribus ſacrarum literarum locis in quibus ipſe met Dauid aperta voce fatetur ſe Spiritu ſancto afflatum, vt venturum Chriſtum prædiceret ſic 2. Reg. 23. dixit vir cui conſtitutum eſt de Chriſto egregius pſaltes Iſrael. ſpiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam dixit, Iſrael mihi locutus fortis Iſrael dominator hominum, iuſtus dominator in timore Dei. idem confirmat Saluator noſter Chriſtus inquiens Matt. 22. quomodo ergo Dauid vocat eum in ſpiritu Dominum dicens. Dixit Dominus Domino meo, quo argumento vtitur D. Auguſtinus ad idem probandum loco à nobis ſupra citato, & poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus, cum ſcripturarū intelligentiam ſuis conferret diſcipulis Lucæ 24. in libro pſalmorum teſtatus eſt Spiritum ſanctum fuiſſe locutum de paſſione, morte, & Reſurrectione ſua, ac etiam de prædicatione Euangelij: Apoſtoli quoque ipſum Dauidem pſalterij auctorem, Prophetam in actibus eorum appellant, vt act. 2. 4. & 13. Domine qui Spiritu ſancto per os pueri tui Dauid locutus es, & Paulus, dabo vobis ſancta Dauid fidelia, hoc eſt dabo vobis, vt agnoſcatis ſancta Dauidis Vaticinia fuiſſe fidelia, hæc, & alia ſacræ Scripturæ teſtimonia admodum aperte indicant, librum pſalmorum à Dauide fuiſſe conſcriptum, & prophetico ſpiritu conditum, & per conſequens eum inter prophetas annumerandum eſſe, vt verum ſit quod in præſenti capite ſcribitur Chriſtum de paſtore Dauidem feciſſe prophetam.

2 Similiter ad prædicandum non elegi doctores, ſed piſcatores.

Quare ad Apoſtolatus officium non doctores, aut diuites, ſed Rudes, & pauperes Dominus elegerit fuſe tradidimus ſupra hoc eodem lib. cap. 76. nota prima.

3 var. lect. In additione ad finem capitis, vbi in impreſſis codicibus legitur, quare non audiam iuſtitiam meam.

Corrigendum arbitror cum M. S. Farneſiano; quare non audiam iuſtitias meas, ſunt enim hæc verba B. Brigittæ, quæ impetrabat aſtantibus, vt illum loqui ſinerent qui contumelioſis verbis eam irritabat, & licet quæ obiiciebat, vera minime eſſent, volebat tamen, vt ea dicerentur ad ſui humiliationem, & ideo de ſe ipſa, vt legimus hic ſic loquebatur, ego enim, quæ in tota vita mea, quæſiui laudem meam, & blaſphemaui Deum, quare non audiam iniuſtitias meas.

CHRISTVS MONET Sponſam, quod caueat à conuerſatione mundialium, quæ eſt quaſi aſſatura diaboli, virgo Maria etiam inſtruit eam, quod in omnibus operibus ſuis virtuoſis, habeat intētionem rectam, vt ſcilicet honor Dei augeatur, quia multi ſeruiunt Deo opere, ſed intentio eorum corrupta obfuſcat omne bonum.

CAP. CXIIII.

1 FILIVS loquitur. Attende tibi aſſaturā diaboli quam diabolus igne luxuriæ, & cupiditatis decoquit. Vbi enim pinguedo applicatur igni, neceſſe eſt, vt inde aliquid diſtillet. Sic ex conuerſatione, & ſocietate mūdialium procedunt peccata quamuis autem

ignoras

ignoras conſcientias omnium, tamen exteriora ſigna produnt, quid in animo lateat intus. Item loquitur Mater: Omnis actio tua ſit rationabilis, & intentio tua recta, vt omne quod agis, ex intentione facias, vt honor Dei perficiatur, & vtilitas animæ delectationi corporis præferatur. Nam multi ſeruiunt Deo opere, ſed intentio corrupta obfuſcat omne bonum, ſicut per exemplum intelligere poteris. Eſt quoddam animal, quod vocatur vrſus, hoc cum inedia afficitur, & videt prædam deſideratam, vnum pedem infigit prædæ, & cum alio quærit vbi figat eundem pedem fortiter, ne præda ſibi euadat, aut forte ſubtrahatur, donec comedat, & vertat eam ad voluntatem ſuam. Hic vrſus ſine intermiſſione reſpicit prædã, nec quærit aurum, nec redolentes herbas, & arbores, ſeu ſolummodo locum abſconditũ, & ſecurum, ſeu quoddam obſtaculum, vt ſecurius, & fiducialius teneat prædam quam accepit. Sic multi ſeruiunt mihi orationibus & ieiunijs ex timore quodam, quia conſiderant pœnam horribilem, & miſericordiam meam magnam. Quærunt me operibus exterioribus aliquibus, ſed voluntate faciunt contra mandata Filij mei. Nam ſicut vrſus ſic & iſti, totam intentionem habent ad carnis voluptatem, & cupiditatem mundi, ſed quia timent amiſſionem vitæ, & ſupplicium futurum, ideo ſeruiunt mihi ea intentione, ne amittant gratiã, & incurrant pœnam. Et hoc bene patet, quia nunquam conſiderant paſſionem Filij mei, quæ eſt tanquam aurum precioſiſſimum, nec imitantur vitas Sanctorum, qui ſunt tanquam lapides precioſi, nec attendunt dona Spiritus ſancti tanquam herbas odoriferas, nec relinquentes propriam voluntatem, faciunt voluntatem Filij mei, ſed ſolummodo nituntur, vt fiducialius peccent, & vt proſperentur in mundo. Quorum retributio breuis erit, quia de frigido corde eorum proceſſit opus. Et ſicut vrſus conſumpta præda non curat de firmamento pedum, quod habuit, ſic veniente hora finis, & completa voluptate carnis, modicum valet eis firmamentum meum, quibus non reliquerunt voluntatem ſuam, vt facerent meam, nec charitate me quæſierũt, ſed timore. Verumtamen ſi perfecte corrigitur voluntas, opus eorum renouabitur, & voluntas bona ſi opus defuerit, pro opere reputabitur.

Additio.

Hic fuit præpoſitus, qui ad velle ſuum viuit, qui veniens Romam, multam laudabiliter duxit vitam ſuam.
1 Qui cum viſitaſſet montem Garganum, & ſanctum Nicolaum, & rediſſet ad dominam, cuius conſilio totus ſteterat, dixit inter alia ſe mirari, quare illa magna, & famoſa ciuitas Sipontina, vbi tot Sanctorum corpora quieſcunt, deſtructa erat. Tunc ſequenti die filius Dei apparens, dixit Dominæ: Ille amicus tuus miratur de ciuitate quæ deſtructa eſt. Vere filia hoc meruerunt peccata inhabitantium, nam etiam aliæ ciuitates meruerunt conſimilia, ſed vnus amicus meus habitabat ibi, qui perfectam habens ad me charitatem, continuo increpabat, & impugnabat mores eorum, qui videns obſtinationem eorum, rogabat me cum lacrymis, vt magis deſolaretur locus, quam tot animæ quotidie periclitarentur. Ego vero videns lacrymas eius, & quia nullus ſe perfecte poneret ad placandum me, permiſi ea fieri, quę nunc audiuntur. Cui illa: O, inquit, Domine dolendum eſt, quod multorũ etiam bonorum reliquiæ, & corpora, iacent ibi tanquam immunda, & ſine muro. Reſpondit Chriſtus: Sicut ego habeo animas electorum meorum in me ipſo, ſic etiam curam habeo de reliquijs amicorum meorum, quæ theſaurus meus ſunt, donec recipiant duplicia eis repromiſſa. Item loquebatur Domina: O Domine mi chariſſime, Ego credo, quod illi loco Siponti multę gratiæ, & remiſſiones conceſſæ fuerant à Pontificibus. Nunquid, quia muri deſtructi ſunt, etiam gratiæ abolitæ ſunt? Reſpondit Chriſtus: Quis locus ſanctior eſt Hieruſalem, vbi ego ipſe Deus impreſſi veſtigia mea? Quis locus nunc deſpectior, qui ab infidelibus inhabitatur, & conculcatur. Attamen quicumque in Hieruſalem veniunt, eandem priorem gratiam inueniunt, & remiſſionem. Simile eſt de loco iſto, quicumque venerit ad eum ex charitate, & perfecta voluntate, participabitur eadem gratia, & benedictione, quam ciuitas illa habuit tempore quo ſtabat in gloria ſua, propter fidem aduenientium, & laborem charitatis.

NOTAE.

1 QVi cum viſitaſſet montem Garganum, & ſanctum Nicolaum, & rediſſet ad Dominam, cuius cõſilio totus ſtetit.

Hunc textum omnino corruptum, & mendis refertum eſſe arbitror, & ideo ſic eſſe reſtituendum cenſeo, cuius conſilio hęc ſancta loca viſitauit, quidam enim Præpoſitus, de quo in præſenti nota ſermo fit, B. Brigitta ſuadente, ad Sanctorum Michaelis Archangeli, & Nicolai Eccleſias viſitandas ſe contulit, ad quę duo loca fuiſſe olim frequentiſſimã peregrinationem, & præcipue ad montem [illegible]

Petrus Damianus in vita S. Romualdi, & in ſpecie Othonem Imperatorem Roma ad eundem montem nudis perexiſſe pedibus teſtatur idem Auctor, id quæ monitu Sancti Romualdi, atque hoc loco Gelaſio Primo Pontifice Maximo: imperante Anaſtaſio Aedem fuiſſe ab eo ſacratam, narrant Beda, & Addo Treuerenſis tertio Kalendas Octobris, Sigisbertus ad annum 488. Ioannes Echius Homil. 3. in feſto S. Michaelis, Gulielmus Durandus in Rationali Diuinorum lib. 7. c. 12. eius vero Apparitionis, & miraculi in hoc monte Gargano facti, ac conſecrationis memoriam Eccleſia, octauo Idus Maij, & tertio Kalendas Octobris, pia veneratione colit, de Sancto vero Nicolao Epiſcopo Myræ egimus lib. 6. Reuelat. c. 103. nota prima, vbi affirmauimus etiam hodierna die in Baro, vbi eius corpus repoſitum eſt, vigere miraculum, ex eo namque veluti ex perenni quodam fonte oleum emanat, hunc autem Præpoſitum, de quo in præſenti nota ſermo fit, huius Sancti viſitaſſe reliquias legimus hic, quod etiam fecit Beatiſſima Birgitta, vt lib. 6. Reuelat. c. 103. ſcribitur.

CHRISTVS LOQVENS Sponſæ de modo liberationis cuiuſdam dæmoniaci dicit ei, quod ſicut corpus habet membra extra corporaliter, ſic & anima habet etiam membra intus ſpiritualiter. Et declarat illa Dominus valde pulchre.

CAP. CXV.

FILIVS loquitur. Tu es quaſi quædam rota, quæ præcedentem ſequitur. Sic tu voluntatem meam ſequi debes. Dixi tibi prius de quodam, cuius animam diabolus poſſidet, nunc dicam tibi, in quo membro captiuatus eſt. Ego ſum ſimilis homini, qui dicit lictori ſuo, Tres ſunt in domo tua cuſtodiæ. In
prima ſunt illi, qui digni ſunt carere vita. 1
In ſecunda ſunt illi, qui priuādi ſunt aliquo membrorum. In tertia ſtant illi, qui flagellandi ſunt, & priuandi cute. Cui dicit Lictor: Domine ſi aliqui priuandi ſunt vita, alij mutilandi, & flagellandi cur differtur iudicium? Si enim citius iudicarentur, obliuiſceretur eorum dolor. Reſpondit Dominus: Illa quæ ego facio ſine cauſa non facio. Nā qui priuandi ſunt vita, expectandi ſunt ad tempus, vt boni videntes miſerias eorum meliores fiant, & mali timeant, & de cætero fiant cautiores. Qui vero mutilandi ſunt, neceſſe eſt, vt tribulentur prius, quatenus retractent in corde ſuo mala, quæ fecerant, & doleant de commiſſis. Qui autem flagellandi ſunt, etiam debent dolore probari, vt cognoſcant ſe in dolore, qui ſe neglexerunt in lætitia, & tanto ſollicitius talia committere caueant, quo laborioſius ſunt liberati. Ego igitur ſum Dominus ille, qui diabolum habeo tanquam lictor ad vindictam malorum, iuxta merita ſingulorum, cui poteſtas ſuper animam iſtius data eſt, ſed in quo membro indicabo tibi nunc. Sicut enim corpus per membra diſpoſitum eſt extra, ſic anima diſponi debet ſpiritualiter intus. Nam ſicut corpus habet medullam, oſſa, & carnem, in carne vero ſanguinē, & carnem in ſanguine, ſic anima debet habere tria, memoriam, ſcilicet, & conſcientiam, & intellectum. Sunt enim quidam, qui ſublimia intelligunt de ſcripturis, ſed nullam habent rationem, his deficit vnum membrum. Alij vero ſunt, qui rationabilem habent conſcientiam, ſed nullam intelligentiam. Alii vero habent intellectum, ſed non memoriam, & iſti grauiter infirmātur, ſed illi ſani ſunt in anima, qui rationem habent ſanam, & memoriam, & intellectum. Item corpus habet tria receptacula. Primū eſt cor, ſupra quod eſt vna membrana gracilis defendens, ne aliquid immundum attingat ad cor. Si enim minima macula ad cor attingeret, ſtatim homo moreretur. Secundum receptaculum eſt ſtomachus. Tertium ſunt viſcera, per quæ purgantur noxia. Sic etiam anima ſpiritualiter tria debet habere receptacula. Primum eſt deſiderium Diuinum tanquam cor, vt anima nihil feruentius deſideret quàm me Deum ſuum. Alioquin ſi aliquis prauus affectus, quamuis minimus intrauerit, ſtatim anima maculatur. Secundum eſt ſtomachus, id eſt diſcreta diſpoſitio tēporum, & operum. Sicut enim omnis cibus liqueſcit, & digeritur in ſtomacho, ſic omne tempus, & cogitatus, & opus, ſecundum diuinam conſtitutionem diſponatur ordinate vtiliter, & ſapienter. Tertium receptaculum ſunt viſcera, id eſt, diuina contritio, per quam purgantur immunda, & cibus diuinæ ſapientiæ melius ſapit. Item corpus habet tria quibus ſe promouet, ſcilicet, caput, manus, & pedes. Caput notat diuinam charitatem. Sicut enim in capite ſunt omnes quinque ſenſus, ſic in diuina charitate dulciter ſapit animę, quicquid dicitur, & auditur, & videtur de Deo. Quicquid, & iubetur conſtan- 1
ter adimpletur. Itaque ſicut ſine capite homo eſt mortuus, ſic ſine charitate mortua eſt anima ad Deum, cuius vita Deus eſt.

Manus

Manus vero animæ significant fidem. Sicut enim in manu plures sunt digiti, sic sunt in fide multi articuli, quamuis sit vna fides. Itaque per fidem omnis Diuina voluntas perficitur, & omni operi bono ipsa cooperari debet. Sicut enim per manus opus fit ab extra, sic per fidem Spiritus sanctus operatur intus.
1 1 Ipsa quippe fides est sustentamentum omnium virtutum, quia vbi fides non est, adnihilatur charitas, & bonũ opus. Pedes vero animæ sunt spes, per hanc enim anima procedit ad Deum. Sicut enim corpus procedit pedibus, sic anima diuini desiderij passibus, & spei, appropinquat Deo. Cutis vero quæ est supra omnia membra significat consolationem diuinam,
2 2 quæ animam imperturbabilem consola-
var. tur. Et quamuis diabolo permittatur quan-
lect. doque perturbare memoriam, quandoque manus, & pedes, tamen Deus defendit semper animam quasi pugil, & consolatur eum quasi pius pater, & quasi medicus medetur, ne moriatur. Itaque anima istius hominis, de quo tibi dixi tunc captiuata fuit, quando digna fuit priuari manibus propter fidei instabilitatem, quia non habuit fidem rectã, sed quia jam est tempus miserendi duplici de causa. Primo propter charitatem meam. Secundo propter preces electorum meorũ. Ideo amicus meus legat super eum prius dicta verba, tria vero ille facturus est. Primo restituat male acquisita. Secundo procuret sibi absolutionem de Romana curia, de inobedientia sua. Tertio, quod ante absolutionem non recipiet corpus meum in sacramento Communionis.

NOTAE.

1 Ipsa quippe fides est sustentamentum omnium virtutum.

Hoc loco omnium fides appellatur sustentamentum virtutum, imo & totius spiritualis ædificij fundamentum est, quandoquidem, vt ait Paulus Hebræorum undecimo: impossibile est sine fide placere Deo, & in hoc sensu accipiendum est, quod dixit Apostolus ibidem definiens fidem, quod ipsa est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium, vbi substantia sumitur non prout est de prædicamento substantiæ, sed pro fundamento, & quemadmodum substantia est accidentium fundamentum; & sine ipsa accidentia nullatenus naturaliter persistere potest, ita quoque sine fide nec virtus aliqua, neque spirituale ædificium stare potest.

2 Circa finem huius capitis vbi in impressis
vari
var. hactenus codicibus legitur, quæ animam
lect. imperturbabilem consolatur.

M.S. Farnesianus corrigit, quæ animam à perturbatione consolatur.

CHRISTVS CONQVERITUR Sponsę de gentibus, & iudęis, & per maxime de malis Christianis, ex eo quod sancta Sacramenta non recipiunt deuote, & munde sicut decet, & ex eo quod negligunt creationem & redemptionem, & Diuinam consolationem.

CAP. CXVI.

FILIVS loquitur. Ego loquor tibi per similitudinem, quasi essent tres homines. Primus diceret: Ego nec credo te esse Deum, nec hominem, & hic talis est Gentilis. Secundus, idest, Iudæus, credit me esse Deum, sed non hominem. Tertius, idest, Christianus, credit me Deum esse & hominem, sed non credit verbis meis. Ego sum ille super quem vox patris audiebatur. Hic est Filius meus dilectus, &c. Ideo conqueror ex parte Deitatis meæ, quod homines nolunt me audire. Ego clamabam, & dixi. Ego sum principium, si credistis mihi habebitis vitam æternam, sed contempserunt. Ipsi viderunt potentiam Deitatis meæ, quando suscitabam mortuos, & multa alia, & tamen non attenderunt. Conqueror etiam ex parte humanitatis, quia ea quæ in sancta Ecclesia institui nullus curat. Ego quippe posui in Ecclesia quasi septem vasa, quibus omnes purificarentur. Institui enim baptismum in purgationem originalium peccatorum. Chrisma in signum diuinæ reconciliationis. Oleum sanctum in robur contra mortem. Pœnitentiam in remissionem omnium peccatorum. Verba sancta, quibus sacramenta sanctificarentur, & instituerentur. Sacerdotium in dignitatem, & cognitionem, & rememorationem diuinæ charitatis. Coniugium in cordium vnionem. Hæc recipi debent cum humilitate, custodiri cum puritate, erogari sine cupiditate. Sed iam suscipiuntur cum superbia, custodiuntur in vasis immundis, erogantur cum cupiditate.

Conqueror etiam, quod pro salute hominum natus, & mortuus sui, vt si homo nollet me diligere, quia creaui eum, saltem diligeret me, quia redemi eum. Sed nunc homines eijciunt me de corde suo quasi leprosum, & abominantur me quasi pannum immundum. Conqueror etiam ex parte deitatis, quod consolationem eiusdem deitatis homines nolunt, & charitatem eius non attendunt.

AVDIVIT SPONSA QVOD vere desiderantibus Deum, ipse statim occurrit. & consolatur eos quasi pius pater, & difficilia facit eis facilia.

CAP. CXVII.

QVODAM legente Pater noster, audiuit Sponsa quomodo tunc ait spiritus. Amice, respondeo tibi ex parte Deitatis, quod habebis hæreditatẽ cum Patre tuo. Secundo ex parte humanitatis, quòd eris templum meum. Tertio ex parte Spiritus, quod non habebis tentationes supra id, quod ferre possis. Pater enim defendet te, Humanitas astabit tibi, Spiritus inflammabit te. Sicut enim mater, quando audit filij sui vocem, occurrit ei gaudenter; & sicut pater videns filium operantem, occurrit ei in media via, & subleuat cum eo onus. Sic ego amicis meis occurro, & omnia difficilia facio eis facilia, & portare cum hilaritate. Et sicut aliquis videns aliquid delectabile, non consolatur, nisi vicinius appropinquet. Sic ego desiderantibus me appropinquo.

CHRISTVS LOQVITVR Sponsę dicens, quòd illos trahit pater ad se eorum bonam voluntatem perficiẽdo in bono, quos videt voluntatem malam commutare libenter in bonam, cum desiderio emendandi commissa.

CAP. CXVIII.

FILIVS loquitur. Qui mihi sociari voluerit, debet voluntatem suam conuertere ad me, & pænitere de commissis, & tunc trahitur ad perfectionem à Patre meo. Illum quippe trahit Pater, qui voluntatem malam mutans in bonam, libenter desiderat emendare commissa. Sed quomodo trahit Pater? certe voluntatem bonam perficiendo in bono, nisi enim affectus esset bonus, pater non haberet quid traheret. Sed quibusdam sum ita frigidus, quod nullo modo via mea placet eis. Alijs vero sum ita calidus, quod si aliqua bona debent facere, videntur quod quasi sint in igne. Alijs sum ita dulcis, quod nihil nisi me desiderant. His ego dabo lętitiam nunquam finituram.

MATER NARRAT HIC septem bona quæ sunt in Christo, & septem contraria quæ repræhendebantur ei ab hominibus.

CAP. CXIX.

MATER loquitur. Filius meus habet septem bona. Est enim potẽtissimus quasi ignis omnia consumens. Secundo sapientissimus, cuius sapientiam nullus valet comprehendere, sicut nec haurire mare. Tertio fortissimus quasi mons immobilis. Quarto virtuosissimus sicut herba apiaria. Quinto est pulcherrimus quasi sol splendens. Sexto iustissimus, quasi rex nulli parcens contra iustitiam. Septimus pijssimus, sicut Dominus dans seipsum pro vita serui sui. E contra, ipse, pertulit alia septem.

Nam

Nam pro potentia factus eſt quaſi vermis: pro ſapientia, reputatus eſt inſipientiſſimus: pro fortitudine, quaſi puer faſciolis ligatus; pro pulchritudine, quaſi leproſus: Pro virtuoſitate, ſtabat nudus & ligatus; pro iuſtitia, reputabatur mendax; pro pietate, mortuus eſt.

CHRISTVS DICIT Sponſæ, quod duæ ſunt delectationes, ſcilicet, ſpiritualis, & carnalis, ſpiritualis delectatio eſt quando anima delectatur in beneficijs Dei.

CAP. CXX.

FILIVS loquitur. Inter me, & illum eſt quædam membrana, pro qua non delectat eũ dulcedo mea, quia aliquid delectat eum præter me. Et Sponſa quæ hæc audiebat, ait ad Dominum: Nunquid aliquam delectationem vnquam habere poterit? Reſpondit Dominus: Duplex eſt delectatio, ſcilicet, ſpiritualis, & carnalis. Carnalis, vel naturalis delectatio eſt, quando neceſſitate requirente refectio ſumitur, in qua ſic homo debet cogitare. O Domine, quia iuſſiſti nos reficı ad ſolam neceſſitatem, laus tibi ſit, & da mihi gratiam, vt in ſumptione non ſubrepat mihi peccatum. Si vero temporalium bonorum delectatio oriatur, cogitet homo taliter. O Domine, omnia terrena non ſunt, niſi terra, & tranſitoria, ideo da mihi ea ſic diſponere, vt de omnibus ſciam tibi reddere rationem. Spiritualis delectatio eſt, quando anima delectatur in beneficijs Dei, & temporalibus vtitur, & occupatur inuitus, & ad ſolam neceſſitatem, ſed membrana tunc frangitur, quando Deus eſt dulcis animæ, & timor eius conti- nuus eſt in mente.

QVOD NON HABITVS; SED virtus obedientiæ, & obſeruantiæ regularis facit monachum, & quod vera cordis contritio cum propoſito emendandi, eripit animam de manu diaboli.

CAP. CXXI.

1 APPARVIT Diabolus, & dixit: 1 Ecce auolauit monachus, & ſola remanet effigies. Et Dominus ait ad eum: Expone, inquit, quem notas. Reſpondit diabolus, hoc faciam, ſed inuitus. Monachus verus eſt cuſtos ſui, huius habitus eſt obedientia, & obſeruantia profeſſionis ſuæ. Sicut enim corpus tegitur veſte, ſic anima virtutibus. Ergo non valet habitus exterior, niſi interior ſeruetur, quia monachum non facit veſtis, ſed virtus. Hic monachus auolauit, quando cogitauit ſic. Ego cognoſco peccatum meum, & emendabo de cætero, nunquam amplius peccaturus gratia Dei, ex iſta enim voluntate receſſit à me, & iam eſt tuus. Cui Dominus. Quomodo, inquit, remanet effigies? Et dæmon: Quando, inquit, non reducit ad memoriam peccata commiſſa, nec perfecte, vt deberet pœnitet de commiſſis.

Declaratio.

Hic frater vidit in manu ſacerdotis tempore eleuationis corporis Chriſti, in ſpecie pueruli Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, dicentem ſibi: Ego ſum Filius Dei, & Filius Virginis. Hic etiam obitum ſuum, & horam ad vnum annum præuidit, de quo habetur in multis capitulis, in legenda Sanctæ Dominæ Birgittæ. Qui quidem frater vocabatur Gerechinus. Hic etiam vita continentiſſime fuit, qui moriturus vidit ſcripturam auream, in qua continebantur tres litteræ aureæ, P, O, & T. Quia narrans hæc fratribus ſuis dixit. Veni Petre, feſtina Olaue, & Thordo, quibus vocatis obdormiuit. Illi vero tres nominati mortui in vna ſeptimana, ſequebantur eum. De eodem fratre habetur extrauag. 55. capitulo. Quidam monachus ſanctæ vitæ ipſius monaſterij Aluaſtri, &c.

NOTAE.

1 Ecce auolauit Monachus, & sola remanet effigies.

De hoc Monacho, cuius in præsenti nota mentio fit agitur in Reuelat. Extrauag. cap. 55.

QVOD VITA HOMINIS dissoluti, & tepidi est quasi pons arctus, & periculosus, de quo si non vertit se cito saltando in nauem pœnitentiæ, & virtutum, præcipitabitur ab inimico dæmone in chaos profundum.

CAP. CXXII.

ILLE est meus capitalis inimicus, quia deridet me in ioco. Omnem voluntatem suam, & cupiditatem suam implet, prout potest. Ipse est sicut ille qui iacet in ponte arcto. In cuius parte sinistra est chaos maximum, vbi qui descendit non resurget. In dextera vero parte est nauis, in qua si saltauerit laboriose euadet, attamen spes est vitæ. Iste pons vita sua est lamentabilis, & breuis, in qua non stat vt homo viriliter decertans, nec sicut homo peregrinus, progrediens quotidie, & proficiens in via, sed stat iacens vt accidiosus, desiderans bibere aquas voluptatis. Duo itaque instant ei. Si enim surrexit de ponte, aut veniet in abissum, idest, ad inferni profunda, si vertit se ad sinistram, id est, ad opera carnis: Aut si saltauerit in nauem laboriose euadet, quia si assumpserit Ecclesiæ sanctæ rigorem, & institutionem, laboriosum est sibi. Attamen per hæc saluabitur. Ergo vertat se citius ne inimicus præcipitet eum de ponte, quia tunc clamabit, & non audietur, sed in æternum punietur.

Additio.

Hic videns regem immutatum, nec se more solito apud eum audiri, inuidens Dominæ Birgittę. Cum pertransisset per quandam angustam plateam, effudit ab alto aquã de fenestra super eam, quæ dixit astantibus. Parcat ei Deus, & non reddat ei in seculo futuro. Tunc Christus apparuit Dominę in Missa, dicens: Ille homo qui effudit super te aquam de fenestra ex inuidia, sanguinem sitit, sanguinẽ fudit, terram desiderat, & non me. Audacter loquitur contra me, carnem suam colit pro me Deo suo, me à se, & corde suo excludit. Caueat sibi ne in sanguine suo moriatur, postea hic homo modico tempore vixit, & fluxu sanguinis fluente de naribus eius mortuus est, sicut ipsa prædixit.

CHRISTVS DEFENDIT Sponsam suam Birgittam, idest, animam conuersam de mundo ad vitam spiritualem, quam pater, & mater, soror, & frater conabantur reuocare ab amore eius, & casto matrimonio.

CAP. CXXIII.

FILIVS loquitur Sponsæ. Ego sum quasi Sponsus, qui desponsauit sibi Sponsam quam pater & mater, soror & frater repetunt. Pater enim dicit: redde mihi filiam meam, quia de sanguine meo nata est. Mater dicit: redde mihi filiam, quia de lacte meo nutrita est. Soror dicit: redde sororem, quia mecum educata est. Frater dicit: redde mihi sororem, quia meum est regere eam. Quibus respondit Sponsus. O pater, si de sanguine tuo nata est, nunc de sanguine meo repleri debet. O mater, si tu pauisti eam lacte tuo, sic nunc ego pascam eam delectatione mea. O soror, si secundum consuetudinem tuam educata es, sic nunc tenebis consuetudinem meam. O frater: si tu rexisti eam vsque modo, ita nunc meum est regere eam. Sic tecum factum est, nam si pater, idest, voluptas carnis repetit te, meum est replere te charitate mea. Si mater, idest, cura mundi repetit te, meum est pascere te lacte consolationis meæ. Si soror, idest, consuetudo mundanæ conuersationis repetit te, potius teneris facere consuetudinem meam. Si frater te repetit, idest, voluntas propria, tu obligaris facere voluntatem meam.

QVOMODO BEATA AGNES imponebat Sponsæ Christi coronam de septem lapidibus pretiosis, scilicet patientię in tribulationibus, &c.

CAP. CXXIV.

AGNES loquitur ad Spon
sam dicens: Veni filia, &
impone tibi coronam fa-
ctam ex septem lapidi-
bus pretiosis. Quid vero
est corona nisi probatio
patientiæ, quę ex tribu-
lationibus conflatur, & à Deo coronis ador
1 natur. 1 Primus igitur lapis coronę est
iaspis quem apposuit tibi ille, qui contume-
liose tibi dixit, se nescire, quo spiritu lo-
quebaris, & esse tibi vtilius mulierum more
subtiliter filare, quam de scripturis disputa
re. Ideo sicut iaspis acuit visum, & accendit
gaudium animi, sic Deus ex tribulatione
accendit gaudium in animo, intellectum illu
minat ad spiritualia, mortificat animam à
2 motibus inordinatis. 2 Secundus lapis
est saphyrus, & hunc apposuit tibi ille, qui
fauorabilia loquebatur in facie tua, & in
dorso detrahebat de te. Sicut igitur saphy-
rus est cælestis coloris, & seruat membra
in sanitate, sic hominum malitia probat iu
stum, vt fiat cælestis, & seruat membra ani
3 mæ, ne superbia eleuetur. 3 Tertius lapis
est smaragdus, hunc apposuit tibi ille, qui di
xit te dixisse ea, quę nec cogitabas, nec lo
quebaris, ideo sicut smaragdus est fragilis
ex se, sed tamen pulcher, & viridis coloris,
sic mendacium citius adnihilatur, sed tamē
pulchram facit animam, propter patientię
4 remunerationem. 4 Quartus lapis est mar
garita, hunc apposuit tibi ille, qui amicum
Dei te præsente vituperauit, ex cuius vitu
perio plus turbabaris, quam de tuo. Ideo
sicut margarita est alba, & pulchra, & alle
uiat cordis passionem, sic dolor charitatis
introducit Deum in animam, compescitque
5 passiones iræ, & impatientiæ. 5 Quintus
lapis est topatius, hunc apposuit tibi ille,
qui amara loquebatur tibi, cui tu è contra-
rio benedixisti, ideo sicut topatius est aurei
coloris, & seruat castitatem, & pulchritudi
nem, sic nihil pulchrius, & acceptius est
Deo, quam ledentem se diligere, & pro perse
6 quentibus exorare. 6 Sextus lapis est
adamas, hunc apposuit tibi ille qui fecit tibi
corporalę damnū, quod patienter tolerasti,
& noluisti eum dehonestare. Ideo sicut ada
mas non frangitur tunsionibus, sed sanguine
hirci sic placet Deo hominem obliuisci, &
negligere propter Deum damnū corporale,
& cogitare semper ea, quæ Deus propter
7 hominem fecit. 7 Septimus lapis est
carbunculus, hunc apposuit tibi ille, qui fal
sa annunciauit tibi, scilicet, filium tuum
Carolum esse mortuum, & patienter tulisti,
committens voluntatem tuam Deo. Ideo
sicut carbunculus lucet in domo, & in anulo
est pulcherrimus: sic homo, qui patiens est
in amissione alicuius rei charissimæ sibi
prouocat Deum ad dilectionem sui, & in
conspectu Sanctorum lucet, & placet sicut
lapis pretiosius. Ideo filia sta stabilis, quia
pro amplianda corona tua, adhuc aliqui la
pides sunt necessarij. Nam Abraham & Iob,
meliores, & magis noti, seu famosiores facti
sunt ex probatione, & Ioannes sanctior ex
testimonio veritatis.

NOTAE.

1 PRimus igitur lapis coronę est iaspis, quem apposuit tibi ille, qui contumeliose tibi dixit se nescire, quo spiritu loquebaris.

[1] Speciosam admodū Beatissima Agnes, coronam ex septem lapidibus pretiosis confectam, eamque capiti Sanctæ Brigittæ aptat, & has lapidum virtutes septem, quibus illam refertam, ornatamque esse in præsenti capite narrat, sumit autem exordiū à iaspide, cuius esse proprium affirmat, oculorum aciei prodesse, vt
1 *autem huius lapidis pretiosi natura eatenus innotescat, quatenus verborū præsentis textus sensus legentibus pateat: sciendū est ex D. Isidoro lib. 16. Ethimolog. c. 7. quod iaspis ex græco in latinum viridis gemma interpretatur, ias quippe viride, pinnasim gemma dicitur, species eius decem, & septem, voluit autem quidam iaspidem gemmam, & gratiæ, & tutelæ esse gestantibus, quod credere non fidei, sed superstitionis est, cæterum de eo fusius tractant Plinius lib. 37. nat. hist. c. 9. & D. Hieron. super Isaiam c. 54. huius autem effectus dicūt aliqui esse, & sanguinis fluxum stringere, homines castos reddere, & ex animo varia phantasmata, & tristitiam pellere, vnde Gloss. interlinearis super Exodum c. 28. & Liranus super Exodum c. 39. Iaspidem in secundo ordine Rationalis Pontificis positum existimarunt mistice, significare virtutem epiikeiæ, quæ vana phantasmata pellit ab animo, & seruare in omnibus moderationem debitam docet, spectat namque ad hanc virtutem, aliquid moderari, licet enim directe referatur ad moderantiam obseruationis verborum legis, vt probat D. Thom. 2. 2. q. 120. art. 1. & 2. tamen etiam secundum græcos, vt in hoc se-*

cundo

cundo articulo ad tertium argumentum auctor eſt idem D.Thom. transfertur ad omnes moderationes, ponitur ergo hic lapis pretioſus ad ornatum coronæ B. Brigittæ, vt ex virtutibus, quæ tribuuntur iaſpidi, intelligamus B. Brigittam iiſdem fuiſſe præditã, ipſa namque tribulationibus preſſa, in omnibus animi æquitatem, ac debitam moderantiam ſeruabat, & quo magis premebatur eo minus turbabatur, nec a ſtatu rationis quicquam mouebatur, vexatio enim ei dedit intellectum, vt ſcribitur Iſaiæ 28. & hoc eſt, quod legimus hoc loco, ideo ſicut iaſpis acuit viſum, & accendit gaudium animi, ſic Deus in tribulatione accendit gaudium in animo, & intellectum illuminat ad ſpiritualia.

2 Secundus lapis eſt Saphirus, & hunc appoſuit tibi ille, qui fauorabilia loquebatur in facie tua, & in dorſo detrahebat.

2 *Secundus lapis S. Brigittæ coronæ appoſitus ſapphirus eſt, vt autem palam fiat, quid nobis per eum B. Agnes ſignificare voluerit, eius etiam natura, ac virtus breuiter indaganda eſt; ſapphirus namq; cæleſtis coloris eſt, vt hic ſcribitur, quod etiam tradit Plinius loco ſuperiori nota citato, quem ait aureis punctis collucere, vel vt auctor eſt S. Iſidorus lib. 16. Etimolog. cap. 9. Ceruleus eſt, cum purpura* 1 *pulueres aureos ſparſos habens, huius virtutes multiplices ſunt, legimus vero hoc loco eius eſſe propriũ conſolidare membra, & vt alij docent ad oculorum purgationem valde conferre, internum ardorem refrigerare, ſacrum morbum fugare, & ideo ſacra gemma à quibuſdam appellatur. tradit autem D. Hieronymus ſuper Iſaiam cap. 19. geſtatum ſaphirum hominibus, & præſertim Principibus viris gratum exhibere inimicitias ſedare. merito ergo pretioſus hic lapis coronæ B. Brigittæ inſertus eſt, quippe quæ ea animi conſtantia prædita fuit, vt nec blandis, nec contumelioſis verbis ad aliquid contra Deum patrandum moueri potuerit, vt ſcribitur hic, & quoniam oculorũ aciem purgauit, & concupiſcentiæ calorem compreſſum habuit, nec laudibus in ſuperbiam elata, neque detractionibus in impatientiam rapta eſt, vt mirum non ſit ſi illius actiones ſingulæ ad cælum tenderent, habet enim, vt diximus ſaphirus cæli colorem, & idcirco eum meruit in ſua corona portare, quandoquidem cæleſtem vitam ducebat in terris; quæ per ſaphirum myſtice deſignatur, vt docet D. Hieronymus ſuper Iſaiã cap. 54. D. Greg. Pont. 18. Moral. cap. 27. & hom. 8. in Ezechielem. Rupertus in cap. 16. Ezechielis, D. Auguſt. qu. in Exodum 102. Haymon. ſuper cap. 21. Apocal. lib. 7. ediſſerens ea verba D. Ioannis, fundamentum ſecundum ſaphirus.*

3 Tertius lapis eſt ſmaragdus, hunc appoſuit tibi ille, qui dixit te dixiſſe ea, quæ nec cogitabas, nec loquebaris.

Tertius in ordine lapis, cuius in præſenti nota B. Agnes meminit ſmaragdus eſt, eius hoc loco duæ proprietates afferuntur, prima quidem, quod de facili frangitur, ſecunda vero, quod viridis coloris eſt, quapropter D. Iſidorus lib. ſuperiori nota citato cap. 7. omnium ait virentium gemmarum tenere principatum, cui veteres tertiam poſt Margaritam tribuunt dignitatem, ea tamen aſſerit viriditate pollere, vt herbas, frondeſque exuperet, & circunſtantem aerem repercuſſum inficiat plura de eo tradunt Plinius vbi ſupra, & Georgius Venetus cant. 3. cap. 5. tom. [illegible] qui inter cæteras illius virtutes has eſſe præcipuas tradit, aciem in primis oculorum recreare, laſciuiæ motus compeſcere, tempeſtates ſedare, ſed quantũ ad rem noſtrã ſpectat, vt ſenſus præſentis notæ innoteſcat, ſciendum breuiter eſt, quod cũ ſcribitur hic, ſmaragdũ de facili frangi, mendacium ex eo nobis deſignari, quod ex verbis præſentis notæ aperte deducitur, cum dicitur, ſicut ſmaragdus fragilis eſt ex ſe, ſic mendacium annihilatur, idque adeo verum eſſe D. Cyprianus lib. 1. epiſt. 5. arbitratur, vt ſentire contrarium dementiam eſſe aſſirmauerit, hæc eſt inquit frater vera 1 *dementia, non cogitare, nec ſcire, quod mendacia non diu fallant, noctem tamdiu eſſe quamdiu illuceſcat dies, clarificato autem die, & orto ſole, luci tenebras, & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia ceſſare, idem probat D. Chriſoſt. hom. 67. in Ioannem. Vt autem ſmaragdus viriditate pollet, ſpem notat, & idcirco legimus hic ſmaragdum pulchram facere animam, propter patientiæ remunerationem; ſpes namque futuræ remunerationis expectatio eſt, quæ columnæ æquiparari poteſt qua ſpirituale ædificium ſuſtentatur,* 2 *hac deficiente tota ſpiritualis fabrica corruit, & in ea anima per deſperationis vitium deformata, in inferni Barathrum concidit.*

3 Quartus lapis eſt Margarita, hunc appoſuit tibi, qui amicum Dei te præſente vituperauit, ex cuius vituperatione plus turbabaris quam de tuo.

Quartum lapidem coronæ ſponſæ inſertum Margaritam eſſe aſſirmat hic B. Agnes, hunc autem inter candidas gemmas principium ſibi vendicaſſe locum auctor eſt D. Iſidorus libr. 19. Etimolog. cap. 30. & inde vocatam eſſe cenſet, quod in marinis conculis hoc genus lapidum inueniatur, dicit vero gigni de cæleſti rore, quem certo anni tempore conculæ hauriunt, hinc de his egregie docuit Plinius natural. hiſt. lib. 9. ca. 35. Margaritas in oſtreis generari, quas vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, pandentes ſe ſe quadam oſcitatione roſcido conceptu impleri, grauidas poſtea eniti, partumque concharum eſſe Margaritas, pro qualitate Roris accepti, plura de illis habet Origen. ſuper Matt. ca. 13. nunc autem videndum eſt, quomodo, quave ratione hoc loco Margarita charitati cõparetur, Margarita 2 *namque, ſicut candidarum gemmarum prima eſt, ita charitas inter Theologicas virtutes primum lo-*

cum

eam obtinet, vt dicit Apostolus 1. Corin. 13. nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc maior autem horum est charitas, rursus sicut Margarita cordis passiones allenist, & ob albedinem pulcherrima est, & propterea amoris, & puritatis simbolum esse censetur, sic quoque charitas impatientiæ, & iræ a corde compescit motus, est namq; ira accensio sanguinis circa cor, & ideo de ea scribit Paulus loco supra citato, quod patiens est, benigna est, non æmulatur, merito ergo coronæ B. Brigittæ Margarita posita est, quoniam de ea legimus hic, quod plus de amici doluerit vituperio quam de suo.

5 **Quintus lapis est topatius.**

Ex proprietatibus, ac virtutibus topatij admodū aperte colligi potest, quapropter etiam coronæ B. Brigittæ topatius debitus fuerit, quod vt ex eius natura manifestum fiat, sciendum est ex Plinio lib. 37. hist. natural. cap. 8. & indicant etiam D. Hilar. & Ambros. in psal. 118. in exposit. eius versiculi super aurum, & topation, topatium esse viridis coloris, aut etiam aurei, vel vt habet D. Isidorus lib. 16. Etimolog. cap. 7. Dionisius Cartusianus in Apocal. cap. 21. ex virenti genere esse, omnique colore splendentem, quem ferunt in feruidam immissum aquam, & tepidam reddere, iram temperare, dolorem oculorum leuare, aliosque corporales morbos curare, quæ si vera sunt, quis ambigat pretiosum hunc lapidem B. Brigittæ fuisse debitū, cum maledicentis sibi feruentem sedauerit iram, impatientiæ etiam sedauerit motus, & pro maledictionibus benedictiones reddiderit, & ideo immediate post verba in præsenti nota citata legimus de ea B. Agnetem dixisse, sic bene apposuit tibi ille, qui amara loquebatur tibi enī tu è contrario benedixisti. Arethas vero, & Lyranus in locum citatum psal. arbitrantur per topatium mistice significari intelligentiam rerum celestium, & spiritualium, qua ratione. Hæc etiam pretiosa gemma gloriosæ Brigittæ coronæ debita est.

6 **Sextus lapis est Adamas.**

Sextum lapidem pretiosum B. Brigittæ coronæ appositum fuisse Adamantem legimus hic, cuius natura, vt nobis quantum ad rē nostrā attinet innotescat, notandum ex Plinio lib. 38. Nat. hist. cap. 4. Adamantem, eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro, nec igni indomitum lapidem appellari posse, qui ob suā duritiam creditur hircorum tantummodo sanguine solui, missumque in calidum sanguinē macerari, sicque postea pluribus ictibus ferri frangi, eum ferunt, ferrugineum habere colorem, & christalli splendorem, nunquam vltra nucis auellanæ magnitudinem fuisse repertum, docuit Isidorus vbi supra sicque cum magnete lapide dissidere, vt iuxta positus ferrū non patiatur abstrahi a magnete addendum quoque est, in electri similitudine venena deprehendere, metus vacuos pellere Maleficis resistere artibus, hic ergo pretiosus lapis merito ad conficiendam B. Brigittæ coronam additus est, quandoquidem illa vt scribitur hic, nec corporali aliquo damno, nec contumeliosis verbis moueri vnquam potuit, vt Deum offenderet, vtque pro eo iniurias proximo redderet, sed armis munita patientiæ, veluti Adamas nullis frangebatur ictibus iræ, eoque fiebat fortior, quo magis tentationibus premebatur, & pro Christi nomine inter flagella latabatur, ideoque meruit in sua corona Adamantem habere, patientiæ namque quæ in arduis, ac difficilioribus rebus fortitudinem præstat Adamas figuram gerit.

7 **Septimus lapis est Carbunculus.**

Postremus lapis pretiosus, cuius hoc loco B. Agnes meminit Carbunculus est, hunc gemmarum ardentium primum tenere locum testis est D. Isidorus libr. superioribus notis citato c. 13. & Plinius lib. 37. hist. nat. cap. 7. quem ita appellatum esse censent, quod ignitus sit, vt carbo, cuius fulgor, nec nocte vincitur, nec tenebris superatur, sicque lucet in nocte, vt flamas vibret ad oculos: ex huius ergo pretiosi lapidis præstantia colligendum est quare ille B. Brigittæ coronæ insertus fuerit quoniam, vt diximus, sicut carbo magis lucet in nocte, quam die sic illa in tribulationis nocte posita resplenduit magis, quam in die prosperitatis, imo noctem aduersitatis vertit in diem letitiæ, quando de sui filij Caroli morte certior facta se patientem exhibuit, suamque voluntatem penitus Deo commissit, vt mirum non sit si ad diligendum se Deum prouocauerit, & hoc est quod scribitur hic, ideo sicut carbunculus lucet in domo, & in Annullo pulcherrimus est, sic homo, qui patiens est in ammissione alicuius rei charissimæ sibi prouocat Deum ad dilectionem sui, & in conspectu sanctorum lucet.

***

MA-

MATER DEI LOQVITVR filię ſponſæ Chriſti ponens figuram pulchram de ſeptem animalibus per quę quatuor genera vitioſorum, & tria genera virtuoſorum hominum notabiliter deſignantur.

CAP. CXXV.

MARIA loquitur. Septem animalia ſũt. Primum habet cornua ingentia, ex quibus intumeſcens, & contra animalia bellum faciens, citius moritur, quia propter ingentia cornua, non habet velocitatem currendi, ſed a ſentibus, & ſtipitibus retinetur. Secundum animal eſt paruum habens vnum cornũ, & ſub ipſo pretioſum lapidem, hoc animal non capitur, niſi per viginem, qua viſa, currit in ſinum eius, & ſic ab ipſa interficitur. Tertium animal non habet iuncturas, & ideo quieſcendo ſtat iugiter ad arborem quandam, quam venator attendens ſecat, vſque ad medium, quo facto cum animal more ſuo quærit quieſcere, cadit arbor, & animal rapitur. Quartum videtur manſuetiſſimum, & nulli nocet, nec pedibus nec cornibus. Sed quicumque ſenſerit flatum eius efficitur leproſus, quia illud animal ex natura ſua totum eſt intus leproſũ. Quintum animal vbique timet, & inſidias præuidet, & ſuſpicatur. Sextum animal, nihil timet, niſi ſeipſum, ſed ſi viderit ſe in vmbra ſua, currit quaſi ad mortem, & ſemper in tenebris, & occulte deſiderat morari, & cõſeruari. Septimũ animal, nihil timet, nec etiam mortem, non ſentit, quia antequam veniet. *Hoc* ainmal habet quatuor mirabilia. Primo conſolationem interius habet indicibilem. Secundo non ſollicitatur de cibo, qui a commedit vilia terræ. Tertio nunquam ſtat, ſed ſemper currit. Quarto quod etiam incedendo quieſcit, & moderatum eſt in progreſſu ſuo. Primum itaque animal aſſimilatur homini, qui ex dignitate ſua intumeſcit, ſed quia tardum eſt, & ponderoſum ad vſus bonorum operum, citius deprehenditur, niſi ſibi cauerit. *S*ecundum animal ſuperbiens ex lapide pretioſo, quem habet ſub cornu, ſignificat hominem qui confidens, & præſumens de ſe ex lapide pretioſo caſtitatis, dedignatur monitionibus tangi, & pręfert ſe alijs. Et ideo ne a ſuperbia capiatur, quæ faciem habet virgineam, ſed pungit acutiſſime, ſollicite ſe attendat. Tertium animal, quod non habet iuncturas aſſimilatur homini, qui non habet iuncturas, ſpiritualium affectionum, & ideo cum ſecure credit quieſcere, capitur in his in quibus delectatur. *Q*uartum animal, quod totum eſt leproſum interius, ſignificat hominem, qui ex ſuperbia totus eſt leproſus. Et ideo quicunque ei conſentiendo adheret, efficitur maculoſus. Tria animalia alia ſequentia, manifeſtabuntur temporibus ſuis. Nam primum animal eſt, quaſi Thomas pie dubitans, quaſi lapis politus, & quadratus. Secundum animal eſt quaſi aurum in igne, & quaſi fiſtula deaurata, & in optimo coopertorio cuſtodita. Tertium animal eſt, quaſi tabula depicta, & apta ad ſuſcipiendos colores nobiliores. *Itaque* ſi illi homines vitioſi, qui deſignantur per illa ſupradicta quatuor animalia, conuerterint ſe ad me, occurram eis in via, & alleuiabo eorum onus. Sin autem, mittam ad eos animal volocius Tigre, quod conſumet eos, & ſicut ſcriptum eſt, flent dies eorum pauci, & filij eorum abſq; patre, & eorum vxores viduæ honoreſque eorum conuertentur in opprobrium, & pudorem.

Declaratio.

Primum animal, id eſt primus epiſcopus ex nobilitate ſuperbiens, conuerſus eſt ex verbis Spiritus ſancti, qui veniens Romam, & dominam Brigittam ſecutus, vſque ad Neapolim. Cum eſſent in Beneuento, grauiſſime paſſus eſt de calculo. Qui ægrotanti Spiritus ſanctus dixit per dominam, regi *I*ſrael infirmo pręceptum fuit, vt apponeret cathaplaſma ſuper vulnus ſuum. Sic faciat iſte, aſſumat veram charitatem in animo ad Deum, quæ eſt medicamentum optimum, & ſtatim ſentiet ſanitatem. *Q*uo audito votum vouit, & mente, & carne conualuit. De iſto epiſcopo habetur 3. lib. capitulo 12. Secundum animal aliud eſt; ſecundus epiſcopus fuit magne puritatis de quo 3. lib. cap. 13. Tertium animal id eſt, tertius epiſcopus, qui comparatur Elephanti, mutatus eſt ad meliora. Item loquitur Chriſtus. *Quid* conſuluit Elephas ille? Nonne, quod nuptię illegitime celebrarentur, ne expenſe paratę perderentur, & quod diſpenſatio a Papa faciliter poſſet impetrari. Sed audi nunc quæ dico. Omnis qui ſcienter, & ex induſtria peccat contra Deum, niſi precedente magna contradictione, incurrit iudicium Dei, & tribula-

bulationem mundi. Qui autem onus alterius imponit dorso suo, peccat grauius, quia nec timorem habet, nec quærit salutem animæ. O quanta præsumptio. O quantus defectus charitatis est, habere claues iuriũ in manu, & propter modicum corruptibile, conari contra claues, & iura. Ideo placare studeat ipse Deum, & inducat coniugium illud ad fructuosam pœnitentiam, & absolutionem debitam. Alioquin dies eius breuiabuntur, & veniet in iudicium meum. Et ruina Ecclesiæ eius erit tam magna, quod vix reædificabitur, & desiderabilia eorum erunt in ruinas, & ipsi in contemptum. Tu vero filia scribe coniugi tibi noto, quod nisi se emendauerint, & absolutionem meruerint, non facient fructum longæuum, & filij eorum non habebũt longos annos, & quem congregata sunt venient ad alienos. Item de eodem Episcopo. Iste Episcopus venit ad me humilis, sicut ille, qui consumpta hæreditate, comedit siliquas, & reuersus est humilis ad patrem. Vere filia hæc mundialia sunt quasi siliquę, quando medulla frumẽti, idest, *Deus* expulsus est à corde, & labor superuacuus, & sine fructu desideratur. Mundusque diligitur plusquam Deus. Sed quia iam iste Episcopus incipit cognoscere me, & seipsũ. Ideo faciam ei sicut pius pater, obliuiscens priorum, & occurram ei in media via, dando anulum in manu, & calciamẽta in pedes, & vitulum ad comedendum. Nam ab isto die charitas mea erit feruentior in operibus eius. Diuina patientia, & sapientia erit cum eo perfectior ad trahendum secum proximos suos, frequentior quandoq. erit, & sollicitior ad sumendum, & honorandum corpus meum, hoc donum promeruit ei Mater mea charissima, quæ patrona Ecclesię eius est. Item de eodem Episcopo habetur in principio c. 130. *Quartum animal*, idest Episcopus, qui in lepra sua perseuerabat, vocatus est subito sine *Sacramentis*. De isto require 6. lib. cap. 97. *Quintum animal* fuit sicut lapis quadratus, homo in omnibus temperatus, & discretus. De quo require 3. lib. cap. 37. Sextum est animal, id sextus Episcopus fuit homo timoratus, & cordis sui scrutator, qui Ecclesiam suam sapienter gubernans, à multis obligationibus liberauit. De isto mortuo dixit Christus. Scriptura aurea dicit, quod principiũ sapientię est timor Dei, illud est verũ, sed ego dico quod finis perfectionis est etiam timor *Dei*, quem quia iste Episcopus habuit, peruenit per cõpendium salubre ad viam salutis. Septimum animal, idest septimus Episcopus, maximæ abstinentiæ fuit, zelum Dei habens, nec metu, nec amore, nec dãno reticuit veritatem, hic cum se posuisset ad orationem, reddidit spiritum. *De isto Episcopo* sunt plures reuelationes in vita Dominæ Brigittæ. *Qui* fuit dominus Hemingus Episcopus Aboensis, & amicus Beatæ Virginis *Mariæ*. Sicut patet extra cap. 104. Item reuelatio de *Episcopo*, qui fuit successor animalis secundi. Filius *Dei* loquitur: Scribe *Episcopo*, quod aues rapacissime intrauerunt terram, vt ponant in ea sibi nidos suos. Ideo laboret *Episcopus* ipse cum amicis suis, vt vngulæ earum præscindantur, & non obtineant cacumina terrarum, nec dilatent alas suas in communitatem. Alio quin rostris suis, & vngulis, extirpabunt fructifera terræ, & volabunt super excelsa, & montes, & terram redigent in solitudinem, & ruinam.

NOTAE.

1 *In præsenti capite nihil aduertendum occurrit, omnia enim, quæ ad eius intelligentiam spectant, fuse traduntur infra hoc eodem libro, cap. 130. in quo legimus, Christum Dominum post multos annos postquam hanc septem animalium visionem, B. Brigittæ ostenderat ei apparuisse, ac præsentem visionem illi declarasse.*

VIRGO MARIA LOQVEBATVR cum Sponsa Filij sui, de quodam Episcopo, pro quo ipsa deuote orabat. Et dat hic notabilem doctrinam, & formam virtuosissimam, secundum quam Episcopi viuere, & se, ac subditos suos regere debeant spiritualiter, & deuote.

CAP. CXXVI.

MATER *Misericordiæ* loquebatur *Sponsæ* Christi, dicens. *Quid faciemus isti cæco Episcopo*. Ipse enim tria habet. laborat quippe, vt placeat hominibus plusquã *Deo*, diligit thesaurum, non quem *Angeli* custodiunt, sed quem fures furari possunt, diligit etiam se plusquam proximum suum, & plusquam *Deum* suum. *Et ecce in eodem* momento vidit *Sponsa* quasi sex stateras, quarum tres ponderosæ erant, quia depri-

me-

mebantur à pondere. Aliæ vero tres ita leues erant, quod ex toto eleuabantur ad ſuperiora, quia in eis nihil eſſe videbatur; niſi leue quodam quaſi pluma. Et Mater dixit. Ecce iſte Epiſcopus licet habeat tria mala prius dicta, timet tamen ſemper, propter quem timorem, qui eſt inductiuũ quoddam charitatis, datum eſt tibi videre ſtatũ eius. Nam illę tres ponderoſæ ſtateræ ſignificant opera eius contraria Deo, quæ deprimunt animam eius, quæ ideo videntur tibi tres, quia affectione locutione, & operatione, more ſtateræ deſcendit ad mũdum. Ideo vero aliæ tres ſtateræ, videntur tibi leues aſcendere, quia nunc cogitatione, nunc opere aſcendit ad Deum, ſed tamen mundialia præponderant ſpiritualibus, quia in his implicatur feruentius, & copioſius, in tantum quod iam diabolus trahit eum per pedes, & laqueus eſt paratus. Reſpondit Sponſa: O Domina pietatis impone tu aliquid ſtateris. Cui Mater. Agnes, & ego expectauimus, ſi forte Epiſcopus recogitare 1
voluerit charitatem noſtram, ſed non multum attendit ſollicitudinem noſtram. At tamen facere ei volumus, ſicut tres amici in via ſedentes, & ſcientes viam oſtenderũt amico eorum eandem viam. Quorum primus diceret: O amice, via quam vadis non eſt recta, nec tuta, ſi continuaueris viam iſtam, latrones etiam tibi nocebunt, & cum ſecurum te credideris, morieris. Secundus diceret: Via iſta quam vadis, delectabilis videtur, ſed quid prodeſt tibi iſta delectatio, ſi amaritudo mentalis eſt in fine. Tertius vero diceret: O amice, video in Deo infirmitatem tuam, ideo non diſpliceat tibi, ſi do tibi conſilium; nec ſis ingratus, ſi fecero tecum ſpecialem charitatem. Sic facere volumus ego, & Agnes iſti Epiſcopo, ſi audierit primum, ſecundus monſtrabit ei viam, tertius vero introducit eum in regionem lucis. Poſtea Sponſæ oſtendebantur ea quæ mittebantur diuinitus, ad informationem dicti Epiſcopi, vt ſequitur. Item loquitur Mater. *Sic dicetur Epiſcopo.* Deus licet omnia poſſit facere, tamen homo perſonaliter cooperari debet ad hoc, vt peccatũ fugiatur, & charitas diuina obtineatur. Tria namque ſunt inductiua ad fugiendum peccatum, & tria cooperatiua ad acquirendam charitatem. Tria prima quibus vitatur peccatum ſunt iſta, ſcilicet pœnitere fideliter de omnibus quæ remordent conſcientiam, nolle ea iterum voluntarie committere, & commiſſa, & confeſſa ſtabiliter emendare, iuxta conſilia eorum, qui mundum contempſerunt. Alia tria cooperatiua ad acquirendam charitatem iſta ſunt. Rogare primo Deum in adiutorium, vt auferatur praua delectatio, & detur voluntas faciendi ea quæ placent Deo. Nam charitas diuina non obtinetur, niſi deſideretur, nec deſiderium erit rationabile, niſi in Dei charitate ſtabiliatur. Et ideo tria ſunt in homine antequã ingrediatur charitas, & tria alia ingrediuntur, quando infunditur charitas Diuina. Nam ante infuſionem charitatis Dei, turbatur homo de aduentu mortis, turbatur de diminutione honorum, & amicitiarum, de mundi aduerſitate, & carnis infirmitate. Obtenta vero charitate, gaudium ingreditur in anima de tribulationibus mundi, quas patitur, anguſtiatur mens poſſidere mundum, & gaudet facere honorem Deo, & pro honore Dei tribulari. Secundum vero inductiuum charitatis eſt, facere eleemoſynam de ſuperfluis. Cum enim Epiſcopus habet vaſa, & veſtes, ſicut humili congruit prælato ad neceſſitatem, non ad oſtentationem, & ſuperfluitatem, contentetur de illis, & de reſiduis faciat eleemoſynam. Nam cum de bonis, & poſſeſſionibus temporalibus animarum, ditantur pauperes domeſtici prælatorum, & laſciuiunt, tunc profuſius alij vero pauperes clamabunt vindictam ſuper eos. Tertium vero inductiuum charitatis, eſt labor charitatis. Nam quicunque non legeret, niſi vnum pater noſter, pro obtinenda charitate, placeret Deo, & charitas Diuina ei citius appropinquaret. Item ait Mater ad Chriſtum filium eius. Benedictus ſis tu Ieſu Chriſte optime gigas, qui velociſſimus fuiſti ad currendam viam, & fortiſſimus ad tenendum pugnam. Scribitur quippe, quod Dauid fuit gigas magnus, & fortis, ſed nullo modo ſimilis tibi. Dauid denique de longe currendo, iactauit lapidem contra hoſtem, tu vero appropinquabas pedibus inimico, & confregiſti dorſum eius. Dauid quoque hoſte proſtrato abſtulit ei gladium, amputando caput eius. Tu vero viuo hoſte ſtante abſtuliſti gladium, vincens hoſtem viuum patientia tua, & confringens [illegible] robuſtũ humilitate tua. Propterea tu pugil pugilum es, cui nullus fuit, nec erit ſimilis. De robuſto enim patre ſurrexit fortiſſimus filius, qui patrem, & fratres liberauit. *Ergo* optiſſime gigas rogo te, vt Epiſcopo iſti ſcientiam pugnandi donare digneris, & fortitudinem currendi in ſtadio pugilum, vt ſedeat cum veris gigantibus, qui vitam dederunt pro vita, & pro ſanguine tuo obtulerunt ſanguinem ſuum. Reſpondit filius, oratio charitatis non negligitur. Nam Scriptura dicit, quod nemo venit ad me, niſi pater traxerit eum. Et ideo ſi trahens eſt fortis, illud vero, quod trahitur eſt ponderoſum nimis, citius diſſipabitur opus & adnihilabitur. Si vero illud quod trahitur eſt

est ligatum nihil iuuare potest trahentem, nec se ipsum si ceciderit. Si vero immundũ fuerit, abominabile est ad trahendum. Propterea qui trahi debet, & trahi desiderat, necesse est vt mundetur prius, & præparetur decenter, donec trahibilis, & delectabilis fiat ad trahendum manibus. Verumtamen propter preces matris meæ, cum iste Episcopus quæsierit viam, demonstrabitur ei via recta. Deinde subiunxit Mater dicens Sponsæ: Audi tu cui datum est audire spiritualia. Dixi tibi prius, quod quando Episcopus quæsierit viam, demonstrabitur ei. Ideo nunc dico sibi viam. Si Episcopus iste voluerit ire per viam quam Euangelium loquitur, & esse vnus de paucis, debet habere tria ante aggressionem viç. Debet primo deponere pondus circumstans, & onerans eum, hoc est mundi cupiditatem, & saccum pecuniæ, non diligendo mundum ad aliquã superfluitatem, & superbiam, sed habendo ab eo necessaria sua, iuxta episcopalem morigerosam, & humilem exigentiam. Omnia vero alia disponendo ad honorem Dei. Sic enim fecit ille bonus Matthæus, deposuit enim pondus graue cupiditatis, quod tamen non intellexerat esse onerosum, antequam assumpsit onus Dei leue, & suaue. Secundo debet esse præcinctus, & paratus ad ambulandum, sicut dicit Scriptura, quod cum Thobias mitteretur à patre pro pecunia, inuenit Angelum succinctum ad viam. Quem significat Angelus iste? nisi sacerdotem Domini, & Episcopum, qui tenetur esse mundus in carne, & affectione? quia iuxta prophetiam sacerdos est Angelus Domini exercituum, quia eundem Deum recipit, & consecrat, quem Angeli vident, & adorant? Cur vero Angelus apparuit Thobiæ præcinctus ad viam? nisi quod omnis sacerdos, & Episcopus, præcinctus debet esse cingulo diuinæ iustitiæ, paratus dare animam suam pro ouibus suis, paratus in verbis loquendo veritatem? Paratus in operibus ostendendo in seipso viam iustitiæ? Paratus ad patiendum pro iustitia, & veritate, non diminuendo eam propter minas, & opprobria? non tacendo propter falsam amicitiã? non dissimulando propter aliquorum dissuasionem? Omnis ergo Episcopus, qui taliter indutus est iustitia, non confidens in se, sed in Deo, ad eum veniet Thobias, idest homo iustus, & homines iusti sequentur eum, quia plus proficiunt exempla bona, & opera, quam verba nuda. Tertio debet comedere panem, & aquam, sicut legitur de Helia; quod inuenit ad caput suum panem, & monebatur per Angelum comedere, quia grandis restabat via. Quis est panis quem comedit Helias, vnde tantum confortatus est,

nisi bonum corporale, & spirituale, quod dabatur ei? Nam præparabatur panis corporalis, propter exemplum aliorum, vt sciretur placitum esse Deo habere moderata necessaria ad refectionem carnis. Dabatur etiam prophetiæ infusio, & fortitudo spiritualis, quadraginta diebus laborauit, vt sciretur, quod nõ in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. Nisi enim Deus infudisset prophetiæ consolationem, certe defecisset ipse ex infirmitate propria, quia homo erat infirmus ex se, sed fortis ex Deo. Quia omnis qui stat, & fortis est, ex Deo est fortis, & virilis. Propterea, quia Episcopus iste infirmus est, disponimus ei bucellam panis, hoc est diligere Deum super omnia, ordinate, pure, veraciter, & perfecte. Ordinate, vt mundum diligat ad nullam superfluitatem. Pure, vt nullum peccatum in se, nec in proximo diligat, nec consuetudinem prauam velit imitari. Veraciter, vt nullum peccatum ex confidentia bonorum operũ suorum admittat, sed sapienter temperet seipsum in seipso, ne succumbat ex nimio feruore, aut forte declinet ad peccatum ex pusillanimitate, & ex prauorum imitatione, & leuigatione culpæ. Perfecte, vt nil dulcescat tantum ei sicut Deus. Monemus etiam eum habere aquam cum pane charitatis. Quæ est ista aqua, nisi cogitare continue amaritudinem passionis Iesu Christi. Quis enim digne posset cogitare angustias humanitatis Christi, quas tunc patiebatur, quando rogauit transferri à se calicem passionis, & quando guttæ sanguinis exierunt de corpore eius? Bene quippe sudor ille sanguineus erat, quia sanguis humanitatis Dei, consumebatur ex naturali timore quẽ patiebatur, vt ostenderet se esse verum hominem non fantasticum, nec immunẽ a passione. Ergo bibat Episcopus aquam istã cogitando, scilicet qualiter Deus stetit ante Herodem, & Pilatum, quàm dolorosus, & contemptibilis in cruce; & quomodo latus eius lancea aperiebatur, de quo exiuit sanguis, & aqua. Cumque Episcopus habuerit ista tria iam dicta, tunc est ei vtile scire dispositionem temporũ suorum, a principio diei vsq. ad noctẽ. Nam cum primo Episcopus euigilauerit de nocte, statim debet regratiari Deo pro charitate eius in creatione. Pro passione eius in redẽptione. Pro patientia, qua supportauit diu peccata, & mores eius. Deinde cũ surgit de lecto, & induit vestes, dicat sic. Terra tenetur vestiri terra sua, & cinis esse cum cinere suo. Veruntamẽ quia ex prouidẽtia Dei episcopale habeo officium, in speculum aliorum. Ideo induo te asinum, qui es corpus meum in cinere, & terra, non propter superbiam, sed in operimen-

tum, ne nudus appareas. Nec curo vtrum indumentum tuum melius ſit an vilius, niſi tantum, vt propter honorem Dei Epiſcopalis agnoſcatur habitus, & in habitu diſcernatur ab aliis epiſcopalis auctoritas ad correctionem, & informationem infirmorum. Propterea rogo te piiſſime Deus, qui vocaſti me ex gratia tua, da mihi conſcientiam in animo, ne ſuperbiam ex magno cineris pretio, nec inaniter glorier de colore, ſed tribue mihi fortitudinem virtutum. Vt ſicut habitus epiſcopalis honorabilis eſt præ aliis propter autoritatẽ diuinam ſic habitus animę virtuoſior ſit apud te. Ne vel propter auctoritatem indiſcrete habitam deprimar profundius. Vel propter habitum laudabilem indigne portatum, denũder ignominioſius ad damnationem. Poſt hæc Epiſcopus legat horas, vel cantet ſi poteſt. Quo enim aliquis altius honoratus eſt, eo maiorem obligatur facere honorẽ Deo. Attamen cor purum, & humile ita placet Deo in ſilentio ſicut & in cantũ. Deinde dicta Miſſa, vel ante faciat epiſcopale officium ſuum, ſiue corporale fuerit, ſiue ſpirituale, & in omnibus operibus ſuis habeat miſericordiam, & conſideret honorem Dei, ne ab infirmis videatur plus curare de bonis temporalibus, quam de ſpiritualibus. Cum autem accedit ad menſam dicat ſic. O domine Ieſu Chriſte, qui vis, quod corpus ſuſtentetur de cibo corporali. Rogo te da mihi auxilium ſic dare corpori meo neceſſaria ſua, vt non attedietur ex nimietate ciborum, nec deficiat ex parcitate, ſed inſpira mihi moderantiam congruam, vt cum terra de terra viuat, dominus terrę a terra ſua nõ prouocetur ad iram. Poſtea in mẽſa ſedens habeat moderatum ſolatium cum conſedentibus: ſic tamen quod detractio caueatur, & ſcurrilitas. Summopere quoque caueatur ne talia loquatur, vnde alii corroborentur in vitiis ſuis, ſeu occaſionem habeant ad peccatum. Nam qui lucere debet aliis, tenetur conſiderare quid decet, & quid licet apud Deum, quid ędificat alios, & quid expediat ad ſalutem. Verũtamen ſicut in menſa corporali omnis cibus inſipidus eſt ſi deficit panis, & vinum, ſic in menſa ſpirituali omnia erũt inſipida animæ ſi deficit vinum ſpiritualis lętitiæ, & panis doctrinę Dei. Ideo Epiſcopus loquatur aliquid in honorem Dei in menſa, quo corroborẽtur conſedẽtes in anima, aut legi faciat aliquid ędificatorium, vt in vna, & eadem refectione corporali, & corpus reficiatur, & anima ſpiritualiter inſtruatur. Poſt refectionem vero lectis gratiis loquatur Epiſcopus illa quę expediunt, & agat agenda ſecundum Epiſcopale officium, aut capiat ſomnum ſi expedit naturæ, vel certe reuoluat libros, in quibus ad ſpiritualia trahi poſſit. Poſt cænam vero gaudere poteſt cum familiaribus ſuis honeſto modo, & conſolari eos, quia ſi arcus nimis extenditur, citius frangitur. Ideo moderata lętitia propter infirmitatem carnis, placet Deo. Veruntamen ſicut Mater ablactans filium, perungit primo vbera cinere, vel aliqua amaritudine, donec filius aſſueſcat cibis ſolidioribus, ſic Epiſcopus diſcretus debet eſſe ad ſuos, & cautus, vt & in lætitia ſeruet modeſtiam, & in refrenantia pietatem, quatenus primo attrahit ſuos Deo, per verba timoris diuini, & humilitatis. Inde reuereri doceat Deum, & diligere, vt & ſuorum familiariũ ſit pater per diuinam auctoritatem, & eorum Mater, & nutrix per informationem benignam. Si vero aliquem ſuorum ſcit peccare peccatum ad mortem, qui nec per verba aſpera, nec per lenia reſipiſcit, ſeparet & expellat eum a ſe. Alioquin, ſi retinuerit eum propter vtilitatem, & fauorem carnalem, & temporalem, non erit immunis a peccato eius. Poſtea vero ingrediens lectum flectat cor ſuum Deo, & recogitet quales in die fuerunt cogitationes, & affectiones eius. Qualia opera, & iudicia ſua, & petat auxilium, & miſericordiam Dei, habendo voluntatem firmam emendandi ſe quando poterit. Deinde ingrediens lectum oret ſic. O domine Deus meus, qui creaſti corpus meum, vide me miſericordia tua, & præſta mihi auxilium tuum, vt non ex nimietate ſomni accidioſus ſiam ad ſeruitium tuum, nec ex defectu ſomni deficiam in ſeruitio tuo, ſed modera ſomnum meum, quem præcipis habere ad temporum, & corporis releuationem, vt inimicus non noceat corpori, nec ex occulto iudicio tuo in anima dominetur. Poſtea ſurgens de lecto, ſi aliqua illicita in nocte contingant diluat confeſſione, vt ſequentis noctis ſomnus cum præcedentis noctis delictis non incipiat. Sicut ſcriptum eſt. Sol non occidat ſuper iracundiã veſtram, ſic nec ſuper cogitationes, & illuſiones veſtras. Quia quandoque peccatum quod veniale, & modicum eſt, fit mortale per negligentiam & contemptum. Conſulo etiam quod omni ſexta feria peniteat faciendo humiliter confeſſionem ſuam ſacerdoti cum voluntate emendandi. Alioquin confeſſio nihil valet. Deinde addidit Mater Dei. Si Epiſcopus ierit per viam iſtam, præcaueo eum de tribus. Primo, quod via erit arta, ſecundo ſpinoſa, & pungitiua, tertio inæqualis, & petroſa. Contra iſta tria dabo ei tria remedia. Primum eſt, quod veſtibus veſtiat ſe. Secundo, quod

teneat decem digitos ante oculos, inter quos respiciat tanquam per cancellos, ne spinę subito, & faciliter penetrent oculos nudos. Tertio est, quod ponat caute pedes in terram, & in quolibet vestigio sollicite tentet, si pes subsistit solidæ, nec nimis præcipitanter ponat ambos pedes simul, nisi prius fuerit certus de via, vtrum lubrica sit an æqualis. Quid ergo significat, quod via est arcta, nisi malitiam malorum, & aduersitatem mundi, quæ impedit, & sollicitat iustum in via iustitiæ. *Ideo* contra ista induat se Episcopus vestibus patiētiæ, & constantiæ, quia gloria magna est, pati opprobria pro iustitia, & veritate. *Quid* vero significant decem digiti habendi ante oculos, nisi decem præcepta, in quibus iustus homo speculari debet quotidie. Vt quoties pungit spina opprobrij, respiciatur dilectio Dei. *Quoties* pungit spina malitiæ, apponatur dilectio proximi. Quoties vero delectat amor mundi, & carnis, respiciatur quod scriptum est. Non concupisces, sed concupiscentiæ tuæ pone frænum, atque modum. Vbi enim charitas est *Diuina*, ibi est patientia in tribulationibus, gaudium in infirmitatibus, dolor de superfluitatibus, timor de honore, humilitas in potestate, & desiderium ad relinquendum mūdum. *Quid* vero significat, quod in quolibet vestigio debet tentare, si pedes stāt solidæ, nisi quod vbique tenetur timere rationabiliter? Nam iustus debet habere duos pedes spirituales, desiderium, scilicet æternorum, & fastidium mundanorum. In primo debet esse discretio, ne desideret æterna ad honorem suum solum plus quam *Dei*. Ideo totum desiderium suum ponat ad voluntatem, & honorem *Dei*. In secundo debet esse cautio, ne fastidium mundi sit irrationabile, vel propter impatientiam vitæ, & casus aduersos, vel propter accidiam *Diuini* laboris. Ideo in isto sit cautio, vt fastidium mundi sit propter desiderium melioris vitę, & propter abominationem peccatorum. Ergo si Episcopus habuerit istos duos pedes, tentando etiam, quod ista quæ emendauit, quod forte non sunt bene emendata, & processerit in via ista arcta, & spinosa, tunc præcaueo eum iterū de tribus inimicis, qui sunt in via. Primus quippe hostis sibilat in aures eius. Secundus stat ante eum, paratus pungere in oculos eius. Tertius iacet ante pedes eius, clamans alte, & habens laqueū, vt illaqueet pedes eius, si ad clamorem ipsius in altum eleuentur. Primus itaque hostis sunt homines illi, vel inspirationes illę diabolicę, quæ suggerunt Episcopo taliter. Cur sic vadis humiliter, & arcte? Cur tantum assumis tibi laboris? Nunquid vis tu sanctior esse aliis, vt facias illa quæ nemo facit, diuerte potius in viam floridam, per quam ambulant plures, ne forte contemptibiliter deficias. *Quid* ad te si homines viuunt bene, vel male? *Quid* prodest tibi offendere illos à quibus honorem consequi poteris, & amorem, si non offendunt te neque tuos? Quid ad te si offendunt *Deum*? Da potius eis dona, & accipe, vtere honore tuo, & amicitia hominum, vt æque possis honores hominum habere, & cęlestia obtinere. Ecce talis hostis sibilat, & sibilauit in aures multorum. *Et* ideo lucernæ multæ, quæ lucere deberent in tenebris, factæ sunt ipsę tenebrę, & aurum optimum mutatum est in lutum. *Secundus* hostis, qui pungit oculos, est pulchritudo mundi, & possessiones terræ, apparatus rerum, & vestium, fauores hominum, & honores. Cum enim omnia ista appetuntur, & offeruntur, sic excęcant oculos animæ, & rationis, quod dulcius videatur stare cum *Samsone* ad molam curæ mundialis, quam cum *Sponsa Ecclesia* ad dispensationem curæ pastoralis? Insuper, & charitas *Dei*, si qua fuit tunc magis tepescit, peccatum committitur fiducialiter, & commissum ex potestatis fiducia leuigatur. Propterea cum Episcopus habet necessaria sua, constituto familię suę numero, quo honestatem suam, & auctoritatem seruare possit contentetur, sicut scriptum est. *Sint mores vestri sine auaritia, contenti modestis rebus, quia nemo militans Deo toto corde, implicat se negotiis secularibus nisi contra voluntatem suam, & ad honorem Dei.* Tertius hostis habet laqueum, qui clamat taliter. Cur sic humiliaris, qui præ alijs honorari poteris? Labora ergo, vt ascendas superius, tunc abundare, & dare poteris amplius. *Esto* igitur sacerdos, vt sedeas cum primis. Esto Episcopus, & postea Archiepiscopus, vel altior, vt maiorem obtineas quietem, maius seruitium, & maiorem honorem. Tunc alios adiuuare poteris, & ab aliis plus timeri, & à pluribus consolari. Cumque animus talibus illuditur suggestionibus, mox incauto extenditur pes ad cupiditatem, & inquiritur modus ascensionis, ad sublimiorem statum. Et tunc animus sic innectitur laqueis cupiditatis, & sollicitudinis temporalis, quod vix consurgit. Nec mirum. *Scriptura* enim dicit, quod qui *Episcopatum* desiderat, vel sacerdotium, bonum opus desiderat. *Quid* est illud bonum? certe laborare pro anima, & pro honore Dei, laborare pro æternalibus, & non pro casuris. Nunc autem omnes desiderant honorē, sed non laborem, qui tamen non est honor, sed afflictio. Vbi enim nō est onus laboris *Diuini*, ibi non subsequitur ho-

nor animæ apud Deum. Propterea Epiſcopus non appetat altiorem gradum, vel aliũ quam quem habet, quia laqueus abſconditus eſt in terra, & decipula ſuper ſemitam ambulantis. Et ideo vtile eſt ei ſtare in ſtatu quem habet, donec Deo placuerit ei prouidere aliter, aut Prælatus ſuperior Eccleſiæ præcipiat aliud ad honorē Dei. Iſtud iam dictum eſt conſilium, & cautio quędam charitatiua. Nunc autem dicere volumus, quid Epiſcopus facturus ſit ſecundum Deũ. Ipſe vtique tenetur epiſcopalem infulam habere in brachijs ſuis ſtricte cuſtoditam, non vendere eam pro pecunia, non concedere aliis propter amicitiam, non perdere eam propter negligentiam, & tepiditatem. Quid enim ſignificat corona, ſeu epiſcopalis infula, niſi poteſtatem epiſcopalem? Ordinare ſcilicet Clericos, corrigere errantes, inſtruere verbo, & exemplo ſuo ignorantes. Quid vero eſt cuſtodire ſtricte infulam, niſi ſedulæ cogitare, quomodo accepit ipſam poteſtatem, ad quid obtinuit eam, quomodo eam tenuerit, & quid erit ei facturus. Si ergo cogitare voluerit, quomodo obtinuit eam, attendat primo, ſi deſiderauit eam propter ſe, an propter Deum, ſi propter ſe, timeat rationabiliter, ſi vero propter Deum, meritorium eſt, & ſpirituale. Si vero attendat, ad quid obtinuerit poteſtatem, & dignitatem, certe ego dicam ei. Ad hoc, ſcilicet, vt eſſet conſolator animarum, & liberator meritis ſuis, de quarum eleemoſynis viuit, vt eſſet nutritor pauperum, diuitum quandoque pater, adiutor Dei in ſpiritualibus, & pro Deo emulator. Si vero ſcire voluerit fructum poteſtatis, hoc bene declarat Paulus: Qui, inquit, bene miniſtrauerit, duplicem habebit honorem corporalem, ſcilicet & ſpiritualem. Qui vero epiſcopalem habet veſtem, ſed non vitam, qui quærit honorem, ſed negligit laborem, hic duplici confuſione dignus erit. Quid vero ſignificat, quod poteſtas non debet vendi, niſi quod Epiſcopus non debet eſſe ſcienter ſymoniacus, nec in alijs tolerari ſi ſciuerit? Non ordinare aliquos, nec promouere propter pecuniam, non exercere officium ſuum propter honorem hominum, & fauorem. Nec propter præces carnales exaltare illos, quos indignos nouerit, & malæ vitæ. Quid vero eſt, quod non debet alijs concedere ſuam poteſtatem propter amicitiam, niſi quod non debet ſimulare peccata aliorum propter falſam miſericordiam, non tacere propter amicitiam, non portare in dorſo ſuo peccata aliorum, quæ poteſt, & tenetur corrigere propter aliquam carnalitatem; eſt enim Epiſcopus ſpeculator Domini, & ideo ſanguis mortuorum exquiritur de manu ſpeculatoris, ſi vidit periculum, & non clamauit, aut ſi dormiebat, & non curabat. Quod vero Epiſcopus non debet perdere coronam, ſeu infulam per negligentiam, hoc ſignificat, quod Epiſcopus non debet illa concedere alijs ad faciendũ, quæ ipſe perſonaliter tenetur facere, & poteſt facere, nec propter quietem ſuam tepidam illa debet dimittere, quæ ipſe perſonaliter fructuoſius, quam alii poſſet implere, nec etiam ignorare debet vitam eorũ, quibus committit officia ſua, ſed inquirere occulte, & aperte vitam eorum quibus committit, & quomodo ſeruant iuſtitiam, quia officium Epiſcopale non eſt quietis, ſed ſollicitudinis, & laboris. Cumque Epiſcopus ſicut iam dixi, bene cuſtodierit infulam, oportet quod habeat etiam ſub brachijs ſuis faſciculum florum, quibus alliciantur oues remotæ, & vicinæ. Solet enim bonus paſtor per flores, & fœnum trahere poſt ſe oues ſuas. Quid eſt iſte faſciculus florum, niſi prędicatio Diuina, quæ pertinet ad Epiſcopum? Quæ vero ſunt brachia duo, niſi operatio duplex, facere, ſcilicet, bona opera in aperto propter incitamentũ aliorum, & facere bona in occulto propter timorem Dei, & exemplum vicinorum. Ergo ſi prædicatio coniungatur cum his duobus operibus, pulcherrimus erit faſciculus florum, poſt quem oues vicinæ in Epiſcopatu ſuo gaudenter current. Oues etiam quę remotæ ſunt, audientes famam eius, libenter deſiderabunt eum. Et propter verba bona, & propter opera charitatis, quæ ſequentur verba. Nam hi ſunt ſuauiſſimi flores, ad alliciendum oues, facere, ſcilicet, virtuoſa opera, & ea alios docere, non in verboſa ſcientia, ſed in paucis verbis, & charitate plenis. Non enim decet præconē Dei eſſe mutum, nec ſpeculatorem domus Dei eſſe cæcum. Adhuc etiam deficit Epiſcopo vnum. Cum enim ipſe peruenerit ad portam, decet eum aliquid pręſentare ſummo regi. Ideo conſulimus ei, quod præſentet regi vas ſibi chariſſimum, & illud vacuum, & ornatum. Vas itaque Epiſcopo chariſſimum cor ſuum eſt, hoc ergo præſentet, & offerat Deo, totum ornatum virtutibus, ſed vacuũ à voluntate propria, & amore carnis. Et ſic tunc quando Epiſcopus appropinquauerit portę, occurret ei exercitus effulgens. Ipſe Deus, & homo ſuſcipiet eum. Angeli quoq. tunc dicent. O Domine Deus, ecce Epiſcopus, qui fuit mundus in carne, in ſacerdotio purus, apoſtolicus in prędicatione, Epiſcopus vigilãs in officio ſuo, virilis in operatione, humilis in poteſtate. Ecce quẽ deſiderauimus propter puritatem ſuam, & ideo pręſentamus eũ tibi, quia deſiderauit te pro-

te propter charitatem tuam. Tunc quoque dicturæ sunt animæ sanctæ in cœlo existentes. Ecce Domine Deus, gaudium nostrum est in te. Attamen gaudemus etiam de isto Episcopo. Nam florem portauit in ore, quo vocabat plures oues, florem portabat in manibus, quo reficiebat aduenientes oues, flores transmittebat habitantibus de longe, quibus excitabat dormientes oues. Et ideo quia floribus verborum suorum augmentauit chorum nostrum, gaudemus in eo. Gaude, & tu Domine Deus in homine isto, & de honore eius, quia super omnia desiderauit te. Tunc quoque dicturus est Episcopo, Dominus dator gloriæ. O amice, venisti præsentare mihi vas cordis tui vacuũ à te, & desiderasti impleri de me. Ideo veni, & ego implebo te meipso. Tu esto in me, & ego in te, gloria enim tua, & lætitia tua quam habebit finem.

NOTAE.

OMnia fere quæ in hoc capite traduntur ad verbum supra legimus, lib. 3. cap. 1. vbi annotauimus plura, quæ ad horum cognitionem spectare arbitrati sumus.

VIRGO MARIA NOTIFICAT Sponsæ oranti pro quodam heremita amico suo tunc mortuo, quod antequam corpus illius sepeliatur sub terra, anima eius introducetur in gloria.

CAP. CXXVII.

ORANTE Sponsa pro quodam sene presbytero heremita præclare vitæ, & magnæ virtutis amico suo, qui tunc migrauerat de hac vita, & iam positus erat in feretro in ecclesia, vt sepeliretur. Tunc ibidem personæ apparuit Virgo Maria sic dicens. Attende filia, & scias, quod anima istius heremitæ amici mei, statim cum egressa fuit de corpore eius intrasset in cælum, nisi quia non habuit in morte perfectum desiderium, perueniendi ad præsentiam Dei, & eius vi-
1 sionem. 1. Et ideo detinetur nunc in illo purgatorio desiderij, vbi nulla pœna est, nisi solum desiderium perueniendi ad Deũ. Sed tamẽ scias, quod antequam corpus eius intret sub terra, anima eius introducetur in gloria.

Additio.

Dic iterum illi seni religioso, diu stetisti in heremo, & fecisti fructum, qui mihi placuit, conuertens bestias in oues, & leones in agnos. Nunc sta constanter in vrbe in qua plateæ, stratę sunt sanguine Sanctorum meorum, quia auditurus es iudicium, & retributionem tuam videbis. Quibus auditis, statim infirmatus est, & non longe post in pace quieuit. Hic frater quidem Benedictinus, rogauit Dominam, vt requireret Deum, quatenus certificari posset de habitu suo, quia multum tribulabatur de multitudine abusionum habitus, religionis sancti Benedicti. Igitur cum Domina fuisset in Spiritu, dixit ei Filius Dei. Dixi tibi prius, scilicet 3. lib. 20. & 21. cap. quod Benedictus famulus meus habuit corpus suũ quasi saccum, qui habuit quintuplicem vestem. Prima fuit tunica aspera, qua domuit carnem & motus inordinatos, ne lasciuirent, & non excederent metas suas. Secunda vestis fuit cuculla simplex, non accurata, nec rugosa, quæ tegeret, & ornaret, & calefaceret carnem, ne videntibus horror esset. Tertia fuit scapulare, quo ad laborem manuum promptior, & expeditior inueniretur. Quarta vestis fuit munimentum pedum, vt esset agilior, & humilior ad ambulãdum in via Dei. Quinta fuit cingulum humilitatis, quo præcinctus restringeret superflua, & expeditius laboraret consuetum, & iniunctum laborẽ. Nunc autem fratres sui quærunt vestes, quę excitant luxuriam, & abominantur asperitatem quærunt indumenta, quæ placent hominibus, & quæ carnẽ excitant ad carnalia. Nam pro cuculla assumunt cappam ita rugosam, ita latam, & longam, vt potius videantur superbi ostẽtatores, quam religiosi homines humiles. Pro scapulari vero habent breuem panniculum ante, & retro, & caput muniunt cum caputio secularium, vt sæcularibus se conforment. Et sic nec similes sunt hominibus mundi, nec laborant cũ humilibus seruis Dei. Pedes vero sic muniunt, & sic præcingunt de cingulo, sicut qui parati sunt ad nuptias, non ad decertandũ in stadio laboris. Propterea monachus qui saluari desiderat, attendat quod regula Benedicti mei, permittit habere necessaria, cum moderantia, vtilia non superflua, honesta, & expedientia, omnia humilia, nullaque superba. Quid enim significat cuculla,

Digitized by Google

nisi habere maiorem præ cæteris humilitatem? Quid vero significat caputium contemptibile cucullę, nisi quandam abiectionem habere contra mores mundiales? Sed cur nunc à religiosis assumitur caputium mundiale, nisi quia erubescunt humilia, & vt mundialius se concordent? Quid vero ornaméti habet cauda caputij, quidve vtilitatis, nisi quandam ostentationem, & quandam contra religiones pulchritudinem curiositatem? Quid vero faciat cappa rugosa plusquam cuculla, nisi vt monachus girouagus, expeditior, & gloriosior credatur, & videatur. Attamen etiam si cappa humilis, & pura portaretur propter aliquem commendabilem necessitatem, non obesset moribus bonis, sed decentior esset cuculla humilitatis, vt vnusquisque de habitu suo cognosceretur, cuius ordinis esset professor. Si vero monachus infirmaretur in capite, aut affligeretur frigore non peccaret, si haberet conueniens, & humile cooperimentũ subtus caputium cucullæ, non ab extra, quia hoc arguitur leuitatis, & vanitatis. Respondit Domina: O Domine, ne indigneris si quæro. Nunquid illi fratres peccant, qui portant talem habitum ex licentia Prælatorum, & consuetudine institutionum prędecessorum? Cui Deus. Dispensatio, inquit, rata est, si ex bona intentione procedit. Nam quidam dispensant ex zelo iustitiæ. Alij ex falsa compassione, & indiscreta permissione. Alij ex leuitate amorum suorum, & affectu placendi hominibus. Alij dissimulant ista, quia vacui diuina charitate sunt. Sed apud me est illa dispensatio grata, quæ non contrariatur humilitati. Et illa permissio rata est, quæ necessaria discrete permittit, superfluaque etiam in minimis damnat. Item quæsiuit Domina. O Domine Deus meus, quid si aliqui ignorant, quid melius aut decentius sit in regula, nunquid etiam illi peccant? Respondit Christus. Quomodo potest professor regulæ ignorare regulam, quæ quotidie legitur, & auditur? In qua instituitur monachus, humiliari, & obedire, & habitum habere de vilioribus, non de mollioribus, & habitum portare exemplarem, non pomposum. Aut cuius conscientia sic obtusa est, quod non intelligat se professorem humilitatis, & totius paupertatis? Ergo ille est monachus Benedicti, qui plus obedit regulę quam carni, qui nec in habitu, nec in morbus alicui placere desiderat nisi Deo, qui quotidie desiderat mori, & parat se ad exitum de hoc mundo, sollicitus est quomodo reddat rationem de Regula Benedicti.

NOTAE.

1 ET ideo detinetur nunc in illo purgatorio desiderii, vbi nulla pœna est, nisi solum desiderium perueniendi ad Deum.

De hoc loco cuius hic mentio fit, egimus supra hoc eodem lib. cap. 7. nota septima, vbi probauimus ex D Greg. & Venerabili Beda, alijsque pluribus, hunc locum probabiliter reperiri, quem etiam Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, lib. 2. de Purgatorio, cap. 7. controuersia sexta, mitissimum purgatorium appellat, quippe in quo nulla est pœna sensus, sed tantummodo damni, quę debetur animę nondum plene purgatæ, & ad hunc locum peruenisse heremitam illum scribitur hic, pro quo orauit B Brigitta, & hunc locum spectare ad Purgatorium tradidimus lib. 4. c. 7. nota septima, & de illo quoque legimus in præsenti capite, quod animæ ibi existentes, nullam sensus pœnam patiuntur, nisi quod habent desiderium quoddam intensum perueniendi ad Deum.

RESPONSIO MATRIS Virginis ad Sponsam Filii, orantem pro quodam Sene heremita in dubitatione posito. An acceptius esset Deo, quod ipse frueretur mentalis consolationis dulcedine, non recedendo vnquam de heremo, an quod descenderet aliquando ad ædificandum animas proximiorum.

CAP. CXXVIII.

MATER loquitur: Dic illi presbytero Seni heremitę amico meo, qui quasi contra voluntatem suam, & pacem animæ suæ, constrictus fide, & deuotione proximorum, aliquando relicta cella solitudinis, & sua contemplationis quiete, ex charitate descẽdit de heremo inter gentes, ad dandum consilia spiritualia eisdem proximis. Cuius exemplo, & consilio salutari, multę animę ad Deum conuertuntur, & iam conuersi ad altiora virtutum proficiunt. Qui humiliter dubitans de calliditate, & deceptione fraudolẽte diaboli, te requisiuit de consilio cum humili-

humilitate, & rogauit, vt orares pro eo. Super hoc, videlicet, verum Deo magis placeret, quod ipse vacaret suæ soli contemplationis dulcedini, an Deo acceptior esset talis charitas proximorum. Dic ergo ei sic ex parte mea, quod omnino Deo magis placet, quod sicut dictum est, aliquando ipse descendat de heremo, & vadat ad exercenda in proximis talia opera charitatis, participando cum eis, virtutes, & gratias quas ipse habet Deo, vt ex hoc ipsi conuertantur, & adhæreant feruentius Deo, & participes fiant gloriæ eius, quam si in cella solitudinis, idem heremita suæ soli consolationi mentali vacaret. Et dic ei, quod de tali charitate maius meritum retributionis ipse habebit in cęlis. Dum tamen ad talem charitatem exercendam, ipse vadat cum consilio semper, & voluntate sui senioris patris spiritualis. Item dic ei, quod ego volo, quod ipse recipiat in filios suos spirituales, sub consilio suo regendos omnes heremitas, & etiam omnes monia les, & reclusas, alios filios spirituales illius amici mei heremitate, qui mortuus est. Et dirigat eos omnes suo charitatiuo consilio spiritualiter, & virtuose, sicut ille in vita sua gubernauit, & direxit eos, quia sic placet Deo. Et si ipsi eum in patrē receperint, & ei humiliter obedierint in vita heremitica, & spirituali, tunc ipse erit eis pater, & ego ero eis mater. Si vero aliquis eorum noluerit eum in patrem spiritualem recipere, aut ei obedire, tunc melius erit tali inobedienti, quod statim recedat ab eis, quam quod amplius permaneat cum eis. Vadat tamen idem amicus meus supradictus ad eos, & reuertatur ad cellam suam, quotiens ei videbitur, semper tamen cum consilio, & voluntate sui patris senioris.

POST DVOS ANNOS à tempore quo Sponsa habuit illam visionem de animali, & pisce, quæ continetur supra in isto quarto libro, secundo capitulo, Christus apparens ei, exponit dictam visionem obscurissimam, valde clare, & notabiliter, dicens quod animal, & piscis, per peccatores, & Gentiles. Cupientes vero per iustos, & virtuosos homines designantur.

CAP. CXXIX.

FILIVS loquitur ad Sponsam. Dixi prius, quod desidero cor animalis, & sanguinem piscis. Quid autem est cor animalis, nisi illa anima dilecta, & immortalis Christianorum, quæ plus placet mihi, quā omne quod in mundo desiderabile videtur? Quid vero est sanguis piscis, nisi charitas perfecta ad Deum? Ideo cor præsentari debet mihi mūdissimis manibus. Sanguis vero in vase ornato, quia munditia Deo, & Angelis placita est. Et sicut gemma in anulo, puritas conuenientissima est omni operi spirituali. Charitas vero Diuina præsentari debet in vase adornato, quia anima gentilium quasi vas relucere & ardere debet, ardentissima dilectione ad Deum, per quam fideles, & infideles tanquam vnum corpus vniuntur capiti suo Deo. Ergo qui præsentare mihi desiderat cor Christiani indurati in peccato, qui est quasi animal absque iugo obedientiæ, discurrens per vitia, & in desideriis suis viuens, debet manus suas perforare terebro acuto, quæ tunc nec gladii, nec sagittę præualebunt. Quid vero sunt manus hominis iusti, nisi operationes eius corporales, scilicet, & spirituales. Corporalis enim manus, idest, laborare, & sustentare corpus necessaria est. Spiritualis vero manus est ieiunare, & orare, & similia. Ergo, vt omnis operatio hominis sit moderata, & discreta debet perforari timore Dei. Nam omni hora cogitare tenetur homo, quod Deus est semper præsens, & timere debet ne auferatur gratia sibi data, quia sine adiutorio Dei, homo nihil potest, & cū eius charitate omnia potest. Sicut ergo terebrū pręparat foramina rei imponendę, sic ti-

sic timor Dei omnia opera solidat, & præparat viam charitati diuinæ, & allicit Deū ad iuuandum. Propterea sit homo timorosus in omnibus actibus suis, & discretus, quia licet vterque labor spiritualis, scilicet & corporalis necessarius est, tamen sine timore, & discretione vtilis non est, quia indiscretio, & præsumptio omnia corrumpunt, & confundunt, & bonum perseuerantiæ tollunt. Qui ergo desiderat vincere duritiam animalis, sit inflexibilis in operibus discretionis, & constans in timore, & spe adiutorij diuini, & conetur quantum potest, & Deus adiutorium administrabit, confringendo cor induratum. Debet etiā amicus meus munire oculos suos palpebris cetæ, cum fortissimo bitumine, ne ex visu Basilisci moriatur. Quid autem sunt oculi viri iusti, nisi duplex consideratio eius quotidie habenda, scilicet consideratio beneficiorum Dei, & cognitio sui ipsius? Cogitans enim beneficia Dei, & misericordiam eius attendat vtilitatem propriam, & ingratitudinem suam, ad beneficia Dei. Et cum animis sentit se mereri iudicium, muniat oculos considerationis suæ palpebris cete, idest fide, & spe diuinæ bonitatis, vt non dissoluatur cogitando misericordiam, nec diffidat cogitando iudicium Dei. Sicut enim palpebre cetę, nec molles sunt, vt caro, nec dure, vt ossa, sic homo inter misericordiam Dei, & eius iudicium moderatus sit, sperando constanter misericordiam, & timendo prudenter iuditium. Gaudeat quoque de misericordia, & propter iustitiam proficiat de virtute in virtutem. Ergo qui sic quotidie stat inter misericordiam, & iustitiam, spe, & timore, non habet timere oculos animalis. Quid autem sunt oculi animalis, nisi sapientia mundana, & prosperitas temporalis? Sapientia enim mundi, quæ primo oculo animalis comparatur, est quasi visus Basilisci, quia sperat illa, quæ videt, & remuneratio eius est in promptu, quia desiderat peritura. Sapientia vero diuina sperat illa, quæ non videt, prosperitatem mundi non attendit, humilitatem, & patientiam diligit, remunerationem non quęrit, nisi æternam. Secundus oculus animalis est prosperitas mūdi, quam mali appetentes cælestia obliuiscuntur, & persequuntur, & contra Deum indurantur. Ergo omnis homo, qui desiderat salutem proximi, coniungat oculos suos cum discretione, oculis animalis, id est proximi, proponendo ei beneficia misericordiæ Dei, & iuditia eius apponendo verbis mundialibus verba sapientiæ Dei, ostendendo perseuerantem vitam continentiæ, hominibus incontinentibus, contemnendo diuitias, & honores præsentes propter charitatem Dei, prædicando iugiter, & prædicata implendo. Quia vita spiritualis approbat verba, & exempla sancta plus proficiunt, quam verbosa eloquentia sine operum effectu. Nam qui beneficia Dei, & iudicia eius semper habent in mente, qui verba Dei continue habent in ore, & illa opere implent, & firmiter sperant in bonitate Dei, non læduntur cuspidibus gladiorum inimici, idest fallacibus admonitionibus hominum mundialium, sed proficient, & propter charitatem conuertent errantes ad veram charitatem Dei. Qui vero de gratia superbiunt, & de eloquentia quærunt lucrum, viuentes moriuntur. Lamina quoque calibis alligari debet cordi, quia charitas Dei semper ponenda est ante oculos, cogitando scilicet, quomodo Deus factus homo humiliauit se. Quomodo prædicando tolerabat famem, & sitim, & laborem. Quomodo suspensus in cruce, & mortuus, surrexit, & ascendit in cælum. Hæc lamina, id est charitas habet latitudinem, & planiciem, quando mens parata est pati libenter contraria aduenientia, quando de nullis iudicijs Dei murmurat, nec angustiatur de tribulationibus, se voluntatem propriam, & totum corpus ponit in voluntate, & dispositione Dei. O filia, ego fui calibs fortissimus quando in cruce extensus, & quasi oblitus passionis meæ, & vulnerum meorum oraui pro inimicis. Claudenda quoque sunt interstitia narium, & clauso ore currendū est ad animal. Quia sicut per interstitia narium intrat, & exit flatus, sic per desideria hominis intrat vita, & mors in animam. Et ideo sicut a morte, sic a desiderijs malis cauendum est ne intrent in animam, vel ne ingressa immorentur. Ergo qui ardua vincere proponit, attendat ad tētationes suas, & caueat ne per inordinata desideria minuatur Dei zelus, quia toto desiderio, & zelo diuino, & cum omni patientia currendum est ad peccatorem, oportune, & importune, vt conuertatur, & vbi iustus nihil proficit loquendo, vel admonendo, ibi zelus est exercendus, orationumq; instantia continuanda. Insuper animal ambabus manibus apprehendendum est. Nam animal habet duas aures, vnam qua libenter audit delectabilia sua, aliam quam obstruit ne audiat proficua animæ suæ. Sic etiam amico Dei est vtile habere duas manus spirituales, sicut prius habuit corporales, sed habeat eas perforatas. Vna manus sit sapientia diuina, qua ostendat peccatori omnia esse caduca mundi huius, & labilia, & qui delectatur in eis seducitur, & non soluatur, quia omnia ad necessitatem

con-

concessa sunt, & non ad superfluitatem. Secunda manus sit exemplum bonum, & bona operatio, quia bonus homo facere debet, quæ docet, vt audientes exemplo eius roborentur. Nam multi docent, & non exemplificant, hi sunt qui sine cemento erigunt lapides in frigore mentis suæ, qui irruente tempestate statim dissoluuntur. Pellis quoque animalis, quę est quasi silex malleo, & igne aggredienda est. Nam in pelle notatur ostensio, & simulatio iustitię. Mali quippe, quia boni esse nolunt, appetunt videri quod non sunt. Et quia laudabiles vocari desiderant, sed non laudabiliter viuere, ostendunt foris sanctitatem, & simulant iustitiam quam nequaquā habent in mente, & ideo in apparentia simulatę sanctitatis, sic superbiunt, & indurantur, quasi silex, quod nec increpationibus, nec ratione aperta mollescunt. Propterea seruus Dei vtatur in talibus malleo duræ increpationis, & igne diuinæ orationis, vt mali verbo veritatis conuincantur, & molliores fiant paulatim a duritia sua, & priuata oratione, incalescant, & succendantur ad Dei, & sui cognitionem, sicut fecit Stephanus. Ipse enim loquebatur non placentia, sed vera non mollia, sed aspera. Insuper orauit Deum pro eis, & ideo profecit, & multi meliorati sunt propter eum. Ergo quicunque timore Dei perforat opera manuum suarum, & munit oculos considerationis temperantia, lamina quoque calibis protegit cor suum, claudens interstitia narium, & sic præsentat mihi cor animalis ego Deus dabo ei thesaurum delectabilissimum, cuius delectatione visus non fatigatur. Cuius dulcedine auris non languescit, cuius fruitione non satiatur gustus, cuius tactu nunquam sentitur dolor, sed anima perfruetur gaudio, & abundantia sempiterna. Piscis autem significat gentiles, quorum squame sunt fortissime, quia peccatis, & malitijs indurati. Nam sicut squame compacte muniunt, & obstant, ne ingrediatur ventus. Sic gentiles in peccatis gloriantes, & vana spe viuentes, muniunt se defensionibus contra amicos meos sectas enim præferunt, multiplicant terrores, supplicia comminantur. Et ideo, qui præsentare mihi desiderat sanguinem piscis, extendat super eum rete, idest prædicationem suam, quæ non sit de putridis filis philosophorum, & rethoricorum curiose eloquentium, sed de simplicitate verborum, & humilitate operum, quia simplex prædicatio verbi Dei est sonora, quasi in conspectu Dei, & fortis ad trahendum peccatores. Et ideo non per eloquentes magistros, sed per humiles, & idiotas ecclesia mea initium habuit, & profecit. Caueat etiam prædicator, ne ingrediatur aquam, nisi vsque ad genua, sed nec alibi nisi vbi sit arena solida figat pedem, ne forte si procelle ascendant super genua pedes moueantur. Quid autem est vita præsens, nisi quasi aqua mobilis, & instabilis? Ad quam non est curuandum genu fortitudinis spiritualis, nisi ad solam necessitatem. Et ideo figatur pes affectionis hominis in arena solida, idest in soliditate diuinę charitatis, & consideratione futurorum. Nam illi qui distendunt pedes affectionum suarum, & fortitudinem suam ad temporalia, non sunt stabiles ad lucrandas animas, sed à procellis sollicitudinum temporalium demerguntur. Debet etiam iustus excecare oculum suum quem vertit ad piscem, quia duplex est oculus humanus scilicet, & spiritualis. Humanus quidem oculus incutit timorem quando visa potentia, & crudelitate Tyrannorum animus considerans infirmitatem suam, loqui expauescit. Hic enim timoris oculus excecari debet, & auelli ab animo per considerationem diuinæ bonitatis, considerando, & credendo firmiter, quod omnis homo qui spem suam ponit in Deo, & peccatorem lucrari quærit propter Deum, habebit ipsum Deum protectorem. Spirituali vero oculo intelligentiæ, respiciendus est peccator, vel aliquis conuersus ad Deum, scilicet attendendo sollicite qualiter potest, quomodo stet in tribulationibus, ne forte in consueta assumens succumbat laboribus, aut ne pœniteat eum austeriora assumpsisse propter tribulationes. Consideret etiam iustus quicumque sit, quomodo homo infidelis conuersus ad fidem subsistat corporaliter, ne vel mendicet, vel seruitute opprimatur, aut priuetur laudabilibus libertatibus suis, & sollicite prouideatur, vt talis conuersus instruatur continue sancta fide catholica, & sanctis virtutum exēplis. Hoc enim placitum est mihi, vt pagani conuersi videant mores sanctos, & audiant verba charitatis. Nam multi Christiani venientes ad paganos, incompositi moribus, & indisciplinati, gloriantur, quod occidunt eorum corpora, & quod lucrantur eorum bona temporalia. Hoc enim mihi sic placitum est, sicut hi, qui in deserto immolabant vitulo conflatili. Et ideo, qui placere mihi desiderat eundo ad paganos, eruat sibi primo oculum cupiditatis, & timoris mundani habendo apertum oculum compassionis, & intellectus ad lucrandas eorum animas, nihil desiderando, nisi vel mori pro Deo, vel viuere ad Deum. Insuper iustus debet habere clypeum de calibe,

libe, hoc est patientiam veram, & perseuerantiam, vt nec verbis moueatur à charitate Dei, nec etiam operibus, sed nec attediatus propter diuersos casus, murmuret quoquo modo de iudicijs Dei. Nam sicut clypeus protegit recipit ictus ferientium, sic patientia vera defendit in tentationibus. Lenit etiam tribulationes, & reddit hominem expeditum ad omnia bona. Hoc vero clypeus patientiæ non sit formatus de putridis rebus, sed de fortissimo ere, quia vera patientia formari, & probari debet, ex consideratione patientiæ meæ, quia ego fui quasi calibs fortissimus, quando magis volui pati mortem quam amittere animas, & magis volui omnia opprobria audire, quam descendere de cruce. Ergo qui patientiam desiderat imitetur constantiam meam, quia si ego innocens passus sum, quid mirum si homo dignus iudicio patiatur? Itaque quicumque sic munitus patientia, expandit rete super piscem, & tenuerit eum per decem horas super aquas habebit sanguinem piscis. Quid autem sunt iste decem hore, nisi decem consilia, quæ homini conuerso sunt facienda? Primum est credere decem mandatis meis, quæ populo israeli præcepi. Secundum est, quod suscipiat, & honoret sacramenta ecclesiæ meę. Tertium est dolere de peccatis commissis, & habere perfectam voluntatem vltra non faciendi ea. Quartum est, quod tenetur obedire amicis meis, quantumcunque præceperint ei aliquid quod est contra voluntatem suam. Quintum est contemnere omnes consuetudines suas prauas, quę sunt contra Deum, & bonos mores. Sextum est, quod habeat desiderium attrahendi omnes ad Deum quos poterit. Septimum est, quod ostendat veram humilitaté in operibus suis, fugiendo praua exempla. Octauum est, quod habeat patientiam in aduersis non murmurando contra iuditia Dei. Nonum est, quod non audiat, vel habeat secum eos, qui aduersantur fidei sanctæ Christianæ. Decimum est, quod roget Deum, & personaliter conuertat, vt perseuerare valeat in amore *Dei*. Quicunque ergo conuersus a malo, hæc decem consilia tenuerit, & seruauerit, morietur ab amore mundi, & viuificabitur ab amore *Dei*. Cum autem piscis, idest peccator extractus ab aquis voluptatis, firmiter proposuerit hæc decem consilia, aperiendus est in dorso, vbi abundantia est sanguinis. Quid autem significat dorsum, nisi operationem bonam cum voluntate bona? Hęc fieri debet secundum placitum *Dei*, quia multoties videtur actio bona hominibus, sed intentio, & voluntas actoris non est bona. Ergo iustus, quia peccato conuertere appetit, inquirere debet qua intentione opus bonum aggreditur, & qua intentione perseuerare disponit. Et si inuenerit in opere spirituali affectum carnalem, vel ad parentes, vel ad lucranda temporalia, festinet eum a corde abscindere, quia sicut sanguis malus inducit morbum, impedit gressum, stringit cordis aditum. & obstruit cibi appetitum. sic mala voluntas, & intentio corrupta obruit amorem *Dei*, prouocat accidiam, claudit cordis aditum *Deo*, & omne spirituale bonum abominabile facit *Deo*. Sed sanguis quem ego desidero recens est, & vitam ministrat membris. Hæc est voluntas bona, & charitas ordinata ad *Deum*, quæ præparat aditum ad fidem, sensus ad intelligentiam, membra ad operationem, *Deum*que allicit ad iuuandum. Hæc voluntas præuenitur, & infunditur gratia mea, augetur orationibus, & bonitate mea perficitur operatione bona, & dulcedine mea. Ecce isto modo præsentandus est mihi sanguis piscis. Qui autem sic præsentat eum mihi, habebit mercedem optimam. Nam torrens totius dulcedinis fluet in os eius animam vero illustrabit fulgor perpetuus, & salus eius innouabitur sine fine.

Declaratio.

Nota, quod in quarto libro reuelationum 4. ca. Christus incipit loqui mirabilia de pisce, & animali, & hoc hic in cap. 129. exponit quid illa signant.

Additio.

Hæc sequens reuelatio facta fuit in Malpha, vbi quiescit Sanctus Mattheus. Benedictissime Sancte Matthee Apostole, quia fuisti optimus commutator. Mutasti enim terrenum, & inuenisti æternum. Spreuisti teipsum, & obtinuisti *Deum*, dimisisti vanā prudentiam, contempsisti quietem carnis, & assumpsisti laborem durum. Ideo nunc digne gloriosus es in conspectu *Dei*. Respondit Sanctus Mattheus. Benedictus sit Deus qui hanc tibi inspirauit salutationem. Verum, quia sic placet *Deo*, ostendere tibi volo qualis eram ante conuersioné meam, qualis in descriptione euangelij, qualis nunc sum in remuneratione. Ego quippe habui publicum officium, quod sine publico lucro exequi non potui. Attamen voluntas mea talis fuit eo tempore, quod neminé defraudare volui, sed desiderabam inuenire viam qua separarem me ab officio isto, & toto corde adhererem *Deo* soli.

Præ-

Prędicante igitur amatore meo Iesu Christo, tunc inflammabatur sicut ignis verbum vocationis suæ in corde meo, & sic dulciter sapuerunt verba sua mihi, quod de diuitijs, & honoribus non plus cogitabam, quam de palleis: imo mihi magis flere placuit, & gaudere, quod Deus meus tantillum, & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Adhærés quoque Domino meo, verba eius ardentius cœpi infigere cordi meo, quæ nocte, & die quasi cibum suauissimum gustando cogitabam. Consummata vero passione Domini mei, scripsi Euágelium, iuxta quod vidi, & audiui, & interfui, non propter laudem meam, sed ad gloriam redemptoris mei, & profectum animarum. Cumque illud scriberem, tantus diuinę inflammationis ardor perseuerabat mecum, quod si tacere voluissem, nullatenus præ ardore intenso potuissem. Nunc autem, quod ego ex charitate, & humilitate scripsi, multi conantur subuertere, & interpretantur ad inuidiam, gloriantes sublimia, & cælestia scire si contraria inueniant, volentes magis de Euangelio disputare, quam secundum voluntatē eius viuere. Ideo parui, & humiles intrabunt cælum, superbi, & prudentes stabunt foris. Quid enim credię homo præsumptor & superbus, quod Deus totius sapientiæ non potuisset, sic verba sua temperasse, vt non scandalizarentur ex verbis eius homines? Sed iustum est, vt veniant scandala, & qui fastidiunt cælestia infigantur terrenis. De retributione vero mea scias, quod vere est, sicut scriptum est, quod cor capere non potest, nec lingua proferre.

NOTAE.

1 *Exponit Christus Dominus in præsenti capite visionem quandam B. Brigittæ, supra hoc eodem lib. 4. cap. 2. traditam, & ideo nihil occurrit annotandum: diligenter tamen eius doctrina perpendenda est, ac etiam memoriæ mandanda, quoniam admodum vtilis est volentibus in spirituali vita proficere; traduntur enim hoc loco regulæ multæ, quibus quispiam posset ad eum vitæ statum breui temporis spatio peruenire, suasque actiones ad illam viuendi normam reuocare, vt deinceps facilem sibi ad cælum viam pararet, continet præterea moralitates plures, quæ sane dignæ sunt, vt a concionatoribus, alijsque viris doctis notentur.*

POST MVLTOS ANNOS postquam Sponsa habuit illam visionem de septem animalibus, quæ continentur supra eodem libro, 125. cap. Christus apparens exponit aliqua quæ deficiebant exponenda in dicta visione vt sequitur.

CAP. CXXX.

1 FILIVS loquitur: 1 Dixi tibi prius de septem animalibus, quod vnum erat quasi elephas, quod adhuc stat ad arborem inclinatum, non attendens arboris putredinē, nec temporis breuitatem, & ideo ruet cum
2 arbore cum se stare putat. 2 Muri enim Ecclesiæ eius dissoluentur calore, & aquis, ita vt non sit qui ædificet, quia de iniquis ędificati sunt, terra diripietur, inhabitantes optabunt mortem, & fugiet ab eis, & impij dominabuntur iustis, quę omnia sic euene-
3 runt. 3 Scias etiam, quod aliud animal quod de lapide castitatis superbiebat, iam assumpsit sibi cornua agni. Et ideo docebo eum quomodo saltare debeat muros, & quomodo debeat stare in honore. Placet enim mihi istius animalis humilitas, & ideo dico ei, quod Ecclesia sua iam ad summum gradum ascenderat, & diu in superbia stetit. Et ideo laboret ipse, vt clerus continentius viuat, intemperantiam potus minuat, auaritiam deponat, humilitatem, & timorem assumat, alioquin tribulationibus humiliabitur, & ruina eius tam grauis, & magna erit, quod etiam in terris alijs audietur. Post mortem autem dicti Episcopi, & creationem successoris loquebatur Dominus ad me dicens. Scias quod iste Episcopus successor supra proximi dicti Episcopi, qui nunc ascendit ad gradum Episcopalē, erat vnus de quinque seruis, quos rex non audiret, nisi clariores oculos obtinerent. Qui Episcopus iam ascendit, sed attendat ipse bene, & videbit in iudicio meo quomodo ipse ascendit: Verumtamen pręcaueo eum de casu Ioab. Ipse enim inuidit se melioribus, propriis innitebatur consiliis, audacia sua erat magna, & ideo præsumpsit supra vires, & electum suum prætulit illi quem elegerat Deus. Sed vnum consilium vtile est isti Episcopo, scilicet quod prudentiæ

tiæ ſuę ponat modum, & attendat ſemper non quid poteſt, ſed quid decet. Qui cum dubitaret verum eſſet vtile pro remiſſione ſuorum ire Romam, requiſiuit me, cui oranti Mater Dei reſpondit ſic dicens. Si Epiſcopus iſte ſentit in animo ſe indigere auxilio ſanctorum veniat Romam ad indulgentias, quia veniet tempus quando vtile erit ſibi. Attendat etiam quod vngulę auium rapaciſſimarum prę ſcindantur quæ iam intrauerunt, ne altiſſima petrarum inhabitent, quia communitati populi plus tunc nocebunt, & ipſe non erit immunis a tribulatione. Propterea ſcias, quod animal illud de quo dixeram tibi, quod quando videt vmbram ſuam timet, & currendo proficit ſibi, iſte eſt, qui zelum ani- 1
marum habet, & nec ad verba derogatium ſibi deijcitur animo, nec ad verba aſſentientium, & adulantium extollitur. Qui paratus eſt moriendo exire de mundo, & præparatus, etiam ſi mihi placet viuere propter honorem meum. Et ideo occurram ei in media via, ſicut pater filio, & auferam eum de cuſtodia ſua, ſicut iudex miſericors, ne 2
videat mala futura. Ille vero qui permanet in lepra ſua, morietur cum his, qui pleno ſunt ventre, & ſepelietur, & iudicabitur cum leproſis, & non ſedebit cum iudicantibus orbem.

Et hic eſt finis quarti libri, ſecundum Alphonſum. 3

NOTAE.

1 DIxi tibi prius de ſeptem animalibus, quod vnum erat quaſi Elephas, quod adhuc ſtat ad arborem inclinatum.

Explicat hoc loco Saluator noſter Chriſtus B. Brigittæ viſionem ſub ſimilitudine ſeptem animalium traditam cap. 125. hoc eodem libro, & primo de Elephante verba faciens modum indicat, quo eum venatores capere conſueuerunt, hocque prædicit quendam Epiſcopum quamcitiſſime eſſe caſurum, & tunc quando ſtare ſe putat, & vt id palam fiat, vtque Elephantis natura quantum ad rem noſtram attinet, quomodo nobis innoteſcat, ſciendum eſt Græcos a magnitudine corporis Elephantem vocatum exiſtimaſſe, quod formam montis præferat, idque animal bellis aptum eſſe colligitur ex 1. Machab. cap. 3. & ſecundo lib. cap. 11. quippe quod ingentia onera portat, Turrim nempe ligneam ex qua veluti de muro milites iacientes iacula certant, viuunt autem annos trecentos, plura de Elephante tradunt D. Iſidorus lib. 12. Etimolog. cap. 2. Plinius lib. 8. hiſt. nat. ca. 1. & Ariſt. 1. de hiſt. animalium cap. 11. cæterum, vt modus propaletur quo a venatoribus Elephantes capiuntur, qui in principio præſentis capitis innuitur, ibi cum dicitur; dixi tibi de ſeptem animalibus, quod vnum erat quaſi Elephas, &c. notandum eſt venatores circumcirca inciſos arbores ordine ſpargere, cumque ad comedendum illuc Elephantes eant, inciſis adhærentes arboribus, vna cum illis in terram cadunt, & poſtea exurgere minime queunt, vnde a venatoribus capiuntur, aut etiã, vt auctor eſt Lyranus ſuper quadrageſimum cap. Iob exponens illa verba, in oculis eius quaſi hamo capiet, vbi aſſirmat, terra de ſubtus cauata, & pabulo ſuperpoſito cum illuc, vt edant proficiſcantur, terra ex pondere fracta Elephantes in foueam cadere, cumque exurgere non poſſint à venatoribus capi, ex his ergo, quæ de Elephante dicuntur in præſenti capite duo nobis breuiter colligenda ſunt, primo quidem quare Elephanti Chriſtus Dominus ſimilem facit Epiſcopum illum, cuius ſupra mentio fit cap. 125. ſecundo quare etiam marcido arbori adhærere dicatur Epiſcopus, & more Elephantis cum arbore cito cadere, & ſane Elephanti malus Epiſcopus merito comparatur, quandoquidem Elephas, vt habet D. Greg. 21. Moral. cap. 10. & Eucherius de ſpiritualibus formulis cap. 5. malum hominem multorum peccatorum pondere grauatum, ſignificat, immo Lyranus in Iob cap. ſupracitato ad ea verba Behemot fœnum, quaſi Bos comedet, dæmonis figuram gerere tradit, peior autem quocunque peccatore, ac etiam dæmone ille animarum paſtor eſt, qui prauo viuendi exemplo, ſuis Ruinæ ſubditis anſam præbet: dicitur autem adhærere arbori marcido, cum non ſpirituales diuitias, nec animarum lucra quærit, ſed temporales quæſtus, & bona caduca ſectatur, quæ de facili marceſcunt, vt ait D. Iacobus in ſua canonica cap. 1. & de hoc Epiſcopo dixit ſupra Saluator noſter ca. 125. quod non aliud quam quæ mundi ſunt quærebat, vt mirum non ſit ſi de eo ſcripſerit hic, quod erat quaſi Elephas quodque ſtat ad arborem inclinatum non attendens arboris putredinem, nec temporis breuitatem, & ideo cum ipſa met caſurum, & tunc cum ſe ſtare putat.

2 Muri enim Eccleſię eius diſſoluentur calore, & aquis, ita vt non ſit qui ædificet.

Ex verbis præſentis notæ ſatis aperte poſſumus intelligere, id quod Dominus hoc loco prædicit Eccleſiam ſcilicet eius Epiſcopi adminiſtrationi commiſſam, de quo hic ſermo fit ob illius multiplicia ac enormia peccata paſſuram, tribulationes plurimas, & idcirco ſcribitur, quod muri Eccleſiæ eius diſſoluentur calore, & aquis, calor namque ignis, & aqua in ſacris litteris tribulationes deſignare ſancti Patres paſſim affirmarunt. & de igne quidem tradunt D. Auguſtinus, & Hilar. in pſalm. 65. ediſſerentes eum pſal. verſiculum Argentum igne examinatum, & probatum ſeptuplum, idem annotauit D. Hieron. ſuper Amos ſeptimo, & ſuper Ezechielem 28. Aquas etiam tribulationes, ac ten

tationes

dationes falare indicant, D. Hier. super Ezechiel cap. 47. D. Augusti. in psal. 32. & aquæ Maris ob salsedinem molestiæ appellantur, hoc ipsum docuerunt Origenes super Matt. cap. 14. & super Exodum hom. 7. Tertullianus contra Iudæos: & D. Hilar. in Matt. cap. 17. D. Greg. 19. Moral. cap. quinto ad ea verba Iob. cap. 28. & aquas appendit in mensura, quia sancti inquit, qui sancto subleuante spiritu ad summa rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt ne aliqua elatione superbiant tentationibus reprimuntur, quod Apostoli Pauli exemplo probans, ait, Paulum video fluminum, & latronum, ciuitatis, & solitudinis, maris, & terræ pericula sustinentem frenantem ieiuniis, vigilisq; corpus, sustinentem, frigoris, & nuditatis erumnam ad Ecclesiarum custodiam vigilanter se, ac pastoraliter exercentem, ad tertium cœlum raptum, rursumque enim in paradisum raptum, & audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, & tamen satanæ Angelo ad tentandum conceditur.

3 Scias etiam, quod aliud animal, quod de lapide castitatis superbiebat iam assumpsit sibi cornua agni.

In præsenti nota duo afferuntur, primum quidem mentio fit cuiusdam animalis, in specie tamen, quod nam illud sit minime scribitur, secundo vero legimus hoc animal assumpsisse cornua Agni, quæ vt manifesta fiant videndum est primo, quod nam sit illud animal, quod castitatis simbolum esse dicitur, atque hoc aliud non esse censeo, quam vnicornium, quod inde dictum esse putat D. Isidorus libr. 12. Etimolog. cap. 2. & Eutimius in psal. 77. eo quod vnum cornu in media fronte habeat, idque tantæ esse fortitudinis docent, vt nulla venantium virtute capiatur, sed sicuti asserunt, qui in animalium proprietatibus inuestigandis laborarunt, virgo puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni feritate deposita, caput deponit, sicque soporatus velut inermis capitur, idem habet D. Greg. lib. 30. moral. cap. 10. qui rem hanc iisdem plane verbis narrat, quibus D. Isidorus, fauet huic opinioni venerabilis Beda, qui simbolum esse castitatis vnicornium dicit, exponens eũ versiculũ psal. 77. & edificauit, sicut vnicornis sanctificium suum, ędificauit inquit templum suum, ita mundum sicuti est habitaculum vnicornium, vnicornis enim est animal castissimum, vnde etiam non capitur, nisi per veras virgines, quia ad eas venit & caput, in earum gremium ponit, & obdormit, & dicitur habere habitaculum mundissimum, sed quidquid sit, vt sensus verborum præsentis notæ palam fiat, sciendum est Christum Dominum hic indicasse B. Brigittæ sub similitudine vnicornis, quendam Episcopum ob castitatis donum in superbiam incidisse, de quo scribitur lib. 3. reu. cap. 14. quod humilis in verbis, ac vestibus apparebat, sed intus superbus erat, & in conspectu sui magnus, & de honore timidus, ac ambitiosus, & aliquanto post eodem capite dicit Beatissima Virgo, quod duabus papilionis alis volabat, per humilitatem, scilicet apparentem coram hominibus, vt singulis placeret, & esset in ore omnium per superbiam vero sibi ipsi, quia se multis sanctiorem existimabat, & de eodem ibidem legitur, quod duo Papilionis cornua assumpserat, desiderium nimirum habendi vitam sine incommodis in hoc mundo, post vero mortem vitam æternam, hunc ergo Episcopum deposuisse Papilionis cornua legimus hic, eaque Agni assumpsisse, vitio namque superbiæ relicto, se se humilitati dederat, & inde Spiritus sancti dona obtinere meruit, quæ per Agni cornua designantur, vt annotarunt Lyranus in Apoc. c. 5. & Haymon explicantes ea verba vidi Agnũ stantem tanquam occisum habentem cornua septem, imo, & per ipsum met cornu totam Episcopi vitam designari auctor est D. Greg. super primum Reg. cap. 16. exponens illud tulit igitur Samuel cornu Olei, cornu inquit Olei tollitur, vt tota Pontificis vita spiritualis esse doceatur, cornu olei tollitur, vt in excellenti liquore Magister Ecclesiæ vir esse studeat magnæ misericordiæ, oleo vngitur caput Regis, quia iacere super candelabrum debet, per flammam verbi cornu oleum recipit, vt increpando purget, & miserando per blandimentum trahat, cornu etiam recipit in sublimitate ordinis, oleum ad fomenta virtutis.

4 Veruntamen præcaueo eum de casu Ioab ipse enim incidit se melioribus.

Hoc loco Christus Dominus verba facit de quodam Episcopo qui in Episcopatu successerat ei, de quo superiori nota imediate egimus, dicitque quod, animaduertat, ne sibi illud accidat, quod Ioab contigit, quod, vt palam fiat, sciendũ est Ioab Imperante Salomone in templo fuisse occisum a Banaia, eo quod duos viros meliores se, ac sanctiores inuidia ductus, occiderit Abner scilicet filiũ Ner Principẽ militiæ Isdrael, & Amasam filium Iether Principem exercitus Iuda, sic enim habetur 3. Reg. tertio, & 2. Regum tertio, quo autem consilio, quaue causa duos hos exercitus Principes interfecerint tradit Teodoretus quæst. 12. super secundum lib. Reg. cap. tertio Ioab inquit prætextum quidem habebat cædem Aselis, causam autem inuidiam, sciebat enim fore, vt ille præesset exercitui, qui vniuersum Isdraelem adducebat ad Regem, imperandi ergo desiderium eum ad faciendam cædem armauit, idem habet Iosephus antiquitatum iudaicarum libr. 7. cap. 1. Ioab eit metuens, ne Dauid in honore primi ordinis constitueret Abner, ipse vero decresceret, & militiæ amitteret principatum, viam pessimam, & malignam cogitauit, vt ei detraheret apud Regem, sed cum his verbis, non potuisset persuadere Regi deteriorem ruinam agressus, eum occidit, ex hoc ergo casu Ioab, qui ob hoc homicidium violenta morte ipse quoque est inter rem-

ptus, admonetur Episcopus, de quo hoc loco sermo fit, quod nisi inuidia deposito vitio, innocentes, ac iustos viros persequi desistat, etiam ipse quam citissime violenta morte casurus est, & hoc est quod scribitur hic, veruntamen præcaueo eum de casu Ioab.

ITEM REVELATIO QVAE facta fuit in monte Gargano de excellentia Angelorum.

CAP. CXXXI.

1 VIDIT Domina Birgitta multitudinem Angelorum psallentium in monte Gargano, & dicentium. Benedictus sis tu Deus noster, qui es, & eris, & fuisti sine principio, & sine fine. Tu creasti nos spiritus in ministerium tuũ, & etiam ad consolationem hominum, & custodiam qui ita mittimur ad profectum hominum, quod nunquam priuamur dulcedine, & consolatione, & visione tua. Sed quia quasi incogniti videbamur hominibus, voluisti in isto loco ostendere benedictionem tuam, & nostram dignitatem a te nobis datam, vt homo addisceret diligere te, & etiam auxilium nostrum desiderare. Nunc autem longo tempore locus est in dignitate habitus, à multis contemptus est, & habitatores terræ plus appropinquãt spiritibus immundis quam nobis, quia suggestiones eorum ardentius sequuntur. Respondit Domina: O Domine creator meus, & redemptor meus, da eis auxilium desistere à peccatis, & desiderare te toto corde. Cui Deus: Assueti, inquit, sunt sordibus, & nisi verberibus non erudiuntur, & vtinã in disciplina se cognoscant, & resipiscant.

NOTAE.

1 VIDIT Domina Brigitta multitudinem Angelorum psallentium in monte Gargano.

De peregrinatione ad montem Garganum, deque templo ibi in honorem Angelorum ædificato egimus supra hoc eodem libro cap. 114. nota prima.

INCIPIT TRACTATVS Reuelationum B. Brigittæ ad sacerdotes, & ad summos Pontifices.

CHRISTVS LOQVITVR de quinque bonis datis sacerdotibus, & de quinque contrarijs, quę faciunt mali sacerdotes.

CAP. CXXXII.

EGO sum quasi homo discessurus de mundo. Qui committit optima quę habet amicis suis charissimis. Sic ego sacerdotibus quos præ omnibus Angelis, & hominibus elegi, commisi charissimum mihi, scilicet corpus meum, cum discederem de mundo,
1 & dedi eis quinque dona. 1 Primo, fi-
2 dem meam. 2 Secundo, duas claues ad
3 infernum, & cælum. 3 Tertio, vt de ini-
4 mico facerent Angelum. 4 Quarto, vt
consecrarent corpus meum, quod nullus
5 Angelorum potest facere. Quinto, vt mani-
bus tractarent corpus meum mundissimum.
Nunc autem faciunt mihi sicut Iudæi, qui
negabant me suscitasse Lazarum, & alia mi-
rabilia fecisse, sed diffamauerunt me voluis-
se regem fieri, prohibuisse tributum, & tem
plum tribus diebus reædificaturum. Sic sa-
cerdotes non loquuntur mirabilia mea,
nec docent doctrinam meã, sed mundi amo-
rem, suam voluptatem prædicant, & nihil
5 esse reputant, quod pro eis feci. 5 Se-
cundo perdiderunt clauem qua miseris de-
berent aperire cęlum. Illam autem qua
aperitur infernus diligunt, & reconditam
habent in syndone munda. Tertio de iusto
faciunt iniquum, de simplice diabolum, de
sano sauciatum, quia omnis qui accedit ad
eos cum tribus vulneribus, ab eis habebit
quartum. Si cum quatuor venerit ad eos,
recedit ab eis cum quinque, quando viso
exemplo prauo sacerdotum. peccator fidu-
ciam peccandi sumit, & incipit de peccato,
quod prius reputabat erubescibile gloria-
ri. Ideo ipsis erit amplior maledictio præ
alijs, quia se vita sua perdunt, & alios exẽ-
plo suo lædunt. Quarto, quia me sanctificare
deberẽt ore suo vendunt me. Ipsi sunt dete-
riores Iuda. Iudas enim peccatum suũ reco
gnouit, & pęnituit, licet infructuose. Isti se iu
6 stos dicunt, & ostẽdunt. 6 Iudas retulit pec-
catum ad emptores, isti autẽ obseruant suis
vsibus.

Digitized by Google

esibus. Iudas vendidit me antequam redemissem mundum. Isti postquam redemi mundum, & non compatiuntur super sanguine meo, qui plus clamat vindictam quã sanguis Abel. Iudas vendidit me pro solis denariis. Isti autem omni mercimonio, quia non accedunt ad me, nisi sperent sibi fructum. Quinto tractant me sicut iudæi. Quid fecerunt ipsi? posuerunt me super lignum. Isti autem in prælo ponunt me, & præmunt fortiter. Sed potes quærere quomodo, cum deitas mea impassibilis est, nec in Deo aliquid contrarium, vel dolor cadere potest, tamen propter voluntatem morandi in peccato, quam sacerdotes habent, sic mihi amarum, & contrarium faciunt, ac si in prælo si possibile esset poneret. Ipsi denique sacerdotes duo peccata habent, luxuriam scilicet, & cupiditatem, inter hæc me ponunt. Sed forte peracta pœnitentia de his, cum post peractum officium iterum habent firmam voluntatem peccandi, quasi in prælo fortiter præmunt me. Pascunt quippe maledictas mulieres, & tuto loco ponunt, vt voluptatem suam perficiant, & me repellant. His blandiuntur, & delectantur in eis, me autem a quo sunt nolunt videre. Ecce amici mei quales sacerdotes sunt. Ecce Angeli mei, quibus seruitis? Si iacerem ante vos, sicut in altari iaceo ante eos, nullus vestrum auderet me contingere, sed terreremini. Ipsi autem quasi fures, & proditores produnt me. Ipsi quasi meretrices contingunt me. Ipsi quoque immundiores pice non erubescunt appropinquare mihi, qui Deus sum, & Dominus gloriæ. Propterea, sicut dictum est Israeli, septem plagæ venient super vos. Vere illæ septem plagæ venient super sacerdotes.

NOTAE.

1 Dedi eis quinque dona: primo fidem meam.

Hoc loco dona quinque sacerdotibus diuinitus collata enumerantur, quorum primum fidem esse scribitur, quod intelligendum arbitror, non quod ipsi tantummodo fideles sint, quoniam hoc quoque laicis concessum est, sed dicitur peculiariter illis data fides, quoniam spectat ad eos eam prædicare, & præceteris profiteri, est namque proprium sacerdotum munus, ac functio, verbis, & operibus fidem propagare, & idcirco hoc eodem cap. paulo post conqueritur de his Saluator noster, cum dicit sic sacerdotes non loquuntur mirabilia mea, nec docent doctrinam meam, sed mundi amorem, suam voluptatem prædicant, & nihil esse reputant, quod pro eis feci.

2 Secundo duas claues ad infernum, & cœlum.

In præsenti nota duo nobis breuiter discutienda sunt, primum quidem, quid per claues intelligendum sit. secundo, an vere duæ sint, vel tantummodo vna, & quidem per claues hic nullatenus intelligi possunt materiales claues, sed metaphorice, sic enim interpretantur illa verba sancti Patres, Matt. 16. & tibi dabo claues regni cœlorum. vbi per claues intelligunt potestatem ligandi, soluendique peccata, sic Chrisost. hom. 83. in Matt. Beda Ioan. 21. circa finem, Fulgentius de fide ad Petrum circa medium, Maximus hom. 5. de sanctis Petro, & Paulo, August. tract. 50. in Ioan. & libr. 20. de ciuit. cap. 9. & lib. 1. contra aduersarium legis, & prophetarum cap. 17. Conc. Trid. Sess. 14. can. 3. hæc autem metaphora in ea posita est, vt per clauem intelligamus facultatem ad aperiendum, & claudendum, sicut clauis materialiter ea est, qua claudimus, vel aperimus ostium, cum autem hæc potestas vnica sit, quæ in se habet hos duos actus, ligare, & soluere, ideo nomine plurium clauium significatur, & hoc loco Christus dicit dedisse duas claues, verum Theophilactus explicans locu citatum Matt. per clauem soluendi, ait intelligi debere potestatem soluendi, per clauem vero ligandi potestatem ligandi. Claues inquit intelligas, quæ ligant, & soluunt, hoc est delictorum indulgentias, vel pœnarum eandem sententiam sequitur August. de 3 *fide ad Petrum cap. 3. & sane hæc Theophilati interpretatio quadrare huic testui B. Brigittæ videtur, quandoquidem in præsenti capite legimus duas sacerdotibus fuisse traditas claues, vnam scilicet ad infernum, & ea est, per quam ligant, & peccatorum debitas pœnas luendas pœnitentibus imponunt, altera vero quæ est ad cœlum, per quam delictis absoluentes cœli ianuas peccatoribus pandunt, cæterum Franciscus Suarez in commen. super 3. p. S. Thom. disp. 16. sect. 4. assert. 1. to. 4. affirmat hanc potestatem soluendi, & ligandi non posse dici clauẽ in-*

inferni, sicut dicitur clauis regni cœlorum, licet enim inquit in metaphoricis locutionibus non sit inconueniens, vt voces sub diuersis locutionibus eidem rei accõmodentur, sicut idem Christus, Leo, et Agnus appellatur: tamen, quod per hoc intenditur per hãc potestatem est aperitio regni cœlorum, quod tantum fit directe per se, ac positiue per illam, claudere autem regnum fit tantum priuatiue non aperiendo ad id cogente malitia peccatorum, quod, & si verissimum sit, non tamen negandum est in Ecclesia etiam claudendi esse potestatem, quæ in præsenti nota designatur per illam primam clauem, quæ appellatur hic metaphorice clauis inferni, quatenus cum vni cœlum clauditur, eidem infernus aperitur, sed quidquid sit de nomine communis Theologorum præsertim recentiorum sententia habet, vt per vnam clauem discernendi potestas inter lepram, & lepram intelligatur, quam clauem scientiæ appellant, per alteram vero potestas ligandi, atque soluendi, & hanc clauem potestatis vocant, hic autem loquendi modus à Rabano fortasse desumptus est, claues inquit Regni cœlorum ipsam D. Matt. discretionem, & potentiam nominat, potentiam, qua liget, & soluat, discretionem, qua dignos, vel indignos discernat, fauet huic opinioni D. Bernardus ser. 69. in Cant. Lyranus in Matt. loco citato, & Gratianus dist. 20. hos tamen crediderim doctores huiusmodi loquendi formulas mutuatos fuisse a D. Hier. qui hunc Matthæi locũ edisserens, Episcopus inquit vel præsbyter pro suo officio, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quiue soluendus; queue requiritur ad rectum potestatis vsum ligandi, & soluendi scientia, secundum autẽ hunc modum intelligendum est, quod dicitur de clauibus regni cœlorum, & illud quodcunque ligaueris idem etiam tradunt Origenes in Matt. hom. 1. & D. Ambros. ser. 66. sed an vna tantummodo clauis sit an duæ distinctæ non conuenit inter doctores, quidam ex recentioribus afferunt illas se habere tanquam duas vnius ostij claues quarum vna, quidem ostium aperire non potest, sed solum viam parat, & hæc est clauis scientiæ, altera vero est, qua aperitur ostium, & dicitur clauis potestatis, sed Ludulphus de vita Christi par. 2. c. 1. vnam esse clauẽ existimat in radice, duplicem vero in effectibus, sicut enim inquit vna eademque potentia est in sole, liquefaciendi, & indurandi, sic vnica tantũmodo clauis in radice reperitur, multiplex tamẽ in effectibus.

3 Vt de inimico facerent Angelum.

Inter dona sacerdotibus collata illud præcipue hoc loco recensetur, quod spectat ad eos de inimico Angelum facere, cum enim, vt superiori nota probauimus, duplicem diuinitus obtinuerint clauẽ per quam de peccatis iudicantes pœnitentes a peccatis absoluerent, inde necessario fit consequens, vt de inimico Angelum faciant; quatenus per illam absolutionem mediante gratia Dei iustificantur, vnde postea ex inimicis Dei, fiant amici, & ex impijs pij.

4 Vt consecrarent corpus meum, quod nullus Angelorum potest facere.

Potestas consecrandi corpus Christi, quare non fuerit Angelis collata, & an si de facto Angeli consecrarent vere corpus Christi sub speciebus panis præsens adesset, tradidimus supra lib. 1. Reuel. ca. 47. nota 4. & lib. 4. cap. 58. nota 1. vbi etiam quæsiuimus an hac in re sacerdotes censendi sint Angelis eminentiores.

5 Perdiderunt clauem, qua miseris deberẽt aperire cœlum.

Verba præsentis notæ nullatenus indicant sacerdotes ob propria peccata potestatem absoluendi, aut consecrandi Christi Domini corpus amittere, habent enim characterẽ impressum in anima, signum videlicet indelebile, quod nullo pacto deleri, aut auferri potest, vt probat Conc. Trid. Sess. 14. ca. 6. his verbis, docet quoque etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collocatam, tanquam Christi ministros functiones remittendi peccata exercere, eosque praue sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt, idem habet D. August. trac. 5. in Ioannem, explicans illa verba cap. 1. sed ego nesciebam eum. & contra epistolas Parmeniani lib. 2. cap. 10 & 11. & de fide ad Petrum cap. 3. circa medium D. Isidorus lib. 6. Etimol. c. 19. Paschasius de corpore, & sanguine Christi ca. 12. D. Thom. 3. p. q. 82. ar. 5. & in 4. d. 13. Innocentius Tertius lib. 3. mysteriorum Missæ ca. 5. ad fin. Magister in 4. d. 5. & 13. Iuo Carnotensis epist. 134. & alij plures, dicendum ergo nobis est sacerdotes claues amittere, non quidem quoad acceptam potestatem, quam diuinitus obtinuerunt quasi de facto vtuntur vere conficiunt, debita intentione, ac materia intercedente, sed perdere clauem hoc loco dicuntur quatenus administratio Sacramentorum malis sacerdotibus de iure prohibetur, vt nos probauimus lib. 7. Reuel. cap. 7. nota 4. aut etiam eos clauem amittere scribitur hic, quoad fructum, qui manaret ex ea, si Sacramenta administrarent, cum enim mali sint illa alijs administrare negligunt, sicque, & ipse, & Laici eorum fructum perdunt, vnde egregie asseruit D. Christ. siue quilibet alius auctor operis imperfecti hom. 44. iste inquit claudit hoc regnum alieri, qui clauem portat, & non aperit, scilicet, qui habet scientiam, & docere contemnit, iste vero obstaculum ponit, qui per malum exemplum alios impedit, ne intrent, vel intrare velint, quod quidẽ frequenter accidit laicos videlicet prauo sacerdotum exemplo adductos Sacramenta non solum accipere minime velle, sed quod deterius, est ab ipsis met malis sacerdotibus peccãdi ansam sumere, & postea vna cum ipsis ad æternas pœnas deduci, & ideo mirum non est si in præsenti capite scriptum sit, quod illam clauem, qua infernus aperitur diligunt.

6 Iudas retulit peccatum ad emptores.

Sic habent omnes impreßi codices, sed hunc textum corrigendum esse arbitror cum Farnesiano codice M.S. Iudas retulit pretium ad emptores; quæ lectio satis aperte probari poteſt ex illo, quod scripsit Matth. 27. cap. sui Euangelij, tunc inquit videns Iudas quod tradidit eum, quod damnatus eßet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus.

CHRISTVS COMPARAT se Moysi educenti Israel per mare rubrum, vbi aquæ ſtabant a dextris, & ſiniſtris, quaſi murus, & quod Iſrael, ideſt mali ſacerdotes, negligunt Chriſtum, & diligunt vitulum aureũ ideſt mundum. Et quod Chriſtus honorauit ſacerdotes ſeptem ordinibus a quibus ſeptempliciter ſunt auerſi.

CAP. CXXXIII.

MATER loquebatur. Sic auidi fuerunt inimici filij mei in ſanguinem eius, vt & eo mortuo vulnerauerũt eum. Præpara ergo te quia filius meus cum exercitu magno venit loqui tibi. Inde veniens ipſe ait. Ego ſimilaui me prius Moyſi in figura, qui cum educeret populum, ſtabat aqua quaſi mu-
1 rus a dextris & a ſiniſtris. 1. Ego certe ſum
ille Moyſes in figura qui eduxi populum Chriſtianũ, id eſt aperui eis cęlum & oſtendi eis viam quam incederent, liberans eos a Pharaone, id eſt diabolo qui eos oppreſ-
2 ſerat. 2. Ibant autem quaſi inter duos mu-
ros maris a dextris, & ſiniſtris quorum vnus non vlterius procederet, alter non retrocederet, ſed ſic ambo firmiter ſtarent. Hi duo muri erant duę leges. Primus erat vetus lex, quæ vlterius non procederet. Secundus erat noua lex, que non retrocederet. Inter hos duos muros ſcilicet leges firmiter ſtantes, ego ibam ad crucem quaſi per mare rubrum quia ſanguine meo rubricatum eſt totum corpus meum; Rubricatum eſt lignum prius album, rubricata eſt lancea, & redemi populum meũ captiuatum, vt me diligeret. Nunc autem negligit me Iſrael, ideſt ſacerdotes,
3 diligunt alium Deum. 3 Diligunt enim
ſicut prius dixi vitulum aureum per affectum mundi, qui eſt dulcis per voluptatem, & ardet in eis per affectionem. Stat fortis cum pedibus, & capite, & gutture gulæ. Habent me inſuper pro idolo, & claudunt ſuper me ne ingrediar. Offerunt mihi thus, ſed non placet mihi, quia non pro me, ſed pro ſe faciunt. Curuant mihi genu obedientiæ, & voluntatis ſuæ, ſed ad deſiderium ſuum, vt eius aliquid temporale impendam. Clamant, ſed aures meę non audiunt, quia non ex deuotione, nec intentione. Audite o exercitus meus,
4 & omnes Angeli. 4 Elegi ſacerdotes præ
omnibus Angelis, & iuſtis, & dedi eis poteſtatem, vt corpus meum tractarent. Si enim voluiſſem potuiſſem bene elegiſſe Angelum aliquem ad tale officium, ſed tantum dilexi ſacerdotes, vt eis tantum honorem concederem, & conſtitui eos, vt ſtarent ante me quaſi in ſeptem ordinibus, deberent enim eſſe patientes quaſi oues, ſtabiles quaſi murus boni fundamenti. Animoſi quaſi milites. Sapientes quaſi ſerpentes. Pudici quaſi virgo. Mundi quaſi Angelus. Ardentes amore quaſi ſponſa ad cubile viri ſui. Nunc autem auerterunt ſe peſſime, ſunt enim feri quaſi lupi rapaces, qui in fame, & cupiditate ſua nulli cedunt, nulli deferunt honorem, nihil erubeſcunt. Secundo inſtabiles quaſi lapis in muro infirmo, quia diffidunt de fundamento, ideſt, de Deo, quod non poſſit eis dare neceſſaria, vel non velit ſuſtentare eos. Tertio ſunt in tenebris quaſi fures, ambulantes in tenebris vitiorum, nec ſunt audaces quaſi milites ad pugnandum pro honore Dei, vel ad aggrediendum opus virile. Quarto ſtant quaſi aſinus, qui caput inclinat ad terram. Sic ipſi ſtolidi, & inſipientes, ſemper terrena meditantur, & pręſentia, nunquam futura. Quinto impudici ſunt quaſi meretrices, procedunt ad me in habitu meretricio, omnia membra habent ad luxuriandum. Sexto ſunt quaſi pice deformiter maculati, omnes qui accedunt ad eos deturpantur. Septimo ſunt abominabiles quaſi vomitus; & leuius, & melius eſſet mihi accedere ad vomitum, quam ad delectationem habendam cum eis. Ita autem abominabiles ſunt, vt omnis exercitus cæli abominetur eos. Quid autem turpius eſſet, quam quod aliquis nudus os ſuum in inferiora membra mitteret, & comederet ſtercora ſua, & biberet vrinam ſuam? Sic ſunt iſti turpes in conſpectu meo. Cum autem induunt ſe ve-

ſtibus ſacerdotum, quæ ſunt veſtes animæ in figura, quia veſtes illæ deſignant talem debere animam eſſe. Induut ſe quaſi veri proditores. Sicut enim ille qui fidem dederat inimico domini ſui ſi pugnare debet cum domino ſuo contra eum, ebetat omnia arma ſua ne noceant inimico. Sic iſti cum induut veſtes ſacerdotum, quæ ſunt veſtes animæ in figura quibus contra diabolum muniri deberent omnia ebetata ſunt, ne noceat diabolo, & ne timeat ea. Sed queritur quomodo? Vtique cum induunt ſe armis continentię, ebetata ſunt per luxuriam. Ideo non pungunt diabolum. Cum autem induunt ſe armis charitatis nihil nocent, quia ebetata ſunt per malitiam. Arma itaque iſta, ideſt veſtes quibus induuntur, non ſunt ad defenſionem domini, ſed ad viſionem ſolam, ſicut ſolent proditores aliud facere, & aliud oſtendere. Sic itaque o amici mei, iſti maledicti ſacerdotes ſimulatoriæ accedunt ad me, quaſi proditores. Attamen ego idem, qui ſum Deus, & Dominus veſter, & totius creaturæ in cœlo, & in terra, venio ad eos, & iaceo ante eos in altari, verus Deus, & verus homo poſtquam dixerint illa verba. Hoc eſt corpus meum. Venio ad eos vt ſponſus, vt voluptatem deitatis cum eis habeam,
5 ſed inuenio in eis diabolum. 5 Ideo cum applicant me ad os ſuum, recedo ab eis cum deitate, & humanitate mea, & diabolus qui in præſentia domini fugit per territus lætus reddit. Audite inſuper amici mei, quale dignitatem contuli ſacerdotibus præ omnibus Angelis, & hominibus. Ego dedi eis quinque. Primo, Paternitatem ligandi, & ſoluendi in cœlo, & in terra. Secundo dedi eis, vt de inimico peſſimo facerent amicum de diabolo Angelum meum. Tertio dedi eis poteſtatem prædicandi verba mea. Quarto, poteſtatem conſecrandi, & ſanctificandi corpus meum, quod nullus Angelus facere poteſt. Quinto tractare corpus meum, quod nullus veſtrum ſi iacerem ante vos auderet contingere. Nunc conqueror ſuper eos quinque. Primo, quod infernum aperiunt, & claudunt cęlum ingredientibus. Secundo, de amico faciunt inimicum, & eũ qui accedit ad eos, cum vno vulnere, vulnerant duobus, quia videns vitam confiſam ſacerdotum cogitat ſecum. Si ipſe facit magis ego faciam. Tertio verba mea adnihilant, & mendacium ſuum affirmant, veritatem meam negant. Quarto vendunt me ore ſuo quem ſanctificare deberent. Quinto, corpus meum amarius crucifigunt quam iudæi. Ecce amici mei quos elegi, & ſic dilexi, quomodo mihi rependunt. Ego coniunxi eos mihi cum corpore meo, & ipſi diſſoluunt vinculum noſtrum. Ideo ſicut proditores non ſicut ſacerdotes iudicabuntur, ſi ſe non emendauerint.

NOTAE.

1 EGo certe ſum ille Moyſes in figura, qui eduxi populum Chriſtianum.

Merito Saluator noſter hoc loco Moyſi ſe ſimilem facit. quoniam ſicut Moyſes iudaicum populum de Egipto eduxit, eumque de manibus Pharaonis liberauit, ſic ipſe populum ſuum de inferno educens, per vias rectas deduxit, & illi regnum Dei oſtendit pſalm. 106. hac etiam eadem ratione comparat Rabbanus Chriſtum Moyſi numerorum 7. multiplicem inquit Moyſes ſignificationem habet, figuram habet iudaici populi, dum caudam ſerpentis tenet, ſignificat enim iudeos in fine mundi ad fidem Chriſti venturos, Chriſti etiam perſonam gerit, dum electos ſuos de ſpirituali Egipto per aquam Baptiſmi liberat, ſilicet dum populum de Egipto per Mare Rubrum educit, cum tabernaculum complet, erigit, & vngit hactenus Rabbanus, cui etiam quam plures alij ex partibus adſtipulantur, dicunt etiam Moyſem deſignare Chriſtum, vt ad placandum Deum in confractione ſtetit pſal. 105. & Chriſtus vere per paſſionem ſuam ſic ſtetit in confractione, vt nulla pars corporis reliqua fuerit, quæ nõ flagellis verberibusq; confracta non ſit, ſicque Patrem ſuum nobis propitium reddit, & ſicut Moyſes tabernaculum ſanctificauit Exod. 40. ita Chriſtus Eccleſiam ſanctam efficit, vt autem vitulum igne conſumendum tradit Exodi 32. Chriſtum notabat Idolatriam pœnitus deſtruentem, poſtremo ſicut Moyſes conſtitutus fuerat in populo, eorum miniſter, quæ ad Deum ſpectabant; ac etiam iudices diſtribuebat Exodi 18. optime Saluatorem noſtrum præmonſtrabat diuina ſubminiſtrãtẽ, & Eccleſiæ miniſtros conſtituentem, hæc, & alia ſexcenta, quæ ad hoc comprobandum poſſemus adducere clare oſtendunt Moyſem Chriſti geſſiſſe figuram, quod etiam affirmarunt D. Auguſtinus libr. 22. contra Fauſtum cap. 90. Venerabilis Beda ſuper Exodum cap. 2. D. Bernard. ſerm. 1. de Octaua Paſchatis, Gregorius Niſſenus de vita Moyſis D. Greg. Pont. ſuper primum Regum cap. 2. Baſilius de Spiritu ſancto cap. 14.

2 Ibant autem quaſi inter duos muros Maris a dexteris, & ſiniſtris.

Vt præſentis notæ verborũ ſẽſus legẽtibus pateat videndũ eſt primo quid per duos muros Maris hic intelligendum ſit, quiq; fuerint, qui inter hos duos muros tranſierint, & quidẽ quantũ ex textu colligi poteſt

ized by Google

potest, hoc loco sermo fit de populo Iudaico, qui ex Pharaonis seruitute liberato, per mare Rubrũ transibat, eorũ duce Moyse præcedente, qua de re latissime agitur Exodi 14. vbi tota hæc historia narratur his verbis, cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & tota nocte vrente, & vertit in siccum, diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium maris sicci, erat enim aqua quasi murus ad dexteram eorum, & leuam. Ex his ergo postremis sacri textus verbis satis aperte declaratur, quid sibi velint hæc præsentis notæ verba: ibant autem quasi inter duos muros, aqua enim, vt annotauit Lyranus ibidem stetit, atque in altum est euecta ad similitudinem muri, ex vtraque parte, ita vt per medium maris sicco pede Iudæi transire potuerint, & idcirco legitur ibi: diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium maris sicci, quæ siue diuisio non ex flante vento processit, sed à Domino facta est; ventus tamen fundum maris discoopertum aquis disiccauit, vt Iudæi commodius, & mundius abirent, an autem fuerint duodecim diuisiones aquæ, iuxta numerum duodecim tribus: affirmauit Cassiodorus in Psalm. 135. ad ea verba: & diuisit mare Rubrum in diuisiones, in diuisiones inquit duodecim pro numero tribuum, vt singulæ tribus vias suas eundi haberent, quam opinionem confutauit Lyranus, tanquam communi, & Catholicorum, & Hebræorum sententiæ pugnantem, quæ habet vnicam tantummodo aquæ diuisionem factam fuisse, & quod in citato Psalmo accipitur plurale pro singulari.

3 Diligunt enim, sicut prius dixi, vitulum aureum per affectum mundi.

Cum in sacris Litteris per aureum vitulum diuitiæ, superbia, ac Luxuria designentur dubitari minime potest cum hoc loco Christus Dominus sacerdotes redarguit, quod vitulum diligant aureũ, insinuare voluisse sacerdotes illius tẽporis superbos, auaros, ac luxuriæ vitio deditos fuisse, quod satis aperte ipsemet hoc eodẽ capite, aliquanto post declarat, cũ dicit: Nunc autẽ auerterunt se pessime, sunt enim quasi lupi rapaces, qui in fame, & cupiditate sua nulli cedunt, sunt instabiles quasi lapis in muro infirmo, quia de fundamento diffidunt, idest de Deo, quod non possit eis dare necessaria, vel non velit eis dare necessaria, vel non velit eos sustentare: tertio sunt in tenebris quasi fures ambulantes in tenebris vitiorum; stant etiam quasi asinus, qui caput inclinat ad terram, sic ipsi stolidi, & insipientes semper terrena meditantur, & præsentia, & nunquam futura, postremo impudici sunt quasi meretrices. Ex his ergo palam fit, quid sit aureum diligere vitulum, diximus enim aliud non esse quam superbiam, incontinentiam, ac temporales diuitias amare; & ideo Psal. 49. Dauid affirmat, Dominum non accepisse vitulos de domo, vbi D Hieron. per vitulos superbos, & incontinentes intelligit, idem habet Origen. homil. 9. super Exodum, & super Numeros homil 27. & D. Greg. super primum Reg. c. 14.

4 Elegi sacerdotes præ omnibus Angelis, & iustis, & dedi eis solis potestatem, vt corpus meum tractarent, si enim voluissem, potuissem bene elegisse Angelum.

Docet hic, Saluator noster sui corporis administrationem, & consecrationem Angelis potuisse committere si voluisset, ex quibus manifeste deducitur, vt nos probauimus lib. 1. Reuelat. c. 47. nota quarta, quod licet hæc consecrandi facultas de facto sacerdotibus data tantummodo sit, etiam de possibili Angelis concedi potuisse: Deus enim sicut potentiam suam minime sacramentis alligauit, ita nec Ecclesiæ ministris, vt non possit quibuscumque eam committere, aut etiam sine illis, prout sibi magis placuerit rem totam perficere, qua de re vide annotationes nostras lib. 1. cap. 47. nota quarta, & lib. 4. c. 58. nota prima.

5 Ideo cum applicant me ad os suum, recedo ab eis cum deitate, & humanitate mea.

Eadem loquendi formula habetur supra lib. 1. Reuelat. cap. 47. nota quinta, vbi declarauimus per hæc verba non esse intelligendum, quod quotiescumque malus sacerdos sacramentum sumit, ibi desinat esse Christus, & quo ad deitatem, & humanitatem, sed diximus quod Christus desinit esse per gratiam, quatenus indigno effectum eius denegat, qui est spiritualis refectio, & alia quæ digne sumentibus huiusmodi sacramentum diuinitus concedi solent; dicitur autem hic desinere esse Christus cum deitate, & humanitate, quia cum neutro eorũ ipse ad sacramentalem effectum indigno conferendum concurrit.

CHRISTVS DICIT QVOD honorauit sacerdotes præ omnibus Angelis, & hominibus, sed ipsi præ cęteris eum prouocant, quorum damnatio in anima vnius sacerdotis ęternaliter damnata manifestatur.

CAP. CXXXIV.

MARIA ait. Recordare passionem filij mei, ipse iam venit. Et ecce apparuit sanctus Ioannes Baptista, & ait ad Beatam Virginem Mariam: In mille annis nunquam fuit tanta ira Dei super mundum. Cumque venisset Filius, ait ad Sponsam: Vna hora est à principio mecum, & quot vobiscum tempora sunt, hoc non est mecum nisi quasi vna hora. Dixi tibi prius de sacerdotibus, quod inter omnes Angelos, & homines ipsos elegi, nunc ipsi mihi præ cæteris sunt molestiores. Et ecce apparuerunt dæmones habentes vnam animam in manibus, dicentes ad inuicem: Ecce pugil. Respondit iudex: Quia corporales non audiunt ea quæ sunt spiritus, nec oculus corporalis potest videre spiritualia, tamen propter istam quę astat, cuius oculos intelligentiæ aperio, dicite qua iustitia habetis illam animam. Responderunt, per nouem iura, vel transgressiones possidemus eam. Primo, tribus fuit infra nos, tribus alijs æqualis fuit nobis, tribus aliis fuit supra nos. Primum ius est, quod fuit extra bonus, & intus malus. Secundum, quia quandoque fuit plenus cupiditate sua, & gula quandoque abstinuit propter vtilitatem corporis, vel infirmitatem. Tertio, quandoque fuit seuerus in verbis, & operibus, sed quandoque respersa erat seueritas, & malitia sua, aliqua de causa sibipsi vtili. Nos autem non habemus ista, quia tales sumus extra quales intus, semper seueri in malitia, semper cupidi ad malum. Tribus erat nobis par, quia tribus cecidimus, scilicet, superbia, cupiditate, & inuidia. Hæc tria ipse habuit. Tribus fuit supra nos, & maior in malitia quam nos, quia sacerdos erat, & corpus tuum tractabat. Primo, quia os suum non custodiuit cum quo proferret verba tua, sed sicut canis latrat, sic ipse protulit verba tua sicut canis. Cumque proferret verba tua nos timuimus, quasi ille qui audit aliquem terribilem sonum, quo protinus territi recessimus ab eo. Ipse autem sine verecundia, & timore substitit. Secundo non custodiebat manus suas cum quibus tractabat mundissimum corpus tuum, sed omni delectabili maculabat. Cumque tractaret manibus corpus tuum, quod dicto verbo hoc idem erat, quod in ventre Virginis fuit, & crucifixum est. Nos sicut homo timore toto corpore percussus timuimus, quamuis non ex charitate aliqua, sed ex timore potentiæ tuæ, & magnitudinis virtutis tuæ. Ipse autem stabat imperterritus, & non curauit. Cumque applicuit te ad os suum, quod erat quasi vas immundissimum omni spurcitia, nos fuimus quasi homines dissoluti viribus, & quasi ille cui omnis virtus deficit, nec non, & quasi mortui præ timore, cum tamē immortales sumus, & ille non timuit, nec contremuit te contingere. Sed quia Dominum maiestatis non decuit intrare in tam confusum vas, recessisti cum deitate tua, & humanitate, & illo solo remanente, qui præ timore ad horam discessimus, reuertebamur cum furore. In omnibus his præcellit nos in malitia, & ideo iuste possidemus eū. Ergo, quia iustus iudex es, fac nobis de eo iudicium. Respondit iudex: Audio quid exigitis, sed tu misera anima dic ista audiente, qualem circa finem tuum cum adhuc cum ratione, & robore corporis fruereris, habuisti voluntatem? Respondit illa. Voluntas mea fuit sine fine peccare, nec vnquam desistere, sed quia sciui me non semper victurum, statui vsque ad extremum punctum peccare, & in tali intentione separabar a corpore. Tunc ait iudex. Conscientia tua est iudex tuus. Ergo in conscientia tua dic quale iudicium mereris. Respondit anima: Iudicium meum est amarissimum supplicium, & pessimum, sine fine duraturum absque omni misericordia. Tunc dæmones post auditum iudicium eius discesserunt cum ea. Tunc Dominus dixit ad illam. Ecce Sponsa, quid sacerdotes faciunt mihi. Ipsos prę omnibus Angelis, & hominibus elegi, & super omnes honoraui. Ipsi autem prę omnibus iudæis, & gentilibus, & præ omnibus dęmonibus me magis prouocant.

vid. præ fa. c. 13.

CHRI-

CHRISTVS OSTENDIT qualem charitatem fecerat sacerdotibus, sed ipsi ingrati quasi adultera persona, Christum contemnunt tres alios amatores, scilicet, mundum, carnem, & diabolum diligentes, & hoc ostendit in anima vnius sacerdotis nouiter defuncti æternaliter condemnari.

CAP. CXXXV.

EGO sum quasi sponsus qui sponsam suam cum omni charitate ducit in domũ suam. Sic ego coniunxi sacerdotes mihi cũ corpore meo, vt ipsi essent in me, & ego in eis. Sed mihi respondent sicut adultera sponso. Verba tua non placent mihi, diuitiæ tuæ vanæ sunt, voluptas tua quasi venenum. Ego habeo tres quos magis diligere volo, & sequi. Cui vir mansuetus respondit. Sponsa mea audi me expecta magis. Quia verba tua debent esse mea. Voluntas mea, voluntas tua, diuitiæ meæ, diuitiæ tuæ, voluptas tua, voluptas mea. Quæ nullo modo vult audire, sed discedit ad illos tres. Cumque discessisset longe, vt non videretur sponsus. Primus illorum, idest mundus ait, Hic est diuisio viarum, & ego non possum amplius sequi eam. Ideo ego volo habere omnes diuitias eius. Secundus dicit, idest corpus. Ego mortalis sum, & cibus fiam vermium, ipsa autem immortalis, ideo relinquo eam hic. Tertius ait, idest diabolus. Ego sum immortalis, & sine fine mansurus, quia noluit esse cum viro suo, sine fine sequetur me. Sic faciunt mihi isti maledicti sacerdotes. Ipsi deberent esse membrum meum, & ita excellentes præ alijs sicut digitus in manu, sed ipsi deteriores sunt diabolo. Et ideo prę omnibus diabolis profundius submergentur in infernum, nisi se emendauerint. Ego voco eos quasi sponsus. Omne quod possum facio eis, sed eo longius discedunt quo plus voco. Verba mea non placent eis, diuitiæ meæ onerosę sunt; dulcia verba mea quasi venenum abominantur. Curro post eos monendo quasi pius pater, supportando quasi mitis Dominus, donis attrahendo quasi bonus sponsus, sed ipsi eo magis auertunt se quo plus voco. Tres amicos magis quam me diligunt, idest mundum, & corpus. Ideo tertius, idest diabolus recipiet eos, & nunquam dormitet. Ideo vę eis quod vnquam sacerdotes, & membra mea facti sunt. Ille sacerdos qui nunc moriebatur habuit tria. Primo superbiam, quia vestiuit se sicut Episcopus. Secundo laudatus de sapientia. Tertio ad quodcumque voluit, & corpori placuit, flexit voluntatem suam. Abstinuit pro salute corporis, & quicquid ei placuit fecit, non voluntatem meam. Sed quid nunc profuit ei? Ideo pro superbia est ante me quasi homo ad medietatem corruptus, & fœtidus, & plenus vlceribus, & corrupta carne. Pro laude est neglectus ante me, & negligetur ab hominibus. Pro voluntate propria corpus receperunt vermes, animam dæmones sine fine cruciantes. Ecce miseri quid diligunt, & quid faciunt. Vbi nunc amici eius, vbi bona, vbi honor & gloria. Pro his omnibus habebit nunc perpetuam confusionem. Ipsi emunt paruum, idest temporalem honorem, & dimittunt magnum, idest, æternum gaudium. Vę talibus quod vnquam nati fuerunt. Ipsi enim profundius cadunt in infernum, quam aliquis alius.

REVELATIONES INFRAscripras habuit in visione spirituali Sancta Brigitta stando in oratione, quæ diriguntur ad summos Pontifices Innocent. viij. Vrbanum v. Gregorium xi. quę tractant de reducendo Sedem Apostolicam, & Romanam curiam ad Romam, & de reformatione Ecclesię ex præcepto Dei omnipotentis. Verba Christi ad Sponsam mentionem facientia de Papa Innocentio vi. qui fuit post Clementem.

CAP. CXXXVI.

FILIVS loquitur ad Sponsam dicens. Iste Papa Innocentius est de ære meliori quã antecessor eius, & materia apta ad recipiẽdum colores optimos, sed malitia hominum exigit, vt citius tollatur de medio. Cui voluntas

huius sua bonæ reputabitur in coronam, & gloriæ augmentationem. Verumtamen si verba mea librorum tibi data audiret, fieret melior, & qui differrent ad eum verba, sublimius coronarentur.

REVELATIO TANGENS Papam Vrbanum, quam habuit Sponsa Christi in Roma super confirmatione regulæ Saluatoris, & super indulgentiis sancti Petri ad vincula. A Christo concessis monasterio Beatæ Virginis in Vuatzsteno.

CAP. CXXXVII.

FILIVS Dei loquitur ad Sponsam. Qui habet glomerationem filorum in qua est aurum optimum non desinit filare donec inuenerit aurum. Quo inuento, vtitur eo possessor ad honorem, & commodum suum. Sic iste Papa Vrbanus aurum est ductile ad bona, sed sollicitudinibus mundi vallatus est. Ideo vade, & dic ei ex parte mea. Tempus tuum breue est, surge, & attende quo-
1 modo animæ tibi commissæ saluentur. I
Ego obtuli tibi regulam religionis, quæ fundari, & incipi debet in loco Vuatzsteno in Suetia, quæ de ore meo processit. Nunc autem volo, vt non solum auctoritate tua confirmetur, sed & benedictione tua, qui Vicarius meus es in terris roboretur. Ego dictaui eam, & dotaui spirituali dote, scilicet concedendo indulgentias, quæ sunt in Ecclesia sancti Petri ad vincula in Roma. Tu ergo approba coram hominibus, quod coram exercitu meo cælesti est sancitum. Si autem quæris signum, quod ego hæc loquor, huc iam ostendit tibi, quia quando primum audisti verba mea, anima tua in aduentu nuncii mei spiritualiter fuit consolata. Si autem quæris vlterius signum dabitur tibi, sed non sicut Ionæ prophetæ. Tu autem Sponsa mea cui dictam gratiam feci, si non poteris habere litteram, & gratiam Papæ, & sigillum super concessione dictæ indulgentiæ, nisi præcedente pecunia, sufficit tibi gratia mea. Ego enim approbabo, & confirmabo verbum meum, & omnes Sancti erunt mihi testes. Mater mea erit tibi sigillum. Pater meus confirmator, & Spiritus meus aduenientium ad monasterium erit consolator.

NOTAB.

1 EGo obtuli tibi regulam Religionis, quæ fundari, & incipi debet in loco Vuatzsteno in Suetia, quæ de ore meo processit, nunc volo, vt non solum auctoritate tua confirmetur, sed & benedictione tua, qui Vicarius meus es in terris, roboretur.

Hæ Regulæ, quarum in præsenti capite Christus Dominus meminit, habentur infra circa finem huius libri ante Reuelat. extrauagantes, & eas fuisse diuinitus traditas legimus in primo earum capite, præcepit enim Dominus B. Brigittæ, vt ad honorem Beatissimæ Virginis Religionem monialium institueret, quæ sub his regulis à seipso dictatis viuerent; hic vero dicit, quod huius Regulæ confirmationem, ac approbationem à Roman. Pontif. petat, quod etiam repetit cap. 30. & vigesimo primo Regularum. Cæterum huiusmodi Regulas fuisse ab Vrbano V. Pont. Max. approbatas admonuimus supra hoc eodem lib. cap. 49. num. 5. & tradit Ioannes Nauclerus volum. 2. suæ Cronographiæ generat. 46. & Polidorus Virgilius lib. 7. de Inuentoribus rerum cap. 4. & hoc etiam scripsit Bonifacius IX. Pont. in Bulla Canonizationis Beatissimæ Brigittæ sic enim habet, in loco etiam de Vuatzsteno Lyncopens. Diocesis de suis facultatibus, vnum venerabile monasterium canonice construi fecit pro sexaginta monialibus sub clausura viuentibus, & vigintiquinque fratribus Ordinis Sancti Augustini, Sancti Saluatoris nuncupati, qui tam moniales quam fratres, certas constitutiones per ipsam Beatam Viduam æditas, & postea per Sedem Apostolicam approbatas obseruare tenentur.

HAEC

HAEC EST REVELATIO quam habuit Sponsa Christi in Roma de eodem Papa Vrbano antequam rediret Auinionem. Anno Domini MCCCLXX. quam ipse præsentauit ei in Montefiascon.

CAP. CXXXVIII.

VIGILANTE de nocte præfata persona in oratione. Visum fuit sibi, ac si vna vox loqueretur, procedens de vno circulo splendoris ad modũ solis. Quæ quidem vox dixit sibi hæc verba quę sequuntur. Ego sum Mater Dei, quia sic placuit sibi. Ego etiam sum mater omnium qui sunt in superno gaudio. Quamuis infantes habeant suam necessitatem secundum suam voluntatem, tamen in augmentum suæ lætitiæ cumulatur eis gaudium, ex eo quod vident faciem matris suæ blandam. Sic placet Deo dare omnibus in cęlesti curia gaudium, & exultationem, de meæ virginitatis puritate, & mearum virtutum pulchritudine, quãuis habeant incomprehensibiliter ex eiusdem diuinitatis potentia totum bonum. Sũ etiam mater omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnę, quę debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodam modo mitigantur. Ita placet Deo, vt aliquę ex his pœnis quæ debentur eis de rigore diuinæ iustitiæ minuuntur. Ego sum mater totius iustitiæ quæ est in mundo, quam iustitiam Filius meus dilexit dilectione perfectissima. Et sicut materna manus semper parata est ad opponendum se periculis, in cordis filij sui defensionem, si aliquis niteretur in sui læsionem, ita ego sum parata iugiter iustos qui sunt in mundo defendere, & de omni spirituali periculo liberare. Ego etiam quasi sum mater omnium peccatorum se volentium emendare, & habentium voluntatem in Deum amplius non peccare, & sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere sicut charitatiua mater, dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrentem. Nonne tunc ipsa opponeret se periculis viriliter, & filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret, & eriperet, & in sinu suo gaudenter conseruaret? Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus, misericordiam meam à filio meo petentibus, sub vera contritione, & diuina dilectione. Audi tu, & attende diligenter, quid ego volo dicere de duobus filijs meis quos tibi volo nominare. Primus quem dico est Filius meus Iesus Christus, qui natus est de mea carne virginea, ad hoc, vt suam charitatem manifestaret, & animas redimeret. Propter quod non pepercit sui corporis laboribus, nec sanguinis sui effusionibus. Nec dedignatus est audire contumelias, & sustinere suæ mortis pœnam. Ille est ipse Deus, & est omnipotens in æterna lætitia. Secundus quem reputo pro filio meo est ille qui residet in Papali Sede, videlicet Sede Dei in mundo, si obedierit præceptis suis, & ipsum dilexerit perfecta charitate. Modo volo aliquid loqui super isto Papa qui nominatur 1 Vrbanus, propter precem meam obtinuit Spiritus sancti infusionem, vt deberet ad Romam per Italiam declinare, ad nihil aliud nisi vt iustitiam, & misericordiam faceret, fidem Catholicam roboraret, pacem confirmaret, & sic Ecclesiam sanctam innouaret. Sicut mater ducit filium suum ad locum vbi sibi placet, dum ostendit sibi vbera sua. Ita duxi ego Vrbanum Papam prece mea, & operæ Spiritus sancti de Auinione ad Romam, sine quouis suo periculo corporali. Quid fecerat ipse mihi? Iam vertit ad me dorsum, & non faciem, & intendit à me recedere, & ducit eũ ad hoc malignus spiritus cum sua fraude. Nam tedium habet de diuino labore, & libitum ad suum commodum corporale. Itẽ trahit eum diabolus cum delectatione mundiali, nam nimis desiderabilis est sibi terra nationis suæ mundano more. Item trahitur carnalium amicorum consiliis, qui magis attendunt suam dilectionem, & voluntatem, quam Dei honorem, & voluntatem, vel animæ suę profectum, & salutem. Si contigerit ipsum redire ad terras vbi fuit electus Papa, ipse habebit in breui tempore vnam percussionem, siue vnam alapam, quod dentes sui stringentur, seu stridebunt. Visus caligabit, & fuscus erit, & totius corporis sui membra contremiscent. Ardor Spiritus sancti paulisper tepescet in eo, & recedet, & omnium amicorum Dei preces, qui pro ipso orare decreuerunt lacrymis gemebundis torpebunt, & corda ad eius frigescent dilectionem, & de duobus coram Deo reddet rationem. Primo de his quæ fecerit in Papali Sede. Secundo de his quæ omiserat ex his, quæ potuisset in Dei honorem fecisse in sua magna maiestate.

NO-

bonus sua bona reputabitur in eo bonam, & gloriæ augmentationem. Veruntamen si verba mea librorum tibi data audiret, fieret melior, & qui differrent ad eum verba, sublimius coronarentur.

REVELATIO TANGENS Papam Vrbanum, quam habuit Sponsa Christi in Roma super confirmatione regulæ Saluatoris, & super indulgentiis sancti Petri ad vincula. A Christo concessis monasterio Beatæ Virginis in Vuatzsteno.

CAP. CXXXVII.

FILIVS Dei loquitur ad Sponsam. Qui habet glomerationem filorum in qua est aurum optimum non desinit filare donec inuenerit aurum. Quo inuento, vtitur eo possessor ad honorem, & commodum suum. Sic iste Papa Vrbanus aurum est ductile ad bona, sed sollicitudinibus mundi vallatus est. Ideo vade, & dic ei ex parte mea. Tempus tuum breue est, surge, & attende quomodo animæ tibi commissæ saluentur.
1 Ego obtuli tibi regulam religionis, quæ fundari, & incipi debet in loco Vuatzsteno in Suetia, quæ de ore meo processit. Nunc autem volo, vt non solum auctoritate tua confirmetur, sed & benedictione tua, qui Vicarius meus es in terris roboretur. Ego dictaui eam, & dotaui spirituali dote, scilicet concedendo indulgentias, quæ sunt in Ecclesia sancti Petri ad vincula in Roma. Tu ergo approba coram hominibus, quod coram exercitu meo cælesti est sancitum. Si autem quæris signum, quod ego hæc loquor, hoc iam ostendit tibi, quia quando primum audisti verba mea, anima tua in aduentu nuncii mei spiritualiter fuit consolata. Si autem quæris vlterius signum dabitur tibi, sed non sicut Ionæ prophetæ. Tu autem Sponsa mea cui dictam gratiam feci, si non poteris habere litteram, & gratiam Papæ, & sigillum super concessione dictæ indulgentiæ, nisi præcedente pecunia, sufficit tibi gratia mea. Ego enim approbabo, & confirmabo verbum meum, & omnes Sancti erunt mihi testes. Mater mea erit tibi sigillum. Pater meus confirmator, & Spiritus meus aduenientium ad monasterium tuum consolator.

NOTAE.

1 EGo obtuli tibi regulam Religionis, quæ fundari, & incipi debet in loco Vuatzsteno in Suetia, quæ de ore meo processit, nunc volo, vt non solum auctoritate tua confirmetur, sed & benedictione tua, qui Vicarius meus es in terris, roboretur.

Hæ Regulæ, quarum in præsenti capite Christus Dominus meminit, habentur infra circa finem huius libri ante Reuelat. extrauagantes, & eas fuisse diuinitus traditas legimus in primo earum capite, præcepit enim Dominus B. Brigittæ, vt ad honorem Beatissimæ Virginis Religionem monialium institueret, quæ sub his regulis à seipso dictatis viuerent; hic vero dicit, quod huius Regulæ confirmationem, ac approbationem à Roman. Pontif. petat, quod etiam repetit cap. 30. & vigesimo primo Regularum. Cæterum huiusmodi Regulas fuisse ab Vrbano V. Pont. Max. approbatas admonuimus supra hoc eodem lib. cap. 49. num. 1. & tradit Ioannes Nauclerus volum. 2. suæ Cronographiæ generat. 46. & Polidorus Virgilius lib. 7. de Inuentoribus rerum cap. 4. & hoc etiam scripsit Bonifacius IX. Pont. in Bulla Canonizationis Beatissimæ Brigittæ sic enim habet, in loco etiam de Vuatzsteno Lyncopens. Dioecesis de suis facultatibus, vnum venerabile monasterium canonice construi fecit pro sexaginta monialibus sub clausura viuentibus, & vigintiquinque fratribus Ordinis Sancti Augustini, Sancti Saluatoris nuncupati, qui tam moniales, quam fratres certas constitutiones per ipsam Beatam Viduam editas, & postea per Sedem Apostolicam approbatas obseruare teneantur.

HAEC

HAEC EST REVELATIO quam habuit Sponsa Christi in Roma de eodem Papa Vrbano antequam rediret Auinionem. Anno Domini MCCCLXX. quam ipse præsentauit ei in Montefiascon.

CAP. CXXXVIII.

VIGILANTE de nocte præfata persona in oratione. Visum fuit sibi, ac si vna vox loqueretur, procedens de vno circulo splendoris ad modũ solis. Quæ quidem vox dixit sibi hæc verba quę sequuntur. Ego sum Mater Dei, quia sic placuit sibi. Ego etiam sum mater omnium qui sunt in superno gaudio. Quamuis infantes habeant suam necessitatem secundum suam voluntatem, tamen in augmentum suæ lætitiæ cumulatur eis gaudium, ex eo quod vident faciem matris suæ blandam. Sic placet Deo dare omnibus in cęlesti curia gaudium, & exultationem, de meæ virginitatis puritate, & mearum virtutum pulchritudine, quãuis habeant incomprehensibiliter ex eiusdem diuinitatis potentia totum bonum. Sũ etiam mater omnium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnę, quę debentur purgandis pro peccatis suis, in qualibet hora propter preces meas quodam modo mitigantur. Ita placet Deo, vt aliquę ex his pœnis quæ debentur eis de rigore diuinæ iustitiæ minuuntur. Ego sum mater totius iustitiæ quæ est in mundo, quam iustitiam Filius meus dilexit dilectione perfectissima. Et sicut materna manus semper parata est ad opponendum se periculis, in cordis filij sui defensionem, si aliquis niteretur in sui læsionem, ita ego sum parata iugiter iustos qui sunt in mundo defendere, & de omni spirituali periculo liberare. Ego etiam quasi sum mater omnium peccatorum se volentium emendare, & habentium voluntatem in Deum amplius non peccare, & sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere sicut charitatiua mater, dum videret filium nudum ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrentem. Nonne tunc ipsa opponeret se periculis viriliter, & filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret, & eriperet, & in sinu suo gaudenter conseruaret? Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus, misericordiam meam à filio meo petentibus, sub vera contritione, & diuina dilectione. Audi tu, & attende diligenter, quid ego volo dicere de duobus filijs meis quos tibi volo nominare. Primus quem dico est Filius meus Iesus Christus, qui natus est de mea carne virginea, ad hoc, vt suam charitatem manifestaret, & animas redimeret. Propter quod non pepercit sui corporis laboribus, nec sanguinis sui effusionibus. Nec dedignatus est audire contumelias, & sustinere suæ mortis pœnam. Ille est ipse Deus, & est omnipotens in æterna lætitia. Secundus quem reputo pro filio meo est ille qui residet in Papali Sede, videlicet Sede Dei in mundo, si obedierit præceptis suis, & ipsum dilexerit perfecta charitate. Modo volo aliquid loqui super isto Papa qui nomina-
1 tur 1 Vrbanus, propter precem meam obtinuit Spiritus sancti infusionem, vt deberet ad Romam per Italiam declinare, ad nihil aliud nisi vt iustitiam, & misericordiam faceret, fidem Catholicam roboraret, pacem confirmaret, & sic Ecclesiam sanctam innouaret. Sicut mater ducit filium suum ad locum vbi sibi placet, dum ostendit sibi vbera sua. Ita duxi ego Vrbanum Papam prece mea, & operæ Spiritus sancti de Auinione ad Romam, sine quouis suo periculo corporali. Quid fecerat ipse mihi? Iam vertit ad me dorsum, & non faciem, & intendit à me recedere, & ducit eũ ad hoc malignus spiritus cum sua fraude. Nam tedium habet de diuino labore, & libitum ad suum commodum corporale. Itẽ trahit eum diabolus cum delectatione mundiali, nam nimis desiderabilis est sibi terra nationis suæ mundano more. Item trahitur carnalium amicorum consiliis, qui magis attendunt suam dilectionem, & voluntatem, quam Dei honorem, & voluntatem, vel animæ suę profectum, & salutem. Si contigerit ipsum redire ad terras vbi fuit electus Papa, ipse habebit in breui tempore vnam percussionem, siue vnam alapam, quod dentes sui stringentur, seu stridebunt. Visus caligabit, & fuscus erit, & totius corporis sui membra contremiscent. Ardor Spiritus sancti paulisper tepescet in eo, & recedet, & omnium amicorum Dei preces, qui pro ipso orare decreuerunt lacrymis gemebundis torpebunt, & corda ad eius frigescent dilectionem, & de duobus coram Deo reddet rationem. Primo de his quæ fecerit in Papali Sede. Secundo de his quæ omiserat ex his, quæ potuisset in Dei honorem fecisse in sua magna maiestate.

NOTAE.

1 VRbanus propter precem meam obtinuit Spiritus sancti infusionem, vt deberet Romam per Italiam declinare.

Hunc fuisse Vrbanum Quintum dubitari minime potest, ipse namque tunc Sedem Pontificiam obtinebat quando Beata Brigitta sanctitate floruit, vt fatetur ipsemet Platina in vita illius circa finem, & tradiderunt Ioannes Nauclerus volumine secundo suæ Chronographiæ, & Polidorus Virgilius libro septimo de inuentoribus rerum, cap. 4. circa medium; huic autem Pontifici Beatam Brigittam præsentem Reuelat. obtulisse in monte Falisco insinuatur in argumento huius capitis, vbi tunc temporis Vrbanus morabatur, quoniam Aedes Pontificias construi mandauerat, vt sibi suisque successoribus eo proficisci liceret vitandi, vt, inquit Platina vrbanos æstus causa, hoc ergo loco a Christo Vrbanus acriter reprehenditur, quod Italiam dissereret, & in Galliam redire decreuisset, & ideo aliquanto post medium capitis de eo Christus conqueritur, sic: trahit illum diabolus cum delectatione mundiali, nam nimis desiderabilis est sibi terra nationis suæ, quam ob causam prædixit B. Brigitta, quod si in patriam rediisset, Vrbem Romam deserens, illum quam citissime moriturum fuisse, quod factum esse asserit Platina in vita ipsius, dum enim proficiscebatur in Galliam Marsiliæ mortuus est, vel vt alij volunt Auinione vitam finiuit Pontificatus sui anno octauo.

HAEC QVAE SEQVITVR est reuelatio prima, quæ fuit missa domino Gregorio Papæ XI. per dominum Latinum de Vrsinis.

CAP. CXXXIX.

VNA persona vigilans, & non dormiens, sed in oratione persistens, in spiritu rapta fuit. Et tunc omnes eius corporis vires quasi deficere videbantur, sed cor ipsius inflammabatur, & exultabat charitatis ardore, eiusque anima consolabatur, & quodã diuino robore confortabatur spiritus eius, ac etiam tota conscientia eius replebatur spirituali intellectu. Cui personæ tunc apparuit visio talis. Audiebat enim tunc ipsa quandam vocem dulcisonam eam taliter alloquentem. Ego sum illa quæ genui Dei filium verum Deum Iesum Christum. Quoniam alias dixi tibi aliqua verba, quæ Vrbano Papæ deberent nunciari, sic nunc etiã dico tibi aliqua, quæ mittenda sunt Papæ Gregorij. Sed vt melius intelligantur, dicam tibi ea per quadam similitudinem. Sicut enim pia mater dilectum videns filium nudum, & frigidum in terra iacentem, & ad erigendum se vires corporis nullas habentem, sed præ desiderio fauoris, & lactis materni, querulis vocibus cum vagitu plorantem, quæ tunc tenera dilectione compassa filio, festine occurrit, & ne deficeret frigore pia manu materna eleuauit eundẽ, quem statim leniter fouit, & materno calore sui pectoris mitissime calefecit, eumque dulciter mammillarum suarum lacte cibauit.
1 1 Sic ego Mater misericordiæ volo facere Papæ Gregorio, si in Romam, & Italiam redire voluerit animo permanendi, & voluntatem habuerit ibidem, vt pius pastor plangendi compassionis lacrymis gemebundis, animarum sibi ouium commissarum æternam perditionem, & earum damna, & dispendia dolorosa. Et innouare proposuerit statum Ecclesiæ cum humilitate, & pastorali debita charitate. Tunc enim ego sicut pia mater eleuabo eum de terra velut nudum, frigidum filium, idest separabo eum, & totum eius cor ab omni dilectione terrena, & ab omni mundano amore, quæ sunt contra Dei voluntatem, & calefaciam eum suauiter materno calore, scilicet charitatis meæ, quæ est in pectore meo. Saturabo etiam ipsum lacte meo, idest oratione mea, quæ similis est lacti. O quam innumerabiles sunt illi, qui lacte orationis meæ sustentantur, & dulciter saturantur. Isto enim lacte saturabo, idest oratione mea, quam faciam pro eo ad Dominum Deum meum, qui est filius meus, vt ipse dignetur misereri, & vnire Spiritum suum sanctum cum interno sanguine cordis eiusdem Papæ Gregorij. Tunc autem ipse saturabitur vera satietate perfecte in tantum, quod vlterius ad nihil aliud desiderabit in hoc sæculo viuere, nisi vt possit Dei honorem totis suis viribus augmentare. Ecce iam nunc ostendi ei maternam charitatem quam sibi faciam, si obedierit, quia Dei voluntas est, vt transferat Sedem suam ad Romam cum humilitate. Modo etiam ne imposterum ipse ignorantia excusetur, ego præcauens cum materna charitate annuncio ei illa quæ sequũtur, videlicet, quod si ipse prædictis non obedierit, indubitanter sentiet iustitiæ virgam, idest filij mei indignatio-

grationem, quia tunc abbreuiabitur vita eius, & vocabitur ad iudicium Dei. Nulla tunc ei temporalium potestas auxiliabitur Dominorum. Nec etiam sapientia, & scientia ei proderunt medicorũ, nec status aeris suæ natalis patriæ proficiet ei ad eius vitã aliquatenus prorogandã, quasi dicat, quod si etiam venerit Romam, & prædicta non fecerit, tunc abbreuiabitur eius vita, nec proderunt ei medici, ne reuertetur ad Auinionem, vbi possit & proficere aer natalis patriæ, sed potius morietur.

NOTAE.

1 SIc ego Mater misericordiæ volo facere Papæ Gregorio, si Romam, & in Italiam redire voluerit.

In hoc capite, sicut etiam in subsequentibus tribus postremis huius quarti libri de reditu Gregorij XI. in Italiam agitur, atque in his Maria Virgo B. Brigittam admonet, vt omnino pro viribus studeat suam, suiq. Filij voluntatem Pontifici Gregorio propalare, ea enim erat vt in Italiam, & Vrbem Romam quam citissime rediret, plurima namque Pastoris absentia sequebantur incommoda, sicque in Vrbe labefactati hominum mores erant, vt nihil vrbanitatis viderentur habere, & ciuitas illa, quæ viuendi alijs debebat esse norma, facta erat delinquendi magistra, mœnia quoque Vrbis, & Basilicæ ædificia, tum publica, tum priuata, ruinam minabantur, hinc est, quod Beatissima Virgo præcepit B. Brigittæ, vt hanc suam Pontifici voluntatem indicaret; sic enim scribitur cap. immediate sequente non longe ab initio: Audi tu, inquit, quæ vides spiritualia, & dicito illud, quod tibi modo præcipitur, & scribe Gregorio Summo Pontifici hæc verba, & circa medium capitis legitur: Nouerit igitur certissime hoc quod infra sequitur esse voluntatis Dei, videlicet, quod sine dilatione quacumque ipse veniat in Italiam, seu Romam, & omnino taliter faciat, & acceleret iter suum cum festinatione ad veniendũ, quod in mense Martio, vel ad vltimum intrante Aprili proxime futuro, ipse personaliter in prædicta Vrbe, seu Prouincia Italiæ omnino sit ingressus, refert autem Platina in vita ipsius Gregorij, eum venisse Romam anno Domini 1376. idibus Ianuarij, quod etiam tradiderunt D. Antoninus Genebrardus, Onuphrius Panuinus, & alij quos citat Ioannes Pineda in Monarchia Ecclesiastica lib. 21. c. 36. §. 3. Reliqua quæ ad horum capitum intelligentiam spectare possunt legenti patebunt citatos Auctores, & ipsummet Platinã in vita ipsius Gregorij XI. & litteras S. Catherinæ Senensis ad eundem Pontificem scriptas, quæ totum negotium, cum eo de reditu in Italiam peregit.

SEQVITVR SECVNDA visio, quam portauit dominus Comes de Nola eidem Papæ Greg. XI.

CAP. CXL.

LAVS Deo sit pro omni sua dilectione, & seruitium. Et honor sanctissimæ Mariæ pretiosæ Virgini suæ Matri, pro compassione quam habet super omnes, quos Filius suus redemit sanguine suo pretioso. Pater sancte hinc est quod cuidã personæ, quã vos bene nostis, vigilando, in oratione existenti contigit, quod sentiebat cor suũ totum inflãmari diuinæ charitatis ardore, & quadã visitatione Spiritus sancti. Quę quidẽ persona tunc audiuit quandam vocem sibi dicentẽ: Audi tu quæ vides spiritualia, & dicito illud, quod tibi modo præcipitur, & scribe Gregorio summo Pontifici, hæc verba quæ modo audies. Ego quæ loquor tibi sum illa, quã Deo placuit sibi in Matrẽ eligere, qui de carne mea sumpsit sibi corpus humanum. Ipse quidem Filius meus, fecit cũ Gregorio Papa magnum opus misericordiæ, quãdo. s. fecit per me sibi dici sanctissimam suam voluntatẽ, quam in priori reuelatione transmissa ei plenius intimaui. Et hoc factũ est potius propter orationes, & lacrymas amicorũ Dei, quã propter merita eius aliqua præcedentia. Ideo ego, & diabolus inimicus eius, graue certamen habuimus super eum. Nam ego monui eundẽ Gregorium Papam in alia littera, vt festinanter Romã, seu in Italiam se transferret cũ humilitate, & diuina charitate. Et vt ibidem sedẽ suam poneret, & vsq. ad mortẽ omnino permaneret. Diabolus vero, & aliqui consiliarij eiusdẽ, cõsuluerunt ei tardare, & in illis, vbi nunc est partibus demorari, & hoc propter carnalem amorem, & ẽt propter parentum, & amicorũ carnalium mundanã delectationem, & cõsolationẽ. Et ideo diabolus maiorem habet nunc iustitiã, & occasionem tentandi eũ, quia magis obediuit consilio diaboli, & amicorum carnaliũ, quam Dei, & voluntati meę. Verũ, quia ipse Papa desiderat de voluntate Dei adhuc plenius certificari, Ideo iustum est vt tale suum desiderium impleatur. Nouerit igitur certissime hoc quod infra sequitur, esse voluntatis Dei, videlicet, quod sine dilatione quacunq. ipse veniat ad Italiã, seu Romã, & omnino taliter faciat, & acceleret iter suũ cũ festinantia ad veniendũ, quod in mense Martio, vel ad vltimũ intrãte Aprili proxime futuro, ipse personaliter in pdicta Vrbe, seu prouincia Italiæ, oĩno sit ingressus, si ipse in Matrẽ me vn

quam voluerit habere. Si autem in prędictis inobediens fuerit, veraciter sciet, quod nunquam amplius tali consolatione, idest alia mea visitatione, seu reuelatione visitabitur in hoc mundo. Sed post mortem suam respondebit coram diuina iustitia, cur mandatis Dei noluerit obedire. Si vero in prædictis obedierit, tunc ego etiam complebo ea quæ promisi in reuelatione illa, a me sibi primitus destinata. Notum etiam eidem Papæ facio, quod nunquam sic erit firma, & tranquilla pax in Francia, quod habitantes in ea plena securitate, & concordia possunt vllatenus congaudere, antequã populus regni placauerint Deum filium meum, per aliqua magna opera pietatis, & humilitatis, quem suis multis prauis operibus, & offensionibus, ad indignationem, & iram hactenus prouocauerunt. Propterea nouerit, quod iter, seu passagium illorum armigerorum de iniquis societatibus iniquorum, quod ipsi facere volunt ad sanctum Sepulchrum Filii mei, non magis placet eidem Filio meo vero Deo, quam aurũ illud, quod populus Israel proiecit in ignẽ, de quo diabolus conflatilem vitulum compaginauit. Quia in eis est superbia, & cupiditas. Et si aliquam habent voluntatem eundi ad memoratum Sepulchrum, magis est propter superbiam, & cupiditatem pecunię, quam propter amorem, & honorem Dei. Et his dictis hæc visio disparuit. Post hęc autem subiunxit, & dixit mihi Mater Dei. Item dic Episcopo meo hæremitæ, quod claudat istam litteram, & sigillet eã, & postea scribat in alio papiro copiã eius, & ostendat eandem copiam apertã illi Abbati nuncio Papę, & Nolano comiti, vt ipsi legant eam, & sciant quid continetur in illa. Postquam vero illi eam legerint, dimittat eis supradictam litteram clausam sigillatã, quam ipsi statim mittant Papæ Gregorio sine mora, sed copiam illam apertam postquam legerint non dimittat eis, sed volo quod dilaceret, & rumpat eam coram oculis eorum in frusta, quia sicut litteraque est vna, dilacerabitur in multa frusticula. Sic nisi Papa tempore, & anno venerit præfixo in Italiam, terræ Ecclesiæ, quæ sub vna eius obedientia, & subiectione modo eidem obediunt, diuidentur in plures partes in manus inimicorum. Et firmissime scias, quod in augmentũ tribulationis ipsius Papæ, non solum ipse audiet, sed & videbit oculis suis esse vera, quæ dico, nec poterit cum tota manu potentiæ suæ, reducere terras prędictas Ecclesiæ ad pristinum statum suæ obedientiæ, & pacis. Illa enim verba quæ nunc dico tibi, adhuc non sunt dicenda, nec scribenda illi Abbati, quia semen occultatur in terra donec fructificet in spicam.

HAEC REVELATIO FVIT in Neapoli prædictę Sponsæ Christi ostensa pro eodem Papa in festo sancti Policarpi, quando rediit de Hierusalem, sed hanc reuelationem non misit Papæ, quia non fuit ei præceptum diuinitus.

CAP. CXLI.

CHRISTVS apparuit Sponsæ suæ Dominæ Brigittæ, 1 oranti pro Papa Gregorio XI. & dicit ei. Attende filia ad verba hæc quæ loquor. Scias enim quod iste Papa Gregorius est similis paralytico, qui non mouet manus ad operandum, nec pedes ad ambulandum. Sicut enim infirmitas paralysis generatur ex sanguine, & humore corrupto, & frigore, sic istum Papam tenet quasi impeditum, immoderatus amor sanguinis sui, & frigus tepiditatis mentis suæ ad me. Sed scias, quod adiutorio orationis Virginis Mariæ matris meæ, iam incipiet mouere manus, & pedes, scilicet faciendo voluntatem meã & honorem in veniendo Romam. Ideo scias certissime, quod ipse veniet Romam, & ibi inchoabit viam ad aliqua bona futura, sed non consumabit. Tunc autem respondit Domina Brigitta. O Domine Deus meus, regina Neapolis, & multi alii dicunt mihi, quod impossibile est eum venire Romam, quia rex Franciæ, & Cardinales, & alii quãplurima ponunt ei impedimenta ad veniendum. Et audiui, quod multi insurgunt ei, dicentes se habere spiritum Dei, & diuinas reuelationes, & visiones, qui prætextu illarum dissuadent ei venire. Et ideo timeo multum, quod impediatur aduentus eius. Respondit Deus. Audisti legi, quod Hieremias erat in diebus illis in Israel, qui habebat spiritum Dei ad prophetandum, & multi erant tunc, qui habebant spiritum somniorum, & mendacii, quibus rex iniquus credidit, & ideo venit ipse rex in captiuitatem, & populus cum eo. Nam si rex credidisset soli Hieremiæ ablata fuisset ira mea ab eo. Sic etiam nunc est, quia siue surgant sapientes, siue surgant somniatores, siue surgunt amici non spiritus, sed carnis ipsius

Papæ

Papæ Gregorij, & ſuadeant, & diſſuadeant contrarium, nihilominus tamen ego Dominus præualeo eis, & ducam ipſum Papam ad Romam, non ad eorum conſolationem. Sed vtrum tu videbis eum venire, an non, tibi non eſt licitum ſcire.

HAEC REVELATIO FVIT in Neapoli prędictę Sponſæ Chriſti oſtenſa in menſe Februario, pro eodem Papa Gregorio, quam portauit ei quidam hæremita, qui Epiſcopatui renunciauerat.

CAP. CXLII.

PATER ſancte. Illa perſona quā bene nouit ſanctitas veſtra, exiſtens in oratione vigilans, cum ſtaret tunc in raptu mentis contemplatione ſuſpenſa, vidit in ſpiritu ſimilitudinem throni. In quo ſedebat ſimilitudo hominis inæſtimabilis pulchritudinis, & incomprehenſibilis potentiæ Dominus. Et in circuitu throni, multitudo ſtabat magna Sanctorum, & innumerabilis exercitus Angelorum. Et ante ſedentem in throno, ſtabat remote quidam Epiſcopus indutus pontificalibus indumentis, & ornamentis. Ipſe autem Dominus, qui in throno ſedebat mihi loquebatur, ſic dicens. Mihi data eſt omnis poteſtas in cęlo, & in terra a Patre meo. Et licet tibi videor loqui quaſi de vno ore. Attamen non ſolus loquor, quia Pater loquitur mecum, & Spiritus ſanctus, quę tres perſonę vnum ſumus in diuinitatis ſubſtantia. Deinde ad illum Epiſcopum loquebatur dicens: Audi Gregori Papa XI. verba quæ ego loquor tecū, & diligenter attende ad ea quæ dico tibi. Cur tantum odis me? quare tanta eſt audacia tua, & præſumptio tua contra me, nam curia tua mundana depredatur cæleſtem curiam meam. Tu vero ſuperbe ſpolians me ouibus meis, bona quoque Eccleſiaſtica quæ mea propria ſunt, & bona ſubditorum Eccleſiæ meæ indebite extorques, & ſurripis, & das illa amicis tuis temporalibus. Tu etiam bona capis, & recipis iniuſte à pauperibus meis, & illa das, & diſtribuis indecēter diuitibus tuis, propter quod nimia eſt audacia, & præſumptio tua, eo quod tu tam temere intras curiam meam, & non parcis eis, quæ mea propria ſunt. Quid feci tibi Gregori? Ego enim patienter permiſi te aſcendere ad ſummum Pontificatum, & prædixi tibi voluntatem meā per litteras de Roma tibi diuina reuelatione tranſmiſſas, admonendo te per illas de ſalute animæ tuę, & præcantaui in eis de magno diſpendio tuo: Quid ergo pro tantis beneficijs rependis mihi? Et cur facis hoc videlicet, quod in curia tua regnat ſuperbia maxima? Cupiditas inſatiabilis, & luxuria mihi execrabilis, ac etiam vorago peſſima horribilis ſymonię? Inſuper etiā rapis, & deprædaris à me innumerabiles animas. Nam quaſi omnes qui veniunt ad curiam tuam, mittis in gehennam ignis, ex eo quod non diligenter attēdis ea quæ pertinent ad curiam meam, quia tu es prælatus, & paſtor ouium mearum. Et ideo culpa tua eſt, quod non diſcrete conſideras ea, quæ ad ſpiritualem ſalutem ipſarum facienda, & corrigenda ſunt. Et quamuis ex prædictis poſſem ſecundum iuſtitiam condemnare te, tamen ex miſericordia adhuc iterum moneo te de ſalute animæ tuæ, videlicet, vt veniēs Romam ad ſedem tuam, quam citius poteris, tempus enim pono in arbitrio tuo. Scias tamen, quod quanto plus tardaueris tanto plus diminuitur profectus animę, & omnium tuarum virtutum. Et quanto citius ad Romam veneris, tanto citius, accreſcent tibi virtutes, & dona Spiritus ſancti, & inflammaberis diuino igne charitatis meæ, veni igitur, & noli tardare. Veni non cum ſuperbia ſolita, & mundana pompa, ſed cum humilitate, & ardenti charitate. Et poſtquam ſic veneris extirpa, euelle, & diſſipa omnia vitia de curia tua. Remoue etiam à te conſilia carnalium, & mundanorum amicorum meorum. Aggredere ergo, & noli timere, conſurge viriliter, & induere fortitudinem confidenter, incipe renouare Eccleſiam meam, quam ego acquiſiui meo proprio ſanguine, & renouetur, & ſpiritualiter reducatur ad priſtinum ſtatum ſuum ſanctum, quia iam nunc magis veneratur lupanar quam ſancta mater Eccleſia. Si autem non obedieris prædictæ voluntati meæ, firmiter ſcias, quod tali ſententia, & ſpirituali iuſtitia condemnaberis coram tota cæleſti mea curia, quali condemnatur, & punitur temporaliter prælatus degradandus. Qui publicę exuitur ſacris veſtibus pontificalibus gloriæ, cum pudore, & maledictione, & repletur ignominia, & confuſione. Sic ego faciam tibi. Nam deponam te de cæleſti curia, & omnia quæ modo ſunt tibi ad pacem, & honorem, erunt tibi ad maledictionem, &

æternam confusionem. Et quilibet inferni diabolus recipiet morsellum de anima tua, quamuis ipsa immortalis, & inconsumptibilis sit, & pro benedictione repleberis æterna maledictione. Et quamdiu patiar te inobedientem mihi, tamdiu prosperaberis. Verumtamen fili mi Gregori, adhuc te moneo, vt humiliter reuertaris ad me, & obedi consilio meo patris tui, & creatoris tui. Quia si tu prædicto modo obedieris mihi, & ego vt pius pater suscipiam te. Aggredere ergo viriliter viam iustitiæ, & prosperaberis. Noli contemnere diligentem te, quia si obedieris, faciam tecum misericordiam, & benedicam te, ac etiam vestiam te, & ornabo te pretiosis vestimentis pontificalibus veri Papæ, & induam te meipso, ita quod tu eris in me, & ego in te, & glorificabitur in æternum. His autem sic visis, & auditis, hæc visio disparuit.

REVELATIO QVARTA quam Beata Brigitta misit Domino Papæ Gregorio in mense Iulij, anno Domini M.CCC.LXXIII. Et ipsa scripsit cuidam heremitæ, qui olim fuit Episcopus, qui tunc erat cum Domino Papa super hoc in Auinione.

CAP. CXLIII.

DOMINVS noster Iesus Christus dixit mihi, domine Episcope, quod ego scriberem vobis infrascripta verba, quę debetis ostendere summo Pontifici. Papa petit signum, dic ei quod Pharisæi petierunt signum. Quibus respondi, quod sicut Ionas fuit in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus, sic ego Virginis filius fui in terrra mortuus tribus diebus, & tribus noctibus, & resurrexi, & ascendi in gloriam meam. Sic Papa iste Gregorius accipiet signum admonitionis meæ, vt saluet animas. Faciat ergo opera quæ honoris mei sunt, & laboret quomodo saluentur animæ, & vt Ecclesia mea veniat in pristinum statum, & meliorem dispositionem, & tunc experietur signum, & fructum æternæ consolationis. Secundum habebit signum, quod nisi obedierit verbis meis, & venerit in Italiam, non solum perdet temporalia, sed etiam spiritualia, & sentiet tribulationem cordis quamdiu viuit, quamuis quandoque cor eius videtur habere releuamen, tamen remorsus conscientiæ, & interna tribulatio remanebit in sibi. Tertium signum, quod ego Deus loquor cum vna muliere verba mirabilia, ad quid hoc, & ad quem fructum, nisi ad animarum salutem, & vtilitatem, & vt mali emendentur, & vt boni fiant meliores? De discordia vero inter Papam, & Barnaboné. Respondeo, quod vltra modo est mihi odiosa, quia infinite animæ de illa periclitantur. Ideo placitũ est mihi, quod concordia fiat. Nam si etiam papa expulsus esset à papatu suo, melius esset quod Papa humiliaretę se, & faceret concordiã quacumque occasione fieri posset, antequam tot animæ perirent in æternam damnationem. De emendatione vero regni Francię, non habebit scire, antequam personaliter venerit in Italiam. Itaque sicut si staret patibulum super quod penderet funis, quem ex vna parte infiniti traherent, ex alia non nisi vnus. Sic damnatio animarum aperta est, & quasi ad illã plerique laborant. Ideo Papa iste respiciat ad me vnum, quia licet omnes dissuadeant ei venire Romam, & obsistant quantumcumque possunt, confidat in me vno, & iuuabo eum, & nulli præualebunt in eum. Sed sicut pulli in nido veniente matre, eleuant se, & clamant, & gaudent, sic ego gaudenter occurram ei, & eleuabo eum, & ad animam, & corpus honorabo. Item ait Dominus. Quoniam dubitat Papa, an debeat venire Romam pro reformatione pacis, & Ecclesiæ meæ, volo quod omnino veniat in proximo sequenti autumno.

Et sciat etiam, quod nihil gratius potest mihi facere, quam quod in Italiam veniat.

VI-

Digitized by Google

VISIO QVAM HABVIT Sponsa Christi de iudicio animæ cuiusdam Summi Pontificis defuncti.

CAP. CXLIV.

VIDEBAT Sponsa quasi vnam personam Pontificis vestitam scapulari, quæ stabat in domo platearũ, luto respersa. Cuius domus tectũ fere iacebat super cerebrũ dictæ personę compressum. Et æthiopes nigri habentes vncinos, ac alia instrumenta nocendi circumuallabant domum, sed non valebant tangere personam illam, licet terrebant eam terrore maximo. Et tunc audiui vocem dicentem mihi. *Hęc* est anima illius magni Pontificis quem tu nosti. Domus enim ista est retributio eius spiritualis. Nam aliqua mundana tractabat, & ideo remuneratio eius nondum lucida est, donec in purgatorio purgetur, & dealbetur spiritualibus orationibus,& charitate Dei. Quod vero tectum quasi comprimit cerebrum eius,signum mysterij est,quia tectum significat charitatem Dei. *Quę* quanto maior est,tanto latior, & sublimior ad spiritualia est, & ad feruorem *Dei*. Sed quia charitas animæ huius in aliquibus mundialibus operibus ardebat, & magis seque batur voluntatem propriam. *Ideo* tectum, quod luminosum, & altum est electis *Dei*, angustum est sibi, donec sanguine filii *Dei*, & cælestis curię interuentu dilatatur. Quod vero anima induta est scapulari, signum est, quod studuit se conformare religioni monastice, & vocationi suæ,sed non tantum conatus est, quod esset exemplar proficientium, & forma perfectorum. Nunc autem licitum est tibi scire tria de operibus, quæ fecit in vita sua, propter quæ nunc patitur pœnam. Primum est,quod fecit quandam inobedientiam contra *Deum*, & conscientiam suam,de quo contritionem habuit, & remorsum conscientiæ suæ. Secundum est, quod dispensabat in aliquibus cum quibusdam propter carnalem amorem, sequendo voluntatem suam. Tertium est, quod dissimulabat aliqua, ne offenderet quos diligebat,quæ corrigere potuisset. Veruntamen scias,quod anima ista non est cum illis, qui descendunt in infernum, nec cum illis qui veniunt ad grauiora examina purgatorii, sed cum illis qui quotidie festinanter appropinquant gratię, & visioni maiestatis Dei omnipotentis.

Explicit Quartus Liber Reuelationum Cęlestium Sanctæ Birgittæ.

Digitized by Google

PROLOGVS LIBRI QVAESTIONVM

Qui est Quintus Liber cælestium Reuelationum S. Brigittæ.

INCIPIT Liber Quintus Cælestium Reuelationum Christi ad Beatam Brigittam de Regno Suetię. Qui Liber Quæstionum merito intitulatur, ex eo, quod processus eius est per modum quæstionum, ad quas Christus Dominus dat mirabiles solutiones. Et reuelatus fuit, eidem Dominę miro modo. Sicut ipsa, & confessores eius, sæpe oretenus testabantur. Nam semel contigit, quod cum ipsa quadam die æquitaret in æquo, itinerando ad suum Castrum Vatzsten, pluribus familiaribus cum ea æquitantibus sociata, tunc illa sic ęquitando per viam incepit ad Deum orando erigere mentem suam, quę illico rapta fuit in spiritu, & ibat quasi extra se alienata, à sensibus corporis in extasi, mentalis contemplationis suspensa. Videbat tunc in spiritu vnam scalam fixam in terram, cuius summitas cælum tangebat. Et in summitate eius in cælo, videbat Dominum Iesum Christum sedentem in throno mirabili, velut iudicem iudicantem, ad cuius pedes stabat Virgo Maria. In circuitu autem throni erat infinitus exercitus Angelorum, & multitudo copiosa Sanctorum. Et in medio eiusdem scale, videbat prædicta Domina Brigitta, religiosum quendam sibi notum, adhuc corpore tunc viuentem, magnæ literaturæ in scientia theologiæ, plenum quoque dolo, & malitia diabolica. Qui videbatur in gestu suo impatientissimo, & inquieto, magis diabolus quam religiosus. Videbat namque tunc dicta Domina, cogitationes, & omnes affectiones internas cordis eiusdem religiosi, & quomodo ipse illas propalabat Christo iudici in throno sedenti cum gestu inordinato, & inquietissimo per modum quæstionum, vt infra sequitur. Videbat etiã, & audiebat tunc in spiritu ipsa Domina Brigitta, qualiter Christus iudex ad illas quæstiones, cum gestu mansuetissimo, & honesto, sigillatim, & compendiose, sapientissime respondebat. Et qualiter aliquando Domina nostra Virgo Maria, aliqua verba eidem Dominæ Brigittæ loquebatur, vt seriosius liber iste inferius declarabit. Postquam autem in eodem instanti dicta Domina habuit in mente totum istum librum, in vna eadem reuelatione, accedente iam ipsa ad dictum Castrum. Tunc familiares eius accipientes frænum æqui, cęperunt eã mouere, & quasi excitare ab illo raptu, quę ad se reuersa minus doluit ex eo quod tunc priuabatur tanta diuina dulcedine. Qui liber quæstionum ita effectualiter remansit tunc in corde, & memoria eius infixus, ac si in tabula marmorea totus sculptus fuisset: Ipsa vero statim scripsit eum in lingua sua, quem translatauit Confessor eius in lingua litterali, prout alios libros translatare solitus erat.

Liber iste quæstionum diuiditur per interrogationes, & subdiuiditur per quęstiones. Habet enim xvi. interrogationes, & in qualibet earum iudex Christus interrogatur de certis quæstionibus. Ad quas ipse respondet distincte, & mirabiliter. Ita quod qualibet interrogatio continet certum numerum quæstionum. Postea vero sequuntur earum solutiones, & responsiones, prout in processu libri latius continetur.

Digitized by Google

INCIPIT QVINTVS LIBER

REVELATIONVM CÆLESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

VIDIT Thronum in Cælo, in quo sedebat Dominus Iesus Christus, vt Iudex, ante cuius pedes sedebat Virgo Maria, & in circuitu Throni erat exercitus Angelorum, & infinita multitudo Sanctorum. Ad quem iudicem religiosus quidam litteratus magnus in Theologia, stans in alto gradu cuiusdam scalæ, quæ in terra fixa erat, cuius summitas cælum tangebat, impatientissimos, & inquietos habens gestus quasi dolo, & malitia plenus interrogando dixit.

INTERROGATIO I.

Quæstio I.

O IVDEX. Interrogo te Tu dedisti mihi os, nunquid non debeo loqui mihi placentia. Quæstio secunda. Tu dedisti mihi oculos, nunquid non debeo videre cum eis ea quæ me delectant. Quæstio tertia. Tu dedisti mihi aures, quare non audiam cum eis illa, quæ mihi placent. Quæstio quarta. Tu dedisti mihi manus, cur non faciam cum illis, quid est gratum mihi. Quęstio quinta. Tu dedisti pedes, quare non ambulabo cum eis secundum desiderium meum.

RE-

RESPONSIO CHRISTI AD primam quæstionem.

RESPONDIT Iudex sedens in throno, cuius gestus erant mansueti, & honestissimi dicens. Amice, ego dedi tibi os ad loquendum rationabiliter vtilia animæ, & corporis tui, & ea, quæ sunt honoris mei. Responsio secundæ quæstionis. Secundo dedi tibi oculos, vt videas mala fugienda, & salubria tibi custodienda. Responsio tertiæ quæstionis. Tertio dedi tibi aures, vt audires ea, quę sunt veritatis, & honestatis. Responsio quartæ quæstionis. Quarto dedi tibi manus, vt cum eis faceres, quæ sunt necessaria corpori, & quæ non sunt animę nociua. Responsio quintæ quæstionis. Quinto dedi tibi pedes vt recederes ab amore mundi, & ires ad requiem, & amorem animæ tuę, & ad me creatorem, & redemptorem tuum.

INTERROGATIO SECVNDA. Quæstio prima.

ITEM apparuit religiosus, qui supra in gradu suo dicens. O Christe iudex tu voluntarie amarissimā sustinuisti pœnam. Cur propter hoc ego non debeo honorabiliter me habere, & in mundo superbire. Quæstio secunda. Item tu dedisti mihi bona temporalia, cur propter hoc nō debeo, quæ appeto possidere. Quæstio tertia. Item cur dedisti membra corpori meo si non debeam ea mouere, & exercitare secundum voluntatem meam. Quæstio
1 quarta. 1 Item cur dedisti legem, & iustitiam, nisi ad vindictam faciendam. Quæstio quinta, Item tu permisisti quietem habere, & requiem. Cur lassitudinem, & tribulationem ordinasti, vt eam sentiamus.

* * *

RESPONSIO PRIMAE Quæstionis

RESPONDIT Iudex. Amice superbia hominis ex patientia mea diu toleratur, vt exaltetur humilitas, virtusq; mea manifestetur, & quia superbia non est a me creata, sed a diabolo inuenta, ideo fugienda est, quia ducit ad infernum, humilitas vero custodienda est, quia ducit ad cœlum, quam ego Deus docui verbo, & exemplo meo. Responsio secundæ quæstionis. Item bona temporalia, ideo a me data, & concessa sunt homini, vt homo eorum vsum habeat rationabiliter, vt ea, quæ creata sunt comutentur in increatum, scilicet in me, Deum creatorem, laudando, & honorando me de bonis meis, non autem viuendo secundum desiderium carnis. Responsio tertiæ quæstionis. Item membra corporis, ideo homini data sunt, vt animæ ostendant quandam similitudinem virtutum, & vt starent ad officium, & virtutem animæ, tanquam eius instrumenta. Responsio quartæ quæstionis. Item iustitia, & lex, ideo a me instituta est, vt scilicet impleretur cum superna charitate, & compassione, & vt inter homines vnitas diuina, & concordia firmaretur. Responsio quintæ quæstionis. Item quod dedi homini, vt requiem, & corporalem quietem possit habere, hoc feci ad corroborandam infirmitatē carnis, & ad percipiendam animę fortitudinem, & virtutem. Sed quia caro quandoque improuide insolescit, ideo tolerandæ sunt tribulationes, & omnia illa gratanter per quę corrigatur.

* * *

Digitized by Google

CONSALVI DVRANTI
PRESBYTERI ET SACRÆ
THEOLOGIAE PROFESSORIS.

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES
Ad Librum Quintum Cæleſtium Reuelationum Sanctæ Brigittræ.

INTERROGATIO SECVNDA.
QVÆSTIO QVARTA.

1 CVR dediſti legem, & iuſtitiam, niſi ad vindictam faciendam.

In ſuperioribus propoſitis dubitationibus, ac etiam in earum reſponſionibus nihil annotandū occurrit, ſole namque omnia clariora ſunt, ſciendum tamen hic breuiter eſt, dum quæritur Cur Deus Opt. Max. legem, & iuſtitiam dedit, quod de lege non ſolum diuina, ſed & de humana ſermo ſit, rurſus per iuſtitiam non intelligitur ea, qua Deus peccatorem iuſtificat, & ex iniuſto iuſtum facit, ſed ea per quam vnicuique ius ſuum tribuitur. In reſponſione vero ad dubitationem propoſitam, duplex tantummodo legum finis tangitur cum dicitur iuſtitia, & lex. ideo a me inſtituta eſt, vt cum ſuperna charitate, & compaſſione impleatur, ſecundo, vt inter homines vnitas diuina, & concordia firmetur, quod etiam docuit D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio circa finē, vbi humanarum legum finem eſſe aſſerit humanam ſocietatem, pacis, ac libertatis in vrbibus conſeruationem, & epiſtola 200. ad Aſelicum de ſpirituali lege verba faciens, hæc inquit eſt vtilitas legis, quia oſtendit hominem ſibi met ipſi, vt ſciat infirmitatem ſuam, & videat, quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiſcentia, quam ſanetur, appetuntur enim ardentius quæ vetantur, dum id quod ſpiritualiter iubetur carnalis obſeruare compellitur, idem indicat epiſtola 157. ad optatū. ſed egregie Iſidorus de legū finibus diſſerens lib. 5. Etimolog. cap. 20 factæ ſunt inquit leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutoque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur nocendi facultas, cæterum in vniuerſum quatuor ob cauſas a Deo leges hominibus eſſe datas affirmare poſſumus. primo quidem, vt vitia pœnitus extirpentur: ſecundo, vt hominum mores componantur: tertio, vt ad fœlicitatem ducant, quarto, vt veritatem plane, & lucide tradant, ad quæ omnia præſtanda, & humanæ leges, ac etiam diuinæ conditæ ſunt, quæ tamen lex Euangelica perfectius alijs præſtat quod etiam inſinuauit Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 11. cum dicit data eſt lex ad domandam hominis ſuperbiam, eiuſque prodendam infirmitatem, data eſt etiam in ſignum futurorū, vt futuris futura, figuris atteſtaretur, data poſtremo eſt lex duris in flagellum, hinc eſt quod ſerm. 22. de verbis Apoſtoli leges appellauit inſtrumenta mundatoria, verum neceſſitas legis oſtendi poteſt ex comparatione animæ ad corpus, ſicut enim ſine anima corpus hominis emoritur, ſic ſublatis legibus ciuitas, quare Demoſtenes ciuitatis animam leges vocauit, ſic Demoſtenes apud Maximum ſerm. 58. & Stobeus ſermon. 41.

IN-

INTERROGATIO TERTIA.
Quæstio prima.

ITEM apparuit in gradu suo religiosus, qui supra, dicens. O iudex, quæro a te. Cur dedisti nobis sensus corporeos si non secundum sensus carnis moueamur, & viuamus. Quæstio secunda. Item cur dedisti cibaria, & carnis sustentamenta, scilicet cibos, & alia delectabilia, si non viuamus ad saturitatem secundum carnis
1 appetitum. Quæstio tertia. 1 Item cur dedisti nobis lib. arb. nisi vt sequamur voluntatem nostram. Quæstio quarta. Item cur dedisti hominibus, & mulieribus semen commixtionis, & naturam, si non secundum appetitum carnis effundatur. Quæstio quinta. Item cur dedisti cor, & voluntatem, nisi vt diligatur, quod sapit dulcius, & ametur, quod delectabilius est ad fruendum.

RESPONSIO
Quæstionis primę.

RESPONDIT IVDEX Amice ego dedi homini sensum, & intelligentiam ad considerandum, & imitandum vias vitæ, & fugiendum vias mortis. Responsio quęstionis secundæ. Item, Cibos, & carnis necessaria dedi pro corporis moderata sustentatione, & vt animæ virtutes exequeretur fortius, & non debilitaretur ex nimia sumptione. Responsio quæstionis tertiæ. Item dedi homini liberum arbitrium ea ratione, vt ipse dimitteret propriam voluntatem propter me Deum suum, & vt ex hoc homo maius meritum consequeretur. Responsio quæstionis quartæ. Item dedi semen commixtionis, ea de causa vt loco, & modo germinaret debito, & vt causa iusta, & rationabili fructificaret. Responsio quæstionis quintæ. Item ideo dedi homini cor, vt in eo me Deum suum, qui vbique sum, & incomprehensibilis concluderet. Et vt cogitando in me esset delectatio sua.

INTERROGATIO TERTIA.
Quæstio tertia.

ANNOTATIONES.

1 CVr dedisti nobis liberum arbitrium, nisi, vt sequamur voluntatem nostram.

Quæritur hic, quare Deus Opt. Max. homini liberum dederit arbitrium, cui dubitationi duplici ratione satisfit, primo quidem, vt homo minime propriam sequeretur voluntatem, sed diuino fauore adiutus cælestibus obtemperaret mandatis, quæ ve Dei sunt faceret, ac æternam gloriam mereri posset, si ergo suam poterat homo dimittere voluntatem, eaque dimissa diuinam sequi, profecto liber erat, hanc ob causam tanto libertatis munere dignus factus est homo, propterea Lyranus super illud Ecclesiast. 15. & reliquit hominem in manu consilij sui, appellat hanc libertatem conseruandi iustitiam potestatem, non propriæ voluntatis faciendæ facultatem, & ideo D. Basilius in sermone, quem de libero arbitrio edidit, affirmat homini liberum datum esse arbitrium, vt diabolo peculiariter resisteret, quod egregie explicans D. August. lib. 2. de libero arbitrio cap. 1. nunc inquit, cum Deus peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, nisi cur non ad eam rem vsus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est ad recte faciendum, quod sane, vt docet Greg. Nazianzenus in Apologetico aliquanto post initium, singularis, & eximiæ bonitatis Dei argumentum est, nimirum facere, vt nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura tantum nobis inseratur, sed voluntate etiã, animique proposito excolatur, arbitrijque libertate parem in vtrãque partem motum habente. Idem habet in orat. de Christi Natiuit. atque hoc similitudine quadam satis apta demonstrari posse credo, sicut enim Deus per se poterat in vniuersali diluuio, Noe cum suis, ne submergerentur efficere, voluit autem, vt ipse fabricaret Arcam, & ingrederetur eam, vt esset suæ saluationis cooperator, ita placuit ei, vt omnes, qui spiritualiter saluantur, suæ salutis cooperẽtur per liberi arbitrij motum Hac eadem similitudine vtitur Dr. edo de captiuitate, & redemp. hominis, et probat, hoc ipsum D. Damas. lib. 2. de fide ortodoxa cap. 27. & Chrisost. ho. 14. ex varijs in Matt. locis, & B. Basilius loco supra citato.

LOQVITVR VIRGO MARIA Beatę Brigittæ informando eam dę quinque virtutibus, quas debet habere intra se, & alias quinque extra.

REVELATIO PRIMA in libro Quæstionum.

MATER loquitur. Filia oportet te habere quinque interna, & quinque ab extra. Primo ab extra, os mundum à detractionibus. Aures clausas à vaniloquijs. Oculos pudicos. Manus in bonis operosas, & elongare te à sæculi conuersatione. Item ab intra oportet te habere quinque, scilicet. Diligere Deum feruenter. Desiderare eum sapienter. Tribuere bona temporalia, cum iusta, & recta intentione rationabiliter. Fugere mundum humiliter. Et promissa mea expectare longanimiter, & patienter.

INTERROGATIO QVARTA Quæstio I.

ITEM apparuit in suo gradu religiosus qui supra dicens.
1 1 O Iudex cur debeam inquirere sapientiam Dei, cum ego habeam sapientiam mundi. Quęstio secunda. Cur debeam lugere, & plorare, cum gaudium, & gloria mundi mihi abundat. Quæstio tertia. Item dicito, cur lętari debeam, aut quomodo, in carnis afflictione. Quæstio quarta. Item cur timere debeam cum virium propriarum habeam fortitudinem.
2 2 Quæstio quinta. Item quare aliis obediam, si voluntas mea est in propria potestate.

RESPONSIO QVAESTIOnis primę.

RESPONDIT Iudex. Amice omnis qui sapiens est ad mundum, cæcus est ad me Deum suum. Et ideo, vt acquiratur diuina sapientia mea, necesse est, vt diligenter, & humiliter inquiratur. Responsio quæstionis secundæ. Item omnis qui habet honores mundi, & eius gaudium diuersis agitatur curis, & inuoluitur amaritudinibus ducentibus ad infernum, ergo ne quis a via cęli deuiet, necesse est sollicitari pie, & rogare, & plorare. Responsio quæstionis tertię. Item valde vtile est lętari in afflictione, & infirmitate carnis, quia ei qui habet afflictiones carnis, appropinquat misericordia mea, & per ea facilius appropinquat æternæ vitæ. Responsio quæstionis quartę. 3
3 var. lect. Item omnis quicumque fortis est, & ego fortior illo. Ideo vbique timendum est ne fortitudo auferatur. Responsio quęstionis quintæ. Item quicumque habet libero arbitrio in manu sua, timere debet, & veraciter intelligere, quod nihil ita faciliter ducit ad pœnam ęternam, sicut voluntas propria sine ductore. Ideo qui propriam voluntatem relinquit mihi Deo suo, obediens mihi habebit cęlum sine pœna.

INTERROGATIO QVARTA Quæstio I.

NOTAE.

1 O Iudex cur debeam inquirere sapientiam Dei, cum ego habeam sapientiam mundi.

Quoniam hoc loco duplicis sapientiæ mentio fit, Diuinæ, scilicet, & humanæ: Ideo vtriusque natura breuiter indaganda est, vt propositæ dubitationis solutio legentibus pateat, dicitur namque in responsione, quod cum humana sapientia cæca sit, ideo Diuinam inquirendam esse; est autem Diuina sapientia, vt placet D. Augustino lib. 2. de libero arbitrio cap. 4. veritas, in qua cernitur, ac tenetur summum bonum; in qua definitione animaduertendum est, quod cum dicitur, quod sapientia veritas est, in qua summum bonum cernitur, & qua item tenetur, dupliciter hanc sapientiam veram consi-

considerandam esse, speculatiue, & practice. verus namque sapiens non in speculatione tantummodo Dei moratur, sed & quomodo possit illius voluntati obtemperare, eiusque seruare leges, ac præcepta studet, hanc ergo sapientiam diuinam practice consideratam Ioh. cap. 28. Cultum Dei vocat, de qua etiam verba faciunt D. August. lib. 12. de Trinit. cap. 11. D. Gregor. Nazianz. oratione in plagam grandinis, in principio sapientia (inquit) est vita proba, & honesta, Deoque perpurgata; quæ piscatores vniuersum cinxisse orbem Euangelij retibus affirmat, atque contracto verbo fluxam illam sapientiam profligasse: de eadem agit oratione de laudibus D. Atanasij paulo post initium, & oratione contra Maximum circa finem, & D. Leo suse serm. de Epiphania Domini, vbi inter cætera tradit diuinam hanc sapientiam, non in abundantia verbi, nec in astutia disputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ, sed in vera, & voluntaria humilitate consistere: hactenus D. Leo ex cuius doctrina satis aperte deduci potest, a contrario sensu, quæ & qualis humana sapientia censenda sit, & eam esse semper arbitratus sum, quam habent superbi, qui dignitates, & honores ambiunt, Auari qui diuitias inordinate quærunt, Luxuriosi, qui carnis voluptates sectantur. & hæc ex diametro cum diuina pugnat. & de hac D. Iacobus Apostolus cap. 3. suæ epistolæ scripsit, quod de sursum non descendit a patre luminum, & quod terrena animalis, ac diabolica dicitur, & Eccles. 23. Deus dicit velle hanc sapientiam perdere, perdam inquit sapientiam sapientum, & Lucæ 16. huiusmodi sapientes filij seculi appellantur: hanc etiam describens D. Basilius in concione de humilitate, at inquit, quod inter humana bona maximum, & constantissimum esse videtur, ipsa sapientia, & prudentia etiam hæc vanam elationem habet, & altitudinem non veram præparat, cum nullius rei reputetur; si sapientia Dei absit, sicut ergo diximus supra de diuina sapientia ita quoque hic dicendum de humana quam arbitror dupliciter considerari posse practice, & speculatiue, practice, quidem, quæ in malarum operationum studio, ac in peruersarum actionum sollicitudine consistit, speculatiue vero, quæ in creaturarum speculatione permanet, quæ quidem flocci facienda est, nisi ad Dei cognitionem, & honorem ordinetur, imo sic vana & inutilis esset censenda, vt probant D. Basil. loco citato, & cæca quoque omnino, vt scribitur in responsione ad dubitationem propositam ibi, omnis, inquit Christus Dominus, qui sapiens est ad mundum cæcus est ad me Deum, ex quo infert D. Thomas par. 1. quæst. 1. art. 1. præter humanas disciplinas, aliam diuinam sapientiam cælitus reuelatã hominibus fuisse necessariam, quandoquidem aliæ scientiæ multis erant erroribus admistæ, & quodammodo priuatæ lumine, parumque proficuæ, nisi ad Dei cognitionem subordinatæ sint, imo, & diuinæ sapientiæ ancillæ dicuntur secundum illud prouerbiorum nono, misit ancillas suas vocare ad arcem, hinc ergo euidenter concluditur, prout legimus hic, quod humana sapientia non sufficit, sed diuina humiliter, ac diligenter inquirenda.

INTERROGATIO QVARTA.

Quæstio quinta.

NOTAE.

1 QVare alije obedis si voluntas mea est in propria potestate.

2 Cum voluntas nostra libera sit, & per peccatum primorum parentum procliuis facta ad malum, ad quod de facili rueret, nisi aliquis sit, qui eam manu duceret ad bonum, vel imperando, vel consulendo, aut quouis alio modo illam subleuando, & ideo supernaturali indiget auxilio, per quod manuducatur ad bonum, & hoc est, quod legimus hic in præsentis dubitationis solutione, quod nihil ita facile ducit ad æternam pœnam, sicut voluntas propria sine ductore addere, & nos possumus huic obiectioni secundam responsionem, quod licet voluntas libera sit, vt tamen homo mereretur atque ex obedientia meritum consequeretur, opportuit, vt sub dominio positus ab aliquo prohiberetur, ac præciperetur, rursus, quia non haberet homo, vnde obtinere se dominium aliquando recordaretur, nisi ei aliquid iuberetur, aut iuberet, quod explicans D. August. libr. 8. de Genesim ad literam cap. 13. a ligno inquit, quod malum non erat probibitus est, intellige Adamum, vt ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset, transgressio malum, nec potuit melius, & diligentius commendari quantum malum sit inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus sit homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset non vtique peccasset, nam qui dicit noli tangere hanc herbam, si forte venenosa est, mortem que prænunciat si tetigeris, sequitur quidem mors contemptorem præcepti, sed etiam si nemo prohibuisset, atque ille tetigisset, nihilominus moreretur, illa quippe res contraria saluti, vitæque eius esset siue vetaretur, siue non vetaretur, item cum quisque prohibet eam rem tangi, quæ non quidem tangenti, sed illi qui prohibuit obesset, veluti si quisquam in alienam pecuniam misisset manum prohibitus, ab eo cuius erat pecunia illa, ideo esset prohibitio peccatum, quia prohibenti poterat esse damnosum, cum vero illud tangitur, quod nec tangenti obesset, si non prohiberetur, nec cuiquam alteri quamlibet tangeretur, quare prohibitum est, nisi vt ipsius per se bonum obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur, hactenus Augustinus, cui adstipulatur Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum, vbi asserit, quod si præceptum, & lex tolleretur, etiam fides, & obedientia periret,

idem

Idem annotarunt D. Hieronym. ad Aglusiam qu. 8. & quamplures sacrarum litterarum interpretes Genes. 2. in expositione verborum illorum. praecepitque ei dicens, ex omni ligno, & in specie tradit Procopius lib. 1. in Genesim cap. 2. posuit inquit praeceptum, vt agnosceremus nostram infirmitatem, & deinde nos ipsi magis appeteremus futurum bonum; addit Greg. Nissenus latum fuisse praeceptum à Deo, vt se simul Deum opificem, Regemque declararet.

INTERROGATIO QVARTA.

RESPONSIO
Quæstionis quartę.

NOTAE.

3 var. lect. IN *Responsione quaestionis quartae, vbi hactenus impressi codices legunt.* Omnis quicumque fortis est, & ego fortior illo.

Manuscriptus Farnesianus rectius habet, omnis quicunque fortis est a me fortis est, sed ego fortior illo, atque ita legendum esse arbitror, quoniam in propositae dubitatione scribitur homini minime timendum esse, quippe qui ex se fortitudinem habere videtur, cui obiectioni hoc loco satisfit negando hominem ex se habere fortitudinem, sed eam omnino a Deo obtinuisse, & ideo illi timendum esse ne ab eo a quo fortitudinem habet ei auferatur.

INTERROGATIO QVINTA.
Quæstio I.

1 ITEM apparuit religiosus, qui supra dicens. 1 O iudex, quare creasti vermes, qui nocere possunt, & non prodesse. Quæstio secunda. Item cur creasti feroces bestias, quæ etiam nocent hominibus. Quæstio tertia. Item cur corporibus immittis infirmitates, & dolores. Quæstio quarta. Item cur pateris iniquitatem iniquorum iudicum, qui subditos affligunt, & flagellant, quasi seruos empticios. Quæstio quinta. Item cur corpus hominis tribulatur etiam in puncto mortis.

RESPONSIO
Quæstionis primæ.

RESPONDIT Iudex. Amice, ego Deus, & iudex creaui cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt. Sed nihil sine causa, nec sine spiritualium similitudine. Sicut enim animæ sanctorum assimilantur Angelis sanctis, qui sunt in vita, & fœlicitate. Sic animæ iniustorum similantur dæmonibus, qui sunt in æterna morte. Ergo, quia quęsisti cur creauerim vermes? Respondeo tibi, quod ipsos creaui ad ostendendam multiplicem sapientiæ, & bonitatis meæ potentiam. Nam licet nocere possint, non tamen nocent, nisi permissione mea, & exigente peccato, vt homo qui subdi suo summo superiori contemnit etiam ab infimo se tribulari posse. Ingemiscat sciatque se homo sine me nihil esse, cui etiam irrationabilia seruiunt, & omnia stant ad nutum meum. Responsio quæstionis secundæ. Item cur bestias feroces creaui? Respondeo. Omnia quæ ego creaui, non solum erant bona, sed etiā valde bona, & aut ad vtilitatem hominis, & probationem creata sunt, aut ad cæterarum creaturarum. Et vt homo tanto humilius seruiat mihi Deo suo, quo fælicior est vniuersis. Veruntamen bestiæ in temporalibus nocent, duplici de causa. Primo ad correptionem, & cognitionem malorum, vt ex flagellis intelligant se homines mali debere obedire mihi superiori suo. Secundo nocent etiam bonis ad profectum virtutum, & purgationem. Et quia homo peccando eleuauit se contra me Deum suum, ideo & omnia subiecta sibi contra eum sunt eleuata. Responsio quæstionis tertiæ. Item cur corpori aduenit infirmitas. Respondeo, quod hoc accidit ad maiorem cautelam, & etiam propter incontinentię, & superfluitatis vitium, vt homo addiscat spiritualem moderantiam, & patientiam per carnis refrenationem. Responsio quæstionis quartæ. Item quare iniqui iudices tolerantur. Hoc est ad aliorum purgationem, & propter meam patientiam, vt sicut aurum purgatur igne, sic ex prauorum malitia animæ purgantur, & erudiuntur, & retrahuntur a non faciendis. Ideo etiam patienter tolero homines malos, vt spicæ diaboli segregentur a frumento bonorum. Vt cupiditas eorum impleatur ex occulta mea diuina iustitia. Responsio quæstionis quintæ. Item cur corpus patitur

pœnam in morte, iustum est, quod per illa per quę peccat homo, per similia puniatur, & quia peccat delectatione inordinata, dignum est, vt plectatur amaritudine, & pęna ordinata. Ideo hic quibuscunque incipit mors in inferno duratura sine fine. Aliis finitur mors in purgatorio, & inchoatur lætitia sempiterna.

INTERROGATIO QVINTA.
Quęstio prima, & secunda.

NOTAE.

1 O Iudex quare creasti vermes, qui nocere possunt, & non prodesse; Secundo, quare creasti feroces bestias, quæ etiam nocent hominibus.

De hac eadem re etiam Manichei dubitarunt, quærentes, quare Deus tam multa creauerit animalia, quæ homini minime videntur esse necessaria, immo illi potius perniciosa, quæ timorem magis, quam aliquod commodum ei afferunt, sicque dubitasse Manicheos refert D. August. lib. 1. de Genesi contra Manicheos cap. 16. vbi eos stultos, ac insipientes vocat, qui diuinorum operum rationes ignorantes ea improbare audent. & licet ibi fateatur rationem se ignorare, quare huiusmodi animalia creata sint, dum inquit ego vere fateor me nescire mures, & ranæ, quare creata sunt, aut muscæ, aut vermiculi: paulo tamen infra horum animalium generationis causas reddens, ait & certe omnia animalia, aut vtilia nobis sunt, aut perniciosa, aut superflua: aduersus vtilia, non habent, quod dicant, de perniciosis autem, vel punimur, vel terremur, vt non vitam istam multis periculis, laboribus subditam, sed aliam meliorem, vbi securitas summa est diligamus, & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus, de superfluis vero quid nobis est quærere, si tibi displicet quod non prosunt, placeat, quod non obsunt, quia & si domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur huius vniuersitatis integritas, sed latius eandem rem explicat lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 15. potuerunt inquit ista animalia creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum puniendorum que vitiorum, vel probandæ, proficiendæque virtutis, quia & exempla sunt demonstrandæ patientiæ adprofectum cæterorum. hactenus D. August. cui adstipulatur Theodoretus in quæstionibus super Genesim qu. 18. quo loco asserit per illas bestias, & reptilia velut quedam terriculamenta auxilium Dei esse quærendum, cum ex his Medici pharmaca non pauca ad morbos profligandos componant, hoc etiam insinuauit Basilius homil. 9. in Genesim, vbi dicit creatorem minime incusandum esse, quod animalia venenata, & exitialia vita in rationem rerum induxit, fidei ait demonstrationes sunt ipsæ feræ: confidis in Domino super Aspidem, & Basiliscum. ambulabis, &c. non cernis viperem euasisse Paulum, quia fidei plenum inuenit, idem annotarunt venerab. Beda super illud Genesis cap. 1. dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & D. Chrisost. hom. 9. in Genesim, qui feras ab initio non fuisse terribiles tradit, sed timuisse, & dominium agnouisse primorum parentum, quod si terribiles extitissent hominibus, mulier serpente conspecto non mansisset, nec consilium accepisset. Cæterum horum animalium generationis causæ duæ in responsione dubitationis propositæ afferuntur prima quidem vt creatoris sapientia innotesceret, qui tot animalium species condidit, hisque vniuersi integritatem perfecit, secunda vero eximiam erga nos bonitatem ostendit cum illa ad vsum, ac commodum nostrum creauerit, ac his etiam dederit esse, qui poterat non dare si voluisset, & si quando Deo permittente nocent, id exigente peccato fit, quoniam cum per illud Deo superiori nostro subesse neglexerit homo. inde intelligat merito etiam ab inferioribus creaturis pati, hisque iusto Dei iudicio per peccatum subici.

INTERROGATIO QVINTA.
Quæstio tertia, quarta, & quinta.

NOTAE.

2 CVr corporibus imittis infirmitates, & dolores. Quæstio quarta. Cur pateris iniquitates iniquorum iudicium, qui subditos affligunt. Quæstio quinta. Cur corpus hominis tribulatur.

Quæ ad horum intelligentiam spectare videntur annotauimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 1. nota secunda, vbi plures rationes adduximus, quare Deus tribulationes hominibus aduenire permittat, quaue de causa malos diu viuere sinat, eosque de medio statim minime tollat, idem patet infra hoc eodem libro interrogatione sexta quæst. 2.

***

VIR.

gitized by Google

VIRGO MARIA LOQVITVR Beatæ Brigittę dicens, quod qui dulcedinem diuinam desiderat degustare, debet prius amaritudinem sustinere.

Reuelatio secunda.

MARIA Loquitur. Quis sanctorum dulcedinem spiritus habuit, qui non prius amaritudinem est expertus. Ergo, qui dulcedinem appetit non refugiet amara.

INTERROGATIO SEXTA. Quæstio prima.

1 ITEM apparuit in gradu suo, qui prius dicens. 1. O iudex quæro a te, cur alius infans procedit de vtero matris viuus consecutus baptisma, alius accepta anima intra vi-
2 scera matris moritur. 2 Quæstio secunda. Item cur homini iusto contraria multa succedunt, iniusto autem omnia sunt ad votum. Quęstio tertia. Item cur pestilentiæ, & fames accidunt, & incommoda,
3 quæ affligunt corpus. 3 Quæstio quarta. Item cur mors ex improuiso venit, ita vt præuideri rarissime possit. Quęstio quinta. Item cur pateris homines habentes deliberatam iram, & inuidiam ad bella venire animo vindicandi.

RESPONSIO QVAESTIONIS primæ.

RESPONDIT Iudex. Amice inquisitio tua nō est ex charitate, sed permissione mea. Ideo per similitudinem quandam verborum respondeo tibi. Quęris. Cur alius infans moritur inter viscera matris. Alius procedit viuus. Ratio est. Omnis quippe fortitudo corporis pueri, de patris, & matris semine sumitur, sed quia quod conceptum est propter aliquam patris, vel matris infirmitatem non habet debitam fortitudinem, ideo citius moritur. Multaque adueniunt ex negligentia, & incuria parentum. Multa etiam ex diuina iustitia mea, vt citius ea quæ coniuncta sunt separentur. Nec tamen propter hoc anima, quamuis ad viuificandum corpus longius tempus non acceperit, durissimis appropinquat supplicijs, sed magis misericordię mihi cognitæ. Sicut enim sol irradians domum, non videtur vt est in pulchritudine, nisi a respicientibus cœlum, sed solummodo radij. Sic animæ talium, quamuis propter baptismi carentiam non videant faciem meam, vicinius tamen appropinquant misericordię, quam pœnæ, sed non sicut electi mei. Responsio quæstionis secundę. Item cur homini iusto accidunt contraria. Respondeo. Iustitia mea est, vt vnusquisque iustus obtineat quæ petit. Sed non est iustus, qui non pro obedientia, & perfectione iustitię appetit pati contraria, & qui non facit proximo suo bona ex charitate diuina. Ideo amici mei considerantes, quę ego Deus, & redemptor eorum feci, & promisi eis, simul & attendentes, quæ in mundo est malitia, libentius ad honorem mei, & salutem propriam, & peccatum cauendum petunt magis contraria mundi, propter cautelam, quam prosperam. Ideo & ego permitto eis fieri tribulationes, quorum aliqui, & si minus patienter sufferunt, ego tamen non sine causa permitto fieri, & in tribulatione assisto eis. Sicut enim filius cum a matre charitatiua corripitur in pueritia modicum scit regratiari matri, quia perpendere nescit qua de causa arguitur. Sed perueniens ad annos discretionis regratiatur ei, quia per disciplinam matris a prauis distractus est, & assuetis bonis moribus, & disciplinę. Similiter ego facio electis meis, ipsi enim, quia voluntatem committunt mihi, & me super omnia diligunt. Ideo tribulantur ad tempus, & licet in præsenti non intelligant plene beneficia mea, facio tamen, quod expedit eis in futurum. Impij vero, quia non curant iustitiam, nec alijs formidant inferre iniuriam, qui & transitoria petunt, & delectabilia terrena diligunt, ideo prosperantur ex iustitia mea ad tempus, & a flagellis sunt liberi, ne peccent amplius si tangerentur contrarijs. Attamen non omnibus malis dantur, quę cupiunt, vt sciant potestatis meæ esse cui aliqua dare voluero, qui ingratis etiam bo-

na tribuo, quamuis non mereantur. *Responsio quæstionis tertiæ.* Item cur pestilentiæ, & fames veniunt? Respondeo. Scriptum est in lege, quod qui furtum fecerit reddat plus quam abstulerit, ergo quia homines ingrati dona mea recipiunt, & abutuntur eis, nec honor mihi debitus ab eis impeditur. Ideo plus exigo tribulationis a corpore in præsenti, vt parcatur animæ in futuro. *Quandoque* etiam parcendo corpori, punio hominem in his, & per ea, quæ diligit, vt qui non voluit agnoscere me lætus, cognoscat, & intelligat, vel tribulatus. *Responsio quæstionis quartæ.* Item cur mors venit subita? *Respondeo.* Si homo sciret tempus mortis suæ, seruiret mihi ex timore, & præ dolore deficeret. Ideo vt ex charitate homo seruiat mihi, & vt semper de seipso sit sollicitus, & de me securus, ideo incerta est hora exitus omnium, & merito, quando enim homo deseruit, quod erat certum, & verum, necesse fuit, & dignum, vt ab incerto affligeretur. *Responsio quæstionis quintæ.* Item cur permitto homines procedere ad bella completam habentes iram. *Respondeo.* Omnis qui voluntatem perfectam habet nocendi proximo suo, hic similis est diabolo eiusque membrum est, & instrumentum. *Qui* scilicet diabolo facerem iniuriam, si eius seruum sine iustitia auferrem ab eo. Ergo sicut ego instrumento meo vtor ad quæcunque mihi placita, sic iustitia est, vt diabolus in eo, qui vult esse membrum eius magis quam meum, operetur, & faciat, quod suum est, aut ad purgationem aliorum, aut ad perficiendam malitiam suam, me sic permittente, & peccato exigente.

* * *

INTERROGATIO SEXTA
Quæstio prima.

NOTAE.

1 CVr alius infans procedit de vtero matris viuus consecutus Baptisma, alius accepta anima intra viscera matris moritur.

Propositæ dubitationis rationem minime inuestigandam esse tradit D. Tho. 1. contra gentes cap. 161. quoniam vt ipse ibi egregie docet, hoc a diuina pendet voluntate, & ideo id ignorare se D. August. pluribus in locis affirmat, & præcipue in lib. vnico de Corep. & gratia cap. 8. si a me inquit quæratur, quare hoc donum ille non recipiat, & alius sic, me ignorare respondeo, & in specie lib. de perseueran. c. 8. de duobus paruulis quærens (quod etiam in præsenti nota fit) quare scilicet vnus, absq; Baptismo decedat, & alius gratiam Baptismalem obtineat, Respondet de duobus paruulis peccato originali pariter obstrictis, cur ille; assumatur, & ille relinquatur hoc ad inscrutabilia Dei iudicia spectare: ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur: inscrutabilia esse iudicia Dei, verum de eadem re agens epistola 157. duas huius quæstionis causas affert, putat enim hoc fieri, vel vt Dei propaletur iustitia, vel vt misericordia eiusdem nobis innotescat, cur inquit creentur hi quos creator præsciuit ad dãnationẽ non ad gratiã pertinere. B. Apostolus tanto succinctiore breuitate, quãto maiore authoritate commemorat. Deum enim dicit, volentem ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulisse in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionẽ, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quẽ superius dixerat tanquam figulum luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; merito autem videretur iniustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa vniuersa ex Adam Massa damnata, quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ pertinet ad debitam pœnã, quod autẽ fiunt renascendo vasa misericordiæ pertinet ad indebitãgratiã, sed latius hanc eandem dubitationem examinat, de qua in præsenti interrogatione sexta agitur, in libro de spiritu, & anima, cap. 42. ad cuius finem sic habet. Vnde si aliqui sub peccato geniti paruuli, absque salutari remedio obeunt pertimesce iustitiam Dei, qui nihil debet alicui, sed damnat in singulis malum, quod non facit in eis, si autem paruulus renouat sacramentis: admirare misericordiam Dei, ipsi enim, sicut nesciunt culpam, cum qua ex carne nascuntur, sic nesciunt gratiam, quo per Christum renouantur, non excusat

paruulos

Digitized by Google

paruulos a culpa, quia eam non norunt, nec excludit gratiam ab eis, quia eam nesciunt, quaeris in eis culpam, inuenis ex carne traductam, quaeris in eis gratiam, inuenis a Deo collatam, haec D. Augustinus, qui quaestionem hanc non poterat, aut subtilioribus rationibus, aut efficacioribus verbis propalare, totum tamen negotium, vt ex illius verbis aperte colligitur diuinae iustitiae, ac gratiae ascribit, sicut etiam hoc loco fit, vt legimus ibi, multa etiam ex diuina iustitia fiunt, & infra, nec tamen propter hoc anima quamuis ad viuificandum corpus longius tempus non acceperit durissimis appropinquat supplicijs, sed magis misericordiae mihi cognitae, & sane hoc verissimum est, quandoquidem paruuli cum solo originali peccato decedentes, non ad inferos sensus poenas passuri traduntur, sed tantummodo ad limbum eunt, poenam damni daturi, caeterum hoc loco praeter diuinam iustitiam, & gratiam, aliae quoque duae dubitationis huius rationes afferuntur, quae quidem eo spectare videntur, vt causam reddant, quare, ex duobus paruulis vnus longioris vitae sit, alter vero breuioris: non vero probant quaproter Deus vni Baptismalem gratiam conferat, alteri vero minime: quanquam hoc ex his deduci posse satis aperte crediderim, nam cum fieri possit, vt scribitur hic, quod vitium quopiam, aut infirmitas aliqua sit in embrione, aut foetu, ex praua parentũ corporis dispositione, consequẽs inde est, quod paruulus ex tali materia, & cũ tali infirmitate conceptus intra viscera matris obeat, & tempus subinde sacramentum Baptismatis consequendi non habeat, quod, & id etiam iusto Dei iudicio nobis tamen incognito fieri fatendum est.

INTERROGATIO SEXTA.

Quaestio secunda.

NOTAE.

1 CVr homini iusto contraria multa succedunt, iniusto autem omnia sunt ad votum.

Sexcentas dubitationis propositae causas sancti Patres afferunt, & vt a D. Augustino sumamus exordium, qui fuse hac de re in enarrat. psalm. 93. tractat, quo loco hoc fieri arbitratur quoniam, inquit iusti filij Dei sunt, & haeredes regni caelorum facti, & sicut mater filios suos frequenter castigat, vt meliores fiant, sic Deus pijssimus parens, bonos, quos vnice diligit in hoc seculo molestijs, curisue premi permittit, vt quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius in caelo coronentur, atque haec eadem ratio est, quae redditur hic cum scribitur, sicut enim filius, &c. At e contra mali qui vti alieni sunt, & a caelesti haereditate per peccatum extranei facti, cum de illis salutis spes quamdiu tales sunt nulla sit, dimittuntur, nec flagellis caeduntur, sed ad notum fere omnia illis succedunt, boni inquit laborant, quia flagellantur vt filij, mali vero exultant, quia damnantur, vt alieni, duos filios habet homo, alterũ castigat alterũ dimittit, facit vnus male, & non corripitur a patre, alter mox, vt se mouerit, colaphis caeditur, & flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille caeditur, nisi quia huic caeso haereditas seruatur, ille autem dimissus exhaeredatus est, quod vt explicet apertius in Matt. ser. 9 de verbis Domini comparat iustos, qui in hac vita praemuntur, his qui se vri, ac secari a medicis patiuntur, vt diuturnioris vlceris dolores breuiori poena etiam intensissima redimant, & sane ab illis facile tolleratur quelibet temporalis aduersitas, vt aeterna poena vitetur, aeterna requies comparetur, eosdem etiam D. Greg. hom. 15. super illud exijt, qui seminat, &c. similes facit vuae, quae calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur, sic oliua contusionibus expressa amurcam deserit, & in olei liquorem pinguescit, sic per trituram areae a paleis grana separantur, & ad horreum purgata veniunt, ita quisquis hic flagellatur securus ad Deum venit, quippe cuius rubiginem ignis tribulationis purgabit, D. etiam Chrisost. hom. 4. ad populum Antiochenum explicans illud Rom. 5. tribulatio patientiam operatur, Iustos molestijs vexatos comparat firmis arboribus ingenti ventorum impetu agitatis, & vndique iactatis, a quibus tamen non euelluntur, sed firmiores, ac sollidiores his incursibus redduntur, sic accidit pijs viris, quos tribulationum incursus non supplantant, sed ad maiorem patientiam praeparant: idem probat hom. 6. ad eundem populum, & 26. & 63. sed Gregor. Nazianzenus oratione cum reuerteretur ex agro hos comparat arbori cuidam, quae excisa magis germinat, & contra ferrum decertat, & quod abscissa pullulat, nec non consumpta angetur, sic iustis accidit, qui per afflictiones clarescunt, & ex grauibus materiam faciunt virtutis, ac in diuersis gloriantur, nec dexteris iustitiae armis extolluntur, nec sinistris deprimuntur, idem ostendit Basilius in cap. 5. Isaiae edisserens illa verba dimittam vineam, & non putabitur, neque fodietur. superest modo causas aliquas hic afferamus, quare in hac vita hominibus impijs cuncta fere prospera, ac feliciter eueniant, & sane hoc loco vna tantummodo ratio redditur, vt scilicet nobis diuina misericordia innotescat, quoniam si flagellis, verberibusque vexari semper impios Deus permitteret, hi forsitan adducti plura in dies, ac deteriora scelera committentes grauioris quotidie supplicij rei fierent, & ideo scribitur hic in responsione quaestionis huius, impij, Ideo prosperantur ex iustitia mea ad tempus, & flagellis sunt liberi, ne peccent amplius, quibus etiam addere possumus, quod sit diuina liberalitas ostenditur, cum ingratis beneficia

ac fauores largitur, quique facit oriri solem suum super bonos, & malos. Matt. 5. suam etiam Deus benignitatem, & charitatem propalat, dum impijs in alio seculo æternas pœnas passuris in hac vita aliqua commoda, ac solatia tribuit, aut etiam hoc facit, vt eos temporalibus beneficijs ad supernaturalia quærenda alliciat, aut postremo dicendum est, quod hi, dum viuerent bona quædam moraliter opera fecerunt, quibus hæc temporalia beneficia a Deo sibi dari meruerunt.

INTERROGATIO SEXTA Quæstio quarta.

N O T AE.

5 CVr mors ex improuiso venit, ita vt præuideri rarissime possit.

Duæ hoc loco admodum probabiles afferuntur causæ, quare Deus noluerit nobis diem mortis propalare, quarum prima est, quia Deo seruirent homines ex timore, aut etiam pre nimio dolore deficerent, & in desperationis vitium inciderent, quod sane intelligendum est pro eo tempore, cum mortis terminum appropinquare animaduerterent, alias eadem ratio probaret etiam nobis, nunc timendum esse, & ex timore inseruiendum, qui & si diem mortis ignoramus certissime, tamen aliquando nobis moriendum esse scimus, & tamen tunc temporis cum mors vicina est maxime Deo ex charitate inseruiendum est: secunda vero ratio. quæ redditur hic, indicat, ideo hominibus mortis diem non fuisse propalatum, vt hi diligētiores in singulis suis actionibus, & toto vitæ suæ tempore fierent, non vero tunc solum, quando mors illis proxima est, quod etiam egregie annotauit D. Bernard. ser. 69. de breuitate vitæ ad sororem, cum ait, ideo voluit omnipotens Deus diem mortis nostræ nobis esse incognitum, vt semper ignoretur, semper esse proximus credatur, & tanto quis sollicitus sit in bono opere, quanto incertior est de sua vocatione: aliam etiam addidit causam D. August. qui id factum esse affirmat, vt subleuentur, hi qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, atque etiam desperatione non opprimantur, sic enim habet in psalm. 101. edisserens illa verba; quoniam cinerem, tanquam panem manducabam, etenim inquit ne desperatione homines peius viuerent promisit indulgentiæ portum, rursus ne de spe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum prouidentissime vtrumq; constituens, & reuertentes, quo recipiantur, & differentes, vnde terreantur idem habet tract. 33. in Ioannem, vbi ait, qui desperatione periclitantur proposuit indulgentiæ portum, propter illos vero, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum, quando venit vltimus dies nescis, ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris, & crastinum expectas, forsitan non addetur. Cæterum in enarat. psalm. 44. ad ea verba miserator, & misericors Dominus affirmat Deū nobiscum magnam fecisse misericordiam, quod non indicauerit nobis vltimum mortis diem, ne peccata de securitate faceret abundare, & propterea Hieronym. ad Cyprianum scribens dicit, memento mortis tuæ, & non peccabis, qui se quotidie recordatur esse moriturum contemnit præsentia, & ad futura festinat, & D. Greg. 12. moral. cap. 20. dicit, conditorem nostrum voluisse latere finem nostrum, vt dum incerti sumus, quando moriamur semper ad mortem inueniamur parati, dicendum ergo est, prudentissimo consilio factum esse, vt vltimum mortis nostræ diem ignoremus, vt dies omnes obseruaremus, sicque quolibet die viueremus, ad si quotidie nobis moriendum esset, tunc etenim cum mori contingerit, mortem nullatenus timebimus, formandus ergo animus ita est, tanquam ad extrema ventum sit, venientem inquit, Seneca epist. 12. nemo hillaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.

INTERROGATIO SEPTIMA Quæstio prima.

ITEM apparuit religiosus qui supra in gradu suo dicens. O iudex quæro a te. Cur vile, & pulchrum dicuntur in mundo. Quæstio secunda. Item cur debeo obedire mundi pulchritudinem, cum sim pulcher, & de nobili progenie. Quæstio tertia. Item quare non extollam me super alios cum sim diues. Quæstio quarta. Item cur non debeam præferre me alijs, cum sim honorabilior alijs. Questio quinta. Item cum sim bonus, & laudabilis, quare non quæram laudem propriam. Quæstio sexta. Item si alijs facio commoda, quare non exigam remunerationem.

RE-

RESPONSIO QVAESTIOnis primæ.

RESPONDIT Iudex. Amice vile, & pulchrum mundi eſt quaſi amarum & dulce, nã vtilitas mundi, quæ eſt contemptus mundi, & eius aduerſitas eſt quaſi quædam amaritudo, proficua iuſtis ad ſanitatẽ, pulchrum vero mundi eſt proſperitas eius, & ipſa eſt quaſi quædam ſanitas blandiens falſa, & ſeducens, ergo qui mundi fugit pulchritudinem, reſpuens eius ſuauitatem, non veniet ad vilitatem inferni, nec guſtabit eius amaritudinem, ſed aſcendet ad gaudium meum. Ideo, vt fugiatur inferni vilitas, & vt acquiratur cæleſtis ſuauitas, neceſſarium eſt ire magis poſt mundi vtilitatem, quam poſt eius pulchritudinem. Etenim omnia bene a me creata ſunt, & omnia bona valde, illa tamen maxime cauenda ſunt, quæ irrationabiliter vtentibus donis meis, occaſionem damni animæ præſtare poſſent. Reſponſio quæſtionis ſecundæ. Item cur de progenie non eſt gloriandum. Reſpondeo, tu quidem habuiſti de patre viliſſimam putredinem, & immunditiam, in viſceribus vero matris fuiſti quaſi mortuus, & totus immundus, nec in poteſtate tua fuit naſci de nobilibus, vel ignobilibus. Sed pietas, & bonitas mea produxit te in hanc lucem. Ergo tu qui diceris nobilis, humilia te ſub me Deo tuo, qui diſpoſui te naſci de nobilibus, & conforma te proximo tuo, quia de eadem materia eſt, licet ex mea prouidentia tu de excelſa ſecundum modum proceſſiſti progenie, ille vero de humili. Tu quoque nobilis, time plus quam ignobilis, quia quanto tu nobilior, & ditior, tanto de te diſtrictior quæritur ratio, & maius iudicium, quia plus accepiſti. Reſponſio quæſtionis tertiæ. Item de diuitijs. Cur non eſt ſuperbiendum. Reſpondeo, diuitiæ enim mundi non ſunt tuæ, niſi quantum ad neceſſitatem victus tui, & veſtitus. Mundus enim ad hoc factus eſt, vt homo habens ſuſtentationem corporis ſui, per laborem, & humilitatem redeat ad me Deum ſuum, quem inobediens factus deſpexit, & de me ſuperbiendo non curauit. Si autem temporalia bona tua eſſe dicis, dico tibi pro certiſſimo, quod tu quaſi violenter vſurpas tibi omnia illa quæ vltra neceſſitatem tuam habes. Nam bona temporalia omnia communia eſſe debent, & ex charitate indigentibus æqualia. Tu vero vſurpas tibi ad ſuperfluitatem, quod alijs ex compaſſione eſſet tribuendum, quamuis, & rationabiliter multi, multa habeant præ alijs rationabiliter habentes, & diſcrete diſtribuentes. Ergo ne grauius arguaris in iudicio, eo quod maiora aliis receperis, conſultum eſt tibi, ne ſuperbiendo, & congregando præferas te aliis. Sicut enim delectabile eſt in mundo habere temporalia præ aliis, & ſuper abundare, ſic in iudicio terribile eſt, & vltra modum graue, etiam licita non rationabiliter diſpoſuiſſe. Reſponſio quæſtioniſ quartæ, & quintæ. Item cur laus propria non eſt quęrenda. Reſpondeo. Nullus ex ſe bonus eſt, niſi ſolus ego Deus, & omnis quicumque bonus eſt ex me bonus eſt. Ergo ſi tu laudem tuam quæris, qui nihil es, & non laudẽ meam, cuius eſt omne donum perfectum, falſa eſt laus tua, & iniuriam facis mihi creatori tuo. Ideo ſicut ex me ſunt omnia bona quę habes, ſic & omnis laus mihi eſt attribuenda, & ſicut ego Deus tuus tribuo tibi omnia temporalia, vires, & ſanitatem conſcientiam, & diſcretionem, cogitandi tibi vtiliora, & tempora, & vitam, ſic de omnibus ſi bene, & rationabiliter diſponis tibi conceſſa honorandus ſum ego. Si autem male diſponis vitium eſt tuum, & ingratitudo tua. Reſponſio quæſtionis ſextæ. Item cur pro bonis operibus in pręſenti non eſt quærenda temporalis remuneratio? Reſpondeo tibi, quicumque benefacit aliis, ea intentione, quod non curat retributionem hominis, ſed qualem voluero ei dare, ego Deus, iſte habebit maximum pro paruo, ęternum pro temporali. Qui vero pro temporali quęrit terrenum, habebit quod appetit, & amittet ſempiternum. Ideo vt æternum obtineatur pro tranſitorio, vtilius eſt non quęrere retributionem ab homine, ſed a me.

INTERROGATIO OCTAVA Quæstio I.

ITEM apparuit religiosus qui supra in gradu suo dicens. O Iudex quæro a te. Cur permittis, quod dii ponantur in templis, & habere honorem sicut tu ipse, cum regnum tuum nobilius sit
2 super omne? Quęstio secunda. 1 Item cur non facis videri ab hominibus in hac vita gloriam tuam, vt feruentius desideretur ab
3 eis. Quæstio tertia. 2 Item cum Sancti, & Angeli tui nobiliores, & sanctiores sint super omnes creaturas, cur non videntur ab hominibus in hac vita. Quæstio quarta. Item cum inferni pœnæ sint incomparabiliter horribiles, cur non facis videri eas ab hominibus in hac vita, vt fugiantur. Quæstio quinta. Item cum dæmones incomparabiliter sint deformes, & horribiles, cur non apparent visibiles hominibus, quia tunc nullus eos sequeretur, nec consentiret eis.

RESPONSIO Quæstionis primę.

RESPONDIT Iudex. Amice, ego sum Deus creator omnium, qui non maiorem iniuriam malo facio, quam bono, quia ipsa iustitia sum. Ergo iustitia mea est, quod ingressus in cælum obtinere debet, per stabilem fidem, & rationabilem spem, & feruentem charitatem. Itaque omne quod in corde plus, & feruentius diligitur, hoc cogitatur frequentius, & adoratur diligentius. Sic & dii qui ponuntur in templis, licet non sint dii, nec creatores, quia non est nisi vnus solus creator, scilicet, ego Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Attamen a possessoribus templorum, & hominibus, magis diliguntur, quam ego, vt prosperentur in mundo, non vt viuant mecum. Ideo si ego annihilarem ea, quæ homines plus quam me diligunt. Et me contra voluntatem eorum adorari permitterem, facerem eis iniuriam, auferendo eis liberum arbitrium, & desiderium eorum. Ideo, quia in me non habent fidem, & in eorum corde est aliquid delectabilius me, propterea rationabiliter permitto, vt quod diligunt, & appetunt mente, & opere exterius perficiant. Et quia creaturam plusquam me creatorem diligunt, quem ex signis, & factis probabiliter cognoscere possunt, si ratione vti vellent. Ideo quia excęcati sunt, maledicta est creatura eorum, & maledicta sunt idola ipsorum, & ipsi confundentur, & diiudicabuntur propter stultitiam suam, quia intelligere nolunt, quam dulcis sum ego eorum Deus, qui ex charitate feruenti hominem creaui, & redemi. Responsio quæstionis secundæ. Item cur non videtur gloria mea. Respondeo. Gloria mea ineffabilis est, & suauitate, & bonitate incomparabilis omnibus. Si itaque gloria mea sicut est videretur, corpus ipsius hominis corruptibile infirmaretur, & deficeret. Sicut sensus illorum, qui in monte gloriam meam viderunt, corpus quoque præ lætitia animæ a labore deficeret, & ad exercitia corporalia non sufficeret. Propterea quia sine labore charitatis non est ingressus in cælum, & vt fides habeat præmium, & corpus ad laborem sit sufficiens. Ideo gloria mea occultatur ad tempus, vt ex desiderio, & fide, eo fælicius, & copiosius perpetuo videatur. Responsio quęstionis tertiæ. Item cur Sancti non videntur sicut sunt. Respondeo. Si Sancti mei viderentur aperte, & visibiliter loquerentur, honor eis impenderetur, sicut mihi, & tunc fides non haberet meritum, nec fragilitas carnis sufficeret ad videndum eos. Sed nec iustitia mea vult, vt tanta charitas, a tanta fragilitate conspiciatur. Ideo Sancti mei non audiuntur, nec videntur, vt sunt quatenus omnis honor exhibeatur mihi. Et vt homo sciat neminem supra me esse diligendum. Veruntamen, si Sancti mei quandoque apparent, non tamen in ea forma gloriæ, in qua veraciter sunt videntur, sed in ea forma occultata plenitudine virtutis, in qua videri absque perturbatione corporalis intelligentiæ possunt. Responsio quæstionis quartæ. Item cur pœnę inferni non videntur. Respondeo. Si pœnæ inferni sicut sunt viderentur visibiliter, homo ex timore totus frigesceret, & cælestia ex timore non ex amore inquireret. Et quia nullus appetere debet cæleste gaudium ex timore pœnæ, sed ex charitate diuina, ideo nunc occultantur pœnæ. Quippe sicut boni, & sancti, illud ineffabile gaudium ante separationem corporis, & animæ quale sit, degustare nequeunt, sic nec mali pœnas, sed separata anima a corpore sentiunt experientia, quæ noluerunt probare intelligentia cum potuerunt.

fuerunt. Reſponſio quæſtionis quintæ. Item cur dæmones non apparent viſibiles. Reſpondeo. Si eorum horribilis deformitas videretur, vt eſt, anima videntis ex ipſo viſu extra ſenſum fieret, corpuſque totum quaſi hominis tremuli contremiſceret, cor etiam totum quaſi timore exinanitum moreretur, nec pedes ſufficerent ſuſtentare membra reliqua. Ideo, vt anima in ſuo ſenſu ſtabilis permaneat, corque eius vigilet in amore meo, & corpus ad laborandum in ſeruitio meo ſufficiat, occultatur dęmonum deformitas, & vt reſtringatur dæmonum malitia, & conatus.

INTERROGATIO OCTAVA
Quæſtio ſecunda.

N O T AE.

1 CVr non facis videri ab hominibus gloriam tuam, vt feruentius deſideretur ab eis.

*Sermo ſit hoc loco de videndo Deo in hac vita mortali, vt aperte colligitur ex reſponſione ad præſentem dubitationem, in qua legimus quod cum gloria Dei ineffabilis ſit, ac incomparabilis, ſi videretur ſicuti eſt videntes deficerent quemadmodum in Transfiguratione Domini tribus Apoſtolis accidit, Petro, Iacobo, & Ioanni, quorum, vt annotauit D. Cyprianus ſer. de Reſurrect. Chriſti ingens vultus Domini ſplendor, ac veſtium candor habetauere cõſpectum. & merito Matth c. 17. eos in faciem cecidiſſe, & timuiſſe refert; non tamen negandum eſt, eos corporeis oculis claritatem glorioſi corporis vidiſſe, vt annotauit Auguſtinus lib contra Adimãtum Manichæum c. 28. de quo legi poteſt D. Tho. in 4. diſt. 44 q. 1. art. 4. quæſtiuncula 2. An autẽ de potentia Dei ordinaria poſſibile ſit Deum in hac vita per eſſentiam videre, negat D. Tho. 1. p q. 12. art. 11. & probat ex illo Exodi 33. non videbit me homo, & viuet, cui etiam fauet Gloſſ. ibidem, & hãc communem eſſe Theologorum ſententiam teſtatur Ferrarienſis 3. contra gentes c. 47. & ſequitur Cardinalis Caietanus, & alij plures ex Scholaſticis, id ipſum docens Euariſtus Pontifex, in prima ſua decretali Epiſtola, exponens ea Pauli verba 1. ad Timot. 6 lucem habitat inacceſſibilẽ, vbi dicit nullum unquam hominem vidiſſe Deum in ſua eſſentia, ſed tantum in enigmate, & figura, quod etiam affirmat D Hieron. lib. 3. contra Pelagianos prope finem. & ſuper caput ſextum Iſaiæ. immo D. Chriſoſt. hom. 14. in Ioannem, non ſolum de hominib. hoc aſſeuerare videtur, ſed & de Angelis, dicit enim eſſentiã diuinam a nulla creatura intuitiua viſione conſpici poſſe, ſed ſola cogitationis, & imaginationis abſtractione cognoſci, & occurrens cuidã obiectioni, quæ et fieri poſſe videbatur, quæ nam (inquit) illa ſcientia eſt, Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt, & Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, cogitationem namq; atq; imaginationem, quam pro viribus noſtris de Deo capimus, eam viſionem appellat, neq; aliter de Angelis intelligendum eſt. propter puram ipſorum & nullo ſomno obnoxiam naturam, cum nil aliud, quam Deum ſemper mẽte agitent, hæc D. Chriſoſt. quem ſequuntur Theophilatus in commentarijs ad citatum locum D. Ioannis, Theodoretus etiã, & Euthimius, qui ſane quantum ad id, quod docent nullum hominem in hac vita diuinam eſſentiam videre poſſe, recipiendi ſunt, cum vero addunt etiam Angelos non in eſſentia, & ſubſtantia Deum cõſpicere, ſed per ſimilitudines quaſdam, eo modo quo olim a Prophetis viſus eſt, explicandi ſunt, & dicendum eos loqui de viſione comprehenſionis, qua Deus ſe ipſum ſolum cognoſcit, ſoluſq; ſuam ipſius ſubſtantiam, naturam, & eſſentiam, qualis, & quanta ſit comprehẽdit. quod non faciunt Angeli, quos negandum minime eſt in patria diuinam eſſentiã intueri, eaq; frui: non tamen comprehendere eam cognoſcendo, quantum cognoſcibilis eſt, atq; ita eſſe interpretandum D. Chryſoſt. tradit Doctor Angelicus in 4 Sent. q 1. art. 2. & ad hunc eundem ſenſum Theophilati, Euthimij, & Theodoreti doctrina reuocanda eſt; hi ergo omnes aperte concludunt, quod ſcribitur hic, nullum hominum in hac vita diuinam eſſentiam, aut vidiſſe, aut videre poſſe, quãquam, & de Moyſe, & de D. Paulo adhuc ſub indice lis ſit, non deſunt, qui dicant, eos dum in hac mortali vita fuerunt, diuinam aſpexiſſe eſſentiam, vt habet D. Auguſt. li. 12. ſuper Geneſim ad litteram, c. 27. & 28. & Epiſt. 112. ad Paulinam, & ſerm. 46. ad fratres in Heremo, & de Moyſe D. Baſil. homil. 1. exameron. D. Ambroſ li. 1. exameron ca 2. & de vtroq; etiam affirmat ſuper ſecundam Epiſtolam ad Corinth. c 12. & ibidem D. Anſelmus, & Beda, Lyranus, & Burgenſis eodẽ loco, Durandus in 4. diſt. 49. q 6. D Thom. 2. 2. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 3. D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 17. §. 1. Cõtrariam vero ſententiam, quod nec Moyſes, nec Paulus diuinam eſſentiam viderint, defendunt D. Hieron locis ſupra citatis, D. Chryſoſt. de Moyſe homil. 14. ſuper Ioan. & de Paulo ſuper ſecundam Epiſt. ad Corint. c. 12. D. Greg Nazianz. li. 2. ſuæ Theologiæ, Gregorius Magnus li. 18. moral. ca 37. & 38. Cyrillus ſuper Ioan. li. 1. ca. 12. colligitur etiam ex D. Dionyſio de myſtica Theologia c. 1. & ſequitur etiam Euariſt. Pont. vbi ſup. & hanc ſententiam eſſe probabiliorẽ: eſſe veritati magis conformem cenſuit Franc. Suarez in comment ſuper 3. p. S. Thomæ q. 37. diſp. 19. ſect. 4. tom. 2.

INTERROGATIO OCTAVA Quæstio tertia.

NOTAE.

a CVr sancti, & Angeli tui nobiliores, & sanctiores super omnes creaturas non videntur ab hominibus in hac vita.

Inter cæteras corporis gloriosi dotes claritas potissima est, quæ talem, ac tantum splendorem, ac pulchritudinem gloriosis Sanctorum corporibus cõfert, vt non solum sit in omnibus gloriosi corporis partibus, sicut annotarunt D. Tho. in 4. dist. 44. q. 2. art. 4. quæstiuncula prima, Palud eadem dist. q. 5. Sotus d. 49. q. 4. art. 4. Riccard. art. 4. q. 6. Maior, q. 10. sed etiam ipsamet gloriosa corpora septies sole splendidiora, ac clariora esse futura quamplures ex sanctis Patrib. tradiderunt, vincent. inquit D. Greg. 18. Moral. c. 19. supernæ illæ mentes sua pulchritudine septempliciter solem, idem insinuauit Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione monasticæ conuersationis, c. 23. vbi de corpore glorioso hunc in modum eleganter scribit, nimia quoq; claritate fulgebit, ita vt solis septies transcẽdat splendorẽ. Cum ergo hæc certissima sint mirum cuiq; videri non debet, quod gloriosa corpora homines in hac mortali vita degentes videre minime possint. Hoc autem intelligendum est de his sanctis, qui nunc ante vniuersale iudicium in cælo gloriosa corpora habẽt, vt de Beatissima Virg. & aliis si qui sunt: atq; huius rei alia ratio redditur hic in responsione ad propositam dubitationem, ibi, (Ideo Sancti mei non videntur vt sunt, quatenus omnis honor mihi exhibeatur, & vt sciant neminem esse supra me diligendũ) merito ergo Apoc. 19. & 22. legimus Ioannem adorare volentem Angelũ prohibitum esse, vide, inquit, ne feceris, conseruus enim tuus sum, hic tamen prætereundum non est consueuisse homines ante Christi Domini incarnationem adorare Angelos, cum illis apparebant, vt de Lot, & Iosue patet Genes. 19. & Iosue 5. nec tamẽ Angelos hoc prohibuisse legimus, vt post Saluatoris nostri Aduentum factum est, cuius rei causam afferens D. Greg. li. 26. moral. c. 18. & homil. 8. in in Euang. quid est (inquit) hoc nisi quod naturã nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super assumptam conspiciunt prostratam sibi videre pertimescunt, nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum. Hæc ergo causa est, cur Angeli, hominesq; Sancti, non in ea maiestate hominibus in terra apparere permittuntur, qualem habent in cælis. Cæterum, vt postremam quoq; indicemus causam, quæ redditur hic, quare gloriosi corporis visio secundũ omnem suæ maiestatis plenitudinem, hominibus in præsenti vita non communicatur sciendum est, quod sicut fieri non potest, vt quispiam oculorum aciem in solem intendat, imo & cæcus homo fortasse fieret, si per aliquod temporis spatium intendendo persisteret, ita quoque accideret homini, si splendorem, & pulchritudinem Angelorum, ac corporis etiam gloriosi in tota sua latitudine conspiceret: non enim solum vehementer turbaretur, sed a sensibus propriis alienaretur, vt tradit D. Ambr. in Lucam c. 1. edisserens illa verba, apparuit autem illi Angelus Domini, et Zacharias turbatus est, solemus, inquit, turbari; & a nostro affectu alienari, quando perstringimur superioris potestatis occursu, sed sicut humani defectus est terreri, ita Angelicæ potestatis est pauentem suo aspectu blandiendo solari, id ipsum confirmari potest ex lib. 2. Reuelat ca. 18. vbi habetur ita esse difficile, vt homo corporalibus oculis, vel Angelum, vel corpus aliquod gloriosum intueatur, quod si videre contingeret statim exinanitus in terram corrueret: quod etiam videntibus dæmones, aut inferorum pœnas accideret, ob ingentem eorum turpitudinem, ac deformitatem, prout euidenter colligitur, ex responsione quæstionis quintæ, hic cum dicitur, si eorum horribilis deformitas videretur, ex ipso visu extra sensum fieret, corpusq. totum quasi hominis tremuli contremisceret, cor etiam quasi timore exinanitum moreretur, & sane sicut boni cum impassibili, ac splendenti corpore resurgent, ita quoque mali cum passibili, ac ita deformi reuiuiscent, quod anima reuiuens ipsum, cum illud videbit vehementer stupebit, ipsumque intueri abhorrebit, & tale potius vellet habere, quale in sepulchro putrescebat, & vermibus dimidium comestum erat: hanc ergo ob causam Deus Opt. Max. nec iustorum pulchritudinem, & splendorem, nec damnatorum pœnas videndas hominibus, in mundo degentibus regulariter exhibet; at vero si quando Deo permittente apparent, probabiliter censendum est damnatos, non secundũ omnem deformitatis, ac turpitudinis plenitudinem, neque beatos secundum totam splendoris, ac claritatis maiestatem apparere; charitatis enim donum, quod ex meritis voluntatis adiuuante gratia Dei datur, voluntati habentis subditur, & circa illud dominium, ac imperium, Sanctus, habet, vt se occultare, ac etiam propalare ad libitum possit, & eo modo quo vult: est enim in potestate glorificati hominis, vt auctor est D. Thom. 2. 2. qu. 54. artic. 3. ad primum argumentum, vt corpus eius propalat, vel abscondat, quandoque claritas eius videatur, et non videatur, vnde potest etiam sine aliqua claritate videri, sicut etiam Christus Dominus post resurrectionem suam Discipulis multoties apparuit. & hoc est quod in responsione quæstionis tertiæ habetur, quod Sancti non apparent in ea gloria forma, in qua sunt, sed in ea in qua videri absque perturbatione intelligentiæ possint.

REVELATIO TERTIA, in Libro quęstionum. Christus loquens Sponsę suę Beatæ Brigittæ dat doctrinam similitudinariam, de medico vero curatore, & de falso medico interfectore, & de homine æstimatore dicens, quod homo qui recipit secum peccatores, si dat eis auxilium, aut materiam peccandi, & moriantur in peccato, Deus exiget mortem animarum eorum spiritualem de manu illius. Si vero recipit eos, vt cessent à peccando, & instruantur ab eo in virtutibus, & isti emendantur habebit ille magnum meritum, & ipsi à Deo.

FILIVS Dei loquitur. Vbi infirmus est in domo, si ad eum magistralis medicus ingreditur, citius ex signis exterioribus perpendit, qualem habet infirmitatem. Medicus igitur sciens infirmitatem infirmi, si dat ei medicamentum, quo mors prouenit arguitur tanquam interfector, & non est verus medicus. Si vero aliquis sciens mederi exercet medicinam propter remunerationem mundi, mercedem non habebit à me. Si vero, qui propter amorem, & honorem meum medicinam exercet, teneor ego ei mercedem reddere. Si vero aliquis non est magister in medicina, sed secundum existimationem suam credit illa, & illa valere infirmo, & dat ei pia intentione, hic nō est arguendus, vt interfector, si moritur infirmus, sed vt fatuus, & præsumptuosus. Si vero conualescit infirmus ex medicina fatui, tunc ille non tenetur habere mercedem magistri, sed æstimatoris, quia non dedit medicinam secundum scientiam, sed secundum æstimationem. Ecce quid ista significant dicam tibi. Homines illi noti tibi, sunt spiritualiter infirmi, & inclinati ad superbiam, & cupiditatem, sequens propriam voluntatem. Si igitur amicus eorum quem ego comparo medico, tribuit eis auxilium, & consilium, quo in superbia, & ambitione excedant, & spiritualiter moriantur, vtique mortem eorum exigā de manu ipsius. Quia licet ex propria iniquitate moriantur, tamen quia ipse ministrator, & causa mortis eorum est, nequaquam immunis à pœna erit. Si vero naturali ductus amore fouet eos, exaltando eos in mundo propter consolationem suam, & honorem mundi, nequaquam mercedem speret a me. Si vero sicut bonus medicus cogitat de eis sapienter dicens secum. Infirmi sunt isti, & egent medicina, & ideo quamuis medicamentum meum videatur eis amarum, tamen quia salubre est dabo eis, ne durius moriantur, ideo & refrænando eos dabo eis cibaria, ne deficiant fame, dabo eis vestes, vt incedant honeste secundum statum suum, tenebo eos sub regimine meo, vt non insolescant, prouidebo etiam eis de alijs necessarijs, ne eleuentur superbia, & ne præsumptione dissoluantur, aut ne alijs nocendi habeant occasionem. Hic talis medicus magnam habebit mercedem à me, quia talis correptio placet mihi. Si vero amicus eorum cogitans secum dicat sic. Dabo eis necessaria, sed nescio vtrum expedit eis, vel non, sed tamen non credo displicere Deo, nec obesse saluti eorum, si tunc moriuntur ex dono suo, vel excesserint amicus non arguetur, vt interfector. Verumtamen propter voluntatem bonam, & affectionem piam, qua plus animas eorum diligit. Licet amicus non habebit mercedem plenam, infirmi tamen habebunt leuius, & crescent ad sanitatem, quam nisi cooperaretur charitas difficilius obtinerent. Attamen necessarium est hic vnum consilium. Nam iuxta vulgare prouerbium, animal de genere nociuo, si includitur non nocet, & inclusum accipiens necessaria conualescit, & æque impinguatur, sicut animal quod est in libera potestate. Ergo quia de illo genere sunt illi, quorum sanguis, & cor quærit alta, & eo plus sitit eorum voluntas, quo plus bibit. Ideo amicus eorum non tribuat eis occasionem excedendi, quia excedere cupiunt, sed appetitum extinguere non valent.

IN

INTERROGATIO IX.
Quæstio I.

HIS dictis apparuit Religiosus, qui supra in gradu suo dicens. Iudex quæro à te.
1 Cur tantum videris inæqualis in donis, & gratijs tuis, in eo quod Mariam matrẽ tuam prætulisti omni creaturæ, & exaltasti eam super Angelos.
2 Quæstio secunda. Item cur Angelis dedisti spiritum sine carne, & stare in cælesti gaudio. Homini vero dedisti vas terrenum, & spiritum, & nasci cum ploratu, viuere cum labore, & mori cum dolore. Quæstio tertia. Item cur dedisti homini intellectum rationabilem, & sensus, animalibus vero rationem non dedisti. Quæstio quarta. Item cur dedisti animalibus vitam,
3 & non reliquis insensibilibus creaturis. Quæstio quinta. Item cur non est ita lux in nocte, sicut in die.

RESPONSIO
Quæstionis primæ.

RESPONDIT Iudex. Amice, in deitate mea omnia futura, & facienda, sicut & facta, præscita, & præcognita sunt ab initio. Sicut enim præscitus est lapsus hominis ex iustitia Dei permissus, sed non ex Deo factus, nec propter præscientiam Dei faciendus. Sic & ab æterno præscita est liberatio hominis ex misericordia Dei facienda. Quæris igitur. Cur Mariam matrem meam prætuli omnibus, & præ omni creatura dilexi eam? Hoc ideo est, quia in ipsa speciale insigne virtutum inuentum est. Sicut enim vbi ignis accenditur, lignis plurimis circumpositis, illud citius inflammatur, & comburitur, quod habilius, & efficacius est ad comburendum. Sic & in Maria fuit. Quando enim ignis amoris diuini, qui in se incommutabilis, & æternus est, accendi, & apparere cæpit, & deitas incarnari voluit, nulla creatura ad hunc ignem amoris percipiendum habilior, & efficacior erat quam virgo Maria. Quia nulla creatura tanta charitate arsit sicut ipsa. Et quamuis charitas eius, in fine temporum reuelata, & ostensa sit, tamen ante principium mundi præuisa est, & sic in deitate ab æterno præfinitum est, quod sicut nullus ei in charitate inuentus est similis, sic & nullus ei in gratia, & benedictione esset æqualis. Responsio quæstionis secundæ. Item cur Angelo dedi spiritum sine carne. Respondeo. In principio, & ante tempora, & sæcula creaui spiritus, vt in libero arbitrio stantes secundum voluntatem meam gauderent, & de bonitate, & gloria mea; quorum quidam superbientes, de bono fecerunt sibi malum, voluntatem liberam mouentes inordinate. Et quia nihil malum erat in natura, & creatione, nisi inordinatio voluntatis propriæ, ideo ceciderunt. Alii vero spirituum elegerunt sub me Deo suo in humilitate stare, ideo & perpetuam stabilitatem meruerunt. Quia dignum, & iustum est, vt ego Deus qui spiritus increatus sum, & omnium creator, & Dominus habeam etiam spiritus subtiliores, & agiliores aliis creaturis mihi obsequentes. Verum, quia non decuit me habere diminutionem in exercitu meo, ideo creaui aliam creaturam, idest hominem, loco eorum qui ceciderunt, quæ libero arbitrio, & bona voluntate cũ gratia promereretur eandem dignitatem, quam Angeli deseruerunt. Itaque si homo haberet animã, & non carnem, non posset tam facile promereri sublime bonũ, sed nec laborare, propterea ad obtinendum æternum honorem coniunctum est corpus animæ. Ideo, & augentur ei tribulationes, vt homo experiatur liberum arbitrium, & infirmitates suas, vt non superbiat. Item vt desideret gloriam ad quam creatus est, & exoluat inobedientiã, quam voluntarie incurrerat. Ideo ex diuina iustitia additus est ei flebilis ingressus, & egressus, & vita laboriosa. Responsio quæstionis tertiæ. Item cur animalia non habent intellectum rationabilem sicut homo. Respondeo tibi. Omnia quæcumque creata sunt ad vtilitatem hominis sunt, aut ad necessitatem eius, & sustentationem, aut ad informationem, & correptionem, aut ad consolationem, & humiliationem. Si ergo bruta haberent intellectum sicut homo, essent vtique homini in tribulationem, & potius nocerent quam prodessent. Ideo vt omnia subiecta sint homini, propter quem omnia facta sunt, & omnia ipsum timeant, ipse vero neminem nisi me Deum suum, propterea animalibus non est datus rationalis intellectus. Responsio quæstionis quartæ. Item cur insensibilia non habent vitam. Respondeo. Omne quod viuit

ult moriturum eſt, & omne viuens mouetur, niſi impediatur aliquo obſtaculo. Si ergo inſenſibilia haberent vitam mouerent ſe potius contra hominem quam pro eo. Ideo vt omnia ſint homini in ſolatium, propterea ſuperiora ſcilicet Angeli, dati ſunt ei in cuſtodiam, cum quibus habet rationem, & animæ immortalitatem. Inferiora vero, ſcilicet ſenſibilia, & inſenſibilia data ſunt ei ad vtilitatem, & ſuſtentationem, & eruditionem, & exercitationem. Reſponſio quæſtionis quintæ. Item cur omne tempus non eſt dies? Reſpondeo tibi per exemplum. Omni vehiculo ſcilicet curruí, ſubſunt rotæ, vt facilius onus impoſitum promoueatur, & rotæ poſteriores ſubſequuntur priores, ſimile eſt in ſpiritualibus. Nam mundus magnum onus eſt onerans ſollicitudinibus, & tribulationibus hominem. Nec mirum, quia cum homo locum quietis faſtidiuit, iuſtum erat, vt locum laboris experiretur, vt ergo huius mundi onus facilius ab homine tolerari poſſit, ideo acceſſit miſericorditer, viciſſitudo, & mutatio temporum, ſcilicet dies, & nox, eſtas, & frigus, propter exercitationem, & quietem hominis. Nam rationabile eſt, vt vbi contraria conueniunt firmum ſcilicet, & infirmum, condeſcendendum eſt infirmo, vt cum forti poſſit ſubſtinere, alioquin infirmum amittit latus. Sic & de homine eſt, quamuis ipſe ex virtute animæ immortalis ſtare poſſet in contemplatione, & labore iugiter, tamen ex virtute corporis infirmi deficeret, & ideo facta eſt lux, vt homo habens participationem, cum ſuperioribus, & interioribus ſciat ſuſtinere, laborando per diem, & rememorando dulcedinem æterni luminis, quod amiſit.

Facta quoque eſt nox, propter quietem corporis, habendo voluntatem veniendi ad locum, vbi non eſt nox, nec labor, ſed dies perpetuus, & gloria ſempiterna.

INTERROGATIO VIIII.

Quæſtio I.

NOTAE.

1 var. lect. CVr tantum videris inequalis in donis, & gratijs tuis in eo, quod Mariam matrem tuam prætuliſti omni creaturæ, & exaltaſti eam ſuper Angelos.

Hoc loco primo ſciendum eſt, quod M. S. Farneſianus addit exaltaſti eam ſuper Angelos, & Archangelos, ſed vt præſentis dubitationis ſolutionibus pateat prius debemus animadvertere, quod licet benigniſſimus Deus omnibus hominibus ſua dona conferat, non tamen æqualiter omnibus omnia tribuit, ſed ſecundum quantitatem à Chriſto Domino decretam, & ſecundum quod ipſe met expedire iudicat: dat ſingulis habita eſt vniuſcuiuſq; propriæ capacitatis ratione, ſic enim docet Apoſtolus Paulus ad Epheſios cap. 4. vnicuique data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, vbi notant Theodoretus, Lyranus, & Dionyſius Carthuſianus, quod donorum quantitas pendet ex libera voluntate Dei, qui dat plus, & minus iuxta diſpoſitionis ſuæ ordinem, & ideo Theodoretus ait ibidem non eſſe id egre ferendum, quia ipſe ita vt nouit vnicuique gratiam dimenſus eſt: addit etiam Dionyſius Carthuſianus Deum in conferendo capacitatem, & ſuſcipientium diſpoſitionem reſpicere, ſed quoniam inter ſanctos Beatiſſima Virgo principem locum tenet, quippe quæ omnium fuit capaciſſima, & charitate creaturas cunctas excelluit, ideo conueniens fuit, vt ſuper omnes etiam exaltaretur, & maiora, ac inſigniora dona præ ceteris obtineret, quod vt explicemus apertius notandum ex D. Thoma p. 1. q. 12. art. 6 eum qui in hac vita maiori charitate abundat habiturum etiam in alia maius gloriæ lumen, vbi enim (inquit ille) maior charitas eſt, ibi maius inuenitur deſiderium, deſiderium autem facit deſiderantem aptum, atq; paratum non ſolum ad ſuſceptionem deſiderati, ſed etiam ad ea dona recipienda, quæ à Deo nobis conferuntur, ex quo conſequens fit vt qui maiorem in hac vita charitatẽ habet aptior eſſe cẽſeatur, et ad Deum recipiendum, & ad ſua etiam munera obtinenda, cum autem Beatiſſima Virgo omnibus puris creaturis plures charitatis gradus habuerit, mirum non eſt ſi pluribus etiam, ac inſignioribus donis præceteris ornata fuerit, quod ſatis aperte inſinuatur in reſponſione ad hanc primam dubitationẽ circa finẽ ibi, quod ſicut nullus in charitate inuentus eſt ſimilis, ſic nullus ei in gratijs, & benedictionibus eſſet æqualis vt autem hoc in ſpecie probemus ex Patribus de ipſis met gratijs gratis datis 2

dicendum est primo, Mariam sic prophetiæ spiritu claruisse, vt hac in re alios prophetas superarit, est enim hæc communis Patrum sententia, quam colligunt ex Lucæ 1. cap. vbi cum Beatissima Virgo dixit magnificat anima mea Dominum, eam tunc prophetico spiritu fuisse locutam asserunt, vnde ibi Ambrosius dixit, quo maior est persona eo plenior prophetia, & Rupertus lib. 1. in Cant. illã vocat prophetissam prophetarum, quia prophetas docuit idem admonuerunt plures sacrarum litterarum interpretes super illud Isaiæ 8. accessi ad Prophetissam, sic Basilius ibidem, & Cyrillus lib. 1. in Isaiam orat. [illegible] Gregorius Thaumat. serm. 1. in Annuntiat. aliquanto post initium Epiphanius hæresi 78. Nazianzenus orat. 45. Eusebius lib. 7. demonstrat. cap. 6. Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 4. 5. & 11. idem dicendum de alijs gratiis, vt de scientia, & cognitione rerum diuinarum, qua in re etiam Apostolos superasse, & omnes Theologos docuerunt, ideo Ignatius epist. 1. illam vocat Apostolorum magistram & Bernard. serm. 4. super missus est Mariam asserit illuminasse Euangelistas iuxta sui nominis ethimologiam, nam secundum Hieron. in lib. de nominibus hebraicis in Exodum Maris illuminatrix exponitur, idem habet Anselmus de Excellentia virg. cap. 7. Eusebius emissenus serm. de Assumpt. Virg. Petrus Damianus super illud Matt. 1. liber Generationis. Postremo si sermo sit de linguarum donis etiam constanter fatendum est, hæc Virgini fuisse data dona, sic tradunt Albertus in Mariali D. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 19. §. 8. quod etiam probant de gratia miraculorum, & sanitatum sic Albertus, & Antoninus vbi supra §. 1. & 2. Rupertus lib. 3. in Cant. quo loco in vniuersum docet Mariam habuisse omnes gratias gratis datas, quare merito Andreas Cretensis serm. de Assumpt. Virginem appellauit fontem, qui exhauriri non possit diuinarum Reuelationum.

INTERROGATIO IX. Quæstio II.

NOTAE.

2 CVr Angelis dedisti spiritum sine carne, & stare in cælesti gaudio, homini vero dedisti vas terrenum.

In præsenti nota duo a nobis examinanda breviter sunt, primum quidem, an verum sit, quod fuerint Angeli ab æterno creati, sicut infra in responsione ad propositam dubitationem affirmari videtur cum dicitur, in principio, & ante tempora creaui spiritus, vt in libero arbitrio stantes, secundum voluntatem meam gauderent, postremo causa quoque inuestiganda est, qua propter Deus illos corporeos minime creauerit, quemadmodum homines ex corpore, & anima condidit, & vt a primo sumamus initium omnino mihi dicendum videtur Angelos nequaquam ab æterno à Deo fuisse creatos, nec illi vllo pacto coeternos extitisse quandoquidem solus Deus Pater Filius, & Spiritus sanctus est ab æterno, vt probat D. Thom. prima par. quæst. 61. art. 2. & hoc tamquam certum supponendum est, cui etiam adstipulantur Cardinalis Caietanus, & Dominicus Bannes ibidem, sed hoc ipsum apertius tradidit D. August. lib. vndecimo de ciuitate Dei cap. 32. circa finem, vbi quærens an Angeli prius creati sint, quam homines concludit, vt in hac re libere sentiat vnusquisque, quod velit proinde inquit, vt volet vnusquisque accipiat, quod ita profundum est, vt ad exercitationem legentium à fidei regula non aberrantes plures pariat generare sententias, dum tamen Angelos sanctos in sublimibus cæli sedibus, nõ quidẽ Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna, & vera felicitate securos, & certos esse, nemo ambigat, & libr. 5. de Genes. ad litteram cap. 19. hoc idem constanter asseuerat, cum dicit nulla creatura creata est ante secula, sed a seculis cum quibus cœpit esse. Huc etiam D. Augustinus, qui clarioribus verbis demonstrare non poterat Angelos suo creatori nullatenus coæternos extitisse, quod etiam docuit D. Ambros. lib. 1. Exameron cap. 5. exponens primum caput Geneseos, factus inquit est mundus, & cœpit esse, qui non erat, verbum autem Dei in principio erat, & semper, sed Angeli & Dominationes, & potestates aliquando esse cœperunt, coeterum quoniam, vt indicauimus supra affirmari videtur in responsione huius dubitationis a Deo Angelos in principio ante tempora, & secula creatos esse, quod etiam insinuare visus est D. Hieronym. in Comment. super Epistolam ad Titum non longe ab initio capitis primi, vbi ait, sex millia, nec dum nostris temporibus implentur annorum, & quantas prius æternitates, quanta tempora quantas seculorum origines transisse arbitrandum est, in quibus Angeli, troni, Dominationes cæterique ordines Deo seruierunt absque temporum vicibus, & mensuris, & Deo iubente substiterunt, atque hæc D. Hieronymus non ita sentiendo, sed aliorũ opiniones referendo attulisse existimat Magister sent. in 2. d. 2. aut etiam cum D. Thom. dicere possumus p. 1. q. 61. artic. 3. ad primum illum fuisse locutum secundum opinionem Doctorum Græcorum, qui affirmarunt Angelos ante hunc corporeum mundum fuisse creatos, nos vero textum hunc Beatæ Brigittæ, & præsertim illa verba a Deo Angeli ante secula, & tempora creati sunt, existimamus interpretanda esse de seculo, & tempore, quod præcessit creationem hominum, ita vt ex hoc intelligamus Angelos non ante hunc visibilem mundum conditos esse, prout patres græci tradiderunt, sed tantummodo ante homines, eorumq; creationẽ præ-

Digitized by

præceſſiſſe tempus, quo creatus eſt homo, & ſanè fuiſſe prius creatos Angelos, quam homines docuerunt D. Iſidorus libro primo de ſummo bono cap. 12. D. Aug. lib. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 2. & doctiſſimus Bannes ſuper Sanctum Thomam p.p. quæſt. 61. artic. 3. qui plures etiam refert ſequentes hanc opinionem, inter quos enumerat D. Chriſoſt. in Geneſim homil. 21. quem ait non ſentire, vt alij putant Angelos fuiſſe conditos ante creationem Cœli, & Terræ, ſed ſolum ante homines, ſed quidquid ſit hac de re hodie poſt deſſinitionem Concilij Lateranenſis ſub Innocentio tertio, & habetur in cap. firmiter de Summa Trinitate, & fide Catholica, omnino tenendum eſt Angelos hunc viſibilem mundum minime præceſſiſſe, & ſuo Creatori minime coæternos extitiſſe, ſcribitur enim ibi, Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, quam ſententiam poſt Conc. omnes Theologi ſecuti ſunt in 2. ſent. d. 2. horum plures refert Aloyſius Lippomanus in catena ſuper Geneſim ad illa verba In principio creauit &c. fauet huic opinioni D. Aug. lib. de Ciuitate cap. 6. & 9. D. Gregor Magnus libr. 32. Moral. cap. 20. 24. & 25. Epiphanius lib. 1. contra hæreſes hæreſi 65. Theodoretus q. 3. in Geneſim, plura hac de re vide apud Auguſtinum Eugubinum libro 17. de perenni Philoſophia cap. 5. & 17. Supereſt modo cauſam inquiramus, quare voluerit Deus Angelos incorporeos, homines vero corporeos creare, & ſanè nõ defuerunt, qui opinati ſunt Angelos habere corporea naturaliter vnita, nam Tertullianus antiquiſſimus auctor in libro de carne Chriſti, & de velandis Virginibus, hoc probare contendit, ex illa Geneſis ſexto videntes filij Dei filias hominũ quod eſſent pulchræ, vbi per filios Dei Angelos intelligit, licet D. Thom. meo iudicio rectius exiſtimet p.p. quæſt. 61. art. 3. ad ſextum per filios Dei intelligendos eſſe filios Seth. qui appellantur Angeli, quia in eius progenie Dei cultus perſeuerauit, & eſt expoſitio Gloſ. Interlinearis, & Diui Auguſtini lib. 15. de Ciuitate cap. 23. ſecuti ſunt, Tertullianum propter idem teſtimonium, Lactantius Firmianus lib. 2. Diuinarum inſtitutionum cap. 15. D. Baſil. de Spiritu ſancto cap. 16. Origenes lib. 2. Periarchon cap. 2. & 3. Caſſianus Collat. 7. capit. 13. D. vero Auguſtinus circa hanc quæſtionem, fuit valde dubius, vt conſtat ex lib. 21. de Ciuitate cap. 10. vbi ait ſunt Dæmonibus ſua quædam corpora, vt magnis auctoribus viſum eſt, ſi quis autem nulla habere corpora Dæmones aſſerat, non eſt hac de re, aut onerosa inquiſitione laborandum, aut contentioſa diſputatione certandum, & lib. 8. de Ciuitate cap. 16. non reijcit ſententiam Apulei, & aliorum Platonicorum, qui exiſtimarunt Angelos habere corpora, immo ſatis dubitanter loquitur in Enchiridion cap. 59. & libro tertio de Trinit. cap. 1. & libro ſecundo ſuper Geneſim ad literam cap. 17. ſed vt ad rem noſtram veniamus veriſſimum eſſe arbitror, quod traditur hoc loco, Angelos nullo pacto habere corpora naturaliter vnita, & ratio probabiliſſima eſt, quæ hic affertur, quoniam cum Deus ſpiritus ſit Ioann. 4. conueniens fuit, vt ei vtraque creatura ſpiritualis ſcilicet, & corporalis inſeruiret, quæ opinio noſtris hiſce temporibus omnino videtur recipienda, cum præſertim fuerit comprobata in Conc. Lateranenſi ſub Innocentio Tertio loco ſupra citato, & eam ſequantur grauiſſimi, & Antiquiſſimi Patres, vt D. Dioniſius libro de Diuinis nominibus cap. quarto D. Gregor. libro quarto moral. cap 9. D. Chriſoſt. Homilia vigeſimaſecunda ſuper Geneſim, vbi irridet eos, qui Geneſis ſexto per filios Dei Angelos intelligunt, quia Angeli inquit generare non poſſunt, accedit ad hanc ſententiam D. Damaſcenus libro ſecundo de fide Orthodoxa cap. 3. Hugo Victorinus libro primo de Sacramentis parte quinta cap. ſeptimo, & octauo, Albertus Magnus in ſecund. ſentent. d. 8. quæſt. prima, artic. primo, & ibidem D. Bonauentura quæſtione prima, & inter ſcholaſticos, Scotus in 2. d. 2. quæſt. ſexta, Thomas de Argentina diſtin. 3. quæſt. prima, Alenſis in ſecunda parte, quæſtione vigeſima, membro tertio ad ſeptimum argumentum, & alij plures quos enumerare longum eſſet. Poſtremo Magiſter Sententiarum in 2. d. 8. docet Diuum Auguſtinum, aliosque plures contrarium ſentientes fuiſſe locutos, non ex propria, ſed ex aliorum ſententia.

INTERROGATIO IX.

Quæſtio quinta.

2 CVr non eſt ita lux in nocte ſicut in die.

Optime in reſponſione ad dubitationem præſentem exemplo. Vehiculi quo diuerſa ferruntur pondera, quodque ſubductis, & ad inuicem circumducentibus Rotis hucque, illucque mouetur viciſſitudo temporis ad operandum apti, & temporis ad quieſcendum accommodati oſtenditur, hanc autem diei, ac noctis viciſſitudinem fieri per luminaria Cœli tradit Moyſes Geneſis cap. 1. cum dicit fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, & paulò ſupra eodem capite ſcribitur, viditque Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem, ac tenebras, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem ſi quis autẽ quærat, quo

modo, & per quod præcipue ista diuisio facta sit respondeo per motum solis, qui quando mouetur super vnum hemisphærium tenebræ fiunt in hemisphærio opposito ob opacitatem terræ, quæ in medio sita est, quemadmodum ergo cum sol super terram fertur, illique præsens fit, dies efficitur: ita cum ab ea absconditur, nox statim sequitur, quod etiam egregie explicauit D. Damascenus lib. 2. de fide cap. 7. non longe ab initio, dies, inquit, eo ipso est, quod sol est super terram, & spatium diei est cursus solis super terram, ab oriente, dum deuenerit, in occidentem, & luminare minus, idest lunam, & stellas in principatum, & potestatem noctis, vt illuminent eam; nox enim eo ipso est, quod sol sub terra est, & spatium noctis est solis cursus sub terra ab occidente, vsque dum in orientem recurrit: fuit ergo, vt innuitur hoc loco huiusmodi diei, ac noctis vicissitudo penitus necessaria, neque enim potest homo semper in labore persistere, sed cum aliquando quiescere necesse est, & per somnum sensus recreare, erat ergo vtrumque tempus, & labori, & quieti aptum constituendum, sicut etiam annotauit Lyranus in citatum locum Geneseos, & clarius Theodoretus quæst. septima in Genesim, illud inquit, scilicet lumen, hominum operibus, & laboribus confert, & apparere facit, ea quæ videntur, adhortaturque ad collaudandum horum auctorem, tenebræ vero quiescere faciunt, & reparant hominem soluta lassitudine, quam ex labore contraxit, similiter homines ad domum cogunt redire, bestiis vero præbent occasionem pabuli, & hoc aperte nos docet Dauid Psal. 103. Posuisti (inquit) tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ agri, catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi, quod explicans D. Hieronymus, ideo, inquit, noctem fuisse factam, vt homines requiescerent ab operibus suis, & bestiæ egrederentur ad pastionem, & clarius hoc etiam insinuauit ibidem Theodoretus, qui asserit noctem hominibus quietem dare, feris vero securitatem largiri, vt ventres expleant.

REVELATIO QVARTA in libro quæstionum, in qua Filius Dei pulcherrime laudat omnia membra Virginis Mariæ matris suæ, moralizans ea spiritualiter, & pronuncians eam dignissimam reginali corona.

FILIVS loquitur. *Ego* sum coronatus *Rex* in deitate mea sine principio, & sine fine, nec initium habet corona, nec finem, significans potestatem meam, quæ non habuit principiũ, neque habebit finem. Verum ego aliam coronam habui custoditam in me, quæ quidem corona sum ego ipse Deus. *Hæc* autem corona preparata fuit ei, quę maximã charitatem haberet ad me, & hanc coronã dulcissima mater mea vicisti, & traxisti ad te cum iustitia, & charitate. Nam de hoc testimonium perhibent Angeli, & alii Sancti, quod in te ardentior fuit charitas ad me, & castitas tua purior omnibus, quæ placuit mihi super omnes. Caput quippe tuum fuit quasi aurum fulgens, & capilli quasi radii solis. *Quia* tua mundissima virginitas quæ est in te, quasi caput omnium virtutum, & continentia omnium illicitorum motuum placuerunt, & fulserunt in conspectu meo cum omni humilitate, ideo merito vocaris coronata regina super omnia quæ creata sunt. Regina propter munditiam, coronata propter excellentem dignitatem. Frons tua fuit incomparabilis albedinis, significans verecundiam conscientiæ tuę in qua plenitudo est humanæ scientię & dulcedo diuinę sapientiæ lucet in ea super omnes. Oculi tui fuerunt in conspectu *Patris* mei sic lucidi, quod se speculabatur in eis, quia in spirituali visu tuo, & intellectu animæ tuæ, videbat pater omnem voluntatem tuam, quod nihil volebas nisi ipsum, & nihil desiderabas nisi secundum ipsum. Aures tuę fuerunt mundissime, & aperte tanquam fenestræ pulcherrimę, quando protulit tibi *Gabriel* velle meum, & quando ego *Deus* factus in te caro. *Genæ* tuæ fuerunt de optimo colore scilicet albo, & rubicundo, quia fama operum tuorum laudabilium pulchritudo morum tuorum placuerunt mihi, quibus quotidie inflammabaris. Verę ex pulchritudine morum tuorum gaudebat Deus *Pater*, & nunquam auertit oculos suos a te, & ex charitate tua omnes obtinuerũt charitaté.

Os

Os tuum fuit quaſi lampas intus ardens, & lucens ab extra, quia verba, & affectiones animæ tuæ fuerunt ardentes interius diuina intelligentia, & exterius ſplendentes ex diſpoſitione laudabili tuorum motuum corporalium, & concordantia pulcherrima tuarum virtutum. Vere Mater chariſſima verbum oris tui traxit quodam modo deitatem meam in te, & feruor diuinæ dulcedinis tuæ nunquam ſeparabat me à te, quia verba tua dulcia ſunt ſuper mel, & fauum. Collum tuum eſt nobiliter erectum & pulcherrime eleuatum, quia iuſticia animæ tuæ plene eſt erecta ad me, & ſecundum velle meum mobilis, quia nunquã inclinata fuit ad aliquod malum ſuperbiæ. Sicut enim collum curuatur in capite, ſic omnis intentio, & operatio tua flectebatur ad voluntatem meam. Pectus tuum plenum fuit omni virtutum ſuauitate, intantum, quod non eſt bonum in me, quod non ſit in te, quia traxiſti omne bonum in te, ex morum tuorum dulcedine, quando deitati meæ placuit intrare ad te, & humanitati meæ habitare tecum, & bibere lac mammillarum tuarum. Brachia tua pulchra fuerunt per veram obedientiam, & tolerantiã laborum, ideo corporales manus tuæ tractauerunt humanitatem meam, & quietus fui inter brachia tua cum deitate mea. Venter tuus fuit mundiſſimus ſicut ebur. Et ſicut locus ex virtuoſis lapidibus ſplendidiſſimus, quia conſtantia conſcientiæ tuæ, & fidei nunquam tepuit, ſed nec in tribulatione potuit vitiari. Huius itaq. ventris, ideſt, fidei tuæ parietes fuerunt quaſi aurum fulgentiſſimum, in quibus notatur fortitudo virtutum tuarum, & prudentia tua, & iuſtitia, & temperantia, cum perfecta perſeuerantia, quia ipſe omnes virtutes tuæ perfectæ fuerunt diuina charitate. *Pedes* tui mundiſſimi, & loti erant, quaſi pleni herbis odoriferis, quia ſpes, & affectus in me tuæ erant recta ad me *Deum* tuum, & odorifera ad aliorum exemplum, & imitationem. *Hic* itaque locus ventris tui, tam ſpiritualis, quam corporalis tantum mihi erat deſiderabilis, & tantum anima tua mihi placita, quod à ſummo cælo deſcendere ad te, & in te morari non abhorrui, imo ſuauiſſime delectatus ſum. Ideo *Mater* chariſſima corona illa quæ cuſtodiebatur in me, quę quidem corona ſum ego *Deus*, qui debeam incarnari, nulli debuit imponi niſi tibi, quia es vere Mater, & virgo, & imperatrix omnium reginarum.

INTERROGATIO X.

Quæſtio prima.

ITEM apparuit Religioſus, qui ſupra in gradu
1 ſuo, dicens. 1. O iudex
quæro a te. Cum tu ſis
potentiſſimus, pulcherrimus, & virtuoſiſſimus,
cur deitatem tuã incomparabiliter ſole clariorem, ſuperinduiſti talem ſaccum, ſcilicet, humanitatem tuam.
2 *Quæſtio ſecunda.* 2 Item quomodo deitas
tua omnia includit in ſe, & a nullo includitur, continetque omnia, & a nullo conti-
3 netur. 3 *Quæſtio tertia.* Item cur tanto
tempore iacere voluiſti in vtero Virginis, & non ſtatim proceſſiſti quando conceptus eras. *Quæſtio quarta.* Item cum omnia poſſis, & vbique es præſens, cur non ſtatim in tali ſtatura apparuiſti, ſicut cum ad an-
4 num trigeſimum perueniſti. 4 *Quæſtio*
quinta. Item cur de ſemine Abrahæ non es natus ſecundum patrem, cur circuncidi
5 voluiſti. 5 *Quæſtio ſexta.* *Item* cum
ſine peccato conceptus, & natus es, cur baptizari voluiſti?

RESPONSIO QVAESTIONIS primæ.

CVI *Iudex* reſpondit. Amice, reſpondeo tibi per exemplum. Eſt quoddam genus vuarum, cuius vinũ tam forte eſt, quod abſque cõtactu hominis exit de vuis, cuius tempus maturitatis attendens poſſeſſor ſupponit vas, nec vinum expectat vas, ſed vas vinum; ſi vero plura vaſa ſupponuntur, vinum in vas quod ſibi vicinius eſt ſe infundit. Hæc igitur vua deitas mea eſt, quæ vino diuinę charitatis ſic plena eſt, quod omnes chori Angelorum replentur ex ea, & omnia quæ ũque ſunt participantur. *Sed* homo per inobedientiam ſe ea fecit indignum. Cum igitur *Deus* pater meus, tempore ab æterno præuiſo oſtendere vellet charitatem ſuam, miſit vinum ſuum, ideſt me filium ſuum in vas, quod vicinius poſitum expectabat aduentum vini, ſcilicet in vterum virginis, quæ prę omni creatura, feruentiorem ad me habuit charitatem. *Hæc* igitur virgo,

Digitized by Google

tantum diligebat, & desiderabat me, quod non erat hora qua non quærebat me, affectans fieri ancilla mea, ideo obtinuit ipsa vinum electum, quod quidem vinum habuit tria. Primo fortitudinem, quia absque contactu hominis exiui. Secundo pulcherrimum colorem, quia speciosus forma descendi a summo cælo pugnaturus. Tertio suauitatem optimam, inebrietatem summa benedictione. Hoc igitur vinum, quod sum ego ipse ideo ingrediebatur viscera virginea, vt ego Deus inuisibilis, fierem visibilis, vt homo perditus liberaretur. Ego quippe bene potuissem aliam formam assumpsisse, sed non fuisset iustitia in Deo, nisi vt forma daretur pro forma, natura pro natura, modus satisfactionis secundum modum culpæ. Quis autem sapientum credere, vel æstimare potuisset, quod ego Deus omnipotens tantum me humiliare vellem, vt sumerem saccum humanitatis, nisi illa inexcogitabilis charitas mea fuisset, qua visibiliter volui conuersari cum homine, & quia vidi Virginem tam feruenti charitate ardere, ideo victa est mea diuina seueritas, & ostensa charitas, vt mecum homo reconciliaretur. Quid miraris, ego Deus qui sum ipsa charitas, & qui nihil odio eorum quæ feci, non solum disposui dare homini dona optima, sed & meipsum in pretium, & præmium, vt omnes superbi diaboli confundantur. Responsio quęstionis secundæ. Item quomodo deitas mea omnia concludit in se. Respondeo. Ego Deus spiritus sum, qui dico & factum est, qui præcipio, & omnia obediunt mihi. Ego vere sum qui do omnibus esse, & viuere. Qui antequam facerem cælum, & montes, & terram in meipso sum. Qui supra omnia, & extra omnia sum. Qui intra omnia sum. Et in me sunt omnia. Et sine me est nihil. Et quia spiritus meus vbi vult spirat, & cum omnia vult potest, & omnia scit, omnibusque spiritibus velocior, & agilior est, omnem habens virtutem, omniaque præsentia, præterita, & futura prospiciens. Ideo spiritus meus, idest deitas mea merito incompræhensibilis est omnia compręhendens. Responsio quæstionis tertiæ. Item cur tanto tempore in ventre virgineo iacuisti. Respondeo. Ego sum omnis naturæ conditor, & vnicuique naturæ disposui debitum modum, & tempus, & ordinem nascendi. Si igitur ego conditor statim, vt conceptus fui processissem ex vtero fecissem contra naturalem dispositionem, & tunc humanitatis meæ assumptio fantastica visa fuisset, & nō vera. Ideo ego volui esse tanto tempore in vtero sicut alij pueri, vt ea quæ bene feceram naturalem dispositionem ordinando, etiam in meipso adimplerem. Responsio quęstionis quartæ. Item cur non tantæ magnitudinis fui statim tempore natiuitatis meæ sicut in anno trigesimo. Respondeo. Si hoc fecissem omnes admirati fuissent, & timuissent me, sequentes plus ex timore, & propter visa miracula, quam ex charitate. Et quomodo tunc impleta fuissent dicta prophetarum, qui prædixerunt me puerum ponendum inter animalia in pręsepio, adorandum a Regibus, & offerendum in templum, persequendum ab inimicis? Ideo ad ostendendum humanitatem meam esse veram, & dicta prophetarum in mę completa, crescebam membris per interualla temporum, qui plenitudine sapientiæ tantus eram in principio natiuitatis, sicut in fine. Responsio quæstionis quintæ. Item ad illud quod petis. Quare circumcisus sum. Respondeo ego quamuis non eram ex origine Abrahæ secūdum patrem, eram tamen secundum matrem, licet sinę peccato. Itaque quia legem in deitate constitui, etiam humanitate legem sufferre volui, ne inimici calumniarent me dicentes, me præcepisse, quæ non volui adimplere. Responsio quæstionis sextæ. Item cur baptizari volui. Respondeo. Omnis qui viam nouam condere, vel inchoare voluerit, necesse est, vt ipse conditor, & inchoator eiusdem viæ alios præcedat. Itaque antiquo popolo data erat via quædam carnalis, scilicet circuncisio in signum obedientiæ, & purgationis futuræ, quæ in personis fidelibus, & legē seruantibus, antequam veniret veritas promissa scilicet ego Dei filius operabatur affectum quendam futurę gratiæ, & promissionis, veniente vero veritate, quia lex non erat, nisi quasi vmbra diffinitum est in æternitate, vt antiqua via retrocederet, carens effectu suo. Ergo vt veritas appareret, & vmbra retrocederet, viaque facilior ad cælum ostenderetur. Ideo ego Deus, & homo sine peccato natus baptizari volui, propter humilitatem, & aliorum exemplum, & vt cælum credentibus aperirem. Et in huius signum, cum ego baptizatus essem, tunc apertum fuit cęlum, vox Patris audita est, Spiritus sanctus apparuit in columbę specie. Ego Dei filius ostensus sum in homine vero vt homines fideles sciant, & credant, quod Pater fidelibus baptizatis aperuit cælum. Spiritus sanctus est cum baptizante, virtus meæ humanitatis in elemento, quamuis patris & mea & Spiritus sancti vna sit operatio, & vna voluntas. Sic igitur veniente veritate, idest, quando veni in mundo, ego qui veritas sum tunc statim disparuit vmbra, confracta est testa legis, & apparuit nucleus, cessit circuncisio, & confirmatus

est

eſt in meipſo baptiſmus, quo paruulis, & ſenibus aperitur cælum, & filij iræ fiunt filij gratiæ, & vitæ æternæ.

INTERROGATIO DECIMA.
Quæſtio prima.

X ON O T AE.

1 O Iudex quæro a te, cum tu ſis potētiſſimus, pulcherrimus, & virtuoſiſſimus cur Deitatem tuam incomparabiliter ſole clariorem ſuper induiſti talem ſaccum ſcilicet humanitatem tuam.

Dubitationis propoſitæ ſenſus in eo videtur eſſe poſitus, quod cum Deus, qui potentiſſimus, ac pulcherrimus ſit, quare ſibi voluerit humanam hipoſtatice vnire naturam, quæ de ſe infirma, ac debilis eſt, quæve maculis delictorum fœdata exiſtit, cum potuerit ſexcentis alijs modis genus humanum a Dæmonis ſeruitute liberare, hoc autem loco duo oſtendemus, quæ in hac quæſtione exigi videntur, primum quidem, quod Verbum vniendo ſibi naturam noſtram, nullam contraxit, aut imbecillitatem, aut fœditatem, ſecundo vero quod ad maiorem iuſtitiæ proportionem, pertinebat, vt Deus humanam carnem aſſumeret, ſic enim idem fuit ſatisfactor, qui fuerat offenſor, offendit autem homo, debuit ergo ſatisfacere homo, & propterea legimus hic in reſponſione ad hanc dubitationem dixiſſe Deum, ego quippe bene potuiſſem aliam formam aſſumpſiſſe, ſed non fuiſſet iuſtitia à Deo, niſi forma daretur pro forma, natura pro natura, modus ſatisfactionis ſecundum modum culpæ: hanc ergo ob cauſam verbum noſtram potius, quam alienam aſſumpſit naturam, ex cuius Aſſumptione nullā turpitudinem, aut infirmitatem contraxit, id enim ſolis exemplo palam fiet, quemadmodum enim cum nubibus tegitur Sol, claritas eius abſconditur, non obcæcatur, rurſus cum lumen eius toto orbe diffuſum claro ſplendore cuncta illuſtrat, tunc ſi paruo admodum obſtaculo nubis includitur, non aufertur, aut etiam ſi eius radij per Cænum, & Cloacas tranſeunt, non tamen Sol fœdatur, nec deturpatur, ſic quoque verbum cum noſtram naturam aſſumpſit, non potentiam ſuam, aut pulchritudinem perdidit, ſed deitatem ſuam ſub carne veluti, ſub velamine quodam abſcondidit, quod egregie explicans D. Athanaſius oratione quinta contra Arrianos ad Adelphium fratrem ſcribens aliquanto poſt initium non inquit caro ignominiam attulit verbo Dei, abſit, ſed potius caro per verbum Dei glorificata eſt, neque ideo, quia ſeruilem formam aſſumpſit filius, qui in forma Dei eſt, quicquam diminutus eſt in ſua deitate, ſed potius vniuerſæ carnis, rerumque creaturum inde liberator, & vindex effectus eſt, neque ſi Deus miſit filium ſuum genitum ex fœmina, ex ea re nobis aliquid probri, ſed potius honeſta gloria, & magna gratia obuenit: idem habet D. Gregor. Nazianz. in libello quem edidit de fide Nicena contra eoſdem Arrianos circa finem, vbi eandem rem his verbis declarat. Cū inquit Deus hominem induere dignatus eſt, non labem æternitati intulit, vt ſpiritus ſe mutaret in carnem, ſed vt ſuſceptio hominis, immortalitatem, atque æternitatem cæleſtis vitæ præſtaret, nam & ſi Apoſtolus ſemetipſum exinaniſſe dicit, formam ſerui ſuſcipiendo, non vtique ſic exinanitum accipimus, vt aliud quam quod fuerat idem ſpiritus fieret, ſed vt ſepoſito interim maieſtatis ſuæ honore, humanum corpus indueret, quo ſuſcepto ſalus Gentium fieret. Id ipſum tradunt D. Baſil. homil de humana Chriſti gener.
2 *D. Damaſcenus lib. 3. de fide ortodoxa cap. 2. & 3. D. Anſelmus de incarnationis beneficio pluribus in locis. D. Auguſt. libr. 13. de Trinitate cap. 16. ſupereſt modo breuiter quæramus, vt ſupra polliciti ſumus, quare Deus Opt. Max. Redemptionis opus perficere voluerit vniendo ſibi naturam noſtram, cum potuiſſet innumerabilibus alijs modis nos a Dæmonis ſeruitute liberare, ſed cunctis alijs prætermiſſis ille potiſſimum eligitur, vt ait l. c. D. Auguſtinus, quo nec de diuinitate eius imminutum eſt, aut mutatum, & de humanitate ſuſcepta tantum beneficij collatum eſt hominibus, vt a Dei filio ſempiterno, eodemque hominis filio mors temporalis indebita redderetur: qua eos, a ſempiterna morte debita liberaret, hæc D Auguſtinus, & ſane hic modus conuenientiſſimus exiſtit, quoniam vt dicit Apoſtolus 1. Corint. 5. ſicut per vnū hominem mors, ita per hominem reſurrectio mortuorum, ex quo euidenter intelligitur, quod in reſponſione ad hanc dubitationem dicitur, ego quippe potuiſſem aliam formam aſſumpſiſſe, ſed non fuiſſet iuſtitia, niſi forma daretur pro forma, natura pro natura, formam nanque pro forma, & naturam pro natura dedit, quando naturam, quam ſibi hipoſtatice vniuit humanam, morti expoſuit, vt eam a morte liberaret æterna, & de hoc redemptionis myſterio loquens D. Greg. Nazianzenus oratione ſecunda de paſchate ilie inquit fons vitæ, & immortalitatis, illa Archetipi expreſſio, illud immotum ſigillum illa per omnia ſimilis imago, ille patris terminus, & ratio, ille inquam ad imaginem ſuam ſe confert carnemque carnis cauſa gerit. Libet autem hic etiam ex patribus oſtendamus, hunc modum fuiſſe conuenientiſſimū etiam ex parte Naturæ aſſumptæ, & primo dicendum mihi videtur, quod cum humana natura propter peccatum facta fuiſſet vilis, & omnino depreſſa, ſi illius dignitas erat reparanda, non potuit commodius hoc fieri, quam quod verbo vnita ſuper omnes etiam creaturas exaltaretur, nihil enim habuit humana natura quo altius*

exurgeret, quod fuit eximium donum, vt Deus factus sit homo, sic tradit D. Augustinus de prædest. Sanctorum cap. 15. & de vera religione c. 6. & Clemens Alexandrinus in adhortatione ad gentes, & quamquam hoc videatur esse proprium solius humanitatis Christi, idem tamen mira dignitas redundat in vniuersam humanam naturam, vt probat D. Athanasius de humanitate Verbi, & oratione contra idola, Nazianzenus oratione 2. de Natali, Basilius in Psal. 49. atque hæc excellentia naturæ collata consistit in eminentia carnis Christi, qua nihil potest esse diuinius; Secundo in imperio etiam in Angelos, quia est eleuata super eos, & Christus quoque factus caput eorum est: Tertio, quia homines quadam ratione sic dicuntur fratres Dei, vt ad Hebræos 2. & 3. Secundo etiam, quia natura humana in amore Dei per peccatum valde frigescebat, & ad eum amorem est eleuata per assumptionem illius à verbo, ob naturæ præsertim similitudinem, & societatem, quæ ad conciliandam beneuolentiam multum confert, vt indicat D. Dionys. de diuinis nominibus c. 4. Tertio, quia à via veritatis aberrauerat, & peccatis obcæcata, quotidie in deterius ruebat, ipsa ergo à Verbo assumpta, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, miro modo erecta est, atque prudens etiam facta, imo sibi acquisiuit magistrum quem tuto sequeretur, & cui crederet, tum ob veritatem doctrinæ, tum quia cum esset verus homo, cæteri quoque homines illum facilius sequebantur, eiusque doctrinæ fidem præstabant: atque hoc idē etiam insinuauit D. August. de amore Christiano c. 11. & serm. 9. de Natali. Quarto verbum etiam naturam assumpsit humanam, quippe quæ cum appetitū quendam, ac propensionem naturalem haberet, vt se vniret cum Deo, ad quam vnionem nullatenus suis viribus poterat peruenire, ideo per verbum cupiditas hæc expleta est, eam sibi assumendo, quam rationem afferunt D. Bonauent. in 3. Sent. d. 1. q. 2. & D. Athanas. de humanitate Verbi. Postremo hic quoque modus conuenientissimus fuit, quia cum humana natura ob peccatum ius ad gloriam amisisset, ob Christi merita, qui illam sibi hypostatice vniuit, illud ius obtinuit, vna cum efficacissimis remediis ad eam sibi comparandam, nam post Incarnationem, fidem fuisse firmiorem, docuit D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 11. c. 2. & de spe lib. 13. de Trinitate c. 16. de charitate vero tradit de cathechizandis rudib. c. 4. ipsam etiam gratiam post aduentum Domini, longe efficaciorem fuisse factam, probat de correptione, & gratia c. 11. Postremo dicendum est id factū fuisse, tum quia hoc pertinuit ad maiorem hominum dignitatem, ac honorem, vt paulo supra indicauimus, tum vt sic magis confunderentur dæmones, vt in eadem natura, quam vicerant vincerentur, tum etiam vt sic maior hominibus diuinæ dilectionis, ac misericordiæ ostensio fieret, sicut egregie annotauit D. Leo Pont. serm. 2. de Natiuit. c. 3. vera inquit misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterēt, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute vteretur potentiæ, sed ratione iustitiæ, ex dictis ergo euidenter patet, quapropter voluerit Verbum humanam naturam assumere, sicq. redemptionis opus perficere.

INTERROGATIO X.
Quæstio II.

NOTAE.

1 QVomodo Deitas tua omnia includit in se, & a nullo includitur, continetque omnia, & a nullo continetur.

In præsenti dubitatione duo breuiter faciemus. Primo quidem ostendemus in Deo rerum omnium perfectiones esse, quod à nobis certa fide credendum est; secundo vero quæremus modum, quo illas esse in Deo sacri Theologi asseuerarunt, & hoc est quod quæritur hic; & quamquam Diuinitas ineffabilis sit, atque incomprehensibilis, vt auctor est D. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa c. 1. & 4. tamen, vt idem habet eodem lib. c. 2. quæ Dei sunt, neq. omnia ineffabilia neq. omnia effabilia esse, neq. etiā omnia cognitionis examen refugientia, neq. omnia cognoscibilia, & aliud esse cognoscibile, & aliud effabile, vt autem à primo sumamus exordium, quis vnquam dubitare poterit, Deum in se omnium habere perfectiones, ac virtutes, nam cum ipse sit cunctarum rerum auctor, & conditor, cumq. quidquid perfectionis in effectu est, reperiatur in causa etiam excellentiori modo, consequens inde necessario fit, quod in eo, qui est prima, & vniuersalis causa, & per quem omnia facta sunt, vt Ioan. 1. scribitur, sint quoque omniū creaturarum perfectiones, quod ex Paulo Apostolo Rom. 11. satis euidenter colligi potest, cum dicit, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, hinc est quod D. Dionysius de diuinis nominibus c. 5. dixit Deum in vna essentia omnia præhabere, sed hoc ipsum egregie explicat D. Greg. Nazianzenus in lib. quem de fide Nicena edidit aliquanto post medium, certe inquit hoc est Deus, quod cum dicitur non potest dici, cum extimatur non potest extimari, cum definitur, ipsa definitione crescit, quia cælum manu sua cooperuit, pugno omnem mundi ambitum concludit, cæterum quoniam hoc certissimum, & apud omnes in confesso est, restat explicemus modum, quo illæ perfectiones in eo dicuntur inueniri, sed obijciet prius aliquis hic: incomprehensibilis est

diuina

Google

diuinæ ſubſtantia, quomodo ergo de perfectionibus diuinis diſſeremus, quæ cum ea identificantur, cui obiectioni reſpondes Cyrillus Hieroſolymitanus Chatechesi ſexta, nunquid igitur ait, quia totum fluuium ebibere nequeo, id quod mihi commodum eſt ſola menſura non hauriam, nunquid cum ſolem oculis comprehendere nequeam, etiam lucis illius viſum quantum ſufficit non aſpiciam, & ſi in hortum magnum ingreſſus fuero, & omnes genus fructuum comedere non potuero, vis ne, vt inde ex eam, non ergo exhibimus, & propoſitam difficultatem intactam relinquemus, ad hanc ergo facilius enodandam ſciendum eſt, ex D. Anſelmo in proſologio cap. 15. perfectionem diſtingui dupliciter poſſe, quedam eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quedam vero ſecundum quid: perfectio ſimpliciter dicitur, quæ in vno quoque melior eſt ipſa, quam non ipſa, hoc eſt: quæ in vno quoque ente in quo reperitur conſtituit illud ens in excellentiori gradu entis, quam ſi eſſet ſine illa: ſcientia namque, & vita dicuntur ſimpliciter perfectiones, quia melior eſt viuens, & ſciens, quam quodlibet aliud non viuens, & non ſciens, & ex his facile poteſt deduci, quid ſit perfectio ſecundum quid, & ea eſt, quæ non in vno quoque ente melior eſt, quam non ipſa, non enim conſtituit ens in gradu perfectiori, quam conſtitueret per aliam perfectionem, quæ non eſſet illa. His poſitis dico primo, ſi ſermo ſit de perfectionibus ſimpliciter, eas eſſe in Deo formaliter, quod certa fide credendum eſt, ſic habet communis ſenſus Theologorum omnium, & patet ex eo; quia nomina, quæ tales perfectiones ſignificant dicuntur proprie de Deo, quia Deus eſt proprie ſapiens, &c. Sic D. Ambroſ. in prologo lib. 2. de fide ad Gratianum Imperatorem, & D. Auguſt. libr. 7. de Trinit. cap. 1. ergo huiuſmodi perfectiones formaliter ſunt in Deo, alia vero quæ vocantur perfectiones ſecundum quid non formaliter in Deo ſūt, ſed eminenter, & virtualiter, quia alias ſequeretur, quod proprie prædicarentur de Deo, & ita Deus proprie eſſet corpus, Leo, &c. Quæ veritas definita eſt in Conc. Lateran. contra Almaricham vt inſinuauit Turrecremata in ſumma lib. 4. ca. 35. in Deo autem eſſe rerum omnium perfectiones egregie probat D. Thomas pa. 1. qu. 4. art. 2. vbi dicit, quod cum tota perfectio, quæ in effectu eſt inueniatur in cauſa effectiua, Deus autem ſit cunctarū rerum efficiens cauſa, ſequitur etiam, quod omnis perfectio in eo ſit, & ideo Paulus Rom. 11. ſcripſit ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, & Dionyſius 5. cap. de Diuinis nominibus aſſeruit de Deo, quod non quidem hoc eſt, hoc autem non eſt, ſed omnia eſt, vt omnium cauſa. Cæterū ſi de creaturis adhuc ſermo fiat diſtinguendum eſt, nam quodlibet creatum conſiderari poteſt dupliciter, vno modo ſecundum propriam ſuam naturam, alio modo ſecundum eſſe virtuale ſuæ cauſæ, prout dicitur in ſua cauſa præexiſtere ſecundum quem modum locutus eſt D. Dionyſius, vbi ſupra quando dixit Deum in vna eſſentia omnia præhabere. His poſitis. Dico primo ſi res creata conſideretur ſecundum propriā ſuam naturam, ſic ipſa dici poteſt, quod eſt in Deo, & ab ipſo comprehendi, quia eſt in Dei ſcientia, & potentia, quæ non diſtinguitur ab eſſentia Diuina, ideo creatura ſic poteſt dici, quod ſit in eſſentia diuina, vt tradit D. Th. p. 1. q. 18. ar. 4. ad primū, quāquā Durād. in 1. ſent. d. 36. q. 2. diſſentire videatur, dicit. n. in rigore ſermonis verū non eſſe, quod creatura ſic conſiderata dici poſſit, quod ſit in eſſentia Diuina, licet enim eſſentia Dei non ſit aliud quam ſua potentia, & ſcientia, tamen inquit aliud connotatur in nomine eſſentiæ, quam in nomine potentiæ, & ſcientiæ, propter quod aliud dicitur eſſe in vno, & non in alio, vnde conſiderata creatura ſecundum ſuum proprium eſſe formale, cum non ſit idem quod Deus ſolum ſe habet ad Deum in ratione terminantis eius operationem, & non in habitudine identitatis, nomen autem Deus ſignificat ſuppoſitum, cuius eſt agere, ſcientia vero, & potentia ſignificat principia actionum, ſed quidquid ſit, quoniam hec ad Doctores Scholaſticos ſpectant, hic omittenda eſſe cenſeo: interim dico, quod ſi res creatæ conſiderentur, vel ſecundum eſſe virtuale ſuæ cauſæ, ſecundum quod in ſua cauſa præexiſtunt. Sic dici optime poteſt, quod in eſſentia diuina omnia exiſtunt, imo ſunt ipſamet eſſentia, quæ eſt ſua virtus productiua creaturarum, atque hinc affirmarunt D. Anſelmus, & Lyranus in pſalm. 35. ad eum verſiculum, quoniam apud te eſt fons vitæ, quod creatura in Deo eſt creatrix eſſentia. Tertio addit D. Thom. loco paulo ſupra citato, quod conſiderate creaturæ in quantum continentur Diuina virtute, & conſeruantur, ſicut dicimus ea eſſe in nobis, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſic creaturas eſſe in Deo etiam prout ſunt in proprijs naturis. & in hunc ſenſum interpretatur illud Apoſtoli actorum 17. in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus, atque hoc adeo verum eſſe putat, vt credat res creatas verius eſſe in Deo, quam in ſeipſis; & in natura propria, quod etiam docuit Anſelm. in Monologio cap. 36. Dico quarto, Deum etiam omnia in ſe ipſo includere, ac continere, quatenus eſt omnibus rebus intime præſens, per eſſentiam primo, quia omnibus rebus eſt cauſa eſſendi, per præſentiā vero quoniam omnia ſunt præſentia, & aperta oculis eius, vt Hebreorum 4. dicitur. Poſtremo etiam per potentiam, quatenus eius poteſtati cuncta ſubduntur, vnde Hieremias cap. 23. ſuarum Reuelat. dixit in perſona Dei, cœlum, & terram ego impleo, idem etiam oſtendit D. Aug. lib. 1. conf. ca. 2. & 3. lib. 7. cap. 5. vbi contemplatur ipſum Deum, vt mare infinitum, intra quod eſt ſpongia, quam penetrat aqua maris, cui ſpongiæ comparat totum mundum, atque ex dictis ſatis euidenter colligi poteſt, quomodo intelligendum ſit, quod hoc loco proponitur, Deum nimirum omnia in ſe includere, & continere a nullo vero includi, & contineri.

INTERROGATIO X.

Quæstio tertia, & quarta.

NOTAE.

1 CVr tanto tempore iacere voluisti in vtero Virginis, & non statim processisti quando conceptus eras. Item cum omnia possis, & vbiq; præsens, cur non statim in tali statu apparuisti sicut cum ad annum trigesimum peruenisti.

Diuino consilio factum esse censendum est, vt certo tempore Saluator noster Iesus Christus in Materno Virgineo vtero moraretur, poterat quidem sicut sanctissimum corpus eius, secundum omnes suas partes essentiales statim formatum est, in vtero, sic, Illico etiam ex vtero prodire. Voluit tamen in eius natiuitate more cæterorum tempus a natura præfinitum expectare. ad cuius rei cognitionem. primo sciendum est, quod vt obseruauit Arist. lib. 7. de Historia Animalium cap. 3. & 4. & Plinius lib. 7. cap. 5. hominem hac in re a cæteris animalibus defferre, quod cætera habent præfinitum tempus pariendi, & commorandi in vtero, homo vero non sic, tradit enim Plinius vbi supra, mulierem quandam peperisse decimotertio mense, Narrat etiam Gellius lib. 13. cap. 16. Mulierem nobilem fuisse accusatam apud Adrianum, quod peperisset vndecimo mense post obitum viri, qui requisitis Medicorum, & Philosophorum super hanc rem sententijs, eam absoluit, Rursus etiam consueuerunt parere septimo mense, vel octauo, & communiter nono, qua de re latissimè egit Federicus Bonauentura Vrbinas vir doctissimus in libro quem recenter edidit De Partu Octimestri, sed quidquid sit dicendum mihi videtur Christum Dominum fuisse conceptum 25. Martij, vt ex Ecclesiastica traditione constat, & probant D. Athanas. in lib. quæst. ad Antiochum. Chrisost. Homil. prima in Lucam, Augustinus serm. 18. de Natiuitate, & lib. 83. quæstionum q. 56. natum verò fuisse 25. Decembris, quod tempus continet dies 275. ex quo infertur nouem menses, & quinque dies intercessisse inter conceptionem, & Natiuitatem, vnde verisimum est, quod tradidit Damascenus lib. 4. de fide, cap. 15. Nouem menses expleuisse Christum, & decimum iam ingressum fuisse, cum in lucem prolatus est, idem colligitur in Epistola Synodali Sophronij, quæ refertur in sexta Synodo act. 2. Christum inquit in vtero Virgineo deportatum, tempus expleuisse legitimi Puerperij, hoc etiam patet ex Ecclesiæ traditione, quam indicauit Augustinus libro 4. de Trinit. ca. quinto, & lib. 83. quæstionum quæstione citata, & Chrisost. homil. 1. in Lucam. & Eiranus in Lucam cap. 1. ad ea verba Salutationis Angelicæ (Dominus tecum) idem probari potest euidenter, serm. Angelico de Virg. excellentia cap. 15. sic enim hac de re; tractans, ibi Angelus habet. Ipse in Virgine tanto morabatur tempore, sicut alijs infantulis ante suum partum in maternis visceribus morari necesse est, quemadmodum etiam per totum Virginis corpus, quando idem Dei filius concipiebatur cum sua diuinitate introiuit. ex dictis euidenter patet falsum esse quod aliqui affirmarunt, apud Eusebium hæres. 51. Christum septimo a sua conceptione mense fuisse natū. superest modo inuestigemus huius temporis Natiuitatis Christi rationem, quæ alia non est, vt admonuerunt Sophronius, & Damascenus vbi supra, nisi quia hoc est legitimum tempus, & maxime connaturale ad perfectam hominis natiuitatē. in his autem, quæ ad perfectionem naturæ spectant, quæue indecentiam non importāt voluit Christus ea omnia obseruare, & hoc est quod in responsione ad præsentem dubitationem scribitur ibi. Ideo ego volui esse tanto tempore in vtero, sicut alij Pueri, vt ea quæ bene fecerant naturalem dispositionem, ordinando etiam in me ipso adimplerem, sed paulo supra huius rei altera etiam satis probabilis affertur ratio, & ea est, quoniam si Christus in Natiuitate sua Naturalem dispositionem, & præfinitum temporis cursum, minime obseruasset, potuissent homines inde deducere Verbum non veram, sed fantasticam carnem assumpsisse, eandem ob causam voluit Christus, etiam ex Virginali Thalamo prodire, cum ea corporis magnitudine qualem habere solent illi, qui ad annum trigesimum peruenerunt, quoniā multa, prophetæ de Christo prædixerunt, quæ cum ipse adhuc puer esset adimplenda erant, tum quia sic veritas assumptæ carnis non æque bene probata fuisset, si eius corporis dispositio in Natiuitate saltem quo ad hoc, cæterorum hominum Natiuitatibus non fuisset conformis: consueuerunt namque homines per interualla temporum ad debitam corporis magnitudinem peruenire, & ideo Diuus Lucas capit. secundo scripsit, quod Iesus proficiebat ætate, hic tamen animaduertendum est ad horum pleniorem cognitionem, Christi corpus fuisse formatum ex purissimis sanguinibus B. Virginis, & in eodē instanti, quo ipsa consensum præstitit factam fuisse sanguinis separationem, cōsolidationem, membrorū figurationem, animæ infusionem, itemque in eodem in-

[illegible] Deus perfectus homo factus in anima, & carne, secundum omnia corporis lineamenta, sed paruulus valde, & ideo Isaiæ nono legimus paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, sed hoc explicat suo D. Damascenus libro tertio de fide cap. secundo, & construxit (inquit) sibi ipsi ex castis, & purissimis sanguinibus carnem animatā anima rationali, & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum Sanctum non paulatim per aditamenta expleta figura, sed vno contextu absoluta.

INTERROGATIO X.
Quæstio quinta.

1 CVr de semine Abrahæ non es natus, secundum patrem, cur circuncidi voluisti.

Christum Dominum ex semine Abrahæ natum esse testatur Paulus Apostolus ad hebræos 2. nusquam inquit Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, ac etiam de semine Dauid. Roman. 1. qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, hinc est quod Christus in Sacris litteris filius vtriusque dicitur Matt. 1. Liber Generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, sed quisquam hic posset quærere primo, cur hos potissimum duos nominauerit Euangelista, ex tam longa Parentum Christi serie, & horum tantummodo filius Christus dictus sit, cui breuiter respondendum esse censeo, quia his duobus peculiariter promissio Christi nascituri ex ipsis facta est, & quidem de Abrahamo patet Genesis 12. 13. 22. in semine tuo benedicentur omnes gentes. De Dauide vero 2. Reg. 7. 12. psal. 88. & 131. de fructu ventris tui ponā super sedem tuam, hos ergo Euangelista nominauit, vt ostenderet promissionem hanc, quam his factam esse nouerant Iudæi, fuisse in Christo completam, sic habent D. Hieron. Matt. 1. D. Ambros libro 3. com. in Lucam cap. 3. Irenæus lib. octauo cap. 18. D. Chrisost. homil. secunda in Matt. Cæterum hoc loco diligenter animaduertendum est, quod cum legimus in responsione ad præsentem quæstionem Christum ab Abrahamo traxisse originem, & ab eius semine descendisse, non quidem ex parte patris, sed solum ex parte Matris his verbis significari non quod Christus ab Abrahamo minime descenderit, vt in principio præsentis notæ ex sacris litteris descendisse probauimus, sed quod descenderit ab Abraham, & Dauide ex parte Mariæ, quæ ex semine [illegible] Dauidis processit, quod egregie annotauit Tertullianus libro de Carne Christi cap. 22. vbi explicans illud Apostoli Roman. primo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, Apostolus inquit confirmat Christum ex semine Dauid secundum carnem vtique ipsius, ergo ex semine Dauid caro Christi, sed secundum Mariæ carnem ex semine Dauid, ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est Dauid, quodcumq; detorseris dictum, aut ex carne, est Mariæ, quod ex semine est Dauid, aut ex Dauid semine est, quod ex carne est Mariæ. Hactenus Tertullianus. Ex dictis euidenter potest ostendi Christum originem suam traxisse etiā ex Abrahā, & ex vtroque descendisse, & vtriusque filium fuisse, & Abrahæ, & Dauidis, vt Matth. primo, scribitur, cur tamen Apostolus Roman. primo dixerit Christum factum esse tantummodo ex semine Dauid, cum promissio, & Abrahæ, & Dauidi facta fuerit rationem reddit Augustinus in expositione huius loci, facta inquit promissio est vtrique, sed maluit hic dicere Dauid, qui & criminosus non Abrahæ iusti, vt non pro merito, sed gratia natus de eo putetur, & vt ex Rege secundum carnem natus ostendatur; sicut Rex ex Deo ante sæcula natus est. Restat nunc aliquas afferamus causas, quare Saluator noster Circumcidi voluerit, & sanè hic in responsione ad præsentem dubitationem, vna tantummodo causa redditur, quam etiā consueuerunt afferre sacrarum litterarum interpretes super illud Lucæ 2. & postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer &c. dicitur enim id exempli causa fecisse, vt nos doceret diuinis obtemperare legibus, venerat namque, vt ipse aliquando dixit, Matt. quinto, non legem soluere, sed adimplere, aut vt solueret adimplendo, sicut exponit Origenes, quam rationem eleganter tetigit Eusebius Emissenus Hom. in octaua Natiuitatis, ideo inquit circumcisus est Dominus, vt legem compleret, & bonam esse ostenderet, & Ciprianus serm. de Circumcisione hoc Sacramentum ait consuetudini antiquæ subtrahere noluit, Christus, vt licet non esset hoc tempore necessarium, tamen ne antiqua religio prorsus reproba videntur in se voluit circumcisionis optari miraculum: his quoque addendum est, quod quemadmodum Christus fieri voluit ex muliere, ita sua sponte humilitatis, aut etiam calumniæ vitandæ causa fieri voluit sub lege ad Galat. quarto, & quod legis in se onus suscepit, vt alios à legis onere liberaret. Præterea alij admonuerunt voluisse Christum circumcidi, vt ostenderet se esse de gente Abrahæ, qui vt diximus supra circumcisionis mandatum accepit, vt sic Patribus conformis per hoc signum factus Iudæis satisfacere, & occasionem quamlibet, ac excusationem in se non credendi, & eum non recipiendi auferret. sic habet D. Aug. in quæstionibus noui, & veteris testamenti. quæst. 22. eadem ratio

col-

colligi potest ex Chrysostomo hom. 34. in actis Apostolorum, qui rationem reddens, cur Paulus Timotheum circunciderit, hac est ait causa circumcidendi non enim ferebant audire verbum ab incircumciso: rursus circumciditur Christus, vt pro nobis suum sanguinem in infantia quoque funderet, ac citissime pati pro nobis inciperet, quod vt explicemus apertius sciendum est apud Iudæos inter cætera sacrificia illud fuisse præstantissimum, quod appellabant iuge sacrificium, quia quotidie fiebat, mane enim sacrificabatur Agnus, & Agnus etiam vespere. sic Christus Agnus, qui tollit peccata mundi sacrificatus est mane in circumcisione, & vespere in passione. Quinto hoc Christum etiam fecisse censendum est, vt castitatem, quæ per eius membri circuncisionem notatur, nobis comendaret, aut etiam nos fore spiritualiter circuncidendos demonstraret, quam rationem insinuauit Eusebius, vbi supra his verbis, Christiani quod circumcisio significet intelligunt, non vnum tantum, sed omnia membra circumcidunt, non pellis incisione, sed totius superfluitatis abiectione. Postremo Christus circuncisus est, vt ipsa carnalis circumcisio finem haberet, spiritualem vero circumcisionem, cum noua lege Christus inciperet secundum illud Ro. 10. finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti, cæterum Epiphanius, qui hac de re late egit lib. 1. heresi 30. circa finem de Christi circũcisione sic loquitur, propter multas causas circumcisus est primo, vt ostenderet seipsum in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæum, & eos qui dicunt eum in specie apparuisse, secundo addit id fuisse factum, vt non haberent iudæi excusationem, si enim non fuisset circumcisus poterant dicere non potuimus Christum suscipere.

INTERROGATIO X.
Quæstio sexta.

N O T AE.

1 CVm sine peccato conceptus, ac natus sis, cur Baptizari voluisti.

Si verba responsionis ad præsentem dubitationem diligenter perpendantur, ex illis non vna tantummodo, sed plurimæ huic propositæ difficultati responsiones colligentur, atque inter cæteras eam esse potissimam arbitror, quod Saluator noster Baptizari voluerit, vt omnem impleret iustitiam, seque sponte illi subiiceret legi, quam nuper condiderat, vt alios ad obseruationem eiusdem suo exemplo alliceret, quæ responsio colligitur ex his verbis omnis qui viam nouam condere, vel inchoare voluerit, necesse est, vt ipse conditor, & inchoator eiusdem viæ alios præcedat, & paulo post eidẽ scribitur, natus Baptizari volui propter aliorum exemplum, quam etiam rationem attulit D. Augustinus in quæstionibus noui testamenti q. 49. cur inquit Saluator noster, cum sanctus sit, Baptizatus est, cum Baptisma purificationis causa sit, verum & manifestum est creatorem non eguisse Baptismo, quia Christus non factus, sed natus est dicente Angelo pastoribus ecce natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, denique sciens Ioannes eius sanctitatem prohibebat eum a Baptismo, Saluator vero intulit fieri oportere, non vtique propter peccatum suum, sed propter implendam iustitiam dignum enim erat, vt ipse exemplo esset futurus filijs Dei, qui per Baptismum filios Dei fieri docebat, idem habet serm. de Epiphania, his verbis, quod facere nos voluit, prior ipse fecit, similia indicauit tract. 5. in Ioan. & lib. 4. de Baptism. cap. 24. & D. Ambros. lib. 2. in Lucam circa finem. & clarius Gregorius Nazianzenus orat. 40. vbi tres facit hominis Natiuitates, per generationem, per Baptismum, per resurrectionem, quas Christus honorauit nascendo, resurgendo, & Baptismum recipiendo, secunda vero causa, quare Baptizatur Christus humilitas est, quam ostendit maximam, vt pote qui veluti peccator ad Baptismum accesserit, & a suo seruo Ioanne Baptizari voluerit, & hæc adducitur ibi in responsione cum dicitur, natus propter humilitatẽ Baptizari volui quod expendens D. Anselm. in medit. primum inquit, vt per omnia te fratribus assimilares seruum tuum Baptizantem, peccatores in pœnitentiam tanquam peccator adisti, Baptizari quoque te postulasti, eandem causam attulit D. August. in Enchiridion cap. 49. vbi ait Christum fuisse Baptizatum, non vt eius iniquitas dilueretur, sed vt magna comendaretur humilitas, idem habet serm. 63. & Bernardus serm. 4. de Epiphania. Tertia causa Baptismatis Christi ea fuit, vt aquas suscipiendo Baptismo sanctificaret vimque regeneratiuam illis conferret, per quam deinde fidelibus cœlum aperiret, & hæc ex his deducitur verbis, Dei filius ostensus sum in homine, vt homines fideles sciant, & credant, quod pater fidelibus Baptizatis aperuit cœlum, & Spiritus sanctus est cum Baptizante, virtus humanitatis meæ in elemento hanc eadem causam attulit antiquissimus auctor D. Greg. Thaumaturgus serm. in S. Theophania paulo post initium in iordane inquit Baptizatus est Christus non vt sanctificationẽ assumeret, sed vt sanctificationis participationem alijs elargiretur, idem habet Epiphanius in Anch. Beda in Luc. ca. 3. D. August. ser. 1. Dominicæ infra octauã, & [illegible]abilibus sacræ Scripturæ

D. Greg.

D. Greg. Nazianzenus oratione in sacra lumina D. Ambros. lib. 2. in Lucam cap. penultimo, & ser. mon. 4. Epiphaniæ, Hieron. Matt. 3. Hyllarius cannone 2. in Matt. Chrisost. homil. 10. in Matt. & D. Ansel. loco supra citato, innocens inquit Agne Dei, quem nulla peccati stilla, vel cogitatio nunquam maculauit Baptizatus es, non te in aquis sed aquas in te sanctificans, vt per eas nos sanctificares. Quarta causa, quare Christus voluerit Baptizari est, vt per hoc intelligerent homines circumcisionē aboleri, & veteri legi finem à Christo imponi: & hac etiā habetur ibi (sic igitur veniente veritate, idest quando ego veni in mundum, qui veritas sū statim disparuit vmbra, confracta est testa legis, & apparuit Nucleus, cessit circumcisio) idem habet D. Chrisost. hom. 4. operis imperfecti, & 12. in Matt. Baptizatus est inquit Christus Ioannis Baptismo, vt ex ipsa natura Baptismatis scias, quia neq; peccati causa, neque propter indigentiam doni spiritus Baptizatus est. Iudaicum quidem Baptismum abolebatur, ac desinit, nostrum vero sumit exordium. Altera huius rei causa quam ego probabilissimam esse censeo, illa est, vt hac ratione testimonium Christo de Cælo praeberetur, vt factum est illis verbis, Hic est filius meus dilectus, & vt ait Hieron. hac enim potissimum de causa Ioannes Baptizare iussus est, vt confluentibus vndiq; ad eum populis, Christum illis ostenderet, & populus testimonium Ioannis de Christo, & etiam Dei patris audiret. sic annotauit Lyranus in Matt. cap. 3. ad ea verba, tunc venit Galilea in Iordanem ad Ioannē & hæc eadem ratio colligi potest, ex illis verbis in responsione ad propositam dubitationem (& in huius signum cum ego Baptizatus essem tunc apertū fuit Cœlum, vox patris audita est, Spiritus sanctus apparuit in columbæ specie; & ego Dei filius ostensus sum in homine vero). His omnibus addi potest ex Gregorio Nazianzeno, oratione 39. Christum Baptizatum esse, vt suum baptizatorem sanctificaret, hoc est vt Ioannem ampliori sanctitate ornaret, vel vt docuerunt Chrisostomus, homil. 4. operis imperfecti, & Beda Marci primo, vt Ioannis baptismum comprobaret, sicut voluit circumcidi, vt circumcisionem bonam esse ostenderet.

REVELATIO QVINTA

1 In libro quæstionum, in qua Christus loquens sponsæ suæ Beatæ Brigittæ, instruit eam qualiter non sit sollicita circa curam diuitiarum terrenarum, & informat eam de patientia habenda tempore tribulationis cum virtute perfectæ adnihilationis, & humilitatis.

Filius Dei loquitur sponsæ dicens: Attende tibi diligenter. At illa respondit quare? Cui Dominus ait. Quia mundus mittit ad te quatuor seruos, te volentes decipere. *Primus* est sollicitudo diuitiarum. *Huic* cum venerit responde. Diuitiæ transitoriæ sunt, de quibus tanto maior reddenda est ratio, quo plus abundant, ideo non curo de eis, quia non sequuntur possessorem, sed relinquunt. Secundus seruus est amissio diuitiarum, & damnum rerum concessarum. *Huic* responde sic. Qui diuitias dedit, ipse & abstulit, ipse nouit, quid mihi expedit fiat voluntas ejus. *Tertius* seruus est tribulatio mundi. Huic sic dicito. Benedictus sis tu Deus meus, qui me tribulari permittis, per tribulationes enim cognosco, quòd tua sum ideo tribulari permittis in præsenti, vt parcas in futuro, propterea tribue mihi patientiam, & fortitudinem sustinendi. Quartus seruus est despectus, & opprobria, *His* responde taliter. *Deus* solus bonus est, & ipsi debetur omnis honor. Ego autem quæ feci omnia opera vilia, & mala, aut cur mihi honor, quæ magis omni opprobrio digna sum, quia tota vita mea blasphemauit Deum. Aut quid mihi plus valet honor, quàm opprobrium, nisi quod excitat superbiam, & minuit humilitatem, & obliuiscitur Deus, ideo sit omnis laus, & honor Deo. Propterea sta stabiliter contra seruos mundi, & dilige me Deum tuum toto corde.

In-

INTERROGATIO XI.

Quæstio I.

ITEM apparuit Religiosus, qui supra in gradu suo dicens. O Iudex quæro a te. Cum Deus sis, & homo, cur non ostendisti Deitatem tuam sicut & humanitatem, & tunc omnes credidissent tibi. Quæstio secunda. Item cur non fecisti audiri omnia verba tua in vnico puncto, & tunc non fuisset necesse ea per interualla temporum prædicari. Quæstio tertia. Item cur non fecisti omnia opera tua in vna hora? Quæstio quarta. Item cur corpus tuum crescebat per interualla temporum, & non in vno puncto. Quæstio quinta. Item cur appropinquante morte non ostendisti te in potentia Deitatis tuæ. Aut cur non ostendisti seueritatem tuam super inimicos tuos, quando dixisti. Consummata sunt omnia.

RESPONSIO

Quæstionis primæ.

RESPONDIT Iudex: O amice, Respondeo tibi, & non tibi. Tibi autem respondeo, vt innotescat aliis malitia cogitatus tui. Non autem respondeo tibi, quia non ad profectum tuum ostenduntur ista, sed ad futurorum & præsentium vtilitatem, & cautelam, non enim mutare intendis pertinaciam tuam, ideo nec transibis a morte tua ad vitam meam, quia in vita tua odis vitam veram. Veruntamen alii audita vita tua immo morte tua transibunt, & euolabunt ad vitam meã. Quia sicut scriptum est, omnia Sanctis cooperantur in bonum, & nihil sine causa permittit Deus. Respondeo ergo tibi non sicut qui humano more loquũtur, cum spiritualia agantur inter nos, sed vt ea quę cogitas & affectas per similitudines aliis exprimantur. Quæris ergo cur non ostendi Deitatem meam in aperto sicut & humanitatem? Ratio est, quia Deitas spiritualis est, humanitas vero corporalis, attamen Deitas, & humanitas a principio coniunctionis suæ inseparabiles sunt, & fuerunt, & Deitas increata est. Et omnia quæcumque sunt in ipsa, & per ipsam condita sunt, & in ipsa est omnis perfectio, & pulchritudo. Si ergo tanta pulchritudo & perfectio ostenderetur visibiliter lutosis oculis quis sustineret videre. Aut quis ipsum materialem solem in claritate sua valeret aspiscere? Aut quem non deterreret visus fulguris, & sonitus tõitrui quanto magis si dominus fulgurum, & omnium creator in claritate sua videretur. Ideo duplici de causa non est in aperto ostensa deitas mea. Primo propter humanã corporis debilitatem, cuius substantia est terrea. Si enim corpus alicuius hominis videret deitatem, liquesceret sicut cera ante ignem, animaque tanta exultatione gauderet, quod corpus quasi cinis adnihilaretur. Secundo propter diuinam bonitatem, & eius immutabilem stabilitatem. Si enim ego corporalibus oculis ostenderem meam deitatem, quæ est incomparabiliter fulgentior igne, & sole, facerem contra meipsum, qui dixi. Non me videbit homo, & viuet. Sed nec ipsi prophetæ viderunt me sicut sũ in mea deitatis natura, quia etiã illi qui solummodo audiebãt vocem meæ deitatis, & videbant montem fumigantem, terrebantur dicentes. Loquatur nobis Moyses, & audiemus eum. Ideo ego Deus misericors, vt homo melius intelligeret me, ostẽdi me illi in quadam forma ei simili, quæ videri, & sentiri posset, scilicet in humanitate mea in qua deitas est, sed tanquam velata, ne homo a forma ei dissimili terreretur, quia ego in quantum Deus, cum corporalis non sim, nec corporaliter effigiatus, ideo in humanitate tolerabilius ab hominibus audiri poteram, & videri. Responsio quęstionis secundæ. Item cur omnia verba mea non sui locutus in vna hora. Respondeo. Sicut materialiter contrarium est corpori, vt tantum cibi accipiat vna hora, quãto multis annis contentari posset. Sic contra diuinam dispositionem est, vt verba mea quę sunt cibus animæ, in vna hora omnia dicerentur, sed sicut cibus corporalis paulatim sumitur, vt masticetur, & masticatus ad interiora traijciatur, sic verba mea non in vna hora, sed per interualla temporum dicenda erant iuxta intelligentiam proficientium, vt esurientes haberẽt vnde satiarentur, & satiati ad altiora excitarentur. Responsio quæstionis tertiæ. Item cur non oĩa opera mea feci in vno puncto? Respondeo. illorum qui me in carne videbant, quidam erant qui mihi crediderunt, quidam vero non credebant, ideo his qui credebant necesse erat, vt per interualla temporum erudirentur verbis, & quandoque excitarentur exemplis, & operibus confirmarentur. Qui vero non crediderunt, iustum fuit, vt effectum malitiæ

suæ

suæ ostenderent, & quantum mea diuina iustitia permitteret tolerarentur. Si ergo omnia opera mea fecissem in vnico puncto, omnes secuti me fuissent, timore magis quam charitate, & quomodo tunc mysterium redemptionis humanæ fuisset impletum? Sicut ergo in primordiis creationis mundi omnia distinctis horis, & modis patrata sunt, quamuis omnia facienda erant, tunc sine vicissitudine simul in præscientia deitatis meæ, sic & in humanitate mea omnia erant rationabiliter, & distincte facienda ad omniũ salutem, & eruditionem. Responsio quæstionis quartę. Item Cur corpus meum per numerũ annorum creuit, & non in vno puncto. Respondeo. Spiritussanctus, qui est æternaliter in patre, & in me filio, ostendit prophetis quæ ego in carne venturus facturus essem & passurus, ideo placuit deitati, vt tale corpus assumerẽ in quo laborare possem a mane vsque ad vesperam, & ab anno in annum vsq; ad finem mortis. Ergo ne verba prophetarum viderẽtur inania, imo ego filius Dei, corpus assumpsi, simile Ade absq; peccato, in quo similis essem eis, quos redẽpturus eram, vt per charitatem meã homo auersus reduceretur, mortuus suscitaretur, & venditus redimeretur.

Responsio quæstionis quintæ. Itẽ cur non omnibus ostendi potentiam deitatis meæ, & quòd eram verę Deus quando dixi in cruce. Consumatum est. Respondeo. Omnia quæcunque scripta erant de me oportebat, quod adimpleretur. Et ideo ego omnia illa compleui vsq; ad vltimũ punctum. Sed quia etiam multa prædicta erant de resurrectione, & ascensione mea, imo necesse erat, vt etiam illa haberent effectum. Si ergo in morte mea ostẽsa fuisset potentia deitatis meæ, quis fuisset ausus me deponere de cruce & sepelire. Deniq; pro minimo mihi fuisset descendisse de cruce, & strauisse crucifixores, quomodo ergo impleta fuisset prophetia, aut vbi tunc virtus patientiæ meæ? Qui & si descendissem de cruce, nunquid & omnes credidissent? Nunquid non dixissent me fecisse arte maligna? Nam si indignabantur quia suscitaui mortuos, sanaui infirmos, maiora dixissent si descendissem de cruce. Et ideo, vt solueretur captiuus, ego liber captus sum. Et vt nocentes soluerentur, ego innocens steti stabiliter in cruce. Et per stabilitatem meam, omnia instabilia stabiliui, & infirma confirmaui.

INTERROGATIO XI.

NOTAE.

Plurima quæ ad earum quæstionum intelligentiam, quæ hoc loco proponuntur, supra a nobis annotata sunt, præsertim interrogatione octaua, quæstione secunda, & interrogatione decima, quæstione tertia, & quoniam ea repetere, superuacaneum esse duximus, ideo illa nunc consultò hic omittimus, cætera vero, quæ in præsenti interrogatione traduntur, nulla indigent declaratione.

CHRISTVS FILIVS DEI loquens Sponsæ suæ Brigittæ, instruit eam dicens, quod in vita spirituali labore, & vigorosa perseuerantia, & acquiescere cum humilitate consilio senioris, resistendo viriliter tentationibus, acquiritur requies mẽtis, & ęterna gloria, & ponit exẽplũ de Iacob qui seruiuit pro Rachel. Nam dicit quod quibusdam veniunt fortissime tentationes in principio conuersionis ad vitam spiritualem. Quibusdam vero veniunt in medio, & circa finẽ. Et ideo timendum, & cum humilitate in virtutibus, & labore vsque ad finem perseuerandum est.

Reuelatio sexta.

FILIVS loquitur. Scriptum est, quod Iacob seruiuit pro Rachel, & videbãtur sibi dies pauci præ amoris magnitudine, quia magnitudo amoris labores alleuiabat. Verũ cum Iacob credebat assequi desiderabile suum, circumuentus est, nec tamen adhuc à labore destitit, quia amor de difficultate non causatur, donec assequitur quod optat. Sic est in spiritualibus. Multi enim, vt obtineant cęlestia laborant viriliter, orationibus, & piis laboribus: Sed cum ad contẽplationis quietẽ pertingere credũt, inuoluũtur

Digitized by Google

tentationibus, accrescunt tribulationes, & vbi se quasi perfectos arbitrabantur, inueniunt se ex toto imperfectos. Nec mirum. Nam tentationes sunt, quę hominem probant, & purgant, & perficiunt. Ideo quibusdam accrescunt tentationes in principijs conuersionis suæ ad vitam spiritualem. Et hi tales perfectius in fine solidantur. Alij grauius tentantur in medio, & circa finem. Et hi sollicite de seipsis aduertant, & nunquam de se præsumant, sed eo fortius laborent, sicut dixit *Laban*. Consuetudo inquit est prius, sororem maiorem accipere, quasi diceret prius exerce laborem, & post habebis requiem optatam. Ideo filia non mireris, si etiam in senectute accrescunt tentationes. Quia sicut licet viuere, ita etiam possibile est tentari. Diabolus .n. nunquam dormit, quia tentatio occasio est perfectionis, vt homo non præsumat. Ecce ostendo tibi exemplum de duobus, vnus in principio suæ conuersionis tentatus est, & perstitit, & profecit, & assecutus est quod quæsiuit. Alius in senectute sua expertus est graues tentationes, quas parum nouit in iuuentute, quibus sic inuolutus est, vt omnium priorum, quasi obliuisceretur. Verum, quia stetit consilio, & a labore non destitit, licet frigidus factus, & tepidus, ideo peruenit ad optata, & ad requiem mentis, cognoscens in se ipso, quod iudicia Dei occulta sunt, & iusta, & nisi fuissent illę tentationes, difficulter peruenisset ad æternam salutem.

INTERROGATIO XII.
Quæstio I.

ITEM apparuit religiosus, qui supra in gradu
1 suo stans, & dicens. 1
O iudex quæro a te.
Cur magis nasci voluisti
de virgine, quam de alia
muliere non virgine.
2 Quæstio secunda. Item cur non ostendisti
visibili signo, quod ipsa erat mater, &
virgo pura. *Quæstio* tertia. Item cur intantum
occultasti natiuitatem tuam, quae
3 quasi paucissimis innotuit. 3 *Quaestio*
quarta. Item cur fugisti in Egyptum pro
Herode. Et cur innocentes pueros occidi
permisisti. Quæstio quinta. Item cur permittis
te blasphemari, & falsa praeualere
veritati.

RESPONSIO
Quęstionis primæ.

RESPONDIT Iudex. O amice. Ideo magis de virgine nasci volui, quam de fœmina non virgine, quia mihi Deo mundissimo omnia decent mundissima. Nam natura hominis quamdiu stetit in ordine creationis suæ nihil habuit deforme, praeuaricato vero mandato, accessit statim quoddam erubescibile, sicut contingit hominibus peccantibus contra dominum suum temporalem, qui etiam de membris, quibus peccauerunt erubescunt. Accedente itaque erubescentia præuaricationis, mox auctus est motus inordinatus. Et maxime in illo membro, quo ad maiorem fructum institutum fuit, qui tamen motus ne inanis esset a fructu *Dei* bonitate conuersus fuit in bonum, & per diuini mandati institutionem, cōcessū est opus commixtionis carnalis, vnde natura fructificaret. Verum quia gloriosius est, se supra mandatum extendere, adijciendo ex charitate qualecunque bonum quis poterit. Ideo placuit Deo, illud magis ad opus suum eligere, quod ad maiorem munditiam, & charitatem tendebat, & hoc est virginitas, quia virtuosius, & magnificentius est in igne tribulationis esse, & non ardere, quam sine igne esse, attamen velle coronari. Nunc autem, quia virginitas est quedam semita pulcherrima ad cœlum. Coniugium vero est, quasi via. Ideo decuit me Deum mundissimum, in virgine mundissima quiescere. Vt sicut primus homo factus est de terra, quæ quodammodo erat virgo, quia non dum polluta sanguine, & quia Adam, & Eua peccauerunt gula, scilicet comedentes fructum virtutum in sanitate naturæ, idest natura generationis permanente incorrupta, & integra, sic & ego *Deus* volui recipi in mundissimo receptaculo, vt per bonitatem meam omnia reformarentur. *Responsio* quæstionis secundæ. Item cur non ostendi apertis signis, quod Mater mea erat virgo, & Mater. *Respondeo*. Omnia mysteria incarnationis meæ insinuaui prophetis, vt tanto firmius crederētur, quanto longius fuerunt prædicta. *Quia* vero Mater mea vere ante partum, & post erat virgo, sufficiebat testimonium *Ioseph*, qui custos, & testis virginitatis eius extitit,

cuius

cuius pudicitia etiam ſi euidentiori miraculo oſtenſa fuiſſet, nullatenus tamen diffidentium malitia deſtitiſſet a blaſphemia, qui diffidunt Virginem concepiſſe de Deitatis potentia, non attendentes quod hoc mihi Deo eſt facilius, quam ſolem penetrare vitrum. Verum etiam iuſtitia Deitatis meæ fuit, vt myſterium Incarnationis diuinæ abſconderetur diabolo, & hominibus tẽpore gratiæ reuelandum. Nunc autem dico, quod Mater mea vere eſt mater, & virgo. Vt ſic in blaſphematione Adæ, & Euæ mirabilis erat potentia Deitatis, & incohabitatione eorum delectabilis honeſtas, ſic in acceſſione deitatis meę ad virginem, mirabilis erat bonitas, quia incompræhenſibilis diuinitas mea deſcendit in vas concluſum, abſque ſui violatione. Fuit quoque ibi delectabilis cohabitatio mihi, quia ego Deus includebar humanitate, qui vbique eram deitate. Admirabilis etiam fuit ibi potentia. Quia ego Deus incorporalis egrediebar de vtero corporali ſalua virginitate. Ergo quia homo erat difficilis ad credendnm, Mater vero mea eſt totius humilitatis amica. Ideo placuit mihi ad tempus pulchritudinem, & perfectionem eius abſcondere. Vt Mater haberet aliquod meritum, quo perfectius coronaretur, & ego Deus glorificarer amplius in tẽpore illo, in quo promiſſa implere vellem, bonis in meritum, malis autem in retributionem. Reſponſio quæſtionis tertiæ. Item cur non oſtendi hominibus natiuitatem meam. Reſpondeo. Licet diabolus amiſerit dignitatem conditionis primæ, non tamen amiſit ſcientiam, quæ ei eſt ad probationem bonorum, & confuſionem propriã. Vt ergo humanitas mea creſceret, & ad præfinitum tempus veniret; ideo abſcondendum erat myſterium pietatis meæ diabolo. Quia occultus venire volui, ad debellandum diabolum, & deſpectus eſſe ſtatui propter arrogantiam hominum deprimendam. Ipſi quippe magiſtri legis, quem in libris ſuis legebant, deſpexerunt, quia veni humilis. Et quia ſuperbi erant, noluerunt audire iuſtitiam veram, quæ ex fide redemptionis meæ eſt. Ideo confundentur, cum venerit filius perditionis in ſuperbia ſua. Si vero veniſſem potentiſſimus, & honorabiliſſimus, quomodo tunc humiliatus fuiſſet ſuperbus. Aut nunc ſuperbus ingredietur cælum? Nequaquam; veni ego humilis, vt homo addiſceret humilitatem; & abſcondi me a ſuperbis, quia nec meam diuinam iuſtitiam, nec ſeipſos intelligere voluerunt. Reſponſio quæſtionis quartæ. Item quare fugi in Aegyptum. Reſpondeo, ante præuaricationem mandati, vnica via erat ad cælum lata, & lucida, lata ſcilicet in virtutum abundantia, lucida in ſapientia diuina, & obedientia bonæ voluntatis. Trãſmutata ergo voluntate, inchoatæ ſunt duæ viæ, vna ducebat ad cælum, alia abducebat. obedientia duxit ad cælum, inobedientia ſeduxit. Quia ergo in hominis arbitrio erat electio boni, & mali, ſcilicet obedire, & non obedire. Ideo peccauit, quia aliter voluit quam ego Deus volui eum velle. Vt ergo homo ſaluaretur, iuſtum & dignum fuit, vt aliquis talis veniret, qui cũ redimeret, qui & obedientiam perfectam haberet, & innocentiam, & in quo qui vellent poſſet oſtendere charitatem, & qui vellent malitiam. Sed ad redimendum homines non debuit mitti Angelus, quia ego Deus gloriam meam alteri non tribuo. Nec inuentus eſt homo qui pro ſeipſo poſſet placare me, & minus pro alijs. Ideo ego Deus ſolus iuſtus veni iuſtificare omnes. Quod autem ego fugi in Aegyptum, in hoc infirmitas humanitatis meæ oſtẽſa eſt, & prophetia completa eſt, exẽplum etiam dedi futuris, quia quandoque perſecutio declinanda eſt propter maiorem futuram gloriam Dei. Quia vero non inueniebar a perſequentibus, conſilium deitatis meæ præualuit humano, quia pugnare contra Deum non eſt facile. Quia vero infantes occiſi ſunt, ſignum paſſionis meæ futuræ erat, & myſterium vocandorum, & charitatis diuinæ. Quia licet ipſi infantes non perhibuerunt mihi teſtimonium voce, & ore, perhibuerunt tamen morte, ſicut congruebat infantiæ meæ. Quia præuiſum erat, vt etiam ſanguine innocentum, laus Dei perficeretur. Nam licet malitia iniuſtorum eos iniuſte afflixerit, mea permiſſio tamen diuina, ſemper iuſta, & benigna, eos non niſi iuſte expoſuit, ad oſtendendam malitiam hominum, & deitatis meæ incompræhenſibile conſilium, & pietatem. Ergo vbi in pueris efferbuit iniuſta malitia, ibi iuſte ſuperabundauit meritum, & gratia. Et vbi linguæ defuit confeſſio & ætas, ibi ſanguis effuſus accumulabat perfectiſſimum bonum. Reſponſio quæſtionis quintę. Item cur permitto me blaſphemari. Reſpondeo. Scriptum eſt, quod cum Dauid rex declinaret perſecutionem filij, quidam in via maledixit ei, quem ſerui eius volentes occidere, prohibuit eos Dauid duplici de cauſa. Primo, quia ſpem habuit reuerſionis. Secundo, quia conſiderauit propriam infirmitatem, & peccatum, & fatuitatem maledicentis. Deique in ſe patientiam, & bonitatem. Ego ſum Dauid in figura; homo quippe perſequitur me tanquam ſeruus dominum per mala opera ſua, eijciendo me de regno meo, id eſt de anima

quam ego creaui, quę meum regnum est. Denique reprehendit me tanquam iniustum in iudicio, blasphemat etiam me, quia patiens sum. Verum, quia mitis sum suffero insipientiam eorum, & quia iudex sum expecto conuersionem eorum, vsque ad vltimum punctum. Demum quia homo credit magis falsitati, quam veritati, diligens plus mundum quam me Deum suum, ideo non mirum si malus toleratur in malitia sua, quia nec vult inquirere veritatem, nec resipiscere à malo suo. Christus loquens Sponsæ laudat frequentationem confessionis, ne homo amittat gratiam diuinam quam habet.

INTERROGATIO XII.

NOTAE.

1 O Iudex quęro à te, cur magis nasci voluisti de Virgine, quam de alia muliere non Virgine.

Dubitationi propositæ duæ admodum probabiles afferuntur solutiones, quæ ambæ se tenent ex parte Dei, cum enim ille purissimus, ac mundissimus sit, decuit etiam eum de purissima Virgine nasci. & colligitur ex his verbis in responsione (quia, mihi Deo mundissimo omnia decent mundissima), & hanc eandem rationem attulit D. Bernardus serm. 3. de aduentu congruum in quit fuit, si Deus concipi, vel nasci debuit, non nisi de Virgine conciperetur, vel nasceretur, & si virgo conceptura, vel paritura erat, non nisi Deum conciperet, & pareret, secunda huius rei causa est, quæ etiam redditur hic, quia sicut primus homo Adam de terra Virgine factus erat, ita secundus Adam Christus de Virgine fieret homo, & habetur ibi cum dicitur, (vt sicut primus homo de terra factus est: quæ quodammodo Virgo erat, quia non dum polluta sanguine, erat) hac eadem ratione vsi sunt Irenæus lib. 3. cap. 3. D. Augustinus serm. 5. de Natiuitate, Fulgentius lib. 4. de fide ad Petrum, Tertullianus de carne Christi, Damascenus libro 4. de fide, cap. 15. Cyrillus Hierosolimitanus, Cathechesi 12. debuit quoq; sine virili comercio nasci Dominus, ne duos haberet Patres, aut vt docet Damascenus loco supra citato, qui in Cœlis patrem habet sine Matre, in terris Matrem haberet sine patre, vel sicut tradit D. Aug. serm. 16. de Natali Domini, hoc factum est, vt perficerentur omnes modi, quibus ad esse peruenire homines possunt. De terra, inquit, factum esse hominem sine Patre, & Matre nouimus, numquam vidimus, lecta, & audita credimus, tertia illa vsitata est nobis ipsa quotidiana de complexu maris, & fœmina quotidie nascuntur homines, iam ergo erat vna sine viro, & fœmina, iam erat tertia de viro, & fœmina. Quarta restabat sine viro de fœmina: sed ista quarta liberauit tres, prima, & secunda euerunt, tertiam de ruina generauerunt, in quarta salutem inuenerunt, exultent Virgines Virgo peperit Christum. Quinta ratio quare Christus de Virgine natus sit, vt figuratum responderet figuræ, Melchisedech fuit figura Christi, qui fuit sine patre, & sine matre, vt ait Paulus sic conueniebat Christum esse sine patre, et matre, nam in generatione Diuina est sine matre, in humana sine patre: sic habet Tertullianus de carne Christi. sexta huius rei causa se tenet ex parte Ecclesiæ, nam in corporali Christi Domini natiuitate exhibetur figura quædam nostræ regenerationis, qua ex Virgine Matre Ecclesia nascimur filij Dei, & vt ait Aug. lib. de Sancta Virginitate cap. 6 vt signaret membra sua mystica de Virgine Ecclesia secundum spiritum nascitura, ideo decuit caput de Virgine nasci, aut etiam D. Ambros. in Lucam cap. 1. ad illa verba missus est Gabriel Angelus ad Virginem desponsatam vt Maria desponsata, sed Virgo typus esset Ecclesiæ, quæ est immaculata, sed nupta concipit nos de Spiritu Virgo parit nos sine gemitu Virgo. septima causa ea est, quæ se tenere ex parte Virginis videtur, nam sicuti per Euam Virginem humani generis perditio facta fuit ita per Mariam Virginem eiusdem fieret reparatio, hanc quoq; insinuat D. Aug. de simbolo ad Cathecumenos cap. 4. libro 2. per fœminam mors, per fœminam vita, per Euam interitus, per Mariam salus, illa corrupta secuta est seductorem, hæc integra peperit Saluatorem. Postrema causa, nascitur ex Virgine Christus, vt sic ostenderet quantum amaret, & honoraret Virginitatem, ipsa Virgo fuit, & dilectum suum habuit discipulum Virginẽ, in Cœlo sequuntur eũ Virgines, in lege veteri præstantiores fuerunt Virgines, vt ait B. Ignatius in Epistola ad philadelphios, in nouo testamento fuerunt innumerabiles Virgines, & etiam in honore habitæ Virgines. Postremo quod Christus nasciturus erat ex Virgine ab exordio mundi illustres quædam figuræ præcesserant, prima figura fuit, quod primus Adam ex terra Virgine formatus fuerat, sic ergo ex Virgine secundus Adam formandus erat, secunda figura fuit Melchisedech sine Patre, & Matre, tertia Rubus incombustus, quarta Virga Aaron sine humore florescens, & frondescens, quinta Porta Ezechielis Orientalis semper clausa. sexta Velus Gedeonis. tandem Christus etiam in Sacris litteris dicitur flos campi, qui sine cultura nascitur, vt inde insinuaretur, ipsummet Christum ex Virgine absque humano hominis ministerio nasciturum fuisse.

In-

INTERROGATIO XII.
Quæstio secunda, & tertia.

NOTAE.

a CVr non ostendisti visibili signo, quod ipsa erat Mater, & Virgo Pura. a

Quæstio tertia. cur in tantum occultasti Natiuitatem tuam, quæ quidem paucissimis innotuit.

a *In responsione ad secundam quæstionem tres afferuntur causæ, quare visibili aliquo, ac euidenti signo propalare noluerit Deus Matris suæ Virginitatem: harum autem trium, prima est incredulitas illorum, qui tunc temporis in humanis erant, scribitur enim in solutione ad propositam dubitationem, quod licet euidentiori miraculo fuisset Mariæ probata virginitas: nihilominus homines illi non credidissent, & ideo tunc sat fuit testimonium sui sponsi, qui custos, & testis virginitatis eius erat, secunda vero causa huius rei se tenet ex parte ipsius Virginis, cuius humilitas sic commendabatur, eiusq; gloria, ac meriti corona sic aucta est, dum illius Virginitas ad tempus occultabatur. Postrema vero causa se tenet ex parte Diaboli, id enim factum esse legimus hic, vt partus Virginis, & Saluatoris Natiuitas ei celaretur, sed quoniam hæc vltima solutio, quæ vtriq; quæstioni hoc loco proposita communis est, à quibusdam doctoribus impugnatur ideo diligenter examinanda, vt tamen prius ad maiorem harum cognitionem sciendum est, incarnationis mysterium Dæmoni fuisse occultum, quia cum ad eum debellandum Dominus venisset, vt hoc loco scribitur; ideo voluit illud abscondere, ne eius fructum impedire conaretur, vtq; Deus glorificaretur amplius in tempore illo, in quo promissa impleri volebat, sic legimus in Responsione ad secundam quæstionem, aut etiam id factum est, ne puero Christo Dæmon in initio ortus sui pararet insidias, quæ ratio colligitur ex verbis solutionis ad dubitationem tertiam, ibi (vt ergo humanitas mea cresceret, & ad præfinitum tempus veniret, ideo abscondendum erat mysterium pietatis meæ Diabolo) quod etiam eleganter insinuauit D. Gregorius Thaumaturgus serm. 3. in Annunciat. non longe ab initio, ne, inquit, ille latro mysterium cognosceret, quod etenim per Virginem Rex esset venturus non latebat, nam Isaiæ illa verba ipse audierat: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet Filium quare & quotidie Virginis nomen obseruabat, vt vbi mysterium hoc adimpleretur, insidias præpararet, atque ideo Dominus per desponsatam venit, vt improbum lateret, hæc Gregorius, cui etiam adstipulatur D. Thom. 3. p. quæst. 29. articulo 1. ad tertium argument.*

Cæterum vt diximus non defuerunt, qui postremam hanc rationem tamquam inanem, & parum probabilem confutarint, dicentes minime potuisse sic Deum occultare Diabolo natiuitatem suam, non propalando euidentibus signis matris suæ Virginitatem, nam vt ait Thostatus trigesimaprima quæstione in primum caput Matth. Diabolus, facile potuit aduertere Virginem numquam coiuisse cum viro 2. videre poterat in vulua eius nullum esse semen virile. tertio poterat videre claustra virginalia clausa. idem habet Scotus, qui eandem rationem impugnat in 4. d. 3. quæst. 1. & Ioannes Maldonatus Societatis Iesu Theologus vir nostro hoc sæculo in Sacris litteris eruditus in comment. in Matt. cap. primo edisserens illa verba, cum esset desponsata, dicit male fateri rationem hanc se non intelligere, quam temere vel le eam reprehendere, non enim inquit intelligo, quomodo Diabolus Mariæ virginitatem si modo animaduerterit, potuerit ignorare, cum integrum & incorruptum corpus, quamuis nuptæ videre posset, & certe vehementer admiratus sum hos Doctores rationem hanc reprehendisse, quod facere non debuerant, primo propter summam Sanctorum Patrum, ac grauissimorum virorum auctoritatem, & reuerentiam, qui illam tamquam probabilissimam admittunt, quorum primus omnium fuit Ignatius Martyr Epistola ad Ephesios, quo loco ait tria latuisse Diabolum, Virginitatem Mariæ, Natiuitatem Christi, & mortem Christi. sequuntur D. Ignatium, Diuus Gregorius Thaumat. vbi supra; Origenes Homil. 16. in Lucam D. Basil. in homil. de humana Christi generatione, Diuus Hieronymus in primum caput Matt. D. Chrisost. in oratione de Annunciatione Virg. & Damascenus libro quarto de fide Orthodoxa cap. 15. Ambrosius libro secundo in Lucam in principio. Bernardus homil. 3. super missus est, Rupertus lib. secundo de Victoria Verbi cap. 10. huius autem rationis vis, in eo sita est, nam cum Diabolus ex Isaia cognouisset Matrem Messiæ futuram Virginem, sic enim capit. septimo scribitur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, hinc est, quod obseruare poterat omnes Virgines maxime illo tempore quo appropinquare Messiæ aduentum intelligebat, ex hebdomadibus Danielis, & vaticinio Iacob, & nuptas non obseruabat: sed Deus qui sapientissimus est comprehendit astutos in astutia sua, sicque miro quodam artificio Dæmonem decepit, qui existimabat Christum ex sola Virgine nasciturum, non de desponsata, sed vt Tostati rationibus respondeamus, dico sine dubio potuisse quidem Dæmonem si aduertisset cognoscere Christum non fuisse generatum ex viro, obseruando Virginem numquam coiuisse cum viro, eiusque claustra Virginalia

pe-

penitus integra remansisse, sed asserendum est cum D. Augustino lib. 3. de Trinitate cap. 7. hoc non aduertisse, tum quia nulla erat ratio suspicandi, ipse namq; timebat sibi de Virginibus; de nuptis verò nihil suspicabatur, tum quia Dæmones non faciunt quicquid volunt, & possunt, imo & nihil faciunt nisi data desuper potestate, quã fuisse illi à Deo minime concessam credendum est, ne suæ Natiuitatis tempus nosset, oportebat enim, vt egregie tradit D. Thom. 3. p. q. 29. art. 1. ad tertium, in infantia Saluatoris malitiam Diaboli impedire, ne eum acrius persequeretur, & mortẽ intentaret, quando Christus nec pati disposuerat, nec suam virtutem non dum ostendere volebat, quod etiam nos paulo supra collegimus ex verbis solutionis ad tertiam dubitationẽ hoc loco propositã ibi, vt scilicet humanitas mea cresceret, & ad præfinitum tempus perueniret. Respondet 2. D. Thom. vbi supra, quod licet Dæmon potuisset virtute suæ naturæ cognoscere matrem Dei non fuisse corruptam sed Virginem, fuisse tamen ei prohibitum cognoscere modum diuini partus, ob rationes adductas, quod autem post modum aliqualiter cognouerit non obstare, quia iam tẽpus aduenerat, vt Christus virtutẽ suã cõtra Diabolum ostenderet, & ab eo concitatam persecutionem pateretur, atq; hæc dicta sufficiant circa dissensionem rationis allatæ ab Ignatio Martyre, alijsque patribus supra citatis. Hic tamen nõ esse omittendum censui, quod quidam Sacrarum litterarum interpretes afferre solent pro solutione Dubitationis tertiæ, in qua, quærebatur, quare voluerit Deus Natiuitatem suam paucissimis innotescere, dicunt enim id factum fuisse, ne res ad Herodis aures perueniret, qui propter metum Regni amittendi in principio Natiuitatis Christi necem illi intentare potuisset, quæ sane ratio non admodum probabilis videtur; cum Matthæus Euangelista prædixerit cap. 2. sui Euangelij futurum esse, vt Herodes Puerum quærat, ad perdendum, quod fecit sicut infra videbimus interrogatione duodecima quæstione 4. & propterea D. Thom. huius rei tres rationes affert probabilissimas 3. p. q. 36. artic. 1. quarum prima est, quia fuisset inquit impedita humana redemptio, quæ per crucem erat perficienda, & probat ex illo Apostoli corint. 2. quia si cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent: 2. asserit id fuisse factum, quia impeditum esset fidei meritum tunc. tertio, quia posset de veritate humanitatis Christi dubitari, qua de re videndus est Franciscus Suarez in Commentarijs ad q. p. 3. Thomæ q. 36. artic. 1. Tomo 2. quo loco has rationes D. Thomæ egregiè explicat.

INTERROGATIO XII. Quæstio IIII.

NOTAE.

3 CVr fugisti in Aegyptum pro Herode, & cur Innocentes pueros occidi permisisti.

Hoc loco duo nobis circa Christi Domini fugam breuiter examinanda sunt, primum quidem quare Saluator fugiat, cum posset alia via Manus Herodis euadere. secundo quare potius in Aegyptum quam aliunde; postremo etiam quæremus causam, cur pueros innocentes Deus occidi permiserit, & quot numero fuerint. Et vt à prima dubitatione sumamus exordium quattuor in vniuersum Sancti patres afferunt causas, cur Saluator noster fugerit primo quidem, vt legimus in responsione ad præsentem quæstionem, vt humanæ naturæ assumptæ infirmitas monstraretur, & eiusdem naturæ assumptæ veritas probaretur, non enim Christus manere poterat, & defendere se ab Herode nisi miraculorum vi, quæ in ea ætate patrari forsitan non conueniebat, secunda causa huius fugæ ea potissima est, vt suo exemplo adiscerent serui Dei, Sanctorum vitam miscendam esse prosperis, & aduersis, Christus namq; in sua Natiuitate magnificatus fuit, à Pastoribus vt Deus, paulo post circumcisus, vt peccator, deinde venientes Magi eum plurimum honorarunt, & tamen in stabulo remanens inter Bestias morabatur, postea præsentatus in templo Simeon, & Anna plurimum exaltauerunt, & tunc ab Angelo dicitur, quod fugiat in Aegyptum, ecce ergo inquit D. Chrysost. Hom. 8. in Matt. Misericors Deus mœstis rebus, quadam etiam iocunda permiscet, quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neq; tribulationes, nec iocunditates sinit habere continuas, tertia vero causa est, vt inde ab initio Natiuitatis Domini præmonstraretur, qualem vitam in terris esset acturus Christus, laboriosam scilicet, & sexcentis periculis subiectam, & fortasse de nocte fugit vt fuga, quæ de se difficilis est, noctis obscuritate fiat difficilior, atq; ex hoc etiam intelligerent homines, quod in suo aduentu in carne, non in Maiestate, & gloria venerat, sed in paupertate, & humilitate, quarta, & postrema huius fugæ causa est, vt serui DEI noscerent exemplo Magistri sui, aliquando posse, & debere fugere, ac infidelium persecutionem declinare, & hæc ratio etiam adducitur hic, atque hoc idem etiam obseruarunt, nam Moses fugit Pharaonem, Dauid, Saul Regem, Paulus per sportam Damasco dimissus est

Digitized by Google

Petrus Herodem, & Athanasium inimicorum etiã declinasse insidias fugiendo testis est ipsemet in Apologia, quam contra calumniatores edidit, & ad Hebræos ij scribẽs Paulus de hac fuga Sanctorum, in solitudinibus errantes, in montibus, & cauernis, sed quando possint, ac teneantur fugere, hoc requirit altiorem indaginem; & hac de re legendus est D. Augustinus ad Honoratum Epistola 180. vbi agit, quibus, quando, & quomodo fugiendum, quare autem potius in Aegyptum Christus Dominus fugerit, ratio potest esse primo, vt Herodi, discessus Christi occultior esset, nam ad alia regnã intima Iudææ breuior erat, ac frequentior via, illa vero quæ ducebat in Aegyptum, ob solitudines difficilior, & minus frequens erat, aut etiam, vt optime annotauit, Ioannes Maldonatus in Matt cap. 2. num. 14. fugit Christus in Aegyptum, vt esset extra Herodis Imperiũ, vel vt impleretur illud Oseæ vaticinium cap. ij. Ex Aegypto vocaui filium meum, & hoc illud est, quod in responsione ad hãc dubitationem legimus, quod autem fuga in Aegyptum, prophetia completa est, sed hic admonere lectorem censui non esse intelligendum Christum fugisse in Aegyptum, vt Oseæ vaticinium impleretur, sed vt Herodis persecutionẽ declinaret, illud enim vt, non causam, sed euentum significat, fugiendo ergo Herodem factum est, vt impleretur prophetia, & in hunc eundem sensum, si quando in Sacris litteris aliquid factum esse legimus, vt scriptura impleretur, illud sic accipiendum est. Cæterum huius rei plures etiam causas afferunt Eutimius, & Theophilatus Matt. 2. ibi accipe puerum. Chrisost. hom. 2. & 8. operis imperfecti. D. Gregor. Nazianzenus orat. 4. de Theologia, & Leo Pont. horum autem potissima ratio est, quoniã superstitionibus, & idolatrijs plena erãt Aegyptus. Aegyptij namq. teste D. Hieron in Isaiam cap. 2 & 46. in tantum Idolatriæ & vanissimæ superstitioni dediti erant, vt Accipitres, Noctuas, Hyrcos, & Asinos diuino numini consecrarent, sed hac de re latius agit D. August. lib. 17. de Ciuit. cap. 16. ex quibus patet eos non animalia solum pro Dijs coluisse, sed etiam Cepas, cæteraq; plura huius generis, vt ergo Dominus ostenderet initio suæ Natiuitatis venisse ad tollendam idolatriam, & ad hanc Regionem ab hoc vitio purgandam, fugit in Aegyptum, quod subito accidit, nam post eius ingressum omnia Idola penitus corruisse ferunt, quod etiam scribitur libro 6. Reuelat. cap. 68. & confirmat Chrisost. homil. 2. operis imperfect. in Aegyptũ inquit Paruulus mittitur, vt illam regionem, quæ, præ omnibus terris impietatis flamma ardebat, igne potius fidei succenderet, atque etiam vt significaretur, meritis Christi aliquando fore, vt in Aegypto concursus, & Martyrum, & Anachoretarum ingens fieret, postquam caput eorum ad eam regionem se conferret immo ex hoc Aegyptum spiritualiter Iudæam futuram præmonstrabat secundum illud. Apocal. ij. quæ est spiritualiter sodomã, & Aegyptus, ex præsentia ergo Christi Domini ibi factum est, vt paradiso quoquomodo clarior Eremus illa, ac melior redderetur, vnde Chrisost. Homil. 8. in Matth si quis inquit nunc ad Aegypti veniat solitudines paradiso prorsus omnem illam videat Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum Cœtus in corporibus fulgere mortalium, est enim cernere in tota illa regione diffusum exercitum Christi, his addendum est etiam. Hac fuga in Aegyptum Saluatorem insinuasse, regnum Dei esse transferendum à Iudæis ad gentes. Restat modo causas aliquot intelligemus, quare permiserit Christus tot pueros innocentes, tam crudeliter occidi, & quidem huic propositæ quæstioni hoc loco sic respondetur, quod vero infantes occisi sunt signum passionis meæ futuræ erat, & mysterium vocandorum, & charitatis diuinæ, ex quibus verbis tres præsentis dubitationis solutiones colligendæ sunt. prima quidẽ, quod puerorum innocentium mors, Christi Domini mortem præmonstrauit. secunda verò, quod in illis typus quidam præcesserit Martirum, qui pro Saluatoris confessione in noua lege sanguinem suum erãt effusuri, nec defuturos per omne tempus, qui electos Dei persequerentur, quemadmodum prædixit Dominus. Ioan. 15. si me persecuti sunt, & vos persequentur, & hoc significant illa verba, quod infantes occisi sunt signum passionis meæ erat, & Mysterium vocandorum, scilicet ad Martyrium, tertio, signum quoque hoc fuit charitatis eximium siquidem hæc illis mors, cessit ad martirij palmam obtinendam, & maius infantibus bonum Cædes attulit, quam temporalis vita, quã lo quidem ad æternam gloriam semper victuri euolarunt, vnde scitè Hyllarius de illis dixit, in æternitatis profectum, per martirij gloriam efferebantur. cæterum nõ defuerunt, qui alias huius rei causas redderent, existimarunt aliqui id Deum permisisse, vt ostẽderetur, & quanta esset Herodis seuitia, & quod nulla crudelitas contra eum quicquam possit, quem seruare Deus decreuit, alij de id factum esse, vt testimonium à pueris Christus acciperet, pro quorum salute natus erat, vel vt tradit Origen: hom: tertia in diuersos, vt primorum Martirum pro Domino occisorũ, et ut ipsa Bethleem in qua natus est ipse Saluator, primitias Domino Martirum, obtulisse videatur. Quot autem hi sancti infãtes numero fuerint, nobis incompertum est, sunt qui affirmarunt, fuisse centum quadraginta quattuor millia, & probant ex eo, quod Ecclesia in eorum festo recitat, visionem illam D. Ioannis Apocalip. 14. vidi supra montem Syon Agnum stantem, & cum eo cẽtum quadraginta quatuor millia, verum mihi creditu difficile est, tot fuisse illos infantes tantus enim numerus, nec in tota Iudæa ab imo, & infra inueniri forsitan potuisset, sed dicendum est, ibi voluisse Ecclesiam per determinatum numerum indeterminatum exprimere, vel in eorum Festo in officio sacro eam visionem recitare: non propter illum numerum, sed ob sequentia verba, quæ valde inno-

innocentibus congruunt, hi empti sunt primitiæ Deo, & Agno. Alij vero tradunt fuisse mille, & ad probandam suam opinionem afferunt illa verba Cant. quinto, Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus, candidus in Ioanne rubicundus, in Stephano, electus ex millibus in Innocentibus, & ideo post Saluatoris Natiuitatem celebrat Ecclesia immediate festum Sancti Ioann. Stephani, & Innocentium, sed hoc ipsum probari potest, ex Prudentio, qui in carmine de sancto Romano Martyre ait. Mille paruulos in Bethleem bibisse Christi Calicem. sed quidquid sit, quot fuerint sancti Innocentes numero, nobis incompertum est, vt diximus, & in sacris litteris, ac etiam profanis hic numerus mille frequenter ponitur pro indefinito, & vtitur scriptura sacra quibusdam numeris determinatis pro indefinitis, vt septies, decies, centies, mille.

REVELATIO SEPTIMA.
in Libro quæstionum.

FILIVS Loquitur, vbi ignis est in domo, necesse est foramen, quod exeat fumus, vt inhabitator ex calore gaudeat. Sic quicunque spiritum, & gratiam meam diuinam tenere desiderat, vtile est sibi confessione continua, per quam egrediatur peccati fumus. Quia licet spiritus meus diuinus in seipso immutabilis sit, tamen a corde illo se citius subtrahit, quod humilitatis confessio non custodit. Christus loquitur sponsę dicens, quod homines, qui delectantur in carnalibus, & terrenis delicijs: desideria cęlestia, & charitatem, & memoriam passionis eius, & æterni iudicij negligentes. Istorum oratio est quasi sonus collisorum lapidum, & proijcientur a conspectu Dei abominabiliter, tanquam abortiuus, & immundus pannus menstruate.

REVELATIO OCTAVA.
in Libro quęstionum.

ILLE cantabat. Eripe me domine a viro iniquo. Hæc vox est in auribus meis, quasi sonus duorum lapidum collisorum. Eius quippe cor, quasi cum tribus vocibus clamat ad me. Prima dicit. Ego volo habere voluntatem meam in manu mea, dormire, & surgere, & loqui placentia. Dabo naturę, quod appetit, pecuniam desidero in bursa, molliciem vestium in dorso, cum hæc & alia habuero, reputo feliciora ista omnibus alijs donis, & virtutibus spiritualibus animæ. Secunda vox eius est ista. Mors non est nimis dura, iudicium non est ita seuerum, vt scribitur, minantur duriora propter cautelam, dantur minora propter misericordiam. Ideo si habuero voluntatem meam in præsenti, anima transeat in futuro sicut potest. Tertia vox est ista. Deus non redemisset hominem, nisi dare vellet ei cęlestia, nec fuisset passus, nisi reducere vellet nos in patriam. Aut quare passus est, aut quis compulit eum pati? Nempe cęlestia non intelligo, nisi ex auditu, & verum credendum sit scripturis nescio, tamen si habere possem voluntatem meam hoc reciperem pro cælesti regno. Ecce talis est eius voluntas. Ideo quasi sonus lapidum est eius in auribus meis. Sed O amice respondeo tibi ad vocem primam. Via tua non tendit ad cælum, nec passio charitatis meę sapit tibi. Ideo apertus est tibi infernus, & quia diligis infima, & terrena, ideo vadas ad inferiora. Ad secundam vocem respondeo tibi. Fili mors erit tibi dura, iudicium intolerabile, fuga impossibilis, nisi te emendes. Ad tertiam vocem dico tibi. Frater omnia opera mea ex charitate feci, vt tu esses mihi similis, & auersus redires ad me. Nunc autem opera mea sunt mortua in te, verba mea onerosa, & via mea neglecta. Ideo restat tibi supplicium, & societas dæmonum, quia vertis ad me dorsum, calcas sub pedibus tuis signa humilitatis meæ, & non attendis qualis in cruce steti ante te, & pro te. Ego quippe tripliciter steti pro te. Primo sicut homo cuius oculum cultellus penetraret. Secundo, sicut homo cuius cor gladio perforaretur. Tertio, sicut homo cuius omnia membra præ dolore instantis tribulationis contremiscerent. Passio quippe

Digitized by Google

pe mea, amarior mihi erat quam punctura oculo. Attamen eam ex charitate patiebar. Dolor quoque *Matris* meę plus mouit meum cor, quam proprius. Attamen eum sustinebam. Omnia etiam interiora mea, & exteriora, diu ex instanti passione, & dolore tremuerunt. Non tamen dimisi, nec recessi. Sic igitur steti ante. Sed tu omnia obliuisceris, & negligis, & contemnis. Ideo sicut abortiuum, & pannus menstruatę proijcieris.

INTERROGATIO XIII. Quæstio prima.

ITEM apparuit in gradu suo religiosus, qui prius dicens. 1 O iudex quæro a te. Cur ab alijs citius subtrahitur gratia tua. Et alij diu tolerantur in malitia sua. *Quæstio secunda.* Item cur alijs in iuuentute tribuitur gratia. Alij in senectute priuantur ea. *Quæstio tertia.* Cur alii tribulantur vltra modum. Alij sunt quasi securi a tribulatione. *Quæstio quarta.* Item cur alij intelligentia, & ingenium datur incomparabiliter docile. Alij sunt, sicut asini sine intellectu. *Quæstio quinta.* Item cur aliqui nimis indurantur. Alij consolatione mirabili gratulantur. *Quæstio sexta.* Item cur malis datur maior prosperitas in mundo, quam bonis. *Quæstio septima.* Item cur vnus vocatur in principio. Alius circa finem.

RESPONSIO Quæstionis primę.

RESPONDIT Iudex. Amice omnia opera mea ab initio sunt in præscientia mea, & omnia quæcunque facta sunt ad solatium hominis creata sunt. Verum quia homo prefert voluntatem propriam voluntati meæ. Ideo ex iustitia auferuntur ei bona sibi data gratuitate, vt sciat homo omnia rationabilia, & iusta apud Deum, & quia multi ingrati sunt gratiæ meę, & tanto indeuotiores fiunt, quo plus multiplicantur eis dona, propterea auferuntur ab illis citius dona, vt consilium deitatis meæ manifestetur celerius, & ne homo in maius iudicium suum gratia mea abutatur. Item cur in malitia aliqui diu tolerantur. Ratio est, quia multi inter mala sua habent aliquid tolerabile. Nam aut proficiunt alijs, aut cautela sunt alijs. Sicut Saul cum argueretur à Samuele, modicum videbatur in conspectu hominum peccasse. Sed Dauid plus. Attamen instante probatione, Saul inobediens recessit a me Deo suo, & consuluit phitonissam. Dauid vero in tentatione factus est fidelior, sustinens patienter illata. & reputans accidentia sibi pro peccatis suis. In hoc igitur quod ego patienter sustinui Saulem, demonstratur ingratitudo Saulis, & patientia deitatis meæ, quod vero Dauid electus est, ostenditur præscientia mea, & humilitas futura Dauid, & contritio eius. *Responsio questionis secundæ.* Item cur aliquibus gratia aufertur in senectute. *Respondeo.* Omnibus datur gratia ad hoc, vt ab omnibus diligatur dator gratiæ. Ergo quia multi sunt circa finem ingrati meę gratiæ diuinę, sicut Salomon. Ideo iustum est vt auferatur in fine, quod non custodiebatur sollicite ante finem. Nam dona & diuina gratia mea, aufertur quandoque propter negligentiam accipientis, quia non attendit qualia accepit, & quæ redderet. Quandoque propter cautelam aliorum, vt vnusquisque stans in gratia, semper metuat, & de casu aliorum timeat. *Quia* etiam sapientes ceciderunt ex negligentia, & etiam, qui amici mei videbantur, per ingratitudinem sunt supplantati. *Responsio quæstionis tertiæ.* Item cur aliquibus maior est tribulatio. *Respondeo.* Ego sum omnium conditor. Ideo nulla tribulatio venit sine permissione mea, sicut scriptum est. *Ego sum Deus creans malum,* idest permittens tribulationem, quia nec tribulatio accidit gentilibus sine me, & sine rationabili causa. Nam prophetę mei etiam prædixerunt multa de aduersitatibus gentilium, vt erudirentur flagellis negligentes, & abutentes ratione, & vt ego Deus omnia permittens cognitus essem, & glorificarer ab omni natione. Si igitur ego Deus non parco paganis a flagellis, minus parcam ijs, qui copiosius, de dulcedine diuinę gratiæ meę gustauerunt. Quod ego tribulatio alijs est minor, alijs maior, hoc ideo est vt homines auertantur a peccato, & tribulati in pręsenti, consolationem obtineant in futuro. 2 Quia omnes qui iudicantur, & qui seipsos iudicant in hoc seculo, non venient in futurum iudicium. Sicut scriptum est, transibunt de morte in vitam. Quod etiam aliqui supportantur a flagello, hoc est ne flagellati murmurando incurrant iudicium grauius, quia multi sunt, qui non merentur in præsenti flagellari. Quidam etiam sunt, qui in hac

2 alias supplicium.

in hac

in hac vita, nec corporali, nec spiritnali molestia grauantur, qui ita securi sunt, quasi Deus non sit, aut quasi propter iustitiæ opera eorum, Deus parcat eis, quibus & formidandum vehementer est, & dolendum, ne ego Deus parcens eis in præsenti, improuisus aduenjam, & non compunctos durius damnem. Quidam etiam sunt, qui habentes sanitatem carnis tribulantur in anima, de contemptu Dei. Alij vero, nec gaudent sanitate corporis, nec consolatione interna animi, & tamen stant pro posse suo, in seruitio, & honore meo. Quidam etiam ab vtero matris vsque ad finem, affliguntur infirmitatibus, quorum omnium tribulationes, ita moderor ego eorū Deus, vt nihil fiat sine causa, & remuneratione, quia multorum oculi aperiuntur in tribulatione, qui ante tentationes dormitabant. Responsio quæstionis quartę. Item cur aliqui habent maiorem intelligentiam. Respondeo. Nihil prodest animæ ad æternam salutem, quanta quis abundauerit sapientia, nisi & fulgeat bona vita, imo vtilius est habere minorem scientiam, & meliorem vitam, propterea vnicuique moderata est ratio, per quam si pie vixerit, obtinere potest cœlum. Veruntamen ratio in multis est dissimilis, iuxta naturalem, & spiritualem dispositionem. Nam sicut homo per diuinum feruorem, & virtutes proficit in virtutum perfectionem. Sic & per voluntatem malam, & naturæ malam dispositionem, & prauam educationem, homo desluit in vanitates. Multotiesque natura patitur defectum, quando contra naturam conatur, & peccatur. Ergo non sine causa est, quod ratio in aliquibus est magna licet inutilis, sicut in illis, qui scientiam habent, sed non vitam bonā. In alijs vero est minor sciētia, sed melior vsu. In quibusdam vero concordant, & ratio, & vita, sed è contra in alijs, nec ratio, nec vita. Hæc igitur varietas prouenit quandoque ex ordinata mea diuina permissione, aut ad vtilitatem hominum aut ad humiliationem eorum, & eruditionem, quandoque propter ingratitudinem, & tentationem, quandoque propter naturę defectum, & latentia peccata, prouenit etiam quandoque propter occasionem vitandam maioris peccati, & quia natura nō est aptior ad maiora percipienda. Omnis ergo qui gratiam intellectus habet, timeat ne grauius si negligens fuerit inde iudicetur. Ille vero, qui non habet intellectum, & ingenium gaudeat, & de modico, quod habet, quantum potest operetur, quia a multis occasionibus peccati est liberatus. Nam Petrus Apostolus in iuuentute obliuiosus erat, Ioannes idiota, qui in senectute apprehenderunt veram sapientiam, quia principium sapientiæ quęsierunt. Salomon vero iuuenis erat docilis, & Arist. subtilis, qui non apprehenderunt initium sapientię, quia nec glorificauerunt, scientiæ datorem, vt debuerunt, nec imitati sunt, quæ sciuerunt, nec sibi, sed alijs didicerunt. Sed, & Balaam habuit scientiam, quam non imitatus est, ideo asina corripuit eius insipientiam, & Daniel iuuenis iudicabat seniores. Quia litteratura, non placet mihi sine vita bona, ideo necesse est, vt qui abutuntur ratione, corrigantur, quia ego omnium Deus, & dominus, do scientiam hominibus, ego
3 corrigō sapientes, & insipiētes. 3 Responsio quæstionis quintæ. Item cur aliqui indurantur. Respondeo, quod Pharao induratus erat, culpa sua erat non mea, quia noluit conformare se diuinæ voluntati meę. Nam induratio nihil aliud est, nisi subtractio meę gratię diuinę, quæ ideo subtrahitur, quia homo illud non tribuit mihi Deo, quod habet liberum, scilicet propriam voluntatem. Sicut per exemplum intelligere poteris. Nota exemplum de agro fructuoso, & infructuoso. Homo erat possidens duos agros, quorum alter incultus manens, alter certis temporibus fructificabat. Cui dixit amicus suus. Miror inquit cum sis sapiens, & diues, cur agros tuos non excolis diligentius, aut cur non tradis alijs excolendos. Respondit ille. Alter agrorum quantamcunque diligentiam exhibuero, nihil producit, nisi herbas pessimas quas bestię nociuę occupant, & deturpant locum, cui si adhibuero pinguedinem tantum lasciuiendo insolescit, quod etiam si modicum frumentum produxerit, plures ascendunt zizanie, quas dedignor colligere, quia frumentum non desidero, nisi purum. Ergo consultius est agrum talem dimittere incultum, quia tunc bestię non occupant locum, nec bestiæ occultant se in herbis, & si aliquę herbę amaræ pullulant. Vtile est pro ouibus, quia gustatis illis discunt suauia non fastidire. Alter vero ager secundum temperiem temporum dispositus est cuius quædam pars est petrosa, & indiget pinguedine, alia humida indigens calore, alia sicca indigens humore. Ideo secundum qualitatem agri opus meum volo temperare. Ego itaque Deus similis sum homini isti. Primus autem ager est libera motio voluntatis, data homini, quam magis mouet contra me, quam pro me, & si aliqua placita mihi fecerit, in pluribus tamen prouocat me, quia voluntas hominis, & mea non concordant. Sic & Pharao fecit, qui cum ex certis signis cognosceret potentiam meam, nihilominus firmauit men-

mentem suam contra me standi in malitia sua. Ideo expertus est iustitiam meam, quia qui non bene vtitur minimis, iustum est, vt maximis non glorietur. Alter vero ager est obedientia bonæ mentis, & abiectio voluntatis propiæ talis mens si est arida in deuotione, expectare debet pluuiam meæ gratiæ diuinæ. Si est petrosa per impatientiam & obdurationem, equanimiter sustineat, purgationem, & correctionem. Si est humida per carnis lasciuiam, amplectatur abstinentiam, & sit sicut animal paratum ad voluntatem possessoris, quia de tali mente ego Deus multum glorior. Ergo quod aliqui indurantur, hoc facit voluntas hominis mihi contraria, quia licet ego omnes volo esse saluos, tamen non perficitur, nisi homo personaliter cooperatus fuerit, conformando omnem voluntatem suam volũtati meæ. Quod vero non omnibus datur æqualis processus, & gratia hoc est occultum iudicium meum, qui scio, & moderor, vnicuique quod ei expedit, & debetur, qui & restringo conatum hominis, ne profundius cadat. Nam multi habent talentum gratiæ, qui operari sufficerent, sed renuunt. Alij abstinent a peccato timore supplicij, & quia facultatem peccandi non habent, vel quia peccatum non delectat eos, ideò aliquibus non retribuuntur dona maiora, quia ego qui noui solus mentes hominum, scio distribuere dona mea. Responsio quæstionis sextæ. Item cur mali plus quandoque prosperantur in mundo, quam boni. Respondeo. Hoc est inditium magnæ patientiæ, & charitatis meæ, & probatio iustorum. Nam si solis amicis meis darem temporalia bona, desperarent mali, & superbirent boni, sed ideo dantur omnibus bona temporalia, vt ego Deus omnium dator, & creator, diligar ab omnibus, & vt cum boni superbiunt, per malos erudiantur ad iustitiam. Intelligant etiam omnes, quod temporalia non sunt diligenda, nec mihi Deo præponenda, sed habenda ad solam sustentationem, & sint ad seruitium meum tanto feruentiores quo minus in temporalibus inueniunt aliquid stabilitatis. Responsio quęstionis septimæ. Item cur vnus vocatur in principio, alter circa finem. Respondeo. Ego sum quasi Mater, quæ videns in filij spem vitæ, alijs dat fortiora, alijs leuiora. His vero de quibus non est spes etiam compatitur, & facit quantumcunque potest. Sed filij ex medicamento matris fiunt deteriores quid necesse est, tunc laborare? Sic ego facio homini, cuius voluntas præuidetur feruentior, & humilitas, & stabilitas constantior, huic accedit gratia in principio, & subsequitur in fine. Qui vero interim in sua etiam conatur, & afficit, vt melior fiat hic meretur vocari circa finem. Qui vero ingratus est non meretur admitti ad verba Matris.

INTERROGATIO XIII.

Quæstio I.

NOTAE.

1 O Iudex quæro a te cur ab aliis citius subtrahitur gratia tua; & alij diu tollerantur in malitia sua,

In præsenti interrogatione circa primam, secundam, quintam, & septimam quæstionem, nihil annotandum occurrit, agitur enim de diuina prædestinatione, prouidentia, gratiæ collatione, quæ cum à Dei voluntate imediate, pendeant, de his nulla reddi ratio potest, & quare vni dentur, & non alteri, & plus alteri, quam illi, & vni citius, & alteri tardius, nouit tantummodo Deus, qui cunctorum est dator donorum, & dat vnicuique secundum suum beneplacitum, & prout nobis expedire cognoscit, qua de re agens Apostolus Paulus Rom. ii. exclamans ait: O altitudo diuitiarum scientiæ, & sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & sapientia 9. sensum tuum Domine quis sciet, & sane si de reprobatione, subtractione gratiæ, ac donorum sermo fiat dubium non est, quin de his causa afferri possit, idque peccatis nostris fieri manifestum est, quoniam voluntatem nostram diuinæ anteponimus, atque hæ sunt causæ, quæ in vniuersum afferũtur hic, merito ergo Oseas cap. 13.
1 *affirmauit perditionem nostram ex nobis metipsis esse, at si de prædestinatione tractemus, eam hanc nullam, vt communiter docent Theologi ex parte nostra causam habeat, nisi voluntas diuina, inde fit Deum solum causas nosse, quare illum vocet, & alium non, & vnum citius, & alterum tardius, & idcirco in responsione quæstionis quintæ scribitur circa finem, quod vero non omnibus datur æqualis processus, & gratia hoc occultum iudicium meum est: qui scio, & moderor vnicuique, quod ei expedit, vnde egregie D. August. contra Pelagianos scribens epistola 105. cur inquit ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem viderent altitudo est diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt, iudicia idẽ habet lib de correctione, & gratia cap. 8. & de bono perseuerantiæ c. 8. & 10. hanc ob causam D Tho. 3. contra gentes cap. 161. tradit huius rei non esse rationem quærendam, quippe quæ simpliciter ex Dei voluntate pendet. vide quæ diximus de hac eadem re supra quinto libro interrogatione sexta, quæstione prima, quæ vero ad intelligentiam*

quæstionis tertiæ, quartæ, & sextæ spectare videntur annotauimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 1. nota tertia, & lib. 5. interrogat. sexta qu. 2.] quibus locis eodem proponuntur dubitationes, & soluũtur.

2 *In responsione quæstionis tertiæ in qua quæritur, quare alij in hac vita tribulationibus magis premuntur, alij vero minus, animaduertendum est, quod cum legimus ibi, (omnes qui iudicantur, & qui se ipsos iudicant, in præsenti seculo non esse venturos ad iudiciũ.) aut legendum esse ad supplicium, vt quidam codices habent, aut sic textus explicandus, illos, qui ad molestias in hoc seculo patiendas iudicantur a Deo, easque pro eius amore libenter tollerant, seque his dignos iudicant, non esse ad iudicium venturos, hoc est ad æternas pœnas, & condemnationẽ iudicandos, non vero quod à Christo in vniuersali iudicio iudicandi minime sint, omnes enim ait Apostolus 2. Corinth. 5. nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum, & hæc interpretatio colligi potest ex antecedentibus verbis. ibi, vt tribulati in præsenti, consolationem obtineant in futuro.*

3 *In præsenti responsione quæstionis quintæ, duo notanda sunt: primo quid induratio sit: secundo quare cor hominis induratur, id namque nostra culpa fieri legimus hic, non obdurat Deus, vt testis est D. August. 105. impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam: quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur at potius vt non impertiatur hoc digni sunt. quid autem induratio sit definitur hoc loco cum dicitur, quod est subtractio diuinæ gratiæ sic etiam D. Augustinus serm. 88. de tempore, vbi loquens de Pharaone de quo Exodi 4. legimus ego indurabo cor eius, quid est ait indurabo cor, nisi cum absuerit gratia mea obdures illum nequitia sua, quod solis exemplo declarat, cuius superueniente calore, aqua in glaciem concreta resoluitur, & discendente iterum obduratur, sic quoque cum calor diuinæ misericordiæ superuenerit, cor obduratum resoluitur, & liquefit, idem annotauit Lyranus exodi 4. ibidem.*

CHRISTVS LOQVENS Sponsę suæ Brigittæ ostendit ei. Qualiter de domo mundi, & vitiorum est iam erepta, & quod iam ducta est ad habitandum in mansione Spiritus sancti, & ideo monet eam, quod conformet se cum eodem spiritu perseuerando semper munda, humilis, & deuota.

REVELATIO NONA.

FILIVS Loquitur ad sponsam. Tu es illa, quæ in paupere domo nutrita, in societatem magnorum venisti. Quippe in domo paupere tria sunt, scilicet parietes maculosi, fumus nociuus, & fuligo replens. Sed tu es ducta in domum, vbi pulchritudo est sine macula. Calor sine fumo. Suauitas sine fastidio replens. Domus vero pauper est mundus. Cuius parietes sunt superbia. Obliuio Dei. Abundantia peccati. Inconsideratio futurorum. Hi parietes maculant, quia bona opera annihilant, & abscondunt ab homine faciem Dei. Fumus vero amor est mundi, hic nocet oculis, quia intellectum animæ obfuscant, & facit eam in superuacuis sollicitam.
2 Fuligo vero voluptas est, quia si ad tempus delectat, nunquam tamen satiat, nec replet bonitate æterna. Ab his igitur tu es abstracta, & ducta es in mansionem Spiritus sancti qui est in me, & ego in eo, qui, & concludit te in se, ipse quippe mundissimus est, & formosissimus, stabilissimusque, quia omnia sustentat. Ergo conforma te habitatori domus, manendo munda humilis, & deuota.

ITERROGATIO XLIII.

Quęstio prima.

ITEM apparuit religiosus ille, qui prius in gradu suo dicens, O iudex quæro a te. Cur animalia patiuntur incommoda, cum non habebunt æternam vitam, nec vtuntur ratione. Quæstio secunda. Item cur nascuntur omnia cum dolore cum in omnium natiuitate non sit peccatum.
1 Quæstio tertia. Item cur infans portat peccatum patris, cum non nouit peccare. Quæstio quarta. Item cur hæc contingit frequentius, quod non præuidetur. Quæstio quinta. Item cur moritur malus bona morte, sicut iustus, & iustus quandoque mala morte, sicut iniustus.

RESPONSIO

Quæstionis primę.

RESPONDIT Iudex. Amice, licet inquisitio tua non sit ex charitate, tamen respondeo tibi ad aliorum charitatem Quæris. Cur animalia patiuntur infirmitates. Hoc ideo est, quia in eis, sicut in cęteris oĩa sunt inordinata. Nam ego sũ oĩum naturarũ cõditor, & dedi vnicuiq; naturæ

Digitized by Google

naturæ temperamentum suum, & ordinem, in quo vnumquodq; moueretur, & viueret. Verum postquam homo propter quem omnia facta sunt dilectori suo, idest, mihi Deo suo se opposuit, cæperunt, & omnia alia inordinationem suam suscipere, & omnia quecunque ei reuereri deberent, cæperunt se ei opponere, & aduersari, propterea ex huius inordinationis vitio, sicut homini sic, & animalibus plurima contingunt molesta, & aduersa. Cęterum animalia etiam quandoque patiuntur propter intemperantiam naturæ suæ. Quandoque propter mitigationem feritatis suæ, & purgationem ipsius naturæ. Quandoque propter peccata hominum, vt cum illa plagantur, & subtrahuntur, quæ diligit homo attendat ipse homo quanta pœna dignus sit, qui maiore vtitur ratione. Etenim nisi exigerent peccata hominum non ita singulariter animalia, quæ ad manum hominis sunt affligerentur, sed nec ipsa sine magna iustitia patiuntur. Nam aut erit eis ad celeriorem vitæ finem. Aut ad minorem miseriæ laborem, & naturæ fortis consumptionem. Aut propter mutationem temporum. Aut ex incuria hominis labore proueniente. Timeat ergo homo præ cæteris me deum suum, & tanto mitior sit circa creaturas meas, & animalia quibus, & propter me earum creatorem miserri debet. Ideo enim ego Deus præcepi homini de sabbato, quia cura est mihi de omni creatura mea. Responsio quæstionis secundę. Item cur omnia nascuntur cum dolore. Respondeo. Homo quando contempsit delectationem pulcherrimam, statim incurrit vitam laboriosam, & quia inordinatio cæpit in homine, & per hominem. Iustitia mea est, vt etiam alijs creaturis, quę sunt propter hominem aliqua amaritudo sit propter temperamentum delectamenti sui, & fomentum nutrimenti sui. Ergo nascitur homo cum dolore, & progreditur cum labore, vt ad quietem veram festinare studeat, moritur vero nudus, & pauper, vt refrenet inordinatum motum suum, & timeat futuram discussionem. Animalia etiam ideo pariunt cum dolore, vt excessum temperet amaritudo, & participes sint hominis in labore, & dolore, propterea homo quanto nobilior est animalibus tanto feruentius diligat me dominum Deũ creatorem suum. Responsio quæstionis tertię. Item cur puer portat peccata patris. Respondeo. Omne quod de mũdo procedit nunquid poterit esse mundum. Itaque primus homo quando illam pulchritudinem innocentiæ propter inobedientiam amisit eiectus est a paradiso gaudij, & inuolutus est in immundis. Ad hanc ergo innocentiam recuperandam nullus ex seipso inuentus est sufficiens. Ideo ego misericors Deus in carnem veniens, institui baptismum, quo puer liberatur a praua immunditia, & a peccato. Et propter hoc filius non portabit peccatum patris, sed vnusquisque in peccato suo morietur. Veruntamen multoties contingit, quod filij imitantur peccata parentum, ideo, & quandoque puniuntur peccata patrum in filijs non quia peccata patrum in ipsis impunita erunt, licet pœnæ peccatorum transferantur ad tempus. Sed vnusquisque in peccato suo morietur, & punietur. Quandoque etiam peccata patrum, sicut scriptum est, visitantur in quartam generationem, quia diuina iustitia mea est, vt cum filij, nec pro se, nec pro patribus studeant mitigare irã meam, puniantur cum patribus, quos contra me secuti sunt. Responsio quæstionis quartę. Item cur hoc quod non videtur prouenit frequentius. Respondeo. Scriptum est, quod per ea quæ peccat homo punietur. Et quis intelligere poterit consilium Dei, propterea, qui multi quærunt me, sed non secundum scientiam, sed propter mundum. Alij plus iusto timent. Alij nimis præsumunt. Alij in consilijs suis superbiunt. Ideo ego Deus, qui omnium operor salutem facio quandoque illud prouenire quod homo plus timet. Quandoque aufertur illud, quod plus iusto diligitur. Quandoque quod sollicitius præuidetur, & desideratur elongatur, vt homo præ omnibus semper me Deum suũ timeat, diligat, & cognoscat. Responsio quęstionis quintę. Item cur homo malus aliquando moritur bona morte, sicut iustus. Respõdeo. Mali habent quandoque quædam bona, & faciunt quædam iustitiæ opera, pro quibus in præsenti remunerandi sunt. Similiter, & iusti aliquando faciunt quedam mala, pro quibus in præsenti flagellandi sunt, aut expectandi. Ideo quia in præsenti omnia incerta sunt, & omnia reseruantur in futurum, & quia vnus est omnium introitus. Ideo, & vnus exitus omnium debet esse, quia non exitus, sed vita beatum facit hominem. Veruntamen, quod malis aduenit exitus, sicut iustis, hoc est ex diuina iustitia mea, quia illum exitum ipsi desiderabant. Nam diabolus pręuidens suorum amicorum exitus, prænunciat quandoque mortis tempora, ad præsumptionem eorum & vanam gloriam, & deceptionem, sicut in illis libris, qui Apocriphi intitulãtur inuenitur, vt post mortem, quasi iusti laudentur, Et contra iustis prouenit, Quandoque flebilis exitus, ad eorum maius meritum, vt qui semper in vita sua in virtutibus sol-

ficiei fuerant. Per mortem contemptibilem liberè euolarent ad cœlum, quatenus nec ipsa peripsemata mundanda inuenirentur: sicut enim scriptum est, quod Leo occidit prophetam inobedientem, & non comedit ex cadauere, sed custodiuit illud. Quod enim Leo occidit corpus, quid aliud innuitur nisi permissio mea diuina, vt inobedientia prophetæ puniretur? Quod vero Leo non comedit de cadauere, ostensio bonorum operum prophetæ fuit, vt purgatus in præsenti, in futuro iustus inueniretur. Propterea timeat vnusquisq; discutere iudicia mea, quia sicut incomprehensibilis ego sum virtute, & potentia, sic terribilis sum in consilijs, & iudicijs meis, nam et enim volentes quidam comprehendere ea sapientia sua exciderunt a spe sua.

INTERROGATIO XIIII.

Quæstio tertia.

NOTAE.

1 CVr infans portat peccatum Patris cum non nouit peccare.

De duobus præcedentibus quæstionibus nihil dicendum occurrit, omnia namque sic manifesta, apertaque sunt, vt nostra non egeant interpretatione, circa vero quæstionem tertiam, quoniam quædam habentur in Sacris litteris, quæ huic contraria esse videntur, vt Ezech. 18. filius non portabit iniquitatem Patris, & libro quarto Reuelat. cap. tertio scribitur, Deum non affligere filios pro peccatis Parentum, & tamen in hac quæstione legimus, infantem portare peccatum Patris, & Exodi 20. Deum visitare iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, ideo hæc quomodo intelligenda sint, & cohæreant diligenter à nobis, sed breuiter inuestigandum est, prius tamen quæstionis sensus aperiendus est, dubitatur ergo hic quomodo fieri possit, quod infans portet iniquitatem Patris, cum peccare non nouerit, ex quibus verbis deducitur hoc loco agi de peccato originali, non vero actuali supponimus namque ad vsum rationis infantem non peruenisse, vnde actuale aliquod peccatum committere minime potest, quod etiam colligitur euidenter ex responsione ad præsentem dubitationem cum dicitur (itaque primus homo quando illam pulchritudinem innocentiæ propter inobedientiam amisit) hic posuit. Dico primo, si loquamur de peccato originali in ratione culpæ, infantem portare peccatum Patris, in quantum per veritatem generationis Patris traxit humanam naturam infectam a Patre; deriuatur enim per originem originalis culpa a patre in filium, sicut actuale peccatum per imitationem filij, vt declarat D. Thomas p. 2. quæst. 81. artic. primo ad primum, & secundum argumentum, & ad portandum peccatum patris, sic consideratum non est necesse, quod filius peccare nouerit, vt in quæstione dicitur; necessarium tamen esset si de actuali peccato sermo foret, quia ad illud patrandum rationis vsus supponitur. Dico secundo si loquamur de peccato originali in ratione pœnæ, qua deinde per illud quis originali iustitia priuatur, quod infans iuste tali pœna punitur ob culpam patris, quandoquidem primi parentes iustitiæ originalis munus acceperunt pro se, suisq; posteris, si in Dei obedientia perstitissent; quo facto, iuste sibi, suisq; donum illud amiserunt. Negari etiam non posset, quod cum originale peccatum sit quoquomodo etiam voluntarium in paruulis, non quidem voluntate propria, & personali; sed voluntate Adæ, in qua erant tamquam in principio, & capite, quod cum absque Baptismo hi moriuntur, dici potest, quod in peccato proprio moriuntur, & proprij peccati pœnas portant, quoniam illud peccatum erat contractum in persona habentis illud, & cum ea persona moriebatur in illo, ipsa erat, quæ damnabatur propter illud, & illius peccati pœnas luebat. & ita intelligendum esse arbitror, quod legimus in responsione ad præsentem dubitationem cum dicitur, & propter hoc filius non portabit iniquitatem patris, sed vnusquisque in peccato suo morietur, scribitur autem non portare iniquitatem patris, quia propriam portat in qua moritur, & per quam debitas pœnas patitur. Dico tertio, si sermo fuit de peccato actuali, tunc etiam distinguendum est, vt fecimus de originali, nam si hoc peccatum consideretur in ratione culpæ, tunc dicendum est filium non portare iniquitatem patris, quia impossibile est huiusmodi peccata parentum traduci per originem in filios, ratio est, quia parentes per generationem transmittunt in filios, ea quæ spectant ad rationem speciei, non vero indiuidui, quæ autem sunt indiuidui sunt actus personales, quæ non traducuntur, non enim Philosophus Philosophum generat, nec Musicus Musicum, secundo quia id fieri nequit nisi eadem actio numero, quæ est Patris fit ab ipso in filio, sed in creaturis actio manens in agente ascribitur ipsimet supposito operanti, Pater autem, & Filius distinguuntur secundum suppositum, ergo fieri non potest quod eadem actio peccati eiusdem secundum numerũ sit in Patre, & filio. Dico quarto si loquamur de peccato actuali ex parte pœnæ, vel sermo est de temporali pœna, & tunc contingit aliquando filios portare

uerò iniquitatem Patris, quatenus Diuino iudicio, vel etiam humano puniuntur, quandoq; filij pro peccatis Patrum; sic enim filius secundum corpus est aliquod Patris; & ideo aliquando iuste portat pœnas iniquitatis Patris; ut vult Diuus Thom. par. secunda quæst. 8 . artic. secundo ad primum, & Liranus Exodi 20. ad illud visitans iniquitatem Patrum in filios, pœna tamen spirituali filios nunquam castigari pro peccato Patris, ut sic est Diuus Augustinus Epistola 75. ad Auxilium; quod probat ex eo, quoniam omnes animæ immediate Dei sunt, vt Ezechiel primo scribitur, secus tamen esset si communicarent in eadem culpa, vel per originem, vel per imitationem, sic enim iuste tali pœna punirentur, atque etiam æterna in quantum imitarentur peccata Patrum, vt dictum est supra, & in hunc sensum Deus dixit Exodi 20. velle se visitare iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, quod autem hic textus sic interpretandus sit, patet ex sequentibus verbis, quæ sunt (eorum, qui oderunt me), hoc est castigabo in tertiam, & quartam generationem, eos qui perseuerabunt exemplo suorum parentum odio habere me, sic enim exponunt Diuus Augustinus libro Vnico contra Adamantium Manichæum cap. 7. & D. Thom. part. 2. quæst. 87 artic. 8. ad primum, neq; huic contrariatur illud Ezech. 18. filius non portabit iniquitatem Patris, idest pœnam iniquitatis patris, quoniam intelligitur nisi fuerit imitatus peccata patris, quæ interpretatio euidenter colligitur ex verbis textus, vbi legimus si generauerit vir filium, & viderit omnia peccata patris, quæ fecit, & timuerit, & non fecerit similia ipse non morietur propter iniquitatem patris sui, sic habent D. Aug. vbi supra in Exodum ca. 20 Theodoretus etiam insinuat q. 40. in Exodum, quamquam dicere videatur verba illa in tertiam, & quartam generationem continere potius comminationem quandam, quam quod verè Deus visitet iniquitatem patrum in filios infra tamen eadem quæstione concedit Deum filios punire, quia imitantur peccata parentum, idem habet Hieron. ab Oleastro in Exodum cap. 20.

CHRISTVS LOQVENS sponsæ. Monet eam, quod non turbetur, si aliquando verba sua diuina in reuelationibus ei dicta inueniantur aliquando obscura, aliquando dubia, & aliquando incerta, quia hoc fit ex certis causis hic assignatis, & occulta iustitia diuina. Consulit tamen quod cum patientia, & timore, & perseuerantia humilitatis semper expectentur euentus, & promissiones verborum eius, ne propter ingratitudinem reuocetur gratia promissa, dicit etiam, quod multa corporaliter dicta sunt, quæ non corporaliter, sed spiritualiter perficientur.

REVELATIO DECIMA.

FILIVS loquitur ad sponsam. Noli turbari, si loquor vnum verbum obscurius aliud expressius, aut si aliquid dico nūc seruum meum, vel filium & amicum, & iterum inuenitur contrarium, quia verba mea diuersimode interpretari possūt. Sicut dixi tibi de vno, quod manus eius fieret mors eius. Et de alio quod nō accederet ad mensam meam amplius. Hæc ideo dicuntur, quia aut dicturus sum tibi cur ita dixi. Aut videbis opera finem veritatis, sicut patet in istis duobus. Etiam quandoque dico aliqua obscura, vt & timeas & gaudeas. timeas ne alio modo eueniant propter patientiam meam diuinam, qui noui mutationes cordium. Gaudeas etiam, quia voluntas mea semper adimpletur.

Sicut etiā in veteri lege multa dixi, quæ magis spiritualiter, quàm corporaliter intelligi debebant. Sicut de templo, & Dauid & Hierusalem, vt homines carnales spiritualia addiscerent desiderare. Nam ad probandum fidei constantiam, & amicorum meorum sollicitudinem multa dixi, & promisi, quæ secundum diuersos spiritus mei effectus, diuersimode a bonis & malis intelligi possent. Et vt in diuersis statibus singuli habeant vnde exercitari, & probari possint, & a me erudiri. Quod vero obscure aliqua dicta sunt ex iustitia mea est, vt consilium meum absconderetur. Et vnusquisq; patienter expectaret gratiam meam. Ne forte si consilium meum semper certo tempore insinuaretur, omnes in expectando tepescerent. Multa etiam promisi quæ pro-

propter hominum ingratitudinem subtracta sunt. Et multa corporaliter dicta sũt, quæ spiritualiter perficientur, sicut de Hierusalem, & de Sion, quia iudæi sunt sicut scriptum est) Cæcus populus Domini, & surdus.

NOTAE.

O*Mnia quæ ad præsentis capitis intelligentiam facere possunt tradidimus supra lib. 2. Reuelat. cap. 28. nu. 1. 2. 3. & 4.*

INTERROGATIO XV. Quæstio I.

ITEM ille religiosus, qui supra apparuit, stans in gradu suo, & dicens. O Iudex quæro à te. Cur multa creata sunt, quæ nullius videntur vtilitatis. *Quæstio secunda*. Item cur animæ manentes in corpore, vel de corpore egredientes, communiter non videntur. *Quæstio tertia*. Item cur amici tui rogantes non semper exaudiuntur. Quæstio quarta. Item cur multi volentes facere male non permittuntur.
1 quæstio quinta. Item cur quibusdam non merentibus mala adueniunt. Quæstio sexta. Item cur hi, qui spiritum Dei habent peccant.
2 Quæstio septima. Item cur quibusdam diabolus adhæret, & semper est præsens alijs nunquam.

RESPONSIO Quæstionis primę.

RESpondit Iudex. Amice, sicut opera mea multa sunt sic & mirabilia, & incomprehensibilia. Et si multa sunt, nulla tamen sine causa. *Homo* quippe similis puero est nutrito in carcere, & tenebris, cui si diceretur, quod lux & stellæ sunt non crederet, quia nunquam vidit. Similiter homo postquam deseruit lucem veram, non delectatur nisi in tenebris, iuxta verbum vulgare. *Qui* assuescit malo videtur ei dulce esse malum. Igitur quamuis intellectus hominis obscuratus sit in me, tamen non est aliqua obumbratio, nec transmutatio, quia omnia ita temperatæ, & honestæ, & sapienter dispono & disposui, quòd nihil sine causa, & vtilitate factum est. Immo nec mons altissimus, nec heremus, nec lacus, sed nec bestiæ, nec reptilia etiam venenosa. *Sed* sicut hominum ita, & creaturarum omnium prouideo vtilitati. Ego sum similis homini, qui alia loca habet ad spatiandum. Alia ad vtensilium custodiam. Alia pro animalibus mitibus, & immitibus. Alia ad mutationes, & mysteria consilij sui. Alia propter terræ dispositionem sic congruentem. Alia ad hominum correptionem. Sic ego Deus omnia ordinaui rationabiliter. Alia propter hominis vtilitatem, & delectationem, quædam propter ferarum, & auium diuerticula. quædam propter excitationem, & cupiditatis humanæ refrenantiam. Alia propter elementorum conuenientiam. quędam propter operum meorum admirationem. quædam propter peccatorum punitionem, & superiorum, & inferiorum conuenientiam. Alia propter causam mihi soli cognitam, & reseruatam. Ecce enim apis breuis, & paruula ad conficiendum mel multa scit de multis elicere. Sicut, & cœteræ minutæ, & magnæ creaturæ, quæ vincunt hominem in solertia, & discretione herbarum, & consideratione vtilitatis suæ, & multa sunt illis proficua, quæ nociua sunt homini. quid ergo mirum, si sensus hominis infirmus est ad discernendum, & intelligendum mirabilia mea, cum etiam vincatur a minimis creaturis. Ecce quid deformius rana, & serpente, quid contemptibilius lappa, & vrtica, & similibus, & tamen illa valde bona sunt, scientibus discernere opera mea. Et ita quæcunque sunt ad aliquid vtilitatis sunt, & vnũquodq; quod mouetur, scit quo modo natura sua subsistere poterit, & roborari. Ergo quia omnia opera mea mirabilia sunt, & omnia laudant me, ideo homo quanto pulchrior, & prælatus est cęteris tanto præ cęteris obligatiorem se sciat ad honorem meum.

Alioquin nisi impetus aquarum aliquibus terminis montium coarctaretur, vbi esset homini tuta habitatio. Et nisi esset bestijs refugium, quomodo effugerent cupiditatem insatiabilem hominum. Et si homini essent omnia ad votũ nunquid tunc requireret cęlestia. Si vero bestiæ, nec laborarent, nec timerent, dissoluerentur, & infirmarentur. Ideo plurima opera mea sunt in abscondito, vt ego Deus mirabilis, & incomprehensibilis sim cognitus, & honoratus ab hominibus, ex admiratione sapien-

pientiæ meæ in creatione tantarum creaturarum mearum. *Reſponſio quæſtionis ſecundæ.* Item cur animæ non videntur ab homine. *Reſpondeo.* Anima longe melioris naturæ eſt quam corpus, quia ex virtute deitatis meæ eſt, & immortalis. Participationem habens cum Angelis. Præſtantior omnibus planetis. Nobiliorque toto mundo. *Ergo* quia anima nobiliſſimæ, & naturæ eſt, tribuens corpori viuificationem, & calorem, & quia ſpiritualis eſt, ideo a corporalibus, niſi per corporales ſimilitudines videri nullatenus poteſt.

Reſponſio quæſtionis tertiæ. Item cur amici mei rogãtes me in orationibus ſuis, non ſemper exaudiuntur à me? Reſpondeo ego ſum quaſi mater, quæ videns filium rogantem contra ſalutem ſuam differt petitionem eius exaudire, compeſcens fletum eius cum indignatione quadam, quæ quidem indignatio non eſt ira, ſed miſericordia magna. Sic ego Deus non ſemper audio amicos meos, quia melius video ego quæ ſunt eis vtiliora ad ſalutem quam ipſimet videant. Nunquid non Paulus, & alij efficaciter orauerunt, & tamen non auditi ſunt? Sed quare? quia ipſi amici mei inter virtutum abundantiam, quædã habent infirma, & purganda, & ideo non audiutur. Vt tanto ſint humiliores, & ad me feruentiores, quo in tentationibus peccati, maiori charitate a me illæſi defenduntur, & conſeruantur. Ergo indicium magnæ dilectionis eſt, vt amici mei non ſemper exaudiantur in orationibus ſuis propter maius meritum, & ad probandam eorum conſtantiam. Quia ſicut diabolus conatur ſi poſſet vitiare vitam iuſti per peccatũ aliquod, aut per mortem contemptibilem, vt ſic cõſtantia fidelium tepeſceret, ſic ego permitto non ſine cauſa probari iuſtum, vt eius ſtabilitas alijs innoteſcat, & ipſe ſublimius coronetur. Et ſicut diabolus non erubeſcit tentare ſuos, quia videt eos promptiſſimos ad peccandum. Sic ego non parco ad tempus electis meis, quia video eos paratos ad omne bonum. Reſponſio quæſtionis quartæ. Item cur aliqui volentes facere mala non permittuntur. *Reſpõdeo.* Quicunque habet duos filios, alium obedientem, alium inobedientem pater reſiſtit inobedienti quantum valet, ne excedat in malitia. Obedientem vero probat excitans ad maiora, quatenus eius agilitate, etiam filius inobediens incitetur ad meliora. Sic ego multoties non permitto peccare malos, qui inter mala ſua aliqua bona faciunt, quibus proficiunt, vel ſibiipſis, vel alijs. Ideo iuſtitia exigit, vt non ſtatim tradantur diabolo, nec habeant effectum explendi velle ſuum ſemper. *Reſponſio quæſtionis quintæ.* Item cur alijs non merentibus adueniunt mala. *Reſpondeo.* Omnis quicunque bonus eſt mihi ſoli *Deo* cognitus eſt, & quid meretur. *Quia* multa videntur pulchra quæ non ſunt. Et aurum probat ignis. Iuſtus vero, ideo quandoq; tribulatur, vt alijs ſit in exemplum, & ſibiipſi in coronam. *Sic* & Iob probatus eſt, qui ante flagella bonus erat, ſed in flagellis, & poſt magis fuit notus hominibus. Et tamen cur ego eũ flagellaui, quis diſcutere velit, vel ſcire poterit, niſi ego ipſe, qui eum præueni benedictionibus meis, & conſeruaui ne peccaret, & tenui in tentationibus, & ſicut ſine meritis ſuis præueni eum gratia mea, ſic, & cum iuſtitia, & miſericordia probaui eum, quia nullus iuſtificabitur in conſpectu meo, niſi per gratiam meam. *Reſponſio quæſtionis ſextæ.* Item cur hi qui ſpiritum meum habent peccãt. *Reſpondeo.* Spiritus deitatis meæ non eſt alligatus, ſed vbi vult ſpirat, & quando vult recedit, nec habitat in vaſe ſubdito peccatis, ſed in eo qui charitatem habet. *Quia* ego *Deus* charitas ſum, & vbi ego ſũ libertas eſt. Ergo qui accipit Spiritum meum, peccare poteſt ſi vult, quia omnis homo habet liberum arbitrium. Itaque quando homo mouet voluntatem ſuam cõtra me, ſpiritus meus, qui eſt in eo recedit ab eo. Aut ipſe homo corripitur, vt corrigat voluntatem ſuam. Sic Balaam voluit maledicere populo meo, ſed non permiſi eum ego, quamuis enim propheta malus, & cupidus erat, tamen loquebatur quandoq; bona non a ſe, ſed a ſpiritu meo. Nam multoties bonis & malis datur donum ſpiritus mei. Alioquin illi magni eloquentes de tam ſublimibus non diſputaſſent, niſi habuiſſent ſpiritum meum, nec ita fatuæ contra me deliraſſent, niſi contra me ſenſiſſent, & ſe ad ſuperbiam inclinaſſent, volentes ſcire plura quam debuiſsent.

Reſponſio quæſtionis ſeptimæ. Item cur diabolus magis eſt præſens, & adhæret aliquibus. Reſpondeo. *Diabolus* eſt quaſi lictor, & probator iuſtorum. Ideo permiſſione mea vexat quorundam animas. Aliorum obumbrat conſcientias, quorundam etiam vexat corpora. *Eorum* autem vexat animas, qui contra rationem peccantes, omni ſe ſubdunt immunditiæ, & infidelitati. Illorum vero turbat conſcientias & corpora, qui propter peccata aliqua in præſenti purgantur, & vexantur, quæ quidem vexatio, etiam infantibus promiſcui ſexus aduenit, tam paganis, quam Chriſtianis, vel propter incuriam parentum & naturæ defectum, vel propter errorem.

rorem, & humiliationem aliorum, vel propter peccata aliqua iustitia mea sic misericorditer disponente. Vt hi quibus aufertur occasio peccandi, vel grauius non puniantur, vel sublimius coronentur.

Similiter etiam brutis multa talia contingunt, vel propter aliorum punitionem, vel propter celeriorem vitæ finem. Aut propter intemperantiam naturæ suæ.

Ergo quod diabolus aliquibus adhæret, & est vicinior, permissio mea est. Aut propter maiorem humiliationem, & cautelam. Aut propter maiorem coronam, & sollicitudinem quærendi me. Aut propter peccata purganda in præsenti. Aut quia exigentibus meritis quorundam pœna inchoatur in præsenti, duratura sine fine.

INTERROGATIO XV. Quæstio V.

NOTAE.

1 CVr quibusdam non merentibus mala adueniunt.

Quia ad huius quæstionis intelligentiam spectare possunt habentur supra interrogatione sexta, quæstione tertia, vbi hæc de re annotauimus plura, eadem enim dubitatio ibidem proponitur, vbi diligenter examinatur.

INTERROGATIO XV. Quæstio VII.

2 CVr quibusdam diabolus adhæret, & semper est præsens aliis nunquam.

In præsenti dubitatione sermo fit de adhærentia, & præsentia Diaboli per tentationem, qui alicui adhærere, & præsens esse hic dicitur, quando tentat; quæritur ergo quapropter alios frequenter tentationibus premat, alios vero raro, atque hunc esse quæstionis propositæ sensum patet ex responsione vbi habetur, Diabolus, est quasi lictor & probator iustorum, ideo permissione mea vexat quorundam animas, hoc vero loco duo tentationum genera distinguuntur, primum quidem, quod se tenet ex parte animæ, & desumitur ibi, aliorum vexat animas, secundum vero genus se tenet ex parte corporis; & patet ibi quorundam vexat corpora, sed vt hæc legenti euidentia fiant, sciendum est ex D. Gregor. Hom. 16. in Euang. et Beda in illud Iacobi primo vnusquisque tentatur a concupiscentia propria, & Rabano act. quinto cum te tentauit Satanas tribus modis consueuisse Dæmones tentare suggestione, delectatione, & consensu, suggestione quidem cum in iustorum mentes turpes cogitationes immittit, eisque quæ contra diuinam legem sunt suggerit, quibus si homo non consentiat procul dubio de Dæmone victoriam reportat, secus vero si suggestioni, vel delectationi consensum adiiciat, tunc enim in homine mox Diabolus habitat, quod egregie exponit D. Isidorus libro 3. de summo bono cap. 5. vndique ait dolos præparat, quousque inueniat viam, per quam incautum decipiat; aliud namque est Diabolum vniuscuiusque mentem intrare; aliud vero inhabitare, nam in cordibus Sanctorum Diabolus ingreditur cum malam suggestionem insinuat, sed non habitat in eis, quia in suo corpore non eos transducit, hi ergo modi sunt, quibus in dies antiquus noster hostis hominum animas tentationibus vexat, verum cum parum sibi proficere videt, eorum etiam corpora Deo permittente molestiis afficere studet; quibus saepe infirmitates mittit, sæpissime etiam bonorum temporalium, filiorum, ac honoris iactura torquet, vt vel tentatos ad desperationis vitium prouocet, vel vt eosdem ad inferendas Deo maledictiones inuitet, atque hæc iustis de causis Deus permittit, quæ in vniuersum ad tres reuocari possunt, prout ex responsione ad præsentem dubitationem colligi potest triplici ergo ratione, Deus, quos vult tentationibus premi sinit, iustos quidem ad probationem, vel ad maioris gloriæ consecutionem, electos vero ad purgationem, vt quos errare videt, cædendo flagellis ab errore compescat; Deus ergo quandoque iustos ante peccatum percutit, ne in peccatum ruant, & his tentationibus in via Dei magis proficiant, atque de iustitia superbientes, cadant, electos vero post peccatum castigat, aut vt corrigantur, aut alioquin ne in deteriora vitia labantur. Postremo reprobos quoque in hac vita ad damnationem punit, exigentibus namque eorum meritis, vt hoc loco legimus pœna aliquando inchoatur in præsenti sæculo duratura in aliis sine fine, omnis namque diuina percussio, vt ait idem Isidor. libro tertio de summo bono cap. secundo, aut purgatio vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis, nam quibusdam flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant, idem tradit Diu. Gregor. libro quarto moralium cap. vigesimo quarto, sed hac de re fusius egimus supra lib. 6. Reuelat. cap. primo, nota secunda & hoc etiam eodem libro interrogatione sexta, quæstione tertia etiam de his tradunt Diu. Gregor. libro secundo moral. cap. 26. D. Isi-

D. Isidorus lib. 3. de summo bono cap. primo, secundo, & tertio. D. Ciprianus Epistola octaua, & quinquagesima sexta, & in oratione ad martyres ca. 9. 10. & 11. & in libro ad Demetrianum D. Chrisost. in pluribus in locis, & præcipue Homil. 9. & 10. in Matt. & 14. in varijs in Matthæi locis, & homil. 3. operis imperfecti D. Basil. Concione 9. in psal. 33. & psal. 59. super illa verba da nobis auxilium de tribulatione, concione 1. vbi probat auxilium non esse quærendum a fortitudine, non a carnis bona dispositione; non a possessione pecuniarum, non ab honore, vel gloria; sed a tribulationibus D. Augustinus ibidem, & libro 8. q. 27. & psal. 30. in fine; vbi fornacem vocat artificis tribulationem; in qua purgatur aurum, si bonum aurum est, & non palea. D. Athanas. serm. de Virginitate sen, vt alij de meditatione non longe a fine vbi ostendit, quod nam sit discrimen inter tentationes, & persecutiones iusti, & impij, D. Bernard. in psal. Qui habitat, serm. 15. & 16. & ad sororem sermon. 43. vbi tres causas affert, quapropter Deus in præsenti vita flagellis homines premat.

FILIVS DEI LOQVENS sponsæ suæ Beatæ Brigittæ dicit ei, quare, & quando incœperunt ei ministrari ab eo verba diuinarum reuelationum in spirituali visione. Et dicit ei, quod verba prædicta reuelationum, quæ in istis libris continentur habet principaliter istas quatuor virtutes. Satiant enim spiritualiter sitientem veram charitatem. Calefaciunt frigidos. Turbatos lætificant. Et debiles animas satiant.

REVELATIO VNDECIMA in lib. quæstionum.

FIlius Dei loquitur. Per naturalia potest fieri saluber potus, scilicet de frigido ferro, & duro lapide, de arbore arrida, & herba amara. Sed quomodo? Certe si calibs caderet supra montem sulphureum fortiter, tunc quidem de calibe exiret ignis, qui succenderet montem. Ex cuius calore, oliua prope posita licet extra arrida, intus tamen plena pinguedine, inciperet fluere intantum, quod etiam herba amara sub oliua posita, ex defluenti oliua dulcesceret, & inde posset fieri saluber potus. Sic ego spiritualiter feci tibi. Nam cor tuum erat quasi calibs frigidum ad amorem meum, in quo tamen mouebatur scintilla quædam modica amoris ad me, scilicet quando cogitasti me dignum amore & honore super omnes. Sed istud cor tuum tunc cecidit supra montem sulphureum, quando gloria, & delectatio mundana aduersabantur tibi, & ille maritus tuus quem præ cæteris carnaliter dilexisti, a te moriendo auferrebatur. Vere voluptas, & delectatio mundana, bene comparantur monti sulphureo, quia tumorem animi, Et fœtorem concupiscentiæ, & ardorem pœnæ secum habent. Cumq; tunc in morte eiusdem mariti tui animus tuus grauiter turbatione concuteretur, tunc scintilla amoris mei, quæ quasi clausa latebat cœpit exire. Quia considerata vanitate mundi omnem voluntatem tuam mihi dimisisti, me super omnia desiderando. Propter illam itaq; scintillam amoris, oliua arrida, idest verba Euangeliorum, & conuersatio doctorum meorum sapuerunt tibi, & abstinentia placuit tibi intantum, quod omnia quæ prius videbantur amara, cœperunt dulcescere tibi. Cũq; oliua cœpisset fluere, & verba mea reuelationum in spiritu tibi superuenerunt, quidam stans supra montem clamauit dicens. Ex isto potu extinguitur sitis. Frigidus calescit. Lætificatur turbatus. Conualescit infirmus.

ITAQVE ego ipse Deus sum, qui clamo, verba mea, quæ tu in spirituali visione frequenter a me audis, satiãt quasi bonus potus, sitientes veram charitatem. Secundo calefaciunt frigidos. Tertio turbatos lætificant. Quarto debiles in anima sanant.

INTERROGATIO XVI. Questio prima.

ITEM apparuit religiosus qui supra stans in gradu suo, & dicens. 1 O Iu-
1 dex quæro a te. Cur secundum dictum Euãgelii ponetur hædi ad sinistrã, oues ad dexteram tuam, nunquid talibus delectaris. Quæstio secũda.
2 2 Item cũ tu sis Dei filius coæqualis patris cur scribitur, quod nec tu, nec Angeli sciãt horam iudicij. Quæstio tertia. Item cum Spiritus sanctus tuus, locutus sit euangelistis, cur tanta est euangeliorum dissonãtia?

3 Quæstio quarta. 3 Item cum tanta salus sit toti humano generi in incarnatione tua. Cur tanto tempore distulisti incarna-
4 ri. Quæstio quinta. 4 Item cum anima hominis melior sit toto mundo. Cur vbiq; & semper non mittis amicos, & prædicatores tuos.

RESPONSIO Quęstionis primæ.

Respondit Iudex. Amice non quæris vt scias, sed vt sciatur malitia tua. Denique in deitate nihil est carnale, nec carnaliter effigiatū, quia deitas mea spiritus est, nec mecum simul boni, & mali cohabitare possunt, non magis quàm lux simul, & tenebræ. Sed nec dextera, & sinistra in deitate mea est tanquam corporaliter effigiata, Sed nec feliciores sunt, qui ad dexteram meam erunt quàm ad sinistram. Sed per similitudinem hæc dicta sunt. Quia per dexteram intelligitur sublimitas meæ diuinæ gloriæ. Per sinistram vero defectus, & priuatio totius boni. Sed nec oues vel hedi, in illa admirabili gloria mea sunt, vbi nihil corporale, & inquinatum, vel transmutabile est. Sed in similitudinibus, & figuris animalium multoties scribuntur mores hominum. Sicut in oue innocentia, In hedo lasciuia, id est homo incontinens significatur, qui ponendus est ad sinistram, vbi defectus est totius boni. Ergo scito, quòd ego Deus humanis, quandoq; vtor verbis, & similitudinibus, vt habeat paruulus quod sugat, & perfecti, vt perfectiores fiant, vt impleatur scriptura, quia filius virginis, positus est in contradictionem, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Responsio quęstionis secundæ. Item cur ego filius Dei ignorare me dixi horam iudicij. Respondeo. Scriptum est, quod Iesus proficiebat ętate, & sapientia. Omne itaque quod proficit, & deficit habet mutabilitatem, deitas vero immutabilis est. Ergo quod ego filius Dei coęternus patri proficiebam, hoc habui ex hmanitate. Quod vero ignorabam hoc ignorabat humanitas mea secundum vero deitatem omnia sciebam, & scio. Nam nulla facit pater, nisi quæ ego filius. Aut nunquid aliqua scit pater, quę non ego filius, & Spiritus sanctus? nequaquam. Sed solus pater, cum quo sum ego filius, & Spiritus sanctus vna substantia, vna deitas, & voluntas, scit horam illam iudicij non Angeli, nec alia creatura. Responsio quæstionis tertię. Item si Spiritus sanctus locutus est Euangelistis. Cur tanta est dissonantia inter eos. Respondeo. Scriptum est, quod Spiritus sanctus multiplex est in operationibus suis, quia multis modis distribuit dona sua electis suis. Item quippe scilicet Spiritus sanctus est sicut homo habens stateram in manu, concordans, & coaptans extremitates eius multis modis, donec ad stabilitatem ipsum momentum staterę peruenerit. quam quidem stateram alio modo disponit assuetus, & dissuetus, alio modo fortis, & infirmus. Sic etiam spiritus sanctus nunc more staterę ascendit in cordibus hominum, nunc iterum descendit.

Ascendit autem quando mentem eleuat per subtilitatem intellectus. Et per deuotionem animi. Et per inflammationem desiderij spiritualis. Descendit vero, quando mentē permittit in aliqui difficultatibus, anxiari superuacuis. Et tribulationibus perturbari. Ergo sicut statera nihil habet certum, nisi moderentur imposita, & adhibeatur etiam manus regentis eam. Sic in Spiritus sancti operatione, moderatio necessaria est, & vita bona, simplicitasq; intentionis. Et discretio operum atq; virtutum. Igitur ego filius Dei, visibilis in carne, cum in diuersis locis diuersa prędicarem diuersos habui imitatores, & auditores. Nam alij sequebantur me ex charitate. Alij ad inueniendam occasionem, & propter curiositatem. quidam etiam de sequentibus me, erant subtilioris ingenii quidam simplicioris. Ideo ego locutus sum simplicia, vnde simplices erudiebantur. Locutus sum etiam altiora, vnde sapientes admirabantur. quandoq; etiam loquebar in parabolis, & obscuræ, de quibus aliqui recipiebant occasionem loquendi. quandoq; repetebam prius dicta. Et quandoq; augebam, & minuebam.

Ideo non mirum, si hi qui narrationem Euangeliorum ordinauerunt, quod posuerunt diuersa, sed tamen vera, quia quidā eorum posuerunt verbum ad verbum, quidam sensum verborum non verba. quidam scripserunt audita non visa. Alii priora posterius. Alii plura de deitate mea, & vnusquisq; prout spiritus sanctus, dabat loqui illis. Veruntamen scire te volo, quod illi Euangelistæ solummodo recipiendi sūt, quos Ecclesia mea recipit. quia plures conati sunt scribere, qui habuerunt zelum, sed non secundum scientiam meam. Ecce enim ego dixi sicut lectum est hodie, soluite templum, & ego reedificabo illud. Isti qui hæc audita testificabantur, veri fuerunt

runt

tunt ſecundum verbum auditum, ſed falſi teſtes fuerunt, quia non attendebant ad ſenſum verborum meorum, quia illud verbum intelligendum, dixi de corpore meo.

Similiter & quando dixi. Niſi manducaueritis carnem meam, non habebitis vitam. Multi retroceſſerunt, quia non attendebant clauſulam quam dixi. Verba mea vita, & ſpiritus ſunt, ideſt ſpiritualem habent intellectum, & virtutem. Nec mirum, quod errabant, quia non ſequebantur me ex charitate. Itaq; ſpiritus ſanctus more ſtateræ aſcendit in cordibus hominum, nunc loquendo corporaliter, nunc ſpiritualiter. *Deſcendit* vero, quando cor hominis induratur ad Deum. Aut hæreſibus, aut mundialibus inuoluitur, & obſcuratur. Tunc in eodem momento dixit iudex religioſo quærenti, qui ſedebat in gradu ſcalę. Tu amice toties quęſiſti a me ſubtilia, & ego iam propter ſponſam meã quę aſtat interrogo te. Cur anima tua, quę habet diſcretionem, & intellectum bonorum, & malorum, magis diligit caduca quam cœleſtia, nec ſecundum ea, quę intelligit viuit? *Reſpondit* ille Religioſus, quia contra rationem ãgo, & facio ſenſus carnis præualere rationi. *Et* CHRISTVS dixit. Ideo conſcientia tua erit iudex tuus. Deinde dixit Chriſtus ad ſponſam. *Ecce* filia quantum pręualet in homine, non ſolum malitia diaboli, ſed conſcientia deprauata. Et hoc prouenit ex eo quod homo non reluctatur, ſicut deberet tentationi ſuæ. Sed non fecit ita magiſter tibi notus. Cum ipſo quippe deſcendit ſpiritus tentans eum intantum, quod quaſi omnes hęreſes eſſent ante eum ſtantes, & quaſi loquerentur vno ore, nos ſumus veritas. Sed ipſe non credidit ſenſibus ſuis, nec ſenſit ſupra ſe, ideo liberatus eſt, & factus eſt ſciens a principio vſq; ad Alpha, & O, ſicut ſibi promiſſum fuit. Declaratio.

Idem ab illo primo verbo biblię, quod incipit. In principio creauit Deus cœlum & terram, vſq; ad Apocalypſim Ioannis; vbi ſcribitur Alpha, & O. Et iſte magiſter fuit magiſter Mathias Canonicus Lincopenſis. Et confeſſor Beatę Brigittę. *De* eodem habetur primo libro, capitulo iij. c. & capitulo lij. b. Item vi. lib. lxxv. a. & lxxxix. Reſponſio quęſtionis quartę.

Item cur tanto tempore diſtuli incarnari. Reſpondeo. Veræ neceſſaria fuit incarnatio mea, per quam ſoluta eſt maledictio, & omnia pacificata ſunt, in cœlis, & in terris. Sed tamen neceſſarium fuit, vt homo prius erudiretur lege naturali. Deinde lege ſcripta. Nam per legem naturalem apparuit quanta, & qualis fuit dilectio hominis. Per legem ſcriptam, intellexit infirmitatem ſuam, & miſeriam, & tunc cœpit requirere medicinam. Ergo iuſtum fuit, vt tunc veniret medicus quando aggrauata fuit infirmitas, vt vbi abundauit morbus, ſuperabundaret medicina. Veruntamen, & in lege naturali, & in lege ſcripta, multi fuerunt iuſti, & multi habebant ſpiritum ſanctum, & prædixerunt multa, & erudiebant alios ad omnia honeſta, & expectabant me *Saluatorem*. Iſti appropinquabant miſericordiæ meæ non ſupplicio ſempiterno. Reſponſio quæſtionis quintæ.

Item cum anima melior ſit mundo, cur nõ mittuntur prædicatores vbiq; & ſemper. *Reſpondeo*. Vere anima dignior, & nobilior eſt toto mundo, & omnibus ſtabilior. Nam ideo dignior eſt, quia ſpiritualis, & æqualis Angelis, & ad æternum gaudium creata eſt. Nobilior vero eſt, quia ad imaginem deitatis meæ facta eſt, & immortalis, & æternalis. *Ergo* quia homo dignior, & nobilior eſt omnibus creaturis. *Ideo* prę omnibus nobilius viuere debet, quia ratione prę aliis eſt ditatus. Si vero homo abutitur ratione, & diuinis donis meis quid mirum, ſi ego hoc punio tempore iuſtitiæ, quod tempore miſericordiæ eſt omiſſum? Ideo ergo non mittuntur vbiq; ſemper prædicatores, quia ego Deus pręuidẽs duritiam cordium multorum, parco laboribus electorum meorum, ne in uacuum tribulentur. Et quia multi ex induſtria, & certa ſcientia peccantes, deliberant magis perſeuerare in peccatis, quam conuerti, ideo non ſunt digni andire nuncios ſalutis.

Sed o Amice, iam finiam te cum reſpõſione cogitationum tuarum, & tu finies vitam. Iam experieris quid tibi profuerunt eloquentia tua verboſa, & fauor humanus. O quam fœlix fores, ſi attendiſſes profeſſionem tuam, & votum tuum. Item dixit ſpiritus ad ſponſam. Filia. Iſte qui tanta & talia quæſiſſe videbatur adhuc viuit corpore, ſed non ad diem vnum manſurus eſt viuus, cuius affectiones, & cogitationes cordis oſtenſæ ſunt tibi per ſimilitudines, non ſibi in maius opprobrium, ſed in ſalutem animarum aliorum. *Sed* ecce iam cum affectionibus, & cogitationibus, finietur ſpes, & vita eius.

INTERROGATIO XVI. Quæstio prima.

NOTAE.

1 CVr secundum dictum Euangelij ponuntur hædi ad sinistram, oues ad dexteram tuam.

In responsione ad propositam dubitationem dicitur primo, per dexteram, & sinistram non aliquem determinatum, aut materialem locum intelligendum esse, sed metaphoricè per dexterā ipsāmet beatitudinē designari, ad quā boni in Vniuersali iudicio lata sententia assumendi sunt, sinistrū verò locū pœnas æternas notare, ad quas mali adiudicantur, atque in hunc eundem sensum Glossa interlinearis exponit textū illum Matt. 25. statuet quidem oues, a dexteris, & hædos à sinistris, quia inquit confirmabit in beatitudine bonos, & in miseria malos, vel vt habet Liranus ibidem, statuet in potioribus bonis, sanctos, quia hi transferentur ad gloriam, mali vero demittentur ad pœnam, ideoq; legimus hic, (per similitudinem hæc dicta sunt, quia per dexteram intelligitur sublimitas diuinæ gloriæ, per sinistram verò defectus, & priuatio totius boni) & hanc interpretationem sequuntur etiam Origenes D. Hieron. Beda, & Auctor operis imperfecti, qui arbitrantur propterea bonos ad dexteram, malos verò ad sinistram futuros esse, quod in Sacris litteris dextera bonum, sinistra verò malum significare consueuerint. Cæterum mihi dicendum videtur in Valle Iosaphat, vbi vniuersale iudicium fiet, iudicandos etiam secundum loci situm futuros esse dispositos, ac distinctos, quod colligi potest ex verbis D Matthæi l.c. & separabit eos ad inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, quod etiam innuere videtur Liranus ibidem, & probatur Matth. 13. exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, ex quo intelligimus, hanc separationem ministerio Angelorum esse faciendam, ac etiam veram, & realem esse futuram secundum loci situm, non tantummodo secundum cognitionem Christi, hoc idem affirmat Cornelius Iansenius in sua concordantia Euangelica parte 4. cap. 227. his declaratis dico per dexteram etiam intelligi posse locum distinctū, & honorificentiorem, in quo ponentur boni, per sinistram vero inferiorem situm, & ignobiliorem in quo statuentur mali, fauet huic sententiæ Hyllarius in Matt. vbi supra, & Liran. & alij, superest modo breuiter videamus, quid hoc loco per oues, quidue per hædos intelligendum sit, & vt ex responsione constat, per oues boni, per hædos mali notantur, dicitur enim hic oues innocentiæ esse symbolum, & ideo bonos significare ponendos à dextris, hædos verò, quippe qui animalia lasciuia sunt, & ad coitum feruentia, malos insinuare, qui à sinistris statuendi sunt, quod etiam ita dixit D Hieronym. in Matth. cap. 25. Chrisost. vero homil. 8. in Matth. malorum esse symbolum hædos asserit, quoniam hi nullum ferunt fructum, cui adstipulantur Theofilatus, & Eutimius, addunt quoq; Origen. in Exodum, homil. nona, & super Leuit. homil. 2. & super Numeros homilia 47. D. Bernard. serm. 35 in Cant. Arnobius in Psalm. 65. hædos peccatores designare, quandoquidem hædi animalia sunt petulantia, inquieta, & præcipitia amantia, secus verò dicendum de ouibus, ob eorum mansuetudinem, simplicitatem, & quia fructum ferunt, designant enim bonos, à dextris in Vniuersali iudicio statuendos; sic Origenes in Matth. homil. 34. D. Ciprianus Epistola prima, Arnob. in Psalm. 8. & 94. Hyllarius in Psal. 62. Eutimius, Theophilat. & Chrisost. vbi supra, atque ex his patet quid in proposita quæstione per dexteram, & sinistram, quidue per oues, & hædos intelligendum sit.

INTERROGATIO XVI. Quæstio secunda.

2 CVm tu sis filius Dei coæqualis Patri, cur scribitur, quod nec tu, nec Angeli sciant horam iudicij.

3 *Circa dubitationem hoc loco factam, declarandum occurrit id quod in responsione ad eam scribitur, nempe Christum Dominum iudicij diem secundum quod homo erat, ignorasse, & ad hoc probandum adducitur illud Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia, ex quo videtur deduci, quod sicut ipse secundum quod homo sapientia, & scientia proficiebat, ita etiam pro vt talis ignorasset huiusmodi diem, sicut se ignorasse dixit Marci 13. & Matt. 24. vbi Christus affirmauit diem iudicij Patrem suum tantummodo nosse, atq; hæc duo quoniam peculiarem habent difficultatem, & a sanctis patribus diuersimode explicantur, ideo breuiter discutienda sunt, vt dubitationis præsentis responsio palam fiat; & sanè de scientia Christi circa diem iudicij antiquorum multiplex opinio fuit, sunt namq; qui arbitrantur Christum Dominum ante resurrectionem diem illum ignorasse, post vero sciuisse, quandoquidem tunc a Patre vniuersalis Iudex fuerat constitutus, & iudican-*

diciarium poteſtatem adeptus, alij vero affirmarunt illum diem re vera Chriſtum non ignoraſſe, ſed dicitur neſciuiſſe, quatenus fecit vt nos ignoraremus eum, aut vt corpus eius miſticum, quod eſt Eccleſia ignoraret, ita ſentiunt Origenes vbi ſupra D. Hieron. Beda, & Theophilatus Matth. 24. ad illud, de die autem illa D. Gregor. libro octano regiſtri cap. 42. D. Auguſtinus libro primo de Trinitate cap. 12. & de Geneſi contra Manichæos cap. 23. & lib. 83. quæſt. 61. D. Chriſoſt. homil. 68. in Matt. alij etiam arbitrati ſunt Saluatorem noſtrum ignoraſſe hunc diem ſcientia experimentali, ideſt non dum fuiſſe expertum, ſecundum quem dicendi modum interpretantur illud Lucæ 2. Ieſus proficiebat ſapientia, ſic habent Origenes vbi ſupra, & Epiphanius hæreſi 69. Chriſoſt. homil. de Trinitate cap. tertio, Bernard. de duodecim gradibus humilitatis, & ſanè quoſdam ex his modis dicendi, quos hactenus enumerauimus parum probabiles eſſe affirmarem, niſi tot grauiſſimorum virorum auctoritas vrgeret, illi enim, qui Chriſtum ad tempus ignorantem faciunt, non ſunt audiendi, quandoquidem teſte Paulo Apoſtolo ad Coloſſen. 2. in Chriſto ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, probabilior tamen videtur eorum ſententia, qui aſſerunt Chriſtum ignoraſſe diem iudicii, quatenus eum nobis non reuelauit, aut quia non eſt expertus, quia nondum exercuerat iudiciariam poteſtatem, & ita neſciebat praticæ illum diem: quamquam ſic etiam pater ignoraſſe diceretur, quia nobis illum non reuelauit, nec expertus eſt, & tamen Matt. 24. legimus ſolum patrem nouiſſe illũ. Dicendum ergo primo nobis eſt in Sacris litteris Chriſtum dici neſcire diem illum, eo quod eius diei cognitionem ſibi tantummodo reſeruauerit, vt etiam alijs eam communicare noluerit, & ita neſcire dicitur ſecundum communem loquendi modum, quo vtuntur homines, cum aliquid in ſecreto ſuſceperũt, ſic tradit D. Aug. libro primo de Trinitate cap. 12. & primo de Geneſi ad litteram cap. 22. Baſilius libro quarto contra Eunomium, Hieronym. Chriſoſt. & Theophilatus in locum citatum Matthæi, Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos, Hylarius lib. 9 de Trinitate ſub finem, Diu. Ambroſ. libro quinto de fide cap. ſeptimo, & licet diceret forſitan quiſpiam in hunc ſenſum, quod etiam pater ignoraret diem illum, quia alijs eum non reuelauit, ex quo hoc ſibi etiam reſeruaſſe videtur, id tamen de patre nõ propriæ diceretur, et de illo minime euidenter cõcluderetur ſicut de Chriſto, qui cũ iudex vniuerſalis conſtitutus ſit & iudiciariã poteſtatem habuerit à Patre iuxta illud Ioan. quinto. Pater omne iudicium dedit filio, hinc fit, quod peculiari ratione ſpectet ad illum, quidquid ad huiuſmodi iudicium pertinet, & per conſequens ipſe ſolus dicatur ignoraſſe, quatenus noluit communicare, id quod titulo peculiari debitum illi. erat & à Patre conceſſum. Dico ſecundo, Chriſtum quatenus hominem ignoraſſe diem Iudicij ſic enim dicitur in reſponſione ad dubitationem hanc, quam ſolutionem eſſe probabiliſſimam cẽſeo, ſi exponatur eo modo quo paulo poſt à nobis exponitur, in quo ſenſu communiter à Theologis recipitur, & Sanctorum patrum auctoritatibus nititur, ſic eam admittunt D. Ambroſ. ſuper caput 17. Lucæ D. Greg. Nazianz. oratione quarta de Theologia. D. Athanaſ. ſerm. 4. contra Arrianos, Theodoretus Anathematiſmo 4. D. Chriſoſt. ſeu quiſquis fuerit auctor operis imperfecti Hom. 49. Cirillus lib. 1. in Ioannem cap. 17. & lib. 10. Theſauri cap. 7. Damaſcenus lib. 3. de fide capit. 21. Niceta 3 Theſauri cap. 38. Cæterum quia indicauimus ſupra propoſitionem hanc, Chriſtus in quantum homo diem Iudicii ignorare, prima facie aliquibus duram videri poſſe, ideo declaranda eſt, habet enim dupplicem ſenſum. nam ſi per eam intelligamus, quod Chriſtus non habeat cognitionem creatam in intellectu ſuæ animæ de illa die iudicij falſiſſima eſt, non enim ſola diuina, ſed etiam humana natura talem diem nouit, quia in ipſa humana natura erant omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, & illa interpretatio eſt damnata in Concil. 6. Conſtantinopolitano actione ij. quandoquidem illa propoſitio abſolute ſumpta, & in illo ſenſu recepta ignorantiam ponit in Chriſto, quod repugnat Sacris litteris, teſtimonijs Sanctorum Patrum, & dignitati perſonali Chriſti, qui dux eſt ſupremus, & vniuerſalis doctor, & Iudex, ex quo capite etiam reijciendi ſunt, qui aſſirmarunt Chriſtum cũ illa verba protulit de die illa nemo ſcit, ſaltem pro illo tempore ignoraſſe, & hic fuit error hæreticorum, qui Agnoitæ vocantur, vt referunt Iſidorus lib. 8. Ethimolog. cap. 5. Gregorius lib. 8. regiſtri Epiſtola 42. Damaſcenus de hæreſibus, Nicephorus lib. 18. hiſt. cap. 50. alter ergo ſenſus illius præpoſitionis, qui veriſſimus eſt, Chriſtum ignorare iudicij diem, quatenus homo, hoc eſt quod non quia eſt homo Chriſtus ſcit diem illum, aut ex viribus naturæ humanæ, ſed quia homo Deus eſt, & quia ex viſione beatifica, & reuelatione diuina illum diem ſcire debet, & ſcit, non ergo Chriſtus negat ſe etiã vt hominem diem iudicij ſcire, ſed negat ſe ſcire eo titulo, quod homo eſt, & idcirco diligenter conſideranda ſunt verba reſponſionis allata hic quæ ſunt, quod verò ignorabam, ignorabat humanitas mea, ſecundum vero deitatem omnia ſciebam, hoc eſt quod ille dies mihi notus eſſet, non erat ex humanitate, aut quia homo eſſem, quia illud non habebam ex ea, ſed ex ipſamet diuinitate vnita hypoſtaticæ cum humanitate, & hoc indicant illa verba, quod vero ignorabam ignorabat humanitas mea, neq; etiam deduci poteſt aliquando Chriſtum ignoraſſe, cum ex illis verbis quæ immediate ſupra habẽtur nimirum ergo quod ego filius Dei coæternus patri proficiebam, hoc habui ex humanitate mea, quæ verba deſumpta ſunt ex 2. cap. D. Lucæ qui ſcribit Ieſum profeciſſe ætate, &

ie, & sapientia, non inquam hoc obstat, quia vel hoc intelligitur profecisse secundum opinionem hominum, quia illum existimabant homines semper esse magis, ac magis sapientem sic Diu. Athanas. orat. 4. contra Arrianos, Nazianzenus oratione quinta in S. Basilium, Cirillus libro primo in Ioan. cap. 17. Ambros. libro 5. de fide cap. 8. D. Aug. libro 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 29. & lib. 83. quæst. q. 65. lib. 15. de Trinit. cap. 26. Hieron. in Isaiam cap. ij. in Hieremiam cap. 31. ad illud mulier circundabit virũ Beda Hom. Dominicæ primæ post Epiphaniam, Bernard. Hom. 2. super missus est, Vgo Victorinus libro 2. de Incarnat. cap. 6. sed præter Superiorem interpretationem addit aliam D. Damascenus libro 3. de fide cap. 22. qui dicit Christum sapientia profecisse ad eum modum, quo dicimus Apostolos plurimum in mundo profecisse sua prædicatione, addit Diu. Thomas in 3. d. 14. quæst. 1. & Albertus Magnus ibidem illum profecisse sapientia, hoc est experimentali scientia, quemadmodum indicat Paulus Heb. 5. didicit ex his quæ passus est.

INTERROGATIO XVI.

Quæstio quarta.

1 CVm tanta salus sit toti humano generi in incarnatione tua, cur tanto tempore distulisti incarnari.

Circa Christi Domini Servatoris nostri Incarnationis tempus, tria Sacri Theologi scitu sane dignissima tradunt, primo quidem non fuisse conueniens ante peccatum Deum incarnari, cum enim incarnatio ordinetur ad naturæ lapsæ reparationẽ, tanquam medicina, & tunc in eo statu natura humana non egeret, consequens fuit, nec debuisse tunc Deum incarnari, scribitur enim Matt. nono, quod non est opus valentibus Medico, sed male habentibus. secundo dicitur, tempus post peccatum immediatum nec fuisse conueniens, tum propter humilitatem, quia si Deus statim post lapsum subuenisset, sicut peccauit homo per superbiã, ita potuisset homo contemnere beneficium, vt ergo humiliaretur homo, suamq; ægritudinem agnosceret distulit Deus incarnationem, & hæc ratio affertur hic in responsione ad quæstionem: hanc eandem rationem afferunt Irenæus libro quarto contra hæreses cap. 75. Theodoretus de curationibus græcanicarũ affectionum ad finem, Eusebius libro primo hist. cap. 2. Egregie Leo Papa serm. de Natali tertio: Bernardus serm. 1. de aduentu Ambrosius circa illa verba ad Galat. 3. lex pedagogus noster fuit in Christo, & Postremo late D. Thom. 3. par. quæst. prima, artic. 5. qui addit tres alias causas, idq; factum esse ait tum ratione dignitatis incarnati Verbi, quod præcedere debebat longa series Prophetarum, Patriarcharum, Legislatorum, tum etiam ratione feruoris fidei, ne illa tabesceret, si enim in prima ætate incarnatum fuisset verbum, feruor fortasse fidei refriguisset in tanta temporis distantia; tertio dicit hoc Deum fecisse, vt ordo naturæ seruaretur, natura enim de ætate in ætatem debuit in maius bonũ promoueri, sed vt quasdam alias huius rei causas ex patribus reddamus D. Aug. tract. 31. in Ioannem, & Leo Pont. vbi supra id factum esse docent, quia decuit tam eximia medicina diu expectari, aut etiam sicut indicant Gregorius Emissenus oratione Cathechetica de Natali, Athanas. de humanitate Verbi. D. Chrisost. homil. 4. ad Galat. & 46. ad Coloss. vt temporis diuturnitate peccati virus sese magis effunderet, & magis intelligeretur necessitas medicamenti, quod latius annotauit Theophilatus super Epistolam ad Hebræos 9. ad illa verba, nunc autem semel in consummatione sæculorum, vbi hanc sententiam refert ex Gregorio Nisseno, quomodo inquit infiniti medici intus adhuc febri corpus subpurgante, cum per morbum facientes causas, adhuc accenditur, nullum adhibent ægroto ex cibis auxilium, expectantes tantisper, dum malum hoc ad summum inçreuerit, sic & nobiscum actum est, expectauit animarum medicus, donec vniuersa malitiæ ægritudo panderetur, sed & hæc eadem ratio affertur in responsione quæstionis quartæ, ibi (ergo iustum fuit, vt tunc venires medicus, quando aggrauata fuit infirmitas; vt vbi abundauit morbus, superabundaret medicina) Addunt etiam Augustinus libro 83. quæst. 54. & Leo Pont. serm. 3. de Epiphania hoc fecisse Deum, vt fides incarnationis Christi pro perfectis præpararetur, atque ita magis confirmaretur, aut etiam sic ostenderet suam iustitiam, dum tamdiu excludit à patria patres, quæ est ratio Diui Bonauenturæ in 3. distin. prima quæstione vltima articulo secundo.

CHRISTVS LOQVENS sponsę suæ Brigittæ dicit, quòd non debet turbari, ex eo quod ipse non facit statim iustitiam super hominem magnum peccatorem, quia ipse sententiam differt vt sua iustitia in illo fienda aliis manifestetur. Dicit etiã quod verba sua diuina in isto libro cœlestiũ reuelationũ contenta prius debent crescere, & vsq; ad plenam maturitatẽ fructificare, & postea producent effectum suum, & virtutem in mũdo. Quæ quidem verba sunt sicut oleum in lãpade, idest in anima virtuosa, quibus ipsa impinguatur, & superueniente Spiritusancto eam ardere, & splendore mirabili lucere faciunt. Submittit etiam, quòd dicta verba reuelationum prius ascendẽt, & fructificabunt alibi, quàm in Regno Suetiæ, vbi eidem sponsæ reuelari diuinitus incœperunt.

REVELATIO DVODECIMA. in libro Quæstionum.

Filius Dei loquitur. Cur turbaris, quod illum tam patiẽter supporto. Nescis quod graue est æternaliter ardere, & ideo vsq; ad vltimum punctum suffero eum, vt in eo iustitia mea aliis manifestetur. Itaque vbicunq; colores seminati sunt, si ante tempus suum incidantur, nũ ita bene valent rei colorandæ, sicut si succidantur tempore debito. Sic verba mea, quæ cũ iustitia, & misericordia manifestanda sunt, & vsq; ad plenitudinem maturitatis fructificare debent, & crescere, & tunc rei, cui apponentur, magis conueniunt, & virtutem meam conuenienter colorabunt. Ceterũ cur turbaris, quod ille de verbis meis diffidit, nisi signa euidentiora ostendantur. Nunquid tu genuisti eum, aut nosti interiora eius, sicut ego. Ipse vtiq; est quasi lampas ardẽs, & lucens, cui imposita pinguedine, mox appropinquat lichinus ei firmiter inhærens. Sic ipse lampas est virtutum, lampas apta ad recipiendum diuinã gratiam meã. Huic mox, vt infundantur verba mea, liquescent perfectius, & descendent ad interiora cordis, Et quid mirum si pinguedo liquescit, & lampadẽ facit ardere. Iste quippe ignis spiritus meus est, qui est, & loquitur in te, & ipse idem spiritus, etiã est, & loquitur in eo quãquam occultiori modo, & sibi vtiliori. Hic ignis accendit lãpadẽ cordis eius ad laborandũ in honore meo. Et accendit etiã animã ad recipiendum diuinam gratiæ, & verborum meorum, a quibus anima dulciter recipitur, & plenius impinguatur, quando ad opera peruenitur.

Ideo non time, sed sta stabiliter in fide. Si verba ista venirent de spiritu tuo, aut de spiritu mundi huius, merito tibi esset formidandum. Sed quia sunt de spiritu meo, quẽ habuerunt prophetæ sancti, ideo non est tibi timẽdum, sed gaudendum, nisi forte plus pertimescas de vano nomine mundi, quã de protractione verborum meorum diuinorũ.

Audi præterea quæ dico. Regnum istud cum peccato magno, & diu impunito commixtũ est. Ideo verba mea hic adhuc ascendere, & fructificare non possunt, sicut tibi declarabo nunc per similitudinẽ loquendo. Si nucleus plãtatus esset in terra, super quẽ aliquid ponderosum positum esset propter quod nõ posset ascendere. Qui nucleus existens bonę, & recentis naturę, cum a superiore pondere deprimente non habet ascensum, tunc inquirit circa terram ascensum suum, ea ex parte, vbi minus ponderosũ est. Vbi sic profunde, & stabiliter infigit radices, quod nõ solum facit fructum pulcherrimum, immo etiã trunco fortiter crescẽte adnihilat omne impediens ascensum, & extẽdit se super id quod est ponderosũ. Sic nucleus iste significat verba mea, quæ exigente peccato cum in regno isto nunc conuenienter ascensum habere non possunt, prius alibi ascendent, & proficient, donec duritia terræ istius regni decrescente misericordia aperiatur.

DEVS Pater loquitur B. Brigittę subtiliter informans eã de virtute illorum quinq; locorũ quę sunt in Hierusalẽ, & Bethleem, & de gratia quã recipiũt peregrini visitantes illa loca cum humilitate deuota, & vera charitate. Dicens quod in dictis locis fuit vas clausũ, & nõ clausum, nascebatur leo, qui videbatur, & nõ videbatur, fuit agnus tonsus, & nõ tonsus, ponebatur serpẽs qui iacuit, & nõ iacuit: vbi etiam fuit Aquila quę volauit, & non volauit. Et exponit omnia ista in figura.

REVELATIO XIII. in libro Quæstionum.

Deus Pater loquitur. Quidam Dominus fuit. Cui dixit seruus suus. Ecce nouale tuum excultum est & radices extirpatæ

funt, quando ergo feminandum eft triticũ, cui dominus, licet inquit radices extirpatæ videantur, tamen adhuc inueterati trunci, & ftipites derelicti funt, qui in vere ex pluuijs, & ventis foluendi funt. Ideo expecta patienter tempus feminandi. Cui refpõdit feruus. Quid mihi faciendum eft inter tempora veris & meffis. Cui Dominus. Ego inquit fcio quinque loca, omnis qui ad illa accefferit, habebit quintuplicem fructum, fi tamen mundus venerit, & vacuus à fuperbia, & feruens charitate. In primo loco fuit vas claufum, & non claufum, vas paruum, & non paruum, vas luminofum, & non luminofum, vas vacuum, & non vacuũ, vas mundum, & non mundum. In fecundo loco nafcebatur leo, qui videbatur, & non videbatur. Qui audiebatur, & non audiebatur. qui tangebatur, & non tangebatur. qui agnofcebatur, & incognitus fuit. qui tenebatur, & non tenebatur. In tertio loco fuit agnus tonfus, & non tonfus. Agnus vulneratus, & non vulneratus. Agnus clamans, & non clamans. Agnus patiens, & non patiens. Agnus moriens, & nõ moriẽs.

In quarto loco ponebatur ferpens, qui iacuit, & non iacuit. Mouebatur, & non mouebatur. Audiuit, & non audiuit. Vidit, & non vidit. Sentiebat, & non fentiebat. In quinto loco fuit Aquila, quæ volauit, & nõ volauit. quæ & venit in locum vnde nunquam receffit. quæ requieuit, & non requieuit. quæ innouabatur, & non innouabatur. quæ gaudebat, & non gaudebat. quæ honorabatur, & non honorabatur.

Expofitio, & declaratio prædictorum in figura.

PAter loquitur. Vas illud de quo dixi tibi. Maria filia Ioachim mater humanitatis Chrifti fuit. Ipfa enim fuit vas claufum, & nõ claufum. Claufum diabolo, & non Deo, quia ficut torrẽs cupiens ingredi, vas oppofitum fibi, & non valens, inquirit alios exitus, & ingreffus, fic diabolus quafi torrens vitiorum, cupiebat totis ad inuentionibus fuis appropinquare cordi Mariæ. Sed nũquam ad aliquod quantumcunq; minimum peccatum valuit inclinare animum eius, quia claufum erat contra tentationes. Nam torrens fpiritus mei, influxerat cor eius, & fpirituali gratia repleuit eam. Secundo fuit Maria mater filij mei. Vas paruum, & non paruum. Paruum, & modicum in humilitatis fuæ contemptu, magnum, & non paruum in charitate deitatis meæ. Tertio fuit Maria vas vacuum, & non vacuum. Vacuum ab omni voluptate, & peccato, non vacuum, fed plenum cœlefti dulcedine, & omni bonitate.

Quarto fuit Maria vas luminofum, & non luminofum. Luminofum, quia omnis anima pulchra à me creata eft, fed anima Mariæ creuit ad omnem perfectionem luminis intantum, quod filius meus fixit fe in anima eius, ex cuius pulchritudine gaudebant cœlum, & terra. Sed vas iftud, non luminofum fuit apud homines, quia mundi honores, & diuitias contemnebat. Quinto Maria fuit vas mundum, & nõ mundum. Mundum vero fuit, quia tota pulchra, & tanta immunditia non inueniebatur in ea, vbi cufpis acus infigeretur. Sed non mundum fuit, quia de radice Adæ proceffit, & de peccatoribus nata eft, licet fine peccato concepta. Vt filius meus de ea fine peccato nafceretur. Ergo qui ad locum iftum, fcilicet vbi Maria nata eft educata fuit venerit, non folum mundabitur, fed & erit vas in honorem meum. Secundus locus eft Bethleem, vbi filius meus tanquam leo natus eft, qui videbatur, & tenebatur fecundum humanitatem, fed fecundum diuinitatem, inuifibilis, & incognitus fuit. Tertius locus eft Caluariæ, vbi filius meus tanquam agnus innocens vulneratus, & mortuus eft, fecundum deitatem impaffibilis & immortalis erat. Quartus locus fuit hortus fepulchri filij mei, in quo quafi ferpens contemptibilis ponebatur, & iacuit humanitas eius, fed fecundum deitatem vbiq; erat. Quintus locus erat Mons Oliueti, de quo filius meus, quafi Aquila euolauit fecundum humanitatem in cœlum, vbi fecundum deitatem femper erat. Qui innouabatur, & quieuit fecundum humanitatem, cum fecundum deitatem femper quietus, & idem erat. Ergo qui ad ifta loca venerit mundus cum bona, & perfecta voluntate, habebit videre, & guftare, quam dulcis, & fuauis fum ego Deus. Itaq; cum veneris ad ifta loca, oftendam tibi plura.

EXPLICIT QVINTVS LIBER.

Reuelationum Cœleftium Sanctæ Brigittæ.

INCIPIT SEXTVS LIBER

REVELATIONVM COELESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

VERBA MATRIS DEI AD SPONSAM narrantia pulchritudinem Christi, & qualiter frequenter Iudæi in aliquo agone cordis positi ibant ad inspiciendum vultum eius, & consolabantur.

CAPVT PRIMVM.

MATER DEI Loquebatur ad sponsam dicens. Ego sum Regina cæli, filius meus diligit te toto corde. Ideo consulo tibi, vt nihil diligas nisi ipsum. Ipse enim est ita desiderabilis, quod si habueris eum, nihil aliud poteris desiderare. Sic pulcher, quod pulchritudo elementorum, vel lucis ad comparationem eius est quasi vmbra. Vnde cum ego enutrirem filium meum, tanta pulchritudine præditus erat, vt quicumque eum inspiceret, consolabatur a dolore cordis quem habebat, Ideo, & multi iudæi dicebant ad inuicem. Eamus ad videndum

1 filium Mariæ, vt conſolari poſſimus. 1. Et licet ignorarent eum eſſe filium Dei, tamen conſolationem recipiebant magnam ex aſpectu eius. Sic etiam corpus eius mundum erat, quod nunquam ſuper illud aliquis pediculus, vel alius vermis venit. Quia vermis reuerentiam factori ſuo exhibebat, nec etiam aliqua perplexitas, nec immunditia in eius capillis inueniebatur, nec nutriebatur.

CONSALVI DVRANTI

PRESBYTERI ET SACRÆ THEOLOGIAE PROFESSORIS.

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES

Libri Sexti Reuelationum Sanctæ Brigittæ.

ET licet ignorarent esse filium Dei, tamen consolationem recipiebant magnam ex aspectu eius.

In præsenti nota breuiter a nobis inuestigandum est, an vere Iudæi cognouerint Christum esse Messiam in lege promissum, & an ignorauerint eum fuisse filium Dei, quemadmodum hoc loco insinuari videtur, qua de re tripartita est Doctorum sententia. Prima est dicentium Iudæos non cognouisse Christum, nec fuisse Messiam, nec verum Deum, sic habet Abulensis Matth. 2. Caet. 3. part. quæst. 47. artic. primo, & Lucæ 23. ad ea verba ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, horum doctorum ratio potissima est, quia Iudæi sperabant Messiam futurum Regem temporalem. Vnde nihil spirituale in diuinis promissionibus, ac prophetis intelligere poterant, & hinc discipulos, vel in principio conuersionis dixisse legimus, Domine si in tẽpore hoc restitues Regnum Israel, sic act. primo scribitur, & Lucæ 24. nos sperabamus, quod esset redempturus Israel. Secunda sententia huic omnino contraria, est asserentium Iudæos cognouisse Christum, vt Messiam, & vt verum Deum, & tamen illum ex ira, inuidia, & odio occidisse, ita sensit Origen. tract. 19. in Matt. quem sequuntur Chrisost. Hom. 40. in Matt. & Beda libro tertio in Matt. & alij plures Sacrarũ litterarum interpretes super illud Matthæi 21. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se hic est hæres, venite occidamus eum, hæc sententia probari potest ex illo Ioan. 15. vbi de Iudæis loquens sic ait Dominus, si non venißem, & locutus eis non fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo, quia, & viderunt, & nouerunt me, & Patrem meum. Tertia sententia media est inter has duas extremas, quæ habet Iudæos nouisse Iesum esse Messiam, non tamen esse verum Deum hanc secuti sunt Theophilatus Matth. 21. Eutimius, & Liranus ibidem, Sixtus Senensis libro sexto, Annot. 98. D. Thom. 3. par. quæst. 47. articulo quinto, & latius Burgensis Matt. 21. additione quarta, vbi dicit, quod licet Sacræ litteræ, & prophetæ meminerint expresse diuinitatis Christi, sintq; satis euidentes ad incarnationis mysterium fidelibus propalandum, non tamen ex illis efficax sumi posse argumentum, ad hoc, vt principes Iudæorum de Diuinitate Christi, eiusque Incarnatione apertam cognitionem habuerint, hoc enim inquit mysterium tantum excedere capacitatem nostram, vt raró, vel nunquam absque diuina reuelatione intelligi possit, atque hinc factum esse credit Burgensis quod Iudæi omnes auctoritates veteris testamenti denotantes Christi Diuinitatem asserant esse intelligendas metaphorice, & similitudinarie, quia credunt Deũ incarnari, importare compositionẽ, & naturarum confusionẽ in Deo, quæ manifeste sunt impossibilia, et contra simplicitatem diuinæ naturæ. hactenus Burgensis. His positis. Dico primo Iudæos cognouisse Innocentiam Christi euidenter, & ideo eum occidendo non ex ignorantia, sed ex odio peccasse grauiter, & probari potest, primo, quia non potuerunt inuenire testes, qui eum alicuius criminis conuincerent, & crimina quæ illi opponebant nouerant esse conficta, quod patet primo ex testimonio Pilati, qui dixit nullam inuenio in eo causam mortis, sic Lucæ 23. & Ioannis 18. Secũdo ex cõfessione ipsius proditoris Iudæ Matt. 27. peccaui tradens sanguinem iustum; Tertio ex falsitate testium Matth. 26. inuenerunt duo falsi testes,

Digitized by Google

testes, & testimonia cõuenientia non erant. Quarto ex testimonio vxoris Pilati, qui illi dicebat Matth. 27. quid tibi, et iusto illi. Quinto hoc etiã ostenditur, quia Christus Dominus dixerat Iudæis Ioan. 8. quis ex vobis arguet me de peccato., & nemo ausus est illi quicquam opponere.

Dico secundo ex Iudæis, qui erant de plebe cõmuni, quique Christum secuti non sunt; Christum non agnouisse, neq; vt Messiam, nec vt filiũ Dei, sic habet D. Thomas vbi supra, quam sententiam sequuntur hi, quos pro prima opinione citauimus, & patet ex eo, quia hic supponimus huiusmodi inferiores iudæos minime fuisse capaces, vt possent ad hanc cognitionem peruenire, ignorabant enim scripturas, nec ad virtutem miraculorum, nec ad sensum verborum attendebant, vnde possent sibi sufficientem ad hoc cognitionem comparare.

Dico tertio maiores Iudæos, quos Principes Sinagogæ appellat Augustinus in libr. quæst. noui, & veteris testamenti. q. 66. potuisse dupliciter cognoscere Christum esse verum Messiam, & filium Dei. Primo ex scripturis, & ex his, quæ per Prophetas de eo dicta erãt; Secundo ex miraculis, quæ ab eo ad hanc probandam veritatem facta fuerant, & quidem non paucioribus scripturæ locis probari potest Iudæorum Principes potuisse cognoscere, imo & nouisse Iesum fuisse Messiam, & verum Deum, & primo ex illo Ioan. septimo, & me scitis, & vnde sim scitis, Secundo ex parabola Vineæ Matth. 21. hic est hæres venite occidamus eum; & nostra erit hæreditas, quod exponens Beda euidenter inquit ex his probatur, Principes iudæorum cognouisse ipsum esse filium Dei. 3. de Iudæis Ioan. 15. loquens Dominus ait, si non venissem, & locutus eis non fuissem, & si non fecissem opera quæ nemo alius fecit peccatum non haberẽt.

Dico quarto Principes Iudæorum nũquam pro certo habuisse, & credidisse Christum esse Messiã, quod probatur aperte primo Lucæ 22. vbi scribitur, eos aliquando fuisse in concilio coram Pontifice, & interrogasse Dominũ, an ipse esset Messias, quibus respondens dixit, si dixero vobis non credetis mihi, ex quibus colligit Caietanus, eos non cognouisse Christum esse Messiam, & Ioan. 8. narratur principes Sinagogæ venisse ad Christum, & dixisse quousq; animam nostram tollis, dic nobis palam, quibus respondit si dixero vobis non creditis; opera quæ ego facio testimonium perhibent de me his addi potest, quod cum illi essent superbi, inuidi, & sectatores gloriæ, difficile videbatur, quod sibi possent persuadere, vt hominem pauperem, & humilem in Messiam, ac Regem reciperent, tum maxime, quod ipsemet Christus magnificabatur a Populo, ipsi verò contemnebantur propter illum, eoque magis, quod publica eorum flagitia frequenter redarguebat, vnde fiebat, ne illum agnoscerent, existimantes Messiam daturum illis maxima beneficia, & venturum cum ingenti potestate, & gloria: atq; ob hanc ignorantiam excusandi non est, eos fuisse excusatos, non recipiendo Christum, eumq; occidendo, quia cum, vt probauimus, illius innocentiam agnouerint, ac etiam illum, vt Messiam ex sacris litteris cognoscere potuerint merito, ac iustæ condemnati sunt. fuit enim hæc ignorantia crassa, supina, & affectata, quæ facit homines reprehensibiles, cum ex incuria, & negligentia, & industria illud nesciant, quod scire possunt, & tenentur, & hoc faciunt, vt liberius peccent; atq; secundum hunc sensum interpretanda sunt illa verba, act. 3. scio, quia per ignorantiam fecistis, verum hoc loco potest quispiam obijcere; principes Iudæorum vere nouisse Christum vt Messiam, ex Parabola Matt. 21. hic est hæres, sed non obstat, sensus enim illorum verborum est, ipse se facit hæredem, Messiam, & filium Dei, & ideo dixerunt venite occidamus eũ, vel etiam dicendum est illa verba fuisse posita ibi parabolica, ac figurate, vt sensus sit iste reputatur, & colitur tanquam hæres, & magnus propheta, ideo occidamus eum, vt nos domini simus. Postremo hic quoq; probari posset huiusmodi iudæos nouisse Christum vt Messiam ex loco illo Ioannis 7. à nobis supra citato, vbi alloquens eos Christus dixit, & me scitis, & vnde sim scitis, sed huic respondemus cum Iustino Martyre ad quæstionem orthodoxam 140. dicit enim ignorantiam affectatam, qua quis ideo non scit, quia non vult scire, aliquando in scripturis vocari ignorantiam, quia re vera actu ignorat, qui illam habet, aliquando vero scientiam, quia in potestate eius est scire, si vult scire, ergo qui peccat ex hac ignorantia perinde peccat, ac si ex scientia peccaret, & Dominus noster vtrumq; dixit in proposito de Iudæis, et primum et me, scitis, & vnde sim scitis, cap. octauo, & rursus neque me sciunt, neque Patrem meum cap. 7.

CHRISTVS LOQVITVR Sponsę de quodam qui male vixerat & in morte habuit bonam voluntatem se emendandi si viueret, & dicit, quod propter illam voluntatem bonam non iudicatur ad pœnam æternam, sed ad horribile purgatorium.

CAP. II.

FILIVS Loquebatur sponsæ dicens. Ille qui nunc infirmatur, pro quo tu oras nimis remissus fuit circa me, & fecit totam vitam suam mihi contrariam. Sed nunc facias ei dici, quod si habuerit voluntatem emendandi se, si euaserit mortem adhuc dabo ei gratiam. Moneatur ergo ad emendationis voluntatem, quia ex magna misericordia, & amaritudine pœne eius compatior ei.
1 var. lect. 1 Cunque idem ante primæ decantationem moreretur. Iterum apparuit Dominus sponsæ & ait. Ecce considera, quam iustus sum in iudicio meo. Iste, qui tanta infirmitate grauabatur venit ad iudicium meum, & licet ex voluntate bona fuerit iudicatus ad gratiam, tamen antequam ad plenum sit purgatus, sic in purgatorio amarum habebit anima eius supplicium, quod nullus mortalis est, qui possit illud cogitare. Quid ergo patientur illi, qui omnem voluntatem suam habent in mundo, & nullus tribulationibus fatigantur.

NOTAE.

1 var. lect. IN vulgatis, vbi legitur, cumque idem ante primæ decantationem moreretur.

Hunc textum corrigendum omnino esse arbitror cum M.S. Farnesiano sic, cumque idem ante Galli decantationem moreretur, est enim sermo in præsenti capite de quodam, qui infirmabatur ad mortem, & his verbis insinuatur a Christo Domino B. Brigittæ, illum ante auroram mortuum esse, consueuerunt namque Galli suo cantum auroram indicare.

QVALITER VIDEBAT SPONSA quendam dęmonem cum confusione fugere a quodam viro deuote orante, quem ipse dęmon fortiter tentando diu turbauerat, & qualiter Angelus bonus declarat visionem sponsę.

CAP. III.

VIDEBATVR a sponsa quidam dæmon astare ligatis manibus cuidam oranti. Cunque ad oram astaret subito dæmon terribilem, & altissimam vocem emisit, cum magno rugitu, & sic confusus recessit. De quo ait Angelus bonus ad sponsam. Iste dæmon ad tempus virum illum turbauerat, & ideo vinctus est manibus, quia non potest præualere in eum, sicut habet voluntatem 1. Quia ex quo homo iste a dęmone impugatus viriliter restiterat Dei iudicium est, vt non possit ei dæmon facere, sicut vellet. Adhuc tamen habet spem dæmon, vt possit præualere in eum, sed in ista hora victus est de facili, & nunquam in eum amplius præualebit. Gratia autem Dei de die in diem augebatur isti homini, & ideo dæmon non immerito clamat, quia amisit eum quem toties impugnabat, vt vinceretur.

Declaratio.

Hic frater duodecim annis tentatus de Sacramento corporis Christi, & nomine Beatæ Mariæ, quod sine sordida cogitatione nūquā poterat nominare, per præces Dominæ Brigittæ liberatus est intantum, quod nonquam poterat lætari, nisi in die quo corpus Christi sumeret, & nomen beatissimæ Marię suauissimum sibi in corde, & in ore fuit. Item quidam sacerdos, fascinatus ab incantatrice de incontinentia carnis. Rogabat dominam Brigittam pro se orare, quæ rapta in spiritu audiuit. Miraris filia, quare diabolus dominatur in homine, hoc facit inconstantia voluntatis hominum, sicut perpendere poteris in sacerdote isto, a muliere falscinato. Scias ergo, quod mulier illa habet tria scilicet infidelitatem, obdurationem, cupiditatem pecuniæ, & carnis. Ideo appropinquans ei diabolus propinat ei de fece amaritudinis suæ. Scias etiam, quod

Digitized by Google

quod lingua mulieris huius erit finis eius, & manus eius mors eius, & ipse dæmon conditor testamenti eius. Hæc omnia sic euenerunt. Nam tertia nocte illa incantatrix facta est furiosa, & arrepto cultro læsit se in inguine, clamãsque cunctis audientibus dixit. Veni diabole sequere me, & statim cum horribili clamore, finiuit vitam. Sacerdos vero prædictus, a tentatione carnis liberatus statim intrauit religionem in qua Deo vsque in finem vitæ fructum fecit gratiosum.

NOTAE:

1 QVia ex quo homo iste a dæmone impugnatus viriliter restiterat, Dei iudicium est, vt non possit dæmon facere, sicut vellet, adhuc tamen habet spem dæmon, vt possit præualere in eum.

Ex verbis præsentis notæ satis aperte colligitur, dæmonẽ quantumcunq; victum ab aliquo posse iterum eundem ad tentandum agredi, quod optime probat D Thom. p. 1. q. 114. art. 5. vbi confutans opinionem dicentium, Dæmonem victum, nec posse eum amplius tentare, a quo superatus est, nec quempiam alium non solum de eodem peccato, sed neque de alio, concludit non tantum posse alios, sed & eundem tentationibus agredi, imo tanto acrius, tunc contra eundem insurgit, quanto fortius ab eodem pulsus est, & hoc maxime in fine vitæ efficit, vt eos quos in vita decipere minime potuit, in fine saltem decipiat, sic habet D Isidorus libr. 3. de summo bono cap. 5 hominem inquit, quẽ diabolus incursu præteritæ vitæ non decipit, in nouissimis supplantare disponit, proinde quamuis in hac vita quisquam sit iustus, nunquam necesse est vt sit in hac vita securus, sed animaduertendum, quod non statim, vt recte probat D. Thomas, ad tentandum redire permittitur, sed solum intercedente aliquo spatio temporis propter infirmitatem naturæ nostræ, & hoc patet ex illo Lucæ 4. vbi dicitur, quod consumata omni tentatione diabolus recessit a Christo ad tempus, ex quo deduci potest, quod transacto aliquo tempore ad tentandum redierit, hoc idem probatur ex D. Ambros. in 4. cap. Lucæ vbi dicit, quod diabolus instare formidat, quia refugit triumphari, & idcirco probabilissimum est, non statim ad pugnam cum eodem redire, timens tunc rursus de amissione triumphi. cæterum Durãdus in 2. sent. d. 7. q. 2. fatetur quidem dæmonem victum ab aliquo ab eundem tentandum redire, non tamen illum tentare de eodem vitio, de quo victus est quandoquidem inquit si tentatus, semper eodem modo esset dispositus, de ea tentatione victoriam semper reportaret, dempta autem victoriæ spe dæmon non reuertitur, quod sane credo esse verissimum, si semper eodem modo tentatus se haberet ideo dæmon etiam [illegible] frequenter de eodem vitio tentare studet.

CHRISTVS DICIT SPONSAE, quod omnis virtuosus vir, & sapiens prædicet audacter verba, & gratiam Dei in istis libris contentam, gentibus desiderantibus, & etiam nolentibus, tam pauperibus quam diuitibus, & habebit ex hoc ipsum Deum in premium æternum.

CAP. IIII.

QVI habet aurum sapientię domini sui, tenetur tria facere. Primo distribuere illud habere volentibus, & insuper prębere nolẽtib᷒. Secũdo debet esse patiens & moderatus. Tertio debet esse rationabilis, & æquus in distribuendo. Ipse enim homo, qui dictas virtutes habet, ipse est, qui habet aurum meum, idest sapientiam meam. Quid enim inter metalla preciosius auro? sic nec aliquid in scripturis dignius sapientia mea. Hac sapientia impleui eum pro quo tu oras. Et ideo ipse debet prędicare audacter, tanquam miles meus verba mea, & non solum desiderantibus audire eum, immo etiam nolentibus loquetur gratiam meam. Secundo, sit ipse patiens pro nomine meo, sciens se habere dominum, qui omnia opprobria audiuit. Tertio dico, quod sit æquus in distribuendo, sic pauperi sicut diuiti. Nulli parcat, nullum vereatur, quia ego sum in eo, & ipse in me. Quis nocebit ei cum ego omnipotens sum in eo, & extra eum? Ego dabo ei preciosum stipendium pro labore suo, nõ corporale aliquid, nec terrenum, sed meipsum in quo est omne bonum, & in quo est omnis abundantia.

CHRI-

CHRISTVS GRAVISSIME comminatur hipocritas religioſos, & ſuperbos, qui ſimplicitatem ſimplicium, & innocentium deridendo perturbant, cornibus detractionis, & malorum operum. Monet tamen eos pie, vt ſe ad virtutes cito conuertant, alioquin grauiter punientur.

CAP. V.

EGO ſum Creator omniũ, & a nullo creatus. Ego longo tempore auerti oculos meos ab hoc loco, propter iniquitatem inhabitantium. Sicut enim primi fundatores feſtinabant de virtute in virtute aſcendere, ſic nunc iſti moderni de malo in malum, quilibet alium preire curat, & gloriantur de peccato. Nunc igitur preces dilectiſſimæ matris meæ ad miſerandum me flectunt. Sed de peſſima progenie adhuc remanent quædam radices, ſicut per ſimilitudinem melius intelliges. *Quaſi* eſſet paſtor, qui diceret ad Dominum Deum ſuum. *Domi*ne inquit in ouili tuo ſunt paucæ oues, & manſuetæ, inter quas arietes cornupete inueniuntur turbantes oues. Quorum caput ad nihilum eſt vtile. Pellis corrupta caro putrida. Inteſtina fœtentia. Cui reſpondit Dominus. Ne turbentur oues meæ manſuetæ. Caput arietum abſcindam ferro acutiſſimo. Pellis quia non portat mihi lanam, decorietur. Inteſtina, & carnes, quaſi putrida proijciantur ad agros, & dentur volatilibus, quæ neſciunt diſcernere inter mundum, & immundum. Ego ſum *Do*minus, qui in hoc loco quoſdam ſimplices quaſi oues habeo, inter quos quidam ſunt quaſi arietes cornuti, lacerantes eos, qui ſicut arietes, primo præcipitanter, accurrendo diſcerpunt lanam, inde cornibus impellendo, proſternunt ad terram. Sic ipſi ſimplicitatem innocentum deridendo perturbant, & cornibus detractionis, & malorum operum ad terram proſternunt. Propterea caput eorum, ideſt intentio elata cornibus arrogantiæ, & præſumptionis abſcindetur ab eis iudicio meo ſeuero, quod eſt gladius acutiſſimus, pellis eorum, ideſt hipocriſis, qua pro ſimplicitate religionis induti ſunt, auferretur ab eis, & pro ipſa hipocriſi anima eorum a dæmonibus ab omni bono decoriabitur, quia oſtendebant aliud, & aliud erant. *Seruiebant* mihi ore, & diſſentiebant opere. Caro eorum voluptati dedita, quæ in conſpectu meo eſt quaſi caro meretricis, igne cremabitur abſque miſericordia. *Inteſti*na eorum, ideſt cogitationes, & affectiones, quas ad mundum habent, & non ad me in quibus fouebantur inimici mei, id eſt peccata, & dæmones, & non ego. Plagabuntur a dæmonibus, vt non ſit affectio praua, pro qua non puniantur. Ideo dum adhuc tempus eſt, caput eorum, ideſt voluntas diſtorta, & ſuperbia deponatur ad humilitatem; pellis ſimplicitatis aſſumatur. Caro a voluptatibus refrenetur. *Inteſti*na, ideſt cogitationes pœnitentia ſanentur ne iuſtitiam ab eis, ſecundum merita eorum celerem exigam, & poteſtati dæmonum ſubijciam eos. Ita quòd nihil aliud poſſint, niſi quod dæmonibus placet, & ab eis impellentur de malo in malum.

Additio.

Item loquitur Chriſtus. Adhuc aſſumetur parabola ſuper domum iſtam, dicentium. Quare fecit *Deus* huic domui ſic? Reſpondebitur. *Quia* noluerunt audire verba monentis. Nam ponam eis cuſtodes, qui de excelſis ſpeculantes, terram voluptatis eorum redigent in ſeruitutem, & dabitur eis panis in menſura, & præ paucitate numerabuntur.

CHRISTVS BENIGNE reprehendit ſponſam, de quadam impatientia quam habuit, inſtruens eam non debere vlterius iraſci. Nec aliquid reſpondere prouocantibus donec commotio animi eius fuerit pacificata, & viderit poſſe aliquid proficere in verbis ſuis.

CAP VI.

EGO ſum Creator tuus, & ſponſus. Tu ſponſa mea noua quadrupliciter peccaſti nunc in ira tua.

Primo quod impatiẽs fuiſti in corde tuo ad verba. Cum ego ſuſtinui pro te verbera, & ſtans ante iudicem, non reſpondi vnum verbum. Secundo, quia atrociora reſpondiſti, & exaltaſti nimis vocem tuam ex probando. Cum ego affixus clauis ſuſpexi in cœlum, & non aperui os meum. Tertio, quia contempſiſti me

pro-

propter quem deberes omnia patienter tolerasse. Quarto, quia proximo tuo non profuisti per patientiam enim tuam, qui errauit ad meliora debuisset prouocari.

Ideo volo quod de cętero non irascaris.

1 1 Cum enim ab aliquo ad iram prouocata fueris, vsquequo ira ab animo semota fuerit non loquaris ei. Sed transacta commotione animi, & causa commotionis diligenter pensata, loquere cum mansuetudine. Si autem aliquid fuerit in quo loquendo nil profeceris, nec tacendo peccaueris, melius est propter meritum silere.

NOTAE.

1 CVm enim ab aliquo ad iram prouocata fueris, vsquequo ira ab animo semota fuerit, non loquaris ei.

Egregium sanè remedium in præsenti capite affertur contra iram, quo & ipsiusmet iræ, ac etiã impatientiæ motus de facili vitabimus, si in hoc vitio nos esse irretitos animaduertimus, tamdiu tacere, & obmutescere curabimus, quousqz ab animo ebulientes iracundiæ motus deposuerimus, secus enim fiet: si verba cum ira adiungemus, vehemens enim iræ affectus est, ac omni flamma vehementior, quare sicut si ignem cum igne coniunges, maior flamma succenditur, ita si iracundiæ multiplicia verba addas, ipsa tunc amplius augebitur, & idcirco præcipit Dominus hoc loco B. Brigittæ, ne de cætero irascatur, quod si forte id accidat, saltem quousque ab animo semota fuerit ira, nullo pacto eum, qui causam iræ dedit alloquatur, atque hoc idem remedium adhibendum esse tradit D. Chrisost. homil. 47. in Ioannem, huiusmodi inquit est irati animus, qui si in te prosilit tace, & opportunam ei plagam infliges, atque hoc à nobis eo magis pro viribus obseruandum est, quod scimus, iram non esse aliud quam speciem quandam insaniæ teste D. Gregor. Nazianzeno in carmine de calamitatibus animæ suæ non longe ab initio, immo ebrietas quædam est, & ipsa met ebrietate turpior, vt idem Chrisostom. probat homil. 29. ad populum Antiochenum, & homil. 3. in Ioannem, qui iratum hominem comparat stultis, cum enim circa præcordia efferbuit ira, iratus ignem emittit, tota inflammatur facies, incompositæ manus mouentur, ridiculæ prosiliunt pedes, monitoribus, & rixam dirimere conantibus insultat. ac in eos nulla ab insanientibus differentia irruit, & cum hæc iratus facit, nihil intelligit, & Asinorum more morsibus, calcibusq; insultat, atq; hinc vnusquisq; contra iram remedia sumet, de quibus late Diu. Gregor. agit. 31. Moral. cap. 17. & Epistola 126. Cæterum si quis diligenter consideret, quod cum aliquis hac animi perturbatione laborat, inutilis est Reipub. in hominum cœtu importunus fit, dissidet si quidem ab alijs, nemini cedit, omnemq; humanam societatem dirimit, Principum Aulas conturbat, seditionibus quoque omnia penè inficit, huiusmodi profecto vitium fugiet: atque hi sunt praui effectus eius, quos tamen tres esse ex Salomone colligimus; Primus quidem est Iurgium, quod sequitur ex ira. de quo prouerb. 17. melior est bucella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum ira; Secundus effectus est recessus ab amico, sic prouerb. 18. occasiones quærit, qui vult recedere ab amico; Tertius est contemptus alterius, cui quis irascitur, quem effectum deducit Liranus ex illo prouerb. 19. Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam diues torquens labia sua, atque hi tres habentur in præsenti capite, vbi & triplicem iræ gradum colligimus, primus namque gradus est Irasci, & motum animo retinere, & habetur ibi, primus impatiens fuisti in corde, secundus est voce commotionem illam internam exprimere, & sumitur ibi, quia atrociora respondisti, & exaltasti vocem tuam nimis, tertius est contumelijs afficere, ac ferire eum, cui irascimur, ideo scribitur hic exaltasti vocē exprobrando, atq; hos oēs tres gradus insinuauit Dominus Matt. quinto ibi, omnis qui irascitur. Postremo sciendum est, quod, licet ira peccatum sit, non tamen omnis ira culpam inuoluit, nam cum illa sit appetitus vindictæ, si vindicta iusta sit, & secundum iuris ordinem appetita, cum causam habet iustam, peccatum non est, cui sensui aptari posse videtur versus ille Psalm. 4. Irascimini, & nolite peccare, secus vero dicendum si appetitur vindicta illi, qui non meruit, vel plus quam meruit, vel absque ordine debito, vel propter indebitum finem, vt si tantummodo propter particularem vindictam, non ob bonum commune, & propter iustitiam, hoc enim est irasci, & peccare.

CHRI-

CHRISTVS PER SPONSAM, præcipit cuidam deuoto Diacono, quòd cum feruore, & audacia prædicet verbum Dei ſocijs ſuis, & alijs peccatoribus inſtruendo infirmos, arguendo indiſciplinatos, & exponendo animam ſuam morti pro aliorum animarum ſalute.

CAP. VII.

EGO ſum Deus tuus, & Deus omnium, & Creator, licet neglectus ſum, & deſpectus. Hæc dices illi pro quo tu oras, quē me diligere noſti.
1 1 Cū tibi diaconatus officium impoſitum eſt prædicandi auctoritatem accepiſti, vt inſtrueres infirmos, & argueres indiſciplinatos. Hoc ego per meipſum facere non renui, hoc & apoſtoli, & diſcipuli mei fecerunt, qui pro acquiſitione vnius animæ diuerſa loca, & ciuitates, & villas circuiuerunt, & pro ſalute animarum animas ſuas vſq; ad mortem tradiderunt, ergo quia officium tuum eſt prædicare, nec decet, nec expedit tibi vt ſileas, quia circa te ſunt inimici mei peſſimi, & in medio eorum ambulas. Ipſorum quippe maledicta gula ſic mihi odioſa eſt, ac ſi in die paraſceues carnes comederent. Ipſi ſunt quaſi vas ex vtraq; parte apertum, cui ſi totum mare infunderetur nunquàm impleretur, nec ipſi ſatiari poterunt, quorum gulam augmentat in peccatum immoderata laſciuia. Ipſi etiam Angelos meos cuſtodes corū
2 elongant a ſe, 2 & aduocant dæmones,
var. qui nunc propinquiores ſunt eis, quam bo-
lect. ni, quia ſtant in choro meo, non vt mihi placeant, ſed ne ab alijs arguantur, vel diſpliceant. Apparent patrum antiquorum imitatores, ſed vere ſunt in conſpectu meo mendaces, & defraudatores, fregerūt enim fidem quam mihi promiſerunt, & defraudāt animas quorum beneficijs viuunt, quia nec vita, nec precibus eis rependunt. Propterea coram Angelis, & ſanctis omnibus, iuro in veritate mea, qui ſum veritas, & de ore meo nunquam niſi veritas proceſſit, quod niſi ſe emendauerint permittam eos modico tempore incedere per viam voluntatis ſuæ. Deinde ducam eos per viam ſimilem ſpinis, & punctionibus acutiſſimis, a qua ne diuertant, ſtatuam ſeruos meos à dextris eorum, & ſiniſtris, qui eos prohibeant diuertere, & compellant incedere. Inde quemadmodum corpus mortuum cadit in
3 terram, 3 ſic animæ eorum deſcendent
var. in infernum tam profunde quod nunquam
lect. reſurgent.

NOTAE.

1 CVm tibi Diaconatus officium impoſitum eſt, prædicandi auctoritatem accepiſti, vt inſtrueres infirmos.

Ex his verbis palàm fit ad Diaconos ſpectare in Eccleſia Euangelium prædicare non quidem abſolute, ſed per modum chatechizantis, & ideo legimus hic, prædicandi auctoritatem accepiſti, vt inſtrueres infirmos, & argueres indiſciplinatos, quod vt explicemus apertius ſciendum eſt officium prædicandi præcipue ad Epiſcopum pertinere ita vt ne presbyteris quidem liceat prædicare, niſi facta illis ab Epiſcopo poteſtate, Epiſcopi enim proprie loco Apoſtolorum ſucceſſerunt: Apoſtoli autē ſunt, qui actorum ſexto dicunt, non eſt bonum derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, & propterea in Concilio Vaſenſi can. 4. legimus collatā ab Epiſcopis facultatem presbyteris concionandi, ex his libet inferre, quod indicauimus in principio præſentis notæ, munus prædicandi non ſpectare abſolute ad Diaconos niſi per modum chatechizantis, vt egregie probat D. Thom. 3. p. q. 67. art. 1. ad primum. Cæterum D. Greg. lib 4. Epiſtolarum cap. 88. officium prædicandi pertinere ad Diaconos docuit, & ipſummet adhuc Diaconum exiſtentem prædicaſſe teſtatur Ioannes Diaconus in vita ipſius libro 1. cap. 41. Vnde in Concilio citato Vaſenſi legimus, ſi presbyter aliquis infirmitate prohibente per ſe ipſum non poterit prædicare, Sanctorum Patrum Homeliæ a Diaconis recitentur, ſi enim digni ſunt, quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt legere, quare indigni iudicentur Sanctorum Patrum expoſitiones publicæ recitare. idem habetur in Synodo Remenſi canone 4. Diaconorum autem inter cætera officia proprium eſt Sacerdoti ſacrificanti aſſiſtere, & tempore ſacrificij Euangelium legere, ſic Hieronymus ad Sabinianum Epiſtola 40. D. Greg. vbi ſupra, & Conc. Vaſenſe Canone 4. & Remenſe canone quinto.

2 CIrca medium præſentis capitis, vbi le-
var. gimus, & aduocant Dæmones, qui
lect. nunc propinquiores ſunt eis quam boni.

M.S. Farneſianus habet qui propinquiores ſunt eis quam boni Angeli.

3 SIc animæ eorum deſcendunt in infer-
var. num tam profundæ, quod nunquam
lect. reſurgent.

M.S. ſic legit Animæ eorum deſcēdunt in infernum operiendo ſe tam profundis peccatis, quod nūquam reſurgent.

CHRISTVS præbet audaciam sponsæ formidanti reprehendendi fiducialiter quosdam religiosos in peccatis grauibus existentes apud quos ipsa hospitabatur dicens quòd reprehensio sua nõ imputabitur ei ad peccatum, sed ad meritũ, etiam si ipsi ex hoc scandalizentur, & indurentur.

CAP. VIII.

COgitasti o sponsa apud te multoties sic. Cum Deus meus sit Dominus omniũ & omnia potens, & patienter sustinuit proditorẽ suũ, cur ego creatura sua non magis sustineam habitãtes mecum? Ne forte ex admonitione, & reprehensione mea deteriores fiant, ad quam cogitationem respondeo tibi, quod ex parte pia erat, sed minus feruens. Bonus enim miles inter malos constitutus, videns offensionem Domini sui, & si non potest corrigere opere, saltem de decore domini sui loquitur, inde acceptis contumelijs patienter suffert. Sic tu loquere eis nunc fiducialiter excessus eorum, qui mihi nimis ex diuturnitate peccati abominabiles sunt. Et quocunque modo ex hoc ipsi contra me indurantur, non tibi in peccatum reputabitur, quia locuta es, sed merces maior tibi accrescet. Sicut enim Apostoli multis prædicabant, quamuis non omnes cõuertebantur, nihilominus tamen merces eorum non minor erat. Sic erit & tibi, quia & si omnes non audierint te, tamen erunt aliqui, qui ex verbis tuis edificentur, & sanentur. Dicito ergo eis, quod nisi se emendauerint tam velox, & seuerus veniam eis, quod omnes qui audierint ingemiscent, omnes etiam qui experientur deficient. Iudicabo enim eos quasi fures confusione inenarrabili, coram Angelis, & sanctis omnibus, quia religionis habitum non propter meritum bene viuendo assumpserant. In conspectu meo sunt quasi fures possidentes bona, quæ sua non sunt, sed illorum, qui bene viuunt, & quasi defraudatores iudicabo eos gladio meo, qui omnia membra eorum a capite vsq; ad pedes consideret. Implebo quoq; eos igne ebulliente, & nõ deficiente, quia sicut pater pius monui eos, & non audierunt. Ostendi eis verba oris mei, sicut nunquam factum fuit prius, & spreuerunt. Si enim verba mea misissem gentilibus forsitan recepissent, & pœniterent. Propterea non parcam eis nec recipiã pro eis preces dilectæ matris meæ, & sanctorum meorum, sed quamdiu ego sũ in gloria mea, quæ est sine fine ipsi erunt in pœna. Veruntamen quamdiu anima includitur in corpore tamdiu misericordia mea aperta est eis.

CHRISTVS REVELAT hic spõsę quàm abominabilis est coram Deo presbyter celebrãs in mortali peccato, & qualiter dæmones assistunt, & in celebratione missæ, & de eius grauissima pœna futura si non conuertatur.

CAP. IX.

ILle presbyter pro quo tu oras est quasi forceps, per quam aurum virtutis meę extrahetur. Ipse est quasi ouis degenerans non curans audire vocem matris. Cum accedit ad altare meum, astant ad latera eius dæmones, cuius & animam inhabitant, quia ipsa est mortua ante
1 me. 1 Cum imponit sibi superhumerale,
dæmones obumbrant animam eius, vt non
cogitet, & non intelligat, quàm terribile est
accedere ad altare meum, & quam mundus
esse deberet, qui mihi mundissimo altare de-
2 bet. 2 Cum induit se alba, duritia cordis,
& indeuotione induitur, quia cogitat peccatum suum non esse graue, supplicium æternum futurum non magnum. Et quale gaudium est æternum, nunquã venit in men-
3 tem eius. 3 Cum imponit sibi stolam diabolus graue iugum imponit collo eius, ita quod delectat eum peccati dulcedo. Et sic onerat animam eius, quod non sinit eum ingemiscere, vel cõsiderare peccatum suum.
4 4 Cum imponit sibi manipulum omnia opera ad Deum fiunt sibi grauia, & onerosa,
5 & erubescibilia, terrena autem leuia. 5 Cũ
autem cingit se cingulo, tunc ligatur voluntas eius cum diabolo, ita quod velit & proponit morari in peccato, & tunc dissoluitur charitas mea cum eo, quia volũtas eius est ad omnẽ illud, quod diabolus ei inspirat in mentem, nisi refrenaretur occulto iudicio
6 meo. 6 Cum induit se casulam, tunc perfidia induit eum diabolus. Quando autem legit confiteor, dæmones respondent mentitus es, nos sumus testes, quod confessio eius est similis Iudæ, quia dicit aliud ore, & aliud habet in corde. Cum accedit ad altare, tunc ego auerto faciem meam ab eo. De quocunq; autem legit missam, siue de matre mea, siue de sanctis, sic mihi charum est, ac si meretrix menstruum suum in vase positũ, offerret alicui nobili ad bibendum. Aut si aliquis

Digitized by Google

aliquis diceret inimico suo, caue tibi, ego quæro damnum tuum. Quando vero consecrat corpus meum, & dicit. Hoc est corpus meum, tunc fugiunt dæmones ab eo, & corpus eius remanet quasi truncus, quia anima eius mortua est ante oculos meos. Cum autem corpus meum applicat ad os suum ex præsumptione illa, omnis turba dæmonum reuertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet. Ego quippe sic misericors sum, quod si diceret cum contrito corde, & emendationis proposito. Domine propter tuam passionem, & charitatem, quam erga hominem habes indulge mihi peccata mea. Ego susciperem eum, & non reuerterentur dæmones ad eum, sed ipse stercus mudi habet in ore, in corde autem sunt vermes scaturientes, & ideo non placet ei dulcedo verborum meorum. In corde cogitationes inutiles comedunt eum ne cogitet aliquid de me. Propterea nunquam accedet ad altare meum. Quid autem est altare meum, nisi illa cœlestis mensa, & gloria in cœlis, de qua Angeli, & sancti lętantur. Hoc repræsentat altare illud in Ecclesia de lapidibus, vbi quotidie corpus meum in cruce crucifixum immolatur, sicut olim in lege sacrificia repræsentabant quæ nunc aguntur in Ecclesia. Quid notat mensa cœlestis, nisi iubilationem, & gaudium Angelorum? Hoc gaudium nunquam experietur ipse in gloria ęterna. Ante hoc altare meum nunquam stabit, nec videbit faciem meam, filii autem mei ipsi videbunt faciem meam.

7 7 Ego sum sicut verus Pellicanus, quia proprium sanguinem dabo eis, & reficio in præsenti, & in futuro vsque ad satietatem. Illum autem pascet aquila illa abominabilis, cuius consuetudo est pullis suis post satietatem aliquo tempore subtrahere necessaria, ita quod macies ex famæ proueniens omni tempore vitæ eorum apparet in eis. Sic diabolus delectatione sua ad tempus pascet eum, vt postea famem gaudij sentiat, & durabit sine fine in eo. Veruntamen cum viuit misericordia mea aperta est ei si conuertatur.

Declaratio.

Hic sacerdos fuit aduocatus, & collector pecuniarum, & ad persuasionem Dominæ Brigittæ depositus ab officio, qui totus furibundus dixit ei, Domina iam priuastis me honore, & beneficio meo, quantum lucrata estis. Melius fuisset vobis sedere in domo vestra, quam discordias seminare. Illa respondit dicens, quicquid rex egit, ego consului sibi pro salute animæ vestræ, & honore. Non enim potest clericus qui sors Dei est, tale officium habere sine periculo animæ. Respondit ille. Quid vobis cum anima mea? Dimitte me transire in hoc mundo vt possum, quia anima mea bene placitabit in futuro pro se. Cui iterum domina inquit, ideo dico tibi, & absq; dubio erit, sicut audiui in iudicio Dei, quod nisi citius caueris tibi, & correxeris te, sicut ego vocor Brigitta, sic tu nec euades singulare iudicium Dei & incõsuetam mortem. Ideo non lõge post, idem sacerdos per Episcopum priuatus Ecclesia, horribili, & inaudita morte mortuus est. Nam cum campana quædam funderetur, es ebulliens exilijt de formella, & circunquaque eum combussit.

NOTAE.

1 CVm imponit sibi super humerale, Dæmones obumbrant animam eius, vt non cogitet, & non intelligat quam terribile est accedere ad Altare meum.

Plurima in præsenti capite traduntur, quæ quidem a Sacerdote in mortali peccato celebrante diligẽter examinãda sunt, ac etiam memoriæ mandãda, et sanè quẽadmodũ sacrarũ vestium multiplicitas, quibus celebraturus sacerdos induitur, indicat, quibus in specie virtutibus, bonus Sacerdos præditus esse debet, vt in Altari digne ministret, ita ex eisdem colligitur hic, quæ nam vitia sint, quæ eundem ad celebrandum indignum reddunt, atq; hoc loco a superhumerali initium sumitur, idq; primũ genus vestis est, quod sacra facturus sacerdos assumit, quo vndiq; collum cingit, ac super humeros distendit, et hinc hodie superhumerale appellari arbitror, quod alij communiter vocant Amictum, vt annotarunt Rabanus, Maurus de institutione Clericorum cap. 15. Alcuinus de diuinis officijs cap. de singulis vestibus, Guglielmus Durantus in Rationali diuinorum officiorum lib. 3. cap. 2. & quãquam non me fugiat, superhumerale propriæ fuisse ornamentum Pontificis ex biacinto, cocco, purpura & auro contextum, de quo Exodi 28. & Ioseph lib. 3. Antiquitatum cap. 8 tamen hodie quo ad nominis Etymologiam coincidit cum amictu, vt diximus quamuis nihil, aut parum habere commune cũ ipso videatur, sed quidquid sit Amictum significare asserunt, vel ipsam fidẽ, de qua sub similitudine Galeæ ad Ephesios sexto verba facit Paulus Galeam inquit salutis assumite, vel etiam vt tradunt Vgo Victorinus li. 2. de Sacram. p. 4. & Alensis q. 26. part. 4. bonorum operum fortitudinẽ, vel vt placet Amalario lib. 2. de Ecclesiast. offic. ca. 4. & Guglielmo Durãto loco cit. ipsius met vocis, ac linguæ castigationem, & refrenationem, in collo nãq; vox est, & Amictus collum tegit, postremo castitatis etiam virtutem designare potest, quia & renes, & pectus ambit, ac in renibus stringitur, vbi luxuria peculiariter dominatur. Sacerdos ergo Sacra facturus dum primo sumit Amictum, intelligat his virtutibus ornatum se esse debere, sed quoniam peccatorum

torum tenebris, ac caligine quã loq; obcæcatus est, quod significari per Amictum hoc loco scribitur, ideo ista minime percipit, & hoc est quod legimus hic cum imponit sibi superhumerale. Dæmones obumbrant animã eius, vt cogitet, et nõ intelligat quã terribile est accedere ad Altare meũ, & quã mundus esse deberet, qui mihi mundissimo astare debet.

2 Cum induit se alba duritia cordis, & indeuotione induitur.

Secundum genus vestis Sacræ alba dicitur, quæ vt habet D. Hieron. ad Fabiolam ex lino tunica est talaris, seu poderis ab alijs nuncupatur, quippe quæ vsq; ad talos, vel pedes protenditur teste D. Isidoro lib. 19. Ethimolog. cap. 21. huius meminit Rabanus Maurus vbi supra, & Alcuinus de diu. offic. in cap. quod vestimenta significẽt, hi ergo docent hoc genus vestis indicare perseuerantiam in bonis actionibus in tota vita, quæ Sacerdoti penitus necessaria est, et colligunt ex eo, quod vestis hæc ad talos vsq; pertingit, sicut ergo bonus sacerdos hãc vestem assumendo perseuerantiã assumpsisse profitetur, ita è contra malus cum induit se Alba duritiam cordis, & indeuotionem induiße hoc loco perhibetur.

3 Cum imponit sibi stolam diabolus graue iugum imponit collo eius.

Stola, cuius in præsenti nota mentio fit, orarium etiã ab aliquibus appellatur, quia vt tradit Alcuinus de diuinis offic. cap. quid significent vestimenta, & Rabanus Maurus lib. 1. de instit. Clericorũ cap. 19. oratoribus tantummodo, idest prædicatoribus conceditur, idem habet Amalar. Fortunatus li. 2. cap. 20. & Conc. Tolet. 4. can. 59. & can. vnum orarium d. 25. vbi dicitur, vnum ergo orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, hoc est prædicat, Sacerdos vero vtroq; humero, cum celebrat circumseptus esse debet ex Conc. Bracharensi 3. can. 3. Cæteri verò ministri inferioris ordinis stola non vtuntur, & ex synodo Laodicena can. 22. & 23. constat, & can. non oportet d. 23. admonet tamen Durantus in rationali lib. 3. cap. 5. quod postquam à sacerdotibus Alba deferri cœpit, stola in torquem mutata est, quæ ad eam est redacta formam, qua celebraturi Sacerdotes vbique hodierna die vtuntur, addit autem ibidem Sacerdotem stolam assumere, vt memor sit, se sub Christi iugo esse positum, quod suaue, ac leue est, hinc est, quod Pontifex ordinando stolam aptat ante pectus in modum crucis dicens, accipe iugum Domini, idipsum annotarunt Alcuinus, & Amalarius vbi supra, sicut ergo stola boni Sacerdotis collo aptata iugum Christi suaue ipsi impositum esse denotat, ita quoque scribitur hic a malo sacerdote indigne celebraturo stola suscepta, diabolum graue iugum illi imposuiße notat.

4 Cum imponit sibi manipulum, omnia opera ad Deum fiunt sibi grauia onerosa, & erubescibilia, terrena autem leuia.

Quam plures ex doctoribus duabus superioribus notis citatis manipulum diuersimode appellant, alij namque Mappam, seu Mapulam, communiter vero Phanonem appellat vulgus, vide Alcuinum vbi supra, & Rabanum Maurum lib. primo de Instit. Cleric. cap. 18. & Conc. Remense relatum a Burchard. libro secundo ca. 50. Beda in lib. quem collectanea, seu flores inscripsit cap. de septem ordinibus, atque hi omnes concordant Manipulo, seu Mappa antiquitus Sacerdotes vsos esse ad abstergendas manus, quod etiam affirmauit Durantus vbi supra, dicit autem Manipulum bona opera, ac etiam vigilantiam designare, vnde & sudarium etiam appellatur, quatenus, & sudorem mentis abstergat, & soporem, ac tedium cordis excutiat; vnde prouerb. sexto sacerdos admonetur sic,
1 *discurre, festina, suscita amicum tuum ne dederis somnum oculis tuis, est ergo Manipulus bonorum operum, ac vigilantiæ symbolum, quibus cum malus sacerdos careat, mirum non est si eum sibi imponendo designet, vt scribitur hic opera Dei sibi onerosa, ac grauia esse, mundi vero leuia.*

5 Cum autem cingit se cingulo, tunc ligatur voluntas eius cum diabolo.

Cingulum inter sacras vestes etiam ponitur, quod a Duranto in rationali libro tertio, capit. 4. & alijs quoque Zona, aut Baltcum appellatur, cingulo sacerdotes vtuntur, ne tunica defluat, & gressum impediat, dicit autem Diu. Hieronym. in psalm. 132. quod cingit, lumbos stringit, & mortificat, & hoc dixisse credo insinuans, quod cingulum castitatis symbolum est, quod affirmauit Innocentius Tertius libro primo mysteriorum Missæ cap. decimoquinto, cingebat inquit se balteo, significans castitatem, quæ circa lumbos debet accingi, vt restringant concupiscentiam: hinc Dominus dixit sint lumbi vestri præcincti, idem tradit Rabanus Maurus libro primo de Instit. Clericorum cap. 19. Isichius vero libro quinto in Leuiticum per Zonam fortitudinem intelligit, qua debet esse munitus sacerdos. Sed ego etiam arbitror cingulum illud summam quadam vnionem designare, per quam cum Deo bonus sacerdos se charitatis, & perseuerantiæ vinculo fortiter vnit, & è contra malus, se pluribus peccatorum funibus cum Dæmone stringit, & ligat, & hoc est, quod legimus hoc loco, cum autem cingit se cingulo tunc ligatur voluntas eius cum diabolo.

6 Cum induit se casulam, tunc perfidia induit eum Diabolus.

Postremum sacerdotis indumentum casula est, quæ auctoribus Rabano libro primo Instit. Cleric. cap. vigesimo, & Duranto in Rationali libro 3. cap. septimo appellatur a casa, eo quod totum hominem tegat quasi parua casa, & vulgus Planetam cõmuniter vocat, quod autẽ hæc omnibus alijs sacris vestibus superponatur, & tegat, charitatẽ indicat, quã non habens sacerdos veluti es sonãs, aut

Cym-

Symbolum tiniens est, sic Apostolus primo Corinth. 13. ipsa enim est, quæ omnibus virtutibus supereminet, & formam tradit, ideo casula charitatis symbolum est, quod indicant Innocent. 3. lib. 1. Myster. Missæ cap. 58. Alcuinus de diuinis Officijs cap. quod significent vestimēta, Rabanus Maurus eodē cap. ant. Beda in collect. cap. de septem ordinibus: & plura de casula habet Vgo Victorinus lib. 1. de Sacramentis cap. 50. sicut ergo celebraturus bonus Sacerdos casulam cæteris vestibus superponens charitatem alijs virtutibus adiungere indicat, ita quoque malus Sacerdos casulam assumens, reliquis vitijs perfidiam, & obstinationem addere insinuat, & ideo dignum hic quod tunc Diabolus perfidiæ induit eum.

7 **Ego sum sicut verus pellicanus, quia proprium sanguinem dabo eis, & reficio in præsenti, & in futuro vsq; ad satietatem.**

***Pellicanus auis Aegyptia in solitudine Nili Fluminis habitat, vel vt alij volunt nascitur, & inde suum sumpsisse nomen tradit D. Isidorus lib. 12. Ethimolog. cap. 7.** ferunt hanc, & si certum nō sit, vt asserunt D. Aug. in psal. 101. & D. Isidorus loc. cit. Rostro pullos suos occidere, eosq; in nido occisos triduo lugere, ac demum se ipsam grauiter vulnerare, & sanguinem suum super filios fundere, quo illi perfusi ad vitam redeunt: ex his optime colligunt Christum per Pellicanum designari, qui suo sanguine, peccato occisos viuificat, aut etiam teste D. Augustino Christus est Pellicanus solitudinis, quia solus de Virgine natus est, sic habent D. Hieron. D. Gregor. Eutimius, Glossa, & alij plures in citatum psalm. Eucherius de Spiritualibus formulis cap. quinto: sed de Pellicano plura habet Hieronymus ab Oleastro in leuiticum cap. 11. vbi Pellicani mentio fit, quo loco notat Oleaster vulgatum interpretem vertisse non Pellicanum, sed Onocrotalum, & nomen à Græcis fuisse mutuatum dicit, Pellicanum verò Auem Cigno similem esse, ex aliquorum sententia refert, sic dictam, quod collum in aqua mergens, spiransque veluti ruditum Asini edat, & Hebraice Auem hanc dici Kaath. ab eo scilicet quod cibum euomat, Rursus dicit Pellicani mentionem nullam inueniri apud Arist. sed Isidorus vbi supra affirmat Auem hanc longo esse rostro, Gulosam etiam, & quæ multū Anguilis insidie-tur.*

MATER DEI NARRAT sponsæ dignitatem suam, & beneficia quę recipiunt ab ea vniuersi dicit etiam modum, & suffragia per quæ anima cuiusdam principis defuncti, pro quo ipsa sponsa orabat, liberari posset ab horribili purgatorio optimum documentum.

CAP. X.

EGO SVM Regina Cœli. Ego mater misericordiæ. Ego iustorum gaudium, & additus peccatorum ad Deum. Nulla etiam pœna est in purgatorij igne, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendum quam aliter esset. Nullus est adeo maledictus, qui quamdiu viuit careat misericordia mea, quia propter me leuius tentatur a dæmonibus quam alter tentaretur.

1 Nullus ita alienatus est de Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui si me inuocauerit, non reuertatur ad Deum, & habebit misericordiā. Ego enim quia sum misericors, & a filio meo misericordiam consecuta. Ostendere tibi volo, quomodo ille amicus tuus defunctus de quo doles saluari potest de septem plagis, quas tibi filius meus dixit. Primo saluabitur ab igne, quem patitur pro luxuria, si aliquis vellet secundum tres Ordines Ecclesiæ, coniugatorum scilicet viduarum, & virginum, vnam fœminam tradere nuptui pro anima eius aliam religioni. Tertiam quæ possit stare in viduitate, quia in luxuria grauiter, etiā in matrimonium proprium thorum excedendo peccauit. Secūdo, quia in gula tripliciter peccauit. Primo laute, & vltra mensuram comedendo, & bibēdo. Secundo propter superbiam, & ostentationem plura fercula præparando. Tertio nimis diu in mensa sedendo, & opus Dei prętermittendo. Et ideo qui voluerit colligere in honore Dei, qui est trinus, & vnus propter hanc triplicem gulam, tres pauperes per vnum annum integrum, & ministret eis talia fercula, & æquæ bona, qualia ipse personaliter comedit qui colligit eos. Nec prius comedat ipse quam illos tres viderit comedere, vt per hanc modicam expectationem deleatur illa longa mora, quam amicus tuus habuit sedendo in mensa. Insuper ministret illis tribus 1
vestes sufficienter, & lectisternia, prout eis expetere, & expedire viderit.

var. lect.

Tertio pro superbia quam habuit multipliciter, debet qui voluerit, septem pauperes colligere, in qualibet septimana per vnum annum quali die voluerit, & lauet pedes ipsorum humiliter, cogitando sic secum in corde dum lauat eos. Domine Iesu Christe, qui captus es a iudæis miserere ei. Secundo. Domine Iesu Christe, qui ligatus es ad columnam miserere ei. Tertio. Domine Iesu Christe, qui iudicatus es innocens a nocentibus, miserere ei. Quarto. Domine Iesu Christe, qui proprijs vestibus exutus es, & indutus vestibus derisionis, miserere ei. Quinto. Domine Iesu Christe, qui ita grauiter flagellatus es, vt costæ tuæ viderentur, & non esset in te sanitas, miserere ei. Sexto. Domine Iesu Christe, qui collaphizatus, & consputus es, miserere ei. Septimo. Domine Iesu Christe, qui in stipite extensus es, cuius manus, & pedes fuerunt clauis perforati, & caput cruentatum spina, oculi fuerunt pleni lachrymis, os, & aures plene sanguine, miserere ei. Lotis autem pauperibus reficiet eos, vt melius poterit, & expedire eis viderit. Et roget eos humiliter, vt orent pro anima illius. Quarto, peccauit in accidia tripliciter. Primo fuit accidiosus in eundo ad ecclesiam. Secundo, in quærendo indulgentias. Tertio, in visitando loca sanctorum. Pro primo igitur, qui voluerit vadat ad ecclesiam semel in mense per vnum annum, & faciat dici vnam missam pro defunctis pro anima eius. Pro secundo vadat, quoties commode poterit, & voluerit, & specialiter pro anima eius ad loca, vbi dãtur indulgẽtiæ, & vbi deuotiores eos audit, qui dant illas. Pro tertio mittat oblationem suam per aliquem fidelem, & iustum ad præcipuos sanctos in regno isto Suetiæ, vbi conuentus populi ex deuotione, & caussa indulgentiarum fieri solet, vtpote beati Erici, & sancti Sigfridi, & similium. Et eum qui portat oblationem fideliter remuneret pro labore. Quinto, quia peccauit in inani gloria, & lætitia, colligat, qui voluerit omnes pauperes, qui sunt in curia eius, vel in vicinio eius in quolibet mense semel per vnum annum, & statuet eos in vna domo, & faciat ante eos dici vnam missam pro defunctis. quam cum inceperit sacerdos roget, moneat eos, vt orent pro anima eius. Dicta autem missa reficiantur pauperes omnes, taliter quod recedant de conuiuio læti, vt defunctus lætetur precibus eorum, & pauperes lætentur de refectione. Sexto, quia vsque ad nouissimum quadrantem soluet debita, & morabitur in pœna.
a Scire debes, quod circa finem suum, & in fine, voluntatem habuit licet non ita feruentem, vt deberet, soluendi debita sua, propter quam voluntatem in statu saluandorum est. Ex quo perpondere potest homo quanta est misericordia filij mei, qui tam pro modico dat requiem. Et nisi illam voluntatem habuisset, ipse sine fine damnatus fuisset. Ideo debent parentes sui, qui in bonis suis successerunt, habere voluntatem soluendi, & soluere debita sua, quibuscunque nouerint debere, & quibus soluunt debitum suum, rogent eos humiliter, vt indulgeant animæ eius si damnum ex longa expectatione incurrerint. Alioquin dicti parentes defuncti, peccatum illius portabunt si non soluerint. Deinde cuilibet monasterio in regno, mittat oblationem qualem voluerit, & faciat dici vnam missam in conuentu publice, & antequam incipiatur missa, rogetur pro anima eius, vt placatus sit ei Deus. Postea dicatur vna missa pro defunctis in qualibet ecclesia parrochiali, in qua bona sua habuit, quam sacerdos præsenti omni populo cantet, & antequam incipit cantare dicat populo, ista missa celebranda est pro anima illius. Rogo vos per nomen Christi, vt si aliquid contra vos verbo, vel facto, vel mandato deliquit, indulgete ei, & sic accedat ad altare. Pro septimo scilicet, quod iudex fuit, & iudicium suum commisit vicarijs iniquis, propter quod in manibus est dæmonum. Veruntamen, quia contra voluntatem eius erat, vt inique agerent licet minus curabat, & attendebat, quam deberet liberari potest si habebit auxilium. Sed per quale auxilium? vtique per sanctissimum corpus filij mei, quod quotidie immolatur in altari. Panis enim ille, qui in altari ponitur ante verba illa. Hoc est corpus meum, panis est, sed post verba dicta vertitur in corpus filij mei, quod de me sine macula sumpsit, quod crucifixum est. Tunc pater honoratur, & adoratur in spiritu ex membris filij. Filius exultat in potentia, & maiestate patris. Mater eius, quæ ego sum, honoratur ab omni exercitu cælesti, quæ eum genui, omnes Angeli conuertunt se ad eum, & adorãt, animæ iustorum gratias referunt, quod per eum redempti sunt. O quam horrendum est miseris, qui talem, & tam dignissimum dominum indignis tractant manibus, hoc ergo corpus, quod pro charitate mortuum est post eum liberare. Ideo dicatur vna missa de qualibet solemnitate filij mei, scilicet vna de Natiuitate, vna de Circuncisione, vna de Epiphania, vna de Corpore Christi, vna de Passione, vna de Pascha, alia de Ascensione, & vna de Penthecoste. Item vna missa de qualibet solemnitate, quæ in honore meo celebratur. Item nouem

nem miſſæ in honorē nouem ordinum Angelorum, quæ miſſæ Angelorum cum celebrantur, nouem pauperes colligantur, quibus victus, & veſtitus miniſtretur. Vt Angeli quibus ad cuſtodiam datus fuit, & quos multipliciter offendit, per hanc modicam oblationem placari poſſint, & animam eius Deo ſuo offerre valeant. Deinde vna miſſa generaliter pro omnibus defunctis dicatur, vt ipſi per eam requiem obtineant, & ipſa tantum cum digna requie habeatur.

Declaratio.

Hic fuit nobilis, & miſericors, qui mortuus apparuit Dominę Brigittæ dicens.
Nihil me tantum eleuat a tribulationibus meis, ſicut oratio iuſtorum, & ſacramentum altaris. Verum, quia iudex fui, & judicia mea commiſi his, qui minus diligebant iuſtitiam. Ideo adhuc detineor in exilio, ſed citius liberarer, ſi hi qui mei debebant eſſe, & fuerunt, eſſent ad meam ſalutem mitiores. Item de eodem habetur in iſto libro. 21. cap. 1

NOTAE:

1 var. lect. NVllus ita alienatus eſt de Deo, niſi omnino fuerit maledictus, qui ſi me inuocauerit non reuertatur ad Deum, & habebit miſericordiam.

1. *Farneſianus Codex M.S. ſic vulgatam lectionem reſtituit: Nullus a Deo alienatus eſt, niſi omnino fuerit maledictus, qui ſi me inuocauerit, & reuertetur ad Deum, Miſericordiam conſequetur, atq; hic ſcito ſermonem fieri de maledictione conſequente, ad mortale peccatum, quod cauſa eſt, vt homo ſeparetur a Deo.*

2 3 Scire debes quod circa finem ſuum, & in fine voluntatem habuit, licet non ita feruentem, vt deberet ſoluendi debita ſua, propter quam voluntatem in ſtatu ſaluandorum eſt.

Ex his verbis, & ſequentibus duo colligi poſſunt primo quidem morientem, qui ſua debita quamdiu vixit ſoluerit ſi potuerit, aut ſaltem in fine vitæ nulli ſoluendi voluntatem habuerit, neque hæredibus, vt ſoluant comiſſerit, omnino damnari; quod nulla indiget probatione quandoquidem iſte mortaliter peccauit alienum retinendo inuitis Dominis ſecundo, hoc loco colligitur, quod ſi hunc huius negligentiæ pœnituerit, quod huiuſmodi debita adhuc non ſoluerit, & hæredibus, quod ſoluant mandauerit, ſi ad pœnas deinde Purgatorij fuerit adiudicatus, vt pro tali negligentia ſatisfaciat, dico hunc in purgatorio non tamdiu retineri, quamdiu hæredes debita ſoluerint, ſed ſolum quamdiu ipſe diuinæ iuſtitiæ pro negligentia ſatisfecerit, neque enim defuncti retinentur in purgatorio, donec debita ſoluantur, vt probat D. Thom. in quodlibetis quodlibet. 6. art. 13. vbi ait, quod ſolutio debiti parum prodeſt defuncto, idem habet Adrianus quodlibet. 8. & ratio eſt, quia fieri poteſt, quod iſte debitor, aut moriatur martir, aut etiam tantam habeat contritionem, quæ fuerit ſufficiens ad delendam omnem pœnam, & ſic ad cælum volaret, etiam non ſolutis debitis per ipſum, vel per hæredes, dummodo ſoluendi habuerit voluntatem, & quod hactenus non ſoluerit, vere eum pœnituerit, quod etiam animaduertit, Sotus in 4. diſt. 45. q. 2. art. 3. vbi probat eiuſmodi reſtitutionem non iuuare ſi fiat, nec obeſſe defuncto, ſi non fiat, Deus enim non punit, niſi pro culpa propria in hac vita contracta, vel ergo defunctus peccauit non reſtituendo, vel non peccauit; quia forte non potuit, vel bona fide poſſedit, & ſi ſic non peccauit, puniri non debet, ſi vero peccauit punietur pro culpa illius negligentiæ in Purgatorio, ſed poſtquam pro illa diuinæ iuſtitiæ ſatisfecerit, certe liberabitur a Purgatorio, ſiue res illa reſtituatur, ſiue non, ille enim iam eſt ſimpliciter factus impotens ad reſtituendum, neque ſalus eius pendere debet ab alterius voluntate, alioquin poſſet eius anima manere in Purgatorio in æternum ſi nunquam hæredes reſtituerent, nec obſtat, quod contrarium ſenſerit Angelus probans hoc ex cap. in litteris de Rapt. in illis verbis, vt a peccatis ſuis valeat liberari, nam egregie Nauar. in Man. cap. 17 numer. 67. circa finem legendum, ibi, eſſe putat (valeant) referendo verba non ad defunctum, ſed ad hæredes, ita vt ſignificetur per ſolutionem debitorum defuncti, hæredes liberari a peccato ſuo, niſi ſoluant, & ideo legimus in hoc capite debent parentes ſui, qui in bonis ſuis ſucceſſerunt habere voluntatem ſoluendi, & ſoluere debita ſua quibuſcumque nouerint debere, & quibus ſoluunt debitum ſuum, rogent eos humiliter, vt indulgeant animæ eius ſi damnum ex longa expectatione incurrerint, alioquin dicti parentes peccatum defuncti portabunt, niſi ſoluerint, & hic eſt ſenſus eorum verborum, vt valeant a peccato ſuo liberari.

MATER DEI MONET Sponsam, quod semper recordetur de dolorosa passione Christi, quia in illa hora passionis eius, quasi omnia turbabantur, scilicet deitas, & humanitas, & ipsa Mater eius Angeli, & omnia elementa, & omnes animę viuentium, & mortuorum, & etiã dæmones.

CAP. XI.

MATER DEI loquitur ad sponsam dicens. In morte filij mei omnia conturbabantur. Nam deitas, quæ nunquam ab eo separabatur, nec in morte, In illa horula mortis tanquam compatiens videbatur, licet nullum dolorem, vel pœnam deitas pati possit, quia impassibilis, & immutabilis est.
1 1. Filius ipse patiebatur dolorem in omnibus membris, & etiam in corde, qui tamen secundum deitatem erat immortalis, Anima etiam eius, quæ immortalis erat patiebatur, quia exiuit de corpore.
2 2. Congregati Angeli etiam quasi turbari videbãtur, cum viderunt Deum in humanitate pati in terra. sed quomodo turbari possunt Angeli qui immortales sunt, vtique sicut iustus, cum viderit amicum suum pati aliqua de quibus consequeretur maximam gloriam. Et gauderet quidem de gloria eius adipiscenda, sed tamen propter passionem, quasi quodã modo contristaretur. Sic Angeli, quasi contristabantur de pœna eius, cum tamen impassibiles sunt. Sed gaudebant de gloria eius futura, & de vtilitate ex passione eius ventura. Omnia quoque elementa turbabantur, & Sol, & Luna dimiserunt splendorem suum, terra tremuit, lapides scindebãtur, sepulchra aperiebãtur in hora mortis filij mei. Omnes gentiles turbabantur vbicunque erant, quia in corde eorum venit, quasi quedam punctura doloris, licet nescierunt vnde esset. Tribulabatur etiam cor crucifigentium eum in illa hora, sed nõ ad gloriam eorum. Adhuc etiam immundi spiritus turbabantur in illa hora, & quasi in vnum congregati turbabantur. Illi autem qui erant in sinu Abrahę multum turbabantur, intantum, quod mallent in æternum esse in inferno, quam talem pœnam videre in domino suo. Ego autem, quę tunc videm filio meo astabam Virgo, & Mater eius, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare. Ideo filia mea recordare passionem filij mei, fuge instabilitatem mundi, qui non est, nisi quidam visus, & flos cito arescens.

NOTAE.

1 Filius ipse patiebatur dolorem in omnibus membris.

Hoc loco a nobis breuiter explicandum est, quomodo ipse filius, qui erat beatus, & comprehensor tot tantosque dolores in omnibus membris eius pati potuerit, vt scribitur hic, cum hoc statui beatifico repugnare videatur, & quidem circa hanc rem sunt varij modi dicendi, & in primis non placet, quod dicit Canus libr. 12. de locis Theologicis cap. 14. fuisse in passione separatam fruitionem, & gaudium ab ipsa beatitudine, vt posset Christus pro hominũ salute pati, nam hoc est inauditũ in scholis, & ab antiquis etiam Theologis non receptum, posse separari fruitionem a beatitudine, quippe quæ ad eius essentiam; vel integritatem pertinet, siue comparetur cum illa, vt passio, siue vt proprietas, siue vt aliquid integrans eam, quanquam Durandus in 4. d. 48 q. 2 hoc de potestate absoluta Deum posse facere affirmauerit, quia inquit contradictionem non implicat, quod intellectus creatus videat ipsum Deum nude, & aperte, & tamen non delectetur, quod an verum sit nostrum non est hoc loco definire, Respondent, 1. Scotus in 3. d. 16. q. 2. ad primum, & Henricus quodlibet 8. qu. 7. dicentes dolorem, & gaudium posse esse simul, quia sunt de diuersis obiectis, sed non videntur vndequaque satisfacere, quia difficultas est ex parte potentiæ, quomodo in vna eademque possint esse passiones contrariæ. quomodo possint exerceri, circa idem materiale obiectum.

Respondent alij quorum meminit Palud. in 3. d. 15. q. 1. qui asserunt potuisse consistere gaudium beatitudinis cum tristitia, & dolore, quia gaudium erat in potentia animæ rationalis, dolor vero, & tristitia erat in parte sensitiua, sed hæc responsio peccat in eo, quia supponit non fuisse dolorem in parte rationali, contra id quod scribitur in præsenti capite cum dicitur quod filius patiebatur in omnibus membris, & in corde, ac in anima, & hoc etiam repugnat communi sententia Scholast. in 3. d. 15. & 16. & Patribus etiam, qui admittunt dolorem in parte rationali, vt Damasc. libr. 3. de fide

cap.

cap. 23. & 26. Ambrof. libr. 2. de fide cap. 2. Respondet 4. D. Thom. 3. p. q. 46. art. 7. & 8. potuisse simul consistere dolorē, & gaudiū, quia hoc erat in parte superiori animæ rationalis, dolorem in parte inferiori, sed hæc responsio optime videtur impugnata ab Henrico, quoniam ratio superior, & inferior sola ratione distinguntur, remanet ergo eadem difficultas quomodo duo actus contrarij possint manare ab eadem potentia, deinde etiam, vt probat Scotus in 3. dist. 15. qu. 1. negare non possumus in parte superioris animæ fuisse multa obiecta doloris, & tristitiæ. v.g. dolor de interitu iudæorum, de exiguo fructu passionis, & de grauitate peccati. His positis quid in re difficillimo sentiendum sit, ignorare me ingenue fateor, duo tamen pro ingenioli mei imbecillitate afferam, quibus legenti propositæ dubitationis soluendæ aditus patere poterit, dico ergo gaudium, & dolorem esse quidem passiones pugnantes ex suo genere, posse tamen Deum aliquid supplere per quod non repugnet eas simul esse, sicut si in naturalibus Deus a qualitatibus actiuis circumscribat vim agendi, non repugnaret eas esse simul in eodem subiecto: secundum totam intensionem saltem rationæ actiuitatis, ergo sicut Deus facere potuit, vt eadem Christi voluntas esset comprehensoris, & viatoris, sic facere potuit, vt eadem Christi voluntas diuersa ratione haberet gaudium, & dolorem, cum vnum pertineat ad comprehensorem, alterum ad viatorem: Dico secundo ex D. Thoma in quæst. de potentijs animæ art. 10. ad septimum, quod sicut potest esse in intellectu assensus, & disensus respectu diuersorum, sic in eadem voluntate tristitia, & gaudium, & sicut vnus assensus potest esse causa alterius, sic vna volitio causa alterius volitionis, vt quia diligo vitam amo abstinentiam, & quia diligo vitam odi abstinentiam, quia primo eam concipio, vt vitæ proficuam; secundo vero, vt vitæ laboriosam, & nociuam, sic Christus, quia diligebat Deum, & vidit a Deo passionem esse volitam, & esse redemptionis pretium, & medium ad suam glorificationem, de illa gaudebat, & rursus, quia Deum diligebat, & videbat illam mortem non executuros iudæos sine peccato, de illa dolebat, & sic patet quomodo de eadem re possit esse tristitia, & gaudium.

2 Congregati Angeli etiam quasi turbari videbantur, cum viderunt Deum in humanitate pati in terra.

In superiori nota indicauimus tristitiam, & dolorem cum statu beatifico pugnare, & ideo legimus hic sanctos Angelos de passione Domini non absolute, sed quasi fuisse turbatos, tum quia cum ipsi voluntati diuinæ, ac iustitia penitus, conformarentur, omnino credendum est ab his quoque etiam Christi passionem fuisse volitam, nec doluisse de ea, quatenus per illam a Dæmonis seruitute genus liberatum humanum, eorumque per malos Angelos relictæ vacuæ sedes reparabuntur; atque hinc patet, eos propriæ non doluisse, nec inde tristitiam hausisse, est enim tristitia, vt tradit D. Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 7. de his quæ nobis nolentibus accidunt, dicuntur autem hoc loco, quasi turbati Angeli, quia se habuerunt per modum compatientis, ac condolentis cum Christo, videntes illum, tot tantisque flagellis, ac doloribus cruciari vnde Lucæ 22. legimus apparuisse Angelū, & Saluatorem confortasse, quam confortationem fuisse arbitror per modum compatientis, & condolentis, vel etiam lenientis, & mitigantis tristitiam, vel vt auctor est Theophilatus per modum exaltantis, & glorificantis eum: non ergo mirum est si hoc loco Angeli quasi turbati dicantur, cum Isaias cap. 33. eos fleuisse dixerit, Angeli inquit pacis amare flebunt, hoc enim fortasse dixerat Propheta, videns in spiritu Angelos debuisse condolere, ac compati Christo patienti, licet secundum litteralem sensum hoc videtur intelligi de nuntijs Ezechiæ, qui fleuerunt propter verba Rapsacis, vt annotauit Liranus ibidem, vel secundum alegoricum sensum Angeli pacis sunt Apostoli, & concionatores, alijque Religiosi viri, qui quotidie flent pro peccatis hominum.

MATER DEI DICIT, quod ipsa est similis alueario apum, quia illa benedicta apis scilicet Dei filius repleuit eam melle dulcissimo, quando descendit in vtero eius, sic copiose, quod ex illa dulcedine omnis sapor venenatus a nobis sublatus est.

CAP. XII.

BEATA VIRGO loquitur ad sponsam dicens. Sponsa filij mei tu salutabas me, & comparabas alueario apum. Ego certe fui apiarium; nam corpus meum fuit quasi lignum solum in vtero matris, antequā animæ coniungeretur. Fuit etiam corpus meum post mortem meam, quasi lignum separata anima, vsquequo animam meam Deus in corpore ad deitatem sublimauit. Hoc lignum factum est aluearium, quando illa

illa benedicta apis filius Dei traxit se de Cęlis, & Deus viuus descendit in corpus meũ. In me deniq; fuit quidam dulcissimus, & subtilissimus fauus, qui præparatus erat omnibus modis, & accessionibus ad suscipiendum suauissimum mel gratiæ spiritus sancti. Hic fauus tunc impletus est, quando filius Dei venit in me cum potentia, & charitate, & honestate. Venit cum potentia, quia dominus, & Deus meus erat. Venit cum charitate, quia pro charitate, quam ad animas habuit, carnem assumpsit, & crucem. Venit cum honestate, quia omne peccatum Adæ, segregatum fuit a me. Vnde filius Dei honestissimus, honestissimam carnem assumpsit. Sed sicut apis aculeum habet cum quo tamen non pungit nisi inuita. Sic filius meus habet seueritatem iustitiæ, quam tamen non exercet, nisi quando est a peccatis prouocatus, huic api male retributum est. Nam pro potentia, traditus est in manus iniquorum. Pro charitate datus est in manus crudelium. Pro honestate nudatus est, & immisericorditer flagellatus. Benedicta ergo sit apis illa, quæ de ligno meo fecit tibi apiarium, & impleuit illud melle suo sic copiose, vt de dulcedine mihi data, sapor ille venenatus de ore omnium auferretur.

CHRISTVS Monet sponsam, quòd omne tempus dispenset secũdum voluntatem Dei, nec aliquid faciat, nisi quod Deo placere credat, & quòd semper habeat voluntatem standi in seruitio Dei, & mentem iugiter eleuet ad cœlestia, corpusquoque suum fatiget in præsenti taliter, quòd possit resurgere ad futuram gloriam.

CAP. XIII.

LOquitur filius ad sponsam. Tu debes habere tria. Primo non ire nisi ad voluntatem meam. Secundo non sedere nisi ad honorem meum. Tertio non stare debes nisi ad vtilitatem sponsi. Tunc autem vadis ad voluntatem meam quando omne tempus tuum dispensas ad voluntatem meam. Quando nec comedis, nec dormis, nec aliud quicquam facis, nisi sicut Deo placere intelligis. Stas autem firmiter cum voluntatem habes stare in seruitio meo. Sedes vero tunc quando mentem tuam iugiter ad cœlestia eleuas, considerando qualis sit gloria sanctorum, & vita sempiterna. His ergo tribus alia tria debes addere. Primo debes disposita esse sicut Virgo desponsanda, quæ cogitat sic apud se. Omnia quæ possum de bonis patris mei, quæ casura sunt congregabo mihi ad sponsum meum cum quo debeo esse in necessitate, & aduersitate.

Sic & tu facere debes, quia quasi pater tuus corpus tuum est, ab hoc enim omnem laborem quem poteris in pauperes, & alia bona exigere debes, vt mecum quasi cum sponso lætari possis, quia corpus tuum casurum est, nec ei parcendum est in præsenti, vt in futuro resurgat ad meliorem vitã. Secundo cogita tecum sicut bona vxor cogitat secum, si vir meus diligit me, cur debeo sollicitari, si pacificus est mihi, quem tunc habeo timere? Ideo ne irascatur mihi, exhibebo ei omnem honorem, & stabo semper ad voluntatem eius. Tertio cogita tecum, quod sponsus tuus est æternus, & ditissimus, cum quo habebis honorem perpetuum, & diuitias æternas, & ideo noli diligere casura, vt possis obtinere æternaliter permansura.

CHRISTVS DECLARAT sponsæ qualiter ipse fecerat per Angelum eam more paruuli enutriri in vita spirituali, & virtutibus, iterum recomendat eam Angelo. Narrat etiam qualiter sancta deceptione deduxit eam de mundo ad quietis portum, & pręcipit, quòd omnes tentationes reuelet suis patribus spiritualibus, & habebit finem perfectum.

CAP. XIIII.

QVidam Angelorum loquebatur ad Dominum dicẽs. Laus tibi sit domine mi ab omni exercitu tuo, pro omni dilectione tua. Tu assignasti custodiæ meæ hanc sponsam hic stantem, ecce ipsam iterum tibi reassigno, ego enim alliciebam eam ad te quasi paruulam, primo dando pomum, deinde comesto pomo primo dixi ei. Sequere me filia amplius, & dabo tibi vinum dul-

dulcissimum, quia in pomo non est nisi modicus sapor, in vino vero dulcedo, & animæ exultatio. Gustato autem vino dixi ite rum ad eam. Procede adhuc vlterius, & dispono tibi quod est in æternum, in quo est omne bonum. His dictis dixit dominus ad sponsam. Verum est, quod seruus meus te audiente loquebatur. Ipse vtique quasi per pomum alliciebat te tunc ad me, quando cogitabas tecum omnia esse a me quæ habebas, & regratiabaris mihi soli pro eis, quia sicut in pomo non est, nisi quidam sapor, & modica satietas. Sic tunc temporis non multum sapiebat tibi charitas mea nisi quasi quidam sapor cogitationis Dei esset in corde tuo. Tunc vero vlterius processisti quando cogitasti tecum sic. Gloria Dei est æterna, & mundi lætitia nimis breuis, & in fine mundi nimis inutilis. Quid mihi prodest, quod ista temporalia sic diligam? Ex tali cogitatione cœpisti viriliter abstinere a delectationibus mundi, & facere bona quæ poteras in nomine meo. Et tunc quasi desiderio affecta vini amplius me sitisti. Deinde cum cogitasti me esse omnipotentem dominum, a quo est omne bonum, & reliquisti voluntatem tuam faciendo meam, tunc iure facta es mea, & consensi in te, & feci te esse meam. Quo dicto, dixit Dominus ad Angelum. Serue meus tu diues es in me, honor tuus est æternus, ignis charitatis tuæ inextinguibilis, virtus mea indeficiens, tu assignasti mihi sponsam meam, sed volo, quod custodias eam adhuc, donec venerit ad ætatẽ. Custodi eam ne diabolus aliqua incaute sibi obijciat. Prouide sibi vestes virtutum, vestes totius pulchritudinis. Ciba eam verbis meis, quæ sunt tanquam carnes recentes quibus sanguis melioratur. Caro infirma conualescit, & delectatio bona in anima excitatur. Ego enim feci isti sicut aliquis solet facere amico suo, quem pro charitate, & bono suo captiuat, dicit enim ei captiuans. Amice ingredere in domum meam, & vide ibi quæ aguntur, quæ tibi sunt facienda, quo ingrediente, non ostendit ei captiuator vilissimos serpentes, & ferocissimos leones, qui habitant in domo, ne terreatur amicus, sed in cõsolationem amici, facit serpentes videri quasi sint oues mansuetissimæ, leones quasi oues pulchras, dicens amico suo. Amice scito, quod diligo te, & pro bono tuo captiuaui te. Ideo quæcunq; videris dic amicis meis, ipsi enim custodient te, & cõsolabuntur te. Ita quod melius placebit tibi captiuitas mea, quam propria libertas tua. Sic filia dilecta simili modo feci ego tibi. Ego enim quasi captiuaui te, cum a dilectione tua reuocaui te ad amorem meum. Cum a mundi periculis vocaui te in hunc quietis portum, in quo quos tu putas esse virgines per continentiam, veraciter leones sunt per malitiam. Quos tu credis oues per diuinam contemplationem, hi quasi serpentes gradiuntur in ventre gulæ, & cupiditatis. Ideo quæcunque videris, & audieris non ad alium referas, sed ad amicos meos qui te custodiunt, & instruunt, quia spiritus qui te duxit ad portum, ipse te ducet ad patriam, & qui te duxit ad principium bonum, ipse te ducet ad meliorem finem.

CHRISTVS DICIT sponsæ, quod prælati, & litterati, qui de scientia gloriantur, & ditantur, & male viuunt, comparantur meretricibus, & potatoribus vini qui seipsos, & alios in peccatis præcipitant, cum tamen deberent esse
1 v. l. magis virtuosi quàm alij. 1 Occurret tamen cum misericordia omni se conuertenti sicut pater adepto filio.

CAP. XV.

Ille prælatus pro quo tu oras. Iam auertit oculos suos a me, & vertit se ad mundum cum ornatu dignitatis suæ. Si enim vellet esse meus respiceret me quotidie, legeret librum meum attentius, & non sic sollicite cogitaret in lege quæ dicitur Ecclesiæ. Cui illa respondit. Nunquid non domine mi est lex tua lex Ecclesiæ? Et Dominus respondit. Lex mea erat quamdiu mei legerunt eam, & propter me legebatur. Nunc autem non est mea, quia legitur iam in domo taxillatorum, qui tres punctos super vnum taxillum iaciunt, quia pro modica iustitia, quam in lege Ecclesiæ inueniunt magnam summam pecuniæ acquirunt. Nec legitur iam pro honore meo, sed ad finem illum quomodo pecunia acquiratur. In domo autem ludentium ad taxillos sunt meretrices, sunt potatores vini. Tales nunc legunt legem meam. Tales nunc nominantur scientes, sed vere sunt insipientes.
2 2 Quid enim facere solet meretrix. Vtiq; solet esse procax in verbis, leuis in moribus, pulchra facie, ornata vestibus.

Tales

Tales sunt iam qui legunt, & addiscunt legem meam. Scurrilitas est in verbis eorum nunquam aperitur os eorum ad prædicationem meam, nunquam ad laudem meã. Leues sunt in moribus, ita quod etiam sæculares erubescunt de moribus eorum, nec solum seipsos præcipitant, immo secum alios exemplo suo trahunt. Ipsi nihil affectant nisi videri a mundo, & laudari, honesti, & honorati incedere vestibus suis, diuitias, & honores acquirere verba mea, & præcepta sunt eis amara, vita mea, & via est eis abominabilis. Veræ conuersatio eorum, & vita sic fœtet in conspectu meo sicut meretrix. Quia sicut præ alijs mulieribus vilior, & abiectior videtur meretrix, sic ipsi præ alijs sunt mihi odiosi, dicunt enim, & gloriantur se scire legem, sed aliorum deceptionem, & suam voluptatem. In domo etiam mea vbi lex legitur sunt potatores vini, & incontinentes, quorum gloria est præ alijs excedere, & naturam ad superflua irritare. Tales nunc sunt magistri legis, qui gaudent ad superflua, de excessibus suis modicum verecundantur, de aliorum peccatis minime contristantur. Veruntamen si bene legerent legem meam inuenirent se præ alijs debere esse contentiores, præ alijs ad bene viuendum obligatiores. Ego autem sum quasi potens dominus, amans multarum ciuitatum oues, qui quamuis potens est, non tamen recipit alicuius alterius ciuitatis oues nisi quas
3 tenetur ex iustitia habere. 3 Sic ego qui omnium Creator sum, & potentissimus. Non tamen recipio aliquos, nisi quos teneor ex iustitia habere, & quæ ex charitate cognoscunt se esse meos. Veruntamen quicunque a me errauerit, & ad me redire voluerit, & vocem meam audire, saluari potest. Nunquid non ouis vagabunda a proprio grege alteri mixta si audit balatum matris festinanter currit ad matrem? Et similiter cum mater audit vocem partus sui, toto conatu currit in occursum eius. Ita quod si potestate libera est, non obstat labor,
4 non pœna, quin currat. 4 Sic ego
v.l. omnium creator libenter suscipio eum, qui vocem meam audit, & gaudenter occurro, & tanquam pater exultans de adepto filio perdito, & quasi mater gaudens de deductione agni sui.

Declaratio.

Hic fuit præpositus Ecclesiæ Sancti Petri, & postea Cardinalis, de quo filius Dei loquitur. Multi qui sunt fors Dei, & eleemosynarij Dei thesaurizant alienis dona Dei, quia clericus qui fors Dei est, quicquid habet vltra victum, & vestitum, & necessaria, non suum est, sed pauperum. Ideo fœlix est, qui colligit in æstate vnde viuat in hyeme. Ecce enim sicut vides quam auide dispergunt parentes, quæ congregauit iste, non curantes animam eius. Veruntamen quia ipse habuit bonam voluntatem distribuendi bona sua, peruenit ad id quod desiderabat tamen multo fœlicior fuisset si sua bona erogasset.

NOTAE.

1 IN argumento capitis ad finem, vbi hactenus impressi codices legunt, occur-
v.l. res tamen cum misericordia omni se conuertenti sicut Pater adepto filio.

M. S. habet sicut Pater exultans occurrit adepto filio.

2 Quid enim facere solet meretrix, vtique solet esse procax in verbis, leuis in moribus pulchra facie, ornata vestibus, tales sunt, iam qui legunt, & addiscunt legem meam.

Christus Dominus hoc loco malos Doctores meretricibus similes facit, quæ similitudo, vt legentibus palam fiat, in memoria reuocanda sunt duæ illæ meretrices, quas coram Salomone 3. Reg. 3. contendisse legimus, quarum altera filium suum vigilans lactare consueuerat, dormiens vero occiderat, atq; huic prauum doctorem comparari posse crediderim, qui, etsi scientia vigilat, vita tamen dormit, quamuis auditores per vigilias prædicationis nutrit, sed dum quod dicit facere negligit, per somnũ corporis interimit, & negligendo opprimit, quos alere verborum lacte videbatur. & idcirco legimus de his, hoc loco vere conuersatio eorum sic fœtet in conspectu meo, sicut meretrix, quæ sicut præ alijs vilior, & abiectior videtur, sic ipsa præ alijs sunt mihi odiosi, dicunt enim, & gloriantur se scire legem, sed ad aliorum deceptionem, & suam voluntatem, sed hac de re legendus est D. Gregor. Magnus lib. 21. Moral. cap. 8. vbi hanc similitudinem egregie explicat.

3 Sic ego, qui omnium creator sum, & potentissimus non tamen recipio aliquos nisi quos teneor ex iustitia habere.

Cum

Cum inter Deum , & homines nulla ſit æqualitas immo infinita diſtantia , ſequitur quod , nec inter eos proprie poſſit eſſe commutatiua iuſtitia , quæ æqualitatem quandam exigit , immo ipſa iuſtitia æqualitas quædam eſt, vt probat Ariſt. quinto Ethicorum , hinc ergo dubitare merito quiſpiam poſſet, quomodo teneatur Deus , vt ſcribitur hic aliquos recipere ex iuſtitia , & quomodo nobis debitor factus eſt , dicendum ergo eſt , quod licet inter Deum , & creaturas non poſſit eſſe propriæ commutatiua iuſtitia , poteſt tamen eſſe aliquis modus iuſtitiæ poſito pacto , & ordinatione diuina , dicitur enim mereri ex iuſtitia homo, in quantum conſequitur per ſuam operationem mediante gratia Dei , id quod illi Deus eſt pollicitus, nimirum gloriam , & vitam æternam , ad hanc ergo ſic conſequendam requiritur pactum , & gratia Dei per quam homo potens ad operandum reddatur , & ſuppoſito pacto diuino factus eſt debitor Deus , primo ſibi ipſi , ſecundo implentibus ordinationem ſuam , vnde Paulus Apoſtolus, 1. ad Timoth. 2. ſcribit fidelis Deus ſe ipſum negare non poteſt , & hinc eſt , quod in Sacris litteris, operibus noſtris mercedem eſſe repoſitam legimus , & Regnum Cœlorum merces dicitur Hyerem. 3. quieſcat vox à lacrymis , quia eſt merces operi tuo , & Pſal. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes propter retributionem Matt. 20. voca operarios , & redde mercedem, Roman. 2. reddet vnicuique ſecundum opera ſua , ſed hoc ipſum egregie explicat Sacrum Concilium Trident. ſeſſ. ſexta cap. 16. & Chriſoſt. hom. 3. in Matthæum , Ciprianus ſerm. de opere , & clementia , Petrus Chriſologus ſerm. 25. Auguſtinus in pſalm. 83. vbi exponens locum illum, 2. ad Timotheum 4. repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet , &c. quod ait reddet , quod tibi debet ? vnde tibi debet? quod illi dediſti ? debitorem ipſe ſe fecit , non accipiendo , ſed promittendo , atque ita eſſe explicanda cenſeo verba præſentis notæ in quibus indicatur, Deum nobis eſſe debitorem , & ex iuſtitia nos recipere in gloria .

3 var. lect. *In impreſſis vbi legimus* ſic ego omnium creator libenter ſuſcipio eum , qui vocem meam audit , & gaudenter occurro , & tanquam pater exultans de adepto filio perdito , & quaſi mater gaudens de deductione agni ſui .

Farneſianus codex M. S. habet ſic ego omnium Pater gaudenter occurro redeunti , & audienti vocem meam exultans de filio perdito adepto , & quaſi mater gaudens de reditu agni .

QVIDAM Sanctus dixit ſponſæ , quòd etiam ſi homo ſemel quotidie moreretur pro Deo , non ſufficienter regratiari Deo pro gloria æterna. Narrat etiam pœnas terribiles quas quædam fœmina defuncta pro delectatione carnis in qua vixerat patiebatur in omnibus membris .

CAP. XVI.

QVidam ſanctorum loquebatur ſponſæ dicens . Si pro qualibet hora qua in mundo vixi vnam mortem pro Deo ſuſtinuiſſem, & ſemper iterũ reuixiſſem , nunquam cum toto hoc plene poſſem regratiari Deo pro charitate ſua , quia laus eius nunquam recedit ab ore meo, gaudium nunquam exit ab anima mea , gloria, & honor nunquam fraudatur à viſu , exultatio nunquam abeſt ab auditu meo . Tunc dominus ait ad eundem ſanctum . Dic inquit iſti ſponſæ aſtanti , quid merentur illi , qui de mundo plus curant , quam de Deo, qui creaturam plus diligunt quam Creatorem , & quale ſupplicium nunc illa fœmina habet , quæ in mundo dum viueret in voluptate tota vixit . Reſpondit ille ſanctus , ſupplicium eius grauiſſimum eſt , nam pro ſuperbia quam in omnibus membris habuit , caput eius , & manus. & brachia , & pedes, quaſi fulmine horrendo inflammantur . Pectus eius pungitur quaſi pelle ericij , cuius ſpinæ quaſi carni eius infiguntur, & inconſolabiliter pungendo premunt. Brachia, & reliqua membra quæ ipſa ad amplexeum hominis tam ſuauiter extendebat , ſunt quaſi duo ſerpentes, qui circumuoluuntur ei , & inconſolabiliter deuorando laniant eam, & in laniando non fatigantur . Venter eius ſic miſerabiliter torquetur , ac ſi naturali membro eius palus eſſet acutiſſimus infixus , & toto conamine fortiſſime impelleretur , vt amplius ingrederetur . Crura eius, & genua ſunt quaſi glacies duriſſima, & inflexibilis, nihil habentia de requie nihil de calore . Pedes quoque eius , quibus ad delectandum ſe ferebat , & alios ſecum traxit ſtant quaſi per nouacula acutiſſima ſecantia inceſſanter .

Declaratio.

Hæc domina multum abhorrens confessiones, sequensque voluntatem propriam, præuenta tumore gutturis sine confessione mortua est. *Hæc* visa est stare in iudicio *Dei*, quam omnes dæmones accusabant clamantes, ecce mulier abscondere se voluit a te *Deus*, nobis autem cognita fuit. *Respondit* iudex, confessio est optima lotrix, propterea quia se lauare noluit tempore suo, denigrabitur ammodo immunditijs vestris, & quia seipsam confundere noluit coram paucis, iustum est, vt confundatur ab omnibus coram multis.

MATER DEI DOCET sponsam qualiter resistendo respondeat diaboli suggestionibus cupiditatis, & amicitiæ mundialium, & luxuriæ, qualiter etiam anima quæ est coniuncta Deo per charitatem licet inquietetur per cogitationes varias si tamen resistit non imputantur ei ad peccatum, sed ad meritum, & coronam.

CAP. XVII.

MARIA loquebatur ad sponsam. *Si* filia inimicus tuus blanditur tibi in delectatione bonorum temporalium, responde sibi. Inimice tu nihil creasti, ideo nihil dare potes, & etiam si possis citius casura sunt, & finitura. Si vero blanditur tibi in amicitia mundialium, dic sibi. Amicitia mundi finitur cum ve. Si autem blanditur tibi cum voluptate carnis. *Responde* sibi hanc nolo habere, quia in fine est quasi venenum, & cum dolore terminatur. Tunc in ipso momento videbatur diabolus. *Cui* dixit beata virgo. *Dic* ista audiente vbi est quod creasti? Respondit dæmon. Nihil ego creaui, quia creatura fui bona, & a me ipso malus. Tunc iterum beata virgo dixit. Nunquid aliquando amicitia tua terminum habuit foelicem, & cum gaudio? *Respondit* dæmon. *Nunquam* fuit hoc, & nunquam erit. *Tertio* ait beata virgo, responde & dic *Nunquid* aliquando voluptas tua bonum finem habuit? Et dæmon. *Nunquam* habuit bonum finem, & nunquam habebit, quia in malo incipit, & ad malum tendit. Tunc dæmon subiunxit ad virginem. Tu virgo da mihi potestatem super istam. *Et* virgo quare non recipis eam in potestatem tuam. Et dæmon. *Non* inquit hoc possum, quia duplicem sanguinem in vno vase commixtum, ego non possem separare, & diuidere, quia sanguis charitatis Dei est mixtus sanguini charitatis cordis eius. Tunc iterum ait beata Virgo. *Quare* non permittis eam esse in sua quiete? *Respondit* dæmon. *Hoc* nunquam faciam, quia si non potero interficere eam per mortale peccatum, tunc apponam curam, vt flagelletur pro veniali peccato, Et si non potero hoc perficere, tunc in fimbriam eius iaciam palliurium meum, quem vt euellat multipliciter inquietabitur. *Hoc* est diuersas cogitationes cordi eius immittam, a quibus vndique perturbabitur. Tunc virgo ait. Ego volo adiuuare eam. *Quoties* enim ipsa euellit eas, & in frontem tuam proijcit, toties dimittetur sibi peccatum, & corona eius, & præmium augmentabitur.

Declaratio.

Quadam die tentabatur domina Brigitta de castrimargia, tunc rapta in spiritu vidit Ethiopem habentem in manu quasi bucellam panis, & iuuenem quendam habentem vas deauratum. Tunc dixit iuuenis Ethiopi, Cur sollicitas eam, quæ tradita est custodiæ meæ? *Respondit* Ethiops, quia gloriatur de abstinentia, quam non habuerat, ideo porrigo ei bucellam meã, vt dulcescant ei grossiora. *Nam* Christus vester ieiunauit quodam tempore nihil comedens, prophetæ quoque comederunt panem, & biberunt ad mensuram, ideo promeruerunt sublimia. Et quomodo ista merebitur, quæ semper sentit satietatem? *Respondit* iuuenis. Christus docuit ieiunare ne debilitetur corpus, nec quærit impossibilia naturæ, sed moderantiam, nec quærit qualia, & quanta quis sumit, sed quali intentione sumit, & charitate, quia consuetudo educationis bonæ cum gratiarum actione tenenda est, ne caro grauius infirmetur. Post hæc disparuit diabolus, & domina liberata est a tentatione.

Digitized by Google

CHRISTVS DICIT SPONSAE, quòd religiosi, & alij spirituales recipientes consolationes Spiritus sancti, qui non humiliter regratiantur Deo, sed vilipēdunt gratiam, & superbiunt ex ea, & delectantes se in mundo attediantur de vita spirituali assimilantur ingrato pauperi sitienti, qui postquàm gustat potum proijcit illum cum contumelia in oculos datoris.

CAP. XVIII.

QVidam sunt quasi homo indigens, & sitim patiens. Cuius paterfamilias audiens dat ei potum quem habet optimum, accepto autem potu, & gustato dicit. Non placet mihi potus iste, nec regratior tibi pro eo, & proijcio potum in oculos datoris, faciens ei contumeliam pro charitate. Accepta autem tali contumelia paterfamilias, quia mitis est cogitat apud se. Ecce hospes meus magnam iniuriam mihi fecit, sed nolo me vindicare de illo, antequam ambo venerimus ad iudicem, & tempus iudicij fuerit, & tunc abstergit a facie sua, & fronte maculam, & desiccat. Sic faciunt mihi nunc multi religiosi, ipsi enim in paupertate sua, & despectione, & contrarietate mundi clamant ad me, & dicunt. Domine vndique nobis despectio, & tribulatio est, da nobis aliquam consolationem. Tunc ego ex misericordia mea magna compatior eis, & do eis vinum optimum, idest Spiritum sanctum, cuius dulcedo replet animas eorum. Cuius ardor non facit eos curare de despectione, & paupertate. Gustata autem gratia spiritus mei, & ad tempus habita vilipendunt hoc, nec regratiantur mihi, sed proijciunt illud in faciem meam quando deliberant, & optant magis esse cum mundo, & quando ex gratia quam habent intumescunt. Sic etiam ille mihi nunc facit quem tu nosti. Qui cum esset pauper, & destitutus consolabar eum spiritu meo. Cum esset despectus, non habuit animo exultationem, ego souebam eum gaudio meo, quia licet non quasi voce corporis loquar, vel verba mea non aperte audiantur, tamen spiritus meus in electis meis occulta inspiratione monet eos ad faciendum bona, & incitat confortando ad meliora. Sed ille gustato spiritu meo, & accepta gratia consolationis meæ, quasi nihil reputat quæ dedit ei, & iam in faciem meam proijcere deliberat potum meum, attamen non eum proijcit. Vide hic, & considera quam patiens, & misericors sum ego, quia non solum patienter suffero eum, sed & pro ingratitudine rependo ei bona. Nam maiorem nunc quam prius ab hominibus habet honorem, & beneuolentiam, & sufficientius nunc solito impenduntur ei necessaria, sed ipse minus pro his quam prius deseruit mihi. *Gratiam* meam habet pro nihilo, & dilectionem nullius reputationis. *Sic* autem stat quasi homo deliberans secum, vt potum proijciat in oculos datoris, quia mundus quem reliquit plus delectat mentem eius quam ego. Onerosa videntur ei assumpta, tedio habetur vita spiritualis. *Hæc* vt melius probes satis ostendit tibi odor immutatus. Quamdiu enim mihi toto corde seruiuit, & se ad me feruentius applicuit, fragrantia quædam suauis sentiebatur in vestibus eius. Nec mirum, quia Angeli virtute pleni amicos Dei circundant quotidie, & protegunt. Nunc autem immutata voluntate immutatus est odor, & talis odor nunc sentitur, qualis mentis est intentio, & voluntas. Quid autem ego facturus sum, cum potus meus in faciem meam proijcitur? Vere abstergam eum quasi homo mitis, & sufferam patienter vsquequo tempus iudicij mei venerit, & generale placitum, vt tunc omnibus appareat ingratitudo, & præsumptio contumeliosi, & patientia Domini sufferentis demonstretur.

Declaratio.

Hic fuit monachus Monasterij Sancti Pauli, qui compunctus quieuit bono fine.

CHRISTVS CONQVERITVR de hominibus qui delectātur in temporalibus delicijs deſpicientes futuram gloriam, & beneficia paſſionis eius quorum oratio aſsimilatur voci cannæ, & voci colliſorum lapidum, & tales damnabuntur, & tunc videbunt gloriam Dei intra cœlum, & ſupra, & infra, & extra, & in omni loco ad confuſionem meam.

CAP. XIX.

Hic quem tu noſti cantat.,
Eripe me domine ab ho-
mine malo. *Hæc* vox eſt
in auribus meis quaſi vox
de fiſtula, & quaſi ſonus
cannę vox labiorū eius eſt
quaſi ſonus duorū lapidū
colliſorum, Quis poterit reſpondere ad ſonitum eius, cum quid figuratur ignoratur.
Eius enim cor quaſi cum tribus vocibus
clamat ad me. Prima dicit. *Ego* volo habere voluntatem meam, dormiam, & ſurgam cum mihi placet, verba placita erunt
in labijs meis. Quod delectat, & dulce eſt,
intrabit in os meum. Parſimoniam habere non curo, ſed quæro ſatietatem naturæ,
& quod appetit ſufficienter dabo ei. Pecuniam deſidero in burſa. Molliciem veſtiū
in dorſo, cum hæc habuero tunc habeo gaudium meum, & quod deſidero, hoc enim
reputo fœlicitatem. Secunda vox eius clamat, & dicit. *Mors* non eſt ſic dura, vt dicitur, iudicium non eſt tam ſeuerū, vt ſcribi
1 tur, 1 minantur enim prædicatores plura,
var. & duriora propter cautelam, ſed reddenlect. tur minora propter miſericordiam. Ideo
ſi habeo voluntatem meam in præſenti, delectabile eſt mihi, & optimum, anima autem vadat vbi poſſit. Tertia autem vox
clamat, & dicit. *Deus* non me creaſſet,
niſi vellet dare mihi cœleſtæ regnum. Non
paſſus fuiſſet niſi vellet introducere in patriam. Et quare tam amaram pœnam pati voluit? Quis compulit eum, aut quę inde
vtilitas? quomodo ſcire poſſim cœleſtę regnum, non intelligo niſi ex quodam auditu?
Bonitatem non video, vtrum credendum ſit
an non? neſcio, ſi voluntatem meam haberem hoc gaudium ſcio, & hoc haberem pro
cęleſti regno. Ecce talis eſt cogitatio eius,
& voluntas, propterea quaſi ſonus lapidum
vox clamoris eius ſonat in auribus meis,
ſed ad primam vocem cordis eius reſpōdeo
ei. Amice via tua non eſt ad cęlum, nec cogitatio paſſionis meæ ſapit tibi, ideo aper
2 tus eſt tibi infernus, quia 2 vita tua diligit
var. infima, & vita tua tendit ad inferiora. Ad
lect. ſecundam vocē reſpondeo tibi. Fili mors
venit tibi dura. Iudicium erit intolerabile.
Impoſſibile erit tibi fugere, pęnam amarā
habebis, niſi te emendaueris. Ad tertiam
3 vocem cordis tui reſpondeo tibi. 3 Frater
var. omnia quæ ego feci ex charitate, feci pro
lect. te, vt eſſes mihi ſimilis, & auerſus redires
ad me. Nunc autem charitas mea extincta
eſt in te, opera mea oneroſa ſunt tibi, verba
mea videntur tibi fatua, via mea difficilis.
Ideo reſtat tibi ſupplicium amarum, & ſocietas dæmonum, niſi cor tuum mutaueris
ad meliora. Tu deniq; vertis ad me piiſſimum dominum, & Creatorem tuū dorſum,
& non faciem. Diligis inimicum meum in
4 contemptum meum. 4 Calcas ſub pedibus
ſigna mea, & erigis audacter ſigna inimici.
Ecce qui videntur eſſe mei quomodo ſtant
coram me. *Ecce* quomodo auerſi ſunt. Hæc
autem ego video, & patienter tolero: Sed
tamen ex duritia adhuc nolunt attendere,
quid feci pro eis, & quomodo ſteti ante
eos. Ego enim ſteti ante eos tripliciter. Primo quaſi homo cuius occellos acutiſſimus
cultellus penetrabat. Secundo quaſi homo,
cuius cor gladio perforabatur. Tertio quaſi homo cuius membra omnia deriguerunt
præ amaritudine inſtantis paſſionis. Sic ſteti ante eos. Quid autem ſignificat occellus niſi corpus meū, cui ſic erat amara paſſio, quaſi dolor, & punctura occelli, nihilomi
5 nus tamen eā ex charitate patiebar. 5 Quid
vero ſignificat gladius niſi dolorem matris
meæ, qui plus afflixit cor meum quam dolor proprius. Tertio omnia interiora mea,
& membra contremuerunt in paſſione. Sic
ſteti ante eos, & talia paſſus ſum pro eis?
Sed hæc omnia contemnunt, hæc omnia negligunt, ſicut filius negligens matrem ſuā.
Nunquid ego ſicut mater fui eis, quæ habens in vtero filium, optat in hora partus,
vt procedat infans viuus de vtero, & ſi conſequitur baptiſmā non curat de morte ſua?
Sic ego feci homini. 6 Ego quaſi mater peperi hominem de tenebris inferni paſſione
mea ad diem perpetuum. Ego portaui eū
quaſi in vtero cum magna difficultate.
Cum omnia quæ prophetata erant compleui. Ego paui eum cum lacte meo, quādo verba bona oſtendi, & vitæ præcepta dedi. Sed
ipſe homo quaſi malus filius negligens dolorem matris, contemnit me pro charitate
& exaſpe-

& exaſperat, facit mihi pro dolore veteri ploratum, ſuperaddit vulneribus meis infirmitatem, porrigit mihi pro eſuriæ lapides: Pro ſiti ſatiat me luto. Quis eſt autem dolor iſte quem facit mihi homo, cum imperturbabilis, & impaſſibilis ſim in æternum manens Deus? Vere tunc facit mihi homo quaſi dolore quando per peccatū ſe ſeparat a me, non quod aliquis dolor in me cadere poſſit, ſed ſicut alius pro alterius caſu dolere ſolet, faciebat autē homo tunc mihi dolorem, quando neſciebat quid erat peccatum, & quàm graue, quando non habuit prophetas, nec legem, nec adhuc audierat verba oris mei. Nunc autem facit mihi ſuper dolorem quaſi quendam ploratum licet immutabilis ſim; quando cognita charitate mea, & voluntate mea, facit cōtra mandata mea, & audacter peccat contra rationem conſcientiæ ſuæ. Et quo multi nunc profundius deſcēdunt ad infernum per cognitionem voluntatis meæ, quam ſi mandata non obtinuiſſent, faciebat etiam homo mihi quaſi quædam vulnera, licet ego Deus vulnerari non poſſem, quando peccatum ſuper peccatum addebat. Nunc autem ſuper vulnera mea quaſi quandam addunt infirmitatem nociuam. Cum non ſolum multiplicant peccata, ſed gloriantur, & non compunguntur de eis. Dat inſuper mihi homo lapides pro pane, & lutum pro ſiti. Quid eſt panis quem deſidero niſi profectus animarum contritio cordis, deſiderium diuinum, & humilitas in charitate feruens? Pro his enim præſtat mihi homo lapides per cordis duriciam: ſatiat me luto per impœnitentiam, & vanam confidentiam. Contemnunt ad me reuerti per monitiones, & flagella, dedignantur ad me reſpicere, & charitatem meam perpendere. Propterea bene cōqueri poſſum quod quaſi mater peperi eos cum dolore paſſionis meæ in lucem, ſed ipſi magis volunt eſſe in tenebris. Paui eos lacte dulcedinis meæ, & paſci negligunt. Propterea audacter ad dolorem ignorantiæ addunt lutum malitiæ. Satiant me peccato, quem lachrymis vinitatum deberent reficere. Protendūt mihi lapides, cui morum protendere deberent dulcedinem. Ideo quaſi iuſtus iudex patientiā habens in iuſtitia, & in iuſtitia miſericordiam,
6 & in miſericordia ſapientiam, 6. exurgam tempore ſuo, contra eos iuxta merita eorum, & videbunt gloriam meam iuxta cœlum, & ſupra, & intra, & extra, & in omni loco, & in omnibus collibus, & vallibus: & etiam qui damnantur videbunt, & confundentur confuſione digna.

Declaratio.

Hic monachus Monaſterij Sancti Laurentij diſſolutus ab inimicis occiſus mortuus eſt, et in Eccleſia Sancti Laurentij ſepultus, Sanctus autem Laurentius viſus eſt loqui ad iudicem. Quid agit cum electis meis iſte gironagus, quorum corpora ſanguinem fuderunt pro te? Iſte vero monachus nonne dilexit voluptatem ſuam, & ſtatim viſum eſt corpus ſuum proijci de ſepulchro cum fœtore peſſimo, & horrore. Deinde iudex dixit ad animam quæ aſtare videbatur. Vade miſera ad incircunciſos, & abortiuos quos ſequebaris, quia noluiſti audire vocem patris tui, & ſic viſio diſparuit.

NOTAE.

1 var. lect. Minantur enim prædicatores plura, & duriora propter cautelam, ſed reddentur minora.

M. S. Farneſianus habet, ſed reddentur pauciora, & mitiora.

2 var. lect. Et aliquanto poſt, vbi in impreſſis habetur, vita tua diligit infima, & vita tua tendit ad inferiora.

Videtur corrigendum, vita tua diligit infima, & opera tua tendunt ad inferiora.

3 var. lect. Frater, omnia quæ ego feci, ex charitate feci, vt eſſes mihi ſimilis, & auerſus redires a me.

M. S. Farneſianus legit, & conuerſus redires ad me, hic autem notandum, quod cum ſcribitur ex charitate feci, vt eſſes mihi ſimilis; agi, vel de ſimilitudine in cœleſti gloria, ad quam per ſuam paſſionem Chriſtus effecit, vt homo ſubleuaretur, aut etiam de ſimilitudine morum, ac vitæ ipſius Chriſti, quam imitari debemus, quandoquidem omnis actio eius fuit inſtructio noſtra, & in hunc ſenſum explicat Gloſſ. interlinearis illud Gen. 1. fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, morum ſcilicet ſanctitate, & iuſtificatione, innocentia, & iuſtitia.

4 Calcas ſub pedibus ſigna mea, & erigis audacter ſigna inimici.

Per ſigna hoc loco intelligendum eſſe arbitror, crucem, paſſionem, & ſanguinem Chriſti, aut etiam Reſurrectionem, vel Aſcenſionem eius, & alia huiuſmodi, quæ Chriſtianus homo, tunc pedibus calcat, quando illa flocci faciens mundana ſectatur, & virtutibus poſthabitis, vitia amplectitur, de his autem ſignis in ſacris litteris plu-

ribus in locis mentio fit, vt Ionæ ſignum quod paſſionem Chriſti indicauit Matt. 12. Marci 8. Lucæ 11. ſignum ſerpentis ænei Num. 21. ſignum coccineum, quod ſuſpendit Acab in feneſtra Ioſue 2. ſignum in profundū inferni, ſiue in excelſum, Iſaiæ ſeptimo, ſigna etiam Dei, a quibus turbabuntur termini terræ pſal. 64. ſigna quæ miſit Deus in medio Aegypti pſal. 134. hæc & alia plura, quæ hoc loco poſſemus adducere, ſigna fuerunt Dominicæ Paſſionis Reſurrectionis, &c. quod etiam annotarunt Arnobius, & Baſil in pſal. 59. Origen. ſuper Ioſue hom. 3. & ſuper Iſaiam hom. 2. D. Hieron. ſuper Iſaiam cap. 7. & 19. & Ierem. cap. 4. D. Greg. 33. Moral. cap. 1. D. Aug. ſuper pſalm. 85. D. Ambroſ. ſerm. 55.

5 Quid vero ſignificat gladius niſi dolorem matris meæ, qui plus afflixit cor meū quam dolor proprius.

De gladio, cuius in præſenti nota ſermo fit, iam fuerat per Simeonem prophetatum, quod eſſet B. Virginis animam vulneraturus Luc. 2. & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vbi omnes communiter fatentur, gladium non propriæ, ſed methaphoricæ ibi accipi, vt etiam accipitur hoc loco, quod etiā annotarunt D. Ambroſ. & Beda, nec littera inquit
1 *Ambroſius, nec hiſtoria docet ex hac vita Mariā corporalis necis paſſione migraſſe, non enim anima materiali gladio tranſuerberatur. cæterum quid per gladium metaphoricæ intelligendum ſit apud Doctores aliqualis eſt controuerſia, alij per gladium amorem interpretati ſunt, quaſi prophetauerit Simeon, futurum aliquando, vt amor erga patientem*
2 *filium Mariæ animum vulneraturus eſſet, probant autem hanc interpretationem, quia in Sacris litteris amor comparatur gladio, & diligentis animum vulnerare dicitur amor cāt. 4. Vulneraſti cor meū*
3 *ſoror mea, ſed quia hic non de amore, ſed de dolore ſermo fit, ideo hæc interpretatio textui non multum eſſe conſona videtur, alij gladium verbum Dei eſſe affirmarunt, vt Paulus Ephes. 6. Verbum Dei gladium appellat, & hunc gladium Mariæ Animā pertranſiſſe, quia Maria Verbum Dei, ac myſteria eius intellexit, ſed quoniam hoc loco non de Verbo Dei, ſed de dolore agitur, ideo mihi hæc interpretatio non admodum ariſit, minus placet eorum ſententia, qui per gladium violentam mortem intelligūt, nō quod gladio Maria interempta fuerit, ſed quod dum iuxta Chriſti crucem moraretur, præ magnitudine doloris animam exalauerit, ſed hoc nec in Sacris litteris habetur, nec auctoritate grauiſſimorū Doctorum, & Patrum, neq; ratione aliqua probatur, immo D. Ambroſ. vbi ſupra habet nullatenus Mariam corporalis necis paſſione ex hac vita migraſſe, idem probat Auguſtinus Epiſtola 58. Mariam inquit nuſquam legimus occiſam, vt de corporali gladio ſanctus ille ei futuram paſſionem prophetaſſe videatur. Poſtrema ſunt, qui aſſerunt per gladium hoc loco intelligendum eſſe, vel ſcandalum, vel dubitationem aliquam in fide, quam paſſa fuerit Beatiſſima Virgo in morte filij ſui, ſed hoc etiam eſſe falſum probauimus ſuſè lib. 3. Reuelat. cap. 30. nota. 2. non enim Maria in fide vllo vnquam tempore aliqua de re dubitauit, nec peccatum aliquod admiſit, quod impium eſſet aſſerere, ideo probabiliſſimum mihi videtur, quod legimus hic, per gladium dolorem vehementem intelligi quem ex filij ſui paſſione perceptura erat Virgo, immo, & maiorem fuiſſe Chriſti dolorem ex compaſſione Matris, quam ipſius met matris ex compaſſione filij ſcribitur hoc loco: ſequuntur hanc interpretationem D. Hieron. ſerm. 1. de Aſſumptione, Beda, Theophilatus, & Eutimius, Liranus, Ianſenius, Ioannes Maldonatus, Cardinalis Toletus in ſecundum caput Lucæ annot. 56. & alij plures in commentarijs in locum citatum Lucæ.*

6 Exurgam tempore ſuo contra eos, iuxta merita eorum, & videbunt gloriam meam intra Cœlum, & ſupra, & infra, & extra, & in omni loco, & in omnibus collibus, & vallibus, & etiam qui damnantur videbunt.

Verba præſentis notæ nobis anſam præbent, vt quæramus, an in vniuerſali Iudicio quādo Chriſtus Dominus ad iudicandum venerit, ſicut prædeſtinati
1 *Saluatorem noſtrum in maieſtate, & gloria viſuri ſunt, ſic quoque præſciti eundem in eadem maieſtate ſint viſuri, & ſanè hoc videtur eſſe affirmandum, vt Lucæ 21. innuitur, tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate, & Iſa. 33. Regem in decore ſuo*
2 *videbunt, & affirmat D. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 13. Deinde inquit venit ad viſionem ſuæ claritatis in qua venturus eſt ad iudicium quæ viſio communis erit, & impijs, & iuſtis, & infra accepit poteſtatem iudicandi, vt boni, & mali eum videant iudicantē,*
3 *ſed animaduertendum eſt, quod valde diſtabit viſio illa prædeſtinatorum a viſione reproborum, ea namq; bonis erit delectabilis, malis vero ſumme formidabilis, eiſq; timorē incutiet, ſicuti enim excellēs ſenſibile, quandoq; videmus ſenſum lædit, propter indiſpoſitionem organi, ſic etiam reprobis continget, qui indiſpoſiti ea viſione lædentur, & confundentur, vt legimus hic, videbunt, & confundentur confuſione digna, quemadmodum ergo amici gloria eſt delectabilis: ita decor, & poteſtas eius, qui odio habetur maxime contriſtat, ideo ſicut viſio gloriæ humanitatis Chriſti erit iuſtis in præmium, ita inimicis Chriſti in ſupplicium, quod declarans Auguſt. vbi ſupra, alij inquit ad damnationem, alij ad vitam æternam vi-*
4 *debunt eum, & infra, quando autem iudicem videbunt mali, non eis videbitur bonus, quia non ad* 5
eum gaudebunt corde, ſed tunc plangent; quod etiā annotauit Magiſt. Sent. in 4. d. 48. Apparebit ait terribilis impijs, & mitis iuſtis. terror erit malis, & lumen iuſtis. id ipſum admonuerunt Durand. ibidē q. 1. & habetur in ſupplemento ad 3. p. S. Thomæ. q. 90. ar. 2. ad 4. & Liranus in citatum ca. Lucæ.

Ma-

MATER MISERICORDIAE dicit, quòd homo qui habet contritionem, & voluntatem se emendandi, & tamen est frigidus in deuotione, & amore Dei, debet impetrare à Deo scintillam ignis diuini, per frequentem meditationem passionis Christi, & ex hoc calefiet anima diuino calore, & lactabitur vberibus Virginis, idest virtute timoris Dei, & obedientiæ.

CAP. XX.

VIRGO MARIA ait. Ego sum quasi mater quę habet duos filios, sed hi non possunt tangere vbera matris, quia nimis frigidi sunt, & in domo frigida commorantes, tamen ipsos mater intantum diligit, quod si possibile esset libenter secaret vbera sua ad vtilitatem filiorum. Ego veræ sum misericordiæ mater, quia omnium miserorum veniam petentium misereor.
1 1 Ego habeo quasi duos filios. Primus est contritio illorum, qui delinquunt contra filium meum. Secundus est voluntas emendandi de commissis. Sed isti duo filij sunt nimis frigidi, quia nullum habent calorem charitatis, nullum desiderium delectationis diuinæ, & domus animæ eorum sic frigida est a flamma diuinæ consolationis, quod non possunt recipere vbera mea. Ego autem quia misericors sum iui ad filium meum, & dixi, fili mi laus tibi sit, & honor pro omni dilectione quam fecisti mecum. Ego habeo duos filios miserere eis, quia propter frigiditatē non possunt capere vbera matris. Tunc respondit mihi filius meus. Mater dilecta propter te mittam scintillam in domum, vnde copiosus ignis accendi potest. Reficiatur ergo scintilla, & nutriatur, & calefac filios tuos, vt recipere valeant vbera tua. Deinde mater loquebatur ad sponsam dicens. Ille talis pro quo tu oras specialem deuotionem ad me habuit, & licet infinitis se immiscuit miserijs, tamen semper confidebat de auxilio meo, & ad me quendam calorem habuit, sed ad filium meum nullam habuit charitatem, nec ab eo timorem diuinum. Et ideo iste si tunc de mundo vocatus fuisset inter opera sua mala, sine fine cruciaretur. Sed quia ego misericordia plena sum, ideo non fui oblita eius, sed adhuc in eo, propter me aliqua spes boni est, si ipse personaliter se iuuare voluerit. Habet enim contritionem nunc de commissis, & voluntatem emendandi, sed frigidus nimis est in charitate, & deuotione, & ideo vt calefieri possit, & recipere vbera mea, debet 2
mitti scintilla in domum animæ eius, idest consideratio passionis filij mei debet esse ei frequens in cogitatione. Consideret enim quomodo Dei filius, & filius Virginis, qui est vnus Deus, cum Patre, & Spiritu sancto passus est. Quomodo captiuatus, & colaphizatus, quomodo cōsputus. Quomodo flagellatus vsque ad interiora, ita vt caro extraheretur cum flagris. Quomodo omnibus neruis distentis, & perforatis stabat dolorosus in cruce, quomodo clamans in cruce tradidit spiritum. Si hanc scintillam frequenter afflauerit, tunc ipse calefiet, & ego tunc applicabo eum ad vbera mea, id est ad duas virtutes, quas ego habui, quæ sunt timor Dei, & obedientia. Ego enim quamuis nunquam peccauerim, tamen timui omni hora ne verbo, vel incessu offenderem Deum meum. Per hunc timorem lactabo filium meum, scilicet contritionem prædicti deuoti mei, pro quo tu oras, vt nō solum conteratur, quod male egit, immo etiam timebit supplicium, timebit etiam offendere deinceps filium meum Iesum Christum. Lactabo etiam voluntatem eius ad mammam obediētiæ meæ. Ego quippe sum illa, quæ nunquam fui inobediens Deo. Immittam ergo in eum, qui calidus fuerit charitate filij mei obedientiam qua obediet in omnibus, quæ sibi fuerint imperata.

Declaratio.

Hic cognatus Dominæ Brigittæ fuit, & multum mūdanus admonitione diuina compunctus, & conuersus est. Qui solitus erat dicere, quamdiu inquit abhorrui pœnitentias, sensi me grauatum quasi pondere cathenarum. Postquam cępi frequentare confessiones sentio me sic alleuiatum, & animo pacatum, quod nec attēdo ad honores, nec ad damna domus. Et nihil est mihi dulce, nisi loqui, & audire de Deo. Hic susceptis Sacramentis Dei, & in ore habens Iesum dicens. Iesu dulcis miserere mei obdormiuit in domino.

NO-

NOTAE.

1 EGo habeo quasi duos filios, primus est contritio illorum, qui delinquunt contra filium meum, secundus est voluntas emendandi de commissis.

Animaduertendum est cum scribitur hic, ego habeo duos filios, primus est contritio, per primum filium non esse intelligendam contritionem omnibus numeris absolutam, qualem descripsimus lib. 3. Reuelat. cap. 16. nota 4. cum enim illa secum adiunctam habeat gratiam, vt ibi ex Conc. Triden. & pluribus Theologis probauimus, profecto dicendū est huiusmodi perfectam contritionem habere charitatis calorem, quo tamen carere contritionem illam, cuius hoc loco mentio fit legimus ibi, sed isti duo filij sunt nimis frigidi, quia nullum habent calorem charitatis per contritionem, ergo hoc loco atritionem intelligas, quæ dolor quidam imperfectius est, & vt tradit Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. qui ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, & donum Dei est, & Spiritus sancti impulsus non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat: traditur autem modus in præsenti capite, quo quis potest ad eum contritionis gradum peruenire, vt charitatis calorem obtineat, & optimus esse scribitur hic, sedula, ac frequens passionis Christi meditatio, per quam sine dubio, qui frigidus est calefiet, idea legimus hic consideret enim, quomodo Dei filius, & filius Virginis, qui est vnus Deus cum patre, & Spiritu sancto passus est, & paulo post si hanc scintillam afflauerit, tunc ipse calefiet.

ORANTE VIRGINE MARIA pro quodam defuncto suo deuoto dicit Christus, quod beneficia successorum illius exhibita pro anima eius modicum ei prosunt, quia fiebant potius ad superbiam, & honorem mundi, quam ex deuota charitate ad Deum, propter preces tamen virginis alleuiatur pœna.

CAP. XXI.

MARIA loquitur. Benedictum sit nomen tuum fili mi. Tu es rex gloriæ, & dominus potens, habens iustitiam cum misericordia. Corpus tuum mihi charissimum, quod in ventre meo generabatur, & nutriebatur sine peccato, hodie pro anima istius defuncti consecratum est. Rogo igitur te fili charissime, vt prosit animæ eius, & miserere ei. Respondit filius. Benedicta sis tu mater benedicta ab omni creatura, quia misericordia tua innumerabilis est. Ego sum similis homini, qui emit paruulum agrum quasi quinq; pedum pro maximo precio, in 1
quo aurum optimum erat absconditum. Hic ager homo iste est quinque sensuum, quem preciosissimo sanguine meo comparaui, & redemi, in quo erat aurum preciosum, idest anima à deitate mea creata, quæ nunc a corpore sublata est, & terra sita remanet. Eius successores sunt similes homini potenti, qui vadens ad iudicium clamat lictori: Separa cum gladio caput eius a corpore eius, non permittas eum diu viuere, nec parcas sanguini eius. Sic faciunt illi, ipsi enim quasi ad iudicium vadunt, cum pro salute animæ patris decenter laborant. Sed lictori clamant separa caput eius a corpore. Quis est ille lictor nisi diabolus; separans animam consentientem sibi a Deo suo. Huic clamabit separa, quando contempta humilitate illa bona quæ agunt faciunt pro superbia, & honore mundi, plus quam ex diuina charitate. Per superbiam enim caput, id est Deus separatur ab homine, & coniungitur ei per humilitatem. Ipsi enim clamant
1 var. lect. non diu viuere, quando non curant de morte eius, vt obtineat bona. Clamant, & non parcere sanguini, quando non curant de amara pœna eius, nec quamdiu in ea fuerit si voluntatem suam perficere possint: eorum quippe cogitatio tota est ad mundum, & pro modico est eis passio mea.

Tunc

Tunc respondit Virgo. Vidi iustitiam tuam fili mi seuetam ad quam non loquor, sed misericordiam tuam pijssimam, ideo propter preces meas miserere isti, quia quotidie legebat horas meas in honore meo, nec imputes ei superbiam successorum eius quam pro eo exercent, ipsi enim gaudent, & iste plorat, & punitur inconsolabiliter. Cui respondit filius, Benedicta sis tu Mater charissima, verba tua plena sunt dulcedine, & dulciora melle, verba tua procedunt de corde, quod misericordia plenum est, & ideo misericordiam sonant verba tua. Iste pro quo tu oras triplicem misericordiam habebit propter te. Primo, saluabitur de manibus dæmonum, qui tanquam corui insatiabiliter affligunt eum. Sicut enim aues cum aliquem terribilem sonum audiunt, prædam quam vnguibus tenent, præ timore sonitus relinquunt, & fugiunt, sic propter te Dæmones relinquent animam eius, nec vlterius tangent, aut infestabunt eam. Secundo transferetur de grauiori ardore in leuiorem. Tertio consolabuntur eum Angeli sancti, adhuc tamen non est ex toto liberatus, & adhuc auxilio indiget, scis enim, & vides omnem iustitiam in me, quod nullus ad beatitudinem ingredi potest, nisi tanquam aurum per ignem purgatum mundatus fuerit. Ideo propter preces tuas adueniente tempore misericordiæ, & iustitiæ liberabitur ex toto.

NOTAE.

v var. lect. Circa medium præsentis capitis, vbi legimus, Ipsi etiam clamant non diu viuere.

Manuscriptus Farnesianus habet, ipsi etiam clamant ne permittas eos diu viuere, & immediatè post ibi clamant, & non parcere sanguini, corrige clamãt ne parcas sanguini.

* * *

CHRISTVS RECIPIT ad misericordiam quendam Episcopum precibus Matris suæ nudum bonis operibus, sed nouiter conuersum ad contritionem, & sanctum propositum vitæ, & induit eum misericordia, & diuina dulcedine informando eum qualiter humiliter viuat sine cupiditate, & qualiter delinquentes subditos cum misericordia, & iustitia corrigat.

CAP. XXII.

Filius loquitur. Iste prælatus pro quo tu sponsa rogas me, iam reuersus est ad me tripliciter. Primo, sicut homo nudus. Secundo, sicut habens in manu gladium. Tertio, sicut extendens manum, & petens veniam, ideo propter preces Matris meæ ego etiam iam conuerto me ad ipsum, & occurram ei, quasi Mater adepto filio perdito, & quamuis Apostoli mei preces suas pro eo mihi obtulerunt, modicam tamen gratiam pro eo habuerunt, quia postquam istæ dignitatem suscepit ecclesiæ meæ contrarius mihi fuit, nec vt prælatus se pro ea posuit, nunc autem vestiam eum ne nudus sit. Quid est nuditas eius, nisi pauca bona opera eius? Quæ quidem opera bona deberent vestire animam eius virtutibus, quæ nuda in conspectu meo apparet, quamuis sibi vestita videbatur. Ego dabo ei auxilium nunc propter preces Matris meæ, & sanctorum meorum, vt tegi, & indui possit, quia nudus venit ad me. Tunc autem venit nudus, quando cogitat sic apud se. Ego nihil boni habeo a me, nihil boni possum, sine Deo, nec dignus sum alicuius boni. Si enim scirem quomodo placere possem Deo, & quid est placitum ei, etiam si mori deberem libenter facerem, per talem, itaque cogitationem venit ipse nudus ad me, ideo occurram ei, & vestiam eum. Habuit etiam gladium in manibus, quando considerabat iudicij mei austeritatem dicens apud se. Iudicium Dei intolerabile est, & impossibile fugere, ideo illa omnia, quæ Deus vult de me ego libenter volo, & paratus sum ad voluntatem eius cum voluntate mea, quia nulla habeo bona opera

fiat

fiat secundum voluntatem eius, & non secundum meam. Hæc cogitatio, & hæc voluntas abstulit ab eo gladium seueritatis meæ, & attulit ad eum misericordiam. Tertio porrexit manum, quando sic considerabat apud se. Ego scio me vltra modum peccasse, ac iudicio dignum. Attamen de bonitate tua domine Deus confidens spero auxilium. Non enim spreuisti Paulum persecutorem, nec contempsisti Magdalenam peccatricem. Ideo Domine verto me ad te, vt facias mihi secundum magnam pietatem, & misericordiam tuam. Pro hac enim cogitatione, & hoc desiderio, porrigam ei manum misericordiæ meæ, & augumentabo ei dulcedinem meam, si tamen hæc tria, quæ loquar viriliter compleuerit. Debet enim primo auferre a se omnem superbiam, & ostentationem, & assumere veram humilitatem. Secundo auferat a corde suo omnem cupiditatem, vt temporalia ista et possessa, habeat quasi homo dispensator bonus, domino suo redditurus rationem. Tertio habeat sollicitudinem, vt peccatum suum, & suorum subditorum non negligat, sed cum iustitia, & misericordia corrigat, considerando opera mea, qui ex misericordia collegi publicanos, & meretrices. Qui ex iustitia contempsi superbientes. Nunquid non scribitur, quod quidam veniens ad me dixit: Magister sequar te quocunque vadis? Respondi ei non, quia vulpes foueas habent, & quare contempsi eum, nisi quia vidi cor eius, & voluntatem, quia voluit habere gloriam, & sustentationem sine labore, & ideo ex iustitia fuit a me refutatus sic superbus & ipse. Quicunque enim delinquens venerit ad eum humilians se, & emendationem congruam exhibens, petierit veniam, tunc ipse misericordiam illi facere teneatur. Quem autem in voluntate peccandi manere deprehenderit, nec resipiscere voluerit, castiget ipsum moderate, & discrete flagellis, [illegible] pecunias. Caueat tamen, quod non faciat illam castigationem propter cupiditatem, sed propter charitatem, & iustitiam, & illam pecuniam in tales vsus conuertat, quod bonam rationem Deo reddere valeat, videlicet quod secundum iustitiam [illegible] ab illo delinquente, illa pecunia ablata [illegible] sapienter in vsus diuinos erogetur. Si autem ille castigatus semel [illegible] noluerit adhuc resipiscere, tunc priuet eum beneficio, & gradu altiori, vt sic ille confusus remaneat tanquam asinus, qui cum portauerit auream sellam magnæ reputationis, et dicitur: illa ab eo ablata, vt animal insensatum dimittitur, sicut prius. Sic etiam ego omnium conditor facio. Ego enim pati-

me castigo hominem per tribulationem corporalem, per infirmitatem, & voluntati suæ contrariam, & sic tunc ipse resipiscere noluerit, tunc aufero ab eo misericordiam meam, & dimitto eum in pœnam sibi ex iustitia præparatam.

VIRGO MARIA APPARVIT Sponsæ rogans filium pro quodam magno domino, quem comparat latroni, cui Christus narrat grauia peccata illius, & tamen precibus eius facit illi tres gratias. Dat enim illi magistrum spiritualem, & intelligentiam grauissimæ pœnæ æternæ, & spem rectam misericordiæ cum timore discreto.

CAP. XXIII.

MARIA loquitur ad filium dicens: Filimi benedicte, [illegible] misericordiam pro latrone isto, pro quo sponsa tua orando plorat. Respondit filius. Quare Mater rogas pro eo? nam ipse fecerat tria latrocinia. Primo, deprædatus est Angelos, & electos meos. Secundo, deprædatus est corpora multorum hominum, quia animas eorum ante tempus a corporibus separauit. Tertio, spoliauit multos homines innocentes bonis suis. Primo enim deprædatus est Angelos, quia animas multorum, qui Angelorum consortio iungi debeant dissociauit, per verba scurrilia, per opera, & exempla mala, per occasionem, & attractionem ad malum. Et quia [illegible] malos in manibus suis quos iuste punire debuisset. Secundo, multos innocentes punire intendit in furore indignatione sua. Tertio, bona innocentum sibi iniuste vsurpauit, & miseris calumniam intolerabilem imposuit. Cum his tribus, & alia tria mala habet. Primo nimiam cupiditatem mundi. Secundo, vitam incontinentem, nam licet coniugio alligatus est hoc tamen non tenet ex diuina charitate, sed propter expletionem cupiditatis suę. Tertio habet superbiam; ita quod nullum reputat sibi similem. Ecce qualis est iste pro quo tu oras, tu vides omnem iustitiam in me, & quid vnicuique debetur. Nunquid cum Mater Iacobi, & Ioannis accessisset ad me

mi, & petisset, vt vnus eorum sederet ad dexteram, & alter ad sinistram meam. Ego respondi ei, quod ille, qui plus laborauit, & qui se plus humiliauerit, hic ad dexteram meam sedebit, & ad sinistram. Quomodo ergo debetur alicui sedere mecum, & esse mecum, qui nil laborat mecum, vel pro me, sed magis contra me? Respondit mater. Benedictus sis tu fili mi plenus omni iustitia, & misericordia. Ego video iustitiam tuam terribilem, quasi ignem fortissimum, & quasi montem, & ad hanc appropinquare nullus audet, sed è contra video misericordiam tuam leuissimam, & ad hanc fili mi ego loquor, & accedo. Nam licet modicam iustitiam habeo ad te ex parte latronis, tamen ex ea nequaquam, nisi misericordia tua grandis interuenerit saluari potest. Ipse quippe similis est puero, qui licet habeat os, & oculos manus, & pedes, non tamen loqui potest ore, nec visu discernere inter ignem, & claritatem solis, nec incedere potest pedibus, vel laborare manibus. Sic iste latro est, ipse denique a natiuitate creuit ad opera diaboli. Aures eius fuerunt obduratæ ad audiendum bona. Oculi eius caligauerunt ad intelligentiam futurorum. Os etiam clausum erat ad laudem tuam, & manus operationis bonæ ad Deum fuerunt ei totaliter debiles, intantum, quod omnis virtus, & omnis bonitas erat quasi mortua ante eum. Attamen cum vno pede suo, quasi in duobus vestigijs stabat. Pes autem ille erat desiderium suũ, & cogitatio qua cogitabat apud se cum desiderio dicens. Vtinam inuenirem aliquem, qui diceret mihi quomodo me emẽdare possem, quomodo placare Deũ meum deberem, quia etiam si pro eo mori deberem libenter facerem. Primum vestigium erat, quod frequenter timebat, & pensabat, quam dura erat illa pœna æterna. Secundum vestigium erat dolor de amissione regni cœlorum, ergo fili mi dulcissime propter bonitatem tuam, & preces meas, qui te in vtero meo portaui, miserere ei. Respondit filius. Benedicta sis tu Mater dulcissima, verba tua plena sunt sapientia, & iustitia, & quia in me est omnis iustitia, & misericordia; ideo iam rependi latroni tria bona pro tribus bonis, quæ mihi obtulit. Nam quia propositum emendandi se habuit, ostendi ei amicum meum, qui ostendit illi viam vitæ. Pro secundo, scilicet pro cognitione sedula æterni supplicij, dedi ei maiorem intelligentiam æternæ pœnæ, quam prius, vt intelligat in corde suo, quam amara est æterna pœna. Pro tertio scilicet pro dolore, & amissione regni cælestis illuminaui spem suam, vt rectius speret nunc quam prius, & sapientius, & discretius timeat nunc quam prius. Tunc iterum loquebatur Mater. Benedictus sis tu fili mi ab omni creatura in cælo, & in terra, quod ista tria rependisti latroni ex iustitia tua. Ideo nunc rogo, vt digneris ei dare etiam misericordiam tuam, quia tu nihil facis sine misericordia. Da ergo ei ex misericordia tua vnam gratiam propter preces meas, & aliam propter famulum tuum, qui me ad rogandum pro latrone sollicitat. Tertiam vero gratiam da ei propter lachrymas, & preces filiæ meæ sponsæ tuæ. Cui respondit filius. Benedicta sis tu Mater charissima domina Angelorum, & regina omnium spirituum. Verba tua dulcia sunt mihi, quasi vinum optimum, delectabilia super omnia, quæ cogitari possunt, & probata in omni sapientia, & iustitia. Et benedictum sit os tuum, & labia tua de quibus omnis misericordia procedit in miseros peccatores. Tu vere misericordiæ Mater prædicaris, & es, quia miserias omnium consideras, & me ad misericordiam flectis, pete ergo, quod vis, non enim inanis potest esse charitas, & petitio tua. Tunc respondit Mater. Iste latro domine mi, & fili mi nimis periculose positus est, stat enim vno pede, quasi in duobus vestigijs, ergo da ei, vt firmius stare possit, hoc quod mihi est charissimum, idest sanctissimum corpus tuum, quod de me, sine aliqua concupiscentia mundissimum in deitatem tuam assumpsisti. Hoc corpus tuum est promptissimum infirmorum auxilium, hoc reddit cecis visum, surdis auditum, claudis gressum manibus opus. Hoc etiam est fortissimum, & suauissimum emplastrum, de quo citius conualescunt infirmi. Da ergo ei hoc, vt sentiat in se auxilium, & delectetur in eo cum charitatis feruore. Secundo rogo, vt digneris ei ostendere quid acturus est, & quomodo poterit te placare. Tertio rogo, vt detur eis requies de ardore carnis suæ propter preces eorum, qui te pro eo rogant. Respondit iterum filius. Charissima Mater, verba tua dulcia sunt, quasi mel in auribus meis, sed quia ego iustus sum, & tibi nihil negari potest, ideo petitione tua, quasi sapiens dominus deliberare mecum volo, nõ ideo quod aliqua mutatio sit apud me, vel quod non scis, & vides omnia in me, sed propter sponsam astãtẽ differo, vt valeat intelligere sapientiam meam.

***

CHRI-

CHRISTVS DICIT quod si ille latro supra proximo dictus communionem altaris sumere voluerit habeat ante contritionem de commissis cum voluntate emendandi, & non amplius peccandi, sed in bonis persistendi; docet etiam alia remedia quibus se possit Deo, & Angelis, & sanctis, & proximis reconciliare, quæ si non fecerit grauiter punietur.

CAP. XXIIII.

MARIA loquebatur Benedictus sis tu fili mi, rex gloriæ & Angelorum, rogo te iterum pro latrone. *Respondit filius*. Benedicta sis tu charissima mater. *Sicut* lac tuũ in corpus humanitatis meæ intrauit, & omnia membra mea confortauit. *Sic* verba tua intrant, & delectant cor meum, quia omnis petitio tua cum discretione est, & omnis voluntas ad misericordiam. *Ideo* faciam propter charitatem tuam misericordiam cum latrone. *Respondit Mater*, da ergo ei fili charissime hoc, quod mihi charissimum est, scilicet corpus tuum, & gratiam tuam, quia latro iste esuriens est, & vacuus a bono. *Ideo* da ei gratiam, vt extinguatur esuries praua. *Roboretur* infirmitas, accendatur voluntas ad bona, quæ hactenus torpuit a tua charitate. *Respondit filius*. *Sicut* puer cui subtrahitur cibus cito moritur in corpore. *Sic* iste, qui a pueritia sua a diabolo nutritus fuit, non poterit reuiuiscere, nisi pascatur cibo meo. ideo si corpus meum desiderat sumere, si fructus eius dulcedine refici affectat. *Cum* his tribus virtutibus accedat ad me, scilicet contritione vera commissorum, cum voluntate emendandi commissa, cum voluntate non amplius facienda mala, & in bonis perseuerandi. *Ad* preces vero eorum, qui pro eo rogant respondeo tibi, quod ista quæ dicam facienda sunt latroni si salutem quærit. *Primo*, quia ausus fuit resistere regi gloriæ, ideo nunc propter emendationem delictorum debet fidem sanctæ Ecclesiæ meæ defendere, & vitam suam pro eius tuitione paratam habere, vsque ad mortem, vt sicut prius laborauit totis viribus pro honore mundi, & commodo dominij temporalis, sic & nunc laboret, vt fides mea augeatur, & inimici fidei ecclesiæ deprimantur, & omnes trahat quos poterit trahere ad me verbo, & exemplo, sicut prius subtraxit cum pro mundo laborauit. pro certo dico tibi, quod si non plus fecerit quam quod ligauerit galeam suam pro honore meo, & clypeum in brachium posuerit hac intentione, vt stet pro fide sancta, reputabitur ei pro opere si in illo puncto vocatus fuerit. *Quod* si etiam hostes appropinquauerint nullus ei nocere potest. *Ideo* laboret audacter, quia potentem habet dominum cum me habuerit. *Laboret* viriliter, quia præciosum dabitur ei stipendium, scilicet vita sempiterna. *Pro* eo autem, quod sanctos, & Angelos offenderat, & corpora animabus priuauerat, faciat dici omni die vnam missam de omnibus sanctis per vnum integrum annum, vbi sibi videbitur, dando presbytero celebranti mercedem, vt per hoc sacrificium sancti, & Angeli offensi placari queant, & ad eum oculos suos conuertere, per talem enim placantur oblationem, quando corpus meum, quod regale est sacrificium ex charitate, & humilitate sumitur, & offertur. *Deinde*, quia bona aliorum deripuerat viduis, & orphanis fecerat iniuriam. *Ideo* omnia, quæ scit se scienter habere iniustæ, reddere debet humiliter. *Rogando* iniuriatos, vt ei misericorditer indulgeant, & quia non omnibus poterit satisfacere quibus iniuriatus est. *Ideo* in aliqua Ecclesia, vt sibi conuenientibus videbitur de proprijs sumptibus construi faciat vnum altare, in quo vsque in finem mundi vna missa quotidie pro his quibus intulerat damnum celebretur. *Et* vt istud firmum, & stabile permaneat, tantum de redditibus dabit ad altare, quod vnus cappellanus perpetuo celebrans, inde posset se sustentare. *Propterea*. quia ab eo longe fuit humilitas. *Ideo* debet se humiliare inquantum potest, & eos quos offenderat ad pacem, & concordiam rogare, prout conuenientibus poterit fieri. *Necnon* & cum aliquando peccata, & vitia sua, quæ commiserat, reprehendi aut laudari ab aliquibus audierit, non defendat ea præsumptuose, nec delectando glorietur in eis, sed cogitet humiliter, & dicat, vere nimis delectabat me peccatum, quod ad nihil mihi profuit. *Nimis* in præsumptione excessi, & si voluissem bene potuissem cauisse. *Ideo* rogate fratres dominum, vt det mihi nunc spiritum quo resipiscam a talibus, & possim admissa peccata viriliter emendare,

Digitized by Google

pro eo vero, quod in carne sua excedendo multipliciter me offendit, rationabili temperantia temperet corpus suum. Si autem audierit verba mea hæc, & compleuerit ea opere, tunc salus erit ei, & vita perpetua. Sin autem, vsque ad nouissimum quadrantem exigam peccata eius, & amariorem habebit pœnam, quia ista sibi dici feci, quam aliter habuisset.

POST TRES ANNOS postquam sponsa habuit supra proximam reuelationem, Christus dicit ei, quod nisi cito se emendet latro prædictus cito damnabitur sententia horribili in generatione sua, & in bonis, & etiam in anima, vt pessimus latro, quę postea omnia sic euenerunt, quia noluit se emendare.

CAP. XXV.

FILIVS Dei loquebatur ad sponsam. Dixi tibi prius de latrone pulchram cantilenam, immo pulcherrimum antidotum, nunc autem dico sibi non carmen, sed lamentationem, & ve, nisi enim cito conuerterit se ad aliud latus, sentiet horribilem iustitiam meam. Nam dies eius abbreuiabuntur, semen eius non faciet fructum, congregatas diuitias eius diripient alij, & ipse iudicabitur, vt pessimus latro, & sicut filius inobediens contēnēs monita patris.

CHRISTVS DICIT SPONSAE orantiv pro quodam rege, quod ipse conetur in regno suo consilio spiritualium iustorum, sapientum virorum reparare muros Hierusalem, idest Ecclesię, & fidei catholicæ, qui quasi iam corruunt spiritualiter. Cuius murus per communitatem Christianorum, & vasa templi per clerum, & religiones designantur.

CAP. XXVI.

FILIVS LOQVITVR. is qui factus est membrum meum de diaboli membro, laboret, sicut hi, qui edificabant muros Hierusalem, qui pro legis districte reparatione laborabant, qui vtensilia domus Dei abducta congregabant. 1 Vere conqueror de tribus. Primo, quod murus Hierusalem destructus est. Quis est murus Hierusalem, idest Ecclesiæ meæ, nisi corpora, & animæ Christianorum. Ex his enim edificari debet Ecclesia mea. Cuius murus Ecclesiæ nunc corruerat, quia voluntatem suam omnes perficere quærunt, & non meam. Auertunt oculos suos ad me, & nolunt me clamantem audire. Verba mea sunt eis importabilia, opera mea vana, passio mea abominabilis ad cogitandum, vita mea intolerabilis, & videtur impossibilis ad imitandum. Secundo conqueror, quod instrumenta domus meæ asportata sunt in Babylonem. Quæ sunt instrumenta ecclesiæ meæ, & vasa diuersa? nisi dispositio, & conuersatio clericorum, & religiosorum. Horum bona dispositio, & ornatus asportatus est a templo meo ad superbiam mundi, & ad voluntatem & delectationem propriam. Sapientia mea & doctrina est eis vana, mandata mea onerosa, promissionem mihi factam irritant, legem meam, & constitutionem amicorum meorum prædecessorum suorum prophanauerunt, & suas adinuentiones faciunt, & habent pro lege. Tertio conqueror, quod lex decem mandatorum meorũ perdita est. Nũquid non legitur in Euangelio meo, ꝙ cum vnus interrogaret me dicēs? Magister quid faciam, vt vitam æternã habeam? Respondi ei. Serua mãdata mea, quæ iam nũc perdita, & neglecta sunt. Ideo rex iste pro quo tu oras debet cõgregare viros spirituales sapiētes sapientia mea, & eos, qui spiritum meũ

habent interroget, & inquirat diligenter secundum consilium eorum, quomodo murus ecclesiæ meæ reedificetur in Christianis, & honor Deo exhibeatur. Fides recta refloreat, charitas diuina ferueat, & passio mea in corde hominum imprimatur. Inquirat etiam quomodo vasa domus meæ restituantur in pristinum statum, scilicet, vt clerici, & religiosi relicta superbia resumant humilitatem. Innocentes diligant castitatem. Cupidi, & mundiales abstineant a nimio mundi appetitu, vt lucere possint alij. Laboret etiam fortiter, & sapienter, vt mandata mea attentius diligantur. Congreget iustos Christianos, vt cum eis diruta spiritualiter reedificet. Vere ecclesia mea nimis longe recessit a me, intantum quod nisi preces matris meæ interuenirent non esset spes misericordiæ. Sed inter omnes status laicorum, milites plus alijs apostatauerunt. Quorum apostatantium periculum, & pœna tibi prius ostensa fuerunt.

NOTAE.

VEre conqueror de tribus: primo quod murus Hyerusalem destructus est.

Ad horum præsentis notæ verborum intelligentiam inuestigandum est, quid per muros hoc loco intelligendum sit, quod vt palam fiat sciendum est, vt ex narratione huius capitis colligitur, Beatam Brigittam orasse pro quodam Rege, cuius negligentia fides catholica in suo regno ferè perierat id enim Christus ei indicat hic sub hac metaphora affirmans, quod muri Hyerusalem corruerint, & idcirco præcipit ei, vt eum Regem admoneat, vt huiusmodi muros pro viribus reparare studeat, hic ergo per muros Hyerusalem intelligendi sunt fideles, sicut enim muri sunt, qui vrbes cingunt, & protegunt, ita quoq; fideles, qui vitæ sãctitate, & verbo prædicationis catholicã fidẽ defendere debent. hi Ecclesiæ muri, ac defensores merito dici possunt; vnde pro muro dicuntur esse defensores 1. Reg. 25. & Isaiæ 49. muri tui coram oculis tuis, vbi Glossa interlinearis vocat muros patriarchas, prophetas, cæterosque, qui orationibus suis Syon defendebant, idem annotauit D. Hieron. Isaiæ 56. & super Hier. c. 1. & Eucher. de spiritual. form c. 10. secus vero dicendum est, si muri huiusmodi nimirũ fideles, neque vitæ sanctitate, nec optimis exemplis, aut orationibus defendant Ecclesiam, tunc enim merito, vt legimus hic corruisse muros, Hyerusalem dicimus, vbi per Hyerusalem militantem Ecclesiam intelligas: Hyerusalem, namque in sacris litteris Ecclesiam militantem designare tradunt Origen. super Iosue hom. 21. & super Cant. hom. 3. D. August. super psal. 61. & 64. D. Hieron. super Ezech. cap. 16. Greg. super Cant. cap. 3. & 8.

CHRISTVS PROHIBET Sponsæ audire noua, & opera mundanorum, & bella procerum, sed dicit, quod consideret opera Dei, quæ stupenda, & admiranda sunt. Reprehendit etiam illos, qui solum intendunt ad diuitias, & honores, & delectationes dicens, quod nunquam intrabunt in terram illam fluentem lac, & mel, idest in cœlestem gloriam nisi conuertantur, & iuste viuant secundum statum suum, sed intrabunt iusti, & exultabunt.

CAP. XXVII.

CVR delectat te audire opera mundanorũ, & bella procerum, & cur tali inani auditu occuparis. Cum ego sum omnium dominus, & nulla delectatio est sine me reputanda. Si vero tu velles audire facta dominorum, si considerares opera magnalia, deberes vtique considerare, & audire facta mea, quæ intellectu incomprehensibilia sunt, cogitatione stupenda, & auditu admiranda. Quamuis autem diabolus mouet dominos mundi ad voluntatem suam, quamuis prosperantur ex occulta iustitia mea. Attamen ego sum Dominus eorum, & iudicio meo iudicabuntur. Ipsi inceperunt sibi nouam legem contra legem meam, Curam quippe omnem apponunt quomodo possint a mũdo honorari, quomodo diuitias possint acquirere, quomodo voluntatem suam perficere, quomodo progeniem suam dilatare. Ideo iuro in deitate, & humanitate mea, quod si in tali statu moriantur nunquam intrabunt in terram illam, quæ promittebatur filijs Israel sub figura, quæ fluebat lacte, & melle, non magis quam illi, qui desiderabant ollas carnium, & subitanea morte moriebantur. Sicut enim illi morte corporali moriebãtur, sic isti

Digitized by

isti mortificentur morte animæ. Illi vero, qui voluntatem meam faciunt ipsi intrabunt in terram, quæ fluit lac, & mel, idest in cælestem gloriam, in qua non est terra subtus, nec cælum superius, sed ego ipse Creator omnium, & dominus ego sum subtus & supra. *Ego* extra, & intra, quia ego impleo omnia, & satiabo amicos meos dulcedine non mellis, sed inefabili suauitate, & admirabili replebo eos, vt nihil desiderent nisi me, nullo egent nisi me, in quo est omne bonum. *Hoc* bonum inimici mei nunquam gustabunt, nisi conuertantur a prauitate sua. Si enim ipsi cogitarent quid ego feci pro eis, si considerent quid dedi eis nunquam me sic ad iram prouocarent. *Ego* namque dedi eis omnia necessaria, & desiderabilia habere cum temperantia. *Ego* permisi eis moderate habere honores, habere etiam amicos, & habere voluptatem moderate. Quicumque in honore positus cogitat sic apud se. Ex quo sum in honore positus honestæ iuxta statum meum volo me habere. Exhibeam *Deo* meo reuerentiam, nullos opprimam, minores fouebo, diligam omnes, iste talis in honore suo mihi placet. *Qui* vere diuitias habet, & cogitat apud se. *Ex* quo diuitias habeo nullius rem accipiam iniuste, nemini faciam iniuriam, cauebo mihi a mortali peccato, subueniam pauperibus. *Iste* talis in diuitijs suis gratus est mihi. *Qui* autem in voluptate est, & cogitat apud se. Caro mea infirma est, nec spero me posse continere, ideo ex quo legitimam vxorem habeo non concupiscam plures, conseruabo enim me ab omni turpitudine, & ordinatione. *Iste* talis mihi placere potest, sed plerique nunc legem suam præponunt legi meæ. *Nam* in honore suo nullos volunt habere superiores, de diuitijs nunquam possunt satiari. *In* voluptate sua extra modum, & laudabilem constitutionem volunt excedere. Ideo nisi se emendauerint, & aliam viam inceperint non intrabunt in terram meam, in qua lac, & mel spirituale est, idest dulcedo, & satietas, quam qui accipiunt nihil amplius desiderant, nec aliquo indigent nisi quod habent.

DAMNATVR QVAEDAM anima defuncti a Christo pro peccatis grauibus, & pro eo, quod non doluit de doloribus, & vulneribus passionis Christi, quæ anima vt filius abortiuus assimilatur, & condemnatur. Et per illos, qui sequebantur malitiose Christum in prædicatione, & per crucifixores, & custodes sepulchri eius notabiliter designatur.

CAP. XXVIII.

MAGNVS exercitus visus est astare Deo, cui loquebatur Deus dicens. Ecce illa anima non est mea. De vulnere quippe lateris mei, & cordis mei non plus compassus est, quam si perforaretur clypeus inimici eius. *De* vulneribus manuum mearum tantum curauit, si pannus gracilis rumperetur, vulnera etiam pedum meorum, tam mollia ei fuerunt, ac si videret scindi molle pomum. Tunc dominus loquebatur ad ipsam dicens. *Tu* frequenter quæsiuisti in vita tua, quare ego *Deus* in corpore mortuus fui? Nunc autem ego quæro a te, quare tu misera anima mortua es? Respondit illa, quia non dilexi te. Et dominus respondit animæ. 1 *Tu* inquit fuisti mihi, quasi puer abortiuus matris suæ, quæ non minorem dolorem patitur pro eo, quam pro illo qui viuus procedit de vtero eius. *Sic* ego, tanto precio, & tanta amaritudine te redemi, sicut aliquem sanctorum meorum licet modicum curasti. Verum sicut puer abortiuus non habet dulcedinem de vberibus maternis, nec consolationem de verbis, nec calorem de pectore. *Sic* tu nunquam habebis dulcedinem electorum meorum ineffabilem, quia dulcedo tua placuit tibi. Nunquam audies verba mea ad profectum tuum, quia verba oris tui, & mundi placuerunt tibi, & verba oris mei erant tibi amara. Nunquam senties charitatem, & bonitatem meam, quia frigida eras, quasi gelu ad omne bonum. Vade igitur in locum, vbi abortiui proijci solent, vbi viues in morte tua æternaliter, quia noluisti viuere in luce, & vita mea. Postea Deus loquebatur ad exercitum. O amici mei, si

omnes stellæ, & planetæ verterentur in linguas, si omnes sancti rogarent me non facerem misericordiam cum illo, qui ex iustitia debita damnari tenetur. Ista autem anima similis fuit tribus. Primo, illis qui sequebantur me in prædicatione ex malitia, vt inuenirent occasionem in verbis, & factis meis, accusandi, & prodendi me. Ipsi viderunt opera mea bona, & miracula, quæ nullus facere poterat, nisi Deus. Ipsi audierunt sapientiam meam, & probauerunt vitam meam laudabilem, & tamen ex hoc inuidebant mihi, & iram contra me in animo conceperunt, sed quare? Nempe quia opera mea erant bona, & opera eorum mala, & quia non consensi peccatis eorum, sed acriter redarguebam eos. Sic anima ista sequebatur quidem me cum corpore suo non ex diuina charitate, sed sola apparentia hominum, audiebat opera mea, & oculis videbat, & inde irascebatur, audiebat mandata mea, & deridebat. Sentiebat bonitatem meam, & non credebat. Videbat amicos meos proficientes in bonis, & inuidebat. Sed quare? quia verba mea, & electorum meorum erant contra malitiam eius, mandata mea, & monita contra eius voluptatem, charitas etiam mea, & obedientia erant contra eius voluntatem. Attamen conscientia eius dicebat sibi me, præ cæteris honorandum. Ex motu vero siderum intelligebat me omnium creatorem. Ex fructu terræ, & aliarum rerum dispositione sciebat me esse creatorem, & quamuis sic sciebat, tamen ad verba mea irascebatur, quia opera eius mala reprehendebam. Secundo similis erat illis, qui occiderunt me qui dixerunt ad inuicem, occidamus eum audacter, nequaquam enim resurget. Ego vero prædixi discipulis meis, quod resurgerem tertia die, sed inimici mei mundi dilectores non credebant me, cum iustitia resurrecturum.
a Quia me purum hominem viderunt, sed deitatem latentem non viderunt. Ideo & fiducialiter peccabant, & ex iustitia, quasi præualerunt si enim sciuissent nunquam occidissent me. Sic quoque anima ista cogitauit, facio inquit voluntatem meam, vt placet, occidam eum audacter per voluntatem, & per opera, quæ delectant quid enim nocet mihi, & quare abstineam? Non enim resurget ad iudicandum. Non iudicabit iuxta opera hominum. Si enim iudicaret sic districte non redemisset hominem. & si sic odiosum haberet peccatum non tam patienter peccantes supportaret. Tertio similis erat illis, qui custodiebant sepulchrum meum, qui armauerunt se, & munierunt sepulchrum cum custodibus ne resurgerem, dicentes custodiamus diligēter ne resurgat, & ne forte seruiamus ei. Sic faciebat anima ista armauit enim se duritia peccati. Custodiebat enim diligenter sepulchrum, id est conuersationem electorum meorum, in quibus quiesco seruabat sollicitè, ne verba mea, & monita eorum ingrederentur ad eam cogitans sic secum obseruabo me ab eis ne audiam verba eorum. Ne forte stimulatus aliquibus cogitationibus diuinis incipiam dimittere delectationem inceptam. Ne forte audiam quæ voluntati meæ displiceant, & sic subtraxit se ab illis ex malitia, quibus ex charitate sociari debuisset.

Declaratio.

Hic fuit nobilis, & de Deo modicum curans in mensa, quod sanctos Dei blasphemans, sternutando mortuus est sine Sacramentis. Cuius anima visa est stare in iudicio. Cui dixit iudex. Tu secutus es, vt voluisti, & fecisti, vt potuisti. Ideo tacere tibi nunc conuenit, & audire. Responde igitur mihi ista audiente quamuis omnia scio. Nunquid non audisti, quod ego dixi. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur. Cur ergo non es reuersus ad me cum potuisti? Respondit anima. Audiui quidem, sed non curaui. Dixit iterum iudex. Nunquid dixi: Ite maledicti in ignem, & venite benedicti. Cur ergo non festinabas ad benedictionem? Cui anima. Audiui quidem, sed non credebam. Iterum dixit iudex. Nunquid non audisti, quod ego Deus sui iustus, & æternus iudex terribilis, quare ergo non timuisti iudicium
1 futurum. Cui anima audiui quidem, sed dilexi meipsum, & clausi aures ne audirem iudicium. Obturaui cor ne cogitarem ista. Cui iudex. Ideo nunc iustitia est, vt tribulatio, & confusio aperiant tibi intellectum, quia noluisti intelligere cum potuisti. Tunc anima eiecta a iudicio eiulabat, & clamabat, heu heu qualis remuneratio, sed quando erit finis? Audita est statim vox, sicut ipsum principium omnium rerum non habet finem, sic nec erit tibi finis.

NO-

NOTAE.

1 TV (inquit) fuisti quasi puer abortiuus.

Quemadmodum, puer abortiuus ante tempus, a natura præfinitum natus; & non seruato naturali ordine in lucem editus, lumen non vidit vnquam, quia mortuus de matris vtero egreditur, ita quoq; is cuius hoc loco mentio fit, abortiuus a Christo appellatur, quia nūquam verā lucē intueri, aut etiā Dominicæ passionis mysteria contemplari voluit, vnde lux vera emanat, merito ergo proicitur in tenebras, qui in luce noluit habitare, vnde igitur legimus infra hoc eodem cap. paulo ante medium, In locum, vbi abortiui proici solent, vbi viues in morte tua æternaliter, quia noluisti in luce viuere, quod egregie explicauit sub hac eadem metaphora Origenes super Iob. lib. 3. ad illa verba sicut abortiuum absconditum non subsisterem, abortiua inquit de ventre matris exeuntia non viderunt lucem, sed ex tenebris in tenebras eunt, ex tenebris atque angustia materni vteris in tenebras, & angustias terræ, atque sepulcbri, sic impij de tenebris in tenebras eunt, ex angustia in angustiam expellentur, de corpore in sepulcbrum, ex sepulcbro in iudicij damnationem, & tenebras exteriores.

2 Quia me purum hominem viderunt, sed deitatem latentem non viderunt, ideo fiducialiter peccabant, & ex iustitia, quasi præualuerunt.

Ex verbis præsentis notæ admodum aperte colligi potest, modo Christianos peccatis suis in Christum sæuientes, grauius delinquere, quam tunc temporis iudæi, aut etiam passionis ministri, qui iniuriis, ac verberibus in eum seuierunt, & ratio huius esse potest, quod illi Christum purum hominem non Deum esse crediderunt, quod saltem procedit de inferioribus iudæis, aliisque non legis peritis, vt nos declarauimus supra hoc eodem lib. 6. cap. 1. nota prima, ideo legimus hic, quod ipsi fiducialiter peccabant, & ex iustitia, quasi præualuerunt, vnde notandum, quod dicuntur quasi ex iustitia præualuisse, comparata namq; iudæorum, ac carnificū iniustitia cum Christianorum iniustitia, illa dicitur, quasi iustitia, quia minor est iniustitia, licet enim iniustitia fuerit maxima, quod hominē iustissimum, & nulla morte dignum occiderint Christianorum tamen iniustitia lōge maior est, tum quia Christum vt Messiam, & filium Dei nouerunt, tum etiam, quia in Sacramento Baptismatis illum sequi eiusq; obtemperare mandatis promiserunt, quod non solum non faciunt, sed quod deterius est, eum toties crucifigunt, quoties peccata sua iterantes, eum in dies offendunt, vnde Apostolus hebræorum sexto de his scripsit rursus crucifigentes sibi met ipsis filium Dei.

PRAECIPITVR SPONSAE, quod frequenter sumat corpus Christi, quod per manna, quod pluit patribus in deserto, & per farinam viduę quę pauit prophetam designatur. Enarrat etiam virtutes magnas, & gratias, quæ animę deuotę sumenti ex communione prædicta perueniunt.

CAP. XXIX.

EGO sum Deus tuus, & dominus. Cuius vocem Moyses audiuit in rubo, & Ioannes in iordane. Ab isto die volo, quod recipias frequentius corpus meum. *Hoc* est enim medicamentum, & cibus de quo anima confortatur. *Infirmus* in anima, & debilis
1 in virtutibus conualescit. 1 Nunquid non scribitur, quod propheta mittebatur ad mulierem, quæ pauit eum modica farina, & non minuebatur, vsque dum pluuia venit super terram. Ego sum ille propheta in figura corpus meum est farina illa, hoc cibus est animæ hoc non consumitur, nec minuitur, sed cibat animam, & semper inconsumptum est. Nam corporalis cibus habet tria. Primo contritus liquefcit. Secundo adnihilatur. Tertio cibat ad tem-
2 pus. 2 Sed meus cibus teritur, & manet interitus, secundo non adnihilatur, sed manet idem. *Tertio* non cibat ad tempus,
3 sed ęternaliter: 3 *Hic* cibus perfigurabatur in manna, quod comederunt illi antiqui patres in deserto hic est caro quam in Euangelio promisi, quæ satiat in æternum.
4 4 Ergo sicut eger crescit ad fortitudinem virium corporali cibo. Sic omnis qui hoc corpus meum cum bona intentione sumit crescit ad spiritualem fortitudinem, hoc est fortissimum medicamentum, quod ingreditur ad animam, & satiat eam, hoc sensum corporis latet, & intellectui animæ manifestū est, hic cibus insipidus est malis, quibus non sapit, nisi dulcedo tēporalium, quorum oculi nihil vident, nisi cupiditatem suam, quorum intellectus nihil discernit, nisi voluntatem suam.

NOTAE.

1 NAm quid non scribitur, quod propheta mittebatur ad mulierem, quæ pauit eum modica farina.

Indicat hoc loco Saluator noster Christus B. Brigittæ subcinericium panem ex farina viduæ confectum Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti, fuisse figuram, qua de re agitur tertio Reg. capit. 17. vbi hoc idem annotarunt Rabanus, Eucherius, & Angelomus: huius autem figuræ ratio in eo posita est, quod sicut panis ille nunquam defecit viduæ, nec imminutus est, donec Deus super terram pluuiam misit, quemadmodum Heliæ Prophetæ Deus fuerat pollicitus, ita quoque Angelicus hic panis, nunquam in militante Ecclesia defuturus est, iuxta promissionem nobis ab ipso met Christo factam Matth. 28. Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi, & hoc est quod scribitur hic, pauit eum modica farina, & non minuebatur vsque dum pluuia venit super terram, cui addendum esse etiam arbitror, quod ideo subcinericius panis Eucharistiæ figuram gerit, quia sicut ille sub cinere latuit, ita quoque diuinitas sub humanitate, & vtrumque sub speciebus panis in Sacramento latent. Cæterum panem in Sacris litteris figuram fuisse Christi Domini, & Eucharistiæ Sacramenti, tradunt Diu. Hieronym. super Hierem. capit. ij. & super Ezech. cap. 18. Tertullianus aduersus Iudæos, Origen. homil. quarta super psalm. 26. D. August. de serm. 2. Domini in monte, & super Ioan. tract. 125.

2 Sed meus cibus territur, & manet intritus.

Vt præsentis notæ verba intelligantur recolendum est in Sacramento Altaris, post consecrationem præter Christi Domini diuinitatem, & humanitatem remanere etiam accidentia panis, absque substantia eius, quæ quidem a sumente Eucharistiam franguntur, & in partes minutas rediguntur, hoc enim est terere, ipsa tamen diuinitate, ac humanitate integra remanente, quæ impassibilia sunt, & hoc est, quod scribitur hic cibus meus territur, & manet intritus.

3 Hic cibus præfigurabatur in Mãna, quod comederunt illi antiqui patres.

Manna huius Sacramenti peculiarem fuisse figuram, vt scribitur hic ex scripturis, & sanctis patribus habemus, vt Ioan. sexto Exodi 16. Deuteronom. 8. sapientiæ 16. primo Corinth. 10. hoc idem annotarunt ex patribus Origen. homil. 7. in Leuit. & homil. 35. in Matth. Diu. Chrisost. homil. 44. in Ioann. Cyrillus Alexandr. libro 4. in Ioann. cap. 37. D. Augustinus in psalm. 77. D. Basilius de Spiritu sancto cap. 14. D. Thomas par. 2. quæst. 102. art. 4. & tertia parte quæst. 80. art. 10. ad secundum.

4 Ergo sicut æger crescit ad fortitudinem virium corporali cibo, sic omnis, qui hoc corpus meum cum bona intentione sumit, crescit ad spiritualem fortitudinem.

Propalat Christus Dominus hic, vnum huius Sacramenti effectum, qui est refectio spiritualis & fortitudo quadam intrinseca, quæ ab eo manat, cum enim hoc Sacramentum conferatur per modum cibi, cibus vero sicut comedenti affert robur, & corporalem fortitudinem, sic iste suauissimus, et Angelicus cibus spiritualem quandam virtutem, ac vim sumenti tribuit, & quo frequentius quis eum digne sumit, eo majorem fortitudinem, & plura quoque dona obtinet: continetur enim in eo realiter ipse Christus, qui est fons, ac origo omnium bonorum, sed præter hunc effectum innumerabiles etiam recensent Theologi, qui ad hæc capita possunt reuocari, vt dare quandam dulcedinem, & deuotionem spiritualem, & actualem, promouere in bono, remouere malum pœnæ, vitæ spirituali cõseruationem, ac perfectionem tribuere, vim conferre cõtra tentationes, virtutẽ quoq; dat ad frangendos impotentes animi motus contra fomitem, vt annotarunt Cyrillus Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 37. & lib. 4. cap. 17. D. Bernard. serm. de Cœna Domini D. Thomas Opusc. 59. dicitur etiam hoc Sacramentum, eximiam quandam animi puritatem tribuere, vt ne peccatis quidem cogitationem aliquã admittat, quod affirmarunt Diu. Dionis. Areop. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. D. Damasce lib. 4. de fide cap. 14. Diuus Ciprianus serm. de Cœna Domini, sed de effectibus huius Sacramenti late egerunt Concil. Florent. in decreto vnionis Armenorum. Trident. sess. 13. ca. 2. & 3. can. 5. & 11. Ioannes Gerson. tract. 9. super Magnificat ad ea verba, Esurientes impleuit bonis, Guglielmus Parisiensis tract. de Sacrament. Eucharist. versus finem, Magister in quarto sententiar. d. 12. & ibi plures scholastici.

*

CHRI-

CHRISTVS PRAECIPIT sponsæ, quod totaliter conformet voluntatem suam voluntati Dei, tam in prosperis, quam in aduersis. Nam voluntas comparatur radici arboris, quæ si bona est, tunc arbor, idest anima fructificat bonum fructum, si vero instabilis est, tunc roditur a talpa, idest a diabolo, & anima impletur a vento aduersitatum, aut arescet a calore solis, idest mundi amore vano.

CAP. XXX.

Filius loquebatur ad sponsam. Licet ego omnia scio, tamen dic mihi in tua propria loquela qualis est voluntas tua? Respondit pro sponsa statim Angelus, qui datus erat ei ad custodiam dicens: voluntas sua est sicut legitur. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Respondit Dominus. Hoc est quod quæro, & volo, hoc est gratissimum mihi obsequium. Ergo sponsa mea oportet te esse, sicut arborem bene radicatam, quæ tria mala aduenientia timere non habet. Primo, si arbor bene radicata fuerit non perfoditur a talpa. Secundo, non incutitur impulsu ventorum. Tertio non arescit ex feruore solis. Arbor vero tua, anima tua est, huius radix principalis voluntas bona est, secundum voluntatem Dei. De hac enim radice voluntatis tot virtutes procedunt, quot sunt radices in arbore. Radix ergo principalis de qua aliæ succrescunt debet esse fortis, & grossa, debet etiam esse profunde in terra radicata. Sic voluntas tua debet esse fortis in patientia, grossa in diuina charitate, profunde depressa in vera humilitate, & si sic radicata fuerit voluntas tua, tunc non habet timere talpam.

Quid autem significat talpa subtus terram vadens, nisi diabolum, qui inuisibiliter animam circumuagatur, & perturbat? Hic radicem voluntatis si fuerit instabilis ad patiendum, morso suo findit, & mordendo dissipat, quando affectiones prauas, & cogitationes immittendo cordi, voluntatem tuam in diuersa rapit, & facit te desiderare aliquid contra voluntatem meam. Tunc vero vitiata principali radice, omnes aliæ radices vitiantur, & arescit truncus, id est si voluntas tua, & affectio fuerit corrupta, etiã virtutes aliæ maculantur, & displicent mihi, immo etiam per voluntatem ipsam malam nisi corrigatur pęnitentia, 1 digna es diaboli subdi domino, quamuis voluntas non procedat ad effectum. Si vero radix voluntatis fuerit fortis, & grossa, rodere quippe potest eam talpa, sed non findere, & tunc ex corrosione illa radix fortius succrescit iterum ad maiorem fortitudinem. Sic si voluntas tua fuerit semper firma in cõtrarijs, & prosperis, rodere quippe potest eam diabolus, idest cogitationes prauas immittere, sed si illis resistitur, & non consentitur voluntate, tunc non erunt tibi ad suppliciũ sed proficiunt tibi per patientiam ad maius meritum, & virtutum sublimitatem. Quod si forte contingat te ruere per impatientiam, vel ex improuiso. Consurge citius per pœnitentiam, & contritionem, & tunc ego remitto peccata, & dabo tibi patientiam, & fortitudinem, ad immissiones diaboli tolerandas. Secundo. Si arbor bene radicata fuerit, nõ habet timere impulsum ventorum. Sic si voluntas tua fuerit secundum voluntatem meam, non debes sollicitari de aduersitate mundi, quæ est tanquam ventus, cogitando tecum, quod forte sic expedit tibi, scilicet pati aduersitates. Non debes conturbari de cõtẽptu, & opprobrio tuo, quia ego quos volo exaltare, & deprimere possum. Non debes dolere de passione corporis, quia ego sanare, & percutere possũ, quia nihil facio sine causa. Qui vero voluntatẽ habet mihi contrariã, hic in pręsenti tribulatur, quia nõ potest perficere, quod quęrit, & adhuc in futuro pro volũtate mala punietur. Quod si voluntatẽ suam mihi cõmitteret omnia faciliter potuisset aduenientia tolerasse. Tertio arbor bene radicata non habet timere nimium calorem, idest qui voluntatem habent perfectam non siccantur ab amore Dei per amorem mundi, nõ retrahuntur ab amore Dei aliquo prauo impulsu. Illi autem, qui instabiles sunt, horum anima a bono incepto, & a charitate Dei cito euertitur, aut suggestione diaboli, aut contrarietate mundi, aut ab amore eius vana inutiliter concupiscẽdo. Propterea non bona arbor est ille homo, de quo tu nunc cogitas, huius capitalis radix fracta est, scilicet, Fiat voluntas tua sicut in cęlo, & in terra. Ipse enim assumpsit vitæ continẽtis austeritatem, sed refriguit in eo charitatis

tatis ardor, hunc ego iuui propter preces matris meæ, quia habuit tria paupertatem in diuitijs, infirmitatem in membris, defe ctum in scientia, hæc fuit voluntas mea, quod si patienter in his tribus stetisset, habe ret æternam abundantiam, haberet & æternam sanitatem, & pulchritudinem, ha beret & cognitionem, & visionem Dei, & ad hæc obtinenda ego iuui eum dando ei spiri tualium fortitudinem, inspirando ei volun tatem meam. Sed voluntas eius est voluntati meæ contraria, tepide requirit auxilium. Angustiatur enim de paupertate non propter me, sed propter vtilitatem suam. Angustiatur, & de infirmitate ne patiatur dolorem. Angustiatur de defectu scientiæ ne ab aliis contemnatur. Ideo ex occulta scientia mea tria hæc ex quibus tur babatur obtinuit ad voluntatem suam, ha bet quippe tunc maiorem abundantiam, quam prius necessitatem corporis, habet & maiorem scientiam, habet & maiorem reputationem, propterea cum talpa diabo lica tangit eum cum tentatione timendus est ei casus, quia voluntas capitalis fracta est. Et ideo si amor mundi incaluer it, sta tim arescit a bono, & procedit ad cupidita tem. Si vero ingruerit tribulatio angu stiatur ab omni parte. Sicut arbor concus sa vento in nullo stabilis, & ad omnia que rulosus. Si vero afflauerit honor non minus sollicitabitur, quomodo omnibus pla ceat, quomodo ab omnibus vocari possit bonus, & ad ingruentia possit occurrere sapienter. Ecce quanta instabilitas pro uenit ex instabilitate radicis vitiatæ. Quid autem ego facturus sum? Ego autem tum quasi bonus hortolanus, in cuius horto multæ sunt infructuosæ arbores, & paucæ bonæ, si abscindantur penitus illæ bonæ ar bores, quis tunc intrabit hortum? Si vero omnes infructuosæ arbores radicitus euel lantur, nimis deformis apparet hortus ex fossis, & ex suffossione pulueris. Sic ego si omnes bonos ad me de carne educerem, quis tunc ingrederetur sanctam Ecclesiam? Si vero omnes malos in vno puncto auferrem, tunc nimis deformes fossæ apparerent in horto, & tunc omnes seruirent mihi ex timore pœnæ, & non ex amore. Ideo ego facio sicut bonus insertor, qui surculum arido trunco inserit, quo crescente, & firmiter radicato illud quod aridum est proii cit in ignem. Sic ego faciam, plantabo quippe mihi plantationẽ dulcedinis, & surculos virtutum, quibus succrescentibus abscindam quod aridum est, & proiiciam in ignem, & purgabo hortum meũ, ne aliquid infructuosum remaneat, quod ramos nouellos, & fructificantes possit impedire.

Declaratio.

De Priore quodam compuncto de verbis Christi, qui postea factus est deuotus. Hic idem prior vidit Christum extendentem manus ad eum, & dicẽtem. Per istud inquit solidum os intrauerunt claui. Isto priore mortuo dixit Christus. Frater, ille amicus tuus non est mortuus, sed viuit, quia operi bus impleuit nomen fratris. Sed potes quæ rere. Quis est verus frater? Respondeo tibi. Ille est verus frater, qui secundum commune prouerbium omnia sua portat in dorso, qui nihil desiderat nisi Deum, & nouit necessariis contentari, qui me Deum factum carnem fratrem suum agnoscit, & diligit vt fratrem. Item de eodem fratre. Cum idem frater difficilis esset ad credendum gratiæ dominæ Brigittæ datæ vidit in extasi domi nam, & ignem de cœlo descendentem in eã. Cumq; miraretur, & putaret illusionem expergefactus, iterum obdormiuit, & exau diuit aperte bis vocem dicentem. Nullus prohibere potest ignem istum, vt non egre diatur. Ego enim ipsa potentia emittam hunc ignem ad orientem, & occidentem, ad Aquilonem, & ad Austrum, & inflammabit multos. Post hæc idem frater factus est cre dulus reuelationum, & defensor earum, & operibus impleuit nomen fratris, & bene finiuit. Item in eodẽ capitulo. Frater quidam infirmabatur tribus annis, ita quod pes eius computruit, & medulla indefluebat, qui tantæ patientiæ fuit, quod semper Iesum habebat in corde, & ore dicendo. Iesu dignissime Deus miserere mei. Qui appropinquans morti clamabat. Desidero, desidero, desidero. O desiderium meum veni. Qui cum interrogaretur quid desideraret. Respondens inquit Deum, & ex desiderio eius, & visione, gaudeo, & exulto, intantum quod si centum annis viuere possem in ista infirmitate, libenter contentus essem. Post hęc idem frater circa mediam noctem exultans, mortuus est in manibus fratrum. Sequenti vero dominica die, domina rapta in spiritu audiuit. O filia, quia domini, & magistri noluit venire ad me humiles. Ideo colligo pauperes, & idiotas in regnum cœlorum. Nam iste pauper, & idiota hodie inuenit sapientiam supra Salomonẽ diuitias quæ non veterascunt, & coronam quæ semper augetur, & nunquam finietur. Dic etiã illi fratri, qui ei pro pœnitentia sua seruiuit in infirmitate sua, quod propter seruitium eius liberabitur a tentationibus, & habebit fortitudinem ad spiritualia, finem quoque gaudiosum, & vigilabit in requie Lazari.

NOTAE.

1 Digna es diaboli subdi Dominio, quamuis voluntas non procedat ad effectum.

Per effectum hoc loco omnino intelligendum esse arbitror actum externum, & opus consumatum; licet enim voluntas in moralibus actibus ad externum non exeat opus, dum tamen consensum peccādo prestat, facta est, et æternæ pœnæ Rea, et diaboli captiua, et ideo propter hoc illius imperio subditur, vt legimus hic, quod tamen Scribæ, & Pharisæi negabant, qui totam iustitiam in externis tantummodo operibus ponebant, sed Dominus Matth. quinto hanc illorum peruersam confutans sententiam, qui viderit inquit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est in corde suo, quod egregie declarauit Chrisostomus, siue quisquis fuerit operis imperfecti auctor homil. 17. Dominus ait admonere non est contentus, vt solummodo corpus a malis actibus, sed vt prius animam quoque a malis cogitationibus auerteret, quia enim Spiritus sancti gratia mente suscipimus merito ipsam purificat, propterea non dixit, qui concupiuerit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum, idem annotarunt in locum citatum, Matth. Beda, Lyranus, & Glossa ordinaria.

VIDEBATVR A SPONSA in diuino iudicio vnus dæmon, & vna anima consimilis formæ horribilis animalis, & damnabatur illa anima, quia semper perseuerauerat in malo, nec in fine pœnituit, & qualiter Christus est charitatiuus, & pius bonis, & districtus malis, & qualiter anima alia ascendebat, vt stella clarissima.

CAP. XXXI.

Videbantur a sponsa in diuino iudicio stare quasi duo dæmones, consimiles in omnibus membris. Quorum ora erāt aperta quasi luporum. Oculi quasi vitrum intus ardens flammantes, aures dependentes quasi canum venter tumidus, & nimium procensus, manus quasi grifi. Crura sine iuncturis, pedes erant quasi mutilati, & quasi ad medium abscisi. Tunc vnus eorum ait ad iudicem. Iudex iudica hanc animam mihi consimilem istius militis mihi in coniugem ad meam coniunctionem. Respondit iudex. Dic qualem iustitiam, & rationem habes ad eam. Respondit dæmon. Ego quæro a te primo, quia iustus es, nonne vbi animal aliquod simile inuenitur alij solet dici, hoc animal leonini generis est, vel lupini, vel aliquod huiusmodi. Nunc ergo quæro, cuius generis sit anima ista, aut cui similis angelis, aut dæmonibus? Cui ait iudex. Non est similis Angelis, sed tibi, & tuis consimilibus sicut satis patet. Tunc quasi deridendo ait dæmon. Cum hæc anima de ardore vnctionis, idest charitatis tuæ creata fuit similis erat tibi. Nunc autem contempta tua dulcedine, facta est mea triplici iure. Primo, quia est similis mihi in dispositione. Secundo, quia similem gustum habemus. Tertio, quia vnam habemus ambo voluntatem. Respondit iudex. Licet ego omnia scio, tamen propter istam sponsam meam quæ astat, dic quomodo est similis tibi dicta anima in dispositione? Et dæ

1 mon ait. 1 Sicut conformia habemus membra sic etiam conformes habemus actus. Nos enim habemus apertos oculos, nihil tamen videmus. Ego quippe nihil volo videre quod ad te, & tuam dilectionem pertineat, sic nec ipsa videre voluit cum potuit, quod ad te, & salutem animæ pertineret, sed sola delectabilia, & temporalia attendebat. Nos etiam habemus aures, sed non audimus ad profectum nostrum, sic & ista nihil, quod ad honorem tuum pertinuit audire voluit, & mihi similiter omnia tua amara sunt. Ideo vox dulcedinis, & bonitatis tuæ nunquam intrabit in aures nostras, ad consolationem nostram, & profectum. Nos habemus ora aperta, quia sicut ipsa os suum apertum habuit ad omnia suauia mundi, & clausum ad te, & honorem tuum. Sic & ego habeo os meum apertum ad offensionem tuam, & turbationem, & nunquam continerem illud a malo tuo, si possibile esset te turbari, vel a gloria immutari. Manus istius sunt quasi grifi, quia quicquid de temporalibus obtinere potuit vsque ad mortem tenuit, & tenuisset diutius si permisisses sibi viuere vlterius. Sic & ego omnes, qui in manus potestatis meæ veniunt, tam firmiter tenerem quod nunquam relinquerem, nisi ex iustitia tua auferrentur a me inuito. Venter eius tumidus est, quia cupiditas eius prætendebatur absque mensura, implebatur enim,

& non

& non ſatiabatur, tanta quippe fuit eius
cupiditas, quod ſi ſola totum mundum ob-
tinere potuiſſet libēter laboraſſet, & adhuc
ſupra in cœlis regnare voluiſſet. Conſimi
lem etiam cupiditatem habeo ego. Nam
ſi omnes animas in cœlo, & in terra, & in
purgatorio ſolus obtinere poſſem libenter
raperem. Et ſi ſupereſſet vna ſola anima
hanc propter cupiditatem meam nō dimit-
terem liberam a tormento. Pectus quoq;
eius frigidiſſimum eſt ſicut & meum, quia
nullam charitatem habuit ad te, & nunquā
ſapiebant ei monita tua. Sic & ego nulla
charitate afficior circa te, immo ex inui-
dia quam habeo ad te libenter me amariſ-
ſima morte ſemper occidi permitterem, &
ſemper ad idem renouari ſupplicium, ad
hoc vt tu occidereris ſi poſſibile eſſet te oc
cidi. Crura etiam noſtra ſunt ſine iunctu-
2 ris, quia voluntas noſtra vna eſt. 2 Nam
a principio creationis meæ voluntas mea
ſtatim mouebatur contra te, & nunquam
volui quod tu. Sic voluntas eius fuit ſem-
per tuis præceptis contraria. Pedes no-
ſtri quaſi mutilati ſunt, quia ſicut enim pe-
dibus proceditur ad corporis vtilitatem,
ſic cum affectu, & opere bono proceditur
ad Deum. Sic anima iſta nunquam voluit
procedere ad te cum affectu, nec opere.
Sicut nec ego. Ideo in omnibus ſumus con
ſimiles in diſpoſitione membrorum. Ha-
bemus etiam ſimilem guſtum, quia licet
ſciamus te ſumme bonum, non tamen gu-
ſtamus, quam dulcis, & bonus es. Ergo
ſicut ſimiles ſumus in omnibus ſic iudica
nos ad coniunctionem. Tunc reſpondit co
ram Domino vnus Angelorum dicens. Do
mine Deus. Poſtquam iſta anima corpori
iuncta fuit, ego ſemper eam ſequebar, nec
ſeparaui me ab ea, quamdiu in ea aliquid
boni reperi. Nunc autem relinquo eam
quaſi ſaccum vacuum ab omni bono. Ipſa
denique habuit tria mala. Primo, quod
verba tua reputabat pro mendacio. Se-
cundo, tenuit iudicium tuum pro falſitate.
Tertio miſericordiam tuam habuit pro ni-
hilo, immo hæc miſericordia tua quaſi
mortua fuit ante eam. Iſta anima fuit e-
tiam in coniugio, nec habuit niſi vnam v-
xorem, & non miſcuit ſe alteri fœminæ, &
hanc fidelitatem matrimonij ipſe ſeruauit
non propter diuinam charitatem, & timo-
rem, ſed quia ſic tenere diligebat carnem
illam vxoris, quod non affectabat cum a-
lia carne copulari. Audiebat quoque miſ
ſas, & interfuit diuinis, non propter deuo
tionem, ſed vt non eſſet ſegregatus, & ne
notaretur ab alijs Chriſtianis. Acceſſit e-
tiam cum alijs ad Eccleſiam hac intentio-
ne, & ea ratione, vt ei dares ſanitatem
corporis, diuitias mundi, & honores, nec
non vt conſeruares eum a caſu, quod ab
hominibus infortunium appellatur, domi-
ne huic animæ totum tribuiſti in mundo,
& plus quam ſeruiuit. Nam dediſti ei fi-
lios formoſos, dediſti ſanitatem corporis,
& diuitias, ſeruaſti eum ab infortunio,
quod timuit. Dediſti ei ex iuſtitia effectum
cupiditatis ſuæ, intantum quod pro vno
centum rependiſti ſibi, & nihil irremunera
tum remanſit. Ideo relinquo eam nunc va
cuam ab omni bono. Tunc reſpondit dæ
mon, ergo iudex, quia ſequebatur meam
voluntatem, & in centuplum rependiſti ei
omne, quod debebat habere de te. Ideo
indica nos ad coniunctionem. Nunquid
non in lege tua ſcriptum eſt, quod vbi vna
voluntas, & vnus conſenſus matrimonialis
fuerit ibi coniunctio legalis fieri poteſt?
Sic inter nos eſt, ſua enim volūtas eſt mea,
& mea eſt ſua. Cur ergo a coniunctione mu
tua defraudamur. Reſpondit iudex. Ape-
riat anima voluntatem ſuam qualiter ſibi
de coniunctione tua videtur. Quæ reſpon
3 dit iudici. 3 Magis volo eſſe in pœna in
ferni quam venire in gaudium Cœli, ne tu
Deus habeas de me conſolationem, tantum
enim mihi odioſus es. quod minus curo de
a cruciatu meo, ſi tu non conſoleris. Tunc
dæmon ait ad iudicem. Talem volunta-
tem habeo etiam ego. Mallem quippe in
perpetuum cruciari, quam venire in glo-
riam, ad hoc vt tu haberes inde conſola-
tionem. Tunc iudex ait ad animam. Vo
luntas tua eſt iudex tuus, & ſecundum hāc
iudicium ſuſtinebis. Et tunc iudex con-
uerſus ad me, quæ hæc omnia videbam di-
xit mihi. Veh iſti, quia peior fuit latro-
ne, habuit enim animam ſuam venalem.
Carnis ſitiuit immunditias, proximum
ſuum defraudauit. Ideo voces hominum
clamant ſuper eum vindictam. Angeli auer
tunt ab eo faciem. Sancti fugiunt conſor-
tium eius. Et tunc dæmon appropinquans
ad animam illam ſibi ſimilem dixit. O iu-
4 dex, ecce ego, & ego. 4 Ego, quia mali-
tia mea malus ſum, & non redemptus, nec
redimendus. Iſte vero eſt, quaſi alius ego,
quia redemptus eſt, & aſſimilauit ſe mihi,
obediendo magis mihi, quam tibi. Ideo iu
dica mihi eam. Cui iudex. Si tu adhuc
humiliares te, ego darem tibi gloriam, &
ſi anima iſta in vltimo puncto vitæ petiiſ
ſet veniam cum propoſito emendandi, nū-
quam ſtaret in manibus tuis. Sed quia
perſeuerando vſque ad finem obediuit tibi,
Ideo iuſtitia eſt, vt ſit æternaliter tua. Ve-
runtamen bona, quæ fecit in vita ſua, ſi ta-
men aliqua ſunt, reſtringent malitiam tuā,
ne poſſes eam cruciare quantum velis. Et

dæ-

dæmon dixit ergo mea est, propterea sicut dici solet. Caro eius erit caro mea, licet carnalis non sum, & sanguis eius, sanguis meus erit. Et multum lætari videbatur de hoc diabolus, & cœpit plaudere manibus.
5 Cui dixit iudex, quare lætaris tantum, & quę lætitia est tibi de animæ perditione? Dic audiente sponsa mea quæ astat, quia licet ego omnia nouerim, tamen propter istam sponsam, quæ spiritualia absq; similitudine capere non potest. Responde. Tunc dæmon ait. Cum anima ista ardet, ego plus, & atrocius ardeo, & cum ea incendero, ego magis incendor, sed qui redemisti eam sanguine tuo & tantum eam dilexisti, vt teipsum Deum pro ipsa dares, & cum eam decipere potui, in hoc ego gaudeo. Respondit iudex, malitia tua magna est, sed circunspice permitto enim te videre. Et ecce stella pulcherrima ascendebat ad superiora cęli, & vidês hanc dæmon obmutuit. Cui dixit dominus. Cui est illa similis. Respondit dæmon, ipsa est splendidior sole, sicut ego nigrior fumo. Illa est plena omni dulcedine, & diuina dilectione, & ego plenus sum omni malitia, & amaritudine. Et dominus, quomodo sedet hoc in animo tuo, & quid dare velles ad hoc, quod ipsa daretur in potestate tua? Respondit dæmon. Omnes animas quæ sunt in inferno ab Adam vsq; ad horam hanc libenter darem pro ea, & adhuc tam amaram pęnam pati vellem, tanquam si cuspides gladiorum innumerabilium insigerêtur in vna columna cuspis iuxta cuspidem, & tā densissime, vt non esset distantia vnius acus inter hæc libenter trāsirem a summo cęli, vsq; ad infernum, vt illa stella daretur in potestate mea. Respondit dominus. Malitia tua magna est ad me, & ad electos meos. Ego autē sum sic charitatiuus, quod si esset possibile me iterum mori, libenter vnum talē supplicium paterer pro vnaquaque anima, & pro vnoquoq; spiritu immundo, quale semel passus sum in cruce pro omnibus animabus, ita vt non remaneret vnus spiritus immundus. Sed tu ita inuidus es, quod nō vis, quod etiam vna sola anima veniret ad me. Tunc dominus ait ad illam bonam animam, quæ videbatur vt stella. Veni electa mea in gaudium quod desiderasti. Veni in dulcedinem, quæ nunquam finietur. Veni ad Deum tuum & dominum quem toties desiderasti. Ego dabo tibi meipsum, in quo est omne bonum, & omnis dulcedo. Veni ad me de mundo, qui similis est dolori, & pęnæ, quia in eo nō est nisi miseria. Et tunc dominus conuersus ad me, quæ hæc omnia in spiritu videbam, dixit mihi. Ecce filia hæc in vno puncto facta sunt apud me, sed quia tu sine similitudine spiritualia capere non potes, ideo tibi sic ista ostendo, vt intelligat homo quam districtus sum malis, & quam pius bonis.

Declaratio.

Anima quædam pręsentabâtur iudici, quam quatuor ethiopes insequebantur, qui dixerūt iudici. Ecce preda sequebamur eā, & omnes vias eius notauimus, & iam incidit in manus nostras quid faciemus? Quibus iudex, quid inquit causæ habetis contra eam? Respondit primus ethiops. Tu Deus dixisti. Ego sum iustus, & misericors, & præstabilis super peccata, hæc autem anima posuit se in prædestinatione tanquam creata esset ad æternam damnationem. Secundus ethiops dixit, tu domine dixisti, quod homo deberet esse iustus cum proximo suo, & non defraudare eum, hic autem defraudauit proximum suum, & mutauit quod potuit, & recepit quicquid voluit nullam habens voluntatem restituēdi. Tertius ethiops dixit. Tu dixisti quod homo nō deberet diligere creaturam super Creatorē, hæc autem omnia præter te dilexit. Quartus ethiops dixit, quod nullus potest intrare cęlum, nisi qui desiderat, & quærit toto corde Deū, hæc autem nihil boni desiderabat, nec aliqua spiritualia placuerunt sibi. Sed quæ fecit pro te solūmodo ne notaretur a Christianis non esse Christianus faciebat. Tunc dixit iudex animæ, quid dicis de te ipsa? Respondit, Induratum est cor meum, & cupio tibi malum, & non bonum, qui es Creator meus, & Redemptor. Veruntamen coacta veritatem dicam. Ego sum quasi abortiuus cecus, & claudus contemnens monitæ patris. Ideo iudicium meum dicit mihi conscientia mea, vt illos sequar in pœnis quorum mores, & consilia sequebar in terris. Quibus dictis anima cum maximis lachrymis egressa est a conspectu domini, & visio disparuit. In fine huius reuelationis habetur de fratre Algoto priore Scarensi, & magistri in Theologia, qui tribus annis cecus, & laborans calculo, sine quieuit beato. Nam Beata Brigitta orante pro eo, vt sanaretur, audiuit in spiritu responsum, Ipse est stella fulgida, non expedit, vt sanitate denigretur anima. Iam enim certauit, & cōsummauit, & nihil restat nisi vt coronetur. Et hoc erit sibi signum, quod ab ista hora alleniabuntur dolores carnis, & anima tota inflammabitur charitate mea.

NO-

NOTAE.

1 Sicut conformia habemus membra, sic etiam conformes habemus actus.

Ex hac conformitate membrorum, non colligendum est hoc loco, Animas, & Dæmones, vel corpus, vel aliquas corporis partes habere, hoc enim similitudinariæ intelligitur, Animã scilicet, & Dæmonem similitudinem quampiam assumpsisse corporis, prout insinuatur in principio præsentis capitis, & hoc fuisse factum vt Beatissima Brigitta percipere posset quæ illi diuinitus in hac visione de illa anima propalabantur, & propterea circa finem, illi dixisse Christum legimus, quia sine similitudine spiritualia capere non potes, ideo sic ista ostendo, & hoc spectat ad visionem spiritualem, seu immaginariam, in qua non corpora, sed imagines corporum cernuntur.

2 Nam a principio creationis meæ voluntas mea statim mouebatur contra te.

Dæmonem non in primo suæ creationis instanti, sed post primum instans voluntatem suam contra Deum mouisse, probauimus supra lib. 4. Reuelat. ca. 106. nota prima, & hanc esse communem Doctorũ omnium opinionem ostendimus ibi, cum ergo hic legimus dæmonem a principio suæ creationis mouisse voluntatem contra Deum, intelligendum est post primum instans suæ creationis.

3 Magis volo esse in pœna inferni, quam venire in gaudium cœli, ne tu habeas de me consolationem, tantum enim mihi odiosus es.

Duo in præsenti nota breuiter examinanda sũt, primo quidem quomodo verum sit, & qua de causa hæc anima, quæ hoc loco damnata iam esse dicitur, malit permanere in pœnis inferni, quam ire ad gaudium cœli quod etiam procedit in dæmone, legimus enim aliquanto post, verba præsentis notæ dicentem dæmonem, talem voluntatem habeo etiã ego, Mallem quippe ego cruciari, quam venire in gloriam, ad hoc vt tu haberes inde consolationem, atq; hoc etiam discutiendum est, quod nam gaudium habeat Christus ex salute animarum, & vt a prima dubitatione sumamus exordium, hic animaduertendum est, nos in præsenti nota inuestigare communem rationem hominibus damnatis, & dæmonibus, quare hi deponere nolint prauam voluntatis affectionem circa vltimum finem, volentes permanere in tormentis, quibus cruciantur, & vt omittamus, id quod omnes concedunt in Dæmonibus prouenire hoc ex inflexibilitate liberi arbitrij dicendum videtur, huius obstinationis causam in vtrisq; pendere ex natura status, quia iam sunt in termino, & quia in eo statu reperiuntur multa, per quæ eorum voluntas firmatur in illo, vt mirum non sit, si hæc Anima, & dæmon dixerint malle in pœnis inferni permanere, quam ire ad gaudium cœli, neq; enim, vt probat D. Aug. lib. de fide ad Petrum cap. 3. damnati possunt esse sine mala voluntate, nec sine pœna, quod vt explicemus apertius sciendum est, quod damnati cum sciant se penitus diuino fauore, ac auxilio destitutos esse, seq; numquam peruenturos ad rectitudinis statum, nullam spem habent, nec habere possunt consequendi veniam, aut perueniendi ad rectitudinem, supernaturalem. & hinc fit, quod in statu permanere se velle affirment, secundo etiam quia damnati semper actu considerant Deum esse illarum pœnarum auctorem, qui pro sua punitiua Iustitia seuerissimam de illis sumit vltionem, & ex hoc contra Deum feruntur eum blasphemantes, & propterea ipsi semper sunt in actuali peccato, & obstinati in malo, tertio damnati semper sunt in actuali, consideratione sui miserrimi status, & pœnarum, quibus crudeliter vexantur, si enim possent per aliquod spatium temporis cogitationem auertere a miserijs suis, certè nõ paterentur, summam, & extremam calamitatem, quæ illius status propria est, & proinde non sinit illos esse absque praua illa affectione circa illum statum, semper actualiter etiam peccantes, quod vt hoc exemplo palam fiat, nemo est, qui ignoret, quod sicut in grauibus, & leuibus quamdiu naturaliter sunt extra proprium locum sita, constitutus illis est debitus a natura generalis concursus, quo se ad locum connaturalem moueant, ad quem cum peruenerint, neq; illis adest, nec debetur talis concursus, quo vlterius moueantur, sed potius quo quiescant in illo, sic quoque rationali, ac intellectuali naturæ accidit, quæ pro sua libertate mouentur in finem vltimum, quod quamdiu in statu viæ sunt, hoc creaturæ in promptu est diuinum auxilium, quo se mouere possunt ad finem vltimũ, cum vero ad statum termini peruenerint, iam vltra non egent auxilio huiusmodi, quo in finem moueantur, sed quo potius quiescant in illo fine, ad quem se libere conuerterant, dum erant in via, sed vt rem hanc Epilogo colligamus, dico peruersam hanc voluntatem, quam hoc loco legimus habere damnatam animam, & dæmonem prouenire ex natura status, & ex inflexibilitate liberi arbitrij dæmonis, & hæc est sententia D. Thomæ q. 16. de malo, art. quinto. & p. p. q. 64. art. 2. & ibidem Cardinalis Caetan. sequuntur Alexand. Alensis 3 p. q. 1. memb. 2. Capreolus in 2. d. 7. q. 2. Palud. in 4. d. 50. q. vnica: posset etiam probari hoc ex Sacris litteris Isaia 8. Ecce tribulatio, tenebræ, & angustiæ, & confusio, & non poterit auolare ab angustia sua, Apocalip. 20. cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum, Ecclesiast. 11. vbi ceciderit lignum, ibi manebit. superest modo gradum faciamus ad videndum, quod nam gaudium ex salute hominum percipiat Christus, & sane Deum gaudere

Aeterna de salute, & gloria Sanctorum supponitur hic cum legimus (ne tu Deus habeas de me consolationem) quod vt explicemus sciendum est ex amore procedere gaudium, vel propter praesentiam boni amati, vel propter hoc, quod ipsi bono amato proprium bonum inest, & conseruatur, quod maxime pertinet ad amorem beneuolentiae, per quem maxime gaudet de amico prospere se habente, cum ergo Deus creaturam rationalem creauerit, ad hoc, vt secum gaudio caelesti frueretur, cumq; filium suum misisset in mundum, vt sua morte, ac passione eam a diaboli potestate liberatam ad caelestes sedes duceret, ideo hoc loco gaudere dicitur, quando aliquem ex electis suis huiusmodi gloriam consequitur, quia videt creaturam exaltari, eiq; bonum proprium nimirum gloriae inesse, & in ea conseruari, immo propter hoc Lucae 15. magis gaudere dicitur de poenitente, quam innocente, non quidem, vt recte explicat D Ciprianus de duplici Martyrio, quod Deo gratius sit peccantem post lapsum ad pietatem redire, quam non lapsum in innocentia perseuerare, sed scriptura aliquando loquitur secundum humanos affectus, per illud indicans, Deo gratissimam esse peccatorum conuersionem, qua Deus vehementer letatur, quia tunc maxime beneficentiam suam extendit ad homines, quibus cum benefacit gaudere dicitur, vt annotauit Liranus super Isaiam cap. 65. & in hunc sensum interpretanda sunt verba praesentis notae, cum dicitur magis volo esse in poena inferni, quam venire in gaudium Coeli, ne tu Deus habeas de me consolationem.

4 Ego quia malitia mea malus sum, & non redemptus, nec redimendus.

Hoc loco duo indicantur primo quidem, Daemonem non natura, sed sua culpa malum factum esse, qua de re late egimus lib. 1. Reuelat. cap. 1. nota sexta, & lib. 4. cap. 88. nota prima: secundo legimus hic daemonem, nec fuisse redemptum, nec redimendum, quod probauimus supra lib. 4. cap. 106. nota secunda contra Origenem, qui vt plures ex sanctis patribus a nobis ibi citatis tradiderunt affirmasse videtur, daemonem aliquando fore saluandum, & redimendum, quamquam non defuerint, qui hunc errorem in eius libris ab haereticis fuisse insertum affirmarint, vt Sotus in 4. Sent. d. 54. q. 2. art. 2. & d. 50. q. vnica art. 1. & Picus Mirandulanus, & Iacobus Merlinus in Apolog. pro Origene.

5 Cui dixit Iudex, quare letaris tantum, & quae laetitia est tibi de animae perditione.

Supponitur hoc loco tanquam certum daemones de victoria, quam ex hominibus tentando reportant letari, tantum enim hominibus inuident, vt cum eos ad peccandum inducunt, vehementer eos gaudere scribitur, videntur enim tunc sitim ingentem suam explesse, per quam mala hominibus exoptant, quod manifeste declaratur infra lib. 8. Reuelat. cap. 48. cum dicitur sic Diabolus ex inuidia qua ardet Deo faciente iustitiam contra homines exhilarescit, & letatur, vt quasi malitiae suae sitis sic refrigeretur & leniatur. Caeterum an hoc verum sit merito quispiam dubitare posset, quoniam cum Daemon summum patiatur dolorem, nullum eum admittere posse gaudium credendum esset, non enim vt testis est Arist. Ethicorum septimo summus dolor admittit aliquam letitiam, quod etiam experientia patet, qui enim vehementi dolore cruciatur, & maxima mestitia afficitur, nulla re delectatur, his tamen non obstantibus probabilissimum esse arbitror, quod legimus hic daemones aliquo modo laetari, primo quidem, quia hoc tradit D. Aug. lib. de Genesi contra Manichaeos cap. 17. Daemones inquit de tam infoelici potestate, quam exercent super peccatores laetantur, quod etiam admittit D. Thom. in 4. d. 45. art. 1. quaest. 1. illud tamen gaudium vocat phantasticum, secundo patet etiam ratione, quia daemones cum homines tentando vincant, consequuntur id quod vehementer desiderabant, & ad desiderij impletionem naturaliter sequitur gaudium, verum in hac re explicanda aliqualis est controuersia apud Doctores, vt videre est apud interpretes D. Thomae p. p. q. 64. art. 3. & Molina quidem vocat hanc laetitiam complacentiam quandam sine gaudio, ac delectatione, quia tamen inquit haec solet naturaliter habere coniunctam letitiam ex ea resultantem. Ideo ab effectu appellari solet laetitia. Sed Zumel, & Bannes negant in daemonibus formaliter gaudium reperiri, Sed vere negari non potest, quod saltem causaliter non inueniatur, quatenus adimpletio desiderij ex natura sua est delectationis, & gaudij productiua, quam delectationem inquiunt de facto causaret si daemonum voluntas a summo dolore quo afficiuntur non esset praeuenta, sed huic obiectioni responderi posset, quod & si ille dolor quem daemones habent summus sit, vt bene aliqui asserunt secundum intensionem proportionatam culpae, non tamen est simpliciter summus, neq; intensiue, quia non adaequat totam capacitatem voluntatis, nec extensiue, quia non dolent de omnibus rebus, de quibus si Deus vellet dolerent, quia illos punit citra condignum, et eorum supplicium posset esse maius, & ita absque diminutione doloris, & tristitiae essentialis, possunt quoquomodo gaudere, & laetari accidentaliter de aliquare.

*

VERBA CHRISTI AD sponsam, qualiter parentes instruentes filios in mundanis moribus ad acquirendum honores, & mundanam gloriam cum superbia, per serpentes nutrientes filios suos, & docentes eos pungere cum stimulo, & veneno notabiliter designantur.

CAP. XXXII.

Serpens, & femella eius cũ commiscentur, habent in semine commixtionis venenũ, & de natura eorum venenatus concipitur serpens. Concepto autẽ serpẽte non potest viuificari nisi per gratiam meam, quia nihil sine me est, vel esse potest, nec spiritum obtinere nisi mediante virtute mea. Nato vero serpente, quia mater non habet vbera, quæ natus sugere possit, componit se super suum natum, & sic fortiter calefacit eum, vt fere suffocetur, qui sentiens ex superiori parte calorem nimium, & ex terra nimium frigus, vrgente necessitate, applicat os ad terram, & incipit terram paulatim sugere, & comedere. Deinde informans eum mater ad mouendum se pungit natum suum in cauda, quam cum incipit extendere iterum pungit, vt retrahat. Similiq; modo docet caput pungendo extendere, dorsumq; curare. Postea mater attendit aliquem locum vbi calor solis est feruentior, & illuc secum trahit natum suum, præcedens ante eum leuiter, vt addiscat sequi, quo sequente, & in calore solis dormiente. Cogitat sic mater secum, filius meus habet venenum ad malitiam, ideo necesse est, vt addiscat pungere, sed quia adhuc tenerum habet stimulum, si adhibuero aliquid durum citius frangetur, antequam assuetus, & fortis fuerit ad pungendum. Ideo mater sapienter prouidens filio inquirit aliquid mollissimum, & apportans ponit ante natum suũ dormientem. Postea valenter flatu suo perflans in aures eius excitat eum duriter, intantum, quod quasi extra se factus ex cõmotione flatus, incipit stimulare in illud molle, quod ante eum appositum est, in quo tamdiu assuefacit stimulum, quod crescente duritia stimuli, & consuetudine punctionis, discit pungere lapides, & ligna, & quæq; fortia, tandem informato nato relinquit eum mater. Talis est ille homo quem tu nosti. Est enim sicut natus serpentinus, quia de patre serpentino, & femella serpentina natus est. Nam isti ambo conuenerunt cum pessimo veneno, idest superbia, quæ damnabilius nocuit animæ, quam corpori venenum materiale. Ipse deniq; serpens cum nimium haberet ambiendi affectum, & cupiditatem inextinguibilem, arsit in concupiscentiam femellæ, quæ considerans eum sapientem formosum & strenuum ardebat in serpentem amore æquali. Ideo cum omni superbia contempto timore meo conuenerunt isti, & de venenato genere venenatum generauerunt serpentem, in quorum semen, quia misericors sum, & iustitia sic exigit, dedi animam a diuinitate mea creatam. Verum, quia mater non habet vbera diuinæ dilectionis, quibus lactet natum suum. Ideo calefacit eum sub se, idest nutrit eum ad amorem mundi, & cum excellentioribus educit eum desiderans toto affectu, quomodo reputari posset cum magnatibus, & incitans eum ad subuersionem sui alloquitur eum dicendo. Si haberes illud dominium, & principatum posses esse consimilis parenti, & talis honor decet te, & pro tali honore laborare teneris. Talibus igitur verbis natus serpentinus instructus a matre, & ad terrena calefactus, ex frigore diuinæ charitatis incipit terrena desiderando comedere, & comedendo arctius estuare. Deinde vt addiscat mouere membra, & erigere caput, pungitur in cauda a matre, quando ab ea informatur, & inducitur, vt alios sibi alliciat promissionibus, alios associet sibi verbis, & fauoribus, quando iubetur non parcere bonis, vt vocetur bonus, non parcere vitæ, vt vocetur strenuus. Non habere quietem, vt celebretur nomen eius. Docet etiam mater natum serpere, & præcedendo ducit ad feruorem solis, quando viuendo superbe, & dissolute incitat eum ad consimilia, dicens ei priuatim, & publice. Sic vixit pater tuus, & antecessores tui. Sic magnates decet incedere, pudor est si velis esse illis sanctior, dedecus est si tu velis esse illis humilior, qui ex blanda locutione acquisierunt fauorem hominum, & ex conformatione morum eorum obtinuerunt magnum nomen. His monitis natus serpentinus illectus, sequitur matrem ab vno peccato in aliud, vsque dum venerit in luxuriam carnis, tanquam in solis ardorẽ, vbi cum inceperit quiescere, & dulcescere carnis ardor, tunc docetur a matre pungere, & stimulare. Verum quia mater considerat

rat infirmitatem eius in stimulo, ac paupertatē in facultatibus, & in viribus defectum. Ideo suadet ei. Primo molliora, scilicet vt acquirat Primo temporalia minoris reputationis. Ascendat ad honores minores, quæ omnia videntur in principio mollia, & suauia ad habendum. Qui venenato acquiescens consilio pungit miseros, quibus vis resistendi nulla est ablatione suorū, pungit alios iniuria, alios pungit odio, atque priuat vita. Deinde confortato malitiæ stimulo in istis inferioribus, perflatus iterū a matre incipit ad altiora ascendere, maioribus inuidere, proditiones tendere, & suscitare litigia, in tantum quod etiam in fortissima non formidat extendere stimulum suum, idest ad sanctæ Ecclesiæ iniuriam, nisi sollicite præuideatur, & caueatur sapienter. Ad huius vero stimuli extirpandam malitiam non est nisi vnum remedium, vt abscidatur lingua serpentis, hoc vero erit sapiētum discernere quomodo abscindatur & quæ sit eius lingua. Deinde subiunxit ei dominus, sicut pannus transfunditur, & non sentit, & sicut pomum decoriatur, & possessor eius non læditur. Sic passio mea est in corde istius serpentis, quia nunquā eam in corde suo attente recordatur. Nam in prædestinatione ponit fidem suam dicens. Si Deus me præsciuit damnandum cur amplius laborabo, si vero saluandum faciliter recipiet penitentiam meam. Veh illi, nisi se citius emendauerit, quia nullus propter præscientiam meam reprobatur. Scias etiam, quod illa serpēs femella mater istius non consequetur, quod insipienter desiderat. Sed nec filii, nec generatio illa prosperabitur, immo ipsa in amaritudine morietur, & memoria eius erit in obliuione.

Additio.

Filius Dei loquitur. Caueatur summo opere, ne de genere femellæ, & serpentis quæratur auxilium, & stabilitas regni, quia iam appropinquant iudicio Dei, & dies eorum non prolongabuntur. Item alias Christus apparuit dicens. Scias pro certissimo, quod hæc domina non consequetur quod desiderat, nec filij eius prosperabuntur. Nec facient semen. Nec memoria eorum in generatione, & generationem erit.

DEVS PATER LOQVITVR filio qualiter ipse est similis sponso, qui tantum dilexit sponsam, quod propter eam crucifixus est, ipsa vero dilexit adulterum, & interfecit sponsum, qualiter anima per sponsam, thalamus per Ecclesiam portæ thalami per voluntatem, adulter vero per corporis delectationes designantur, prædicit etiam de futura sponsa sponsanda Christo.

CAP. XXXIII.

Pater loquitur ad filium.
1 1 Tu es similis sponso, qui desponsauit sibi sponsam decoram facie, & honestam moribus, & induxit eam in thalamo suo, & dilexit sicut se. Sic tu fili mi. Tu desponsasti sponsam nouam, quando ad animas hominum tanta arsisti charitate, quod teipsum pro eis lacerari, & in stipite extendi voluisti, has introduxisti in sanctam ecclesiam tuam, quā sanguine tuo dedicasti quasi in quendam
2 thalamum. 2 Sed vere sponsa tua nunc facta est adultera, fores thalami sunt clausæ, & in loco spōsæ iacet adultera pessima, quæ cogitat sic apud se, quando vir meus dormiet, & nudus iacuerit, tunc producam cōtra eum gladium acutum, & interficiam eum, quia non placet mihi. Qoid notat sponsa nisi animas quas sanguine tuo redemisti. Quę quamuis multæ sunt, tamen propter vnitatem fidei, & dilectionis vna vocari possunt & multæ hę nunc sunt factę adulterę, quia diligunt mundum plus quam te. Delectationem alterius quęrunt, non tuam, fores thalami, idest ecclesiæ sunt clausæ. Quid significant fores, nisi voluntatem bonam, per quam ad animam ingreditur Deus, hęc clausa est quasi nullius boni habens effectum, voluntas vero inimici tui completur. Nam quicquid placet, quicquid delectat ad corpus, hoc diligitur, hoc honoratur, hoc sanctum, & bonum prædicatur. Voluntas autem tua quæ est, quod homines debeant eiligere te feruenter. Desiderare te prudenter, omnia pro te dare rationabiliter, omnino clausa est, & neglecta. Necnon & aliqui, qui forte quandoque fores thalami tui patenter intrant, non hac in-

intentione intrant, vt voluntatem tuam faciant, & vt te toto corde diligant, sed præ verecundia hominum ne videantur iniqui, ne sciantur publice ab hominibus quales sunt intus apud Deum. Sic igitur male clausa est ianua thalami tui, & plus est delectatio adulteri quam tua. Cogitant etiam apud se, quod cum nudus, & dormiens fueris interficient te. Tunc quippe videris eis nudus, quando corpus tuum, quod de purissimis visceribus virginis suscepisti, non tamen amittendo diuinitatem, vident sub specie panis in altari, & nihil cernentes in eo de diuinitatis tuæ potētia, reputant te massi panem modicum. Cum tamen vere Deus & homo sis, quem oculi videre non possūt, tenebris mundi obscurati. Tunc quoq; videris eis dormiens, quando eos pateris impunitos, & ideo præsumptuose ingrediuntur thalamum tuum cogitantes apud se. Ingrediar, & recipiam corpus Christi sicut ceteri, nihilominus tamen post sumptionem faciam, quod mihi placet. Quid enim obest si non sumpsero, & quid mihi prodest si sumpsero? Ecce miseri per tales cogitationes, & per talem voluntatem, interficiunt te a cordibus suis, ne regnes in eis, quamuis immortalis es, & in omni loco per potentiam tuæ diuinitatis. Verum quia non decet fili mi te esse sine sponsa, nec sponsam habere nisi castissimam. Ideo mittam amicos meos, qui accipiant tibi sponsam nouam, venustam aspectu, honestam moribus, desiderabilem tactu, & in thalamum tuum introducant. Ipsi autem amici mei erunt celeres tales sicut aues volantes, quia spiritus meus cum meipso ducet eos. Erunt & fortes sicut illi ante quorum manus murus dissoluitur. Erunt & magnanimes tanquā illi, qui non timent mortem, & parati sunt dare vitam. Hi adducent ad te sponsam nouam, idest animas electorum meorum aquirent tibi cum magno honore, & decore, cum magna deuotione, & charitate. Cum virili labore, & perseuerantia forti. Ego sum ille, qui nunc loquor, qui in iordane, & in monte clamaui, hic est filius meus dilectus. Verba mea citius complebuntur.

NOTAE.

1 TV es similis sponso, qui desponsauit sibi sponsam decoram facie.

Deus Pater in præsenti capite Filium suum sponso similem facit, eo quod nouam sibi sponsam desponsauerit, cum verbum caro factum humanam, sibi hypostatica naturam vniuit, sic quæ moriendo eiecto mundi principe, ac resurgendo animas nostras a dæmonis seruitute liberauit, easq; ad gloriam cœlestem secum duxit, ad has ergo spirituales nuptias vocati sumus omnes in quibus Christus Dominus sponsus est, vt David psalm. 18. testatur his verbis, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. hanc ergo dignitatem, & hæc singu-
1 *laria beneficia nobis collata sedulo perpendamus, & quomodo sponso placere possimus studeamus, nosq; metipsos hac de re, vt faciebat D. Bernardus alloquamur, sic enim habet serm. 2. Domini post Epiphaniam. Vnde tibi tam inestimabilis gloria, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere. vnde tibi hoc, vt ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirātur, ad cuius nutum vniuersa mutantur; quod retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, vt sis socia mensæ, socia regni, socia thalami. idem animaduertit D. Aug. Epistola 120.*

2 Sed vere sponsa tua tunc facta est Adultera.

Tunc anima adulterari dicitur, quando coniungens se creaturis eas colit, & adhærens mundo cœlestia deserit, relicto Christo, cum quo spirituali matrimonio coniuncta erat, sicut enim cum alter coniugum a fide in matrimonio præstita fornicando recedit, adulter fit, sic anima cum a vera fide Christi sponsi discedit, mundum sequens adulterium committit, & ideo scribitur hic paulo post verba præsentis notæ, & multæ factæ sunt adulteræ, quia diligunt mundum plus quam te, sed hoc quoque explicat D. Aug. in serm. Domini in Monte, & contra Adimant. cap. 7. definit enim ipse hanc fornicationem adulterinam esse auersionem a fœcunditate sapientiæ, & ad conceptum temporaliū illecebrarum, corruptionumq; conuersionē idem habent Origenes super Num. homil. 20. & super Hierem. homil. 14. Isichius super Leuit. cap. 17 Beda super Exodum cap. 20.

Digitized by

MATER DEI DECLARAT sponsæ per similitudinem, qualiter verba istius libri cœlestis ipsa Virgo impetrauit a filio ad supplicationem omnium electorum mundi, quæ verba promittunt maledictionem superbis, & misericordiam humilibus, continentur etiam verba in quibus datur certis personis potestas expellendi dæmonia, & concordandi discordes, & specialiter reges Franciæ, & Angliç.

CAP. XXXIIII.

MARIA loquebatur. Filius meus est similis regi, qui habebat ciuitatem in qua septuaginta principes erant, & in cuiuslibet dominio non erat, nisi vnus fidelis regi. Tunc illi fideles videntes, quod infidelibus non instabat nisi mors, & damnatio, scripserunt ad quandam dominam familiarissimam regi rogantes eam, vt rogaret pro eis, & vt suggereret regi, quatenus scriberet eis verba admonitionis suæ, quibus resipiscerent a pertinacia sua. Qua suggerente regi de salute illorum infidelium. Respondit ei rex, nihil restat eis nisi mors, & ea digni sunt. Veruntamen propter preces tuas scribam eis duo verba. In primo autem verbo sunt tria. Primo damnatio quam merentur. In secundo paupertas. In tertio confusio, & dehonestatio, qua digni sunt pro suis factis. Secundum verbum est, quod omnis qui se humiliauerit, habebit gratiam, & fruetur vita. Cumq; littera continens hæc duo verba venisset ad illos infideles, dixerunt quidam ex eis. Nos sumus ita fortes sicut rex, & ideo defendemus nos, alij dixerunt. Non est nobis cura de vita, & morte, quod magis euenerit non est nobis magna cura. Alij quoq; dixerunt. Falsum est quod audiuimus, & confictum. Nam hæc littera de ore regis non emanauit. Auditis ergo responsis istis, scripserunt illi fideles iterum secundo ad prædictam dominam familiarissimam regi dicentes. Non credunt isti infideles verbis regis, seu nostris, Ideo postula a rege, vt in signum credulitatis mittat eis aliquod speciale signum, quo credant litteram de ore regis processisse. Quod audiens rex dixit, duo specialiter pertinent ad regem, corona scilicet, & clypeus. Corona regis nullus portare potest nisi rex, clypeus quippe regis pacificat discordantes. Ergo duo ista mittam eis si forte credant verbis meis, & a malitia sua resipiscant. 1 Iste rex non aliud significat nisi filium meum, qui est rex gloriæ, & filius Dei atq; meus. Hic habet ciuitatem, idest mundum, in quo septuaginta sunt linguæ quasi septuaginta dominia. Et in qualibet lingua vnus amicus filij mei est, idest nulla lingua est, in qua non inueniantur aliqui amici filij mei, qui signantur in vno propter vnitatem fidei, & charitatis. Ego autem sum illa domina familiarissima regi, & ad me amici mei videntes mundo instare miseriam, miserunt preces suas, rogantes vt filium meum pro mundo mitigarem. Qui precibus meis, & sanctorum flexus, misit mundo verba ista oris sui ab ęterno prescita. Ad quorum credulitatem ne reputarentur aliunde conficta, impetraui in signum coronam, & clypeum regis. Coronam propter potestatem quæ dabitur vni super spiritus immundos. Clypeum propter opus pacis quod dabitur alteri, scilicet discordantia corda reformare in vnum cor, & mutuam charitatem. Verba autem filij mei non sunt nisi quasi duo verba, quia in omnibus illis non sunt alia nisi ista duo, scilicet maledictio in indurantes se, & misericordia in humilitantes se. His dictis filius loquebatur ad matrem. Benedicta sis tu, tu es quasi mater illa quæ mittitur, vt accipiat filio suo vxorem. Sic ego mitto te ad amicos meos, qui animas electorum coniungant mihi in coniugium spirituale, quale decet Deum. Ergo propter magnam tuam misericordiam, & charitatem qua sic feruenter diligis animas, do tibi authoritatem super coronam illam, & clypeum, vt non solum duobus, sed & alijs quibus volueris dare possis. Tu enim plena es misericordia, & ideo omnem misericordiam trahis a me ad peccatores. Benedictus sit ille quicunq; tibi seruit, quia nec relinquetur in morte, nec in vita. Deinde iterum loquebatur mater ad sponsam. Scriptum est, quod Ioannes Baptista præcessit ante faciem filij mei, quem non omnes viderunt, quia in heremo erat. Sic ego ante terribile iudicium illud futurum filij mei præcedo cum misericordia mea. Ergo ex parte mea dic illi, qui habet coronam, quod quoties senserit spiritum solitum, & eruorem in se filij mei, super vexatum legat ista verba. Deus pater, qui es cum filio, & Spiritu

ritu sancto creator omnium rerum, & iudex eorum quę facta sunt, qui misit benedictum filium suum in viscera Virginis Mariæ propter nostram salutem, præcipio tibi immundæ spiritus, vt ad gloriam eius, & propter preces Virginis Mariæ exeas de ista creatura Dei, in nomine eius, qui natus est de Virgine Iesus Christus vnus Deus, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Deinde dicetur ex parte mea alteri, qui habet clypeum. Tu sæpe me misisti quasi nuncium tuum ad Deum, & rogaui filium meũ pro te. Nunc ego rogo te, vt tu vadas nũcius meus ad summum caput ecclesiæ, quia etiam si sederit ibi Lucifer verba filij mei secundum eius voluntatem perficientur. Cum autem venerit in Franciam. Conuentis ante se principibus, dicat in audientia eorum hæc verba. Deus, qui est cum Patre, & Spiritu sancto Creator omnium rerum, & eorum, quæ facta sunt, qui dignatus est descendere in viscera virginea, & vnire diuinitatem suam humanitati, non tamen separans se a diuinitate, qui fixit sic charitatem suam ad hominem, vt cum videret lanceam, & acutos clauos, & omnia instrumenta mortis ante se, magis voluit mori, & omnia horribilia mortis instrumenta sufferre, neruosq; incidi, manus, & pedes perforari, quam charitatem ad hominem fixam relinquere. Ipse vos propter suam passionem coniungat in vnum cor, qui hactenus fueratis dissociati. Deinde sicut spiritus meus informabit eum, proponat eis pœnas inferni gaudium iustorum, & retributionem iniquorum.

N O T AE.

1 ISte Rex non aliud significat nisi filium meum, qui est Rex gloriæ, & filius Dei, & meus. hic habet ciuitatem, idest mundum, in quo septuaginta sunt linguę.

In præsenti nota duo insinuantur, primo quidem Saluatorem nostrum Regem esse. secundo eum Ciuitatem habere quandam, in qua septuaginta linguæ sunt, quasi septuaginta dominia, hoc est septuaginta nationes, septuaginta linguarũ idiomate distinctæ, quorum omnium Christus est Dominus, videndum ergo breuiter quomodo, & quibus titulis Christus dicatur Dominus, & Rex postea inuestigandum, an septuaginta tantummodo linguæ, vt legimus hic inueniantur in vniuerso. Et quantum spectat ad primum Christus, vt Deus fuit non modo in spiritualibus, sed et temporalibus cœlorum etiam, ac Angelorum omnium, & cœlestium Beatorum Dominus eo iure, quo cuncta de nihilo condidit, & cuncta potest in nihilum redigere. si vero eundem consideremus, vt hominem etiam fatendũ est iure redemptionis fuisse proprie Regem Regni Cœlorũ, quo iure spectabat ad eum omnia, quæ ad æternam ducebant hæreditatem administrare, regere, ac dispensare Ecclesiam fundare, Sacramenta, Sacerdotes, ac iustitiæ leges condere, omnes iudicare, et pro meritis, ac demeritis pœnas, ac præmia decernere, vniuersos etiã Reges, vt sibi obtemperarẽt, compellere, eorumq; etiã leges tollere, si suis aduersarentur, hinc est quod eum meritò D. Ioannes Apoc. 17. appellauit Regem Regum, & Dominum dominantium, & psal. 2. de se ipso testatur, ego cõstitutus sum rex ab eo super Syon Montẽ Sanctum eius, hoc est super Ecclesiã, & Matth. 28. data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. sed hac de re latius egerunt Orig. in Cant. hom. 1. & 2. & super Matt. hom. 7. D. Aug. 17. li. de ciuit. c. 7. et 8. & super psal. 71. D. Hieron. super Ecclesiast. c. 8.

Quod autem attinet ad secundam dubitationem sunt qui existimant numerum linguarũ fuisse desumptum ex numero discipulorum, qui sicut fuerũt septuaginta duo, totidem fuisse linguas putarunt, sic habet Rabanus actor. 2. edisserens illa verba, quoniam audiebat vnusquisq; lingua sua illos loquentes, & D. Aug. lib. 1. de Mirabilibus Sacræ script. cap. 9. linguas inquit illas septuaginta duas esse plurimi auctores consentiunt, quas in ædificatione turris illius, in terra Sennaar, quæ & nunc Dominus septuaginta duos discipulos, exceptis illis primarijs Apostolis elegisse sermone Euangelij refertur. Alij tamen arbitrati sunt iuxta numerum nationum fuisse cõstitutum numerum linguarum, gentes autem, quibus terra diuisa est, fuerunt septuaginta tres, vel septuaginta duæ, vt asserit D. Isidorus li. 9. Ethimolog. cap. 2. totidem ergo fuisse linguas

Digitized by Google

guas affirmat, quod etiam annotauit D. Aug. li. 16. de ciuit. Dei cap. 3. & 6. vbi etiã dicit auctum postea fuiſſe numerum gentium multo amplius quã linguarum, nam & in Africa barbaras plures gentes ſe nouiſſe ait, vna lingua loquẽtes, fauet huic ſententiæ, Eucher. in Geneſim lib. 2. cap. 7. Hieron. in cap. 26. Matt. ad illa verba, an putas, quia non poſſum rogare patrem meum, Epiphanius in principio Panarij, Proſper li. 2. de vocat. gentium ca. 4. & fauet etiã Origen. hom. ij. in lib. Numerorum, & fuſe hac de re diſputat Benedictus Pererius in Geneſim lib. 16. diſput. 19. vbi communem hanc de ſeptuaginta duabus linguis ſententiã improbare videtur, legendus eſt etiam hac de re Ioannes Lorinus Societatis Ieſu Theologus in cõment. in acta Apoſtolor. verſ. 4. ibi, & repleti ſunt oẽs Spiritu Sancto, ſed quicquid ſit de numero linguarũ probabiliter cenſeo cum ſcribitur hic linguas tãtummodo ſeptuaginta fuiſſe, indicari fortaſſe ſeptuaginta ſcripturæ ſacræ interpretes, qui mirabili quodã conſenſu, Sacras litteras interpretati ſunt, quod colligi poteſt ex verbis præſentis capitis, cum dicitur in qualibet lingua vnus amicus filij mei eſt, ideſt nulla lingua eſt in qua non inueniantur aliqui amici filij mei, qui ſignantur in vno propter vnitatem fidei, & charitatis.

Cæterum ſi quis quærat, quare Deus voluerit tot linguarum genera per vniuerſum cõſtituere, reſpõdendum eſt, hoc ex ſuperbia hominum eueniſſe, vt colligi poteſt ex Geneſis cap. ij. vbi agitur de ædificatione turris Babel, ad quam ædificandam homines moti ſunt, non ſolum vt ſe ab aquis diluuij ſeruarent indemnes, ſed vt etiam eorum nominã apud poſteros celebrarent, & ideo voluit eos Deus varietate linguarum confundere, de quo Caſſianus collat. 4. cap. 12. & D. Aug. li. 16. de ciuit. ca. 4. verba faciens, quoniam inquit damnatio imperãtis in lingua eſt, ibi damnata eſt ſuperbia, vt non intelligeretur iubens homini, qui voluit intelligere, vt obediret iubenti Deo, id ipſum habet ſer. 6. in Ioan. & D. Greg. hom. 30. Eucherius loco ſupra citato, & Liranus ſuper Geneſim cap. ij. addunt alij diuerſitatis linguarum aliam cauſam, & id factum eſſe affirmant, ad præfigurationem, & confirmationẽ miraculi, in die Pentecoſtes faciendi, quo diſcipulis donum linguarum diuinitus Deus daturus erat, ſic enim tunc linguas iuxta nationum numerum in nationes diſtribuit, ita in Spiritus ſancti aduentu omnium linguarum intelligentiam diſcipulis contulit, quatenus Euangelium ſuum omnibus nationibus prædicarent. Sed hac de re legendus eſt Ioannes Lorinus vbi ſupra, qui hac de re fuſe agit.

CHRISTVS OSTENDIT ſponſæ qualiter anima cuiuſdam monachi deuoti purgabatur in vita per infirmitates corporis, & oſtendebatur eius gloria ſub ſpecie ſtellę ante mortem, & qualiter anima alterius Religioſi alia iam damnata expetebatur a nouem dæmonijs ante principem dæmoniorum, & aſſignatur hic ratio, quare mali religioſi tolerantur a Deo.

CAP. XXXV.

Filius Dei loquebatur ad ſponſam. Vidiſti animam illius monachi defuncti in ſpecie ſtellę, & merito, quia dem in vita ſua lucidus, & ardens erat quaſi ſtella, quia me præ omni creatura dilexit, vixit, & in obſeruantia propoſiti ſui. *Hęc* etiam anima oſtendebatur tibi antequam moreretur, in ſtatu illo, in quo tũc fuit, quando monſtrabatur tibi, & hoc fuit, quando ipſa venit ad vltimum terminum vitę ſuę, & quando ſigna ęgritudinis demõſtrantia mortem aderant. *Hęc* ergo cum ad vltimum terminum mortis appropinquaret, venit ad purgatorium, & iſtud purgatorium erat corpus ſuum. Vbi purgabatur, doloribus, & infirmitatibus. *Et* ideo quaſi ſtella in vaſe aperto demonſtrabatur tibi, & hoc fuit quia arſit charitate mea, & ideo eſt nunc in me, & ego in ea. Quia ſicut ſtella ſi veniret in copioſiorem, & ſplendidiorem ignem, non vlterius appareret. Sic ipſe nunc in me concluſus eſt, & ego in eo, & gaudebit gloria illa ineffabili, quę nunquam finietur. Cum autem eſſet in purgatorio ſuo, tanta charitate adhuc tunc arſit ad me ſtella iſta, & ego ad eam, quod ipſa doloris vehementiam corporis reputauit leuiſſimam. Cuius lętitia in tribulatione incępit, & ad perpetuum gaudium excreuit. Quod diabolus cernens, & in ea aliquid iuris ſui inuenire volens propter dilectionem, quam illa anima ad me habuit libenter alias animas propter eam dimiſiſſet. Alia etiam anima monſtrabatur tibi, quam diabolus nouem iuribus poſſidet. Cuius iudicium, quia oſtendi tibi prius. Ideo eius nunc ſupplicium oſtendere volo, ſicut coram *Deo* omnia

omnia in vno puncto fuerunt, quæ tamen corporaliter absq; prolixitate non possunt præferri, nec audiri. Anima ergo illius cum peruenisset ad supplicium, statim septem dæmones occurrerunt ei ante principem suum dicentes. *Hæc anima nostri iuris est.* Primo dæmon superbiæ dicebat. *Ipsa est mea, quia nullum reputauit sibi similem, & super omnes esse volebat sicut ego.* Secundus, scilicet dæmon cupiditatis ait. *Ipsa nunquam impleri, & satiari potuit, sicut nec ego, & ideo mea est.* Tertius scilicet dęmon inobedientiæ dicebat. *Ipsa astricta erat ad obedientiam, & disciplinā, sed in omnibus fuit inobediens Deo, & obediens carni, ideo mea est.* Quartus scilicet dæmon gulæ ait. *Ipsa temporalibus illicitis comedendo, & bibēdo, prout ego ei suasi excessit, & nihil abstinentiæ habere voluit, ideo mea est.* Quintus scilicet dæmon vanæ gloriæ dixit. *Ipsa cantauit pro vana gloria, & vano nomine, & cum aliquantulum deprimebatur vox eius, & attediabatur, tunc ego eleuabam eam ad altiora, & occurrens gaudenter iuui eum.* Sextus, dæmon, scilicet proprietatis dicebat. *Ipse debuit esse pauper in mundo, & nihil proprium habere, sed ipse è contra quasi formica, quæ habere poterat congregabat, & irrequisito prælato suo illa possedit, & ideo mea est.* Septimus, dæmon; scilicet religionis contemptus dicebat. *Ipse ex regulari disciplina obligabatur ad seruandum in omnibus actibus suis constituta tēpora, sed è contra, quia omnia habuit inordinata. Bibebat enim, & comedebat quando volebat, dormiebat, & vigilabat, & loquebatur quando sibi placebat, & omnia absque regulari disciplina agebat, & ideo mea est.* Tunc princeps dæmonum quasi per exemplum demonstrando dicebat. *Tu spiritus superbiæ, quia tu possedisti eum extra, & intra, ideo ingredere in eum, & constringe sic districte, quemadmodum spiritualia si possibile esset, quod haberent membra, & adhærerent corporalibus, & comprime sic horribiliter, vt cerebrū exeat cum oculis, & medulla de compagibus, & omnia membra dissoluantur.* Ad secundum, idest, ad spiritum cupiditatis ait. *Tu possedisti eum ad voluntatem tuam, & nunquam satiabatur. Ideo intra in eum ardore veneno peiori, & plumbo feruentiori, & inflamma eum sic miserabiliter, vt sicut vinum per summitatem vitrei vasis, quod habet multas fistulas ingrediens omnia loca occupat, & replet. Sic ardor tuus venenatus, & plumbeus ingrediatur in omnia membra eius, & ardeat in eis sine fine.* Ad tertium autem, idest ad spiritum inobedientiæ ait. *Tu possedisti eum ad omnia possessioni suæ contraria, & obediuit tibi magis, quam Deo suo. Ideo intra in eum quasi gladius acutissimus, & sic feruenter cohæreas ei quasi gladius, qui infixus esset cordi, qui nec per partem superiorem, nec per inferiorem exiret, sed immobiliter permanens intolerabiliter cruciaret.* Ad quartum, idest ad spiritum gulæ ait. *Tibi consensit ad omnem intemperantiam. Ideo comminue eum dentibus tuis, & discerpe cor eius, vt cuilibet spirituum iam enumeratorum, scilicet superbiæ, & cupiditatis, obedientiæ, & gulæ, vnam partem cordis sui sic possideat, & possidendo sic cruciet, vt semper comminuatur, & nunquam consumetur.* Ad quintum, idest, ad spiritum vanæ gloriæ ait. *Intra in eum, & nunquam sinas eum habere requiem, pro cantu suo nunquam procedat nisi de ore suo. Omne gaudium, & delectatio quam in mūdo quærebat, vertetur sibi in fletum, & miseriam sempiternam.* Ad sextum autem, idest, ad spiritum proprietatis ait. *Intra in eum cum amaritudine, & fac eum carere omnibus delectabilibus quæ desiderabat & pro eis confusionem inenarrabilem, & damnationem indicibilem, & pudorē perpetuum habebit.* Ad septimum autem, id est, ad spiritum contemptus religionis ait. *Quia omnia tēpora sua inordinata habuit. Ideo vnum tempus adueniet ei, quod nunquam terminabitur, in quo frigus, & ardorem patietur sine fine.* Tunc mox in ipso momento ante principem dæmoniorum, duo spiritus apparuerunt, dicentes. *Etiam nos in hac anima habemus partem,* & primus dixit. *Ipse fuit sacerdos, & non vt sacerdos vixit, ideo pars mea in ea est.* Secundus dæmon ait. *Ipse habuit quoddam fundamentum in capite suo, in quo corona gloriæ stare debuisset, & hanc non habuit, ideo mea est.* Respondit princeps. *Pro honorifico nomine Sacerdotis, mutetur sibi nomen, & vocetur Sathan. Pro corona gloriæ quam contempsit habere ponatur ibi maledictionis opprobrium, & deiectio sempiterna.* Deinde loquebatur Dominus ad sponsam. *Ecce sponsa mea qualis remuneratio, & quam dissimilis. Ambæ istæ animæ vnius fuerunt professionis, sed in remuneratione nimis multum inæquales. Nunquid scis tu, quare ista ostendo tibi? Certe vt boni roborentur, & vt mali scientes iudicium suum a malis resipiscant. Vere dico tibi, quod homines illius professionis, multum auerterunt se a me. Sicut per exēplum poteris intelligere.*

1 *Ego sum similis patrifamilias, qui assumpsit sibi operarios, quibus commisit fos-*

ſorium

sorium ad fodiendam terram, & scopam ad eijciendum eam de fossis, vas ad portandum. Tandem ipsi operarij contemnentes præceptum domini, reportauerunt illa vtensilia domino suo, & dixerunt. Fossorium minus acutum est, & terra satis arida, & non sufficimus laborare in ea. Scopa nimis tenuis est, & non valet continere terram. Vas nimis graue est, ideo nobis ad portandum nimis onerosum est. Sic faciunt isti professores mihi. Ego namque commisi eis, quasi laboratoribus fossorum, idest, dedi autoritatem prædicandi verba mea, & potestatem fodiendi corda terrena timore meo. Sed hoc fossorium nunc deijciunt, & assumunt nouum, quia verba mea, & institutionem meam vertunt ad alleuiationem corporis, vt placeāt hominibus, & crescant in diuitijs, dicentes corda hominum, nunc dura sunt, & verba domini minus acuta ad excitandum deuotionem, & ideo placabilia proponunt hominibus. Iustitiam meam occultant, peccatum increpare dissimulant, ex quibus fiducialiter faciūt auditores in peccatis quiescere, & de factis suis remisse pœnitere. Secundo commisi eis scopam qua eijcerent terram de fossa, idest vt humilitatem, & paupertatem diligerent. Sed hæc est nunc nimis tenuis, dicunt enim. Si nihil habere voluerimus vnde tunc viuemus? Si ex toto abiecti fuerimus a quibus tunc colligemur? Sic ergo falsa fiducia decepti tanto nunc alios in superbia excedunt, quanto præ alijs deberent esse humiliores. Ego etiam dedi eis, quasi vas ad deportandum terram, idest, vt haberent abstinentiam delectabilium corporis. Sed hoc ad pedes meos proiecerunt dicentes. Si in tali labore, sicut patres vixerunt volumus viuere deficiemus, & in tali abstinentia omnino contemnemur. Si in tali districtione non præualemus. Sic igitur omnia religionis, & professionis bona sunt eis grauia, & illa, quæ eis placent faciunt. Quid autem ego facturus sum, cuius instrumenta proijciuntur, & labor recusatur. Vtique dicam eis. Viuite secundum voluntatem vestram, & laborate laborem vestrum proprium, & reperietis fructum vestrum, habere honorem mundi pro honore æterno, diuitias mundi, & amicitiam eius pro æternis, voluptatem mundi pro dulcedine, quæ nunquam terminatur.

a Ego iuro in veritate mea, quod si non fecissem propter duo bona propter quæ sustineo eos, non vna domus eorum staret erecta. Primum est matris meę oratio, quę cum patrono eorum incessanter orat. Secundum est iustitia mea, quia quamuis propter malitiam eorum non teneor eis aliquam misericordiam facere. Attamen propter dona efferentium, quæ placent mihi patior eos. Ipsi enim sunt quasi instrumenta quibus alij proficiunt. Ex eorum nempe prædicatione, & cantu, quandoque alij crescunt ad deuotionem, & occasionem bene proficiendi, sed seipsos in profundum deijciunt, quia seruiunt, quasi serui ad lucrum non æternitatis. Vere serui sunt, & paucissimi inueniuntur alij, & tam pauci, quod vix vnus reperitur in centum.

Declaratio.

Apparuit anima induta scapulari, & mirabiliter in omnibus membris deformata. Tunc Christus dixit. Quidam populus erat audiens filios Israel vbique habere victoriam, timensque subijci ipsis, misit legatos suos habentes antiquos calceos in pedibus, & panem veteratum in peris vt mentiendo simularent se esse de remotissimis partibus. Quapropter cognita veritate, redacti sunt in perpetuam seruitutem. Sic multi religiosi simulantes, quod non sunt, & seruientes mundo sub habitu religionis, excluduntur ab illa æterna hæreditate. De talibus est iste cuius animam diabolus nouem iuribus possidet. Primum est quia superbiendo præfert se cæteris ostendendo se professorem virtutem, cum sit vitijs plenus. Secundum est, quia desiderat illa, quæ videt, necessarijs non contentus. Tertium est, quia in his obedit, quæ eum delectant aut facit inuitus, aut quærit occasionem fugiendi. Quartum est, quia delectatur intemperantia, socius illorum de quibus dicitur, quorum Deus venter est. Quintum est, quia quærit laudari ab omnibus, & non a Deo. Ideo prædicat sublima cantat altisona, singularia operatur. Sextum est, quia gloriatur in superfluis, & habitu peregrino, cuius proprium deberet esse ipsa vera paupertas. Septimum est, quia nulla seruat tempora, sed regit se secundum flatum carnis suæ. Octauum est, quia impudice, & frōtose accedit ad altare meum sanctificans, & absoluens alios, ipse vinculo dignus, & reprehensione. Nonum est, quia indigne portat signum gloriæ in capite suo, confœderatus hosti meo. Ideo nisi se emendauerit, propinabitur, sibi de iustitia mea. Respondit illa. O Domine mi. Ipse dicit missas, & prædicat, & prædicatio eius sapit multis. Nunquid potest esse, nisi a spiritu tuo. Cui Deus. Est inquit de spiritu meo, sed quando ipse non ea charitate, nec intentione prædicat qua verus prædicator prædicare debet. Nec sequitur effectum prædicationis, tunc spiritus

tus nequam operatur in eo, quia masticat stramen, & fugit caudam serpentis, quæritque flores perituros. Tunc ait illa. O Domine non intelligo, quod dicitur. Ideo Domine mi dignare exponere quid significat. Cui Dominus ipse inquit tunc masticat stramen, quando non sapit ei ille panis æternus, quando non intrat in cor diuina sapientia, quæ dicit venite ad me humiles, & ego reficiam vos. Tunc vero fugit caudam serpentis, quando non sapit ei potus diuinæ intelligẽtiæ, sed prudentia diaboli, quæ dicit comedite, & aperientur oculi vestri. Tunc quoque flores quærit perituros, quando non curat fructum æternæ dulcedinis, sed continue habet in ore verba mundi, & verba carnis.

NOTAE.

1 EGo sum similis Patri familias, qui assumpsit sibi operarios.

Merito hic Saluator noster Patri familias comparatur, cuius sicut proprium est curam domus gerere, & subditis suis cibos, & alia quæ ad sustentationem spectant naturæ prouidere, sic Christus Dominus suæ curam habet Ecclesiæ & his qui sub ea militant spiritualem, ac corporalem cibum quotidie abundanter subministrat, merito ergo ipsemet Christus Matt. 13 & Lucæ 13. Pater familias appellatur, quod etiam annotarunt Origenes supra Matt. hom. 10. Gloss. ordinar. Matth. 13 Hillar. super Matt. can. 20 legimus autem hoc loco Patrem familias operarios misisse, quia prædicatores ad congregandam electorum Ecclesiam constituit, in qua pane spirituali, suam familiam pascerent, sic habet Gloss. interlinearis Matt. 9. & ibi Liranus, & Origenes super Matth. hom. 13. dicuntur etiam huiusmodi operarij terram fodere, quatenus animam bonorum operum humore siccam, ac cælestium bonorum fructibus vacuam, verbo prædicationis impinguant: per terram autem quandoque anima significatur Sic tradunt Origenes hom. 1. supra psal. 36. & supra Leuit. hom. 16. & supra cant. hom. 4. D. Hieron. supra Isaiam cap. 26. D. Greg. 1. Reg. 46. D. Ambros. serm. 12 supra psal 118. vocant enim hi Patres animam terram non arridam, neque siccam, quando bonorum operum fructus producit arridam vero, cum bonis operibus est vacua, aut etiam per terram hic intelligas corpus humanum quod antequam cælestis doctrinæ rore imbuatur, terra inanis, & vacua dicitur sic D. Basil. hom. 1. Exameron D. Hillar. supra psal. 66. & 67. & super Matt. can. 4. & hanc terram Prædicatores effodiũt quando per prædicationem ab ea terrenarum rerũ affectiones remouentes, illam cælestibus doctrinis implent.

3 Ego Iuro in veritate mea, quod si non fecissem propter duo bona.

Hic duæ causæ offeruntur quapropter Deus malos Religiosos in mundo diu viuere aliquando patiatur: primo quidem propter preces Matris suæ, quas semper ob eorum conuersionem fundit: secundo, [illegible]nia sua prædicatione, quandoque mali Religi[illegible]ficui sunt.

CHRISTVS REVELAT

Sponsæ, qualiter propter tria bona, quæ erant in cordibus vacuis, & mundissimis Apostolorum, missus fuit in eos tripliciter Spiritus sanctus, & qualiter in hominibus plenis cupiditate, luxuria, & superbia non ingreditur Spiritus sanctus. Et quod Christus primo vult vinum suum, id est, verba sua istius libri propinari amicis suis, qui ea publicabunt alijs postea.

CAP. XXXVI.

1 EGO, qui loquor tecum sum ille, qui tali die, sicut hodie, misi in Apostolos meos Spiritum sanctum meum. Qui venit ad eos tripliciter. Primo, quasi torrens. Secundo, quasi ignis. Tertio in specie linguarum. Venit autem ad eos ianuis clausis, quia soli erant, & quia tria bona habebant: Primo enim habebant omnem voluntatem tenendi castitatem, & continenter in omnibus viuere. Secundo habebant humilitatem præcipuam. Tertio totum desiderium ad Deum, quia nihil nisi ipsum desiderabant. Isti erant quasi tria vasa munda, sed vacua. Propterea venit Spiritus sanctus, & repleuit eos. Venit autem quasi torrens, quia omnia arctus, & omnia membra eorum, delectatione diuina, & consolatione repleuit. Venit quasi ignis, quia feruore diuini amoris sic incendit corda eorum, vt nihil diligerent, nisi Deum, nihil timerent, nisi eum. Tertio venit in specie linguarum, quia sicut lingua intus est in ore, nec tamen nocet ori, sed magis ad loquendum proficit. Sic Spiritus sanctus intus in anima eorum erat. qui eos nihil desiderare faciebat,

bat, nisi me, qui etiam eos sapientia diuina loquaces fecit. Cuius virtute tanquam officio linguæ omnem veritatem loquebantur. Ergo, quia ista vasa vacua erant propter desiderium, dignum fuit vt veniret ad eos Spiritus sanctus. Non enim ingredi potest ad eos, qui impleti sunt, & pleni. Qui autem impleti sunt, nisi illi qui omni peccato, & spurcitia pleni sunt. Ipsi enim sunt, quasi tria vasa pessima. Primum est plenum, quasi fœtidissimo stercore hominum, quod propter pessimum fœtorem nullus potest odorare. Secundum est plenum, quasi vilissimo spermate, quod nullus propter amaritudinem gustare potest. Tertium est quasi corruptissimo sanguine, & sanie, quæ nullus potest videre propter abominationem. Sic mali pleni sunt mundi ambitione, & cupiditate, quæ fœtent in conspectu meo, & sanctorum meorum, deterius, quam stercus hominum.
2 2 Quid sunt omnia temporalia, nisi stercus? Hoc pessimo stercore cito peritura miseri delectantur. In secundo vase est nimia luxuria, & incontinentia in operibus, hęc autem amara est mihi ad gustandum, quasi sperma. Non enim potero sustinere tales, & minus per gratiam meam ingredi ad eos. Quomodo enim ego vera mundicia ad tam immundos ingrediar? Quomodo ego ignis ipse vere dilectionis inflammarem eos, quos tam prauus ignis luxuriæ inflammat? Tertium est superbia, & arrogantia eorum. Ipsa quippe est, quasi sanguis corruptus, & sanies. Ipsa est, quæ hominem in bonis corrumpit intus, & exterius, aufert gratiam datam a Deo, & reddit hominem abominabilem Deo, & proximo. Qui autem sic impletus fuerit, gratia Spiritus sancti impleri non poterit. Ego autem sum quasi homo habens vinum venale. Qui cum propinare voluerit, dat primo amicis suis, & familiaribus ad gustandum, deinde preconis voce mittit suos clamantes, gustauimus vinum, quia bonum est, Omnes ergo, qui volunt accedant.
3 3 Sic ego habeo vinum optimum, idest dulcedinem illam, quæ ineffabilis est, hanc ego quibusdam familiaribus meis propinaui, auditis verbis meis, quæ de ore meo procedunt. Inter istos proclamatores, qui vinum gustabant erat iste, qui venit ad me hodie habens, quasi tria receptacula implenda. Venit enim habens voluntatem continendi se ab omni vanitate, voluntatem ad omnem humilitatem, desiderium ad omne, quod mihi placitum est, propterea impleui vasa sua hodie. Primo namque fiet sapientia spiritualium lucidior ad intelligendum, & aptior ad ruminandum, quam prius. Secundo impleui eum charitate mea qua ferventior fiet quam prius ad omne bonum. Tertio dedi ei timorem discretiorem, vt scilicet nihil timeat, nisi me, & quæ mihi placita sunt. Ergo vt etiam aliis clamare sciat dulcedinem vini mei, audiat verba mea, quæ locutus sum, & quæ scripta sunt, vt audita charitate mea, & iustitia, tanto fiat in clamando sollicitior, quo diligentius vini dulcedinem gustat.

Declaratio.

Hic frater dominam Brigittā ad sanctum Iacobum sequebatur, qui in spiritu vidit dominam Brigittam, quasi septem coronis coronatam. Viditque Solem totum denigratum, qui miratus audiuit vocem clare dicentem. Sol iste obscuratus significat principem terræ vestræ, qui sicut Sol fulserat erit dispectissimus per opprobrium hominum, mulierque ista quam cernis habebit spicam septiformis gratiæ Dei quam significant septem coronæ quas vidisti, & hoc erit tibi signum, quod tu sanaberis ab infirmitate ista, & reuerteris ad tuos, & eleuaberis ad altiorem gradum. Qui rediens factus est abbas proficiens de virtute in virtutem.

NOTAE.

1 Ego qui loquor tecum sum ille, qui tali die, sicut hodie missi in Apostolos meos Spiritum sanctum meum, qui venit ad eos tripliciter: primo, quasi torrens: secundo, quasi ignis, &c.

Ex verbis huius notæ colligi potest, visionem hanc, quæ in præsenti capite continetur B. Brigittæ fuisse collatam in festo Penthecostes in quo Spiritus sanctus sub specie ignis, & linguarum Apostolis datus esse scribitur, libet autem ad horum intelligentiam hoc loco annotare, quid per torrentem intelligendum sit, quandoquidē scribitur hic venisse ad eos quasi torrens, & qua etiam ratione torrenti similis Spiritus sanctus esse dicatur, sed prius videndum est quapropter sub specie ignis, & linguarum venerit, duæ inquit Hieron. in psal. 77. sunt proprietates ignis, lucere, & vrere, & vere Deus iustis lucet, & peccatores incendit, sed vt breuiter huius rei rationes aliquas colligamus ex patribus sciendū est, quod sicut ignis est propriū calefacere, ita Spiritus sanctus Apostolorū corda in amore Dei calefacit, & hæc ratio ea est, quæ in præsenti capite adducitur, eandē etiā affert D. Greg. hom. 3. in Euang. Rursus dona eius congrue designantur

per

per ignem, quandoquidem Spiritus sanctus ad instar ignis per timorem purgat, per donum amoris, & Pietatis liquefacit, per fortitudinem confirmat, & consolidat, per donum intellectus illuminat, per charitatis munus accendit, per donum consilij mentem ad cœlestia eleuat. Postremo per scientiæ gratiam decorat, & per sapientiam dulcedine replet; has ergo causas missionis Spiritus sancti sub specie ignis sparsim pluribus in locis redidérunt sancti patres, D. August lib 13. confess. cap. 9. & ad Euodium epistola 102. D Aibanaf. de communi essentia Patris, filij, & Spiritus sancti circa finem D. Greg Nazianzenus oratione in sanctam Pent. D. Chrisost. hom 31. in Ioan. D Basilius de Spiritu sancto cap. 20. Beda super Exodum cap. 4. Isichius in Leuit. cap. 1. 6. & 16. Dionisius Carthusianus in acta Apostolorum cap 2. quare autem sub specie linguarum etiam missus sit tradit D. August. serm. 2. de Aduentu Spiritu sancti. oportebat inquit significare in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Euangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum: aut etiam dicendum est Deum discipulis linguarum contulisse scientiam, vt linguis omnium gentium loquerentur, quo significabatur, Ecclesiam crescendo per omnes gentes linguis omnium fuisse locuturam, quia ergo cunctis gentibus Euangelium prædicandum erat; ideo omnium linguarum notitia, & vsus diuinitus discipulis datur, diuersarum ait Isidorus lib 7 Etimol. cap. 3. linguarum gratiam Apostolis dedit, vt idonei efficerentur fidelium eruditione populorum, idem annotarunt D. Thom. 3. par. qu. 72. art. 2. ad primum. Dionisius Carthusianus actorum. 2. Loduiphus de vita Christi pars. 2. cap. 84. sed D. Hieronymus ad Principiam, & Eucherius de spiritualibus formulis ca. 1. per linguam Spiritum sanctum significari tradunt, eo quod per eum Deus pater sua secreta hominibus manifestat, si quis autem quærat, an illæ linguæ, quæ super discipulos apparuerunt tantummodo in immaginatione ostense fuerint, an vero discipuli corporaliter, & reuera linguas igneas viderint, respondet D Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 6. rem esse in quæstione positam, videtur tamen inclinare in sententiam dicentium, quod illæ linguæ vere ab extra realiter apparuerint, sicut columba super Christum, & hanc esse communem opinionem docuit Carthusianus vbi supra: superest modo videamus, quid per torrentem intelligendum sit hoc loco, quid ve Spiritum sanctum ad discipulos per modum torrentis venisse significet, torrens inquit D. Isidorus libr. 13. Etimol. cap. 21. aqua est cum impetu veniens. dictus est autem torrens, quia pluuia crescit, siccitate torrescit, pluuiarum namque tempore magno impetu innundare solet, atque hunc torrentem Spiritum sanctum esse, quis ambigat? qui suorum donorum ingenti pluuia in die Pentecostes discipulorum corda irrigauit, vnde in sacris litteris flumen Dei appellatur, vt psal. 63. & hoc, quia suorum munerum pluuia inebriauit ciuitatem Dei, hoc est Ecclesiam, hominumque repleuit mentes. sed quoniam id magno impetu effecit, vt act. 2. D. Lucas scripsit: factus repente est de cœlo sonus, tāquā aduenientis spiritus vehemētis, idcirco in hoc capite per modum torrentis venisse scribitur, merito ergo Dauid psal. 28. hunc Spiritus sancti Aduentum fluminis impetum vocat, quo Dei ciuitatem letificauit, quod explicans D. August. hinc inquit Dei ciuitas lætificabatur, dum mare aquarum sonitu turbabatur; dum mentes contarbarentur quærentes, quod agerent, quomodo nouam doctrinam pellerent, quomodo Christianorum genus de terra erradicarent contra quem? contra fluminis impetus letificantes ciuitatem Dei, hic etiam ostendit de quo flumine diceret, quia Spiritum sanctum significabat: idem annotarunt in eundem psalmum Diuus Hieronymus, & Basilius, D. Chrisost. super Ioannem hom. 50.

2 Quid sunt omnia temporalia, nisi stercus.

Stercus, bona temporalia, & terrenas affectiones significare, vt legimus hic, tradunt D. Hieronimus super Ezech. cap. 4. & super Ioelem cap. 1. & D. Greg. hom. 31.

3 Sic ego habeo vinum optimum id est dulcedinem illam, quæ ineffabilis est.

Per vinum hoc loco duo possumus intelligere, vel lætitiam quandam spiritualem, & Spiritus sancti gaudium, quod Deus frequenter seruis suis confert, dum se se in operibus spiritualibus exercent, aut etiam gaudium beatorum, quod sancti habebunt in patria, quod per vinum in sacris litteris designatur, vt prouerb. 3. vino Torcularia redundabunt, & ibi hoc tradunt Beda, & Origenes super Leuit. hom. 1. D. Hieronymus super Danielem cap. 10. Bernardus ser. 3. Pentecostes D. Basilius hom. in Iulitam martyrem.

VERBA VIRGINIS AD sponsam, qualiter ipsa virgo a quadruplici genere hominum salutatur, scilicet a veris amicis suis ex charitate, & ab alijs ex timore pœnæ, a reliquis vt ditentur. Ab aliis vero hypocritis ex præsumptione veniæ, prima duo genera remunerantur spiritualiter, tertium temporaliter, quartum abominabile est.

CAP. XXXVII.

MARIA loquitur. Quatuor genera hominū sunt, qui me salutant. Primi sunt, qui omnem voluntatem suam, & cōsciētiam suam relinquunt in manus meas, & quicquid faciunt totum faciunt pro honore meo, horum salutatio est mihi quasi potus suauissimus, & delectabilis. Secundi sunt qui timent pœnam, & ex timore abstinent se a peccato, his ego do, si in laude mea perseuerant ad diminutionem praui timoris, & augmentationē veræ charitatis, & scientiam, qua discant rationabiliter, & sapienter Deum diligere. Tertij sunt, qui satis in sublimi eleuant laudem meam, sed nulla alia intentione, & affectu, nisi vt honor temporalis, & vtilitas transitoria eis accrescat, & ideo sicut dominus, cui aliquod donum mittitur, & ipse remittit donanti equipollens aliquid. Sic ego quia ipsi temporalia petunt, nec aliquid charius desiderant, propterea do eis, quod volunt, & remunero eos in præsenti. Quarti sunt qui simulant se esse bonos, & tamen peccatum habent in delectatione, peccant enim occulte cum possunt, ne videantur ab hominibus cogitantes sic secum. Ipsa enim Virgo MARIA pia est, & mox, vt inuocata fuerit impetrat veniam. Horum clamor sic placet mihi, sicut vas quod exterius est deargentatum, & intus plenum fœtidissimo fœtore, quod nullus potest odorare. Tales sunt quidam per pessimam voluntatem peccati.

CHRISTVS DICIT SPONSAE quod duo sunt spiritus, scilicet bonus, & malus, signa autem Spiritus sancti sunt dulcedo mentis, & gloria, & signa mali spiritus sunt anxietas, & inquietudo mentis procedens ex cupiditate, vel ira.

CAP. XXXVIII.

FIlius loquitur sponsæ dicens. Spiritus bonus est in corde hominis, quid est spiritus bonus nisi Deus. quid est Deus nisi gloria, & dulcedo sanctorum, Ipse Deus est in eis, & ipsi in eo, & tunc omne bonum habent, cum habent Deum, sine quo nihil est bonū. Ideo qui habent spiritum Dei, habent & Deum, & omnem militiam Cœli, & omne bonum. Similiter, & quicunque habent spiritum malum in se, habent omne malum in se. Quid enim est spiritus malus nisi diabolus? Quid vero diabolus nisi pœna, & omne malum? Ergo qui habet diabolum, habet in se pœnam, & omne malum. Sicut autem bonus homo non sentit vnde, vel quomodo Spiritus sancti dulcedo ingerit se menti eius, nec perfecte eam in præsenti gustare potest, licet gustat partem. Sic homo malus cum angustiatur cupiditate, cum anhelat ad ambitionem, cum mordetur ira, aut inquinatur luxuria, & cæteris alijs vitijs pęna diaboli est, & initium æternæ inquietudinis, licet in præsenti, vt est, perpendi non possit, veh his, qui huic spiritui adhærent.

VIDEBAT SPONSA DAEMOnem producentem in diuino iudicio septem libros contra quandam animam cuiusdam militis defuncti, sed Angelus bonus produxit pro ea vnum librum, quæ anima non damnabatur æternaliter, quia dæmone ignorante penituit in fine in cogitatu intrinsecus. Condemnatur tamen propter peccata ad. ix. pœnas sustinendas in purgatorio, vsque ad diem iudicij, quia tamdiu desiderauerat in corpore viuere, sed reuelantur a Christo tria remedia propter quæ possit ante liberari, & remittuntur ei statim tres de prædictis pœnis precibus virginis, & sanctorum. Supplicatio vero Angeli boni pro ea non statim exauditur, sed differendo ad tempus ponit eam Christus in deliberationem.

CAP. XXXIX.

DAemon quidam apparuit in diuino iudicio, qui tenebat quandam animam cuiusdam defuncti tremulam, in modum cordis tremuli. Qui dæmon tunc dixit ad iudicem. Ecce preda. Angelus enim tuus, & ego sequebamur animam istam a principio suo vsq; ad finem, sed ipse ad custodiendum, ego autem ad nocendum, & ambo venabamur eam quasi venatores. Sed tamen ipsa in fine incidit in manus meas. Ad quam lucrandum mihi, ego ita cupidus sum & impetuosus, quemadmodum torrens cadens deorsum, cui nihil resistit, nisi quoddam retentaculum, hoc est iustitia tua, quæ quia nondum probata est contra animam istam, Ideo adhuc nondum secure possideo eam. Ego etiam desidero eam, tam feruenter, quemadmodum animal consumptum inedia, quod præ fame comedit etiam membra sua.
2 1 Ergo quia iustus iudex. Quare magis incidit in manus tuas, & cur tu propinquior ei fuisti, quam Angelus meus? Respondit dæmon, quia peccata sua plura fuerunt, quam opera bona. Respondit iudex, ostende qualia. Respondit dæmon; Ego habeo vnum librum plenum peccatis suis. Et iudex, quale est nomen huius libri. Respondit dæmon, huius nomen est inobedientia, in quo libro sunt septem libri: & quilibet habet tres columnas. Quælibet autem columna habet plus quam mille verba, sed nulla minus quam mille, quædam vero multo plura. Respondit iudex, dic nomina istorum librorum, quia licet ego omnia scio, tamen vt alijs innotescat voluntas tua, & bonitas mea, volo vt loquaris. Respondit dæmon, nomen primi libri est superbia, & in hoc sunt tres columnæ. Prima est superbia spiritualis in conscientia sua, quia superbiebat de bona vita, quia credebat se habere alijs meliorem. Superbiebat etiam de intelligentia sua, & conscientia sapientiori alijs. Secunda columna erat, quia superbiebat de bonis sibi datis, & de famulis, & de vestibus, & de alijs rebus. Tertia erat, quod superbiebat in pulchritudine membrorum, & de propagine nobili, & in operibus suis, & in his tribus columnis erant infinita verba, prout tibi melius cognitum est. Secundus liber erat cupiditas sua, hic autem habebat tres columnas. Prima erat spiritualis, quia cogitauit peccata sua non esse ita grauia sicut dicebantur, & indigne desiderauit cœleste regnum, quod non debetur alicui nisi perfecte mundo. Secunda quia plus desiderauit in mundo, quam necesse erat, & voluntas sua fuit ad solum, vt extolleret nomen suum, & progeniem, ad hoc, vt heredes suos non ad honorem tuum, sed ad honorem mundi nutriret, & magnificaret eos. Tertia columna fuit, quod cupiebat honorem mundi, & super alios esse, & in his prout tibi melius cognitum est, innumerabilia sunt verba, quibus requirebat fauorem, & beneuolentiam, quibus etiam temporalia sibi acquirebat. Tertius liber est inuidia; hic habet tres columnas. Prima fuit in mente, qua inuidebat eis occulte, qui plus habebant, & magis prosperabantur quam ipse. Secunda, quod recepit ex inuidia res eorum, qui minus habebant, quam ipse, & magis indigebant. Tertia, quod ex inuidia nocuit proximo occulte per sua consilia, & etiam publice tam verbo, quam facto, tam per se, quam per suos, & etiam alios ad similia incitauit.

Quartus liber est auaritia, in qua erant tres columnæ. Prima erat auaritia in mente, quia noluit alijs dicere de his quæ sciebat, vnde alij recepissent consolationem, & profectum, cogitans sic secum. Quæ mihi inde vtilitas, si tali, vel tali dicero

dicero

dero hoc consilium? Quæ mihi remuneratio, si ei in illo consilio, vel verbo profuero, & sic indigens afflictus recedebat ab eo, non ædificatus, vel instructus. Cum bene potuisset ab eo, si voluntas affuisset ædificari. Secunda columna erat, quod cum pacificare poterat discordantes, noluit hoc facere. Cum etiam poterat consolari turbatos non curauit. Tertia columna erat auaritia in bonis suis, eo quod si vnum denarium dare debebat pro nomine tuo anxiabatur, & grauabatur, & pro honore mundi libenter daret centum. In his autem columnis sunt infinita verba, prout melius tibi constat. Omnia enim scis, & nihil a te occultari potest, sed ideo me compellis loqui ex tua potentia, quia alijs prodesse vis. Quintus liber est accidia, & ista habet tres columnas. Primo, quod in opere accidiosus erat ad operandum bona opera ad honorem tuum, idest, ad mandata tua. Nam pro quiete corporis sui amisit tempus suum. Corporis enim sui vtilitas, & voluptas erant sibi charissima. Secundo, accidiosus erat in cogitatione, quando enim spiritus tuus bonus immisit cordi eius compunctionem, vel aliquam spiritualem intelligentiam, nimis sibi longum videbatur, & subtraxit mentem suam a cogitatione spirituali, & omne gaudium mundi videbatur sibi delectabile, & suaue. Tertio erat accidiosus in ore, idest, orando, & in loquendo, quæ vtilitas aliorum, & honoris tui erant, feruens autem erat ad scurrilia verba, quanta autem verba istæ columnæ habebant, & quam innumerabilia sunt, tibi soli cognitum est. Sextus liber erat ira, hic habebat etiam tres columnas. Prima quod irascebatur proximo suo de illis rebus, quæ sibi non erant vtiles. Secunda columna erat, quod læsit proximum in opere ex ira sua, quandoque etiam in ira alienando sua. Tertia, quod ex ira turbabat proximum. Septimus liber erat voluptas sua, quæ etiam habebat tres columnas. Prima erat, quod indebite, & inordinate effundebat semen suum. Nam licet coniugatus erat, & ab aliarum mulierum macula segregatus, tamen per amplexus, & verba inepta, & etiam per gestus impudicos effundebat semen suum modo indebito. Secunda erat, quod nimis procax erat in verbis. Inducebat enim non solum vxorem suam in maiorem ardorem libidinis, immo etiam alios ad audiendum, & cogitandum scurrilia multoties per verba sua attraxit. Tertia columna erat, quod nimis delicatæ nutriebat corpus suum, præparando sibi lautiora, & plura fercula, ad delectationem maiorem corporis, & ad laudem hominum, vt vocaretur magnus, plus autem quam mille verba sunt in istis columnis, sedendo in mensa longiori tempore, quam debebat, non attendens tempus sibi datum, loquendo ineptius, recipiendo plus quam natura volebat. Ecce o iudex liber meus totus completus est, adiudica ergo mihi hanc animam. Tunc autem silente iudice, mater misericordiæ appropinquans, quæ videbatur quasi remotius stare dixit, fili mi. Ego volo disputare de iustitia cum diabolo isto. Cui respondit Filius. Charissima mater, quando dæmoni non negatur iustitia, quomodo tibi possit negari, quæ es mater mea, & domina angelorum? Tu etiam omnia potes, & omnia scis in me, sed ideo loqueris, vt alijs innotescat dilectio mea. Tunc mater loquebatur ad diabolum. Præcipio tibi diabole, quod respondeas mihi ad tria, quæ quero a te, sed licet inuitus feceris, ex iustitia tamen teneris, quia domina tua sum. Dic mihi. Nunquid tu scis omnes cogitationes hominis? Diabolus autem respondit. Non nisi illas solummodo, quas ex exteriori operatione hominis, & ex dispositione eius perpendere possum, illas quas ego personaliter immitto cordi eius, quia licet ego perdidi dignitatem meam, tamen ex subtilitate naturæ meæ adhuc remansit mihi sapientia tanta, quod ex dispositione hominis intelligere possum statum mentis, sed bonas cogitationes hominis cognoscere non possum. Dixit autem tunc pia Virgo secundo ad diabolum. Dic mihi diabole, licet inuitus, quæ est illa res, quæ potest delere scripturam de libro tuo? Respondit diabolus. Nihil eam delere potest nisi vnum, hoc est diuina charitas. Quicunque enim eam obtinuerit in corde quantumcunque peccator sit, statim deletur, quod de illo scriptum erat in libro meo. Dixit etiam virgo tertio. Dic mihi Diabole. Nunquid aliquis est tam immundus peccator, & tam auersus a filio meo, quod non possit redire ad veniam, quamdiu viuit in mundo? Respondit diabolus. Nullus est tam peccator, quod non possit reuerti quamdiu viuit si voluerit. Quando enim quis quantumcunque peccator mutat suam voluntatem malam in bonam, & conceperit diuinam charitatem, & in hac stabilis stare voluerit, non omnes dæmones eum tenere possunt. Tunc istis auditis Mater misericordiæ ait ad circunstantes, hæc anima in fine vitæ suæ conuertit se ad me, & dixit. Tu Mater misericordiæ es, & miseratrix miserorum. Ego indignus sum rogare Filium tuum,

quia peccata mea grauia ſunt, & multa nimis, & ego multum prouocaui eum ad irã, diligendo magis voluptatem meam, & mundum quam Deum Creatorem meum. Ideo rogo te miſerere mei, quia tu nulli petenti te negas miſericordiam. Et ideo ego conuerto me ad te, & promitto tibi, quod ſi vixero volo emendare me, & voluntatem meam ad filium tuum conuertere, & nihil aliud niſi ipſum diligere. Sed ſuper omnia doleo, & ingemiſco, quod nihil boni feci ad honorem filij tui creatoris mei. Ideo te rogo piiſſima domina miſerere mei, quia ad nullum niſi ad te habeo fugere. Talibus verbis, & tali cogitatione venit in fine iſta anima ad me, nunquid non eam audire debebam? Quis enim ſi toto corde, & tota emendationis voluntate alium rogat, non exaudiri meretur? Quanto magis ego clamantes audire debeo, quæ ſum mater miſericordiæ. Reſpondit diabolus, de tali voluntate ego nihil ſciui, ſed ſi eſt ſicut dicis proba aperta ratione. Reſpondit mater. Indignus es, vt tibi reſpondeam. Veruntamen, quia ad aliorum profectum hoc fit quod oſtendi, ideo reſpondeo tibi. Tu miſer dixiſti prius, quod de libro tuo nihil delere poteſt ſcripturam niſi diuina charitas. Et tunc conuerſa Virgo ad iudicem dixit. Ergo fili mi aperiat librum ſuum diabolus, & legat, & videat ſi omnia ibi complete ſcripta ſunt, vel ſi aliquid forte deletum eſt. Tunc dixit iudex ad diabolum, vbi eſt liber tuus? Et diabolus reſpondit. In ventre meo. Cui dixit iudex. Quis eſt venter tuus? Reſpondit diabolus, memoria mea. Sicut enim in ventre eſt omnis immũditia, & omnis fœtor, ſic in memoria mea eſt omnis malitia, & nequitia, quæ quaſi fœtor peſſimus fœtent in conſpectu tuo. Quando enim receſſi a te per ſuperbiam meam, & a luce tua. Tunc inueni mihi omnem malitiam, & obtenebrata eſt memoria mea in bonis Dei. & in hac memoria mea eſt ſcripta omnis nequitia peccatorum. Tunc iudex dixit ad diabolum, præcipio tibi diabole, vt videas diligenter, & inquiras in libro tuo, quid ſcriptum eſt, & quid abraſum eſt de peccatis iſtius animæ, & dic publice. Reſpondit diabolus. Ecce video in libro meo, & alia video ſcripta, quæ non cogitaui. Video enim illa ſeptem eſſe deleta, et nihil remanet in libro meo de eis, niſi peripſema. Poſtea iudex ait ad illum bonum Angelum qui aſtabat. Vbi ſunt bona opera iſtius animæ? Qui reſpondit. Domine omnia ſunt in præſcientia tua, & notitia, præſentia præterita, & futura. Omnia ſcimus in te, & videmus, & tu in nobis. Nec neceſſe eſt nobis tibi loqui, quia omnia ſcis. Sed quia charitatem tuam oſtendere vis. Ideo inſinuas voluntatem tuam quibus tibi placet. Eo nanq; a principio, quo anima iſtius fuit cum corpore iuncta fui ſemper cum eo. Ego etiam ſcripſi vnum librum de bonis ſuis. Si autem librum iſtum audire volueris in poteſtate tua eſt. Reſpondit iudex. Non poſſum iudicare niſi auditis prius, & cognitis bonis, & malis. Quibus iuſte penſatis, ſicut tunc iuſtitia exigit ſecundum ea debet iudicari, ſiue ad mortem, ſiue ad vitam. Reſpondit Angelus. Liber meus eſt obedientia ſua, qua obediuit tibi, & in hoc ſunt ſeptem columnæ. Prima eſt baptiſmus. Secunda eſt abſtinentia ſua in ieiunio, & ab illicitis operibus, & peccatis, & etiam a voluptate, & tentatione carnis ſuæ. Tertia columna erat oratio, & propoſitum bonum, quod ad te habuit. Quarta columna erat opera ſua bona in eleemoſynis, & alijs operibus miſericordiæ. Quinta columna erat ſpes ſua ad te. Sexta erat fides, quam ſicut Chriſtianus tenuit. Septima erat diuina charitas. Quibus dictis dixit iterum iudex ad illum Angelum bonum. Vbi eſt liber tuus. Ille autem reſpondit. In viſione, & charitate tua domine mi. Tunc Maria exprobrando dixit ad diabolum, quomodo cuſtodiſti librum tuum, & quomodo deletum eſt ab eo illud, quod in eo ſcriptum erat. Tunc diabolus dixit. Veh veh, quia decepiſti me. Deinde dixit iudex ad piiſſimam matrem ſuam. Tu vere rationabiliter obtinuiſti in hac quæſtione ſententiam, & lucrata es animam iſtam cum iuſtitia. Deinde diabolus clamauit. Ego perdidi, ego victus ſum, ſed dic mihi iudex quamdiu tenebo iſtam animam pro peripſematibus iſtis. Reſpondit iudex. Ego indicabo tibi, libri enim aperti ſunt, & lecti. Sed dic mihi diabole, licet ego omnia ſciam. Verum hæc anima debet intrare cœlum ſecundum iuſtitiam an non? Ecce enim permitto te videre, & ſcire modo veritatem iuſtitiæ. Reſpondit diabolus. Iuſtitia eſt in te, quod ſi quis deceſſerit ſine mortali peccato non intrabit pœnas inferni, & quicunque habet diuinam charitatem de iure tenetur habere cœlum. Ergo quia anima iſta non deceſſit in mortali peccato, & habuit diuinam charitatem, digna eſt accepta prius purgatione ſua intrare cœlum. Reſpondit iudex. Ergo quia modo aperui tibi intellectum, & permiſi te videre lumen veritatis, & iuſtitiæ. Dic audientibus quibus mihi placet, qualis debet eſſe iuſtitia iſtius animæ? Reſpondit diabolus

ſit purgetur taliter, quod non ſit in ea vna
macula: quia licet adiudicata eſt tibi ex
iuſtitia, tamen adhuc immunda eſt, nec
peruenire poteſt ad te niſi percepta prius
purgatione. Et quia tu Iudex quæſiuiſti
a me. Nunc etiam ego quæro a te, quo-
modo purgari, & quamdiu in manibus meis
eſſe debeat. Reſpondit iudex. Tibi præ-
cipitur diabole, vt non intres in eam, nec
abſorbeas eam in te, ſed debes eam purga-
re vſquequo fiet munda, & immaculata.
Ipſa enim ſecundum modum culpę patietur
pœnam ſuam. Tripliciter enim peccauit
in viſu, tripliciter in auditu, tripliciter in
tactu. Et ideo tripliciter debet puniri in
viſu. Primo enim debet videre perſona-
liter peccata ſua, & abominationes. Se-
cundo debet videre te in malitia tua. Ter-
tio debet videre miſerias, & pœnas terri-
biles aliarum animarum. Similiter affli-
gatur tripliciter in auditu. Primo nam-
que audiet ve horribile, quia audire vo-
luit laudem propriam, & delectabilia mun
di. Secundo, debet audire horribiles cla-
mores dæmonum, & irriſiones. Tertio,
audiet opprobria, & intolerabiles miſe-
rias, quia audiuit magis, & delectabilius
mundi amorem, & fauorem quam Dei, &
quia feruentius ſeruiuit mundo, quam Deo
ſuo. Tripliciter etiam affligatur in tactu.
Primo quidem ardeat ardentiſſimo igne
interius, & exterius, ita quod non mini-
ma macula ſit in ea, quæ non purgetur in
igne. Secundo patiatur frigus maximum,
quia ardebat cupiditate ſua, & frigidus e-
rat charitate mea. Tertio erit in mani-
bus dæmonum, vt non ſit aliqua quantum-
cunque minima cogitatio, nec minimum
verbum, quod non purgetur, donec fiet
tanquam aurum, quod in fornace, & for-
mella purgatur, ad voluntatem poſſeſſoris.
Tunc iterum ait diabolus, quamdiu erit i-
ſta anima in pœna iſta? Reſpondit iudex,
quamdiu voluntas ſua fuit viuere in mun-
do. Et quia ipſa talis erat, quod liben-
ter vixiſſet in corpore vſque ad finem mun
di, Ideo pœna iſta tenetur durare vſque
in finem mundi. Hæc enim eſt iuſtitia
mea, quod quicunque habet diuinam cha-
ritatem ad me, & omni deſiderio deſiderat
me, cupiens eſſe mecum, & ſeparari a mun
do, Iſte talis ſine pęna tenetur habere
cęlum, quia examinatio præſentis vitæ eſt
purgatio ſua. Qui autem timet mortem
propter acerbam pęnam mortis, & prop-
ter acerbam pęnam futuram, & vellet ideo
longius viuere, vt emendaret ſe, Iſte
tenetur habere leuem pęnam in purgato-
rio. *Qui* vero voluntatem habet viuere
vſque in diem iudicij, licet non peccet mor
taliter, propter voluntatem tamen perpe-
tuam viuendi quam habet, tenetur habere
pęnam perpetuam vſque ad iudicium.
Tunc reſpondens piiſſima Mater dixit.
Benedictus ſis, tu fili mi pro iuſtitia tua,
quæ eſt in omni miſericordia, licet enim
nos omnia videamus, & ſciamus in te. At-
tamen ad aliorum cognitionem dic quale
remedium adhiberi debeat, quod minuat
tam longum tempus pęnæ, & quale ad hoc,
quod extinguatur tam ſeuus ignis, & quo-
modo etiam liberari poſſit iſta anima a ma
nibus dæmonum. Reſpondit filius. Ti-
bi nihil poteſt negari, quia tu miſericor-
diæ mater es, & miſericordiam, & conſo-
lationem omnibus procuras, & inquiris.
Tria enim ſunt, quæ faciunt minui tam
longum tempus pęnæ, & extingui ignem, &
liberari de manibus dæmonum. Primum
eſt ſi per aliquem reddantur ea, quæ iniu-
ſte ab alijs abſtulit, & extorſit, vel reddere
iuſte alijs tenebatur, hoc enim eſt iuſtitia,
vt anima purgetur, aut per preces ſancto-
rum, aut per eleemoſynas, & opera ami-
corum, vel per purgationem ad hoc di-
gnam. *Secundum* eſt copioſa eleemoſyna,
per hanc enim extinguitur peccatum ſicut
per aquam extinguitur ignis. *Tertium*,
eſt corporis mei oblatio in altari pro eo,
& amicorum meorum preces. *Hæc* au-
tem ſunt tria, quæ liberabunt eum ab illis
tribus pęnis. *Reſpondit* iterum *Mater*
miſericordiæ. Quid ergo valent ſibi nunc
1 opera bona quæ fecit pro te? Reſpondit
filius. Non ideo quæris, quia ignoras cum
omnia ſcis, & vides in me, ſed hoc inqui-
ris, vt alijs charitatem meam oſtendas.
Certe non aliquid minimum verbum, nec
etiam minima cogitatio, quam ad hono-
rem meum cogitauit erit ſibi ſine remune-
ratione. Quia omnia quæcunque fecit
2 pro me ſunt modo ante ipſum, & in pęna
ſua inde habet refrigerium, inde ſolatium,
Inde leuiorem ſentit ardorem, quam aliter
perſentiret. *Poſtea* iterum loquebatur Ma
ter ad filium dicens. *Quare* eſt hoc, quod
hæc anima ſtat immobilis, quaſi qui non
mouet manus, nec pedes contra inimicos,
& tamen viuit. *Reſpondit* iudex. Pro-
pheta ſcripſit de me, quod ego fui quaſi
agnus coram tondente obmuteſcens. Ve-
re ego obmutui coram inimicis meis, & 1
propter hoc eſt iuſtitia, quod quia anima
iſta non curauit de morte mea, & eam pro
modico reputauit, Ideo ipſa eſt modo ex
iuſtitia quaſi puer non valens reclamare,
in homicidarum manibus. *Reſpondit* Ma-
ter. Benedictus ſis tu dulciſſime fili, qui

nihil facis ſine iuſtitia. Tu dixiſti prius fili mi, quod amici tui poſſent animæ iſti ſuccurrere: & tu bene ſcis, quod anima iſta tripliciter ſeruiuit mihi. Primo, per abſtinentiam, ſcilicet ieiunando vigilias mearum feſtiuitatum, & in eis abſtinendo in nomine meo. Secundo, quia legebat horas meas. Tertio, quia cantabat etiam ore proprio pro honore meo. Ergo fili, quia amicos tuos clamantes in terra audis, rogo te etiam, vt digneris audire me. Reſpondit filius. Quicunq; eſt alicui domino magis præcipuus in dilectione, huius preces citius exaudiuntur, & quia tu mihi ſuper omnes chariſſima es, ideo pete quod vis, & dabitur tibi. Reſpondit mater. Iſta anima patitur tres pęnas in viſu, & tres in auditu, & alias tres in tactu. Rogo ergo te fili mi chariſſime, vt vnam pęnam in viſu ſibi minuere velis, ſcilicet, quod non videat horribiles dæmones, ſed reliquas duas pęnas ſuſtineat, quia iuſtitia tua ſic exigit, cui obuiare non poſſum ſecundum iuſtitiam miſericordiæ tuę. Secundo rogo, vt in auditu vnam pęnam ei minuas, vt ſcilicet non audiat opprobrium, & confuſionem ſuam. Tertio rogo, vt in tactu etiam vnam pœnam minuas ei, ſcilicet, vt non ſentiat frigus frigidiſſimum gelu, quod dignus eſt habere, quia frigidus erat in charitate tua. Reſpondit filius. Benedicta ſis tu mater chariſſima tibi, nihil negari poteſt fiat voluntas tua, vt petiſti ſic fiat. Reſpondit mater. Benedictus ſis tu dulciſſime fili mi pro omni charitate, & miſericordia tua. Tunc in eodem puncto videbatur vnus ſanctorum cum exercitu magno dicens. Laus tibi ſit Domine Deus Creator, & iudex omnium. Hæc anima deuota in vita ſua ſeruiuit mihi, ipſa enim ieiunauit in honore meo, & laudauit me, & amicos tuos circunſtantes cum ſalutatione ſua, ideo ex parte eorum, & mea rogo miſerere huic animæ, & propter preces noſtras da ei requiem in vna pęna, hoc eſt, quod dæmones non habeant poteſtatem obtenebrandi conſcientiam eius, ipſi enim ex malitia ſua ſic obumbrabunt conſcientiam eius niſi refrenentur, quod nunquam ſperaret finem miſeriæ, & adeptionem gloriæ, niſi quoties tibi placeret ſpecialiter reſpicere eam gratia tua, & hoc eſt maius ſup-
1 plicium ei omni ſupplicio. 1 Ergo pie domine da ei propter preces noſtras, vt in quacunque pęna fuerit ſciat pro certo illam pęnam finituram, & ſe gloriam perpetuam adepturam. Reſpondit iudex. Hæc eſt enim vera iuſtitia, quia ipſa anima multoties ſubtraxit conſcientiam ſuam de ſpirituali cogitatione, & intelligentia ad corporalia, & obtenebrare voluit conſcientiam ſuam, & non timuit facere contra me, ideo iuſtum eſt, vt nunc dæmones obumbrent conſcientiam eius. Sed quia amici chariſſimi vos verba mea audiſtis, & ea opere impleuiſtis, non eſt fas aliquid vobis negari, ideo faciam quod vultis. Tunc autem reſponderunt ſancti omnes. Benedictus ſis tu Deus in omni iuſtitia tua, qui iuſte iudicas, qui nihil dimittis impunitum. Deinde bonus Angelus, qui datus erat animæ ad cuſtodiam ait ad iudicem. Ego a principio coniunctionis iſtius animę, & corporis fui cum ea, & ſequebar eam ex charitatis tuæ prouidentia, & ipſa quandoq; faciebat voluntatem meam, ideo iam rogo te domine mi miſerere ei. Tunc reſpondit Dominus. Volumus deliberare ſuper hoc, & tunc hæc viſio diſparuit.

Declaratio.

Hic fuit miles benignus, & pauperum amator, cuius vxor largiſſimas fecit pro eo eleemoſynas, quæ Romæ mortua eſt ſicut in ſpiritu Dei prædictum de ea fuit, vt patet, iij. lib. cap. xij. F.

N O T AE.

1 Ergo quia iuſtus iudex.

Hic textus cum M. S. Farneſiano ſic reſtituendus eſt: in Vulgatis enim plura verba deſiderantur. Ergo quia tu iuſtus iudex es, iudica eam ſecundum iuſtum iudicium. Reſpondit iudex.

2 Ergo pie domine da ei propter preces noſtras, vt in quacumque pęna fuerit ſciat pro certo illam pęnam finituram.

Quæ ad præſentis Notæ verborum intelligentiam conſerunt, fuſe a nobis ſuſe pertracta ta ſunt libro quarto Reuelat. cap. octauo, nota prima.

Quar-

QVARTO ANNO POSTQVAM ſponſa vidit ſupra proximam viſionem, vbi quædam anima fuit condemnata vſque ad diem iudicij ad purgatorium, videbat iterum eandem animam præſentari in iudicio diuino per Angelum quaſi iam ſemiplene veſtitam, pro qua ipſe cum cœleſti militia orabat dominum, quam tunc Chriſtus totaliter liberauit a pœnis, & vt ſtellam fulgentem tranſmiſit ad gloriam precibus Angelorum, & ſanctorum, & lachrymis, & ſuffragijs amicorum viuorum.

CAP. XL.

POſt hæc autem in quarto anno. Iterum vidi iuuenem fulgentiſſimum cum anima ſupra proximo dicta, quæ erat iam quaſi veſtita, ſed non ad plenum. Qui dixit iudici ſedenti in throno, cui millia millium aſſiſtebant, & omnes adorabant eum propter patientiam eius, & charitatem. O iudex hæc eſt anima illa pro qua orabã, & tu reſpondiſti velle deliberare. Nunc igitur nos omnes aſſiſtentes iterum petimus pro ea miſericordiam tuam. 1 Et licet nos ſciamus omnia in tua dilectione, tamen propter ſponſam tuam, quæ ſpiritualiter hæc audit, & videt loquimur humano modo, licet humana non ſunt nobiſcum. Reſpondit iudex. Vbi currus plenus eſſet ariſtis ſpicarũ, ſi multi homines vnus poſt alium auferret ariſtam ſuam, minueretur numerus atque pondus. Sic eſt modo, nam lachrymæ multæ, & charitatis opera venerunt ante me pro anima iſta, & ideo iudicium eſt, vt veniat ad cuſtodiam tuam, & tu defer eam ad requiem, quam nec oculus videre, nec auris audire valet, nec ipſa anima in carne cogitare poterat, vbi nõ eſt cęlum ſupra, nec terra deorſum, vbi altitudo eſt inexcogitabilis, & longitudo indicibilis. Vbi latitudo mirabilis, & profunditas incomprehenſibilis. Vbi Deus eſt ſupra omnia, & extra, & intra, regit omnia, & continet omnia, nec ab aliquo continetur. Poſt hæc autem illa anima videbatur aſcendere in cęlum, ita fulgens ſicut ſtella fulgentiſſima in fulgore ſuo. Et tunc loquebatur iudex dicens. Veniet cito tempus, quo proferam iudicia mea, & faciam iuſtitiam contra progeniem huius defuncti, cuius eſt anima iſta, quia cum ſuperbia aſcendit hæc generatio. Sed ad retributionem ſuperbiæ deſcendet.

NOTAE:

1 ET licet nos ſciamus omnia in tua dilectione, tamen propter ſponſam tuam, quæ ſpiritualiter hæc audit, & videt loquimur humano modo.)

In præſenti capite Angelos cum Deo loquentes legimus. Miſericordiam petentes ab eo pro anima, de qua cap. 41. Reuelat. agitur, quod tamen an verum ſit, quod Deum Angeli alloquuntur, inde quiſquam probabiliter dubitare poſſet, quoniam locutio ſit ad manifeſtandum aliquid alteri, cumq; Deus omnia ſciat, nihil Deo ab Angelis manifeſtari poſſe videtur, quod eum lateat, & propterea legimus hic eodem libro cap. 39. aliquanto poſt medium, Angelum ſic Deum aliquando fuiſſe allocutum, non eſt inquit neceſſe nobis tibi loqui, quia omnia ſcis, ſed quia charitatem tuam oſtendere vis. Sciendum tamen eſt, quod in huiuſmodi locutione non intendit Angelus veritatem aliquam Deo propalare, quam ille non nouerit, quia ipſe totius veritatis principium, & cognitor eſt, ſed cum eo loquitur Angelus, vt ab eo potius aliquid accipiat, quemadmodum facit diſcipulus, quando Magiſtrum alloquitur, ſermonem ergo habent cum Deo Angeli, vel conſultando diuinam voluntatem, vel eius excellentiam, quam nunquam comprehendunt admirando, ſic habet D. Gregor. lib. 2. moral. cap. primo, & Diu. Thom. p. p. q. 107. art. 3. & ibidem Cardinalis Caetan. dicuntur autem in hoc capite loqui humano modo, quia fortaſſe, vel aſſumptis corporibus, aut quopiam alio modo ſonos quoſdam, & ſignificatiuas aliquas voces edunt, cum homines alloquuntur, & ſic etiam cum Beatiſſima Brigitta loquebantur, vt ipſa percipere poſſet, quod dicebatur ab ipſis.

CHRISTVS REPREHENDIT quendam regem, & homines temporales, qui industriæ suæ, & magno exercitui, & fortitudini corporali, & non Deo attribuunt victorias suas contra inimicos dicens, quod ad bella procedant exemplo Dauid contra gigantem; ponendo spem suam in Deo, humana tamen discretione præcedente, quia faciliter vincit, qui Deum habet cooperatorem.

CAP. XLI.

Filius loquitur ad sponsam de quodam rege Sueciæ dicens. Dixi tibi, quod puer est iste rex, & hoc ex duobus poteris intelligere. Primo ex regimine suo. Secundo ex exercitu innumerabili. Nunquid non pastor Dauid vicit gigantem. Sed quomodo? Nunquid potentia, & sapientia? Non vtique, sed virtute diuina, nisi enim Deus infatuasset audaciam gigantis, & animasset mentē pueri Dauid, quomodo puer aggressus fuisset gigantem? & quomodo lapis prosterneret tam fortē, & attigisset tam doctū, nisi in lapide fuisset virtus Dei. Ideo faciliter vincit, qui Deum habet cooperatorem. Nec ei, qui Deo perfecte innititur opus est multa corporis fortitudine, sed fide, & charitate. Temporales enim homines fortitudine corporali se vincere arbitrantur, & exitum pugnę ponūt in hominis industria. Et cum victores extiterint, plus industriæ ascribūt hominis, quam virtuti Dei, Quamuis nec boni, nec mali sine permissione Dei & iustitia victores sunt. Nam quandoque boni prosperantur super malos, & ē contrario mali super bonos permissione occulta Dei. Et quia patientiam, & iustitiam Dei, pauci homines propter vniuersalem negligentiam considerare volunt. Ideo virtus Dei dehonestatur, & homo quasi potens, & faciens victorias sua virtute laudatur, & exaltatur. Nec sine causa dixi, quia puer iste rex est. Nam puer cum videt duo poma, aliud quod totum deauratum est exterius, & intus totum vacuum, & corruptum, aliud vero, quod exterius minus est pulchrum, sed intus recentissimum, puer magis eliget pomū, quod exterius est pulchrū, & intus corruptum, quia nescit considerare, nisi illa, quæ exterius videt. Sic iste rex facit. Pulchrum deniq; sibi videbatur procedere cum magno exercitu, sed nesciebat, nec considerabat, quæ miseria latebat intus. Non attendebat quanta fames, & dolor sequeretur, & quod miseri fama, e grederentur, & miserabiliores reuerterentur. Vile vero, & fatuum videtur cum pauco procedere exercitu, sed magna latet intus vtilitas: adeo si ipse sic vadat, scilicet cum humilitate; & pauco exercitu, ego implebo conscientiam eius diuina sapientia, ego corpus eius fortificabo diuina fortitudine. 1 Ego enim possem facere fortem de infirmo, sublimem de humili, honorabilem de abiecto. Igitur dic ei, quod non vereatur, sed ponat spem suam in me, & faciat cum diuina sapientia, & humana præmeditatione, quæ potest. Et sic vbi sapientia humana deficiet, charitas, & voluntas bona eum excusabit.

Additio.

Filius Dei loquitur. Omnis qui terras infidelium visitare desiderat, debet habere quinque. Primo, exonerare conscientiam suam contritione, & confessione vera, tanquam statim moriturus. Secundo debet deponere omnes leuitates in moribus, & vestibus, non attendendo ad consuetudines nouas, sed ad illas laudabiles a prædecessoribus suis institutas. Tertio, nolle habere aliquid temporale, nisi ad necessitatem, & honorem Dei; & si sciuerit aliquid iniuste acquisitum, vel per se, vel a parentibus velle restituere, quantumcumque paruum, vel magnum. 1 Quarto ad hoc laborare, vt infideles veniant ad veram fidem non concupiscendo diuitias eorum, nec iumenta eorum, seu alia, nisi ad solam corporis necessitatem. Quintum est velle libenter mori pro honore Dei, & sic se ante disponere in laudabili conuersatione, ut ad preciosam mortem mereatur peruenire.

Mater

MATER DEI LAVDANDO ſe de ſollicitudine quam habuit placendi Deo, dicit quod non ſe laudat vt propriam laudem quærat, ſed vt Deus ex hoc laudetur, & honoretur. Et petit a filio pro ſponſa veſtes cæleſtes virtutum, & cibum ſacrum corporis ſui, & ſpiritum feruentiorem. Quæ filius concedit, ſi primo habeat ſponſa humilitatem, & timorem, & gratiarum actionem.

CAP. XLII.

MATER loquitur. Ego a iuuentute mea ſemper cogitaui de honore filij mei, & ſemper ſollicita fui quomodo ei placerem. *Quamuis autem* omnis honor minus honorabilis eſt in ore proprio, tamen ego non loquor iſtud more eorum, qui propriam laudem quęrunt, ſed ad honorem filij mei

1 Dei, & domini mei. 1 Qui mirabiliter ſolem fixit in puluere. Ignem etiam non conſumentem, ſed inflammantem concluſit in arido, & fructum digniſſimum, & ſuauiſſimum protulit abſque humore. Deinde vertens ſe ad filium ait. Benedictus ſis tu fili mi. *Ego ſum quaſi illa mulier*, quę apud dominum exaudita, pro reis, & minus potentibus petebat miſericordiam. *Sic ego* rogo te pro filia mea, quia verecunda eſt, ideſt pro ſponſa tua, cujus animam ſanguine tuo redemiſti, charitate tua illuminaſti, bonitate tua excitaſti, & per miſericordiã

2 tibi deſponſaſti. 2 Rogo te fili da ei tria. Primo, veſtes pręcioſiores, quia filia, & ſponſa regis eſt regum. Si enim ſponſa regis caret habitu regali, omnino contemnitur. *Si vero* minus honeſta deprehenditur, opprobrio redarguitur. Ergo da ei veſtes non de terra, ſed de cęlo, non quæ fulgent exterius, ſed quæ micant charitate, & caſtitate interius. Da ei virtutum habitum ne exteriora mendicet, ſed vt habeat intus abundantiam, & vt poſſit etiam præ aliis in habitu lucere. Secundo, da ei cibum delicatiorem, groſſioribus enim aſſueta eſt ſponſa tua cibarijs, nunc autem aſſueſcat cibo tuo. *Hic enim* eſt cibus, qui tangitur, & non videtur, tenetur, & non ſentitur, cibat, & a ſenſu neſcitur. *Ingreditur*, & vbique eſt, hoc eſt digniſſimum corpus tuum, quod perfigurabat agnus aſſatus, hoc enim humanitas tua de me ſumpta mirabiliter compleuit. Deitas cum humanitate fœliciter illud completũ quotidie oſtẽdit. *Hunc* cibum fili mi da ſponſæ tuę, quia ſine eo, ſicut puer ſine lacte areſcit, ſine eo omnino deficit, & cũ eo, & per eum ad omne bonum, quaſi eger de cibo renouatur. *Tertio* da ei fili mi ſpiritum feruentiorem, ipſe enim eſt ignis, qui nunquam ſucceſſurus nunquam extinctus eſt. *Qui facit* delectabilia viſa vileſcere, & futura ſperare; hunc ſpiritum fili mi da ſibi. *Tunc* filius reſpondit dicens, Mater chariſſima verba tua dulcia ſunt, ſed ſicut ſcis, qui querit ſublimia, neceſſe eſt, vt primo agat fortia, & exerceat humilia. *Ideo* tria ſunt ei neceſſaria. Primo, quod habeat humilitatem, per hanc enim ſublimitas obtinetur, vt ſcilicet ſciat ſe habere bona, quæ habet ex gratia, & non ex meritis ſuis. Secundo, debitum ſeruitium, quod rependat datori gratiarum. *Tertio* timorem, ne amittat conceſſam gratiam. *Ergo* vt tria prima, quæ petiſti obtineat, & poſſideat, non negligat tria ſupra dicta ſequentia. Nihil enim prodeſt obtinuiſſe, niſi ſciat obtenta poſſidere, & intolerabilius cruciant mentem obtenta amiſſa, quam ſi nunquam collata fuiſſent, & poſſeſſa.

NOTAE.

1 QVi mirabiliter Solem fixit in Puluere.

Per puluerem hoc loco poſſunt intelligi duo; primo ipſam Chriſti Domini humanitatem, quam filius Dei aſſumendo vniuit cum diuinitate, quæ per Solem ſignificatur, vt tradunt D. Hieronymus, & Ambroſius in pſalm. 18. & Hilar. ſuper pſal. 37. dicitur autem puluis Corpus Chriſti, quia erat eiuſdem rationis cum noſtro, quod puluis eſt, & de puluere formatum, licet illud Spiritu ſancti opere ex puriſſimis Mariæ ſanguinibus fuerit effectum, Solem ergo in puluere figere, eſt diuinitatem cum humanitate coniungere, per quam coniunctionem naturæ humanæ ingens lumen tributum eſt, vel per puluerem vterum virginis intelligas, in quo Deus ſolem poſuit, quia in illo diuinam naturam, cum humana hipoſtatice vniuit, & verbum caro factum eſt, dicitur autem puluis ob rationem allatam, vbi ſupra

praſ

pra: Dauid quoque volens incarnationis myſterium exprimere, eadem vſus eſt loquendi formula pſalmo decimo octauo, in ſolæ poſuit taculum ſuum, quod tunc factum eſſe dicit Hieronymus, quando corpus aſſumpſit in vtero virginis, idem indicarunt D. Auguſtinus, & Caſſiodorus ibidem.

2 Rogo te fili da ei tria: primo, veſtes pratioſiores, quia filia, & ſponſa Regis eſt Regum.

Per veſtes pratioſiores, hic intelligi poſſunt donum perſeuerantiæ, timoris, fidei, & charitatis, vt ex contextu patet, & duæ poſtreme fides, & charitas nuptiales dicuntur veſtes, quia ſine his, qui ad Nuptias ingredi minime poteſt, & qui non eſt indutus illis, ad tenebras exteriores mittitur, his ergo eget ſponſa præſertim ſi eſt admittenda ad cibum illum ſuauiſſimum corporis Christi, quem pro ſponſa Maria Virgo petit a Christo, vt in hoc capite legimus, fides namque, & charitas omnino requiruntur ad digne ſuſcipiendum hoc Sacramentum, quod peculiari ratione Sacramentum fidei, & charitatis appellatur, & ambas has virtutes per veſtes ſignificari tradit Origenes hom. 20. in Matt. & veſtem nuptialem a Diuo Auguſtino, & D. Gregorio charitatem appellatam eſſe teſtis eſt Liranus in Matt. cap. 22. ad eum verſum, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, idem habet D. Ambroſius Lucæ 14. competit ergo huic Sponſæ Brigittæ veſtitus Reginæ deauratus, quia filia, ſponſa Regis eſt Regum, vt ſcribitur hic, de quo veſtitu Dauid pſalm. 44. verba faciens, aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, & talis dicitur propter fidei, &

charitatis

ornamentum, ſic habet D. Hie-

ronymus ſuper pſalm. 44.

D. Gregorius homil.

38. in Euangelia.

TVRBATVR SPONSA, quia non patienter, & læte obediebat patri ſpirituali. Cui Christus dicit, quod ſi ipſa habeat propoſitum perfecte obediendi, quamuis aliquando voluntas reluctatur, habet tamen ſic obediendo meritum, & purgantur peccata præterita, ponit etiam hic dominus arma ſpiritualis pugnæ: ideſt virtutes, quibus iuſti pugnant, & vincunt. Iniuſti vero ea proijciunt, & vincuntur.

CAP. XLIII.

FILIVS DEI loquitur ad ſponſam. Dic mihi cur turbaris, quia licet omnia ſcio, tamen te dicente cognoſcere volo, vt & tu ſcias quid reſpondeam tibi. Cui reſpondit ſponſa. Duo inquit timeo, & de duobus conturbor. Primo, quia nimis impatiens ſum ad obediendum, & ad patiendum

1 minus hilaris. 1 Secundo, quod amicis tuis aduenit tribulatio, & inimici tui dominantur eis. Reſpondit Dominus. Ego ſum in eo, cui ad obediendum data es, & ideo quælibet hora, quilibet punctus, quo voluntate ad obediendum conſentis, & obedire voluntate vis, quamuis caro quandoque recalcitrat, reputabitur tibi in præ-

2 mium, & in purgationem peccatorum. Ad ſecundum, ſcilicet quod tu turbaris de contrarietate amicorum meorum. Reſpondeo tibi per exemplum. Vbi duo inuicem pugnantes ſunt, & alter eorum proiicit arma ſua, alter vero munit ſe ſemper armis ſuis. Nunquid non ille facilius vincetur, qui proiicit arma, quam qui quotidie colligit arma ſua ad ſe. Sic, & nunc eſt, nam inimici quotidie arma proiiciunt.

3 Tria quippe genera armorum ſunt neceſſaria potiſsime ad pugnam. Primum eſt, quod hominem vehit, ſeu portat, vt puta equus, & ſimilia. Secundum eſt, quo homo defenditur vt puta gladius. Tertium genus armorum eſt, quod munit corpus, vt lorica, & ſimilia. Sed inimici primo amiſerunt equum obedientię, qua ad omne bonum promouerentur, ipſa enim eſt, quæ cum Deo tenet amicitiam, & ſeruat domino

fidem promiſſam. Proiecerunt, & gladium timoris diuini, quo corpus a voluptate retrahitur, & ab anima ſeparatur, diabolus ne appropinquet. Perdiderunt, & loricam qua munirentur contra iacula, id eſt diuinam charitatem, quæ lætificat in aduerſis, defendit in proſperis, pacificat in tentationibus, lenit in doloribus. Galea eorum, quæ eſt ſapientia diuina, iacet in luto. Arma colli, ideſt diuina cogitatio, etiam deciderat. Sicut enim per collum mouetur caput, ſic per diuinam cogitationem mens ad omnia, quæ Dei ſunt deberet moueri, ſed iam cecidit diuina cogitatio, ideo caput iacet in infirmis, & agitatur a vento. Arma quoque pectoris nimis infirma ſunt, ideſt affectus ad Deum ſic tepuit, vt vix videri poſſit, & minus ſentiri. Arma etiam pedum oblita, & neglecta ſunt, ideſt, contritio cum propoſito emendandi. Gaudent enim in peccatis, & deſiderant in eis perſeuerare quam diu poſſunt. Arma brachiorum, ideſt, opera bona odioſa ſunt eis, & vana. Audacter enim faciunt, quæ volunt, & non verecundantur. Sed amici mei quotidie muniant ſe armis. Currunt enim in equo obedientiæ tanquã boni equites, voluntatem ſuam propter imperium domini relinquentes, pugnant contra vitia in timore domini tanquam boni milites. Suſtinent in charitate omnia aduenientia tanquam boni bellatores, expectantes auxilium domini. Muniunt ſe ſapientia diuina, & patientia contra detractores, & criminatores, quaſi boni incluſi elongantes ſe a mundo. Agiles ſunt, & celeres ad diuina tanquam aer mobilis, feruentes ad Deum tanquam ſponſa ad brachia viri. Veloces, & fortes ad pertranſeundum mundana oblectamenta, quaſi cerui, ſolliciti in agendis tanquam formica, vigilantes quaſi ſpeculator, ecce tales ſunt amici mei, & ſic quotidie ſe armis virtutum veniunt, quæ inimici contemnunt, & ideo faciliter vincuntur. Pugna igitur ſpiritualis, quæ eſt in patientia, & diuina charitate multo nobilior eſt corporali, & diabolo multo odioſior. Non enim laborat diabolus, vt auferat corporalia, ſed vt viriet virtutes, & auferat patientiam, & virtutum ſtabilitatem, ideo non turberis, ſi amicis aliqua ſuccedunt contraria, quia ex his prouenit eis merces.

NOTAE.

1 Secundo, quod amicis tuis aduenit tribulatio, & inimici tui dominantur eis.

Hac de re in pluribus locis egimus, & ex ſanctis Patribus cauſas plurimas redidimus, quapropter amicis Dei contraria multa ſuccedant, & moleſtiis cuiuſque vexantur, inimici vero in mundo proſperantur. vide quæ annotauimus lib. 2. cap. 1. nota ſecunda, & lib. 5. interrogat. ſexta qu. 2. agitur etiam hac de re lib. 1. cap. 22. & 25.

2 Tria quippe genera Armorum ſunt neceſſaria potiſsime ad pugnam.

De ſpiritualibus armis, eorumque ſignificatione, & qualitate fuſe tractauimus ſupra libr. 4. Reuel. cap. 74.

CHRISTVS DICIT Sponſæ ſuæ, quod ipſe eſt ſimilis vitrario, qui quamuis multa vaſa franguntur, non ceſſat de nouo formare alia, ideſt animas donec chorus cæleſtis angelicus repleatur, & quod eſt ſimilis api, quia eliget ſibi aliam nouam herbam, ideſt conuertet paganos vnde magnam dulcedinem ex trahet, ideſt multas animas ad implendum apiarum regni cælorum.

CAP. XLIIII.

EGO ſum quaſi bonus vitriarius, qui de cinere facit multa vaſa, quamuis autem multa confrin- 1
guntur, tamen non ceſſat noua facere, donec impleatur numerus vaſorũ. Sic ego facio, quia de ignobili materia nobilem facio creaturam, ſcilicet hominem, & quamuis multi diſcedunt a me per opera ſua mala, non tamen ceſſo formare alios, donec chorus angelicus, & loca in cælo vacua repleantur. Ego ſum etiam ſimilis bonæ api, quæ exiens de apiario ſuo volat ad herbam pulchram alonge viſam, in qua quærit reperire florem pulcherrimum, & odorem redolentem ſuauiſſimum

mum, & elegantem. Sed cum appropinquat habere inuenit florem aridum, & odorem immutatū, & adnihilatum suauitatemque penitus extractā. Sed post hæc inquirit aliam herbam, & inuenit herbam aliquantulum asperam. Cuius flos est modicus, & odor non multum odorans, suauitas placens, sed exigua. 1
In hac autem herba figit apis pedem, & extrahit inde dulcedinem, & reportat ad apiarium, donec ad voluntatem suam est impletum. Apis enim ista ego sum omnium creator, & dominus, qui de apiario tunc exiui, cum formam humanam assumens apparui in ea visibilis. Quæsiui autem herbam pulchram, idest genus christianam mihi assumpsi. Qui pulchri erant ex fide, dulces charitate, fructiferi bona conuersatione. 2
Nunc autem a priori statu degenerantes, ex nomine videntur pulchri, sed conuersatione sunt deformes, fructiferi ad mundum, & carnem, sed steriles ad Deum, & animam. Dulces sibi, sed amarissimi mihi, propterea cadent, & adnihilantur. Ego autem, sicut apis eligam mihi aliam herbam aliquantulum asperam, idest, paganos moribus satis aduersos, quorum aliqui habent florem modicum, & suauitatem exiguam, idest voluntatem, qua libenter conuerterentur, & seruirent mihi, si scirent quomodo, & si haberent auditores. Et ex hac herba tantum extraham dulcedinis, donec impleatur apiarium, & tantum ei appropinquare volo, vt nec herbę desit suauitas, nec apis a fructu laboris euacuetur, & crescet hoc mirabiliter, quod asperum est, & vile ad summam pulchritudinē. Quod autem pulchrum videtur decrescet, & deueniet ad deformitatem.

CHRISTVS DICIT Matri, quod homines mentalibus oculis cęci possunt visum recuperare, vt valeāt Deum videre, & super omnia diligere ex tribus, scilicet ex cōsideratione iustitiæ temporalis, & ex bonitate, scilicet per pulchritudinem creaturarum, & ex omnipotentia, & sapientia sua. Errant autem omnes, qui credunt mala, vel bona euenire ex fortuna, vel constellatione stellarum.

CAP. XLV.

MARIA loquitur. Benedictus sis tu fili mi, Deus meus, & Dominus meus. Ego licet tristari non possum, tamen super tribus compatior homini. Primo, quia homo oculos habet, & cæcus est, nam videt captiuitatem suam, & sequitur eam. Deridet iustitiam tuam, & ridet ore ad cupiditatem suam. cadit in puncto in pęnam perpetuam, & amittit gloriam fœlicissimam sempiternā. Secundo compatior homini, quia affectat, & respicit gaudenter mundum, & misericordiam tuam non attendit, & illud quod modicum est quærit, & illud quod maximum est projicit. Tertio compatior, quia cum tu Deus omnium sis, honor tamen tuus ab hominibus oblitus, & neglectus est, & opera tua mortua sunt ante eos. Ergo benedicte fili mi miserere eius. Respondit filius. Omnes qui in mundo sunt, & conscientiam habent, vident quod in mundo est iustitia qua peccatores puniuntur.
1 Si ergo corporales excessus a temporalibus hominibus puniuntur ex iustitia, quanto magis est iustitia, vt anima immortalis a Deo immortali puniatur? Hoc videre, & intelligere posset homo si vellet. Sed quia oculos flectit ad mundum, & affectum
2 ad delectationem suam. Ideo sicut umbra sequitur noctem, sic homo insequitur bona fugitiua, & odio habet permansura. Secundo videre, & considerare posset homo si vellet, quod si plantę, arbores, & herbę pulchrę sunt, si omnia ista mundialia desiderabilia sunt, quantomagis pulchrior, & desiderabilior est omnium istorum dominus,

Google

minus, & creator? Et ſi gloria iſta tem-
poralis fugitiua ſic ardenter concupiſcitur,
& diligitur, quanto magis concupiſcenda
eſſet gloria illa æterna? Hoc videre poſſet
homo ſi vellet, quia bene huius intelligen-
tiæ habet ſenſum, quod illud, quod maius,
& nobilius eſt, magis diligendum eſſet,
quam id quod deterius, & minus eſt, ſed
quia homo, ſicut animal ſemper ad infe-
riora inclinatur, cui datum eſt ſurſum re-
ſpicere, ideo quaſi aranearum texit telam.
3 Pulchritudinem deſerit Angeli, & imi-
tatur tranſitoria, & ideo ſicut fœnum ad
modicum tempus floret, & quaſi fœnum ci-
to cadit. Tertio intelligunt in conſcien-
tia ſua, qui volunt, & hoc eſt iſtis creatis
conſiderare diligenter poſſunt, quod vnus
eſt omnium Deus, & creator. Niſi enim
eſſet creator omnia irent inordinate, cum
nulla ſint inordinata, niſi illa, quæ homo
inordinat? licet hominibus ſic videantur
quibus planetarum, & temporum curſus
incognitus eſt, & quibus iudicia Dei prop-
ter peccata præmiſſa ſunt occultata.
Si ergo vnus eſt Deus, & ipſe optimus,
quia ab eo procedit omne bonum, cur non
honorat eum homo præ omnibus, & plus
quam alia, cum ratio eorum dicit eis eum
præ omnibus honorandum a quo ſunt om-
4 nia. 4 Sed homo, ſicut dixiſti oculum
habet, & nihil videt, immo perſonaliter
ipſe clauſit oculum ſuum per blaſphemiam,
quia ſtellis deputat, quod homines boni,
5 vel mali ſunt. 5 Fato etiam, ideſt for-
tunæ imputant, quicquid contrarium, vel
aſpʀum acciderit eis, ac ſi diuinum ali-
quid eſſet in eis, quo vel generare, vel
aliquid facere poſſent, cum tamen fatū, &
fortuna nihil ſit, ſed diſpoſitio hominis, &
omnium rerum in diuina ſtabilitate præui-
ſa ſunt, & ſtabiliter ſecundum exigentiam
vniuſcuiuſque rei rationabiliter miniſtra-
ta. Nec in ſtellis eſt, quod bonus homo,
vel malus ſit, quamuis in eis multa viden-
tur rationabilia, ſcilicet ſecundum qua-
litatem naturæ, & temporum ordinata,
& temperata. Ergo illa poſſent homines
videre ſi vellent. Reſpondit Mater.
Omnis homo, qui habet bonam conſcien-
tiam, bene intelligit, quod Deus eſt plus
quam aliquid aliud diligendus, & hoc
etiam opere perficit. Sed quia membra-
na ſuperducta eſt pluribus in oculo, licet
pupilla ſit ſana, ideo videre non poſſunt
omnes. Quid autem notat hæc membra-
na, niſi inconſiderationem futurorum, quæ
ſuperducta eſt intelligentiæ multorum.
Ideo rogo te chariſſime fili, vt qualis iuſti-
tia tua ſit ſuper aliquem manifeſtare di-
gneris. Non vt pudor eius, & miſeria
eo maior fiat, ſed vt pęna eius pro me-
ritis debita eo mitior fiat. & vt iuſtitia
tua ſciatur, & timeatur. Vbi enim ſac-
cus eſſet plenus aliqua re, aut vas ple-
num lacte, quid ſciret homo quid conti-
neretur intus in ſacco, niſi valenter, &
aperte excuteretur? Sic quamuis iuſti-
tia tua magna eſt, niſi tu aperto iudicio
monſtraueris illam, a paucis timeri poſ-
ſet, quia opera tua mirabilia, diuturni-
tate temporum, & peccati magnitudine
viluerunt. Secundo rogo, vt miſericor-
diam tuam manifeſtare digneris per ali-
quem tibi charum, propter aliorum de-
uotionem, & miſerorum conſolationem.
Tertio rogo, vt nomen tuum veniat in ho-
norem, vt diligentes ſciantur, & tepidi
accendantur. Reſpondit filius. Vbi
multi amici ingrediuntur, & orant di-
gnum eſt, vt exaudiantur, quanto magis
ſi ingreditur, & orat aliqua domina cha-
riſſima domino, fiat ergo, quod vis.
Iuſtitia enim mea euidenter manifeſtabi-
tur intantum, quod qui eam experientur
ſentiet, opera eius venient in publicum, &
membra contremiſcent. Secundo dabo
vni perſonæ miſericordiam quantam cape-
re poſſit, & indiget. Corpus eius exal-
tabitur, & eius anima glorificabitur ad
hoc, vt miſericordia mea manifeſtetur.
Deinde Mater loquitur. Locus iſte reli-
gioſorum euerſus eſt a bono, & fundatus
ſuper glaciem, cuius fundamentum ab ini-
tio erat aurum mundiſſimum, ſubtus au-
tem chaos maximum eſt. Cum vero
incaluerit Sol diſſoluetur glacies,
& quod ædificiatum eſt ca-
det in abyſſum. Ergo
fili mi benedicte
miſerere eis.
Horren-
dus
enim eſt caſus, & præcipi-
tium intolerabile. Te-
nebræ etiam per-
petuæ, & pę-
na pro-
longa-
ta.

NOTAE.

1 var. lect. SI corporales excessus a temporalibus hominibus puniuntur ex iustitia, quanto magis est iustitia, vt anima immortalis a Deo immortali puniatur.

Hunc textum cum M.S. Farnesiano sic arbitror esse corrigendum, vt anima immortalis a Deo immortaliter puniatur, homo enim mortaliter peccans, pœnæ inferni æternæ fit Reus, verum si vulgata lectio retinenda est ad illud verbum immortali subintelligendum morte Deus enim mortaliter peccantem, morte immortale punit, quæ est pœna æterna, quæque per mortem in sacris litteris significatur, vnde canit Ecclesia libera nos de morte æterna, & explicat hoc D. Greg. lib. 9 mor. c. 38. sicut inquit mors exterior ab anima diuidit carnem, ita mors interior a Deo separat animam, vmbra ergo mortis obscuritas est diuisionis, quia damnatus quisque, cum æterno igne succenditur, interno lumine obtenebratur, idem annotarunt D. Hieronymus super Isaiam cap. 9. & super Hieremiam cap. 9. D. Basil. in psalm. 48.

2 Ideo sicut Bubo insequitur noctem, sic homo insequitur bona fugitiua.

D. Isidorus lib. 12. Etimolog. cap. 7. Bubonem a sono vocis nomen obtinuisse tradit, & feralem auem vocat, plumis onustam, graui semper detentam pigritia, & in sepulchris diu, noctuque versantem, ac in cauernis habitantem, hanc autem noctu volare ferunt, quippe quæ lumen odio habeat, & Leuitici 11. inter animalia immunda numeratur, & ideo hoc loco homines, qui bona temporalia, & delitias carnis sectantur Buboni similes esse dicuntur, simbolum namque malorum hominum, & carnalium Bubo est. Vnde Gloss. Ordinaria in citatum locum Leuitici. Bubo inquit, qui de nocte pastum quærit, & de die se abscondit luxuriosum notat, hinc Iob. 24. dicitur oculus adulteri obseruat caliginem.

3 Pulchritudinem deserit Angeli, & imitatur transitoria.

Homo mundum sequens; & quæ Dei sunt negligens Angelorum hic dicitur Pulchritudinem perdere, quatenus visione beatifica, qua fruuntur Angeli, & per quam pulchri sunt peccando amittit Io. enim Apocalip. 21. dicit mensura hominis, quæ est Angeli, vbi Liranus per hæc verba insinuari putat, electos homines ad æqualitatē Angelorum assumi, ideo Matt. 22 scribitur, sunt sicut Angeli Dei, cum ergo homines, quæ Dei sunt deserunt transitoria sequentes, Angelorum pulchritudinem perdere dicuntur, quia a Dei visione ad quam sunt Angeli assumpti per peccata excluduntur.

4 Sed homo sicut dixisti oculum habet, & nihil videt, imo personaliter ipse claudit oculum suum per blasphemiam, qua stellis deputat, quod homines boni, vel mali sunt.

Per oculum in præsenti nota vim cognoscitiuam animæ esse intelligendam arbitror, sic enim in sacris litteris aliquando accipi oculum tradunt D. Ambros. super psalm. 118. serm. 5. Origenes super Isaiam homil. 7. & super Matt. homil. 35. D. Augustinus super Ioan. tract. 13. hæc ergo cognoscendi vis hominibus diuinitus tradita est, vt si se in Dei operibus considerandis exercerent, ad ipsum Deum diligendum gradum facerent, sed quia, vt legimus hic cæci sunt, nihil horum considerant, & quod deterius est, quidquid boni, & mali in rebus creatis inueniuntur, stellarum cursui & motibus tribuunt, idcirco hoc loco eos oculos claudere, & blasphemare dicuntur, quia creaturis tribuunt, quod Deo est tribuendum, omne namque bonum, quod in rebus creatis reperitur, de sursum est a patre luminum, vt D. Iacobus in sua canonica cap. 1. dixit, malum vero permissiue tantummodo ab eo est, hinc fit, quod pessime agunt, qui tempus in stellarum obseruatione consumentes, cuncta quæ fiunt in mundo in illas referunt, quos redarguit Apostolus ad Galat. 4. obseruatis inquit dies, & tempora, merito ergo huiusmodi homines rideuntur, nescientes quod Deus Op. Ma. non propter stellas creauit homines, sed propter homines stellas nec ad mali causā, sed in signa, & tēpora, vt Gen. 1. scribitur, neque stellarum influxus necessitatem aliquam hominibus adijcere, sed frequenter si quæ nobis occurrunt incommoda, vt fames, pestes, bella, incendia, & si quæ sunt eiusmodi a Deo iuste propter peccata nostra permitti, quæque si resipiscamus cauere possumus, precibus etiam ad Deum fusis, quod factum esse sepissime historias Ecclesiasticas legentibus constabit, sed hanc inanem stellarum diuinationem improbarunt sancti Patres, vt D. Greg. hom. de die Epiphaniæ, Origen. super Gen. D. Basil. hom. 6. Exameron D. Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. cap. 21. & lib. 5. de ciu. cap. 1. & de Genesi ad litteram lib. 2. cap. 21. Euseb. de præparat. Euangelica lib 6. cap. 6. 7. 8. & 9. & inter recentiores luculentissime per duodecim libros contra hos genithliacos, & planetarios disputauit Picus Mirandulanus, & hoc etiam prohibetur per Can. non liceat 26. qu. 5. & postremo per Bullam Sixti V. plura hac de re annotauimus lib. 4. Reuel. cap. 40. nota 3.

5 Fato etiam, idest fortunæ imputant, quidquid contra, vel asperum acciderit eis, ac si diuinum aliquid esset in eis.

Quemadmodum supra Christus Dominus eorum improbauerat opinionem, qui cuncta, quæ fiunt in mundo stellarum cursui tribuebant, sic hoc loco pari ratione eos reiicit, qui in fortunā & fatum omnia referunt confutat autem hos, asserens, [illegible] fortunam

tunam nihil eſſe, quos etiam deridet Auguſtinus lib. 4. de ciuit. Dei cap. 18. quandoquidem ſequuntur illam, quæ cæca eſt, quæve ſine iudicio venit ad bonos, & ad malos, vt quid inquit colitur, quæ cæca eſt, paſſim in quoslibet incurrens, vt ſuos cultores plerunque prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat, aut ſi aliquid proficiunt cultores eius, vt ab illa videantur, & amentur, iam merita ſequitur, non fortuita venit, vbi eſt ergo definitio fortunæ: vbi eſt, quod a fortuitis nomen accepit, nihil enim prodeſt illam colere, ſi fortuna eſt, ſi autem ſuos cultores diſcernit, vt proſit, fortuna non eſt, ſed de eadem re latius agit lib. 1. contra academicos c. 1. lib. 1. quæſt. ſuper Geneſim ca. 91. & Plinius lib. 2. c. 7. vbi etiam fortunam cæcam facit, quod etiam tradit Ariſt. ſect. 29. problemat. 8. hinc eſt, quod Albertus Magnus fortunæ ſimulachrum deſcribens, aſſerat illud in rota fuiſſe cæcũ: & vna parte album, altera nigrum, in rota propter eius volubilitatem, cæcum propter imprudentiam, partim album, & partim nigrum propter fortunium, & infortunium, quæ partes eius ſunt, cum ergo hæc ita ſint, non ne cæci ſunt, qui fortunam humanã Regentem, & gubernantem faciunt, cum ipſa cæca ſit, eſt igitur inanis, & plenus amentiæ fortunæ cultus, qui ergo hæc inferiora ab ea gubernari cenſeret, vel dominium, & regimen rerum in Deo eſſe negaret, vel diuinam prouidentiam de medio tolleret, contra quos ſcribens Iſaias cap. 65. & vos inquit, qui dominum dereliquiſtis, qui obliti eſtis mõtem ſanctum meum, qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam, quod ſic explicat Gloſ. omnes qui Eccleſiam deſerunt, & obliuiſcuntur montem ſanctum Dei, tradentes, ſe ſpiritibus erroris, vel immundis dæmoniorum doctrinis, parant fortunæ menſam, & nihil ad Deum pertinere credentes, ſed vel ſtellarum curſu, vel varietate fortunæ omniã gubernari, hi tradentur æternis ſupplicijs: vt autem ſenſus litteralis huius loci innoteſcat, ſciendum eſt Aegiptios in fine anni parare conſueuiſſe menſam fortunæ, omnibus eſcis, ac etiam poculis referTam, vel quaſi fœlicem annum præbuerit, vel quia fœlicem præbitura, eſſet lege ſuper citatum locũ Iſaiæ D. Hieron. qui hanc rem egregie declarat. 1

ORANTI SPONSAE AD Virginem, quod impetraret ei perfectam dilectionem ad Deum. Reſpondit virgo, quod ad hoc obtinendum ſequatur ſex verba Euangelij hic contenta. & declarat ei pulchre illud verbum, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et illud, nolite ſollicitari de craſtino, &c. Et dicit, quod laborans in oratione, & lectione deuotæ licite poteſt mendicare pro neceſſarijs vitæ.

CAP. XLVI.

LOQVEBATVR Sponſa ad Virginem dicens. O quam dulcis eſt Dominus Deus. Omnis enim qui habet eum dulciſſimum, nullum habebit dolorem in quo non ſentiat conſolationem. Et ideo o Mater Dei benigniſſima. Rogo te, vt ſic extrahas a corde meo dilectionem omnium rerum temporalium, quatenus filius tuus ſit mihi ſuper omnia chariſſimus vſque ad mortem. Reſ-
1 pondit Mater, 1 Quia filium meum deſideras habere in tuum chariſſimum, ſequere verba eius, quæ ipſe perſonaliter loquebatur in Euangelio, quæ ad hoc trahunt, vt ipſe præ omnibus diligatur, & ideo ſex verba Euangelica reduco tibi ad memoriam. Primum eſt, quod dixit diuiti. Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. Secundum eſt. Nolite ſollicitari de craſtino. Tertium eſt: Videte quomodo paſſeres paſcuntur, quantomagis Pater cæleſtis paſcet homines. Quartum eſt. Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Quintum eſt. Primum quærite regnum Dei. Sextum eſt. Omnes, qui eſuritis venite ad me, & ego reficiam vos. Ille quippe videtur omnia vendere, qui non plus appetit habere, quam vnius corporis moderatam ſubſtantiam, & omnia alia diſtribuit pauperibus ad honorem Dei, & non pro honore mundi, ea intentione, vt obtineat amicitiam Dei. Sicut apparet in Beato Gregorio, & alijs multis regibus, & principibus, qui tantum dilecti ſunt a Deo, quamuis habuerunt diuitias, & alijs dederunt, ſicut illi qui, omnia

ſimul reliquerunt Deo, poſtea ab alijs mendicantes. Nam illi, qui habuerunt diuitias mundi ſolummodo ad honorem Dei, libenter eis caruiſſent, ſi voluntas Dei fuiſſet. Iſti vero alij aſſumpſerũt paupertatem quã deſiderabant ad honorem Dei. Ideo omnis homo, qui de iuſte acquiſitis bonis habet poſſeſſiones, vel etiam penſiones ei permittitur recipere fructus ad ſuſtentationem ſui, & familiarium ſuorum in honorem Dei. Quicquid autem ſuperfuerit tribuat indigentibus amicis Dei. Secundo, noli ſollicitari de craſtino, nam etiam ſi nihil habueris, niſi corpus nudum, ſpera in Deo, & ipſe, qui paſcit paſſeres etiam ſuſtentabit te, quam redemit ſanguine ſuo. Cui ego reſpondi. O domina chariſſima, quæ es pulchra diues, & virtuoſa, ideo autem pulchra, quia nunquam peccaſti, ideo diues, quia amica Dei chariſſima. Ideo virtuoſa, quia perfectiſſima omnibus operibus bonis. Itaque domina mea audi me, quæ ſum plena peccatis, & in virtutibus pauper. Nos hodie habemus victum, & neceſſaria noſtra, cras autem indigemus, & omnino deficimus quõ ergo poſſumus, eſſe ſine ſollicitudine, quando nihil habemus? Nã licet anima conſolationẽ habet a Deo, aſinus tamẽ qui corpus eſt appetit victum ſuũ. Reſpõdit Virgo. Si habetis aliqua ſuperflua, & quibus carere poteſtis, vendite ea, vel impignerate, & ſic viuatis ſine ſollicitudine. Reſpondi ego. Veſtes habemus quibus vtimur nocte & die vaſaque pauca pro menſa noſtra, Sacerdos vero habet libros ſuos; & pro miſſa habemus calicem, & ornamenta. Reſpondit Virgo. Sacerdos non debet eſſe ſine libris, nec vos ſine miſſa, ſed nec miſſa dici debet niſi in ornamentis mundis. Corpus quoque veſtrum non debet eſſe nudum, ſed veſtitum propter verecundiam, & ad vitandum frigus, ideo talibus omnibus indigetis. Reſpondi ego. Nunquid mutuatam pecuniam accipere debeo in fide mea ad aliquod tempus certum? Reſpondit Mater. Si certa es, quod præfixo tempore ſoluere poteris, mutuum recipe, ſin autem dimitte. Melius enim eſt tibi vno die carere cibo, quam fidem tuam exponere pro incerto. Et ego, nunquid vnquam laborare debeo propter victum lucrãdum. Reſpondit Mater. Quid agis modo, & quotidie? Et ego reſpondi. Addiſco grammaticã, & oro, & ſcribo. Dixit autem tunc Mater, non decet talem laborem dimittere propter laborem corporalem. Et ego. Quid ergo habebimus pro craſtino victu? Reſpondit Mater. Petite in nomine Ieſu Chriſti ſi aliud non habetis.

NOTAE.

1 QVia filium meum deſideras habere in tuum chariſſimũ, ſequere verba eius, quæ ipſe perſonaliter loquebatur in Euangelio, quæ ad hoc trahunt, vt ipſe præ omnibus diligatur, & ideo ſex verba Euangelica reduco tibi ad memoriam, primum eſt, quod dixit diuiti, vade, & vende omnia.

In præſenti capite B. Brigitta precibus inſtat apud glorioſiſſimam Virginem, vt illi a Deo perfectam dilectionem impetret, ad quam obtinendam neceſſarium penitus eſſe dicit, vt temporalium rerum ſollicitudinem deponat, & ideo hoc loco citat illud Matt. 19. ſi vis perfectus eſſe, nimirum in dilectione Dei, (vt ibi notat interlinearis Gloſſ.) vade, & vende omnia, quæ habes, ad quorum intelligentiam ſciendum eſt, quod hic duplex detegitur error, primus eſt dicentium, hoc fuiſſe præceptum nõ conſilium, ſecundus eorum eſt, qui affirmarunt fieri minime poſſe, vt diues in diuitijs manens, vitam conſequatur æternam, qui fuit error Pelagianorum, ſed hos vtroſque errores confutauit D. Aug. epiſt. 89. in qua probat diuitem in ſuis diuitijs manentem poſſe ſaluari, & illud (vade, & vende) eſſe conſilium non præceptum, & colligitur etiam ex ipſis verbis Domini ibidem, dixerat namq; prius adoleſcenti, ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata, & rurſus eidem quærenti, quid adhuc ſibi deeſſet, reſpondit, ſi vis pefectus eſſe, vade, & vende, indicans his verbis, omnium rerum venditionem, non eſſe neceſſariam, vt quis vitam ingrediatur æternam, ſed ad perfectionem ſibi tantummodo comparandam, quod & annotarunt Liranus ibi, & Cornelius Ianſenius in ſua concord. par. 3. cap. 100. & Ioan. Maldonatus in Matt. cap. 19. num. 22. ſecundus quoque error facile reuincitur ex verbis huius capitis, vbi Beatiſſima Virgo declarans textum citatum Matthæi, vade, & vende, dicit ſuperflua ſolum nobis prohiberi, non vero neceſſaria, ex quo patet, quempiam cum diuitijs ad victum neceſſarijs poſſe ſaluari, licet enim homo non poſſit ſeruire Deo, & diuitijs, poteſt tamen ſeruire Deo cum diuitijs, ille autem diuitijs ſeruit, qui eas propter ſe, & vt vltimum finem diligit, aut qui eas, iniuſte retinet, & nimis de his ſollicitus eſt, ille vero, qui ad honorem Dei, & proximi vtilitatem diuitias expendit, quique ex illis tantummodo ſibi neceſſaria retinet, diuitijs non ſeruit, ſed diuitiæ potius ſeruiunt ei, quia his ad opera virtutum vtitur: vnde Ambroſ. lib. 8. in Lucam, ſicut diuitiæ ſunt impedimenta improbis, ita probis ſunt adiumenta virtutis, ſed clarius hoc idem probat Diuus Gregorius libro nono moral. cap. 40.

neque

neque enim nil adhuc mortali in carne viuentibus funditus cura carnis abscinditur, sed vt discrete animo seruiat, temperatur, nam quia sollicitos nos esse veritas in crastinum probibet, habere vtcumque curam in præsentibus non negat, quam tendi ad tempus, quod sequitur vetat, & nimirum Paulus cum carnis curam fieri in concupiscentia non sinit, in necessitate concedit, ex quibus Gregorij verbis palam fit, quæ sollicitudo mala sit, quæ licita, & quæ perfectam Dei dilectionem impedit, & certe si Dei misericordiam, liberalitatem, ac prouidentiam consideremus, de nullis rebus essemus solliciti, vt dicit Chrisost. homil. 56. in Matth. quia cum Deus nos pascat, nulla nobis sollicitudine opus est, atque hac in re nos esse peiores animalibus ratione carentibus affirmat homil. 70. in eundem Matth. comparat enim nos formicis, quid inter nos, ait, & formicas interest, nam vt ne dumtaxat corporis curam habent, pariter, & nos certe, immo vero multo peius, non enim pro rebus, vt illæ tantum necessarijs laboramus, sed pro superfluis quoque, ac turpibus vitam illæ nullo crimine peragunt, nos auaritiæ seruientes, non illas, sed lupos, & leones imitamur, cur & has dixit bestias, cum multo simus peiores, vel enim aliter, quam rapiendo natura illis concessit viuere, nos quos ratione honorauit, non pudet illas rapina superare.

MATER DEI DICIT quod homo loquens verba Dei, si ex hoc improbatur, & verecundatur cum patientia talis anima tunc pulchre coloratur, qui autem fatigat corpus suum pro honore Dei, anima eius habebit diuinam dulcedinem, & decorabitur, & cui detrahitur, & non odit detrahentē, ornatur eius anima preciosis vestibus Deo gratis, vexent se igitur amici Dei ad liberandum animas peccatorum, quæ sub monte peccatorum oppresse iacent in periculo.

CAP. XLVII.

MATER loquitur, noli turbari si dictura es verba Dei his, qui ea libenter non audiunt. Nam quicunque rubore perfunditur, & oblocutione propter verba Dei, & patienter tolerat, talis rubor colorat animam pulcherrime. Si vero quis fatigat corpus suum in honore Dei, ex hoc anima eius habebit dulcedinem, & decoratur. Nam anima hominis, quę audit detractionem contra se factam. Nec tamen malum cupit detrahenti, ornatur quasi pulcherrimis vestibus, intantum quod sponsus, qui est vnus Deus in tribus personis, concupiscit illam animam in deitatis suæ æternam dilectionem. Ideo amici Dei libenter vexent se ad conuertendum eos, qui superbiam, & cupiditatem diligunt, plus quam Deum, quia ipsi iacent quasi sub monte, & ideo laborandum est, vt cum vita eripiantur. Sicut enim ille, qui videt fratres suos sub casu montis iacere, quandoque concutit montem, vt eijciat lapides, quandoque frangit leuiter, ne subtus iacens deprimatur grauius. Quandoque percutit fortius, vt eo citius a subiacente mons remoueatur, nec attendit laborem suum, dum tamen vita iacentis in periculo liberetur. Sic etiam amici Dei laborent, vt animæ saluentur.

1 Itaque sicut pauci fuerunt, qui habuerunt fidem rectam quando filius meus ascendit in cœlum, sic nunc pauci sunt, qui præceptum illud implent. Diliges Deum super omnia, & proximum sicut teipsum. Ideo amici Dei sicut prius ad paganos, sic nunc vadant ad christianos, quia sicut impossibile fuit illos obtinere cœlum, qui fidem audierunt, & non seruauerunt, Sic impossibile est christianis obtinere cœlum, qui sine diuina charitate moriuntur.

NOTAE.

1 Itaque sicut pauci fuerunt, qui habuerunt fidem rectam quando filius meus ascendit in Cœlum, sic nunc pauci sunt, qui præceptum illud implent. Diliges Deum super omnia.

Quamquam insigne illud, & primarium de diligendo Deum præceptum, dum in hac mortali vita sumus, ita perfecte impleri minime posse crediderim, sicut beatis in Patria illud adimplere concessum est, vt probat Diuus August. in libro vnico de perfectione iustitiæ. contra Cœlestium Pelagium responsione 17. tomo septimo, tamen optime potest homo diuina gratia adiutus Deum diligere ex tota corde, & ex tota anima, ex tota mente, & ex totis viribus suis sicut præcipitur Deut. 6. Matt. 22. Marci 12. Lucæ 10.

frustra namq; huiusmodi præceptum fuisset homini diuinitus datum, nisi illud obseruare posset, quod admonuit D. Hieron. lib. primo, & tertio, Dialog. contra Pelagium, & D. Aug. de spiritu & littera cap. 13. & Epistola 95. ad Innocentium: ex quo patet falsum esse, quod impius Luterus in li. de Christiana libertate relato a Roffensi art. 31. & 32. asseruit, præceptum dilectionis Dei non posse ab homine in hac vita impleri, contra quem scripsit ipsemet Roffensis, & Sotus de natura, & gratia lib. 3. & Castrensis de heresibus in verbo opera heresi prima, & conuincitur hic error ex verbis, huius notæ in quibus habetur plures in via hoc præceptum implere: his ergo reiectis ad horum intelligentiam duo a nobis hoc loco breuiter declaranda sunt, primo quidem quid sit Deum ex toto corde diligere, secundo vero causas aliquot inuestigabimus, quapropter pauci sint, vt scribitur hic, qui hoc præceptum adimpleant. & vt a primo sumamus exordium D. Aug. lib. 1. de doctrina christiana cap. 22. asserit Deum ex toto corde diligere, esse omnes cogitationes suas, ex tota anima, omnem vitam suam, ex tota mente, omnem intellectum suum in eum conferre, a quo habes. cunctaq; possides Origenes in Matth. tract. 23. dicit ex toto corde diligere Deũ, esse amare secundum totam recordationem, operationem, & cogitationem, ex tota anima, vt eam pro eo ponere parati simus, ex tota mente nil aliud proferre, nisi quæ Dei sunt. D. Chrisost. homil. 42. oper. imperfect. ex toto corde diligere Deum, est cor nostrum non esse inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis, quam Dei, & ex tota anima, certum habere animum in veritate, & firmum in fide, Glossa vero interlinearis in Matth. cap. 22. toto corde, hoc est intellectu, vt nullum in diuinitatis confessione relinquas errori locũ, in tota anima, idest in voluntate, vt nihil ei contrariũ velis, in tota mente, idest in memoria nil reminiscens, quo minus de eo sentias D. Bernard. de diligẽdo Deo, toto corde inquit diligamus, idest sapienter contra suggestiones diaboli, ne seducamur, tota anima dulciter contra delectationes carnis ne alliciamur, tota mente fortiter contra pressuras mundi, ne opprimamur, vide etiam hac de re D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 3. & Caetanum super Matt. cap. 22. qui hoc ipsum egregie explicant. Superest modo quæramus, quapropter homines Deum super omnia, vt legimus hic non diligant, & inter cæteras causas principem sibi locum vendicat sollicitudo bonorum temporalium maxima, per quam homines terrena semper meditantur, & quærunt, Deum vero nunquam, vel raro conspiciunt, secundo, quia immemores sunt beneficiorum, tam spiritualium, quam corporalium, quæ homini Deus singulis diebus immo singulis horis, & momentis misericorditer confert, quæ si considerarent procul dubio ad illius amorem subleuarentur, & eo maxime, quo est connaturale homini diligere, qui propensionem quandam, ac inclinationem habet ad benefactores diligendos, nisi forte ingratus sit, prut homo non Deum diligens a quo cuncta quæ habet accepit, ingratissimus est non animaduertens ad debitum, nec facilitatem præcepti huius, quæ est tertia ratio. Quarto quia nunquã oculos leuat ad cælum considerando magnitudinem premij sibi preparati, nimirum gloriæ, quam daturus est diligentibus se, & quo dilectionis plures gradus habebit, eo plures gloriæ gradus consequetur in Patria. charitas namq; erit mensura, vt probat D. Thom. p. p. q. 12. artic. 6. Quinto quia de pœnarum inferni acerbitate, & diuturnitate minime cogitat, quæ diligentibus mundũ paratæ sunt. Sexto quia ingentes labores non considerat, qui cum terrenarum rerum amore coniuncti sunt, & e contra consolationes, & gaudia, quæ etiam in præsenti vita diligentibus se Deus abundanter tribuit. Septimo quia nunquam studium suum ponunt homines, vt quantum in ipsis est aliqualem cognitionem assequantur pulchritudinis, virtutum; ac ingentis amoris Dei in nos, quæ miro modo amorem concilians. Postremo id fieri etiam arbitror ex venialium peccatorum frequentia, per quam communiter homines pro nihilo ducunt peccare venialiter, non attendentes huiusmodi peccata in amore Dei eos frigidos, ac tepidos reddere, hinc ergo fit quod Beatissima Virgo in hoc capite asserat paucos præceptum de diligendo Deum adimplere.

CHRISTVS COMPARAT se medico confectori potus salubris, & dulcissimi, qui potum diuinæ dulcedinis paratus est omnibus dare, qui eum desiderant cum charitate quem potum illi, qui sani sunt spiritu gustant, & delectantur, qui autem spiritualiter infirmi sunt, non delectantur gustare spiritum Dei.

CAP. XLVIII.

CHRISTVS loquitur sponsæ. *Ego sum quasi bonus confector medicus ad quem currunt omnes qui eum amant, quia sciunt, quod potus eius est dulcis. Qui vero bibunt de dulcedine potus eius, cogitantes eum esse salubrem continue visitant domũ confectoris. Hi vero qui sentiunt de potu* pun-

punsturas, fugiunt eum. Sic est de potu spirituali, qui est spiritus sanctus, ipse quippe spiritus Dei dulcis est ad gustandum, venitque ad robur omnium membrorum, & decurrit per cor, vt hilarescat contra tentationes. Ego Deus sum ille medicus confessor, qui paratus sum dare potum meum omnibus, qui eum desiderant cum charitate. Ille autem sanus est, & aptus, ad recipiendum potum meum, qui non habet voluntatem manendi in peccato, sed gustato potu meo continue delectatur bibere eum. Qui autem voluntatem habet morandi in peccato, non delectatur habere spiritum Dei.

MATER DEI NOTIFICAT certitudinem, qualiter ipsa concepta fuit ex præcepto obedientiæ diuinæ a parentibus sine aliquo peccato originali.

CAP. XLIX.

MATER DEI loquitur. Si alicui volenti ieiunare, qui desiderium haberet comedendi, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur a superiori, cui obediendum esset, quod propter obedientiam comederet, & ille propter obedientiam contra velle suum comederet. Illa commestio maiori remuneratione digna esset quam ieiunium. Per similem modum coniunctio parentum meorum fuit, quãdo ego
1 concepta fui. 1 Et veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato, quia sicut filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quam illud, de quo ego processi.

NOTAE.

1 ET veritas est, quod ego concepta fui sine originali peccato.

Beatissimam Virginem in sua conceptione, originale peccatum minime contraxisse hoc loco aperte scribitur, sicut etiam supra legimus libro quinto cap. vltimo circa finem, ibi (de radice Adæ Maria processit, & de peccatoribus nata, licet sine peccato concepta) hoc idem colligitur, ex serm. Angelico de Virgi. excellentia, qui in fine huius operis positus est cap. 21. Hanc autem opinionem, quod Maria originale peccatum non contraxerit sic esse probabilem censeo, vt tamen contrariã posse defendi existimem iuxta constitutionem Sixti Papæ Quarti in extrauag. præexcelsa, & graue nimis de reliquijs, & veneratione Sanctorum. Prima tamen opinio admodum pia est, & magis communis, & nostris temporibus omnium scriptorum cõsensu recepta, quoniam congruum fuit, quod filius Matrem suam his fauoribus honoraret, quales tanti filij Matrem decere cognoscebat, ideo Cant. 4. de ea scribitur, tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, hanc sententiam tenuit in primis Conc. Basiliense, sess. 13. quo loco non simpliciter id esse de fide definit, sed admodum pium, sacrisq; litteris, & veritati conforme, & prohibet doceri contrarium, & quamuis illud Conc. videatur claudicasse, vt ex Lateranensi Conc. sub Leone X. cõstat: non tamen hoc fuit ob hæresim aliquam, sed propter schisma, quia sub obedientia Papæ non processit, in his tamen, quæ non spectant ad Pontificẽ negari non potest, auctoritatem huiusmodi Concilium habere, & præsertim quantum pertinet ad hanc veritatem de Beatiss. Virg. Conceptione cõprobandam, vtpotè quæ recepta videtur in eo Cõcil. communi Episcoporum consensu, fauet etiam Concil. Trid. sess. quinta, quatenus a generali decreto de originali peccato B. Virginem excipit, eãque Immaculatam vocat, sic enim habet ad finem cap. primi (declarat hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Deigenitricem, & ex patribus tradis hoc antiquiss. & grauiss. auctor, D. Gregorius Thaumaturgus serm. prima in Annunciat. B. Virg. quod etiam insinuauit illius interpres, Gerardus Vossius in notis ibidem, qui pro hac sententia etiam citat sanctum Ephrem Syrum, hanc eandem secuti sunt Diuus Anselmus de Concept. Virginis. D. Augustinus de natura & gratia cap. 36. Damascenus oratione prima de Natiuitate Virginis, & orat. prima de Assumpt. Sedulius libro sexto, Paschasius [illegible] [illegible] Christi

in prin-

in principio, Cirillus Alexandrinus lib. 6. in Ioan. cap. 15. S. Vincentius Ferrerius ſerm. 1. de Natiuit. Laurentius Iuſtinianus ſermon. de Annunciat. Ricardus Victorinus ſerm. de Concept. & ex Scholaſticis Magiſter in 3. diſt. 3. Scotus ibidem quæſtione prima. Franciſcus de Matronibus, Thomas de Argentina, Almainus, Carthuſianus, Ioannes Bacconus, fauent etiam Driedo 3. de dogmat. tract. 2. cap. 4. p. prima, Abulenſis in prologo Bibliæ cap. ſexto, & Exodi 34. quæſt. octaua, Lipomanus in Cathena Geneſis 15. Couaruuias in cap. Alma Mater part. 2. paragrapho quinto, nume. 2. Iacobus de Valentia in pſal. 13. Ambroſius Catharinus in Opuſc. de Concept. & in Annot. contra Caetan. libro 4. longe poſt medium, Corduba libro primo quæſtionarij, quæſtione 44. Aureolus apud Capreolum, Gerſon. Opuſc. de Concept. Cardinalis Cuſanus libro quinto exercitat. & libro 8. Vega libro ſecundo in Concil. Tridentin. cap. ſexto, Roffenſis diſputat. ſecunda contra Luterum, Clithoueus Opuſcul. de puris. Virginis capite quinto, & ſexto, Caniſius libro primo de Deipara cap. nono. ex his optime infertur, quod libro primo Reuelat. cap. nono nota quinta indicauimus, per ſanctificationem ibidem intelligendam eſſe præſeruationem ab Originali peccato, in quo ſenſu nomine ſanctificationis plures ex citatis doctoribus vſi ſunt. Verum in præſentia illud prætereundum non eſt, quod Cardinalis Caetanus Tom. 2. Opuſc. tract. 31. cap. quinto aſſirmat, quod licet Reuelatum ſit B. Brigittæ Mariã originale peccatum non contraxiſſe, tamen contrarium fuiſſe reuelatum Sanctæ Catharinæ Senenſi, quam dicit fide digniorem eſſe cenſendam, quippe quæ Canonizata eſt, ſicut cæteri ſancti. B. verò Brigittam in numerum Sanctorum fuiſſe relatam tempore ſchiſmatis, quo nullus habetur certus Papa, ſed hæc doctrina Caetani primo reijcienda eſt, quoniam quantum ſpectat ad Canonizationem B. Brigittæ nulli dubium eſt, eam legitime fuiſſe Cãnonizatam a legitimo Pontifice, quoniam Bonifatius Nonus, qui eam in Sanctorum numerum retulit fuit legitimus Petri Spceceſſor, & pro vero Pontifice habitus eſt, quod nullus alius negat, quandoquidem Petrus Luna, qui contra Bonifatium Auinione Papa fuerat renunciatus, & Benedictus decimustertius appellatus, Pontifex adulterinus fuis, vt legenti Concil. Conſtantienſe ſeſſ. trigeſimaſeptima, & Diu. Antoninum 3. par. tit. 22. cap. quinto, §. ſecundo, & Ioannem Pinedam in Monarchia Eccleſiaſtica tom. 3. lib. 23. cap. 14. paragrapho tertio, & Platinam in vita ipſius Bonifatij conſtabit. Et latius hoc probat Antonius Corduba libro primo quæſtionarij, quæſtione 44. in quarta, probat. 6. concluſionis; ſic enim habet. Et quidem Cãnonizatio Sanctæ Brigittæ non ſolum a toto Orbe ſuſcepta eſt: verum etiam a Martino Quinto ſpecialiter approbata. Idem habet Ambroſius Catharinus in Annotationibus contra Caetan. loco ſupra citato, ex his euidenter patet non eſſe in dubium reuocandam B. Brigittæ Cãnonizationem, cum præſertim ex Bulla ipſius Martini Quinti, vt annotauit Corduba, conſtet omnia, quæ circa eam Cãnonizationem a Bonifatio Nono facta ſunt eſſe cenſenda canonice facta, idem quoque probat communis Eccleſiæ vſus, quæ Beatam Brigittam tamquam legitime Cãnonizatam veneratur, & colit, & conſtat ex Martyrologio Romano vigeſimatertia Iulij, & ibidem annotauit Cardinalis Baronius, & Molanus eodem die, & Surius Tom. 4. & Cæremoniale Romanũ libro primo ſect. ſexta cap. ſecundo ſecundum etiam dictum Caetani facile refellitur, cum dicit Beatæ Catharinæ Senenſi fuiſſe Reuelatum, Mariam Virginem originale peccatum contraxiſſe, probat enim hoc ex D. Antonino p. par. ſuæ Theologiæ tit. 8. capit. 2. ſed huic obiectioni quidam reſpondent, poſt obitum Sanctæ Catharinæ fuiſſe conſictam huiuſmodi reuelationem a defenſoribus illius ſententiæ, ad infirmandam reuelationem contrariam, verum probabilius mihi videtur dicendum hoc falſum eſſe, quod hoc D. Catharinæ fuerit reuelatum, vt ipſe ſupponit, nam nec Diuus Antoninus, neque Diuus Raymundus, qui illius confeſſiones audiuit, nec alius quiſpiam, qui eius res geſtas litteris conſignauit, eius reuelationis meminerunt, quod etiam annotauit Franciſcus Suarez in Commentarijs ad 3. par. Sancti Thomæ quæſt. vigeſima ſeptima, diſp. 3. ſect. quinta Tom. ſecundo idem admonuit Martinus del Rio in libro quem inſcripſit Diſputationes Magicæ libro quarto Tom. ſecundo, quæſtione tertia ſectione quarta capit. primo, vbi fuſe pertractat de Prophetijs, ſeu Reuelationibus Virginum, & Mulierum, quæ Cãnonizatæ, & notæ ſanctitatis ſunt, & has D. Brigitta contra Henricum de Aſia defendit, eaſque multis rationibus confirmat.

Verba

VERBA VIRGINIS AD sponsam, qualiter Deo nil tantum placet sicut, quod summe diligatur ab homine, & ostendit hoc per exemplum de vna muliere pagana, quæ obtinuit gratiam propter multam dilectionem quam habuit ad creatorem.

CAP. L.

MATER loquitur ad sponsam dicens. Nihil tantũ placet Deo, sicut quod homo diligat eum super omnia. Ecce dicam tibi similitudinem de vna fœmina pagana, quæ nihil sciens de fide catholica, cogitauit secum talia. *Ego* inquit scio de qua materia sum, & de quibus veni in vterum matris. Ego etiam credo, quod impossibile est habuisse me corpus, & compagines, & viscera, & sensus, nisi aliquis dedisset, & ideo aliquis Creator est, qui me creauit tam decoram personam humanam, & noluit me creare deformem sicut vermes, & serpentes. Videtur ergo mihi, quod licet ego haberem plures viros, quod si omnes vocarent me, magis ego currerem ad vnicam vocationem Creatoris mei, quam ad voces illorum omnium. *Ego* etiam habeo plures filios, & filias, nihilominus si viderem eos habere cibum in manu, & scirem Creatorem meum esurire, ego vtique auferrem cibum de manibus filiorum, & gaudenter præsentarem illum Creatori meo. Ego etiam habeo multas possessiones, quas dispono ad velle meum, si tamen scirem voluntatem Creatoris mei, libenter dimitterem velle meum, & disponerem eas ad honorem eiusdem Creatoris mei. Sed vide filia quid *Deus* fecit cum ista muliere pagana, ipse enim misit ei vnum amicum suum, qui instruxit eam in fide sancta. Et *Deus* per seipsum visitauit cor eius sicut intelligere poteris ex verbis mulieris. Nam quando ille vir Dei prædicabat ei vnum esse Deum sine principio, & sine fine, qui est Creator omnium. Respondit illa. Bene inquit est credibile, quod ille qui me creauit, & omnia, non habeat supra se creatorem, & bene est verisimile, quod vita sua est æterna, qui mihi potuit dare vitam. Quando vero mulier audiuit, quod idem Creator accepit humanitatem de Virgine, & quod ipse ore proprio prædicabat, respondit. Bene est credendum Deo ad omnia opera virtuosa. Sed tu amice Dei dicito mihi, qualia sunt verba illa, quæ de ore Creatoris processerant, volo quippe dimittere voluntatem meam, & obedire ei iuxta omnia verba oris eius. Tunc autem amico Dei prædicante de passione, & cruce *Dei*, & de resurrectione eius. Respondit mulier lachrymosis oculis, & dixit. Benedictus sit Deus qui sic patienter ostendit charitatem suam in terris, quam habuit ad nos in Cœlis. Propterea si prius dilexi eum, quia me creauit. Nunc autem obligatior sum diligere eum, quia demonstrauit mihi viam rectam, & me redemit sanguine suo. Teneor etiam seruire ei totis viribus, & membris meis, quia me redemit omnibus membris suis, insuper, & debitrix sum omne desiderium meum remouere a me, quod prius habui ad possessiones, & filios, & parentes, & solummodo desiderare Creatorem meum in gloria sua, & in illa vita, quæ non finitur. Dixit etiam mater Dei. Ecce filia, quod illa mulier multiplicem obtinuit remunerationem pro dilectione sua. Sic, & quotidie datur remuneratio vnicuique iuxta id, quod diligit Deum cũ in mundo viuit.

Vtilis

VTILIS DOCTRINA ſpiritualis, qualiter reſpondeat homo contra tres hoſtes animæ, ſcilicet contra diabolum, qui tentat de ſuperbia, & cupiditate, &c. & contra amicos, & domeſticos, qui ſuadent, quod homo non ſit nimis iuſtus, & humilis &c. & contra emulos, qui cupiunt homini pudorem, & damnum, & vitam breuem.

CAP. LI.

ILle homo quem tu noſti habet tres inimicos. Primus eſt prope eum vbicunque eſt, ſiue dormit, ſiue vigilat, & ipſum non videt. Secundus eſt familiaris ſibi, & prope eum quando vigilat, ſed iſtum non audit. Tertius enim non eſt ei familiaris, nec ipſum cognoſcit, & iſte eum odit. Primus hoſtis eſt diabolus, qui tentat eum de ſuperbia, & cupiditate, & multis alijs modis. Ideo contra iſtum hoſtem habeat flagellum, cogitando taliter ſecum. O diabole, tu nihil boni dediſti, nec creaſti, cur ad velle tuum ſuperbiam? Tu quoque quæris me perdere Chriſtus vocat me ad vitam, ideo dignum eſt fugere voluntatem tuam, & ſequi voluntatem Dei, & præcepta eius. Igitur quicunque cum tali intentione vigilat, vel dormit, ipſe mouet flagellum contra diabolum, quo ipſe turbatus effugatur. Secundus hoſtis ſunt familiares amici ſui, & ſeruitores ſui, qui dicunt ei. Incurres damna ſi multum fueris iuſtus, poteris quandoque facere commodum proprium, & diſſimulare multa. Si vero fueris nimium humilis deſpicieris, ideo poſſide diuitias, & fac nos diuites tecum. Appete honores mundi, & conſolabimur tecum. Iſte hoſtis facit ſe audire quotidie, & ideo contra iſtum hoſtem ædificandus eſt murus ſpiſſus, vt non audiatur. Murus autem iſte eſt voluntas bona, ſcilicet quod magis velit habere paupertatem propter iuſtitiam, quam diuitias cum iniuſtitia, & magis pudorem pro humilitate, quam honorem propter ſuperbiam. Reſpondeatque ſic hoſti conſulenti. Si inquit facio aliquid contra Deum, rogo, incauta, & præmone me, quia tunc potius gaudeo de verbis tuis, quam contriſtor. Talis igitur ſit murus inter ipſum, & hoſtes eius, vt verba eorum ſint quaſi ventus, qui flat ſuper murum, ſed non attingat cor, vt moueatur a charitate Dei. Tertius hoſtis eſt ille, quem non cognoſcit, hi ſunt qui cupiunt ſibi pudorem, & damnum, & vitam breuem, ad hoc vt ipſi obtineant honores, mundique proſperitatem. Ideo contra iſtum hoſtem habeat fortem funem, id eſt charitatem ad Deum, & proximum, qua libenter pati deſideret eaque Deus vult eum pati, neminem volens damnificare, & tunc opprobrium, quod hoſtes ei intentant vertetur ei ad honorē, & damnum ad vtilitatem, vita breuis ad longitudinem vitæ, hoſtisq; per talia ſic ligatur, quod nocere non valebit.

ADMIRANTE SPONSA & indignam ſe reputante corā Chriſto de iſta gratia ſibi data, ſcilicet videndi, & audiendi in ſpiritu illa, quæ aguntur in Cœlo, & in purgatorio, & in inferno, declaratur de hoc pulchre a Chriſto, & eius Matre in principio, & in fine capituli, & oſtenditur ei exemplo trium mulierum, quas ipſa videbat vnam in inferno, & aliam in purgatorio grauiſſime cruciari, qualiter præbentes filiabus ſuis doctrinas, & exempla viuendi curioſe, & ſuperbe, & filiæ imitantes illa horribiliter damnantur.

CAP. LII.

LAus ſit tibi Deus inquit ſponſa pro omnibus quæ creata ſunt. Et honor pro omnibus virtutibus tuis. Seruitiumq; impendatur tibi ab omnibus pro charitate tua. Ego igitur indigna, & a iuuētute mea peccatrix, regratior tibi Deus meus, quod nullis peccātibus negas gratiam, qui petunt, ſed mifereris om
1 nibus, & parcis. 1 O dulciſſime Deus mirabile eſt, quod facis mecum, quando enim placet tibi ſoporas corpus meum ſpirituali ſopore, excitas quoque tunc animam ad

ad videndum, & audiendum, & ſentiendum ſpiritualia. O Deus meus, o quam dulcia ſunt verba tua animæ meæ, quæ glutio ea quaſi dulciſſimum cibum, intrant cum gaudio in cor meum. Nam cum verba tua audio, & ſatiata ſum, & famelica. Satiata quia nihil delectat me niſi verba tua. Famelica vero, quia ea audire feruentius concupiſco. Ideo benedictus Deus da mihi auxilium, facere ſemper voluntatem tuam. Reſpondit Chriſtus. Ego ſum ſine principio, & ſine fine, & omnia quæcunque ſunt, per potentiam meam creata ſunt. Omnia diſponuntur ſapientia mea, omniaque reguntur iudicio meo. Omnia quoq; opera mea ordinantur charitate, ideo mihi nihil eſt impoſſibile, ſed nimis durum eſt cor illud, quod nec diligit me, nec timet me cum ſim omnium gubernator, & iudex, & homo magis perficit voluntatem diaboli qui eſt lictor meus & proditor, qui propinat largiter venenum per mundum, pro quo animæ viuere non poſſunt, ſed demerguntur ad inferni mortem. Hoc autem venenum peccatum eſt, quod dulciter ſapit, licet amarum animæ, & quotidie ſpargitur de manu diaboli ſuper multos. Sed quis audiuit talia, quod ſcilicet hominibus offertur vita, & ipſi eligunt mortem. Attamen ego omnium Deus patiens ſum, & compatior miſeriæ eorum. Ego quippe facio ſicut rex, qui mittens vinum ſeruitoribus ſuis dixit, propinate pluribus, quia ſalubre eſt. Dat enim infirmis ſalutem, triſtibus lætitiam, cor virile ſanis. Sed nec vinum mittitur niſi per vuas aptum. Sic ego miſi verba mea, quæ comparantur vino ſeruitoribus meis per te, quæ es vas meum. Spiritus quippe meus ſanctus docebit te, quo ibis, & quid loquaris. Ideo gaudenter loquere, & intrepide quæ iubeo, quia nullus contra me præualebit. Tunc ego reſpondi. O rex omnis gloriæ, & infuſor omnis ſapientiæ, omniumq; virtutum largitor. Cur me quæ corpus conſumpſi in peccatis recipis ad tale opus tuum? Ego quippe ſum quaſi aſinus inſipiens, & defectuoſa virtutibus, & in omnibus deliqui, & nihil emendaui. Reſpondit ſpiritus. Quis miraretur ſi aliquis dominus repræſentata ſibi moneta, vel metallo, faceret ſibi coronas, vel anulos, aut ciphos ad vtilitatem ſuam. Sic nec mirum eſt, ſi ego recipio corda amicorum meorum mihi preſentata, & facio in eis voluntatem meam, & quia vnus habet minorem intellectum, & alius maiorem. Sic vniuſcuiuſque conſcientia vtor ſicut expedit ad honorem meum, quia cor iuſti eſt moneta mea, ideo eſto ſtabilis, & prompta ad velle meum.

Deinde loquebatur mater Dei ad me dicens. Quid dicunt mulieres ſuperbæ in regno tuo. Cui ego reſpondi. Ego ſum vna de illis, & ideo confundor loqui in conſpectu tuo. Et mater ait. Licet melius te hoc ſciam, tamen te loquente audire volo. Et ego reſpondi. Quando inquiunt prædicabatur nobis vera humilitas diximus, quod genitores noſtri hæreditabant nobis latas poſſeſſiones, & mores pulchros. Cur ergo illos imitari non debemus? Mater quoque noſtra ſedebat cum primis veſtita nobiliter, habenſque ſeruitores plurimos, & enutriens nos cum honore, cur talia non debeam hæreditare filiæ meæ, quæ didici ſcilicet gerere ſe nobiliter, & viuere cum corporali gaudio? Mori quoque cum grandi honore mundi? Reſpondit Dei mater. Omnis mulier quæ hæc verba ſequitur opere, per veram viam vadit in infernum. Et ideo dura eſt talis reſponſio. Quid enim proderit habere talia verba? Cum omnium creator patiebatur corpus ſuum cum omni humilitate, a natiuitate ſua, vſque ad mortem manere in terra, & nunquam veſtis ſuperbiæ venit ſuper eum. Vere tales mulieres non conſiderant faciem eius quando ſtetit viuens, & mortuus in cruce ſanguineus, & pallidus de pœnis, nec curant de opprobriis eius, quæ ipſe audiuit, nec de morte contemptibili quam elegit. Sed nec recordantur de loco, vbi reddidit ſpiritũ, quia ibi fures, & latrones receperunt plagas ſuas. ibi plagatus eſt filius meus, & ego quæ de omnibus creaturis ſum ſibi chariſſima, & in me eſt omnis humilitas præſens ibi fui. Et ideo qui talia ſuperba, & pompoſa faciunt, & alijs dant occaſionem imitandi illa, ſimiles ſunt aſperſorio, quod impoſitum liquori ardenti, omnes comburit, & maculat quos aſpergit. Sic & ſuperbi tribuunt exempla ſuperbiendi, & grauiter per malum exemplum vrunt animas. Et ideo ego volo facere nunc ſicut bona mater, quæ filios terrendo facit eos videre virgam quã etiam vident ſerui, ſed filij videntes timẽt offendere matrem, regratiantes ei, quia minabatur eis, & non flagellabat. Serui vero timent flagellari ſi delinquunt, & ita ex illo timore matris filij faciunt plura bona, quam antea, ſerui vero minora mala. Itaq; quia ego ſum miſericordiæ Mater, ideo oſtendere tibi volo retributionem peccati, vt amici Dei ex charitate Dei feruentiores fiant. Peccatores autem ſcientes periculũ ſuum fugiant ſaltem peccatum ex timore, & iſto modo miſereor bonis, & malis. Bonis vt obtineant maiorem coronam in cœlis. Malis uero ut incurrant minorem pœnam. Et nullus tantus peccator eſt cui nõ ſum parata occurrere, & filius meus gratiam

tiam

tiam dare, ſi miſericordiam petiit eum charitate. Et poſt hæc apparuerunt tres mulieres, ſcilicet, mater, & filia, & neptis. Sed mater apparuit mortua, & neptis, filia uero apparuit uiua. Mater autem prædicta mortua uidebatur quaſi ſerpere de tenebroſo lacu, & luto. Cuius cor abſtractum erat, & labia præciſa, mentum quoque tremebat, dentes uero eius nitentes albi, & longi collidebantur. Nares erant corroſæ, & oculi eruti dependentes ad genas duobus neruis. Frons uidebatur immerſa, & loco frontis immane baratrum, & tenebroſum. In capite uero deerat craneum, & cerebrũ quaſi plumbum ebulliebat, & quaſi pix effluebat. Collum quoq; eius circumuoluebatur ſicut lignum, quod tornatur in torno, ſeu in runcina, cui ferrum acutiſſimũ appoſitum erat abradens ſine conſolatione. Pectus uero apertum erat plenum uermibus longis, & paruis, quorum quilibet huc, & illuc uoluebatur ſuper alium, & brachia erant ſimilia manubrijs lapidis fabrilis. Manus autem erant quaſi clauæ nodoſæ, & prolixæ, & ſpondilia dorſi ejus omnia erant ſoluta, quæ uno aſcendente, & alio deſcendente, nunquam a motu deſiſtebant. Vnus quoq; ſerpens longus, & magnus traxit ſe per inferiora ſtomachi ad ſuperiora, qui coniungens caput, & caudam, quaſi arcus circuibat viſcera continue quaſi rota. Crura vero, & tybiæ videbantur quaſi duo baculi ſpinoſi, acutiſſimis aculeis pleni. Pedes vero eius erant quaſi bufonum. Tunc autem iſta mater mortua alloquebatur filiam viuam dicens. Audi lacerta, & venenoſa filia mea. Veh mihi, quod vnquam fui mater tua. Ego ſum, quæ poſui te in nidum ſuperbiæ, in quo tu calefacta creſcebas, donec ad ætatem perueniſti. Et tantum tibi placuit, quod in eo ætatem tuam conſumpſiſti. Propterea dico tibi, quod quoties tu oculos vertis cum ſuperbiæ viſu, quam ego te docui, toties proijcis bulliens venenum in oculis meis, cum intolerabili ardore. Quoties autem loqueris ſuperbiæ verba, quę didiciſti a me, toties glutio amariſſimã potionem. Quoties vero aures tuæ implẽtur ſuperbiæ vento, quem procellæ arrogantiæ excitant, ſcilicet audire corporis tui laudes, & deſiderare mundi honores, quæ didiciſti a me, toties venit ad aures meas ſonitus terribilis cum vento flante, & vrente. Veh ergo mihi pauperi, & miſerę. Ideo pauperi, quia nihil boni habeo, nec ſentio. Ideo miſerę, quia abundo omnibus malis. Sed tu filia ſimilis es caudę vaccæ, quæ vadens in lutoſis locis, quoties mouet eam, maculat, & aſpergit appropinquantes. Sic tu filia ſimilis es vaccæ, quia non habes diuinam ſapientiam, & vadis ſecundum opera, & motus corporis tui.

3 3 Ideo quoties imitaris opera conſuetudinis meæ, ſcilicet peccata, quæ te docui, toties innouatur pœna mea, & ſemper grauius exardeſcit. Propterea o filia mea cur ſuperbis de generatione tua. Nunquid honor, & decus eſt tibi, quod immunditia viſcerum meorum fuit puluinar tuum? Pudoroſum quoque membrum meum fuit egreſſus tuus, & immunditia ſanguinis mei fuit veſtis tua quando naſcebaris. Ideo nunc venter meus in quo iacuiſti totus a vermibus eſt corroſus. Sed cur conqueror de te filia, cum plus conqueri deberem ſuper me ipſa? Nam tria ſunt, quæ me grauius iam affligunt in corde. Primum eſt, quod a Deo creata ad cœleſte gaudium abutebar conſcientia mea, & diſpoſui me ad dolores infernales.

4 4 Secundum eſt, quod Deus creauit me pulchram quaſi Angelum, ſed ego meipſam deformaui, vt ſimilior ſim diabolo, quam Angelo Dei. Tertium eſt, quod in tempore mihi dato, valde malam feci commutationem. Recepi quippe modicũ tranſitorium, ideſt peccati delectationem, pro quo ſentio nunc infinitum malum, ſcilicet inferni pœnam. Et tunc ait ad ſponſam: Tu inquit qui vides me, non vides me niſi per ſimilitudines corporales, ſi enim videres me in ea forma in qua ſum moreſreris ex timore, quia omnia membra mea ſunt dæmones. Ideo vera eſt ſcriptura quæ dicit, quod ſicut iuſti ſunt membra Dei, ita peccatores ſunt membra diaboli. Sic ego nunc experior, quod dæmones affixi ſunt animæ meæ, quia voluntas cordis mei diſpoſuit me ad tantam deformitatem. Sed audi ulterius, tibi uidetur, quod pedes mei ſunt quaſi bufones, hoc ideo eſt, quia ſtabiliter ſteti in peccato, propterea nunc dæmones ſtabiliter ſtant in me, & mordentes me nunquam ſatiantur. Tybie uero, & crura mea ſunt quaſi baculi ſpinoſi, quia uoluntatem meam habui ſecundum carnalem delectationem, & uoluptatem meam. Quia uero quodlibet ſpondile dorſi mei ſolutum eſt, & quodlibet mouetur contra aliud, hoc ideo eſt, quod gaudium animi mei, quandoque aſcendebat nimis ex cõſolatione mundana, quandoque deſcendebat per nimiam triſtitiam, & iram ex aduerſitate mundi. Et ideo ſicut dorſum mouetur ſecundum motum capitis, ſic ego deberem fuiſſe ſtabilis, & mobilis ſecundum uelle Dei, qui eſt caput omnium bonorum. Sed quia hoc nõ feci, ideo iuſte patior quæ uides. Quia uero ſerpens unus traxit ſe per inferiora ſtomachi ad ſuperiora, & ſtans quaſi arcus circuit quaſi rota, hoc ideo eſt, quia uo-

luptas,

luptas, & delectatio mea inordinata fuit, & voluntas mea volebat omnia possidere. Et multipliciter expendere, & indiscrete. Ideo nunc serpens circuit interiora mea inconsolabiliter, & immisericorditer me mordendo. Quod vero pectus apertum est, & a vermibus corrosum, hoc veram Dei demonstrat iustitiam. Dilexi quippe putrida, plus quam Deum, & ad transitoria erat amor cordis mei. Et ideo sicut de vermiculis procreantur longiores vermes, sic anima mea pro putridis, quæ dilexi, dæmonibus est impleta. Brachia quoque mea videntur quasi manubria, hoc ideo est, quia desiderium meũ habuit quasi duo brachia, scilicet, quia concupiui longam ætatem, vt longe viuerem in peccato. Concupiui etiã, & desiderabam, quod iudicium *Dei* mitius esset quam scriptura loquitur. Veruntamen conscientia mea bene dixit mihi, quod tẽpus meum breue erat, & iudicium Dei intolerabile. Sed è contra desiderium meum peccandi, suggessit mihi vitam meam esse longam, & iudicium *Dei* tolerabile. *E*t ex talibus suggestionibus euertebatur consciẽtia mea, & sic voluntas, & ratio sequebantur voluptatem, & delectationem. Et ideo nunc diabolus mouetur in anima mea cõtra meam voluntatem, & conscientia mea intelligit, & sentit iudicium *Dei* esse iustum. *M*anus vero meæ sunt quasi clauæ prolixæ. *I*deo hoc est, quia præcepta Dei non fuerunt mihi delectabilia. Et ideo manus meæ sunt mihi ad onus, & non ad aliquem vsum. Collum vero, quod circumuoluitur sicut lignum quod acuto ferro tornatur, hoc ideo est, quia verba Dei non fuerunt dulcia ad glutiendum in cordis mei charitate, sed nimis amara, quia redarguebant cordis mei delectationem, & voluptatem. Et ideo nunc ferrum acutum stat contra guttur meum. Labia autem mea, ideo præcisa sunt, quia prompta erãt ad verba superbiæ, & scurrilia, sed pigra fuerunt, & accidiosa ad loquendum verba *Dei*. Mentum vero apparet tremulum, & dentes colliduntur, & hoc ideo est, quia perfectę voluntatis fui dare corpori meo cibum, vt viderer pulchra, & desiderabilis, & sana, & fortis ad omnia corporis oblectamenta, & ideo contremiscit mentum sine consolatione. Et dentes colliduntur; quia dentium consumptio, & labor fuit inutilis secundum animæ fructum. Nares vero præscisæ sunt, quia sicut vobiscum fieri solet illis, qui in tali casu delinquunt ad maiorem pudorem, sic mihi cauterium pudoris mei impositum est in sempiternũ. Quod vero oculi dependent duobus neruis ad genas, iustum est, nam sicut oculi gaudebant de pulchritudine genarum propter ostentationem superbiæ. *S*ic nunc ex multo fletu eruti sunt, & dependent ad genas cum pudore. *I*uste quoque frons immersa est, & loco eius sunt immanes tenebræ, quia frontem meam circundedit velum superbiæ, & volui gloriari, & videri de pulchritudine. Et ideo frons mea nunc est tenebrosa, & deformis. Quia vero cerebrum ebullit, & defluit quasi plumbum, & pix dignum est, quia sicut plumbum mobile, & flexibile est ad voluntatem vtentis, sic conscientia mea, quæ in cerebro iacuit flectebatur ad voluntatem cordis mei, quamuis facienda bene intelligerem. *S*ed & passio filij *Dei* nequaquam figebatur in corde meo, sed defluxit, sicut illud quod bene sciui, & non curaui. *I*nsuper & de sanguine, qui de membris filij *Dei* fluxit, non plus attendebam quam de pice. Et fugiebam sicut picem verba charitatis *Dei*, ne me a corporis oblectamentis auerterent, & conturbarent. Attamen quandoque audiui propter hominis verba *Dei*, sed ea facilitate exibant a corde meo, qua intrabant, & ideo nunc cerebrum defluit quasi pix ardens cum ardentissima ebullitione. Aures quoque meæ obturatæ sunt cum lapidibus duris, quia verba superbiæ gaudenter intrabant eas, & descendebant suauiter in cor, quia charitas *Dei* exclusa erat a corde meo. Et quia propter mundum, & superbiam omnia feci quæcunque potui, ideo nunc ab auribus meis exclusa sunt verba gaudiosa. *S*ed potes quærere an feci aliqua meritoria opera? Respondeo tibi. Ego denique feci sicut campsor, qui præscindens monetam reassignat eam domino. *S*ic ego ieiunabam, & feci eleemosynas, aliaque opera. *S*ed illa feci propter timorem inferni, & propter aduersitates corporis fugiendas. Verum quia charitas Dei pręscisa fuit in opere meo, ideo talia non valuerunt mihi ad obtinendum cœlum, nec tamen fuerunt sine remuneratione. Iterum poteris quærere, qualis sum interius in voluntate, cum tanta deformitas est ab extra? Respondeo. Voluntas mea est sicut homicidæ, & matricidæ, qui libenter occideret genitricem suam, sic ego pessimum malum cupio Deo creatori meo, qui mihi optimus, & dulcissimus fuit. Item neptis mortua prædictæ auiæ mortuæ alloquitur viuentem matrem propriã dicens. Audi scorpio mater mea. Veh mihi, quia decepisti me. Ostendisti enim mihi faciem lætam, sed grauiter in cor pupugisti me. *D*edisti quippe mihi tria consilia ex ore tuo, triaque didici ex ope-

operibus tuis. Et tres vias demonstrasti mihi in processu tuo. Primum consilium fuit diligere carnaliter propter amicitiam carnalem obtinendam. Secundum fuit expendere temporalia prodigaliter propter honorem mundi. Tertium fuit habere requiem propter corporis delectationem. Ista enim fuerunt mihi multum dispendiosa. Nam quia dilexi carnaliter, ideo obtinui pudorem, & inuidiam spiritualem. Quia vero prodigaliter, expendi temporalia, ideo priuata sum donis gratiæ Dei in vita, & post mortem consecuta sum pudorem. Quia vero delectabar in quiete carnis in vita, ideo in hora mortis inchoabatur inquietudo animæ meæ absq; consolatione. Tria quoque didici ex operibus tuis, scilicet facere aliqua bona opera, nec tamen dimittere illud peccatum quod delectabat me. Sicut ille facit qui commiscens veneno mel obtulit iudici. Qui iratus effundit super offerentem. Sic ego nunc experior in multa angustia, & tribulatione. Secundo didici mirabilem modum vestiendi me, scilicet operire oculos linteo, sandalia habere in pedibus, cyrothecas in manibus, & totum collum extra nudum. Linteum istud obumbrans oculos significat pulchritudinem corporis mei, quæ sic obumbrabat spirituales oculos meos, quod non attédebam pulchritudinem animæ meæ. Sandalia vero quæ muniunt pedes subtus, sed non supra, significant fidem sanctam Ecclesiæ quam fideliter tenui, sed nulla opera fructuosa sequebantur eam, quia sicut Sandalia promouent pedes, sic conscientia mea stans in fide promouit animam. Sed quia opera bona non sequebantur, ideo anima erat quasi nuda. Cyrothecæ vero in manibus significant spem vanam, quam habui. Ego quippe opera mea, quæ significantur in manibus, extendi in tam condensam, & largam misericordiam Dei, quæ notatur in cyrothecis. Quia quando palpaui iustitiam Domini, non sensi eam, nec attendi, ideo nimis audax fui ad peccandum. Cum autem appropinquaret mors, cecidit linteum ab oculis meis super terram, idest super corpus meum, & tunc anima vidit, & cognouit se, quod nuda erat, quia pauca opera mea fuerunt bona, & peccata plurima. Et præ pudore non potui stare in palatio regis æterni, quia pudorosæ vestita fui. Sed tunc dæmones traxerunt me in duram pœnam. Vbi cum pudore deridebar. Tertium quod didici a te mater, est vestire seruum vestibus Domini, & in sede Domini positum honorare sicut dominum, reliquiasque serui, & omnia contemptibilia Domino ministrare. Dominus autē iste charitas Dei est, seruus vero voluntas est peccandi. Itaque in corde meo, vbi regnare debuit charitas diuina, ponebatur seruus, id est delectatio, & voluptas peccati. Quem tunc vestiui quando omne creatum, & temporale conuerti ad voluptatem meam. Reliquias vero, & peripsemata, & abiectiora dedi Deo non ex charitate, sed ex timore. Taliter igitur lætabatur cor meum de successu delectationis voluptatis meæ. Quia charitas Dei exclusa erat a me. Et bonus Dominus exclusus, seruusque malus inclusus. Ecce mater hæc tria didici de operibus tuis.

Tres etiam vias demonstrasti mihi incessu tuo. Prima fuit lucida, quam cum ingressa fuissem de splendore eius excecabar. Secunda fuit compendiosa, & labilis quasi glacies, in qua cum processissem ad vnum vestigium, relabebar ad vnum passum. Tertia fuit nimis longe, in qua cum precederem venit post me torrens impetuosus, & transtulit me subtus montem in profundam fossam. In prima via notatur progressus superbiæ meæ, quæ fuit luminosa nimium, quia ostentatio quæ procedit de superbia tantum resplenduit in oculis meis, quod non cogitaui finem eius. Et ideo fui cæca. In secunda via notatur inobedientia, denique tempus inobedientiæ in hac vita non est longum, quia post mortem cogitur homo obedire. Veruntamen mihi fuit longum, quia quando processi per vnum vestigium, scilicet in humilitate confessionis, relabebar ad passum, quia volui, quod peccatum confessum dimitteretur, sed facta confessione nolui peccatum declinare, & ideo non steti stabiles in obedientiæ vestigio, sed relabebar in peccata, sicut qui labitur in glacie, quia voluntas frigida fuit nolens ab his, quæ me delectabant resipiscere. Sic ergo quando processi ad vnum vestigium confitendo peccata, relabebar ad passum, quia volui peccata, & delectantia me confessa iterare.

Tertia via fuit, quod sperabam impossibilitatem, scilicet posse facere peccatum, & non habere longam pœnam. Posse etiam diu viuere, & horam mortis non accelerare. Et cum per hanc viam processissem venit post me torrens impetuosus, scilicet mors, quæ ab vno anno in alium apprehendens me, euertit pedes meos cum infirmitatis pœna. Quid autem erant pedes, nisi quod appropinquante infirmitate modicum potui attendere corporis vtilitatem, & minus animæ salutem? Ideo cecidi in profundam fossam, quando cor quod altum erat in superbia, & durum

in

in peccato crepuit, & anima profunde cecidit in foueam pœnæ peccati. Et ideo hęc via nimis longa fuit, quia vita carnis finita, pœna longa cito inchoabatur, veh mihi ergo mater mea, quia quæcunque a te cum gaudio didici, hæc modo luo cum ploratu. Item loquebatur eadem filia mortua ad sponsam, quæ hæc videbat dicens. Audi tu, quæ vides me, tibi videtur, quod caput meum, & facies est quasi tonitruum fulminans intus, & extra. Collum vero, & pectus quasi in duro prælo cum longis stimulis positum. Brachia autem, & pedes mei sunt quasi longi serpentes, & venter percutitur cum duris malleis. Crura vero mea, & tybiæ, sunt quasi fluens aqua de canalibus tecti pendens congelata. Sed adhuc vna pœna interior est amarior mihi omnibus illis. Sicut enim si aliqua persona esset, cuius omnia spiracula vitalis spiritus obturata essent, omnesque venæ implete vento artiarent se ad cor, quod præ violentia, & valetudine venti crepere inciperet. Sic ego intus disposita sũ miserabiliter propter superbiæ ventum, qui mihi charissimus fuit. Attamen sum in via misericordię, quia in grauissima infirmitate mea cõfitebar melius quo sciui, sed tamen ex timore. Appropinquante autem morte, venit mihi in mente consideratio passionis Dei mei, scilicet, quod illa multo grauior, & amarior erat quam mea, quę propter demerita mea digna sum pati. Et ex tali consideratione obtinui lachrymas, ingemiscens, quod tanta charitas Dei erat ad me, & mea tam modica ad ipsum. Respexi enim cum tunc oculis conscientiæ meæ, & dixi. O domine ego credo te Deum meum, miserere mei fili virginis propter amaram passionem tuam. Ammodo enim ego libenter emendarem vitam meam si haberem tempus, & in illo puncto accensa fuit scintilla quædam charitatis in corde meo, qua amarior videbatur mihi passio Christi quam mors mea. Sicq; tunc crepuit cor, & anima mea venit in manus dęmonum præsentanda iudicio *Dei*. Ideo autem veni in manus dæmonum, quia indignum fuit, quod Angeli pulchritudinis, appropinquarent animæ tantæ deformitatis. *In* iudicio autem *Dei* cum dæmones clamarent animam meam iudicari ad infernum. Respondit iudex. Video ego scintillam quandam charitatis in corde eius, quæ extingui non debet, sed esse in conspectu meo. Et ideo iudico animam ad purgationem, donec digne purgata veniam meruerit obtinere. Iterum poteris quærere an particeps ero omnium bonorum quæ pro me fiunt? *Respondeo* tibi per similitudinem. Sicut enim si tu videres duas stateras pendere, & in vna esse plumbum naturaliter depriment, & in alia aliquid leue tendens sursum, & quanto maiora, & plura imponerentur stateræ vacuę, tanto citius eleuarent stateram aliam, quæ ponderosa, & grauis est, sic est & mecum, quia quanto altius fui in peccato, tanto grauius descendi in pœnam. Et ideo quicquid fit ad honorem Dei pro me, eleuat me de pœna, & specialiter oratio, & bonum, quod fit per homines iustos, & amicos Dei, & beneficia quæ fiunt de bonis bene acquisitis, & opera charitatis. Talia itaq; sunt, quæ me quotidie faciunt appropinquare Deo. Post hęc loquitur mater Dei ad sponsam. Tu miraris quomodo ego, quæ sum regina cœli, & tu quæ viuis in mundo, & illa anima, quæ est in purgatorio, & alia in inferno loquimur simul, hoc ego enim bene dicam tibi. Ego quippe nunquam recedo de cœlis, quia nunquam separabor a visione Dei. Nec anima quæ est in inferno separabitur a pœnis. Nec illa anima a purgatorio antequam purgata sit. Nec tu venies ad nos ante separationem corporalis vitæ. Sed anima tua cum intelligentia tua, virtute spiritus Dei eleuatur ad audiendum verba *Dei* in cœlis, & permittitur tibi scire aliquas pœnas in inferno, & purgatorio, malis in cautelam, & bonis in consolationem, & profectum. Veruntamen scias, quod corpus tuum, & anima tua coniuncta sunt in terris, sed Spiritus sanctus dat intelligentiam tibi, qui est in cœlis, ad intelligendum eius voluntatem.

Declaratio.

Hic loquitur de tribus mulieribus, quarum tertia intrauit monasterium, agens residuum vitæ suę in magna perfectione.

NOTAE:

1 O Dulcissime *Deus* mirabile est, quod facis mecum, quando enim placet tibi, soporas corpus meum spirituali sopore.

Per soporem spiritualem extasim arbitror intelligendum esse, per quem B. Brigitta a sensibus alienata solius intellectus ministerio vtebatur, vt virtute diuina eleuaretur ad ea videnda, quæ in dies illi Deus reuelabat, quid autem Extasis pro

prie sit, an mentis tantummodo quidam excessus, vt placuit D. Isidoro lib. 7. Ethymolog. cap. 38. an vero aliquid aliud superaddat, & quomodo quis in extasim rapi dicatur, declarauimus lib. 4. Reuelat. cap. 77. nota 1.

2 Qui propinat largiter venenũ per mundũ.

Venenata animalia, & serpentes, vocantur dæmones, qui hominibus peccatorum venenum propinantes, illos æterna morte perire faciunt, & de his hoc loco sermo fit cum dicitur, quod propinat venenum, pro quo animæ viuere non possunt; horũ autem animalium Dæmones esse symbolum colligi potest ex illo, Lucæ decimo, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & hoc idem tradunt Irenæus lib. 5. cap. 24. D. Basil. Psal. 18. D. Ciprianus in lib. ad Nouat. D. Chrisost. Hom. 17. in Genesim, Ruffinus in exposit. symboli, Procopius in cap. Isaiæ 49. Nicetas orat. 1. de pulchrit. Beda, Theophilatus, & Eutimius in citatum locum D. Lucæ.

3 Ideo quoties imitaris opera consuetudinis meæ, scilicet peccata, quæ te docui, toties innouatur pœna mea.

Quemadmodum hi, qui optimis vitæ suæ exemplis, cæteros ad recte, probeq; viuendum incitant duplici honore, ac premio digni sunt, neq; enim quia boni tantummodo sunt, sed quod suæ bonitatis imitatores effecerint vberiorem a Deo mercedẽ recipiunt, ita quoq; qui mali sunt, si aduertunt malitia sua alios inficere, acerbiores etiam pœnas dabunt, quod ad eos præcipue spectat, qui aliorũ regimini præsunt, vnde mirum non est, si in præsenti capite legimus, matrem, quæ suorum vitiorũ filiã imitatricẽ fecerat grauius torqueri, quia illius peccata imitabatur: hinc est, quod etiam ipsa mater conquærebatur, quod eam genuerit, vt scribitur circa medium huius capitis (vob mihi dicebat, quod fui mater tua, ego sum, quæ posui te in nidum superbiæ) hos ergo, qui ad peccandum suo exemplo alios incitant, plus delinquere tradit D. Isidorus li. 3. de summo bono cap. 38. quam furẽs, qui aliorũ substantias, prædiaq; diripiunt. Deteriores ait sunt, qui sine doctrinis, seu exemplis vitam moresq; bonorum corrumpunt, his qui substãtias aliorum, prædiaq; diripiunt. Hi enim ea, quæ extra nos sunt, sed tamẽ nostra auferunt, corruptores vero morum proprie nos ipsos diripiunt. Quoniam diuitiæ iustorum mores eorum sunt: nõ ergo mirum si huiusmodi homines grauioribus pœnis puniãtur, atq; hos D. Augustinus asseruit plus peccare, quam qui carnem Christi crucifixerũt: quod egregie tradidit Eusebius Emissenus hom. de initio Quadrages. sicut inquit quando aliquis peccat sub conscientia, ac destructione plurimorũ, de pluribus incurrit reatum; & quantum per vnius membri vitium serpit late diffusum reliqua per membra contagium, tantum in actorẽ suum multiplicis mali recurrit augmentum, vt quantos destruxerit, de tantis sibi materiam damnationis congregabit.

4 Secundum est, quod Deus creauit me pulchram quasi Angelum, sed ego me ipsam deformaui.

Peccatorum fœditas, ac venenum tantum est, vt etiam corpora vnà cum animas inficiant: frequẽter enim accidit, Mulieres pulcherrimas, carnis illecebris deditas, quam citissime ita deformes fieri, vt hi, qui earum familiaritate vtebantur, & cõsanguinei quoq; illas postea abhorreant, ac veluti corpus mortuum fugiant. Et ideo in præsenti capite legimus, mulierem quandam, quæ à Deo pulchritudinis Dono fuerat ornata, per peccatum sic fuisse factam deformem, vt se ipsam Diabolo compararet; quod si per peccatum turpia, ac deformia corpora fiunt, quãto turpior, ac deformior reddetur anima, quippe quæ ipsa est, quæ per peccatum occiditur, vt Sap. 16. scribitur: & mortua subinde deformis, ac fœtida fit: hinc est, quod D. Chrysost. in Matth. hom. 28. peccatores affirmet nihil differre a mortuis, immo differre maxime, quia illis multo deteriores sunt, nec mihi dices (inquit) Chrisost. nõ clausisse hunc oculos, nec in sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremo vermibus esse proiectũ, eum multo peioribus hic, quam qui obierunt vexentur, non deuorant vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestia truculentius lacerat, clausi oculi sunt mortuorum; nihil prorsus cernentes. hic vero mille sibi morbos oculis cernendo quotidie cõtrahit, ille iacet in sepulchro ad peccandũ, iam immobilis, hic in sepulchro malo a se intrusus ingenti peccatorum mole obruitur; sed corpus dicet quis huius pingue, ac floridum non tabe corruptum videmus, ille post mortem male olet, hic per totam vitam os habens, vel ipsis Cloacis turpius intollerabilem expirat fœtorem, & hom. 15. super Epistolam ad Hebræos peccatores asseruit esse peste infectos, qui alios fœtore, & contagione replent, eorumq; facies esse turpes, & per totum esse immundos: animæ autem peccatricis turpitudinẽ, ac fœditatem describit apprime, hom. 8. in Epist. 1. ad Corinth. si quis ait pictor effingeret, non sanè mihi errare videtur, si in hunc modum animam peccatricẽ pingeret, fœminam quandam habentem similitudinẽ barbaram, ignẽ efflantem, horrendam, nigram, quales poetæ scillas effingunt.

✱

CHRISTVS REPREHENDIT Prælatos superbientes ex prælatione dicens, quod exhibeant se subditis humiles, & virtuosos in vita, & moribus, & vtiles in iustitia, & equitate, & mensurando se in seipsis ne supra se eleuentur, addiscant agnoscendo defectus suos compati defectibus subditorum, exemplo Christi, qui & prius voluit facere, & pati quam docere, & ministrare quam ministrari. Corrigant quoque subditos diligenter ne exemplo Heli Sacerdotis damnentur.

CAP. LIII.

Filius loquitur ad sponsam dicens. Magna res est, immo magnum monstrum est, quod vbi rex gloriæ humiliatus est, ibi homo ratiocinijs obligatus velit inflari superbia. Nam si quis præficitur alijs, non ideo superbire debet, quia prælatus est, sed magis timere, quia omnes eiusdem naturæ sunt, & omnis potestas est a Deo. Quippe si bonus est, qui præficitur, a Deo est, ad propriam, & aliorum salutem. Si vero malus est, per missione Dei est ad subditorum correctionem, & maius iudicium suum. Nec mirum est, sed dignum, & iustum, quod homo, qui contempsit subijci creatori suo, dominium inferioris, & consilij sui experiatur. Ergo cum aliquis, vel cogitur, vel desiderat præesse, talem se exhibeat subditis, vt & desiderabilis sit moribus, & etiam in vita, vtilisque in iustitia, & equitate. Denique ex equalitate naturæ omnis, qui præest humiliare se debet, & metiri seipsum in seipso, ne eleuet se supra se, & in seipso addiscat compati alijs.

1 v.1. 1 Timeat etiam ne eadem mensura qua metietur ei. 2 Sic ego Deus, & homo
2 temperaui meipsum, quod quamuis hominis defectum agnoscerem per scientiam, patiendo tamen pœnas, & crucem agnoui experiendo, & ideo, vt in exemplum darem me alijs, prius cœpi facere, quam docere, & ministrare volui, non autem ministrari. Sic & mater mea, quamuis esset Apostolorum domina, tamen humilitatem præ omnibus dilexit, & quasi vna fuit cum minimis, & ideo ascendit ad summam fœlicitatem. Ergo Prælatus addiscat in infirmitatibus proprijs subditorum defectus. Et attendat ne verbis, vel exemplis, vel abusione potestatis suæ, materiam & occasionem peccandi alijs tribuat, quia nihil ita prouocat iram Dei, & homines ad peccandum, sicut lasciuia prælatorum. Si enim Heli Sacerdos sicut Finees, & Moyses stetisset in vigore sacerdotij sui, & dilexisset spiritualiter filios suos, tota generatio eius saluata fuisset. Sed quia placere voluit carnaliter filijs, ideo memoriam sui reliquit in tribulatione, & posteris suis in confusione.

NOTAE.

1 v.1. Timeat etiam, ne eadem mensura qua metietur ei.

Hic locus omnino corruptus, & mancus est, & ideo cum Farnesiano codice M. S. sic restituendus timeat etiam ne eadem mensura, qua metitur, remetiatur ei, sic etiam Marci quarto, & Lucæ sexto habetur, qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.

2 Sic ego Deus, & homo temperaui me ipsum, quod quamuis hominis defectum agnoscerem, patiendo tamen pœnas, & crucem agnoui experiendo.

Ex verbis præsentis nota euidenter colligitur præter cæteras scientias, quas Sancti Patres, ac Theologi Scholastici in Christo ponunt, nimirum diuinam, beatam, & infusam, aliam quoque fuisse vsu comparatam, quam experimentalem appellarunt, & ideo legimus hoc loco, Christum Dominum experiendo agnouisse pœnas, & crucem, sic enim Paulus Apostolus ad Heb. 5. didicit ex his, quæ passus est obedientiam, de hac experimentali scientia, vide D. Bonauent. & Ricardum in 3. dist. 14. q. 1. & 2. Palud. in 3. d. 14. q. 3: Durandus ibidem q. 4. D. Thom. 3. par. q. 9. & q. 12. artic. primo, & secundo, & vtrobique Caietanum, Gloss. vero interlinearis in locum citatum Pauli de hac experimentali scientia sermonem habens, ea verba, didicit ex his, quæ passus est, explicat, ex his, quæ expertus est, idem habet Dionisius Carthusianus, Liranus, & Paulus Burgensis ibidem.

CHRISTVS DICIT, QVOD mundus iste erat ante aduentũ suum quasi solitudo, in qua erat puteus turbidus, idest amor mundi, ad quem septem viæ peccatorum ducebant gentiles, & iudæos quasi cæcos, sed ipse assumpta humanitate illustrauit mundum, ostendens vias ad cœlum, quæ quia iam dissipatæ sunt, ideo nunc mittit ista verba sua huius libri in mundo, quæ qui receperint, & opere seruauerint saluabuntur.

CAP. LIIII.

MARIA loquitur ad Filium. Benedictus sis tu fili mi. Tu es principium sine principio temporis, & potentia, sine qua nullus est potens. Rogo te fili perfice potẽter, quod sapienter inchoasti. Respondit filius. Tu es quasi potus dulcis sitienti, & quasi fons irrigans arida, quia per te omnibus gratia fluit. Ideo faciam quod rogas. Iterum loquitur filius. Mundus iste ante incarnationem meam erat quasi quædam solitudo, in qua puteus erat turbidus, & immundus. De quo omnes bibentes sitiebant amplius, & lippientes oculi grauius infirmabantur. Iuxta hunc autem puteum stabant duo viri, quorum alter clamans dicebat. Bibite secure, quia medicus venit auferens omnem languorem. Alter vero dicebat. Bibite gaudenter vanum est incerta desiderare. Ad hunc quoque puteum septem ducebant viæ, & ideo omnes puteum cupiebant. Mundus itaque iste bene similatur solitudini, vbi sunt bestiæ, & arbores infructuosæ aquæ immundæ, quia homo ad similitudinem bestiæ auidus erat ad effundendum sanguinem proximi sui. Infructuosus in operibus iustitiæ, & immundus per incontinentiam, & cupiditatem. In hac itaque solitudine quærebatur ab hominibus puteus turbidus, scilicet amor mundi, & honor eius, qui est altus in superbia, turbidus in sollicitudine, & cura carnis, & per septem mortalia peccata, quasi per septem vias aditus eius habebatur. Duo vero viri stantes iuxta puteum significant magistros gentilium, & iudæorum. Doctores enim iudæorum superbiebant de lege quam habebant, & non seruabant. Et quia cupidissimi erant. Ideo populum verbis, & exemplis incitabant ad quærenda temporalia dicentes. Viuite secure, quia Messias veniet, & restituet omnia. Doctores vero gentilium dicebant. Vtimini creaturis, quas videtis, quia ideo mundus creatus est, vt gaudeamus. Cumque homo sic cæcus staret, vt nec Deũ attenderet, nec cogitarent futura. Tunc ego cum Patre, & Spiritu sancto vnus Deus veni in mundum, & assumpta humanitate prædicans aperte, dixi. Quod Deus promisit, & Moyses scripsit impletum est. Diligite ergo cœlestia, quia mundialia transeunt, & æterna vobis dabo. Ostendi quoque septemplicem viam, per quam homo a vanitate sua auerteretur. Nam ostendi paupertatem, & obedientiam, docui ieiunia, & orationes. Fugiebam aliquando homines, & stabam solus orans, & sumpsi opprobria. Elegi labores, & dolores. Sustinui pœnas, & contemptibilem mortem. Hanc enim viam per memetipsum ostendi, per quam amici mei longo tempore incedebant, sed nunc dissipata est via. Dormitant custodes, transeuntes delectantur vanis, & nouis, ideo exurgam, & non tacebo. Auferam vocem gaudij, & locabo vineam meam alijs, qui facient fructum tempore suo. Veruntamen iuxta commune prouerbium, inter inimicos inueniuntur amici. Ideo mittam amicis meis verba dulciora dactilo, suauiora melle, preciosiora auro. Quæ qui receperint, & tenuerint habebunt thesaurum illũ, qui in æternum fœliciter est, & non deficit, seu augetur in vita sempiterna.

MATER DEI DICIT, QVOD bene potest vocari aurea hora illa, in qua ipsa a parentibus cóncepta fuit qui plus hoc fecerunt ex obedientia diuina, quam voluntate propria, & plus ibi operata est charitas Dei, quam voluptas carnis, sed voluit Deus, quod Conceptionis eius mo-
2 dus non statim omnibus notus esset, donec veritas clarescceret tempore præordinato.

CAP. LV.

MAter Dei loquitur. Quando pater meus, & mater mea matrimonialiter cóuenerũt, plus fecit hoc obedientia, quam voluntas, & plus operata est ibi charitas diuina, quã voluptas carnis. Nam hora in qua ego concepta fui bene potest vocari aurea hora, & preciosa, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei vero parentes conuenerunt ex obedientia, & præcepto Dei. Bene ergo aurea hora fuit conceptio mea, nam tunc incepit principium salutis omnium, & tenebræ quasi festinabant in lucem. Deus namque singulare quoddam, & a sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit
2 in uirga arida florescente. 1 Sed scito, quod cóceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta. quæ cohiberet omnes inordinatos motus. Sic placuit Deo, quod amici sui piæ dubitarent de conceptione mea, & quilibet ostenderet zelũ suũ donec veritas clarescceret in tempore præordinato.

NOTAE.

1 SEd scito, quod conceptio mea non omnibus nota fuit.

Maria Virgo in præsenti capite causam affert, quapropter multis multo tempore, ignota, vel obscura, incertaq; manserit conceptio sua, idque factum esse affirmat, quia inquit voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, et electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus sic placuit Deo, quod amici sui piæ dubitarent de conceptione hac, vt quilibet ostenderet Zelum suum, donec veritas clarescceret tempore præordinato, eandem ob causam, etiam de Assumptione illius ad cælum a quibusdam dubitatum est, an scilicet corpore, & anima simul assumpta fuerit, de anima quidem certissimum est. Cæterum cũ de his in Sacris literis nihil scriptũ sit, merito doctoribus dubitandi locus relictus est, & sanè si quispiã quæreret, cur sancti Euangelistæ horum non meminerint, id factũ esse arbitrati sunt Michael Glica parte 3. Annalium, & Canisius de B. Virgine lib. 5. cap. 2. quod Apostoli in animo habuerint non longius historiam Sacram, quam ad Christi in Cælos ascensionem vsq; producere, Maria vero, quia diu in terris superstes mansit, ideo de eius morte nihil eos dixisse, Apostolorum namq; primaria intentio fuit, vt præcipue fidei nostræ dogmata verbis, & scriptis publicarent, eaq; hominum cordibus imprimerent, & ideo illa potissimum scriptis consignasse, hinc est, quod cap. 61. huius libri circa finem B. Brigitta dicit, Deum prius hominum cordibus infigere voluisse Ascensionis suæ fidem, antequam mundo indicaret, Matrem suam ad Cælos fuisse assumptam anima, & corpore (quia corda inquit hominum dura erant, ac difficilia ad credendam filij mei Ascensionem, quanto magis si prædicata fuisset ab initio fidei Assumptio mea) eandem rationem attulit Rupertus lib. 7. de diuinis offic. cap. 25. dicit enim Euangelistas ea scripsisse, quæ ad mysteria fidei cõfirmanda conferebãt, quod egregie explicauit Frãciscus Suarez in comment. super 3. p. S. Thomæ quæst. 55. disp. 49. sect. 1. Cæterum addendum est, noluisse Deum in principio nascentis Ecclesiæ palam facere omnibus Matris suæ conceptionem, et ad Cælos anima, corporeq; assumptionem, aliaq; singularia priuilegia illi diuinitus concessa, quoniam nõ expediebat cuncta Ecclesiæ diuina arcana simul reserare, et fidelibus suis omnia simul aperire, quod insinuauit Christus Dominus Ioan. 16. qui postquã in sermone vltimæ cœnæ plura discipulos docuisset, Adhuc multa habeo inquit vobis dicere, quæ non potestis portare modo, proficit namq; Ecclesia, vt in

virtu-

virtutibus, & bonitate, ita in scientia, & doctrina Deo, eam plenius quotidie illustrante, eaq; de causa cant: sexto comparatur Auroræ, dum dicitur, quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, Aurora quippe temporis processu magis splendet, rutilat vehementius, quod ergo Mater Dei ab originali peccato fuerit præseruata, aut in Cœ- 1
los anima, corporeq; assumpta, non omnibus fuit notum si enim hoc, & publice, & palam fuisset pronunciatū, & tunc maxime quando fidei fundamenta nondum satis firme, & constanter iacta fuerant, contingere potuisset, vt quæ eximia est semper quæ fuit, christianorum omnium erga tantam Virginem deuotio, adeo aliqui afficerentur, vt ipsam non, vt creaturam, sed velut Creatorem, & non solum, vt Dei Genitricem, sed vt Deum adorassent, & propterea egregie admonuit Epiphanius hæresi 79. Christum Dominum non vocasse Mariam Matrem, quando ipsa a filio miraculum petijt, vt in Nuptijs aquam in vinum conuerteret. Dicit enim id fecisse, ne quis eam supra hominem, aut etiam esse Deum existimasset, & ideo dixit, vt Ioan. 2. scribitur. Quid mihi, & tibi mulier, & sane Dionisius Areopagita cum ad Mariam venisset, & corporis pulchritudinem, morum sanctitatem, & nescio quem in ea diuinum fulgorem spectasset, hoc dixisse fertur, nisi mihi de filio tuo fuisset reuelatum, quod Deus esset, facile crederem aliam, præter te non esse Deum, & hoc narrat Dionisius Richellius in elucidat. capitis tertij de diuinis nominibus, quo factum esse censeo, vt cum propter eximia, ac innumera priuilegia, & maxime ob originalis peccati immunitatem, quibus quantum puræ creaturæ licet, ad Christi Domini eius Filij accessit dignitatem, noluerit idem filius, consulens imbecillitati, ac fragilitati nostræ statim, sed longo temporis cursu notum hoc fieri, & publice omnibus prædicari, vt fideles tutius, præcipuum ac insigne priuilegium, suæ matri concessum cognoscerent, firmius crederent, & ardentius post tot sæcula cognitam immaculatam ipsius Conceptionem vnanimi consensu cōfiterentur, licet enim hoc ab Ecclesia non dum fuerit determinatum, vt nos indicauimus libro 6. Reuelat. cap. 49 nota prima, nihilominus aperuit saltem hactenus partem tanti mysterij concedens, quod hoc possit credi, & palam ac publice prædicari, iubens etiam, diem festum Sacrosanctæ Conceptionis, vbiq; coli, ac celebrari.

VIRGO MARIA NARRAT qualiter natiuitas sua fuit per portā communem, & fuit initium verorum gaudiorum, quia tunc prodijt virgula de qua processit flos desiderabilis cunctis gentibus, in qua natiuitate dæmones fremuerunt, iusti lętabantur, & Angeli gauisi sunt. Et conqueritur de mulieribus, quæ cum deuotione talia non attendunt.

CAP. LVI.

MARIA loquitur. Quando mater mea me genuit per portam communem
1 exiui. 1 Quia alio modo aliquis nasci non debuit, nisi specialiter filius meus, qui sicut naturæ omnium est conditor, ita etiam mirabiliter nasci voluit, & ineffabiliter. Quando vero ego nata fui non latuit diaboles, sed per quandam similitudinem loquendo sic ipsi cogitabant. Ecce nata est virgo quædam quid faciemus? Nam mirabile cernitur quoddam in ea futurum. Si adhibuerimus ei omnia retia malitiæ nostræ, confringet ea quasi stuppas. Si inuestigemus omnia interiora eius, munita est forti presidio. Nec inuenitur in ea macula, vbi cuspis peccati infigatur. Ideo timendum est, quod munditia eius torquebit nos. Gratia eius comminuet quicquid in nobis est fortitudinis. Constantia eius deijciet nos sub pedibus suis.
2 2 Amici vero Dei, qui in longa expectatione erant, dicebant inspirāte eis Deo. Cur amplius dolemus? Gaudendum potius est nobis, quia nata est lux qua illuminabuntur tenebræ nostræ, & desiderium nostrum perficietur. Angeli vero Dei gaudebant, licet eorum gaudium semper erat in visione Dei dicentes. Natum est in terris desiderabile quoddam, & specialis amoris Dei, per quod reformabitur in cœlis, & in terris pax vera, & ruinæ nostræ restaurabuntur. Vere filia dico tibi, quod natiuitas mea initium fuit verorum gaudiorum, quia tunc prodijt virgula de qua processit flos ille, quem reges, & prophetæ desiderabant. Postquā vero tantæ ętatis fui, quod aliquid intelligere potui de Creatore meo, tunc indicibili

bili amore ad eum affecta sum, & desiderabam eum toto corde. Mirabili etiam gratia conseruata fui, vt nec in tenera ætate consentirem peccato, quia charitas Dei, & sollicitudo parentum, educatio quoque honesta, & conseruatio bonorum, & feruor sciendi Deum, perseuerabant mecum. Nunc autem conqueror, quod illæ fœminæ, quæ generantur, & generant cum horrore, & nascuntur cum immunditia, & delectantur in ea, non attendunt mundissimam natiuitatem meam, sed peiores sunt iumentis, quia viuunt sine ratione. Viuunt omnino secundum carnem. Ideo transibit ab eis voluptas recedet ab eis spiritus puritatis fugiet ab eis gaudium æternum, & inebriabit eos spiritus impuritatis quem sequebantur.

NOTAE.

1 QVia alio modo aliquis nasci non debuit, nisi specialiter filius meus, quæ sicut naturæ omnium est conditor, ita etiam mirabiliter nasci voluit, & ineffabiliter.

Ex verbis præsentis notæ non est colligendum, Saluatorem nostrum, cum natus est more cæterorum hominum, & ex eodẽ loco minime exiuisse, quo cæteri communiter nascentes paruuli prodire consueuerunt, vt egregie annotauit Damascenus libr. 4. de fide cap. 15. per auditum inquit conceptio, sed Natiuitas per consuetum parientium egressum, nam & si nonnulli fabulantur per latus diuinæ Matris ipsum aditum fuisse. Hic ergo sermo fit, non de loco, sed de modo natiuitatis Christi, qui vt hoc loco scribitur admirabilis, ac ineffabilis fuit, quoniam Christus primo natus est Spiritus sancti opere absque semine viri, eiusque corpus ex purissimis Mariæ sanguinibus formatum est, & sine aliqua sorde, & sanguinis fluxu de virgineo prodijt vtero, Maria ante partum, in partu, & post partum virgine remanente, vt merito Isaias cap. 57. dixerit generationem eius quis enarrabit. Quod & nos etiam declarauimus lib. 6. Reuelat. cap. 57. nota 1. & libr. 7. cap. 21. nota 4.

2 Amici vero Dei, qui in longa expectatione erant, dicebant inspirante eis Deo, cur amplius dolemus gaudendum est potius nobis, quia nata est lux, quia illuminabuntur tenebræ nostræ, & desiderium nostrum perficietur, Angeli vero Dei gaudebunt.

Ex verbis huius notæ satis aperte deduci potest, antiquæ legis patres, qui ante Christi Domini Natiuitatem detinebantur in limbo, Angelos quoque mysterium incarnationis prænouisse antequam verbum vere, & realiter carnem assumeret, & quidem si Magistri sententiarum sequamur opinionem, id esse verum fatebimur ipse enim in 2. dist. ij. asseuerat superiores Angelos a principio sui esse, hoc mysterium cognouisse, licet non perfecte vsque ad tempus quo factum est, & ab Apostolis prædicatum, & addit illud ipsum fuisse per Angelos manifestatum Patriarchis, & prophetis, fauent huic sententiæ Alexander Alensis 2. p. quæst. 26. memb. 1. Haimon super cap 3. ad Ephes. edisserens illa verba, vt innotescat principibus, & potestatibus in cælestibus vbi Apostolus verba facit de hoc mysterio, eandem etiam seq. Sixtus Sen. lib. 6 suæ Bibliotecæ annotat. 299. cæterum mihi dicendum videtur, omnes bonos Angelos incarnationis mysterium nouisse antequam fieret, non quidem perfecte, & quoad omnes particulares circumstantias eius, quia hoc postea sciuerunt postquam patratum est, & per prædicationem Apostolorum diuulgatum, & hinc est quod D. Hieronymus super sexagesimum tertium caput Isaiæ, & D. Chrisost homil. 12 super Ioannem, & ad Ephes. 3. Origenes homil. 15. super Matt. affirmarint Apostolos Angelis prædicasse, quandoquidem ex prædicatione eorum perfectam cognitionem illius obtinuerunt, atq; hæc fuit sententia D. Dionisij lib. 4. de cælesti Hyerarchia cap. 4. & 7 & D. August. lib. 5. super Genesim ad litteram cap. 19. Bedæ ad Ephes 3. D. Thom. p. 1 q. 57. art. 3. ad primum, & quæst. 64. artic. 1. ad quartum, & q. 106. ar. 4. ad secundum, & opus. 1. contra errores Græcorum cap. 26. atque ex hoc conciliari possunt quorundam sanctorum Patrum sententiæ, quæ videntur pugnare ad inuicem, cum enim docent Angelos non cognouisse incarnationis mysterium, intelligendi sunt de plena cognitione, & quo ad particulares circumstantias, si ergo Angeli incarnationis mysterium nouerunt a principio sui esse, mirum non est si eos in Natiuitate B. Mariæ gauisos esse legimus hic, quandoquidem ipsa erat, quæ Christum Dominum parere debebat, per quem eorum ruinæ reparandæ erant, vt dicit Apostolus ad Ephes. 1. instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terris sunt, quod etiam magis procedit, si vera est sententia quorumdã Theologorum, vt refert Dominicus Bannes in comment. super primam partem S. Thom. q. 57. art. 3. dubitatione secunda, qui docuerunt bonos Angelos in verbo hoc myerium cognouisse, etiam quo ad particulares quasdam circumstantias poterant, ergo in verbo intueri tempus natiuitatis Virginis, & eam scire futuram matrem Christi, & gaudere in Natiuitate eius, vt scribitur hoc loco, aut etiam Deus voluit Matris suæ ortum Angelis, propalare ad maiorem gloriam, & honorem illius vtque scirent eorum Reginam illam esse futuram quippe quæ eorum Regem, & caput Christum parere debuerat, & tunc, vt vel a principio ortus eius illa venerarẽtur, & debita obsequia præstarent, quãtum vero spectat ad Patres in limbo existentes, di-

co si

eo si loquamur de primo parente probabilissimum esse, quod ipse hoc mysterium nouerit, quod asserit D. August. lib. 9. super Genesim ad litteram cap. 19. & D. Thom. 2. 2. q. 2. art 7. & . 3. p. q. 1. ar. 3. ad primum, Patriarchas etiam nouisse tradit Magister, vbi supra neque etiam censendum est, prophetas latuisse incarnationis mysterium, quia illud alij prædixerunt, immo, & Mariæ ortum illos nouisse scribitur in sermone Angelico de Virginis excellentia cap. 8. & cap. 9. & Abrahamum legimus sciuisse, & cap. 7. Adam quoque non ignorasse, ex his ergo potest inferri, verissimum esse, quod scribitur hic, Patres in limbo existentes in natiuitate Mariæ exultasse, quippe quæ paritura erat eum, qui eos a limbo liberare, secumque in cælum transferre debuerat, & ideo in præsenti cap. eos dicentes legimus, gaudendum est nobis, quia nata est lux, qua illuminabuntur tenebræ nostræ, & desiderium nostrum perficietur.

VIRGO MARIA IN DIE Purificationis loquebatur sponsæ dicens, quod ipsa non indigebat purificatione, quia sine macula, & munda erat. Veruntamen vt adimplerentur prophetiæ voluit in lege, & secundum legem viuere, & nihil in se singulare ostendere, sed humiliter conuersari. Dicit etiam, quod gladius quem prædixit Symeon, sex doloribus in vita eius animam pertransibat.

CAP. LVII.

MARIA loquitur ad spon
1 sam filii dicens. 1 Filia
mea scias, quod ego non
indigebam purificatione,
sicut aliæ fęminæ, quia fi-
lius meus, qui natus est
ex me, ipse mundauit me.
Nec ego aliquam quantumcunque minimã
maculam contraxi, quæ filium mundissimũ,
sine aliqua immunditia generaui. Verun-
tamen vt lex impleretur, & prophetiæ, se-
cundum legem in lege volui viuere. Nec
secundum parentes seculi viuebam, sed cũ
humilibus humiliter conuersabar. Nec ali-
quid singulare in me præferre volui, sed to-
tum, quod erat humilitatis diligebam.
Tali etiam die sicut hodie dolor meus aug-
2 mentatus fuit. 2 Nam licet sciebam filium
meum ex inspiratione diuina passurum, ta-
men ex verbis Symeonis, quibus dixit gla-
dium pertransiturum animam meam, & fi-
lium meum positum in signum cui contra-
diceretur, grauius perforabat cor meum
3 dolor iste. 3 qui vsque dum assumpta fui
corpore, & anima in cælum, nunquam de-
fuit a corde meo, licet ex consolatione spi-
ritus Dei temperabatur. Scire etiam te
volo, quod ab isto die, dolor meus sextu-
plex fuit. Primo fuit in cognitione mea,
nam quoties aspiciebam filium meum, quo
ties inuoluebam eum pannis, quoties vide-
bam eius manus, & pedes, toties animus
meus quasi nouo dolore absorptus est, quia
cogitabam quomodo crucifigeretur. Se-
cundo fuit dolor in auditu meo. Nam quo-
ties audiui opprobria filii mei, & menda-
cia, & insidias ei positas, toties animus
meus motus est dolore, ita quod vix se te-
nere poterat, sed virtute Dei dolor meus
modum, & honestatem habuit, ne impatien
tia, & leuitas in me notaretur. Tertio fuit
dolor meus in visu. Nam quando vidi fi-
lium meum ligari, & flagellari, & in ligno
4 suspendi, 4 Corrui quasi exanimis, sed
reassumpto spiritu steti dolens, & sic patien
ter sufferens, vt nec inimici, nec alii in me
aliud reperient, nisi grauitatem. Quarto
fuit dolor meus in tactu. Ego enim cum
aliis deposui filium meum de cruce, & in-
uolui eum, & posui in tumulum, & sic tunc
augebatur dolor meus, vt vix manus, & pe-
des mei haberent robur ad subsistendum. O
quam libenter tunc fuissem sepulta cum fi-
lio meo. Quinto patiebar ex vehementi
desiderio perueniendi ad filium meum post
quam ipse ascendit in cælum, quia longa
mora quam habui in mundo post ascensio-
nem eius, dolorem meum augmentabat.
Sexto patiebar dolorem ex tribulatione
Apostolorum, & amicorum Dei, quorum do
lor erat dolor meus. Timẽs semper, & dolẽs.
Timens ne succumberent tentationibus, &
tribulationibus. Dolẽs, quia verba filii mei
vbique habebãt contradictionem. Sed licet
gratia Dei semper perseuerabat mecum, &
voluntas mea erat secundum velle Dei.
Attamen dolor meus continuus erat per-
mixtus consolatione, donec assumpta fui
corpore, & anima in cęlum ad filium meũ.
Propterea filia non discedat dolor iste ab
anima tua, quia nisi essent tribulationes
paucissimi ad cælestia peruenirent.

NOTAE.

1 **Filia mea scias, quod ego non indigebam purificatione, sicut aliæ fœminæ.**

Digitized by Google

Beatiſſimam Virginem purgatione non indiguiſſe legimus hic, quod etiam ſancti Patres communiter tradiderunt, hinc eſt, quod ipſa minime fuit ſubiecta legi purgationis, quæ habetur Leuitici 12. cuius rei rationes plures afferri ſolent, quarum vna tangitur hoc loco, quia nimirum nulla contraxerat in pariendo immunditiam, quod patet ex D. Aug. lib. de hæreſibus cap. 5. tom. 6. ſtulte inquit vnde ſordes in Virgine Matre, vbi nõ fuit concubitus cũ homine patre, vnde ſordes in ea, quæ nec cõcipiendo libidinẽ, nec pariendo perpeſſa eſt dolorẽ. vnde ſordes in domo, ad quam nullus hoſpes acceſſit, ſed ſolus ad eam Dominus, et fabricator eius aduenit, & ſicut eam reperit, ſic eam clauſam reliquit. ſicut igitur filius Dei ſolus fuit inter mortuos liber: ita Mater Dei ſola inter omnes puerperas in pariendo integra, & immaculata permanſit, ſed vt hoc magis pateat, ſciendum eſt duplicem conſueuiſſe mulieres communiter parientes contrahere fœditatem, alteram corporalem, alteram moralem, prima quidem poſt partum contingit ob fluxum ſanguinis, quæ res, & ſua natura turpis eſt, & ipſis etiam Maritis horrorem ingentem parere ſolet, voluit ergo Legiſlator, Mulierem poſt partum certo tempore immundam iudicare, vt huic horrori, & honeſtati, ac eius etiam infirmitati conſuleret, quæ quoniã non reperiebantur in Virgine, quippe quæ ſine dolore peperit, ac huiuſmodi immunditia, & ſanguinis fluxus ab ea abſuit, vt annotarunt Epiphanius lib. 3. contra hereſes in fine, Naziãzenus in Chriſto patiente, Ciprianus de Natiuitate Chriſti, Euſebius Emiſſenus ſer. de puriſi. Anſelmus in Lucam ca. 2. Cyrillus Alexandrinus libr. 2. de fide ad Reginas non longe ab initio libri. Ex his palam eſt Mariam purgatione non indiguiſſe, & multo minus maculam aliquam moralem contraxiſſe, quæ ex peccato originali oritur, quod per conceptum in prolem traducitur, quia nec ipſe Chriſtus peccatum quopiam habuit, nec Maria in eo pariendo, vt ipſamet hoc loco aſſeuerat immunditia aliqua fœdata eſt, immo propter hoc ſuper Angelos, & omnes puras creaturas eſt exaltata, cum Mater Dei effecta ſit, quæ eſt Maxima dignitas, & hoc eſt quod ipſa de ſe hoc loco inſinuat B. Brigittæ dum dicit, nec ego aliquam quantumcunque minimam maculam contraxi, quæ filium mundiſſimum, ſine aliqua immunditia generaui, has ergo ob cauſas ab illa lege ſoluta fuit. Cæterum non defuerunt, qui dixerint, ex vi verborum colligi ipſam non fuiſſe comprehenſam, in huiuſmodi lege, verba enim Leuit. 12. ſunt, Mulier quæ concepto ſemine conceperit, Virgo vero concepit ex Spiritu ſancto, & ideo non videtur comprehendi: Huius ſententiæ fuit Origenes hom. 8. in Leu. Euſeb. Emiſſenus hom. de purificatione, Theophilatus, & Beda in Comment. D. Bernard. ſerm. 3. de purificatione. Rupertus lib. 2. in Leuit. cap. 16. Laurentius Iuſtinianus in concionibus de purificat. cæterum verba legis aliud ſignificare videntur, ſuſcipere enim ſemen hæbraice, ſignificat prolificare, et per inde eſt, ac ſi dicat, mulier quæ concepta prole, conceperit, et peperit erit imm[unda] ſi ergo ad hũc ſenſũ verba legis reuocentur, videtur virgo comprehendi, dicendum tamen non fuiſſe comprehenſam, tum ob rationes in principio huius notæ adductas, tum quia non potuit lege comprehendi, quæ legiſlatorem peperit: Secundo, quia non poterat prohiberi a templo, quæ Dominum, ac Deum conceperat, qui eſt auctor templi: tertia nullam contraxerat fœditatem corporalem, neque etiam moralem, vnde opus eſſet offerre pro peccatoribus tamen non obſtantibus, vt legem adimpleret, ſecundum legem viuere voluit, vnde recte aliqui colligunt ex illis verbis Lucæ 2. poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, indicaſſe Euangeliſtam per illa verba (ſecundum legem) Mariam ſecundum veritatem non fuiſſe purgatam, ſed ſecundum tantummodo legem, vt ſcilicet legem adimpleret, vt tradit D. Aug. in Leuit. q. 4. & Theophilat. Lucæ 2. qui rẽ hãc his verbis explicat bene (ait) dixit ſecundũ legẽ Moyſi nã ſecũdũ veritatem nulla neceſſitate aſtringebatur, dictum enim eſt in lege, Mulier quæ ſuſcepto ſemine conceperit, ſed aliam etiam affert cauſam D. Bernard. in paruis ſermonibus ſerm. 7. quid eſt inquit, quod dicimus Mariam purificari, quid vero, quod ipſum Ieſum dicimus circumcidi, enimuero tam non indiguit illa purificatione, quam neque iſte circuncíſione, nobis ergo, & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, vt a vitijs continentes, primum per ipſam continentiam circumcidamur, & deinde a commiſſis per pœnitentiam purificemur.

2 Nam licet ſciebam filium meum ex inſpiratione diuina paſſurum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium pertranſiturum animam meam, &c.

Hac de re egimus ſupra hoc eodem lib. 6. cap. 19. nota quinta, & lib. 3. cap. 30. nota 2. vbi explicauimus illa verba, quæ habentur Lucæ 2. & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, quid vero per gladium intelligendum ſit annotauimus ibi.

3 Vſque dum aſſumpta fui corpore, & anima.

Mariam fuiße corpore, & anima in cœlum aſſumptam probauimus ſupra lib. 1. Reuelat. cap. 8. nota prima, vbi ad hoc confirmandũ plures Sãctorũ Patrũ auctoritates attulimus, hoc ipſum etiam aſſeritur li. 1. ca. 9. & 31. & lib. 6. ca. 12. & li. 7. ca. 25. & 26.

4 Corrui quaſi exanimis, ſed reaſſumpto ſpiritu ſteti.

De Mariæ Virginis ſpaſmo, & an fuerit deliquium animæ paſſa, cum iuxta crucem filij morientis ſtaret, egimus lib. 4. Reuelat. cap. 70. nota 3.

M A-

MATER DEI DICIT Sponsæ, quod non modicus dolor fuit ille sibi inter cæteros, quando scilicet præ timore fugiebat cum filio in Aegyptum, & audiuit filium persequi ab Herode, & interfici innocentes, & narrat pulchre illa, quæ filius egit in infantia, & adolescentia sua vsque ad tempus prædicationis, & passionis.

CAP. LVIII.

MARIA loquitur ad sponsâ dicēs. Dixi tibi de do-
1 loribus meis. 1 Sed ille dolor non erat minimus quem habui, quando filiū meum deferebam fugiēs in Aegyptum, & quando audiui pueros occidi innocentes, & Herodem persequi filium meum. Sed licet scirem, quæ scripta erant de filio meo, tamen cor meum præ amoris magnitudine, quem habebam ad filium meum, dolore, & mesti-
2 tia replebatur. 2 Nunc autem quærere poteris, quid egerit filius meus in toto illo tempore ætatis suæ antequam pateretur. Respondeo, quod sicut loquitur Euangeliū subditus erat parentibus, & sicut alij infantes se gessit, donec venit ad ætatem maiorem, nec mirabilia defuerūt iuuentuti suæ. Quomodo creaturæ seruierunt creatori suo. Quomodo idola obmutuerunt, & plurima ruerunt in Aegiptum in aduentu suo. Quomodo Magi prædixerunt filium meum fore signum magnorum futurorum. Quomodo etiam ministeria Angelorum apparuerunt. Quomodo nec aliqua immunditia ascendit super eum, nec perplexitas in capillis eius apparuit, quæ omnia non est tibi necesse scire. Cum in Euangelio signa deitatis, & humanitatis suæ proponuntur, quæ te, & alios possunt ædificare. Cum vero venit ad maiorem ætatem in orationibus erat continuis, & obediens ascendit nobiscum ad statuta festa in Hierusalem, & loca alia. Cuius visus, & locutio sic mirabilis, & acceptabilis erat, vt multi tribulati dicerent. Eamus ad filium Mariæ a quo possumus consolari. Accrescens vero ætate, & sapientia qua ab initio plenus erat, laborabat manibus quanquam ea quæ decenti erant, & loquebatur nobis separatim verba consolatoria, & verba deitatis. Ita vt indicibili gaudio continue repleremur. Cum vero in timoribus, & paupertate, & difficultatibus essemus nō fecit nobis aurum, & argentum, sed hortabatur ad patientiam, & mirabiliter seruati fuimus ab inuidis. Necessaria quoque prouenerunt nobis quandoque ex compassione piarum mentium. Quandoque ex labore nostro: ita vt haberemus necessaria ad solam sustentationem non ad superfluitatem, quia nihil aliud quæsiuimus, nisi soli seruire Deo. Post hæc autem conferebat ipse in domo familiariter cum amicis aduenientibus, de lege, & eius significationibus, & figuris, disputabat etiam in aperto, cum sapientibus, ita vt mirarētur dicentes. Ecce filius Ioseph docet magistros aliquis magnus spiritus loquitur in eo. Cumque quodam tempore cogitante me de passione sua. Videret me mœstissimam, respondit mihi. Non credis Mater, quia ego in patre sum, & pater in me est. Nunquid tu polluta es ad ingressum meum, aut in egressu meo tribulata es? Cur mœrore contraheris? Voluntas enim patris mei est pati mortem, imo voluntas mea cum patre. Quod autem habeo de patre pati non potest, sed caro quā sumpsi de te patietur, vt caro aliorum redimatur, & spiritus saluentur. Sic etiam obediens erat, vt cum Ioseph casu diceret ei fac hoc, vel illud, statim ipse faciebat, quia sic occultabat deitatis suæ potentiam, vt nisi a me, & quandoque a Ioseph sciri nō posset, qui vidimus lumen admirabile multoties circumfulsisse eum, & Angelicas voces cantantes super eum audiuimus. Vidimus quoque, quod spiritus immundi, qui per exorcistas in lege nostra probatos eijci non poterant, egrediebantur ad visionem præsentiæ filij mei. Ecce filia hæc sint continue in memoria tua, & regratiare Deo sincerius, quia per te infantiam suam aliis voluit patefacere.

NOTAE.

1 SEd ille dolor non erat minimus, quem habui quando filium meum deferebam fugiens in Aegyptum.

De Christi Domini fuga in Aegyptū latius agitur supra lib. 5. interrogat. 12. q. 4. vbi plura annotauimus, quæ ad cognitionem huius rei facere arbitrati sumus.

2 Nunc autem quærere poteris, quid egerit

rit filius meus toto illo tempore ætatis ſuę antequam pateretur.

Quamquam Chriſtus Dominus toto vitæ ſuæ tempore pro nobis ſemper ingentes labores, quamplurima etiam incommoda, curaſque ſuſceperit, ſpecialiter tamen circa annum trigeſimum, quo opus ſibi Redemptionis humanæ a Patre iniunctum perficere agreſſus eſt, cæpit virtutem ſuam mundo propalare, miracula patrando, prædicando, cæteraque mirabilia deitatis ſuæ ſigna in dies exhibendo, ſed quoniam ſacræ litteræ minime indicarunt, quid ab anno duodecimo, vſque ad principium trigeſimi egerit, ideo hoc loco merito quæritur, quid toto eo tempore fecerit, hoc eſt ab anno duodecimo vſque ad initium trigeſimi, quo anno, vt ſcribit D. Lucas cap. 3. ſui Euangelij baptizatus eſt. erat inquit Ieſus incipiens, quaſi annorum 30. dicit autem quaſi annorum triginta, quia teſte Epiphanio contra hæreſes hæreſi 51. deerant menſes duo ad explendum annum 30. Baptizatus inquit eſt ſexto die Nouembris expletis 29. annis, & decem menſibus anni 30. vel vt placet Bedæ completis annis 30. ſic habet in libro de ratione temporum ca. [illegible] ſequitur D. Bernardus ſer. 1. de Epiphania, & Chriſoſt. hom. 10. in Matt. & Eutimius ſuper 3. cap. Matt. vel vt alijs placet Chriſtus inchoauit annum trigeſimum cum baptizatus eſt, vt ait Clemens Alexan. lib. 1. ſtromatum. Tertullianus libr. 1. contra iudæos, Lactantius Firmianus lib. 4. inſt. cap. 10. Oroſius lib. 7. cap. 3. poſtquam ergo baptizatus eſt, tunc maxime cæpit Dominicæ paſſionis myſteria peragere, ſeſeque Meſſiam in lege promiſſum, ſignis, ac prædicatione probare, veritatem eius aſſumptæ carnis laboribus ac doloribus oſtēdere, et hoc eſt, quod ſibi illa verba præſentis notæ, (quid egerit filius meus toto illo tempore ætatis ſuæ antequā pateretur) hoc eſt ante tēpus ſuſcepti baptiſmi, & ieiunij aliorumque dolorum, non quidem, quod prius plura non fuerit incommoda perpeſſus, in Natiuitate, in Circumciſione, in fuga in Aegyptum, aliaq; ſexcenta, quæ hic enumerare longum eſſet, ſed quod præſenti tempore, quod paſſionis tempus hic peculiariter appellatur, anno ſcilicet trigeſimo, magis magiſque propalare ſe voluit, & in dies plura pati, vt ſuſcepto redemptionis operi finem imponeret, illud autem tempus a Natiuitate vſque ad initium trigeſimi, medium tempus aliqui vocant, & D. Thom. 3. p. q. 43. art. 3. hoc tempore Chriſtum nullum feciſſe miraculum; ſed conformem aliorum conuerſationi extitiſſe, ſuamque virtutem ignotam fuiſſe aſſerit, reddit autem cauſam, quare miracula tunc non fecerit, ne inquit putaretur incarnationis myſterium eſſe phantaſma, niſi ſe habuiſſet, ſicut alij infantes, ideoque ſcientiæ demonſtrationem ſuæque virtutis ad id tempus diſtuliſſe, in quo alij homines communiter ſcientia, ac virtute vigere conſueuerunt, vnde egregie D. Chriſoſt. hom. 20. in Ioan. hoc probans ſi inquit, cum iunior eſſet miracula feciſſet, non indiguiſſet Iſrael, qui ipſum manifeſtaret, vir enim factus miraculorum multitudine, non Iudæis modo, ſed & Siris longinquiora colentibus cognitus eſt tribus annis dumtaxat. Idem probant Sancti Patres ex illo Ioan. 2. hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cāna Galileæ, dicunt enim toto hoc ætatis ſuæ tempore miracula non feciſſe, ſic Tertullianus de Baptiſm. cap. 9. Ambroſ. ſermo. 19. Epiphanius hæreſi 51. Theophilatus, & Eutimius in locum citatum Ioannis, & Clarius Chriſoſt. qui hom. 16. in Ioannem affirmat Chriſtum ante baptiſmum miracula non edidiſſe. Cæterum & ſi hoc veriſſimum ſit, non tamen in ocio Chriſtum in ea ætate permanſiſſe credendum eſt, ſed ſe ſe in omnium virtutum actibus exercuiſſe dubitandum non eſt, & præſertim maxima exhibuiſſe obedientiæ, ac humilitatis ſigna, ideo D. Lucas ſcribit, & erat ſubditus illis, rurſus etiam pie credi poteſt, Chriſtum Dominum in ea ætate conſtitutum, frequenter loca ſacra viſitaſſe, ibique crebris orationibus intentum fuiſſe, quod inſinuatur hoc eodem cap. paulo ante medium in orationibus erat continuus, & obediens aſcendit nobiſcum ad ſtatuta feſta in Hieruſalem, & loca alia. Inſuper quis ambigat ſepe tunc temporis, ſe ab hominum conſortio ſubtraxiſſe, eorumque vitaſſe tumultus, ſilentium quoque ad noſtram eruditionem aliquando ſeruaſſe, & tunc ore tacendo inſtruebat opere, de quo ſilentio verba faciens D. Bernard. ſerm. 1. de Epiphania, (ecce inquit) Domine Ieſu, vel nunc iam loquere, licentiam loquendi habes a Patre, quandiu virtus, & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis, & inſipiens lates in populo, quandiu nobilis Rex, & Rex Cœli ſi fabri filium te patieris appellari pariter, & reputari, o humilitas virtus Chriſti, o ſublimitas humilitatis, & paulo poſt idem nobis tacebat, & nobis inſtruebat, tacebat ore, ſed inſtruebat opere. Hactenus D. Bernard. verum probabiliſſimum quoque eſt Saluatorem noſtrum manibus proprijs laboraſſe, ſuoſque parentes, qui erant egeni, & pauperes ad victum comparandum adiuuaſſe, quod colligimus hic circa medium præſentis capitis cum dicitur, accreſcens vero ætate, & ſapientia, qua ab initio plenus erat, laborabat manibus, quanquam ea quæ decent, quod etiam inſinuat D. Baſil. cap. 5. monaſticarum conſtitutionum, cum prima, inquit, ſua ætate parentum ſuorum imperio ſubiectus eſſet, & labores corporis omnes æquo vna cum ipſis animo, illis obediens tolerauit, veriſimile eſt enim cum homines illi eſſent, & iuſtitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, ſolitos eos in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare: porro Ieſus cum his, vt diuinæ litteræ prædicant, eſſet ſubiectus ſine dubio in præferendis etiam vna cum ipſis laboribus morigeram declarabat ſuam obedientiam. Hactenus

Basilius cui etiam adstipulatur Iustinus Martyr in Dialogo cū Triphone, & D. Bonauent. & alij, qui Christi Domini vitam litteris consignarunt, ex quo etiam deducendum est, post mortem Iosephi. quæ ante trigesimum eius annum accidisse communiter creditur Christum Dominum per se solum in ea ætate fabrilem artē exercuisse, vt Beatissimam Matrem aleret, vnde Marci 6. dicebant iudei, non ne hic est faber filius Mariæ, quod etiam hic annotauit Caetanus, licet autem hoc loco breuiter quærere, cuius artis peritus esset Ioseph: vt aliquali coniectura colligere liceat, qua in re Saluator corporalem laborem impenderit, & quidem eum fuisse fabrum constat, Matt. 13. hanc ob causam Marci 6. ipse dominus Faber dicitur: fuerit autem Faber ferrarius, vel lignarius adhuc sub iudice lis est. Hilarius namque Can. 14. in Matt. tradit fuisse Fabrum ferrarium, cui consentit Beda super cap. 6. Marci, & D. Ambros. 3. lib. in Lucam, quæ sententia D. Thomæ non placuit, dicitque in c. Matt. 13. non esse hoc verisimile D. vero August. serm. 3. de Natiuitate Domini indicat eum fuisse Fabrū cementarium, quod etiam Hugo approbare videtur, alij etiam Aurificem extitisse existimarunt, communis tamen sententia est, eum Fabrum fuisse Lignarium teste D. Thoma Matt. 13. qui citat ibi D. Chrisost. & fauet huic opinioni auctor operis imperfecti hom. 32. Liranus etiam Matt. 13. & constat ex historia Sozomeni lib. 6. cap. 2. sequitur Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, qui asserit Dominum nostrum, exercuisse artem lignariam, & iuga Boum fecisse, & aratra volens his operibus externis propalare mundo obedientiam, & mortificationem, quam homines erat docturus, secundum illud Matt. 11. tolite iugum meum super vos, huic opinioni consensit etiam Lodulphus de vita Christi p. p. cap. [illegible] qui hoc de re meditari volentibus multa ibi pie, ac religiose tradit: plura etiam de his habent Ireneus lib. 1. contra hæreses cap. 17. & multa ibidem Feuardentius notat, & fusius etiam hac de re egit Franciscus Suarez in comment. ad tertiam partem S. Thomæ tom. 2. quæst. 3. disputat. 17. sect. 3.

*

VIRGO NARRAT SPONSAE, quid sensit statim concepto filio, & quæ senserunt ipsa, & Elisabeth in amplexu mutuo, & de sancta cohabitatione earum, & qualiter postea Angelus consolabatur eam formidantem, & instruebat Ioseph mirantem, & narrat modum sanctissimum viuendi, quem ipsa, & Ioseph tenuerunt, & multas virtutes notabiles Ioseph.

CAP. LIX.

MATER Dei loquitur. Quando Angelus nunciabat mihi filium Dei nasciturum de me, statim postquam consensi, aliquid insolitum, & admirabile sensi in me, ideo vehementer admirans statim ascendi ad Elisabeth cognatam meam, vt consolarer illam impregnatam, & cum ea conferrem de his, quæ An-
1 gelus mihi nunciauerat. 1 Cumque
ipsa iuxta fontem occurrisset mihi, & mutuis amplexibus, osculis frueremur, infans in vtero eius mirabili, & visibili motu exultando lętabatur. Et ego similiter insolita exultatione, tunc mota fui in corde meo, ita vt lingua mea loqueretur in excogitata verba de Deo: Et anima mea tunc vix prę lętitia se capiebat. Cumque Elisabeth miraretur feruorem spiritus, qui loquebatur in me, & ego non dissimiliter mirabar in ea gratiam Dei, benedicen-
2 tes Deum, 2 Stetimus simul aliquibus
diebus. Post hæc autem cæpit cogitatio quædam pulsare animum meum, quomodo & quam deuote haberem me post tantam gratiam mihi factam. Quid etiam responderem si quæreret quomodo concepi, aut quis pater filij nascituri. Aut ne forte Ioseph instigante aduersario aliena suspicaretur contra me. Ecce sic mihi cogitanti, Angelus non dissimilis ab eo, quem prius videram astitit dicens. Deus noster, qui æternus est ipse, & tecum, & in te est. Ne timeas ergo, quia ipse dabit tibi loqui, ipse diriget gressus tuos, & loca. Ipse perficiet opus suum tecum potenter, & sapien-
3 ter. 3 Ioseph vero cui commendata
fueram cum intellexisset me imprægnatam admi-

Digitized by Google

admirans, & indignum se reputans cohabitare mihi anxiebatur nesciens quid ageret, cui Angelus in somnis dixit. Non recedas a virgine commendata tibi, quia sicut audisti ab ea sic verissimum est. Concepit enim de spiritu Dei, & pariet filium Saluatorem mundi. Ergo serui ei fideliter, & esto pudicitiæ eius custos, & testis. Deinde ab illo die Ioseph seruiuit mihi quasi dominæ suæ, & ego etiam me ad opera sua minima humiliabam. Post hoc ego continua eram in oratione, raro videri, & videre volens, & egrediens rarissime, nisi ad festa præcipua vigilijs quoque, & lectionibus, que a sacerdotibus nostris legebantur, intenta fui. Habens certa tempora ad labores manuum, & discreta fui ad ieiunia, prout natura mea ferre poterat in seruitio Dei. Illa vero, quę superfuerunt nobis super victualia dedimus pauperibus, contenti de his, quæ habebamus. Ioseph vero sic seruiuit mihi, quod nunquam audiebatur in ore eius verbum scurrile, nunquam murmurosum, nunquam iracundum. Nam ipse patientissimus erat in paupertate, sollicitus in labore, vbi necesse fuit. Mansuetissimus ad obiurgantes. Obedientissimus in obsequio meo. Promptissimus defensor contra derogantes virginitati meæ. Fidelissimus testis mirabilium Dei. Ipse etiam sic mortuus erat mundo, & carni, vt nihil desideraret, nisi cælestia. Sicque erat credulus promissionum Dei, vt continue diceret vtinam viuam, & videam adimpletam voluntatem Dei. Nam rarissime venit ad congregationes hominum, & eorum consilia; quia totum desiderium suum fuit obedire voluntati Dei. Ideo nunc gloria sua magna est.

N O T AE.

1 CVmque ipsa iuxta fontem occurrisset [illegible], & mutuis amplexibus, & osculis lineremur infans in vtero eius mirabi[illegible] & visibili motu exultando lætabatur.

Historiam Deiparæ cognatam Elisabeth visitantis narrat D. Lucas cap. 1. & in præsenti capite de hac visitatione agitur, in qua multa sane scitu dignissima miracula facta sunt: primo quidem, vt Maria attigit limen Elisabeth, statim in vtero clausus Ioannes præsentia Christi sanctificatus est, & exultauit, & hoc quomodo intelligendum sit, & an D. Ioanni fuerit acceleratus vsus liberi arbitrij tradidimus lib. 3. Reuelat. cap. 20. nota secunda: secundo in ea visitatione Spiritu sancto repleta Elisabeth & prophetiæ dono instructa est, vt colligitur ex illis verbis Beatæ Virginis, ego non dissimiliter mi rebar in ea, gratiam Dei. Postremo Beatissima Virgo incredibili tunc est repleta gaudio, & Spiritu sancto afflata edidit illud diuinum Canticum Magnificat, causas autem quaproter Maria suam visitauerit cognatam afferunt D. Ambros. & Beda in illud Lucæ 1. Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana, Maria inquiunt non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio perexit in montana, addit, & aliam Eutimius, vt scilicet exultatione Ioannis in vtero gloriosior esset Christi conceptio, & Ioannes, eiusque mater Elisabetta Spiritu sancto replerentur. Sed & Mariam incredibili gaudio, fuisse in hac visitatione perfusam scribitur, hic cum legimus paulo post citata verba præsentis notæ (& ego similiter insolita exultatione mota sum in corde meo) ibique gaudium affuisse maximum, & charitatis etiam exercendæ causa erga cognatam, eam adijsse docuit B. Bern. hom. 4. super Missus est, igitur eodem, inquit, consilio suam Maria instituit profectionem quo ductus Angelus nouum de cognata grauida miraculum nunciauit, maioremque Virgo charitatis, & gaudij spiritualis, quam confirmandæ fidei rationem habuit.

2 Stetimus simul aliquibus diebus.

Quot mensibus simul permanserint Maria, & Elisabeth explicauit Euangelista loco superiori notæ citato. mansit inquit Maria, cum illa quasi mensibus tribus, imo certo non videtur mansisse tres menses. an autem tamdiu apud Elisabettam Maria permanserit, quamdiu ipsa peperit affirmant Origen. hom. 9. in Lucam D. Ambros. & Liranus in Lucam l. c. & Beda ibidem tamdiu inquit mansit, donec videret præcursoris Natiuitatem, propter quam maxime venerat, nec causa solius familiaritatis tamdiu mansit, sed vt tanto tempore, & Elisabeth Ioãnis cresceret profectus, quanquã non desint alij qui contrariam sequantur sententiam, existimantes D. Virginẽ discessisse ante partũ Elisabeth, quod nõ videbatur conueniens Virginem interesse partui, tum etiam ad vitandam hominum multitudinem, quæ ad Zachariam occasione partus erat confluxura, sic annotarum auctor Græcus [illegible] Bostr. Theophilat. & Eutimius, & Nicephor. lib. 1. ca. 8.

3 Ioseph: vero cui commendata fuerim, cum intellexisset me impragnatam admirans, & indignum se reputans cohabitare mihi, anxiebatur nesciens quid ageret.

De turbatione Ioseph: hoc loco agitur, eiusque turbationis causa tangitur, & sane ex parte eius digna videbatur dubitatio, cum enim ipso nesciente Gabriel venisset ad Virginem, quæ Spiritus sancti ministerio grauida facta erat, cumque postea ad cognatam suam Elisabettam abijsset, vt superiori nota tradidimus, vt ei prægnanti seruiret, mansit ibi tribus mensibus, deinde ipsa redeunte animaduertit Ioseph: vterum eius plenum, & ex hoc vehementer, vt scribitur hic admiratus est, & ali-

qualem suspitionem incurrit, ita vt sicut scripsit Matt. cap. 1. eam occulte dimittere voluerit, quare autem id facere statuisset redditur hic causa, quia nimirum cum videret eam concepisse, summa Ioseph: erga sponsam reuerentia commotus, occulte illam deserere voluit, existimans se illius indignum cõtubernio, quam tot tantisque Dei dotibus ornatam videbat, & in quam nulla, vel minimæ labis suspitio cadere posse videbatur, eodem prorsus modo quo Petrus dixit Christo, exi a me Domine, quia homo peccator sum Lucæ 5. & hanc eadem causam, quam legimus hic afferunt Orig. hom. 1. in diuersos. D. Bernard. homil. 2. super Missus est Basil. de humana Christi generat. Theophilat. Matt. 1. Auctor operis imperfecti hom. 1. in Matt. his verbis, ô inestimabilis Mariæ laus, magis credebat castitati eius, quam vtero suo, plus gratiæ, quam Naturæ, conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat, possibilius esse credidit mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare, idem probat Canisius de B. Virg. lib. 2. cap. 4 & cap. 13. sed Clarius hoc habetur infra lib. 7. cap. 25. ibi Ioseph: videns vterum meum Spiritus sancti virtute intumescere, expauit vehementer non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dictorum Prophetarum prænunciantium filium Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali seruire Matri. alij tamen arbitrati sunt, ideo dimittere voluisse quod adulterium suspicaretur ... D. August. epistola 54. & serm. 16. de verbis Domini, & serm. 18. de tempore, Theophilatus, & Euthimius in comment. Matt. & D. Chrisost. in hom. de Sancta Susanna, sed quicquid sit si quispiam affirmare vellet, Iosephum vere de Mariæ virginitate ad tempus dubitasse, id eo consilio factum esse dicendum est, vt ... hominès de Mariæ virginitate certiores fierent ... in re merito Iosephum Thomæ Apostolo comparari posse crediderim, quẽ sicut permisit Deus de resurrectione Christi dubitare, vt sic postmodum inde homines certiores de ea fierent, vt per contactum Christi ipsemet Apostolus Thomas redditus est certior: ita quoq; ex hac Iosephi dubitatione factum esse dicendum est, vt Mariæ virginitas hominum cordibus, firmius inhæreret, & ab omnibus etiam certior, ac verior haberetur.

***

MATER DEI DICIT Sponsæ, quod Hieronymus non dubitauit de Assumptione sui corporis in cęlum, sed quia Deus non reuelauit aperte veritatem, ideo maluit pie dubitare, quam deffinire non ostensa, & ideo scripsit in epistola sua se nescire, & addit hic Virgo aliqua de laude Hieronymi.

CAP. LX.

1 MATER loquitur ad sponsam. 1. Quid tibi dixit magister ille ventilator verborum, quod epistola Hieronymi mei, quę loquitur de Assumptione mea, non esset legenda in Ecclesia Dei, quia videtur sibi in legenda illa, quod Hieronymus dubitauit de Assumptione mea, eo quod dixit se nescire, vtrũ sim Assumpta in corpore, vel non, vel a quibus personis asportata. Ideo ego Mater Dei respondeo magistro, quod Hieronymus nõ dubitauit de Assumptione mea, sed quia Deus non reuelauit aperte huiusmodi veritatem. Ideo Hieronymus maluit pie dubitare, quam deffinire non ostensa a Deo. Sed recordare filia, quod dixi tibi prius, quod Hieronymus erat amator viduarum. Imitator monachorum perfectorum, & assertor, & defensor veritatis. Qui, & promeruit tibi orationem illam qua me salutabas. Ideo nunc addo, quod Hieronymus fuit tuba ductilis per quam loquebatur Spiritus sanctus. Necnon & flamma inflammata de illo igne, qui venit super me, & super Apostolos in die Pentecostes. Ideo fœlices, qui hanc tubam audiunt, & sequuntur.

NOTAE.

1 QVid tibi dixit magister ille ventilator verborum, quod epistola Hieronymi mei, quæ loquitur de Assumptione mea non esset legenda in Ecclesia Dei.

Com-

Commendat hoc loco Beatissima Virgo D. Hieronymi modestiam, ac pietatem, eumq; a detractore defendit, probans de Mariæ Assumptione illum minime dubitasse, sed hac de re sic fuisse locutum, ac si dubitasset, quoniam cum certis de causis hoc Deus propalare antea distulisset, de quibus supra egimus hoc eodem lib. cap. 55. nota prima, ipse quoq; Hieronymus illud temere noluit affirmare, quod Deus, sacræq; litteræ non prodierunt, & ideo circa medium præsentis capitis legimus (Hieronymus non dubitauit de assūptione mea, sed quia Deus non reuelauit aperte huiusmodi veritatem, ideo Hieronymus maluit pie dubitare, quam temere deffinire non ostensa a Deo) cæterum sunt qui hunc sermonem tribuant Sophronio, alij vero alijs, communiter tamen censetur esse Hieronymi, verba autem sunt hæc, monstratur inquit sepulchrum eius cernentibus nobis, vsque ad præsens in Vallis Iosaphat medio, quæ Vallis est inter montem Syon, & montem Oliueti posita, vbi in eius honore fabricata est Ecclesia miro tabulatu lapideo, in quo sepulta fuisse ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum cernentibus ostenditur, hoc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, vtrum assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit relicto corpore, quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis Sanctissimum corpus eius inde ablatum fuerit, vel vbi transpositum, vtrumue surrexerit nescitur, quāuis nonnulli astruere velint, eam esse iam resuscitatam, & Beata cum Christo immortalitate in Cœlestibus vestiri, veruntamen quid horum verius censeatur ambigimus, melius tamen Deo, cui nihil impossibile est committimus, quam aliquid temere deffinire velimus auctoritate nostra, quod probamus. Hactenus D. Hieron. quod autem Beatissima Virgo fuerit ad Cœlum assumpta anima, & corpore probauimus supra multorum Patrum auctoritate libro 1. Reuelat. ca. 8. nota prima.

MATER DEI DICIT sponsæ, quod post Ascensionem filij, longeue ipsa vixit in mundo cum multo dolore visitando loca vbi ipse passus fuerat, & mirabilia ostenderat, & hoc permisit Deus, vt exemplo vitæ, & virtutum eius multi conuerterentur, apostoli roborarentur, & corona eius augeretur, & ostendit causam quare assumptio eius tūc non multis cognita fuit.

CAP. LXI.

MATER loquitur. Recordare filia mea, quod olim elapsis aliquibus annis, excusaui Hieronymū de assūptione mea. Nūc autē veritatem huius assumptionis indicabo tibi.
1 1 Ego quippe post ascensionem filij mei longo tempore vixi in mundo, & hoc voluit Deus, vt visa patientia mea, & moribus meis, plures animæ conuerterentur ad eum, Apostoli Dei, & alij electi roborarentur. Et etiam naturalis dispositio corporis mei hoc exigebat, quod diutius viuerem, vt corona mea augeretur.
2 2 Nam omni tempore, quod post ascensionem filij mei vixi, visitaui loca, in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit. Sicquoque passio sua in corde mea fixa erat, quod siue comedebam, siue laborabam, quasi recens erat in memoria mea. Sic etiam sensus mei abstracti erant a mundialibus, quod iugiter quasi nouis desiderijs inflammabar, vicissimq; doloribus excitabar. Veruntamen sic dolorem temperabam, & gaudium meum, quod nihil omittebam de his quæ erant Dei. Sic quoque inter homines conuersabar, quod nihil præter victum tenuem de his, quæ delectabilia hominum erant attendebam, immo nec sumebam. Quia vero assumptio mea non multis cognita fuit, nec prædicata a pluribus, hoc voluit Deus, qui est Filius meus, vt prius infigeretur cordibus hominum credulitas ascensionis suæ, quia corda hominum difficilia, & dura erant ad credendum ascensionem eius, quanto magis si prædicata fuisset statim in initio fidei assumptio mea.

NOTAE.

1 **E**Go quippe post Ascensionem filij mei longo tempore vixi in mundo.

Inter tot grauissimorũ hominum opiniones, quæ hac de re circumferuntur, difficile sane est aliquid certi pronunciare: sunt qui existimant Mariam post sui filij Ascensionem, vixisse annum tantummodo vnum, & menses ferè quinque, huius sententiæ fundamentum quibusdam reuelationibus innititur, vt refert Canisius libro quinto de B. Virg. cap. 1. non longe ab initio, quam sententiam inter cæteras improbabilissimam esse tradit Franciscus Suarez in comment. super 3. par. Sancti Thomæ q. 37. artic. 4. disput. 21. sect. prima, vbi eas reuelationes Apocriphas esse censet, patet etiam huius sententiæ falsitas ex verbis præsentis notæ cum dicitur, ego post Ascensionem filij mei longo tempore vixi. Propterea alij arbitrati sunt, Mariã post Passionem Christi annos nouem in humanis degisse, sic habent Euodius apud Nicephorum libro secundo Histor. cap. 3. & Hippolitus Tebanus apud Epiphanium a Canisio vbi supra citatus, & refert Turrianus libro tertio pro Epistolis Pontificũs cap. 16. hi omnes existimarunt Mariam post Christi Ascensionem annos nouem superuixisse, ac in totum in terris vixisse annos 59. Postremò Cedrenus in Compendio Hist. in Tiberio putat Beatissimam Virginem post Ascensionem fuisse superstitẽ annos 24. vixisse tamen in totum annos 72. idem insinuat Andræas Cretensis serm. de dormit. Deiparæ, Verba autem Cedreni sunt hæc, tradidit Sanctam animam Domino, ac filio, & Deo suo annos nata 72. vixit ergo 24. Annos post Christi ad Cælos Ascensum. Cæterum quid inter tot virorum Doctorum opiniones sentiendum sit non audeo desfinire, hoc enim capite solum scribitur Mariam post Ascensionem filij sui longo tempore vixisse, libro tamen septimo cap. 26. legimus superfuisse post Ascensionem annos quindecim; & tanto tempore plus, quantum est a Festo Ascensionis, vsque ad Assumptionem eiusdem, & sanè si vera est sententia asserentium Beatissimam Virginem obijsse annum agentẽ sexagesimum tertium, illud etiã, quod scribitur hic, nimirũ superuixisse post Christum quindecim annos verissimum erit, quod sic probari potest, nam cum Maria Christum Dominum peperit, erat quindecim annorum, vt communiter creditur, & probat Tostatus quæst. 91. in secundum cap. Matth. cumque deinceps cum filio suo triginta tres peregisset, quindecim vero post Ascensionem superuixisset, hi omnes simul collecti, sunt sexaginta tres, in qua ætate suam Mariam finiuisse vitam communiter homines sentiunt, & hanc esse vulgi opinionem refert Turrianus vbi supra, eamq; fundari in quadam traditione asserit Cardinalis Baronius Tom. primo Annalium Anno Christi 48. Verum quicquid hac de re sit, superest videamus quare Christus permiserit, eam tamdiu in mundo viuere post ipsius Ascensionem, & quidem hoc loco aliquot afferuntur causæ, quarum potissima est, vt optimo vitæ suæ exemplo malis, impijsq; viris esset norma viuendi, pijs vero, probisq; regula, ac stimulus recte operandi, vtq; etiam tribulatis, afflictisq; consolationes afferret, ægris sanitatem, infirmis fortitudinem, mæstis lætitiam ignaris scientiam, ipsisque Apostolis Dux, & Magistra esset, hinc eruditus auctor Rupertus libro 1. in Cant. de Maria verba faciens, quia inquit Spiritus sanctus illos docuit, idcircò vocis magisterio non illis opus fuit; immo vox tua vox illis fuit Spiritus sancti, quicquid supplementi opus erat, eisdem mortalibus, vel testimonijs ad confirmandos singulorum sensus, quos perceperant ab eodem Spiritu diuidente singulis prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt, instructio ad loquendum, bene composito ad tacendum. Idem habet Hom. 4. super missus est D. Bernard. & D. Anselm. de excellentia Virg. cap. quarto, Andræas Cretensis de dormit. Deiparæ, & Eusebius Emissenus in Euang. de Festo Assumpt. vbi asserit Mariam Matrem omnia in suo corde verba contulisse, nobisq; conseruasse, vt tandem ipsa docente, & narrante, atque nunciante, vt scriberentur, ac vniuerso mundo prædicarentur, & subiungit mox ab ipsa enim hæc Apostoli, audierunt & ipsa dictante scripserunt, verum quare voluerit Deus Mariam tamdiu post filij Ascensionem esse superstitem, constat etiam ex sermon. de Virginis excellentia cap. 19 vbi sic scribitur, ascendente vero suo benedicto filio ad suum regnum gloriosum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consortationem, & errantium correptionẽ. remanere permissa est, erat enim Magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum, doctrix confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum, in coniugio viuentium saluberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix.

2 Nam omni tempore, quo post Ascensionem filii mei vixi, visitaui loca in quibus ipse passus est.

Mariam Virginem quamdiu vixit in mundo, post Christi Domini in Cælos Ascensionem loca Sancta frequenter visitasse scribitur hic, quæ tamen in specie visitare consueuerit, non legimus: pie tamen credendum est, ea visitasse, in quibus filius suus passus est, vt inde ad Sacrarum rerum meditationem, ac contemplationem animũ suum excitaret, ibique varios pietatis, & charitatis erga

erga filium affectus, actusque eliceret, & ideo crediderim eā ad Caluarium Montem frequenter iuisse; vbi Dominus fuerat Crucifixus, sæpe etiā ad sacrum sepulchrum, vbi tribus diebus mortuus iacuerat, sæpissime etiam ad Montem Oliueti, vnde Christus in Cælum ascenderat, vt ibi impressa sacrorum vestigia pedum, deoscularetur, Mariam autem huiusmodi loca Sacra visitare consueuisse tradunt Sophronius in serm. de Assump. Beatæ Mariæ, & alios plures quos citat Canisius de B. Virg. lib. quinto cap. 1.

REGINA COELI NARRAT sponsæ qualiter Angelus annunciauit ei tempus, quo ipsa debebat migrare de hoc sæculo, & corporaliter ascendere in cœlum, dicit etiam virgo modum migrationis suæ, & meditationem in qua eius anima cogitabat tempore obitus sui, & aliqua magnalia quæ contingebant, tunc & quando assumpta fuit corporaliter ad cœlestia.

CAP. LXII.

MATER loquitur. Cum quadam die lapsis aliquibus annis post ascensionē mei filij, multum anxiarer de desiderio perueniē di ad eundem filium meū.
1 1 Vidi Angelum fulgentem sicut antea videram, qui dixit mihi: Filius tuus, qui est Deus, & Dominus noster misit me nunciare tibi, quod tempus iam est, quo corporaliter venies ad eum, ad recipiendam coronam tibi præparatam. Cui ego respondi. Nunquid nosti diem, aut horam, qua migratura sum ex hoc mūdo?
2 Et respondit Angelus. 2 Venient inquit amici filij tui, qui sepelient corpus tuum. Quo dicto disparuit Angelus, & ego paraui me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus filius meus passus fuerat. Cumque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis. Tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta. Sed quæ, & quam magnifica tunc vidit anima mea, & quali honore eam honorauit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & a quali multitudine Angelorum eleuata fuit, nec tu capere posses, nec ego tibi dicere volo, antequam anima, & corpus tuum separabuntur, licet aliqua de his omnibus ostendi tibi in illa oratione quotidiana, quam tibi filius meus inspirauit. *Hi* vero, qui tunc mecum erant in domo, quando tradidi spiritum, bene nouerunt ex insolito lumine qualia diuina tunc mecum agebantur. Posthæc autem amici filii mei diuinitus missi, sepelierunt corpus meum in Valle Iosaphat. Cum quibus fuerunt Angeli infiniti, quasi athomi solis. Maligni vero spiritus non audebant appropinquare.
3 3 Quindecim vero diebus corpus meum iacuit in terra sepultum. *Deinde* cum multitudine Angelorum fuit assumptum in Cœlum. Et hoc tempus non sine maximo mysterio est, quia in septima hora erit resurrectio corporum, & in octaua complebitur beatitudo animarum, & corporum. Prima quippe hora fuit ab origine mundi, vsq; ad tempus illud, quo per *Moysen* dabatur lex. Secunda a Moyse, vsque ad incarnationem filij mei. Tertia, quando filius meus baptismum instituit, & austeritatem legis mitigauit. Quarta, quando ipse prædicabat verbo, & exemplo confirmabat. Quinta quando filius meus pati voluit, & mori, & quando surrexit a morte, & resurrectionē suam certis argumentis approbabat. Sexta quando ascendit in cœlum, & misit spiritum sanctum. Septima, quando veniet ad iudicium, & omnes cum corporibus suis surgent ad iudicium. Octaua, quando complebuntur omnia quæ promilla, & prophetata sunt, & tunc erit beatitudo perfecta tunc videbitur *Deus* in gloria sua, & sancti fulgebunt sicut sol, & non erit amplius dolor.

NOTAE.

1 VIdi Angelum fulgentem sicut antea videram.

Hunc Angelum Mariæ mortem nunciantem Gabrielem fuisse probabiliter credendum est, primo quia videtur colligi hoc posse ex verbis huius notæ, cum scribitur vidi Angelum fulgentem sicut antea videram, testatur ergo Beatissima Virgo pluries se eundem vidisse, atq; hunc Gabrielem opinor fuisse a Deo deputatum, vt ad Virginem diuina mandata perferret, & ipse fuit, qui Christi Domini Incarnationem Mariæ nunciauerat, & secundum D. Bernard. super missus est, hic Angelus assignatus fuit rebus Christi tractandis, & ideo De-

Danieli nunciasse Messiam eo tempore venturum, & in nouo testamento Ioannis Baptistæ prædixisse Natiuitatem Zachariæ, terq; Iosepho apparuisse, & Christo agonizanti etiam occurrisse, non ergo mirum si dicamus hunc eundem Mariæ mortem nunciasse, Cæterum Beatissimam Virginem de morte certiorem ab Angelo factam fuisse, vt legimus hic tradunt Nicephorus Ecclesiasticæ Hist. lib. 2. cap. 21. vbi etiam asserit illi, tunc temporis Ramum dedisse Oliuæ Metaphrastes in Orat. de vita, & morte Virg. Canisius de B Virg. lib. quinto cap. 2. & 3.

2 Venient inquit amici filii tui.

Hoc loco idem Angelus prædicit Apostolos Mariæ morienti affuturos, eiusq; funeri operam daturos fuisse, id quæ factum esse testatur Dionisius Areopagita de diuinis nominibus ca. 3. Metaphrast. Oratione de vita, & morte Virg. Andræas Cretensis de dormit & Assumpt. Virg. Epiphanius de vita, & educat Mariæ, Iuuenalis apud Nicephorum lib. 2. Ecclesiasticæ Hist. cap. 21. 22. & 23. quibus locis Mariæ transitum late describit, addūt etiam Athanasius de Sanctissima Deipara, Bernardus serm. 1. de Assump. D. Anselm. de Excellent. Virg. cap. 8. & Nicephorus li. 2. Ecclesiast. hist. cap. 22 ipsum Christum descendisse, vt morienti matri adesset, libet autem hic ex Damasceno totam hanc B. Virg transitus historiam narrare, sic enim de dormitione Deiparæ sub finem habet: Ex antiqua accepimus traditione, quod tēpore gloriosæ eius dormitionis, vniuersi quidem Sācti Apostoli, qui per orbem Terræ ad salutem gentium percurrebant, momento temporis in sublime elati conuenerunt Hyerosolimis, cumq; illuc essent, eis visio extitit Angelica & audita est diuina Hymnodia cœlestium potestatū, & sic cum diuina gloria, & super cœlesti in manus Dei sanctā tradidit animam, eius autem corpus, quod Deum suscepit ineffabili quadā ratione, cum Angelica, & Apostolica Hymnodia, elatum, in loculo fuit depositum Gethsemani, quo in loco Angelorum chorea, & Hymnodia mānsit tres dies perpetuos. Hæc Damasc. sed hac de re agitur etiam infra lib. 7. cap. 26. & nos ibi nota tertia.

3 Quindecim vero diebus corpus meum iacuit in terra sepultum.

De tempore, quo Mariæ Virg. corpus post obitum in sepulchro iacuit, egimus infra lib. 7. reuel. cap. 26. nu. 2. vbi diximus hic fortasse legendum esse aliquantis diebus, non quindecim, vt legitur in serm. Angelico de Virg. excellentia cap. 21. positus in fine huius operis, ex quo colligi potest, quod locus corruptus sit, & vitio impressorum, vel interpretis deprauatus, sed hac de re ibi plura annotauimus, quæ ad horum intelligentiam facere possunt.

CHRISTVS DAT SPONSAE verba hic contenta, & præcipit illa mittere Papæ Clementi, scilicet, quod faceret pacem inter Reges Franciæ, & Angliæ, & quod veniret in Italiam, & annunciaret annum Iubilæum. Reprehenditq; illum Christus de certis peccatis, & negligentiis grauibus, & de vita præterita inordinata, & comminatur ei cum iustitia nisi se correxerit.

CAP. LXIII.

1 Filius loquitur ad sponsā. 1 Scribe ex parte mea Papæ Clementi hæc verba. Ego exaltaui te, & ascendere te feci super oēs gradus honoris. Surge igitur ad faciendum pacem inter Reges Franciæ, & Angliæ, qui sunt periculosæ bestiæ animarum proditores. Veni deinde in Italiam, & predica ibi verbum, & annum salutis, & dilectionis diuinæ, & vide plateas stratas sanctorum meorum sanguine, & dabo tibi mercedem illam quæ non finietur. Attende etiam ad tempora priora, in quibus audacter ad iram prouocasti me, & silui. In quibus fecisti quæ voluisti, & non debuisti, & ego quasi non iudicans patiens fui, quia tempus meum nunc appropinquat, & exquiram a te negligentiam, & audaciam temporis tui. Et sicut per omnes gradus ascendere te feci, sic descendes spiritualiter per alios gradus, quos experieris veraciter in anima, & corpore, nisi obedieris verbis meis, & silebit lingua tua magniloquia, & nomen tuum quod vocasti in terris, in obliuione, & opprobrio erit in conspectu meo, & sanctorum meorum. Exquiram etiam a te, quam indigne, permisſione tamen mea ad omnes gradus ascendisti, quod melius ego Deus scio, quam tua negligens conscientia recordatur. Quæram quoque a te quantum in formatione pacis regum tepuisti, & quantum in aliam partem declinasti. Insuper non erit in obliuione, qualiter cupiditas, & ambitio in Ecclesia tempore tuo floruit, & aucta est, & quod multa reformare, & emendare potuisti. Sed tu amator carnis noluisti, surge igitur antequam nouissima

ſima hora tua appropinquans veniat, & negligentias priorum temporum penultimo tempore zelando extingue. Si autem dubitas cuius ſpiritus verba iſta ſint. Ecce regnum, & perſona nota ſunt, in quibus ſtupor, & mirabilia facta ſunt. Iuſtitia enim, & miſericordia, de quibus loquor appropinquant vbique terrarum. Conſcientia quoque tua rationabile dicit eſſe illud quod moneo, & charitatiuum eſſe, quod ſuadeo, & niſi patientia mea ſeruaſſet te, iam profundius vltra alios prædeceſſores tuos deſcendiſſes. Ergo inquire in libro conſcientiæ tuæ, & vide ſi veritatem loquor.

NOTAE:

1 SCribe hæc ex parte mea Papæ Clementi.

Hunc Pontificem, cuius in præſenti capite mentio fit, arbitror fuiſſe Clementem Sextum, ad quem præcepit Chriſtus Dominus D. Brigittæ, vt ſcriberet, eumque hortaretur, vt inter duos Reges Angliæ ſcilicet, & Franciæ pacem componere ſtuderet, quod ſæpe tentaſſe Clementem, refert Platina in vita ipſius, hic autem fuit Pontifex renunciatus, Anno Domini 1352. quo tempore B. Brigitta ſanctitate florebat, ſed hac de re vide ſupra lib. 4. Reuelat. cap. 105. nota prima.

CHRISTVS COMMINATVR hic grauiter quibuſdam, qui oblitis ſuis peccatis præteritis, & via Dei, viuebant in ſecuritate iocunde, dicit tamen, quod ſi emendauerint ſe inuenient in eo miſericordiam.

CAP. LXIIII.

FIlius Dei loquitur. Non attendas ad ribaldos iſtos corizantes, quia veniam eis ſtatim non ſicut amicus, ſed ſicut qui vltionem capiam ex eis. Veh eis, quia tempore pacis ſuæ noluerunt quærere æternum bonum. Dico tibi, quod ſurrexerunt homines generationis illius de radice amaritudinis, & congregauerunt fructus vanitatis, & cupiditatis ſuæ. Ideo nunc deſcendent, & conſurget eis paupertas, & captiuitas, & pudor, & humiliatio, & dolor. Veruntamen qui ſe humiliauerint, inuenient gratiam in oculis meis.

CHRISTVS DAT HIC SPONSAE notabilem doctrinam ad tenendum vitam actiuam, & contemplatiuam, quæ per Martham, & Mariam hic notabiliter deſignantur, id eſt qualiter incipiat, & proficiat homo in vita ſpirituali, & virtutibus, vt aſcendat ad ſummum gradum perfecti amoris Dei, & proximi. Et primo loquitur de actibus illorum, qui ſequuntur vitam Mariæ.

CAP. LXV.

FIlius Dei loquitur. Duæ ſunt vitæ, quæ aſſimilantur *Marthæ*, & *Mariæ*, quas qui imitari voluerit, faciat primo puram cõfeſſionem de omnibus peccatis ſuis aſſumẽdo veram cõtritionem pro eis, & habendo voluntatem amplius peccata non faciendi. Prima igitur vita quam teſtante me *Domino Maria* elegit, ducit ad contemplationem cœleſtium, hæc enim eſt optima pars, & dieta ſalutis æternæ. Omnis ergo ille, qui vitam *Mariæ* tenere debuerat, ſufficit ei ſolummodo habere neceſſaria corporis, ſcilicet veſtes ſine oſtentatione. Cibum, & potum in parcitate, & non in ſuperfluitate. Caſtitatem ſine vlla delectatione praua, ieiunia rationabilia iuxta *Eccleſiæ* conſtitutionem. Qui vero ieiunat attendat, vt non infirmetur ex irrationabili ieiunio, ne ex illa infirmitate orationes, & prædicationes diminuat, ſeu alia bona ex hoc omittat, quibus proximo, & ſibijpſi prodeſſe poſſet. Diligenter quoque examinet, ne tepidus fiat ex ieiunio ad iuſtitiæ rigorem, vel remiſſus ad opera pietatis, quia ad puniendos rebelles, & ad ſubijciendos iugo fidei infideles opus eſt fortitudine, tam corporali, quam ſpirituali. Ideo omnis infirmus, qui magis in honore Dei ieiunare vellet, quam comedere, eque magnam mercedem habebit

bit propter voluntatem bonam, sicut ille qui ieiunat rationabiliter ex charitate. Similiter, qui propter obedientiam sanctam comedit, volens magis ieiunare, quã comedere eandem habebit mercedem sicut qui ieiunat. Secundo, Maria non debet gaudere de mundi honore, & eius prosperitate, nec dolere ex eius aduersitate. Sed in hoc gaudeat, quod scilicet impij fiunt deuoti, quod mundi amatores fiunt dilectores Dei, quod boni proficiunt in bono, & decertando in seruitio fiunt deuotiores. Ex hoc etiam doleat, qui est Maria, quod peccatores cadunt in deterius, quod Deus a creatura sua non diligitur, quod mandata Dei contemnuntur. Tertio, Maria non debet esse ociosa, sicut nec Martha, sed peracto somno suo necessario surgat, & regratietur Deo ex cordis attentione. Quia omnia ex bonitate sua creauit, & ex charitate sua assumendo carnem omnia recreauit, ostendens per passionem, & mortem suam dilectionem suam ad hominem, qua maior esse non posset. Regratietur etiam Maria Deo pro omnibus, qui iã saluati sunt, & pro omnibus qui sunt in purgatorio, & pro his, qui in mundo sunt, rogando humiliter Deum, vt vltra vires non permittat eos tentari. Maria quoq; sit discreta in oratione, & laudibus Dei ordinata. Nam si habet necessaria vitæ sine sollicitudine debet facere orationes prolixiores. Si vero in orando attediatur, & accrescunt tentationes, potest quidem laborare manibus aliquid honestum opus, & vtile, vel ad vtilitatem propriam si indiget, aut ad commodum aliorum. Si vero attediatur in vtroque scilicet in oratione, & labore. Tunc quidem potest habere aliquam occupationem honestam vel verba audire ædificatoria cum omni grauitate, omni scurrilitate remouendo, vt corpus, & anima habiliora ad opus Dei efficiantur. Si vero Maria est talis, quod non habet sustentationem corporis, nisi ex labore suo, tunc faciat orationem breuiorem propter opus necessarium, & ipse labor perfectio erit, & augmentum orationis. Si autem Maria laborare non scit, aut non potest, tunc non vereccundetur, nec sit ei onerosum mendicare, imuno magis gaudiosum, quia tunc imitatur me filium Dei, qui vt homo ditaretur meipsum pauperem feci. Si vero Maria subiecta est obedientiæ viuat secundum obedientiã prælati sui, & duplicabitur corona eius magis quam si esset in libertate. Quarto Maria non debet esse auara, sicut nec Martha, immo nec largissima. Nam sicut Martha tribuit temporalia propter Deum, sic Maria debet distribuere spiritualiã sua. Si enim Maria habet Deum in corde suo charum, caueat a verbo illo, quod multi habent in ore dicentes. Sufficit mihi si iuuare potero animam meam propriam, quid mihi de operibus proximorum, aut si ego bonus sum quid ad me, quomodo alij viuant. O filia, illi qui talia dicunt, & cogitant, si viderent amicum suum dehonestari, & tribulari currerent vsque ad mortem, vt amicus de tribulatione eriperetur. Sic Maria faciat. Dolere enim debet, quod Deus suus offenditur, quod frater suus, qui est proximus suus scandalizatur. Aut si aliquis incurrit peccatum. Conetur Maria inquantum potest, vt ille a peccato eripiatur. Attamen cum discretione. Et si propter hoc Maria persequatur, quærat alium locum tutiorem, quia ego ipse Deus dixi. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Sic, & Paulus fecit, quia alio tempore necessarior erat, & ideo dimissus est per murum in sporta. Ergo, vt Maria larga sit, & pia, necessaria sunt ei quinque. Primo, domus in qua dormiant hospites. Secundo, vestes ad vestiendum nudos. Tertio, cibus ad cibandum esurientes. Quarto ignis ad calefaciendum frigidos. Quinto medicina pro infirmis, id est verba consolatoria cum charitate Dei. domus igitur Mariæ est cor eius, cuius mali hospites sunt omnia illa aduenientia, quæ conturbant cor eius, scilicet ira, tristitia, cupiditas, superbia, & multa similia, quæ per quinque sensus ingrediuntur. Omnia igitur ista vicia quando adueniunt, debent quasi facere sicut illi hospites, qui dormiunt, & sicut illi, qui sunt in requie. Quia sicut hospitalarius recipit malos, & bonos hospites cum patientia, sic Maria debet omnia tolerare propter Deum ex virtute patientiæ, & nec in minimo consentire vitijs, nec in eis delectari, sed a corde inquantum potest paulatim gratia Dei cooperante illa remouere. Si autem remouere non potest, toleret illa patienter contra voluntatem tanquam hostes, sciens certissime, quod ei proficiunt ad maiorem coronam, & nequaquam ad damnationem. Secundo, Maria habeat vestes, quibus cooperiantur hospites, scilicet humilitatem interiorem, & exteriorem, & compassionem mentis in afflictione proximorum. Si vero Maria despiciatur ab hominibus, recurrat statim ad mentem suam, cogitando quomodo ego Deus contentus, & despectus patienter tolerabam, quomodo indicatus obmutui, quomodo flagellatus, & coronatus spinis non murmurabam.

Ar-

Attendat etiam Maria, quod non ostendat obiurgantibus se signa iræ, vel impatientiæ, sed benedicat persequentibus se, vt videntes benedicant Deum, quem imitatur Maria, & ipse Deus dabit benedictionem pro maledictione. Maria etiam caueat, vt non detrahat, vel improperet molestantibus se, quia damnabile est, & detrahere, & detrahentem audire, & ex impatientia proximo exprobrare, propterea vt Maria bonum humilitatis, & patientiæ perfectæ possideat. studeat incantare, seu auisando admonere, detrahentes alijs de periculo eorum, & admoneat eos cum charitate verbo, & exemplo ad veram humilitatem. Item vestis Mariæ debet esse compassio, si enim viderit peccare proximum suum compatiatur ei, rogando Deum, vt ei misereatur. Si vero viderit eum pati iniuriam, si damna, vel contumeliam condoleat ei, & iuuet eum precibus, & auxilio, & sollicitudine sua, etiam apud potentes sæculi, quia vera compassio non quærit, quæ sua sunt, sed quæ proximorum. Si vero Maria talis est, quod non exauditur apud principes nec proficit egressus eius de cella, tunc roget Deum obnixius pro afflictis, & Deus, qui inspector est cordis propter charitatem rogantis, conuertet corda hominum ad pacem afflicti, & aut liberabitur a tribulatione sua, aut dabitur ei a Deo patientia, vt duplicetur corona sua. Ergo talis vestis, scilicet humilitas, & compassio, debet inesse cordi Mariæ, quia nihil ita attrahit in animam Deum, sicut humilitas, & compassio proximorum. Tertio, habeat Maria cibum, & potum pro hospitibus, nã graues hospites hospitantur cor Mariæ, quando scilicet cor rapitur extra, & appetit delectabilia, videre terrena, possidere temporalia, quando auris desiderat audire proprium honorem, quando caro quærit delectari in carnalibus, quando spiritus prætendit excusationem fragilitatis, & leuigationem culpæ, quando accedit tedium boni, & obliuio futurorum, quando opera bona reputantur multa, & mala sunt in obliuione. Contra tales ergo hospites opus est Mariæ consilio, & nequaquam dissimulando dormitare, ergo Maria fide animata surgat fortiter, & taliter respondeat hospitibus istis. Ego inquiens nolo aliquid possidere de temporalibus, sed habere volo exiguam corporis mei sustentationem. Ego nec minimum punctum horarum, & temporum expendere volo in honorem Dei, sed nec attendere volo pulchrum, & vile, nec vtile carnis, & inutile, nec sapidum gustui meo, aut insipidum, nisi ad beneplacitum Dei, & animæ vtilitatem, quia nec delector viuere per vnam horam nisi ad honorem Dei. Talis igitur voluntas est cibus hospitum aduenientium, & talis responsio extinguit delectamenta inordinata. Quarto, Maria habeat ignem ad calefaciendum hospites, & ad illuminandum eos. Iste itaque ignis calor est Spiritus sancti. Impossibile quippe est aliquem posse abnegare propriã voluntatem, vel carnalem affectum parentum, seu amorem diuitiarum, nisi Spiritus Sancti operante instinctu, & calore. Sed nec ipsa Maria quantumcunque perfecta, inchoare, vel continuare valet vitam beatam sine ipsius Spiritus sancti dilectione, & informatione. Vt ergo Maria luceat hospitibus aduenientibus. Primo, cogitet taliter. Deus inquiens ea ratione me creauit, vt scilicet ipsum super omnia honorarem, & honorando diligerem, & timerem. Natus quoque est de Virgine, vt viam ad Cœlum doceret, quam imitando ego sequerer cum humilitate. Deinde morte sua aperuit Cœlum, vt illuc desiderando, & veniendo festinarem. Cogitet etiam Maria, & examinet omnia opera sua, & cogitatus, & affectus, scilicet quomodo offenderit Deum, & quam patienter Deus toleret hominem, & quam multis modis vocat hominem ad se. Tales igitur cogitationes, & similes hospites sunt Mariæ, qui omnes quasi in tenebris sunt, nisi illuminentur igne Spiritus sancti. Qui quidem ignis tunc aduenit in cor, quando Maria cogitat rationabile esse seruire Deo quando magis omnem pœnam vellet sufferre, quam scienter Deum ad iram prouocare. Cuius bonitate anima creata est, & sanguine benedicto redempta. Tunc etiam cor de isto bono igne habet lucem, quando animus cogitat, & discernit, qua intentione quilibet hospes, idest qualibet cogitatio aduenit, quando cor examinat, si cogitatio tendit ad gaudium perpetuum, vel ad transitorium, si nullam cogitationem dimittit indiscussam, nullam impunitam sine timore. Ergo vt ignis iste obtineatur, & obtentus custodiatur, necesse est, vt Maria comportet ligna arida, quibus nutriatur ignis iste, idest diligenter obseruet carnis motus, ne insolescat caro, & apponet omnem diligentiam, vt opera pietatis, & orationes deuote augeantur, quibus Spiritus sanctus delectatur, sed sũmopere sciendum est, & considerandum, quod vbi ignis accensus eum in vase clauso, non habens exitum, citius extinguitur, & vas frigescit. Sic est, & cum Maria, si enim ipsa ad nihil aliud velit viuere, nisi vt possit facere honorem Deo, expedit ei,

vt os eius aperiatur, & flamma charitatis eius egrediatur. Tunc autem aperitur os, quando ex feruenti charitate loquendo filios spirituales Deo generat. Sed diligenter attendat Maria, quod ibi aperiat os prædicationis suæ, vbi boni fiant feruentiores, & mali efficiantur meliores. Vbi iustitia possit augeri, & praua consuetudo aboleri. Nam Paulus Apostolus meus, quandoque loqui voluit, sed per spiritum meum prohibitus est, qui tempore accepto tacuit, & tempore congruo locutus est, qui quandoque leuioribus verbis, quandoque seuerioribus vsus est, qui omnia verba sua, & opera habuit ad Dei gloriam, & fidei confortationem. Si autem *Maria* non valet prædicare, habens nihilominus voluntatem, & scientiam prædicandi, faciat sicut vulpes, qui circumiens monticulos inquirit plura loca pedibus, & vbi reperit loca meliora, & aptiora ibi facit requiei suæ fossam. Sic *Maria* attendet verbis, & exemplis, & orationibus corda multorum, & quando inuenit corda aptiora ad recipiendũ verba Dei ibi immoretur, admonendo, & suadendo quæ potest. *Maria* etiam laboret, vt conueniens exitus detur flammæ suæ, quia quo maior est flamma eo plures illuminantur, & inflammantur. Tunc autem flamma habet exitum conuenientem, quando *Maria* nec formidat vituperium, nec quærit laudem propriam, quando nec timet aduersa, nec delectatur in prosperis, & tunc acceptius est Deo, quod *Maria* faciat opera bona in publico, quam in occulto quatenus videntes glorificent *Deum*. Sciendum autem est, quod *Maria* debet emittere duas flammas, vnam in occulto, & aliam in publico, hoc est duplicem humilitatem habere. Prima sit in corde interius, secunda sit exterius. Prima est, vt *Maria* cogitet se indignam, & inutilem ad omnia bona, & ex nullis se in cogitatione præferat, laudari, & videri non appetat. Arrogantiam fugiat, *Deum* super omnia desiderando, & eius verba imitando. Sic autem *Maria* talem flammam emittit signis operum, tunc illuminabitur cor eius charitate, & omnia contraria aduenientia vincuntur, & faciliter tolerantur. Secunda flamma sit in publico. Si enim vera humilitas est in corde apparere etiam debet in veste, & audiri ab ore, & perfici operatione. Tunc autem vera humilitas est in veste, quando magis eligit *Maria* vestem minoris valoris ex qua habet calorem, & vilitatem, quam vestem maioris valoris ex qua habebit superbiam, & ostentationem. Nam vestis quæ valet modicum, & uocatur apud homines uilis & abiecta. Vere pulchra est apud Deum, quia prouocat humilitatem. Vestis vero, quæ multo pretio emitur, & vocatur pulchra, deformis est apud Deum, quia aufert pulchritudinem Angelorum, idest humilitatem. Sed si *Maria* ex aliqua rationabili causa, cogeretur habere habitum modicum meliorem quam ipsa vellet, non propter hoc turbetur, quia ex hoc augetur merces eius. Item *Maria* debet habere humilitatem in ore, scilicet loquendo humilia, vitando scurrilia, cauendo multiloquia, non subtilizando verba non præferendo suam sensibus meliorum. Si vero *Maria* audierit se pro aliquo bono opere laudari non eleuetur, sed respondeat sic. Laus sit *Deo*, qui dedit omnia. Quid enim ego sum nisi puluis ante faciem venti, aut quid boni a me, qui sum sicut terra sine aqua. Si vero vituperatur non contristetur, sed respondeat sic. Dignum est, quia toties in conspectu Dei peccaui, & non penitui, maioribus enim afflictionibus ego digna sum. Ideo rogate pro me, vt tolerãdo opprobria temporalia, fugiam sempiterna. Si vero Maria prouocetur ad iram ex improbitate proximorum. Caueat diligenter ne soluat linguam respõsionibus indiscretis, quia iram sæpe superbia comitatur. Ideo consilium est, quod adueniente ira, & superbia, comprimatur lingua tanto tempore quousque voluntas petere possit auxilium a *Deo* patiendi, & deliberare quid, vel qualiter respondendum sit, vt vincere possit seipsum, quia ira tunc mitigatur in corde, & homo valet sapienter insipientibus respondere. Scito etiam, quod diabolus multum inuidet *Mariæ*, qui si eam impedire non potest per transgressionem mandatorum *Dei*, tunc excitat eam ad facilitatem magnæ iræ, aut ad dissolutionem vanæ lætitiæ, aut ad verba dissoluta, & iocosa. Ideo *Maria* semper petat auxilium a *Deo*, vt omnis eius locutio, & operatio ab eo regantur, & ad eum dirigantur. Item *Maria* habeat humilitatem in opere, vt nihil faciat causa terrenæ laudis, nihil attentet noui. Nihil humilitatis erubescat in opere, fugiat singularitatem, omnibus deferat, in omnibus reputet se indignam. Item *Maria* magis eligat sedere cum pauperibus, quam sedere cum diuitibus, magis obedire, quam præesse, magis silere, quam loqui, magis esse solitaria, quam cum potentibus, & parentibus conuersari. *Maria* quoque odiat propriam voluntatem. *Mortem* suam semper meditetur. Non sit curiosa, non murmuratrix, nec obliuiosa iustitiarum *Dei*, & affectionum suarum.

rum. Maria quoque frequens sit ad confessiones. Sollicita in tentationibus suis. Desiderans ad nihil aliud viuere, nisi vt honor Dei, & salus animarum augeatur. Igitur Maria, quæ taliter sicut jam est dictum affecta est, si eligatur in Martham, & obediens ex charitate Dei suscepit regere animas multorum, dabitur ei duplex corona, sicut per similitudinem ostendo tibi. Dominus quidam erat potens, habens nauem oneratam mercimonijs preciosis, qui dixit famulis suis. Ite ad portum talem, & ibi erit mihi lucrum magnum, & fructus gloriosus. Si insurgunt venti, laborate viriliter, & non attediamini, quia merces vestra erit magna. Igitur famulis nauigantibus præualuit ventus intumuerunt procellæ, & nauis quassata est grauiter. Tunc autem gubernator nauis tepuit, & omnes desperabant de vita, & condixerunt venire ad vnum portum quo flauit eos ventus, & non ad illum portum, quem eis dominus designauerat, quod audiens vnum famulorum fidelior, & ingemiscens ex zelo amoris Domini feruens, arripuit violenter gubernaculum nauis, & viribus perduxit nauem ad portum quem Dominus volebat. Igitur homo iste, qui sic viriliter nauem perduxit ad portum maiori mercede præ alijs est remunerandus. Simile ergo est de prælato bono, qui propter amorem Dei, & pro salute animarum suscipit onus regiminis, non curans de honore, quia duplicem mercedem habebit. Primo, quod particeps erit omnium bonorum eorum, quotquot perduxit ad portum. Secundo, quod gloria eius augebitur sine fine. Sic erit è contra de illis, qui ambiunt honores, & prælationes, erunt quippe participes omnium pœnarum, & peccatorum eorum, quos susceperunt regere. Secundo, quod confusio eorum erit sine fine. Nam Prælati, qui ambiunt honores similiores sunt meretricibus, quam prælatis, quia decipiunt animas malis exemplis suis, & verbis, & indigni sunt vocari Maria, vel Martha, nisi se pęnitentia emendent. Quinto Maria debet dare medicinam hospitibus suis, id est eos lætificare verbis bonis, quia ad omnia quæ euenire possunt, siue sint læta, siue tristia dicere debet. Ego inquiens volo, quicquid me Deus velit velle, & eius voluntati parata sum obedire, etiam si irem in infernum. Nam talis voluntas est medicina contra aduenientia cordi. Et hæc voluntas est delectatio in tribulatione, & temperamentum bonum in prosperitate. Sed quia Maria multos habet inimicos, ideo continuo faciat confessionem. Nam quamdiu scienter moratur in peccato, habens copiam confitendi, & negligit, vel non attendit, tunc magis apostata dicenda est coram Deo, quam Maria. Item de actibus vitæ Marthæ. Scito etiam, quod licet pars Mariæ optima sit, non tamen ideo pars Marthæ mala est, immo laudabilis, & beneplacens Deo. Ideo dicam tibi, nunc quomodo Martha institui debet. Ipsa quippe debet habere sicut & Maria etiam quinque bona. Primo fidē rectam Ecclesiæ Dei. Secundo scire præcepta deitatis, & consilia Euangelicæ veritatis, & illa debet perficere corde, & operatione. Tertio cohibere linguam ab omni verbo malo, quod est contra Deum, & proximum, & manum ab omni inhonesta, & illicita operatione, & animum debet continere a nimia cupiditate, & delectatione. Scire quoque contentari de concessis, & superflua non desiderare. Quarto perficere opera misericordiæ rationabiliter, & humiliter, vt propter confidentiam illorum operum in nullo offendat Deum. Quinto diligere Deum super omnia, & plus quam seipsum sic fecit Martha. Nam ipsa gaudenter dedit seipsam mihi sequendo verba, & opera mea, & postea dedit omnia bona sua pro amore meo. Et ideo fastidiuit temporalia, & quærebat cęlestia, & ideo patienter omnia sustinuit, & de alijs sicut de seipsa curabat. Ideo semper cogitabat charitatem meam, & passionem meam, & lætabatur in tribulationibus, & sicut mater diligebat vniuersos. Ipsa etiam Martha sequebatur me quotidie nihil desiderans, nisi audire verba vitæ. Ipsa quoque compatiebatur dolentibus, consolabatur infirmos, neminem maledicens, sed dissimulans improbitates proximi, & pro omnibus orans. Omnis ergo, qui charitatem desiderat in vita actiua sequi debet Martham, diligendo proximum, vt obtineat cęlum, sed non fouendo vitia eius, fugiendo laudem propriam, & omnem superbiam, & duplicitatem. Iram etiam, & inuidiam non debet seruare. Sed nota, quod Martha rogans pro fratre suo Lazaro mortuo, prior venit ad me, sed non resuscitabatur statim frater eius, sed venit postea Maria vocata, & tunc propter ambas sorores frater resuscitatur. Sic etiam est in spirituali vita. Nam qui perfecte desiderat esse Maria, debet prius esse Martha, laborando in honore meo corporaliter, & scire debet prius resistere desideriis carnis, & tentationibus diaboli obuiare. Et postea potest cum deliberatione ascendere ad gradum Mariæ. Qui enim non est probatus, & tentatus, & qui non vicerit

motus carnis suæ, quomodo potest iugiter celestibus inhærere? Quid vero est frater mortuus Marthæ, & Mariæ, nisi operatio imperfecta? Nam multoties operatio bona fit indiscreta intentione, & indeliberato animo, & ideo remissæ, & tepide procedit. Sed vt operatio bona sit mihi acceptabilis, resuscitatur, & reuiuiscit per Martham, & Mariam, idest quando proximus sincere diligitur propter Deum, & ad Deum, & solus Deus desideratur super omnia. Et tunc omnis bona operatio hominis beneplacita est Deo. Ideo ego dixi in Euangelio, quod Maria optimam partem elegit. Nam pars Marthæ tunc bona est, quando dolet de peccatis proximorum. Est quoque pars Marthæ tunc melior, quando laborat quomodo homines sapient, & honeste viuant, & subsistant, & hoc facit propter solius Dei dilectionem. Sed pars Mariæ optima est, quando ipsa sola cœlestia, & animarum lucra contemplatur. Tunc quoque Deus domum Marthæ, & Mariæ ingreditur, quando mens repleta bonis affectionibus, & pacata sæcularium tumultibus Deum quasi præsentem semper cogitat, & in eius dilectione non solum meditatur, sed laborat die, ac nocte.

CHRISTVS OSTENDIT sponse, quod anima est vxor Dei, cuius domus est corpus. Quinque vero serui eius per quinque sensus, & quinque ancillæ, per quinque virtutes designantur, dicit etiam Dominus, qualis debet esse bona anima, & qualiter adornata. Ostendit insuper pro quibus peccatis quędam anima vnius defuncti fuit ad purgatorium damnata, & propter preces cuiusdam Sancti dicit, quibus suffragijs poterit a pœnis liberari.

CAP. LXVI.

Filius loquitur. Dominus quidam duxit vxorem, cui ædificauit domum, constituens ei seruos, & pedissequas, & cibaria, & ipse pergere profectus est. Tandem rediens Dominus audiuit vxorem male diffamatam, seruos inobedientes, & pedissequas dehonestatas. Et iratus de hoc tradidit vxorem iudicio, seruos tortoribus, & pedissequas flagellis. Ego Deus sum Dominus ille, qui animam hominis deitatis meæ potentia creatam desponsaui mihi in vxorem desiderans habere cum illa indicibilem dulcedinem deitatis meæ. Despōsaui autem eam in fide, & dilectione, & perseuerantia virtutum huic autem animæ ædificaui domum, quādo ei dedi corpus mortale, in quo probaretur, & in virtutibus exerceretur. Domus vero hæc, idest corpus, quatuor proprietates habet, scilicet nobilitatem, mortalitatem, mutabilitatem, & corruptibilitatem. Nobile ergo est corpus, quia a Deo creatum est, & participatione habet cum omnibus elementis, & resurget in die nouissimo ad æternitatem. Sed ignobile est respectu animæ, quia de terra est, & anima spiritualis: Ergo, quia corpus quandam nobilitatem habet, ideo debet ornari virtutibus, vt possit in die iudicij glorificari. Est etiam corpus mortale, quia de terra est. Ideo oportet, quod forte sit contra delectamenta, quibus si succubuerit amittit Deum. Corpus quoque mutabile est, & ideo stabiliri debet ratione animæ, quia si sequitur motus suos simile est iumentis. Quarto, corpus corruptibile est, & ideo semper sit mundum, quia diabolus desiderat immundiciam, quæ refugit custodiam Angelorum. Habitatrix ergo huius domus, scilicet corporis est anima, in quo quasi in domo tegitur, & viuificat ipsum corpus, sine præsentia enim animæ corpus ipsum horridum est, & fœtidum, & abhominabile ad intuendum. Habet etiam anima quinque seruos, qui deseruiant domui ad solamen. Primus igitur seruus est visus, qui debet esse tanquam bonus speculator, qui discernat inter hostes venientes, & amicos. Tunc autem veniunt hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies, & delectabilia carnis, & ea quæ nociua sunt, & inhonesta. Tunc vero veniunt amici, quando delectat videre passionem meam, & opera amicorum meorum, & ea quæ sunt honoris Dei. Secundus seruus est auditus, qui est quasi bonus ostiarius, qui aperit amicis, & claudit inimicis. Tunc autem aperit amicis, quando delectatur audire verba Dei, & sermones, & opera amicorum Dei. Claudit vero hostibus, quando detractiones, & scurrilia, & inania prohibentur. Tertius seruus est gustus comedendi, & bibendi, hic est quasi bonus medicus, qui cibaria ordinat ad necessitatem, non ad su-

ſuperfluitatem, & delectationem. Nam alimenta ſumenda ſunt quaſi medicamenta. Ideo duo conſideranda in guſtu, ſcilicet, quod cibus, nec multus ſumatur, nec modicus. Si enim multus cibus ſumitur, generat infirmitatem. Si vero minus debito ſumitur facit tedium in ſeruitio Dei. Quartus ſeruus eſt tactus, hic ſit quaſi bonus laborator, laborando manibus iuſte ad ſuſtentandum corpus. Laborando prudenter ad domandum illicita carnis, laborando deſideranter ad conſequendum æternam ſalutem. Quintus ſeruus eſt odoratus delectabilium, hic propter mercedem æternam in multis poteſt abeſſe. Ideo hic ſeruus ſit quaſi bonus diſpenſator, cogitando ſi expedit animæ ſi mœretur, ſi ſine eo ſubſiſtere poteſt corpus. Si vero conſiderat, quod corpus ſine delectabili odoratu in quibuſcunque ſit ſtare poteſt, & viuere, & abſtinet ſe ab eo propter Deum, mœretur a Deo magnam mercedem, quia virtus illa multum eſt placita Deo, quando etiam a licitis animus cohibetur. Cum ergo anima tales habet ſeruos, debet etiam habere pediſſequas quinque compoſitas, quæ dominam cuſtodiant, & incautent eam de periculis ſuis. Prima ſit timoroſa, & ſtudioſa, ne ſponſus offendatur in transgrediendo mandata eius, aut ne domina negligens inueniatur. Secunda ſit deuota, vt nihil quærat, niſi honorem ſponſi, & dominæ ſuæ vtilitatem. Tertia ſit modeſta & ſtabilis, vt domina nec in gaudio diſſoluatur, nec in aduerſis ſuccumbat. Quarta ſit patiens, & prudens, quæ dominam contra mala aduenientia valeat conſolari. Quinta ſit ſic pudica, & caſta, quod nec in cogitatu, nec in locutione, aut operatione aliquid indecorum, vel remiſſum inueniatur. Igitur ſi anima habet talem domum ſicut dixi, ita compoſitos ſeruos, & pediſſequas honeſtas, turpe eſt ſi anima ipſa, quæ domina eſt non ſit pulchra, & deuota. Ideo oſtendere tibi volo etiam animæ ornatum, & decorem. Ipſa quoque debet eſſe rationabilis in diſcernendo, quid debet corpori, & quid Deo, quia participat cum Angelis in ratione, & dilectione. Ideo habeat carnem ſicut aſinus, dando ei neceſſaria vitæ moderata, excitando eam labore, corripiendo timore, & abſtinentia, & obſeruando motus eius, ne ſic condeſcendat infirmitati carnis, quod anima peccet contra Deum. Secundo anima ſit cœleſtis, quia imaginem habet cœleſtis Dei, & ideo nunquam ſapiat, nec delectetur in carnalibus, nec imagini ipſius diaboli conformetur. Tertio ſit feruens charitate Dei, quia ſoror eſt Angelorum, & immortalis, & æterna. Quarto ſit pulchra in omni virtute, quia pulchritudinem ipſius Dei æternaliter videbit. Si vero conſentit carni æternaliter erit deformis. Etiam oportet dominam, ideſt animam habere cibum, cuius cibus eſt memoria beneficiorum Dei. Conſideratio terribilium iudiciorum eius, & delectatio in charitate, & mandatis eius, & ideo anima diligentiſſime obſeruet, vt nunquam regatur a carne, quia tunc omnia deordinantur. Tunc etiam oculi videre volunt placentia, & noxia, aures audire volunt inania, placet etiam guſtare ſuauia, & laborare inaniter propter mundum. Tunc etiam ratio ſeducitur, dominatur impatientia, minuitur deuotio, accreſcit remiſſio, leuigatur culpa, & futura non attenduntur. Tunc etiam vileſcit ei cibus ſpiritualis, & omnia quæ Dei ſunt videntur oneroſa. Quomodo enim delectari poteſt ibi iugis memoria Dei, vbi delectatio eſt carnis? Aut quomodo conformare anima ſe valet voluntati Dei, vbi ſola ei placent carnalia? Aut quomodo diſcerni poteſt verum a falſo, vbi ſunt ei omnia grauia, quæ Dei ſunt? Ideo de tali anima ſic deformata dici poteſt, quod domus Dei, facta eſt tributaria diaboli, & ei homagiata. Talis enim eſt anima iſtius defuncti quam cernis. Nam diabolus eam nouem iuribus poſſidet. Primo, quia voluntarie conſenſit peccato. Secundo, quia ſpreuit dignitatem, & promiſſum baptiſmi ſui. Tertio, quia non curauit de gratia confirmationis ſuæ ab Epiſcopo data. Quarto, quia non attendebat tempus pœnitentiæ datum. Quinto, quia non timuit me Deum in operibus ſuis, nec iudicia mea, ſed ex induſtria receſſit a me. Sexto, quia contempſit patientiam meam quaſi non eſſem, vel quaſi, quod iudicare nollem. Septimo, quia de conſilijs, & præceptis meis minus curabat quam de humanis. Octauo, quia non regratiabatur Deo ex corde pro beneficiis ſuis, quia cor ſuum totum erat in mundo. Nono, quia paſſio mea tota erat quaſi mortua in corde ſuo, & ideo nunc patitur nouem pœnas. Prima eſt, quia omnia quæ patitur non ex charitate illa patitur, ſed cum mala voluntate. Secunda eſt, quia reliquit Creatorem, & amauit creaturam. Ideo omnis creatura abhominabitur eum. Tertia pœna eſt dolor, quia reliquit, &

amisit omnia, quæ amauit, & illa sunt contra eum. Quarta est ardor, & sitis, quia plus desiderabat peritura, quam æterna. Quinta est terror, & potestas dæmonum, quia noluit timere benignum Deum cum valebat. Sexta est carentia visionis Dei, quia non vidit tempore suo patientiam Dei. Septima est desperatio de venia, quia nescit vtrum saluabitur an non. Octaua est remorsus conscientiæ suæ, quia bona omisit, & fecit mala. Nona pœna est frigus, & fletus, quia non desiderabat charitatem Dei. Veruntamen, quia anima ista duo bona habuit, vnum quia habuit fidem passionis meæ, & restitit quantum potuit contra eos, qui obloquebantur mihi. Secundum est, quod dilexit matrem meam, & sanctos, & ieiunijs eos honorabat. Ideo propter preces amicorum meorum orantium pro eo, dicam tibi quomodo saluari possit. Primo saluabitur propter passionem meam, quia tenuit fidem Ecclesiæ meæ. Secundo propter immolationem corporis mei, quia hoc est antidotum animarum. Tertio propter preces electorum meorum, qui sunt in cœlo. Quarto propter opera bona, quæ fiunt in Ecclesia sancta. Quinto, propter preces bonorum viuentium in mundo. Sexto, propter eleemosynas factas de bonis iuste acquisitis, & si restituuntur ea, quæ sciuntur male acquisita. Septimo, propter laborum iustorum, qui pro salute animarum peregrinantur. Octauo, propter indulgentias a Pontificibus concessas. Nono, propter pœnitentias aliquas pro animabus assumptas, quas viuentes non compleuerunt. Ecce filia, hanc reuelationem promeruit tibi patronus sanctus Ericus, cui hæc anima seruiuit, quia veniet tempus quo refrigescet malicia terrę huius zelus animarum in multorum cordibus consurget.

CHRISTVS DICIT SPONSAE quod mundus iste similis naui habenti tres partes, scilicet proram, & medium, & puppim. Sic mundus iste concludetur tribus ætatibus hic contentis, & in fine tertię ætatis in qua iam sumus nascetur de maledictis fœmina, & homine ille horribilis Antichristus.

CAP. LXVII.

Filius loquitur. Mundus iste est quasi nauis, qui sollicitudinibus plen⁹ est, & procellis tentationum agitatur, nec aliquando dimittit hominem securum, antequam homo peruenerit ad portum quietis. Sicut enim nauis habet tres partes, scilicet proram, medium, & puppim. Sic tres ætates tibi describo esse in mundo. Primo erat ab Adam vsque ad incarnationem meam. Hæc signatur prora, quæ alta erat, & mirabilis, & fortis. Alta in patriarcharum pietate, mirabilis in prophetarum scientia, fortis in legis obseruatione. Sed hęc pars tunc paulatim descendere cępit, quando populus iudicatus contemptis mandatis meis, miscuit se sceleribus, & impietatibus. Propterea abiectus est ab honore, & possessione. Media vero pars nauis, id est mundi, tunc apparere cępit, quando ego ipse filius Dei viui incarnari volui, quia sicut media pars nauis depressior, & humilior est parte reliqua. Sic in aduentu meo humilitas prædicari cępit, & omnis honestas, & multi longo tempore eos secuti sunt. Nunc autem, quia impietas, & superbia inualescit, & passio mea quasi oblita, & neglecta est. Ideo tertia pars incipit ascendere, quæ durabit vsque ad iudicium, & in hac ætate per te misi verba oris mei mundo, quæ quicunque audierint, & secuti fuerint fęlices erunt. Sicut enim Ioannes dicit in Euangelio non suo, sed meo. Beati inquit, qui non viderunt, & crediderunt. Sic dico nunc. Beati vtique erunt æterna beatitudine, qui hæc verba audierint, & sequentur. In fine vero ætatis huius nascetur Anti-

Antichristus. Sicut enim de coniugio
2 spirituali nascuntur Filij Dei. 2 Sic Antichristus nascetur de maledicta fęmina simulante se sapere spiritualia, & de maledicto homine, de quorum seminibus permissione mea diabolus formabit opus suũ. Sed tempus istius Antichristi non erit sicut frater ille, cuius libros vidisti descripsit. Sed in tempore mihi cognito, quando iniquitas vltra modum abundauerit, & impietas excreuerit in immensum. Ideo scito, quod prius quam Antichristus venerit, gentibus aliquibus aperietur porta fidei. Deinde Christianis diligentibus hæreses, & iniquis conculcantibus clerum, & iustitiam, signum est euidens, quod cito veniet Antichristus.

N O T AE.

1 IN fine vero ætatis, huius nascetur Antichristus.

Hoc est in sexta hac, & vltima ætate, in qua modo sumus, quæ duratura est, vsque ad finem sæculi, & circa finem nascetur Antichristus, & post illum Christus veniet iudicaturus orbem, vt secundum vniuscuiusque merita, vel demerita, premia, vel pœnas decernat. hanc vero vltimam ætatem nouissimam horam vocat Diu. Ioannes in prima sua Canonica cap. tertio, pueri inquit nouissima hora est, & sicut audistis, quod Antichristus sit venturus, nunc autem Antichristi multi facti sunt. Vnde cognoscimus, quod nouissima sit hora. Argumentatur autem D. Ioannes, quod cito sit venturus Antichristus ex abundantia malitiæ, & nequitiæ, quæ creuit in mundo, & idem signum affertur in præsenti capite circa finem cum legimus, sed in tempore mihi cognito, quando iniquitas vltra modum abundauerit, & impietas excreuerit in immensum.

2 Sic Antichristus nascetur de maledicta fęmina simulante se sapere spiritualia, & de maledicto homine.

Antichristum ex impura muliere nasciturum, affirmat Hyppolitus Martyr Orat. de consummat. mundi, cum inquit Saluator mundi genus humanum saluare decreuisset, ex Immaculata Virgine natus est, & in figura carnis hostem conculcauit, suæ diuinitatis propria præsentia, ad eundem modum etiam Antichristus ex impura muliere prodibit, sed falso nascetur ex Virgine. Hactenus Hyppolitus; qui ideo dicit falso ex Virgine nasciturum Antichristum, quia simulabit se natum esse ex Virgine; cum tamen ex corrupta muliere nasciturus sit, & hoc est, quod scribitur hic de maledicta nascetur fœmina, simulante sapere spiritualia, aut etiã per maledictã mulierem, hoc loco intellige fornicariam, ex qua nasciturum esse existimauit Damascenus libro 4. de fide cap. 27. nascetur inquit homo ex fornicatione, & suscipiet omnem operationem Sathanæ: hanc autem maledictã, & impuram fœminam futuram Iudæam, docet D. Hieronymus in comment. in Danielem cap. ij. & Theodoretus in Danielem cap. septimo ad illa verba considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum, ortum est de medio eorum. Idem habet Ambros: in secunda Epistola ad Thessalonicenses cap. 2. fauent etiam Cyrillus Cathechesi 15. vbi affirmat Antichristum valde futurum esse studiosũ Templi Hierosolymitani, vt se de progenie Dauid esse ostendat. S. etiam Martinus apud Sulpitium libro 2. Dialogorum, ait Antichristum imperaturum, vt omnes secundum legem circumcidantur, idem probat Benedictus Pererius in comment. in Danielem libro 14. non longe ab initio, Franciscus Suarez in comment. ad 3. par. S. Thomæ q. 59. disp. 54. sect. 2. Postremo tantam etiam matris Antichristi impuritatem, ac malitiam futurã esse tradit D. Augustinus in tractat. quem edidit de Antichristo, si tamen illius ipse auctor est, vt eam totam Diabolus malitia sua repleturus sit, sicuti Spiritus sanctus Matrem Domini diuinitate repleuit, addit etiam ibidem eum in Babilone nasciturum esse, & de Tribu Dan venturum, quod etiam indicarunt D. Hieron. vbi supra, & D. Ambros. de Benedict. Patriarch. cap. 7. D. Aug. q. 22. in Iosue, Prosper de promissionibus, & prædictionibus Dei p. 4. Theodoretus q. 109. in Genesim, D. Gregor. 31. Moral. cap. 10. Beda, Rupertus, & Arethas in Apocalipsim cap. septimo, & Lactant. de diuinis institution. capit. 17. orietur inquit è Syria malo spiritu genitus euersor, ac proditor vniuersi generis, Cæterum non defuerunt, qui etiam existimauerint, quod Antichristus etiam concipiendus sit opere Dæmonum, qui humana quandoque corpora assumentes, mulieribus commiscentur, assumunt tamen tunc ex hominibus semen, & fiunt succubi, capiuntq; aliquoties illud decisum a viro, seruantque cum calore naturali per aliquod breue temporis spatium, donec iterum fiant aliquibus mulieribus incubi, illudque semen viri in matricem transfundant mulieris, qua de re late agit D. Augustinus lib. 15. de ciuitate cap. 23. & multi etiam hoc probarunt, ex illo Genesis sexto, videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperunt Vxores, vbi per filios Dei Angelos intelligunt, qui ex illis gigantes genuerint, quamquam secundum communem interpretationẽ per Angelos ibi filij Seth intelligendi sint, vt habet Gloss. interlinearis, & D. Augustinus loco citato, Theodoretus q. 47. in Genesim D. Thomas p. p. q. 51. artic. 3. ad sextum, & alij plures, sed quicquid sit, asserunt ali-

qui AntiChristum opere Dæmonis modo explicato nasciturum, quod fortaße insinuant illa verba huius capitis circa finem, de quorum seminibus per missione mea Diabolus formabit opus suum, diceretur tamen tunc Antichristus sic natus, non filius diaboli, sed eius hominis a quo dæmon semen accepit, vt probat D. Thom. loco supra citato, sed legendus est Diuus Augustinus libro tertio de Trinitate cap. octauo, & nono, vbi plura hac de re scitu dignissima affert.

DVBITANTE SPONSA de quodam monacho, an illuderetur quia dicebat se videre visiones cœlestes. Respondit Christus dicens, quod ille illuditur a dæmone sub specie Angeli lucis, quod probat Christus per libros illius continentes ambitionem, & propriam laudem, & præcipit Christus, quod moneatur, vt se corrigat, alioquin cito, & male moriatur, quod proh dolor postea sic euenit.

CAP. LXVIII.

Filius loquitur ad sponsam. Dico tibi de illo monacho de quo tu dubitas. Scias enim, quod impatientia fecit eum relinquere suum monasterium primum, & mendaciter intrauit secundum, & quia excommunicatus venit in ciuitatem meam Hierusalem, ideo illudi, & decipi meruit, quia erubuit esse monachus humilis, & stare in vocatione ad quam fuit vocatus. Audi igitur libros quos habet, & inuenies in eis ambitionem, & propriam laudem. Nam legisti in libris suis, quod Petrus, & Paulus dixerunt eum dignum summo Sacerdotio, & quod fieret simul Papa, & Imperator, & quod quando fuit necessitatus inuenit ad caput suum quosdam denarios aureos, & quandam monetam incognitam, & quod Michael Archangelus apparuit ei in corpore cuiusdam mercatoris, & quomodo ipse congregauerat omnes præcedentium prophetias. Ideo scito, quod omnia ista sunt a diabolo, qui illudit eum. Propterea dic ei, quod nec Papa, nec Cæsar fiet, immo nisi cito redierit ad monasterium suum, & steterit sicut monachus humilis, morietur infra breuissimum tempus sicut apostata, indignus communione sanctorum, & consortio monachorum.

CHRISTVS DICIT SPONSAE quendam fratrem esse deceptum sub specie virtutis, qui nihil in quadragesimis comedebat, & alias indiscretas abstinentias faciebat confidens, & hoc posse obtinere cœlum, quia non in bonis operibus nostris debemus confidere, qui quantumcunque magnæ sint quasi nulla reputare debemus licet necessaria sint, sed cum humilitate sperare debemus in sola misericordia Dei.

CAP. LXIX.

FILIVS loquitur. Ego dixi in Euangelio meo, quod propter duo cœlum obtineri potest. Primum est, si homo humiliauerit se sicut paruulus. Secundum est, si homo facit violentiam sibiipsi. Ille ergo est humilis, qui quantũcunque profecerit, & bona fecerit reputat quasi nulla de meritis suis nihil confidens. Ille quoque facit sibi violentiam, qui motibus carnis suæ inordinatis resistens, castigat se discrete ne offendat Deum, & credit, non per iustitiæ suæ opera obtinere cœlum, sed per misericordiam Dei. Sed iste frater, qui in quadragesimis nihil comedebat, & alia indiscreta ieiunia faciebat, per abstinentiam suam quasi ex iustitia obtinere cupiebat cælum. Qui quidem opera abstinentiæ, & iustitię magis processerũt ex superbia, quam ex humilitate. Ideo iuste iudicabitur cum his, qui ieiunabant, & decimabant, & despiciebant alios. Cui melius fuisset humilitatem illius peccatoris, qui nec audebat oculos leuare in cęlum. Nam ego ipse Deus, & verus homo conuersatus cum hominibus, comedi, & bibi, quæ mihi apponebantur, quamuis sine cibo potuissem subsistisse, vt darẽ hominibus exemplum viuendi, & vt homines recipiant necessaria vitæ suæ, & regratientur Deo.

CHRI-

CHRISTVS OSTENDIT sponsæ horribilem sententiam damnationis animæ vnius Cardinalis defuncti, quia inique, & in delicijs vixerat, comminatur prælatis, & clero, cum districta iustitia terribiliter, qui deuorantes indebite consumunt bona Ecclesiastica fidelium defunctorum promittit cum ipsis benefactoribus in gloria æterna remunerationem optimam.

CAP. LXX.

Videbatur quasi persona vnius Cardinalis defuncti, sedere in vna trabe lignea, cui per Ethiopes nigros quatuor cameræ præparabantur, per quas animam supradicti oportebat transire. In prima autem camera erant vestes diuersorum generum, quas anima in vita dilexerat. In secunda erant vasa aurea, & argentea, & alia genera diuersorum vtensilium, in quibus anima delectabatur in vita. In tertia camera erant cibaria, & odoramenta diuersa, quibus anima cum corpore reficiebatur. In quarta camera erant equi, & animalia, quibus anima quando erat cum corpore promouebatur. Cum igitur anima transiret per cameram primam, scilicet vestium intolerabili frigore constringebatur, & onere horribili deprimebatur, & clamans flebiliter dixit. Veh mihi, quia dilexi magis pulchrum quam vtile, dilexi enim exaltari, & laudari. Ideo dignum est, vt deprimar sub scabellis diabolorum. Transiens vero per secundam cameram sensit torrentem piceum, & flammam diffundentem vndique, & tunc clamauit anima. Veh inquit mihi, veh in æternum, quia bibi, & rebibi, quæsiui fulgentia, & terrea, & ideo de torrente voluptatis diabolice digna sum inebriari. Cumque anima pertransisset per tertiam cameram, sensit fętorem pessimum, & ignitos serpentes, & tunc clamauit horribiliter dicens. O, o dilexi ancillam, & spreui dominam dilexi suauia. Ideo digna sum gustare hæc amara. Transiens autem per quartam camerã audiuit sonũ terribilẽ quasi tonitrui, & clamauit miserabiliter prę timore. O quam digna est remuneratio mea. Post hæc autem iterum audiebatur vna vox dicens, quid cogitat homo in terra, an quod filius Dei mentietur, qui dixit, quod homo de minimo quadrante reddet rationem in iudicio? Immo dico, quod plus est, quod etiam de quolibet momento, & denario, & cibo, & potu, & de singulis cogitationibus, & locutionibus reddet homo rationem, nisi abluantur contritione, & pęnitentia. Aut nunquid non credit clerus, & Cardinales, & Episcopi, quod de eleemosynis meis quas ipsi non cum timore, & deuotione comedunt, sed deuorant si sine fructu, non exigo rationem? Aut nunquid credunt, quod animæ quarum erant bona illa de quibus ipsi superbiunt, non petunt in conspectu meo vindictam.
1 1 Vere filia iudicabo diligenter, & scrutabor, qua ratione leuant oblationes meas, & homines, & Angeli iudicabunt eos. Nam ego, & amici mei dotauimus Ecclesiam meam, vt clerici quietius seruirent mihi. Sed nunc, nec clerici viuunt, vt amici, nec orant, vt audiantur. Ideo ego animabus illorum, quorum bona illa fuerunt, ex mensa gratiæ, & passionis prouidebo, & miserebor.

NOTAE.

1 Vere filia iudicabo diligenter, & scrutabor, qua ratione leuant oblationes meas, & homines, & Angeli iudicabunt eos.

Indicat hoc loco Christus Dominus diligenti se quæsiturum examine a Clericis, quomodo Ecclesiastica bona illis collata impenderint, quaue ratione, ea quæ Patrimonium Christi sunt, ac res pauperum in superfluos, prauosq; vsus conuerterint, quantumcunq; enim vtiliter in suorum cõmodum beneficiorum laborauerint, vltra tamen victum, ac vestitum, & vltra proprij status cõdecentiam, ea sibi vendicare non debent, sic namque admonet eos D. Bernard. serm. in illud. Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia; esto inquit studiose quis, & fructuose laboret, viuat de Altario, vt alimenta, & quibus tegatur habens; his contentus sit, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, neç ex clericatu ditior fiat non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fa-

fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, & superfluitate inde dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes, nec filias dixerim nuptui tradat, hos ergo Christus in hoc capite redarguit, qui huiusmodi bona dissipant, a quibus stricte rationem petiturum, seq; eos iudicaturum asserit, cum vero legimus hic, eosdem etiam ab Angelis, Sanctisque viris iudicandos esse, non intelligitur auctoritatiue, & principaliter, quia solus Christus Iudex est vniuersalis constitutus, & cui omne iudicium pater dedit, sed dicuntur hic iudicare iudicio approbationis, sententiam iudicis approbantes, aut vt placet D. Hieron. Matt. 19. iudicare erit condemnare, sic explicat illa verba Euãgelistæ: & vos iudicantes duodecim tribus Israel, aut vt alij docent loco citato Apostolos iudicaturos esse, tanquam ministros, & precones Christi eius promulgantes sententiam; vel vt annotauit Liranus ibi, dicuntur iudicare, quia iudicanti Iudici assessores erunt; ideo scribit Matth. sedebitis, & vos, dicit enim iudicare quandoque accipi pro sedere, & secundum hos omnes sensus verum erit quod scribitur hic, Angelos, & Sanctos homines iudicaturos illos, qui Ecclesiastica bona dissipauerint.

IN ANNO IVBILEI Christus per sponsam præcepit cuidam confessori, quod omnes confitentes ei libere absolueret, nisi in apertis sententijs Ecclesiæ.

CAP. LXXI.

FIlius Dei loquitur. Absoluat ille bonus confessor omnes peccatores qui veniunt ad eum cum contritione, donec venerit aliquis quem dico non absoluendum; sed caueat sibi pro iudicijs Ecclesiæ apertis.

Declaratio.

Hic creditur fuisse magister Petrus Confessor Sanctæ Brigittæ. *Ipse* nanque de seipso tanquam de alio scribit in Epistola sua ad dominum Nicolaum sanctæ memoriæ tunc Episcopum Lincopensem in Regno Suetiæ de curia Romana dicens.

Quidam Sacerdos fuit ex alienis partibus, cui vicarius Papæ iniunxit satisfacere peregrinis de lingua sua in Sacramento confessionis, dans ei auctoritatem absoluendi in omnibus casibus, in quibus ipse potuit. Ideo multi confluebant ad illum cum multis grauibus casibus, quos ipse absoluit. Inter quos venit vnus diues, & grandeuus, dicens, se peccasse cum quatuor paribus sororum, quæ non erant omnes ex vno patre, & matre, sed quodlibet par suis ex patre, & matre distincte fuit. Deinde subiunxit se cum ducentis mulieribus peccasse, & quod super hoc nunquam incurrit notam aliquam infamiæ nec accusatus fuit vnquam coram iudice spirituali, seu sæculari. Clericus præfatus cum hæc audisset. Cępit abhorrere eum, & inquantum potuit se ab eo elongauit, peccator autem ille diuino succensus igne desperare non permittebatur. Ideo ab impetione dicti clerici non cessans, accessit ad Dominam Brigittam conquerendo, quod clericus ille nõllet eum per beneficium absolutionis iuuare. Ideo ipsa se prostrauit in oratione interpellendo pro supradicto clerico, & pro illo scelesto peccatore. Et in eodem puncto audiuit vocem patris de cęlis dicentẽ. De clerico, quod ex parte mea diligenter expediat omnes venientes ad eum ex lingua, & natione sua, iniungendo eis pęnitentiam secundum gratiam sibi collatam & secundum dictamen suæ rectæ rationis, & secundum quod ipse penitens portare potest, & absoluat secure, donec aliquis talis peccator venerit, de quo eum præmonere facio dicendo istum noli absoluere. Caueat tamen sibi pro censuris Ecclesiæ manifestis, & notorijs criminibus, quæ iudicari debent publice ab Ecclesiæ prælatis.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTVS PRAECIPIT, quod prouideatur taliter, quod pro absolutione peccatorum nulla pecunia recipiatur, & quod Parrochiales Sacerdotes possint absoluere de omnib⁹ peccatis occultis, ne peccatores si remittantur ad superiores non absolutis propter timorem verecundię in suis peccatis mortalibus indurentur, & in eisdem damnabiliter moriantur.

CAP. LXXII.

FILIVS loquitur. Duæ maculæ sunt in Ecclesia mea. Vna est, quod pauci absoluuntur, nisi pecunia præcedente. Secunda est, quod Parrochiales Sacerdotes non audent absoluere peccatores de omnibus peccatis suis occultis, sed asserentes se non posse illos absoluere in aliquibus casibus Episcopis reseruatis, mittunt illos peccatores ad Episcopos, & tanto tempore discutiuntur, donec occulta peccata fiant omnibus manifesta. Ideo qui habent zelum animarum debent salubriter talibus occurrere, Ne animæ, vel pudore verecundiæ, vel obduratione in peccatis mortalibus moriantur.

CHRISTVS DICIT DE quodam pœnitentiario Papæ existente Romę, quod quamuis vitiosus est, nihilominus absolutio quam fecit confitentibus rata est apud Deū, & prædicit Christus subitaneam mortem.

CAP. LXXIII.

ISTE Pœnitentiarius leprosus est, & sicut auis, quæ vocatur miluus audax est in minimis, superbus est, vt Leo. Et ideo sicut papilio, qui habet alas latas, & modicum corpus, cadet a minimo vento. Attamen scias, quod absolutio eius, quam facit confitentibus sibi auctoritate Ecclesiæ: ita rata est apud Deum, sicut absolutio iustorum sacerdotum. Item dic ei sic, quod concupiscis habebis, sed non possidebis, imo congregata tua rapient alij, qui post hoc obtinuit Archiepiscopatum, & ipso die mortuus est.

VIDEBAT SPONSA visionem, quod a Castro Sancti Angeli, vsque ad Sanctum Petrum in Roma erant multa habitacula circundata muro, & Christus declarat illam dicens, quod ille sanctus Papa qui spiritualiter, & feruenter dilexerit Ecclesiam habitabit ibi cum Cardinalibus, & Consiliarijs suis.

CAP. LXXIIII.

VIDI in Roma a Palatio Papæ prope Sanctum Petrum, vsque ad Castrum Sancti Angeli, & a Castro, vsque ad Domum Sācti Spiritus, & vsque ad Ecclesiam Sancti Petri, quasi quod esset vna planities; & ipsam planitiem circuibat firmissimus murus, diuersaque habitacula erant circa ipsum murum. Tunc audiui vocem dicentem. Papa ille, qui sponsam suam ea dilectione diligit, Qua ego, & amici mei dileximus eam, possidebit hunc locum cum assessoribus suis, vt liberius, & quietius aduocare possit Consiliarios suos.

CHRISTVS PRAECIPIT per sponsā cuidā deuoto Magistro in Theologia, quod prædicet feruenter opportune, & importune, quod animę purgatæ videant faciem Dei, dicit etiam, quod qui semper vellent viuere, & semper peccare, æternaliter in inferno cruciabuntur.

CAP. LXXV.

MAgistro Matthia de Suecia, qui composuit isti libri prologum prædicante. Vnus armigerorum quasi furiosus clamauit. Si inquit anima mea non venerit in cælum, vadat sicut bestia comedendo terram, & arborum cortices. Longa enim mora est, vs-
1 que ad iudicium. 1 Nam ante illud iudicium nulla anima videbit gloriam Dei. Quod audiens sponsa, quę præsens erat, ingemuit dicens. O Domine Rex gloriæ scio, quod misericors es, & multum patiens. 2 Omnes enim, qui tacent veritatem, & dissimulant iustitiam laudantur in mundo, qui vero zelum tuum habent, & ostendunt despiciuntur. Ideo Domine da isti Magistro constantiam, & feruorem loquendi. Tunc sponsa in excessu mentis vidit cælum apertum, & infernum ardentem, audiuit vocem dicentem sibi. Vide inquit cælum, vide animas quali gloria vestitæ sunt, dic ergo isti Magistro tuo, hæc dicit non alius, nisi Deus tuus creator, & redemptor tuus prædica secure. Prædica constanter. Prædica importune, & opportune. Prædica quod animæ beatæ, & purgatæ vident faciem Dei. Prædica feruenter, quia merces erit tibi, sicut filij audientis vocem patris sui. Si dubitas quis sum ego, qui loquor, scias quod ego sum ille, qui abstuli a te tentationes tuas. His autem auditis vidit iterum infernum, ex cuius pauore conterrita audiuit vocem dicentem. Ne timeas spiritus quos vides. Horum enim manus, idest, potestates ligatæ sunt, & non possunt sine permissione mea plus quam stramen ante pedes tuos. Quid ergo cogitant homines præsumentes de se, quod ego non capiam vltionem ex eis, qui etiam dæmonia subijcio voluntati meæ? Respondit sponsa. O Domine ne indigneris si loquor. Nunquid tu, qui misericordissimus es, perpetuo punies illum, qui perpetuo peccare non potest, hęc enim homines non credunt conuenire Deitati tuæ, qui iudicio misericordiam superexaltas. Nec homines perpetuo puniunt aliquos in se delinquentes. Respondit Spiritus. Ego sum ipsa veritas, & iustitia, qui do vnicuique secundum opera sua, qui corda inspicio, & voluntates, & sicut cælum distat a terra, sic vię meę, & iudicia mea longæ sunt a consiliis, & intellectibus mundanorum. Ergo quia homo non corrigit malum suum cum viuit, & potest, quid mirum si puniatur, vbi nihil potest? Aut quomodo in æternitate mea purissima manere debent hi, qui in ęternum semper viuere volunt, & & semper peccare? Et ideo, qui corrigit peccatum suum cum potest, manere debet mecum in æternum, quia ego æternaliter possum omnia, & æternaliter viuo.

Declaratio.

Hic homo vxoratus fuit, qui publice concubinam tenens in domo, surrexit in anxietate cordis ex admonitione sibi facta, & videntibus multis interfecit concubinam. Qui post in quarto die in obduratione cordis mortuus est sine Sacramentis, & sepultus, & in pluribus noctibus vox audita est, vh vh ardeo ardeo, quod cũ relatum fuisset ad vxorem eius, ipsa præsente aperiebatur sepulchrum eius in quo corpus sepultum erat, vbi non inueniebatur præter modicum de panniculis, & de calceis. Cooperto iterum sepulchro vox illa vlterius non est audita.

NOTAE.

1. NAm ante illud iudicium nulla anima videbit gratiam Dei.

Verba præsentis notæ sunt cuiusdam militis, vt antecedentia legenti constare poterit, is enim dum concionem audiret, prosiliens in medium, illa protulit affirmans iustorum animas non visuras gloriam Dei, nisi peracto vniuersali iudicio, ideo hoc loco Christus B. Brigittam admonet, vt eius nomine illi concionatori præcipiat, vt prædicet, hominum animas post purgationem illarum ad visionem essentiæ diuinæ eleuari, sed quoniam aliquibus visum est, grauissimos quosdam patres contrariam defendisse sententiam, ideo rem hanc diligenter, breuiter

tamen

tamen pertractandam suscepimus, & primo se se offert antiquissimus auctor Tertullianus, qui hoc pluribus in locis indicat, vt libro quarto aduersus Marcionem, eam inquit regionem sinum dico Abrahæ, & si non cælestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iustorum, donec consumatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat: idem probat libro de Anima cap. ante penultimo, & vltimo, & de resurrectione carnis cap. decimoseptimo, & alibi sepissime, hanc eandem sententiam, quamplures etiam ex doctissimis viris fuisse secutos tradit Alphonsus Castrensis libro tertio aduersus hæreses, inter quos Sixtus Senensis in sua Bibliotheca libro sexto annotat. 345. enumerat D. Ambrosium, D. Chrisost. D. Augustinum, D. Bernardum, Clementem Romanum, Iustinum Martyrem, aliosque plures, quos si quispiam iuxta verborum simplicem tantummodo prolationem percurrerit, videbuntur quidem hi in hanc iuisse sententiam, secus vero si attentius legantur, nam citati Patres, & si paucis in locis hac de re aliquantulum obscure locuti sint, alibi tamen sepissime aperto ore fatentur, iustorum animas statim, vt fuerint a corpore separatæ, si nulla illis supersit in purgatorio pœna luenda, ad cælum euolare, prout scribitur aliquanto post initium præsentis capitis ibi (prædica, quod animæ beatæ, & purgatæ vident faciem Dei,) legendus est Diuus Ambrosius in commentar. in epistola ad Philippenses exponens illa verba, cupio dissolui, & esse cum Christo, & primo Corint. 13. & epistola 59. de obitu Ascolij, & D. Chrisost. homil. 69. ad Populum Antioch. & homil. 16. in epistola ad Romanos, & Diuus Augustinus de solemnitat. sanct. sermon. 4. ad illa verba, vidi sub Altare Dei, cæterum si quædam in his aliisque Patribus inueniantur loca, quæ cum citatis pugnare videantur, facile poterunt iuxta Romanorum Pontificum, & Conciliorum sacrorum decreta interpretari, vt mox dicemus, & præcipue iuxta Concilii Florentini definitionem, cuius hæc sunt verba: definimus illorum animas, quæ post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus purgatæ sunt in cælum mox recipi, & intueri clare Deum trinum, & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius, & hæc postrema Concilij verba nobis indicant, quemadmodum interpretari debeamus citatorum Patrum sententias, quæ huic decreto aduersari videntur; dicendum enim est nequaquam eos dubitasse de animarum gloria ante iudicium, sed de gradibus, seu quantitate: scribitur namque Ioannis decimoquarto in domo Patris mei mansiones multæ sunt, quem locum ferè omnes explicant de diuersitate graduum in beatitudine, sic D. Gregorius libro quarto moral. cap. 42. D. Greg. Nazianz. libr. 1. suæ Theologiæ D. August. libro de sancta virginit. D. Bernard. epistola ad Guglielmum Abbatem in fine D. Ansel. & D. Thom. ibidem: de hac ergo gloriæ quantitate quæsierunt sepæ patres, & præsertim D. August. libr. 1. retract. & libro 12. in Genesim, an sanctorum animæ pares essent ante vniuersale iudicium Angelis in gloria, cum ergo legeris apud illos iustorum animas non habere perfectam gloriam ante resurrectionem, intellige eos loqui de consumatione, & perfecta gloria, quæ ante vniuersale iudicium non datur. Ad cuius intelligentiam sciendum est, duos esse beatitudinis status, vnum animæ sine corpore, & ille est quo animæ beatorum modo ante communem resurrectionem diuina visione fruuntur, sine corpore, & hunc statum sacræ litteræ, & Patres varijs nominibus consueuerunt appellare, vt sinum Abrahæ, Altare exterius, sub Altare Dei, abdita receptacula, & alia huius generis generis quorum meminit Sixtus Senensis vbi supra, Alter vero est status animæ, quo ipsa reassumpto corpore, eoque glorioso, visione Dei fruitur, & hic status ab omnibus appellatur gloria consumata, perfecta lætitia, quare cum apud citatos doctores inuenies scriptum, iustorum animas viuere in sinu Abrahæ, sub Altare Dei, & alibi non statim cogitandum est eos negare sanctorum animas diuina visione carere, sed intelligendum, eos loqui de perfecta, & consumata gloria, quam non habebunt, nisi post vniuersale iudicium, & communem corporum resurrectionem.

CHRISTVS CORRIGENS
Sponsam per incendium rerum suarum dicit, quod qui non corrigit domesticos suos virtuose, incurrit Dei iudicium, & punit horribiliter quendam, qui omnia putabat euenire a fortuna, & casu, & quia capiebat pisces per incantationem.

CAP. LXXVI.

HOspitante sponsa in quadam villa, accidit, quod comburebantur vestes, & iocalia sua, & familiariũ. Cui oranti Christi loquebatur dicens. 1 Scribitur, quod princeps cocorum combussit templum Hierusalem. Quis est iste princeps, nisi illi, qui deliciosa carnis plus quærunt quam amaritudinem

CHRISTVS PRAECIPIT per sponsã cuidã deuoto Magistro in Theologia, quod prædicet feruenter opportune, & importune, quod animę purgatæ videant faciem Dei, dicit etiam, quod qui semper vellent viuere, & semper peccare, æternaliter in inferno cruciabuntur.

CAP. LXXV.

MAgistro Matthia de Suetia, qui composuit isti libri prologum prædicante. Vnus armigerorum quasi furiosus clamauit. Si inquit anima mea non venerit in cælum, vadat sicut bestia comedendo terram, & arborum cortices. Longa enim mora est, vs-
1 que ad iudicium. 1 Nam ante illud iudicium nulla anima videbit gloriam Dei. Quod audiens sponsa, quę præsens erat, ingemuit dicens. O Domine Rex gloriæ scis, quod misericors es, & multum patiens. 2 Omnes enim, qui tacent veritatem, & dissimulant iustitiam laudantur in mundo, qui vero zelum tuum habent, & ostendunt despiciuntur. Ideo Domine da isti Magistro constantiam, & feruorem loquendi. Tunc sponsa in excessu mentis vidit cælum apertum, & infernum ardentem, audiuit vocem dicentem sibi. Vide inquit cælum, vide animas quali gloria vestitæ sunt. dic ergo isti Magistro tuo, hæc dicit non alius, nisi Deus tuus creator, & redemptor tuus prædica secure. Prædica constanter. Prędica importune, & opportune. Prædica quod animæ beatæ, & purgatæ vident faciem Dei. Prædica feruenter, quia merces erit tibi, sicut filij audientis vocem patris sui. Si dubitas quis sum ego, qui loquor, scias quod ego sum ille, qui abstuli a te tentationes tuas. His autem auditis vidit iterum infernum, ex cuius pauore conterrita audiuit vocem dicentem. Ne timeas spiritus quos vides. Horum enim manus, idest, potestates ligatæ sunt, & non possunt sine permissione mea plus quam stramen ante pedes tuos. Quid ergo cogitant homines præsumentes de se, quod ego non capiam vltionem ex eis, qui etiam dæmonia subijcio voluntati meæ? Respondit sponsa. O Domine ne indigneris si loquor. Nunquid tu, qui misericordissimus es, perpetuo punies illum, qui perpetuo peccare non potest, hęc enim homines non credunt conuenire Deitati tuæ, qui iudicio misericordiam superexaltas. Nec homines perpetuo puniunt aliquos in se delinquentes. Respondit Spiritus. Ego sum ipsa veritas, & iustitia, qui do vnicuique secundum opera sua, qui corda inspicio, & voluntates, & sicut cælum distat a terra, sic vię meę, & iudicia mea longæ sunt a consilijs, & intellectibus mundanorum. Ergo quia homo non corrigit malum suum cum viuit, & potest, quid mirum si puniatur, vbi nihil potest? Aut quomodo in æternitate mea purissima manere debent hi, qui in ęternum semper viuere volunt, & & semper peccare? Et ideo, qui corrigit peccatum suum cum potest, manere debet mecum in æternum, quia ego æternaliter possum omnia, & æternaliter viuo.

Declaratio.

Hic homo vxoratus fuit, qui publice concubinam tenens in domo, surrexit in anxietate cordis ex admonitione sibi facta, & videntibus multis interfecit concubinam. Qui post in quarto die in obduratione cordis mortuus est sine Sacramentis, & sepultus, & in pluribus noctibus vox audita est, veh veh ardeo ardeo, quod cũ relatum fuisset ad vxorem eius, ipsa præsente aperiebatur sepulchrum eius in quo corpus sepultum erat, vbi non inueniebatur præter modicum de panniculis, & de calceis. Cooperto iterum sepulchro vox illa vlterius non est audita.

NOTAE.

1. NAm ante illud judicium nulla anima videbit gratiam Dei.

Verba præsentis nota sunt cuiusdam militis, vt antecedentia legenti constare poterit is enim dum concionem audiret, prosiliens in medium, illa protulit affirmans istorum animas non visuras gloriam Dei. nisi peracto vniuersali iudicio. ideo hoc loco Christus B. Brigittam admonet, vt eius nomine illi concionatori præcipiat, vt prædicet, hominum animas post purgationem illarum ad visionem essentiæ diuinæ eleuari. sed quoniam aliquibus visum est, grauissimos quosdam patres contrariam defendisse sententiam, ideo tam hanc diligenter hic etiam

tamen

tamen pertractandam suscepimus, & primo se se offert antiquissimus auctor Tertullianus, qui hoc pluribus in locis indicat, vt libro quarto aduersus Marcionem, eam inquit regionem sinum dico Abrahæ, & si non cælestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iustorum, donec consumatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat: idem probat libro de Anima cap. ante penultimo, & vltimo, & de resurrectione carnis cap. decimoseptimo, & alibi sepissime, hanc eandem sententiam, quam plures etiam ex doctissimis viris fuisse secutos tradit Alphonsus Castrensis libro tertio aduersus hæreses, inter quos Sixtus Senensis in sua Bibliotheca libro sexto annotat. 345. enumerat D. Ambrosium, D. Chrisost. D. Augustinum, D. Bernardum, Clementem Romanum, Iustinum Martyrem, aliosque plures, quos si quispiam iuxta verborum simplicem tantummodo prolationem percurrerit, videbuntur quidem in hanc iuisse sententiam, secus vero si attentius legantur, nam citati Patres, & si paucis in locis hac de re aliquantulum obscure locuti sint, alibi tamen sepissime aperto ore fatentur, iustorum animas statim, vt fuerint a corpore separatæ, si nulla illis supersit in purgatorio pœna luenda, ad cælum euolare, prout scribitur aliquanto post initium præsentis capitis ibi (prædica, quod animæ beatæ, & purgatæ vident faciem Dei,) legendus est Diuus Ambrosius in commentar. in epistola ad Philippenses exponens illa verba, cupio dissolui, & esse cum Christo, & primo Corint. 13. & epistola 59. de obitu Ascolij, & D. Chrisost. homil. 69. ad Populum Antioch. & homil. 16. in epistola ad Romanos, & Diuus Augustinus de solemnitat. sanct. sermon. 4. ad illa verba, vidi sub Altare Dei, cæterum si quædam in his alijsque Patribus inueniantur loca, quæ cum citatis pugnare videantur, facile poterunt iuxta Romanorum Pontificum, & Conciliorum sacrorum decreta interpretari, vt mox dicemus, & præcipue iuxta Concilij Florentini definitionem, cuius hæc sunt verba: definimus illorum animas, quæ post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem ex vta corporibus purgata sunt in cælum mox recipi, & intueri clare Deum trinum, & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius; & hac postrema Concilij verba nobis indicant, quemadmodum interpretari debeamus citatorum Patrum sententias, quæ huic decreto aduersari videntur; dicendum enim est nequaquam eos dubitasse de animarum gloria ante iudicium, sed de gradibus, seu quantitate: scribitur namque Ioannis decimoquarto in domo Patris mei mansiones multe sunt, quem locum fere omnes explicant de diuersitate graduum in beatitudine, sic D. Gregorius libro quarto moral. cap. 42. D. Greg. Nazianz. libr. 1. suæ Theologiæ D. August. libro de sancta virginit. D. Bernard. epistola ad Guglielmum Abbatem in fine D. Ansel. & D. Thom. ibidem: de hac ergo gloriæ quantitate quæsierunt sepæ patres, & præsertim D. August. libr. 1. retract. & libro 12. in Genesim, an sanctorum animæ pares essent ante vniuersale iudicium Angelis in gloria, cum ergo legeris apud illos iustorum animas non habere perfectam gloriam ante resurrectionem, intellige eos loqui de consumatione, & perfecta gloria, quæ ante vniuersale iudicium non datur. Ad cuius intelligentiam sciendum est, duos esse beatitudinis status, vnum animæ sine corpore, & ille est quo animæ beatorum modo ante communem resurrectionem diuina visione fruuntur, sine corpore, & hunc statum sacræ litteræ, & Patres varijs nominibus consueuerunt appellare, vt sinum Abrahæ, Altare exterius, sub Altare Dei, abdita receptacula, & alia huius generis generis quorum meminit Sixtus Senensis vbi supra, Alter vero est status animæ, quo ipsa reassumpto corpore, eoque glorioso, visione Dei fruitur, & hic status ab omnibus appellatur gloria consumata, perfecta lætitia, quare cum apud citatos doctores inuenies scriptum, iustorum animas viuere in sinu Abrahæ, sub Altare Dei, & alibi non statim cogitandum est eos negare sanctorum animas diuina visione carere, sed intelligendum, eos loqui de perfecta, & consumata gloria, quam non habebunt, nisi post vniuersale iudicium, & communem corporum resurrectionem.

CHRISTVS CORRIGENS Sponsam per incendium rerum suarum dicit, quod qui non corrigit domesticos suos virtuose, incurrit Dei iudicium, & punit horribiliter quendam, qui omnia putabat euenire a fortuna, & casu, & quia capiebat pisces per incantationem.

CAP. LXXVI.

HOspitante sponsa in quadam villa, accidit, quod comburebantur vestes, & iocalia sua, & familiariũ. Cui oranti Christi loquebatur dicens. . 1 Scribitur, quod princeps coquorum combussit templum Hierusalem. Quis est iste princeps, nisi illi, qui deliciosa carnis plus quærunt quam amaritudinem

dinem passionis meæ. Sic tu quæris, & toleras in familia tua pulchras facies, & pulchras vestes, & mores eorum non reprehendis, ne videaris eis grauis. Ideo modo accidit damnum, quod cernis, vt intelligas non sufficere ad perfectionem seipsum corrigere, imo etiam alios, & maxime familiares ad similia, & vitam honestam prouocare. Quod enim corrigere potes, & dimittis propter bonum temporale, & fauorem tuum, hoc tibi imputabitur in iudiciũ,
2 & peccatum. 2 Insuper scito, quod inhabitator domus huius duplici vitio laborat, scilicet infidelitate, quia credit omnia fato regi, idest, casu, & fortuna. Secundo vtitur incantationibus, & quibusdam verbis diabolicis, vt capiat multitudinem piscium de stagno. Et ideo, quia de familia tua est admone eum verbis, vt resipiscat, & emendet se. Alioquin videbis oculis, quod diabolus cui seruit in eum præualebit. Qui audiens admonitionem sponsæ Christi, & renuens, subito in lecto collo reflexo ad dorsum mortuus est inuentus.

NOTAE:

1 SCribitur, quod princeps coquorum combusit templum Hierusalem.

Quis fuerit iste coquorum princeps, cuius hoc loco mentio fit, qui Hyerosolimitanum succenderit templum traditur lib. 4. Regum ca. 25. & hunc extitisse Nabuzardan Regis Babylonis principem exercitus, qui vt scribitur ibi Hierusalem ingressus succendit Domum Domini, & domum Regis, & domos Hierusalem, omnẽque domum tradidit igni, hic autem coquorum princeps appellatus est, quia secundum Gloss. & Rabanum, ibi Nabuzardan princeps coquorum interpretatur, qui prout domum Domini, & Regis, domosque Hierusalem succẽdit significare dicit diabolum, qui cupiditatis, & luxuriæ igne inflammat, & in eadem significatione mistice hoc loco sumitur cum dicitur, quis est iste princeps, nisi illi, qui deliciosa carnis, plus quærunt, cæterum septuaginta Interpretes, vbi in vulgatis habetur Nabuzardan princeps militiæ vertunt princeps coquorum, vel laniorum, & congrue huiusmodi nomina militiæ principibus aptantur, nam sicut coqui, vel laniones in cædendis carnibus occupantur, ita quoque militiæ perfecti cædendis secandisque hostium carnibus operam dant.

2 Insuper scito quod inhabitator domus huius duplici vitio laborat, scilicet infidelitate, quia credit omnia fato Regi, idest casu, & fortuna.

Infideles hoc loco merito appellantur illi, qui rerum omnium euentus fato, fortuneque tribuunt. Hi namque in his inferioribus diuinam prouidentiam negant, Deumque rerum omnium Gubernatorem, ac supremum motorem minime esse sentiunt, contra id quod scribitur Sapientiæ 14. tua autem Pater prouidentia gubernat, quoniam dedisti, & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam ostendens quoniam potens es ex omnibus sanare, etiam si sine Rate aliquis adeat mare, sed hac de re egimus supra hoc eodem libr. 6. cap. 45. nota quinta, & fuse lib. 4. cap. 40. nota 3.

CHRISTVS REPREHENDIT quendam religiosum disputantem de saluatione gentiliũ, & dicit quod illi, qui bene viuendo laborauerunt, & non effecti sunt Christiani post mortem recipient consolationem a Deo, licet non intrabunt in gloriam.

CAP. LXXVII.

FILIVS loquitur ad sponsam dicens, quid dixit tibi ille frater loquax. Respondit illa, quod gentiles, qui non vocati fuerunt ad vineam, nullo modo habebunt fructum de vinea. Respondit dominus, dic illi venit tempus quo fiet vnum ouile, & vnus pastor, vna fides, & vna clara cognitio Dei, & tunc multi, qui vocati fuerunt, ad vineam reprobabuntur. Qui vero non vocati fuerunt, & tamen iuxta possibilitatem suam laborauerunt, percipient quidem a Deo in supplicijs aliquam misericordiam, & gratiam releuaminis, quamuis ipsam vineam non intrabunt. Item dic illi. Melius est tibi ad salutem cum deuota simplicitate orando legere Pater noster, quam de tam subtilibus propter vanum mundi nomen sophistice disputare. Ideo cogita qualis intrasti religionem, & scias quod citius alibi panem mendicabis. Veruntamen si tu mutaueris voluntatem tuam, Deus mitigabit sententiam suam.

Digitized by Google

EXPELLEBATVR PER verba hic contenta reuelata sponsæ a quadam domo vnus diabolus, qui dabat responsa, & prędicebat aliqua futura habitantibus ibi idolatrantibus, quibus statim virtute Dei, & verborum conuersis dæmon confusus cum clamore recessit.

CAP. LXXVIII.

CVM Sponsa hospitaretur in quadam domo vna nocte. Vbi diabolus aperte loquebatur, & dabat responsa, & prædicebat multa. Igitur ipsa pręsente siluit spiritus ille immundus. Et tunc ipsa in oratione audiuit vocem dicentem sibi, neminem tamen videns. In isto inquit loco facta sunt aliqua mala ab inhabitantibus prioribus, & ab his, qui nunc habitant hic. Nam colunt pœnates, & non frequentant ecclesias, nisi propter pudorem hominum, nec audiunt aliquando verba Dei. Ideo diabolus in hoc loco dominatur, propterea confessor tuus congregatis omnibus inhabitantibus in domo ista & vicinis, dicat eis ista verba. Deus vnus est, & trinus, per quem omnia facta sunt, & sine ipso nihil fieri potest, diabolus autem creatura ipsius est, qui tamen vnum ante pedes vestros mouere non potest, nisi ipso Deo permittente. Sed quando plus quæritis, & diligitis creaturam, & mundum quã Deum, & quæritis ditari contra Deum tunc diabolus incipit possidere animas vestras, faciens vos permittente iustitia Dei in temporalibus prosperari. Ideo credite in Deũ, & dimittite serpẽtes quibus propinatis lac, & ne faciatis primitias pęnatibus de pecoribus, vel porcis vestris, nec de panibus, aut vino, nec de alijs rebus. Nec dicatis, quod fortuna facit ista, vel illa, sed quia Deus sic permisit. Nec dicatis, quod in altari nihil aliud immolatur, nisi vna tortella panis, sed firmiter credite, quod ibi est vere corpus Dei crucifixum in cruce, & credite vere Sacramentis baptismi confirmationis, & vnctionis, & tunc fugiet diabolus a vobis. Igitur omnibus clamantibus credimus, & promittimus emendationem, statim de fornace, vbi diabus dabat responsa audita est vox dicens. Ecce hic amplius non habebo locum, & sic recessit confusus, nec postea ibi vox, & tribulatio diaboli est audita.

QVIDAM MORTVVS fuit per iustitiam, quia ad sacerdotium non ordinatus celebrabat de quo Christus dicit, quod propter illam pœnam, & contritionem quam habuit non damnatur in anima. Missæ tamen, & alia sacramenta, quæ contulit profuerunt fidelibus recipientibus propter fidem quam habuerunt.

CAP. LXXIX.

1 QVIDAM non ordinatus ad sacerdotium celebrabat missas, qui pręsentatus iudici adiudicatus est igni. Pro quo oranti sponsæ Christ⁹ loquebatur dicẽs. Vide misericordiam meam, hic homo si dimissus fuisset impunitus, nunquã obtinuisset gloriam. Nunc autem obtinuit contritionem, & ideo propter supplicium, quod patitur, & contritionem appropinquat gratię, & requiei. Nunc autem potes quærere si populus, qui audiebat missas, & recipiebat sacramenta non ordinati sit damnatus, aut mortaliter peccabat? Respondeo tibi, quod nequaquam damnatus est, sed
1 fides audientium saluauit eos, quia credebant eum ab Episcopo ordinatum, & me
2 esse in manibus eius in altari. 2 Sic, & fides parentum profecit baptizatis ab eo, quia fides ex charitate operum credit digna de Deo, non erit sine remuneratione, nec fraudabitur a desiderio suo.

NOTAE.

1 QVidam non ordinatus ad sacerdotium celebrabat missas.

Ex doctrina huius capitis colligendum est, primo sacerdotem non habentem sacerdotalem characterem, qui hoc loco celebrasse missas scribitur, sacro-

sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum nullatenus confecisse, hoc enim, & Concilia, & sancti Patres definierunt, & concilium Lateranense sub Innocentio Tertio cap. 1. Conc. Florent. de Sacramento Eucharistiæ, immo nec ipsis met diaconis Missæ sacrum facere licet, sed solis sacerdotibus, vt habet Concil. Nicenum canone 18. Cartaginense sextum, can. 18. Arelatense primum cano. 15. probat D. Isidorus libr. 2. de Ecclesiasticis officijs cap. 7 D. Thom 3 par. quæst. 82. articul. 1. Magister in 4 dist. 13. & ibi communiter Scholastici: insuper hoc loco admonere lectorem censui, eos qui bona fide huiusmodi sacerdotis non ordinati Missas audierunt, & minime consecratam hostiam adorarunt, nec peccasse, neque propriæ idolatriæ vitium admisisse 3. quod patet ex responsione ad propositam dubitationem prope finem huius capitis, vbi dicitur, respondeo tibi quod nequaquam populus damnatus est, sed fides audientium saluauit eos, qui credebant eum ab Episcopo ordinatum, hunc autem sic celebrantem grauiter peccare, asserit D. Thom. 3. par. quæst 80. artic. 6. ad secundum, quia iste quantum est ex se idolatrare facit illos, qui credunt adorare hostiam consecratam, quia inquit D. Augustinus in psalm. 89. nemo carnem Christi manducat, nisi prius adoret, vnde optime docet D. Thomas, sic adorantes hostiam non consecratam putantes esse consecratam propriæ idolatriæ vitium non committere, nec formaliter esse idolatras, quoniam, vt ipse met tradit 2. 2. qu. 94 artic. 3. ad primum argumentum idolatria exigit interiorem infidelitatem, quod non præsupponitur in illis, qui bona fide accedunt, vel summunt ab eo, quem putant esse rite ordinatum. Postremo etiam sciendum est, huiusmodi Missas a non ordinato celebratas, nec prodesse potuisse ex opere operato, quia sub speciebus panis, & vini Christus minime præsens erat: per opus enim operatum in sacrificio altaris intelligunt doctores Theologi non externas sacerdotis actiones, sed opus Dei in vera consecratione, per quam sub speciebus panis, & vini habetur præsentia Christi, quod non a merito sacerdotis, sed a Christi potentia pendet, cum ergo Christus ibi sacramentaliter nō fuerit præsens, non videtur quomodo, ex opere operato non ordinati sacerdotis Missa potuerit astantibus prodesse.

2 Sic & fides parentum profecit baptizatis ab eo.

Hic textus corruptus est, & aliqua desiderantur. Et propterea ad huius intelligentiam sciendum est hic agi de quodam, qui charactere sacerdotali non insignito Missas celebrabat, & baptizabat, duo autem, vt ex prædicti capitis narratione deducitur, legimus hoc loco, primo hunc sic celebrantem non confecisse Sacramentum Eucharistiæ: Secundo vero eos, qui eius Missas audiebant non peccasse, existimantes vere eum esse sacerdotem. De Sacramento autem Baptismatis ab eo collato secus dicendum est, nam, & si ipse sacerdos minime esset. Verum tamen baptismatis Sacramentum conferebat, sicut, & conferunt laici si debita Materia, & Forma vtantur, & facere intendunt quod facit Ecclesia, et propterea cum scribitur hic, quod fides parentum proficiebat Baptizatis ab eo, intellige non de sola fide, sed de fide cum Baptismo coniuncta, quandoquidem si huiusmodi homo cum baptizabat debita Materia, & Forma vtebatur, & verum baptisma conferebat, & baptizatis ab eo, huiusmodi Sacramentum ad salutem proficiebat.

CHRISTVS LOQVITVR Sponsæ de quadam fœmina, quæ a dæmone incubo luxuriose horribiliter vexabatur dicens, quod per confessionem puram, & sumptionem Eucharistiæ, & per orationes seruorum Dei liberabitur.

CAP. LXXX.

Qvædam fœmina vexata est a demonio, & sic venter eius intumuit, vt quasi paritura esset subito, & iterum paulatim detumuit, vt quasi nihil in vtero habuisset. Cumque diu sic vexaretur ab immundo spiritu, & continue intumesceret more parientis domina illius consuluit sponsam Christi super hoc. Cui oranti dixit Christus. Sicut in spiritibus bonis vnus est altero subtilior, & superior. Sic, & in spiritibus malis vnus
1 est nequior altero. 1 Nam in isto regno sunt specialiter tria genera dæmonum. Vnum est igneum, & flammeum, quod dominatur in gulosis, & ebriosis. Secundum est diabolicum, quod possidet corpus, & animam hominis. Tertium est abominabilius cæteris, quod incitat hominem contra ipsam naturam ad luxuriam. Ergo quia in hac muliere dominatur dæmon propter infidelitatem, & incontinentiam suam, & quia ex rubore non confessa accessit ad Sacramentū altaris. Ideo confiteatur peccatum diu celatum, & amici Dei orent pro ea, & postea sumat corpus meum de manu sacerdotis, quia placet mihi, vt orationibus, & lachrymis pro ea fusis ab aliquibus amicis meis sanetur. Quibus sic factis mulier sanata est.

NO-

Digitized by Google

NOTAE.

1 NAm in iſto Regno ſunt ſpecialiter tria genera dæmonum vnum eſt igneum.

Quemadmodum inter Angelos bonos datur ordo prælationis, & vnus eſt ſuperior, ac dignior altero, vt probat Magiſter in 2. diſt. 6. ita quoque inter Dæmones vnus eſt nequior altero, ſicut ſcribitur hic, vbi, eorum genera enumerantur tria, quorum primum genus flammeum appellatur, quod ex hoc genere Dæmones in homine maxime libidinis faces accendunt, ac ad carnis vitium inflammant; ſed de generibus dæmonum multa congerit Pſellus; qui agens de natura eorum ſex genera eſſe arbitratus eſt, vt refert Ludouicus viues in comment. ad libr. 10. D. Auguſt. de ciuitate Dei cap. 9. & 11. & tradit etiam Porphirius in libr. reſponſorum, ex Apollinis oraculis, hi tamen auctores ſupponunt, hos dæmones iuxta ſex eorum genera in ſex locis morari, ibique hominibus nocere, & hãc ob cauſam alios vocarunt igneos, quod circa ſublimiorem aerem opinentur peruagari, alios aereos, quod in aere propinquo nobis oberrent, alios terreos, quod circa terram, alios aqueos, & maritimos, quod tempeſtates excitent, & plurimos aquis perdant; ſed contra hoc eſt Principis Apoſtolorum auctoritas, qui in ſecunda ſua epiſtola cap. 2. Dæmones poſt lapſum in aere ſolum caliginoſo veluti in carcere detruſos fuiſſe, vſque ad vniuerſale iudicium tradit, quod etiam affirmatum D. Auguſt. lib. 11. de ciuit. Dei cap. 33. & lib. 3. ſuper Geneſim cap. 10. & venerab. Beda ediſſerens illa verba epiſtolæ Beati Petri citatæ ſi enim Deus peccantibus Angelis non pepercit. idem etiam habet Magiſter ſent. vbi ſupra. D. Thomas p. 1. qu. 64. art. 4. & ibi Cardinalis Caetanus, Liranus etiam, & Dioniſius Carthuſianus in locum citatum D. Petri, & colligitur ex epiſtola Iudæ Apoſtoli, vbi dicit Angelos vero, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.

DANTVR HIC REMEDIA a Chriſto per quæ vnus puer trium annorum, qui vexabatur a diabolo ſanatus eſt. Mater etiam eius, quæ illudebatur a dæmonio incubo per virtutem Chriſti, & verborum hic contentorum ab eo liberata eſt.

CAP. LXXXI.

PVER trium annorum quietari non poterat, niſi quando aſpergebatur frigida aqua, quod videns ſponſa mirata eſt. Cui dixit Chriſtus. Vide iuſtitiam, & permiſſionem Dei. Mater huius pueri diu a dæmone incubo vexata eſt.
1 1 Nam diabolus, quia ſpiritus eſt aſſumit ſibi corpus de aere, in quo laſciuiens oſtendit ſe viſibilem, exercendo cum illa fœmina, quaſi luxurioſe malitiam, & nequitiam ſuam, & licet puer de ſeminibus patris, & matris natus eſt, maximam tamen diabolus in eo poteſtatem habet, quia baptiſmate vero renatus non eſt, ſed eo modo baptizatus, quo mulieres ignorãtes verba Trinitatis baptizare ſolẽt. Ideo puer baptizetur in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti, & ſanabitur. Mater vero confiteatur peccatum ſuum, & dicat quando diabolus accedit ad eam. Ieſu Chriſte filij Dei, qui natus es de Virgine Maria pro ſalute hominum, & crucifixus es, & nunc regnãs in cælo, & in terra miſerere mei. Quod mulier faciens liberata eſt.

NOTAE.

1 NAm diabolus, quia ſpiritus eſt aſſumit ſibi corpus de aere, in quo laſciuiens oſtendit ſe viſibilem, exercendo, cum illa fœmina, quaſi luxurioſe malitiam.

Angelos, & bonos, & malos aerea aſſumere corpora, cum hominibus apparere volunt antiqua fuit ſanctorum quorundam patrum ſententia, & primo hoc tradidit D. Greg. lib. 2. moral. cap. 1. vbi affirmat, quod Abraham nunquam vidiſſet Angelos, niſi ex aere Angeli corpora ſumpſiſſent: eam-

dem sententiam tenet D. Isidorus lib. 1. de summo bono c. 12. Angeli inquit corpora in quibus hominibus apperent, de superno aere, sumunt, solidãq; speciem, ex calisti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifeste demonstrantur, sequitur etiam Vene. Beda in lib. de natura rerum. Durand. in 2. d. 8. q. 1. innuit Cardin Caet. qui in comment. epistole ad Ephes cap. 2. Dæmones vocat spiritus aereos, fauet etiam Dominicus Bannes in commen. ad. p. 1. S. Thomæ q 51 art. 2. sed quoniam D. Bonauent. in 2. d. 8. quæst 2. dicit sibi difficile videri quomodo ex aere constitui possit corpus coloratum cum aer absque naturæ auxilio colorem producere non possit, ideo sciendum est, quod hoc auxilium potest optime ex tribus haberi, primo quidem ex parte ipsius met elementi aeris, ad cuius naturam pertinet, vt sit condensabile, ac rare factibile: secundo ab ipsa met luce huiusmodi auxilium obtineri poterit, nam elementum aeris est lucis susceptiuum, postremo etiam ab ipso met Angelo, qui optime nouit, qualis, & quanta rarefactio, ac condensatio necessaria sit ad formationem illius corporis, ex his videtur probabiliter dici posse, Angelos aerea corpora formare, ac sumere posse, sicut legimus hic, existimat tamen Scotus in 2. dist. 8. q. 1. huiusmodi corpora non ex aere solum formari, sed ex Aere imperfecte mixto, eo quod alias non possent habere figuram, sed iam diximus posse ab Angelo elementum aeris condensari, absque eius corruptione, ita vt colores varios accipiat, an autem in corporibus assumptis possint Dæmones se se mulieribus commisceri, ac generare, prout innuitur hic, vbi legimus dæmonem frequenter habuisse copulam cum quadam fœmina, tradidimus supra hoc eodem lib. 6. cap. 07. nota secunda.

CHRISTVS GRAVITER repræhendit hic credentes spiritui Phitonis prædicenti futura, quia hoc operatur diabolus ex subtilitate naturæ permissione Dei propter infidelitatem, & cupiditatem hominum.

CAP. LXXXII.

MILES quidam consuluit Phitonem, vtrum homines regni deberent rebellare cõtra regem Suetiæ, vel non, & sic euenit sicut Phitonissa dixerat, Quod factum milite narrante regi, præsente sponsa Christi statim, cum ipsa diuertisset se a rege audiuit in
1 spiritu vocem Christi dicentem sibi. 1 Audisti quomodo miles consuluit Phitonem, & quomodo prædixit futuram pacem. Ideo dic regi, quod hæc fiunt ex permissione mea propter malam fidem populi. Nam diabolus ex subtilitate naturæ suæ multa futura cognoscere potest, quæ vt decipiat credentes sibi & infideles mihi, innotescit consulentibus. Propterea dic regi, vt tales homines extirpentur a consortio fidelium, quia tales deceptores sunt animarũ. Quia propter lucrum temporale dant, & humagiant se diabolo, vt plures decipiantur. Nec mirum, quia quando homo plus desiderat scire, quam Deus vul eum scire, & ditari affectat contra velle Dei. Ideo tunc dæmon tentans mentem eius, & videns inclinatam infusionibus suis mittit adiutores suos, scilicet Phitones, & alios aduersarios fidei, quibus decipiatur. Et cum modicum temporale consequitur, quod desiderat perdit, quod est æternum.

NOTAE.

1 AVdisti quomodo miles consuluit Phitonem, & quomodo prædixit futuram pacem, ideo dic Regi, quod hæc fiunt ex permissione mea.

Duo in præsenti cap. nobis declaranda sunt; primo quidem quid importet Phitonis nomen; secundo vero quomodo, & qua ratione isti aliquando vera prædicant sciendum tamen primo est, Christum Dominum in præsenti capite eos redarguere, qui Phitoni fidem præstant, dicitque huiusmodi homines a Regnis, & Prouincijs eiiciendos esse, vt pote qui cum dæmone pactum ineunt, & plurimorum etiam animas decipiunt. quod iam prohibitum erat Leuitici 19. & Deuteronomij 18. vbi scribitur, nõ sit qui Phitones consulat, neq; diuinos, quid autem Phitonis nomen significet. quid ve sit explicat Liranus ibi dicuntur inquit Phitones ventriloqui, qui habent in ventre dæmonem, exterius
1 *verba proferentem, idem habet Gloss Ord. quæ addit dictos esse a Phitone, idest, Apolline, quem diuinationis Deum esse credebant, sed septuaginta interpretes illud Leuitici 19. non declinetis ad Magos, vertunt ad ventiloquas, meminit Tertullianus ventriloquarum mulierum ventriloquas, inquit, mulieres hac nostra vidimus tempestate, quibus sedentibus vocula quædam ab earum pudendis exaudiebatur, respondebatque scita-*

ſtiſcitantibus, ipſeq; audire volui, non quod vllam his fidem adhiberem, ſed vt dæmonum præſtigia cognoſcerem, ſed latius deſcribit Phitonem ex Hebræorum ſententia, Hieronymus Oleaſter in Leuiticum cap. 19. explicans illa verba, non vertetis vos ad Phitones, eſt autem hebræis auctoribus Phiton homo, aut mulier, inter cuius femora aſcendit, aut ſedet mortuus, vel inter axillas eius loquẽs ſubmiſſa admodum voce, ac ſi ex inferioribus terræ partibus prodiret, eſt & alia Phitonis ſpecies, qua mortui craniũ conſulitur, ac ab eo reſponſum quæritur, ſunt qui hanc Magiæ ſpeciem, vt refert Oleaſter vbi ſupra ſic cenſent dictam eſſe, eo quod, qui ea vterentur obtuſa voce, tanquam ex lagencula, vel cauea loqui viderentur, Cæterum plura de ſignificatione huius nominis habent Orig. homil. 1. ſuper Exodum, & Beda cap. 1. in Exodum, Philo de ſomnijs, hoc ergo nomen Phiton citati doctores interpretantur, os deficiens, & hac ratione crediderim, quia deficit, qui loquitur mendacium, prout Phitones faciunt, & quanquam per coniecturas aliquas, quæ Mundi ſunt, diuinare ſoleant ex permiſſione Dei, ſepiſſime tamen auctore D. Aug. tract. 85. in Ioan. & lib. 2. contra Maximum fallere, & falli conſueuerunt, ſed vt breuiter hic explicemus, quomodo Dæmones, aut etiam Phitones Dæmonum miniſterio aliqua prædicere poſſint, notandum eſt id ex quadruplici cauſa fieri poſſe, Primo quidem, ſi ſermo fiat de futuris, quæ pendent a cauſis neceſſario agentibus, dico iſta certitudinaliter, & prænoſci, ac prædici poſſe, ſi vero de his loquamur futuris, quæ producuntur a cauſis non neceſſario operantibus, ſed ſemper, & vt in pluribus, dicendum eſt, iſta quoq; non per certitudinem, ſed per coniecturas quaſdam præſciri, ac diuinari poſſe, ſicut Aſtrologi, & pluuias, & ſanitates, & medici morbos, & ſanitates, & mortes, quandoq; diuinant, ex ſtellarum, ac rerum naturalium conſideratione, futura vero, quæ emanant a cauſis quæ ſe habent ad vtrumlibet, vt de potentijs rationabilibus, in quibus libertas eſt ad oppoſita, & ad operandum, & non operandum, per cauſarum inſpectionem, nec præſciri, nec diuinari poſſunt, quia vt egregie probat D. Thomas 2. 2. q. 95. artic. 1. in corpore eorũ cauſæ non habent inclinationem determinatam ad huiuſmodi effectus, & ideo effectus huiuſmodi prænoſci non poſſunt, niſi cum præſentes ſunt, & hæc eſt cauſa quare Phiton ille, quem conſuluiſſe legimus militem in hoc capite certo prædicere non poterat futuram pacem in Regno Sueciæ, quia inire pacem, & non inire pendebat ex libera voluntate Regis, & ſubditorum, qui illam poterant velle, ac etiam nolle: permiſit tamen Deus, vt Phiton ille vera prædiceret propter malam fidem illius populi, & præſertim cum homo deſiderat plus ſcire, quam debeat ſcire, & non ad ſobrietatem ſapere, vel quærit etiam inordinate diuitias horum miniſterio Dæmonum, & tunc iuſte Deus permittit, vt decipiantur deinceps ab his, quia cum ſemel aliqua vera protulerint, impoſterum ſemper illos vera dicturos eſſe homines opinẽtur, ſicq; dum temporalia lucra quærant, æterna bona perdunt, quartam etiam addit cauſam D. Aug. in lib. quem edidit de diuinatione Dæmonum cap. 5. qui tomo tertio ſuorum operum habetur, dicit enim Dæmones plerunq; ea pronunciare, quæ facturi ſunt, accipiunt enim ſæpe poteſtatem, & morbos immittere, & ipſum aerem vitiare, & peruerſis hominibus terrenorum amatoribus malefacta ſuadere, de quorũ moribus certi ſunt, quod ſint eis talia ſuadentibus conſenſuri, hactenus Auguſtinus, qui aliquanto poſt admonet, Dæmones id facere, vt fallant, & ſtudio fallendi, & inuida voluntate, qua hominũ errore lætantur, neq; tamen exiſtimandum eſt, hãc diuinationis artem minime malam eſſe, quia Deus quandoq; permittat, vt legimus hic, dæmones, vel homines miniſterio Dæmonum vera nunciare, quia vt reſpondet D. Aug. vbi ſupra, non ideo hæc videri iuxta debere, quia ea fieri ſineret omnipotentiſſimus, & iuſtiſſimus Deus, nam, & alia multa manifeſtiſſime iniuſta fieri, ſicut homicidia, & adulteria, & cætera huiuſmodi, quæ quamuis iuſto Deo, eo quod iniuſta ſint ſine dubitatione diſpliceant, idem tamen omnipotens ea fieri certa indicij ſui ratione permittit, non vtique impune, ſed ad eorum damnationem, a quibus fiunt, quæ diſplicent iuſto.

CHRISTVS DICIT QVOD deuotio gentilium in futurum pluſquam Chriſtianorum permaxime augmentabitur, & cantabunt omnes Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

CAP. LXXXIII.

Filius loquitur ad ſponſam dicens. Scias quod adhuc tanta erit deuotio in gentilibus, quod Chriſtiani erunt ſpiritualiter quaſi eorum ſerui, & complebuntur ſcripturæ, quod populus non intelligens glorificabit me, & ædificabuntur deſerta, & cantabunt omnes Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & honor omnibus ſanctis eius.

CHRISTVS REPREHENDIT onerantes se multis vestibus propter frigus, & superbientes de pulchris vestibus sicut pauo de pennis dicens, quod si plene confiderent in eo, ipse daret eis pulchritudinem, & calorem in corpore, & anima.

CAP. LXXXIIII.

CVm sponsa in medijs frigoribus in Regno Suetiæ venisset ad quandam insulam nauigando, & iam omnes dormirent, nolens inquietare aliquos permansit ad diem in naui. Cumque famuli vltra modum paterentur de frigore, ipsa tantum calorem sentiebat, quod tangentes eam, & videntes mirarentur. Cui oranti circa auroram dixit dominus.

1 1 O quam multum diffidunt homines de me, qui onerant se vestibus sicut Herinacius pomis, 2 & sicut pauo pennis sic superbiunt ipsi de pulchris vestimentis. Cum tamen nec calefieri possent sine me, nec pulchri videntur nisi de meis. Si autem ipsi ponerent spem suam in me, ego darem eis calorem corporis, & animæ, & facerem eos pulchros in conspectu sanctorum meorum. Nunc autem deformes sunt, quia non contentantur de necessarijs & feruentius diligunt creata, quam Creatorem.

2 var. lect.

NOTAE.

1 O Quam multum diffidunt homines de me, qui onerant se vestibus sicut Herinacius pomis.

Fritius seu, vt alij volunt Herinacius, idem esse animal aliqui opinantur, quod Chorogryllus, sic Liranus, & Oleaster in Leuitic. capite vndecimo, vbi inter animalia connumeratur immunda, putat tamen D. Hieron. ad Iuniam, & fretellam diuersa esse, ac distincta animalia, sed quicquid sit Arist. nono de Historia Animalium 6. dicit, quod quadrupet est, aculeis seu spinis armatum, quas habet in modum pilorum, habitat iuxta paludes, ac etiam in paludibus, facitq; sibi cauernam duo habentem foramina, vnum ad Boream, alterum ad Austrum, & flante Borea claudit Boreale foramen, aperitq; quod est ad Austrum, flante vero Austro, Australe claudit, & Boreale aperit, alij tradunt hoc animal hyeme parare cibum, ita vt inter poma, quæ sub arbore deciderunt volutatur, easque affixa spinis, etiam vnum ore portat, & in cauernas defert, & hoc est, quod legimus hoc loco, huiusmodi animal se onerare pomis, ideo symbolum Auari est, eiusq; qui superflua quærit, ac de diuina prouidentia diffidit, addit D. Aug. in psalm. 103. figuram esse peccatoris hominis, eo quod spinosum est, & spinæ peccata referunt, huius quoq; animalis proprium esse testatur D. Isidorus libro 12. Ethimolog. cap. 2. quod cum ad vineas confugit, vt sibi cibum paret, vuas de vitæ abscindere, deinde se se supinum super eam volutare, sicq; eam natis suis exhibere.

2 v. l. Et sicut Pauo pennis.

Aut etiam sicut M. S. Farnesianus legit, sicut Pauus pennis, hoc enim animal superbiæ symbolum est, quemadmodum enim Pauo pulchritudinem propriam extensis solet ostentare pennis, ita quoq; qui plures, easq; formosas gestant vestes superbiæ, vt plurimum, ac suæ pulchritudinis pompam facere volunt, sæpissime peccantes, ex triplici capite primo, cum nimis vestes pretiosæ sunt, vel nimis curiose, secundo cum statui personæ minime sunt conuenientes, tertio, quando quispiam tantam habet vestium copiam, vt a tineis demoliantur, & Christus in pauperibus nudus relinquitur, merito ergo hos similes esse Pauoni hoc loco legimus, verum si quando pedes conspicerent mortem, nimirum, quæ illis proxima est, quæue per pedes extremam corporis partem insinuatur, certe more Pauonis mox erubescentes, pennas dimitterent, neq; per vestes pulchritudinem quærerent, sed de Pauonis proprietatibus plura tractant D. Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 4. qui carnem eius, nunquam putrescere affirmat, & D. Isidorus lib. 12. Ethimolog. cap. 7 & Arist. de Historia Animalium loco superiori nota citato, qui eum annis vigintiquinq; viuere, & post triennium pullificare, & intra idem tempus eius pennas colores accipere tradit.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTVS DICIT SPONSAE quod qui sciẽtes detinẽt male acquisita non intrabunt in requiẽ donec rẽstituantur exemplo vnius animę, quę diu in purgatorio fuerat. Qui vero ignoranter, non punientur. Declarat etiam de eleemosynis bonorum male acquisitorum an proficiunt largientibus.

CAP. LXXXV.

QVidam qui quadraginta annis in purgatorio fuerat, apparuit sponsæ dicens. Egò propter peccata mea, & propter bona illa temporalia tibi nota diu plagatus fui in purgatorio, Nam audiui frequenter in vita, quod iniuste a meis parentibus quæsita fuerunt illa bona, sed ego non curabã, nec restituebam. Cum autem inspirante Deo, quidam de parentibus meis habentes conscientiam, post mortem meam restituerunt bona eadem dominis suis. Tunc ego ex hoc, & orationibus Ecclesiæ sum liberatus de purgatorio. Deinde dixit Christus ad sponsam. Quid credunt homines malæ fidei possessores, qui detinent iniuste obtenta scienter, nunquid quod intrabunt in requiem meam. Certe non magis quam lucifer. Sed nec eleemosynæ de male acquisitis proderunt eis, sed & conuertentur ad consolationem verorum dominorum, quorum illa bona fuerunt. Illi vero, qui habent ignoranter male acquisita non punientur. Sed nec illi amittunt cœlum, qui voluntatem perfectissimam habent restituendi, & faciunt opere quantum possunt, quia Deus propter voluntatem bonam supplebit, vel in præsenti seculo, vel in futuro.

QVALITER VIDIT SPONSA descendentem ignem de cœlo in altare, & in manu Sacerdotis vidit Agnum, & in Agno faciem Christi humanam inflammantem, & audiuit expositionem mysterij.

CAP. LXXXVI.

QVIDAM Sacerdos in die Penthecostes celebrauit primam missam in quodam monasterio. Tunc autem in ipsa eleuatione corporis Christi, vidit sponsa ignem descendere de cœlo per totum altare,
1 1 Et in manu Sacerdotis vidi panem, & in pane Agnum viuum, & in Agno faciem quasi hominis inflammantem, & tunc audiuit vocem dicentem sibi, sicut nunc vides ignem descendere in altare, sic per simile spiritus meus sanctus descendit in Apostolos meos tali die sicut hodie, in-
2 flammans corda eorum. 2 Panis vero per verbum fit agnus viuus, idest corpus meum, & facies est in Agno, & Agnus in facie, quia Pater est in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus sanctus in vtroque. Et iterum sponsa vidit in manu Sacerdotis, in ipsa eleuatione Eucharestiæ iuuenem miræ pulchritudinis, qui dixit. Benedico vos credentes non credentibus ero iudex.

NOTAE.

1 IN manu Sacerdotis vidi panem, & in pane Agnum viuum, & in Agno faciẽ, quasi hominis inflammantem.

Per panem hoc loco omnino arbitror intelligendas esse species panis, non substantiã eius, quia si sub illis speciebus in humana forma B. Brigitta Christum viderat, vt hoc loco insinuatur profecto iam erat peracta consecratio, per quam substantia panis in corpus Christi conuersa fuerat.

2 Panis vero per Verbum fit. Agnus viuus.

Digitized by Google

Verba huius notæ sic explicanda sunt per Verbum, scilicet Consecrationis; panis transubstantiatur in corpus Christi, cuius figura fuit Agnus, absq; macula masculus Anniculus, qui iubebatur offerri in Phase, Exodi 12. Leuit. 1. & alibi centies legitur in Sacris litteris Christi Domini figuram fuisse Agnum, vt annotarunt D. Gregor. super primum Regum cap. 7. D. Hieron. super Isaiam cap. 16. Origen. super Numeros homil. 24. D. Aug. super Ioannem tract. 7.

AD INGRESSVM VNIUS excommunicati in domo, sentiebat sponsa fętorem horribilem, quæ Christus exponens dicit, quod sicut ille fœtor erat periculosus corpori, sic excommunicatio periculosa est animæ excommunicati, & cum eo participantibus.

CAP. LXXXVII.

Quodam die cum sponsa consedisset cuidam Episcopo, & alijs nobilioribus, sensit tunc fœtorem abhominabilem quasi de putredine squamarum piscium, & mirantibus dominis, quod sentiret ipsa sola fętorem, & non alij, statim ingressus est in domum vnus homo, qui excommunicatus erat, sed propter potentiam suam non curabat de vinculo excommunicationis. Igitur finita collocutione Christus dixit
1 sponsæ. 1 Sicut putredo squamarum piscium periculosior est alijs fœtoribus corpori. Sic excommunicatio est spiritualis infirmitas nociuior alijs animæ, quia non solum nocet excommunicato, sed & conuersantibus, & consentientibus cum eo. Ideo Episcopus laboret, vt tales puniantur, ne participatione eorum plures maculentur.

NOTAE.

1 Sicut putredo squamarum piscium periculosior est alijs fœtoribus corpori. Sic excommunicatio est spiritualis infirmitas nociuior alijs animæ, quia non solum nocet excommunicato, sed & conuersantibus.

Excommunicationem non solum ipsismet excommunicatis nocere, sed & conuersantibus cum illis scribitur hic, quod esse intelligendum arbitror de publicis, ac nominatim excommunicatis, & notorijs Clericorum percussoribus, cum quibus specialiter prohibitum est conuersari, & quos omnino vitare tenemur iuxta Concilij Constantiensis decretum sub Martino quinto, quod etiam annotarunt Couaruuias in cap. Alma Mater. paragropho 2. num. 9. Sotus in 4. Sent. d. 22. q. 1. artic. 4. col. 1. Nauarr. cap. 1. paragropho laboret de pœnit. dist. 6. Siluester Verbo Excommunicatio quinto nu. 7. & alij Summistæ, in quibus autem casibus non noceat participare cum excommunicato, & licitum sit tradunt Siluester vbi supra nume. 2. D. Thomas in 4. d. 18. & doctores Theologi plures ibidem, & late etiam Cannonistæ, ac Summistæ, quorum doctrinas non facit ad rem nostram modo referre.

SPONSA DVBITANTE QVID significaret ille motus sensibilis & admirabilis, quem sentiebat in corde quando aliqua ex infusione diuina erant sibi reuelanda. Mater Dei declarat ei veritatem mysterij, annuncians ei, quod Deus, & ipsa volunt per eam mundo indicare voluntatem suam.

CAP. LXXXVIII.

Nocte Natalis Domini. Tam mirabilis, & magna aduenit sponsę Christi exultatio cordis, vt vix se præ lætitia tenere posset, & in eodem momento sensit in corde motum sensibilem, & admirabilem, quasi in corde esset puer viuus voluens se, & reuoluens. Cumque motus iste durarct, ostendit patri spirituali suo, & aliquibus amicis suis spiritualibus, ne forte esset illusio. Qui visu, & tactu probantes veritatem admirabantur. Itaque iterum eodem die in summa Missa apparuit
1 Mater Dei, & dixit sponsæ. Filia miraris de motu, quē sentis in corde tuo, scias, quod non est illusio, sed ostensio quædam similitudinis dulcedinis meæ, & misericordiæ mihi factæ. Nam sicut tu ignoras, quomodo tam subito tibi cordis exultatio, & motus aduenit. Sic aduentus filij mei in me mirabilis fuit, & festinus.

Nam

Nam quando ego consensi Angelo nunciaanti mihi conceptionem filij Dei statim sensi in me mirabile quoddam, & viuidum. Et cum nasceretur ex me, indicibili exultatione, & mirabili festinantia, clauso meo virginali vtero prodiebat. Ideo filia non timeas illusionem, sed gratulare, quia motus iste quem tu sentis, signum aduentus filij mei est in cor tuum. Ideo sicut filius meus imposuit tibi nomen nouæ spōsæ suæ, sic ego voco te nunc nurum filij mei. Nam sicut pater, & mater senescentes imponunt nurui onus, & dicunt ei ea quæ sunt facienda in domo. Sic Deus, & ego in cordibus hominum senes, & frigidi a charitate eorum, indicare volumus amicis nostris, & mundo per te voluntatem nostram. Motus vero iste cordis tui perseuerabit tecum, & augebitur iuxta capacitatem cordis tui.

CHRISTVS PER IOANNEM Euangelistam certificat sponsam, quod idem Ioannes composuit Apocalypsim inspiratione Spiritus sancti, & non alius, & quod glosa magistri Matthiæ super Bibliam, est ab eodem spiritu eidem magistro diuinitus ministrata.

CAP. LXXXIX.

TEmpore quo magister Matthias de Regno Suecię glosator biblię glosabat super Apocalypsim, rogabat quadā vice sponsam, vt sciret in spiritu de tempore Antichristi, & verū a Beato Ioanne Apocalypsis esset cōscripta, quia multi contrarium sentiebant. Igitur super hoc orante fuit rapta in spiritu, & tunc vidit personam quasi vnctam oleo, sed resplēdentem fulgore magno. Cui loquens Christus dixit.
1 Dic testimonium quis composuit Apocalypsim. Respondit ille. Ego sū Ioannes, cui in cruce assignasti matrem tuā. Tu Domine inspirasti mihi mysteria eius, & ego scripsi ad consolationem futurorum, ne fideles tui propter futuros casus euerterentur. Et ait Dominus ad sponsam. Ecce filia dico tibi, quod sicut Ioannes scripsit de spiritu meo futura quæ vidit. Sic Matthias confessor, & pater tuus, de eodem spiritu intelligit, & scribit spiritualem veritatem Sacræ Scripturæ. Insuper dic eidem magistro tuo quem ego feci magistrum, quod multi sunt antichristi, sed quomodo, & quando veniet ille maledictus antichristus ostendam sibi per te.

NOTAE.

1 DIc testimonium quis composuit Apocalypsim.

Rogauerat B. Brigitta Christum Dominum, vt ei propalare dignaretur, quis nam Sacram scripsisset Apocalypsim, tunc enim temporis sicut in præsenti capite legimus in dubium reuocari videbatur, an D. Ioannes Euangelista eius fuerit auctor, ac scriptor, qua de re tres in Vniuersum quantum ego ex Ecclesiasticis doctoribus comprehendere potui, de B. Ioannis Apocalypsi olim fuere sententiæ, primo quidem eam non fuisse Ioannis, eius nimirum, qui scripsit Euangelium, & primi, qui hunc in Ecclesia errorem inuexerunt, fuerunt Cerdon, Marcion, & Alogi sic dicti hæretici, vt ex Tertulliano de præscriptionibus cap. 51. & aduersus Marcionem lib. 4. cap. 5. colligit Cardinalis Baronius nostra hac tempestate vir doctissimus primo tomo Annalium, Anno Christi Domini 97. atque hi hæretici arbitrati sunt librū hunc ab hæresiarcha Cherintho fuisse confictum, ac innumerabilibus figmentis refertum, quos Epiphanius hæresi 51. confutauit, post hos accesserunt Lutherani, qui contra Vniuersalem Catholicæ Ecclesiæ opinionem, hunc quoq; librum damnare, & multis rationibus labefactare ausi sunt dicentes a doctissimis viris fuisse reiectum, & ex titulo ipsiusmet libri, & ex vtraq; Scriptura, Euangelij scilicet, & Apocalypsis colligi non esse D. Ioannis, sed quoniam hæc, & alia horum perditorum hominum argumenta refert, & confutat Sixtus Senensis libro septimo suæ Bibliothecæ hæresi decima, ideo hæc consulto omisimus. Postremo plures etiam dubitarunt, An Ioannes, cuius in principio Apocalypsis mentio fit, fuerit ille, qui Euangelium scripserit, an vero Ioannes quispiam alius Presbyter Ephesi sepultus, de quo Eusebius Cesarensis lib. 3. hist. Ecclesiast. cap. 33. sed ab hoc quoq; hunc librum non fuisse conscriptum egregie probat Cardinalis Baronius vbi supra, tum ex sententia D. Dionysij, tum etiam rationibus, sed ne in re, quæ sole clarior est immoreremur, dicendum nobis est D. Ioannem Euangelistam omnino Apocalypsis fuisse auctorem, ac scriptorem, sic .n. ipsemet in præsenti c. 89 fatetur his verbis, Ego sū Ioānes, cui in Cruce assignasti Matrem tuam, tu Domine inspirasti mihi mysteria eius, & ego scripsi ad consola-

solutionem futurorum, ne fideles tui propter futuros casus euerterentur, atq; hec fuit semper in Ecclesia Dei veritas recepta, & in Sacris Concilijs, Sanctisq; Patribus approbata, & primo occurris Concilium Anciranum sub Diocletiano Augusto celebratum canone vltimo, & ab Eusebio libro 4. cap. 25. relatum, quod Apocalypsis D. Ioannem Euangelistam facit auctorem, idem probat Concil. Tridentin. sess. 4. in decreto de Canonicis scripturis, & D. Dionisius Pauli Apostoli discipulus Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. Irenæus lib. 5 & Iustinus in dialogo cum Triphone, Hippolytus Martir de consummatione sæculi. Origen. homil. 7. in Iosue, Tertullianus de præscriptionibus cap. 33. D. Athanas. in Sinopsi, D. Augustinus tract. 36. in Ioannem affirmat Apocalypsim eiusdem esse Ioannis, cuius Euangelium, idem habet de doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. & de sancta virginitate cap. 27. fauet D. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. Clemens Alexandrinus in pedagogo lib. 2. Ciprianus aduersus Iudæos, D. Hieron. Epistola 129. ad Dardanum, & de viris illustribus, D. Isidorus lib. 6. Ethimolog. Hyllarius præfat. in psalmos.

DVBITANTE QVODAM Religioso incredulo, & disputante de ista gratia videndi cœlestia sponsæ diuinitus gratis data Christus reprehendit eum per sponsam de loquacitate, & scientia sua vana, & corripit cum infirmitate paralysis.

CAP. XC.

MAgistro *Matthia* loquente cum quodam religioso magnæ authoritatis, & familiaritatis de ista gratia visionum cœlestium diuinitus data sponsæ. Respondit ille religiosus nō est credibile, nec concordat scripturæ, quod *Deus* recesserit a continentibus, & abdicantibus mundum, & ostendat secreta sua magnificis fœminis. Magistro vero allegante plurima super hoc, ille non consensit. Cum autem sponsa audisset ista, & vidisset magistrum turbatum, posuit se ad orationem, & tunc rapta in spiritu audiuit Christum sic dicentem. *Multorum* est ista periculosa infirmitas, quod de Antidoto infirmantur. *Ideo* non est eis dandum ne grauius infirmentur. Ego autem sum medicina infirmorum, & veritas errantium, sed iste religiosus loquax non desiderat medicinam, quia stercus scientiæ vanitatis est in corde eius. Ideo dabo ei vnam alapam cum manu mea, & audietur ab omnibus, quod ego sum Deus non loquax, sed efficax, & metuendus. Hic idem religiosus post hęc tribulatione humiliatus est, & paralyticus mortuus est.

CHRISTVS PRAECIPIT sponsæ, quod confortet corpus cum cibis moderate, ne ex eius defectu anima impediatur in diuinis.

CAP. XCI.

CVm sponsa esset nimis de ieiunio, & vigilijs in capite, & corpore defectuosa, & loquente cum ea Christo, animus eius ex debilitate minus perfecte perciperet verba audita tunc addidit Christus. Vade, & da corpori moderata necessaria, quia sic placet mihi, vt caro habeat moderata necessaria, & anima non impediatur a spiritualibus propter eius defectum.

CHRISTVS REPREHENDIT cum comminatione quendam monachum, qui coram rege per Vitas Patrum asserebat sponsam esse delusam & dicit Dominus, quod illi patres delusi fuerunt, qui superbientes de iustitia sua præferebant se alijs nolentes obedire viris humilibus.

CAP. XCII.

PRæsente sponsa. Quidam monachus portauit librum Vitas Patrum, coram consiliarijs, & Rege Sueciæ, legens in eo, quod multi ex Sanctis Patribus fuerunt delusi, ex abstinentia nimia, & indiscretione. Et ideo dixit se timere ne forte sponsa similiter illuderetur. Cumque post hæc staret oran-

orando, audiuit Christum dicentem sibi. Quid dixit monachus ille, quod multi sanctorum fuerunt delusi. Vere iste saccus verborum dixit, vt voluit, sed non sicut debuit. Nam nulli amici mei delusi sunt, qui me dilexerunt sapienter, sed illi qui superbientes de abstinentia, & iusticia sua præferebant se alijs, & nolentes obedire humilibus hi delusi sunt, & quia iste monachus portauit librum sanctorum patrum contra me, quorum imitator ipse non est. Ideo ego portabo librum iustitiæ meæ contra eum, & qui in sapientia sua laudatur veniet coram sapientia mea, & tunc videbit in conscientia sua, quod vera sapientia non est in verbis sublimibus, sed in cōscientia pura, & humilitate vera. O quam longe professores ordinis istius recedunt a vestigijs patris sui, qui fuit sicut ædificator sepium diruptarum, & sicut vir gradiens semitas perfectorum.

VISIO NOTANDA DE quadam domina, quam Virgo Maria, & Petrus sustentabant ne caderet, quorum consilio mutauit vitam & ex gratia speciali diuina incurrit infirmitatem, in qua purgata migrauit ad cęlum.

CAP. XCIII.

Sponsa videbat in spiritu vnam mulierem in funere sedentem. Cuius alterum pedem, sustentabat vir speciosus, alium vero virgo quædam pulchritudinis miræ. Et tunc Beata Maria apparens dixit. Hæc domina tibi nota, multis sollicitudinibus inuoluta carnis, & mundi mirabiliter ne caderet seruata est. Ipsa quippe multoties habuit voluntatem peccandi, sed nec locum, nec tempus, & hoc fecit oratio Petri Apostoli, & filij mei quem ista mulier dilexit. Quandoque habuit tempus, & locum, sed non voluntatem, & hoc fecit charitas mea, quæ sum mater Dei, & ideo quia iam appropinquat tempus eius, consulit ei Beatus Petrus, vt aliquam austeritatem assumat in habitu deponendo vestimenta meliora, quia ipse summus Apostolus etiam nuditatem, & carcerem pertulit, & esuriem, quamuis potens erat in cœlis, & in terris. Ego vero mater Dei, quæ nullam horam sine tribulatione cordis transiui in terris, consulo, vt ipsa non erubescat esse humilis, & obedire amicis Dei.

Post hæc autem statim, apparuit Beatus Petrus Apostolus dicens sponsæ. Tu noua sponsa Domini, & Dei nostri, vade, & quære ab illa muliere quam ego dilexi, & custodiui, si forte esse velit ex toto mea filia. Et illa requisita consentiente, & dicente volo toto corde. 1 Respondit Beatus Petrus, Ego prouidebo ei sicut filiæ meæ Petronillæ, & recipiam eam in custodiam meam. Et statim domina illa his auditis mutauit vitam suam, & non longe post cępit toto vitæ suæ tempore infirmari, donec purgata cum maxima deuotione tradidit spiritum. Hæc igitur domina cum jam supremum ageret spiritum, vidit Beatum Petrum Apostolum in Pontificalibus, & Sanctum Petrum Martyrem in habitu fratrum Prædicatorum. Ambos enim in vita sua intime dilexerat, & tunc ipsa, dixit aperte. Quid est Domini mei? Cumque Domini circūstantes quærerent si quid vidisset? Respondit mirabilia inquit. Nam video Dominos meos Petrum Apostolum pontificaliter indutum, & Petrum martyrem in habitu prædicatorum, quos ego semper amaui, & in adiutorio eorum semper speraui. Et statim clamans. Benedictus Deus ecce venio, obdormiuit in Domino.

NOTAE.

1 RESpondit Beatus Petrus, Ego prouidebo ei sicut filiæ meæ Petronillæ, & recipiam eam in custodiam meam.

Duo in præsenti nota de B. Petronilla indicantur, primo eam Apostolorum Principis fuisse filiam, cum enim ipse coniugem habuisset, filiam quoque ex ea genuisse credimus, quod factum esse probat Cardinalis Baronius Tomo primo Annalium, Anno Christi 69. antequam ad summam Apostolatus dignitatem Petrus assumeretur, affirmat namq; ex sententia Tertulliani, & Hieron. Coniugatos Apostolos statim, vt à Christo vocati sunt ab vxoribus fuisse continentes, rursus hic scribitur, Petrum suæ filiæ prouidisse, et etiam simili modo prouidere velle ei mulieri, de qua in præsenti capite agitur, hæc autem prouisio fuit, quod illa mulier in morbum incidit, quem diu patienter perpessa, sicq; in vita purgata mox ad Cœlum migrasse legimus, ergo cum his quos diligit,

git,

git, sic Deus agit, vt non solum ægritudinibus, sed & temporalibus etiam molestijs eos corrigat, quos cum hoc Mundo perdere minime vult, omnis ait Augustinus contra Adimantium cap. 17. hæc temporalis vindicta infirmos animos terret, vt sub disciplina enutritos enutriat, & a sempiternis, & abinef fabilibus supplicijs auertat, sic igitur cum hac fœmina actum est: verum quo nam illa morbo laborauerit in specie hoc loco non explicatur, puto autem Paralisi laborasse, sicut de B. Petronilla existimarunt aliqui, vt ex Diuo Augustino colligi potest loco citato, vbi historiæ cuiusdam meminit de Petri filia paralitica precibus patris sanata, quamquam illam videantur aliqui inter Apocriphas reponere, eam tamen maiorum traditione recipiendam esse affeuerat Cardinalis Baronius vbi supra.

MATER DEI REVELAT sponsæ, vbi fuerunt illæ animæ quas Christus liberauit de inferno quando descendit ad inferos, vsque dum ascendit in cœlum, & etiam vbi remanserunt corpora illorum, qui cum eo in Hierusalem resurrexerunt quando eorum animas portauit secum in cœlum, & qualiter in resurrectione prius se ostēdit Dominus eidem suæ matri, quam alijs, & docet filiam qualiter resistat tentationibus.

CAP. XCIIII.

MATER DEI lo-
quitur. Tali die si- 1
cut hodie surrexit a
mortuis filius meus
fortis quasi leo, quia
contriuit potentiam
diaboli, & eripuit a-
nimas electorum suo-
rum, quæ ascenderunt cum eo in gaudium
2 cœli. 2. Sed potes quærere, vbi fuerunt
illæ animæ quas tunc liberauit de inferno,
vsquedum ascendit in cœlum? Respondeo
tibi, quod fuerunt in quodam gaudio noto
solum filio meo. Nam vbicunque filius
meus est, & erat, & est gaudium, & glo-
ria, sicut ait latroni. Hodie mecum eris in
3 Paradiso. 3. Multi etiam in Hierusalem
Sancti mortui resurrexerunt quos vidimus,
quorum animæ ascenderunt cum filio meo,
sed corpora expectant cum alijs iudicium,
& resurrectionem. Mihi vero quæ sum ma-
ter Dei, cum post mortem eius incompre-
hensibili dolore mæsta essem, apparuit idē
filius meus prius quam alijs, & palpabilem
se ostendit mihi, consolans me, & comme-
morans se visibiliter in cęlum ascensurum,
& quamuis hoc non est scriptum propter
3 humilitatem meam. 3 tamen ista est rei
veritas, quod filius meus resurgens, primo
mihi apparuit, quam alicui alij. Nunc
ergo, quia filius meus tali die sicut hodie
1 consolatus est me. Ideo ego hodie, & dein-
ceps minuam tentationes tuas, & docebo
te, quomodo resistendum est eis. Tu enim
miraris cur tentationes accrescunt tibi in
senectute, quas nec in iuuentute, nec in
coniugio experta es. Respondeo tibi,
quod fit, vt scires te nihil esse, nec posse
sine filio meo, & nisi filius meus seruasset
te, non esset aliquod peccatum in quo non
fuisses inuoluta, ideo do tibi nunc contra
tentationes tria remedia. Cum enim
tentatione sordida tentaris dicito. Iesu
fili Dei omnium cognitor adiuua me, vt in
cogitationibus vanis non delecter. Cum
vero te delectat loqui dicito. Iesu fili Dei,
qui coram iudice tacuisti, tene linguam
meam donec cogitem qualiter, & quid lo-
quar. Cum vero delectat operari, vel
quiescere, seu comedere dicito. Iesu fili
Dei, qui ligatus fuisti, rege manus & omnia
membra mea, & opera mea tendant ad bo-
num finem, & hoc tibi sit signum, quia ab
hac die seruus tuus, idest, corpus tuum, in
dominam, idest, in animam tuam non præ-
ualebit.

Additio.

Tentata est Domina Brigitta in oratio-
ne sua. Cui dixit Maria. Diabolus est
1 sicut explorator inuidus quærens accusare,
& impedire bonos ne in orationibus suis
diuinicus exaudiantur. Propterea qua-
cunque tentatione tentaris in oratione, ni-
hilominus ora, & conare ad orandum, quia
desiderium, & conatus bonus reputabitur
pro effectu orationis. Et si sordida adue-
nientia menti eijcere non poteris, tunc ille
conatus reputabitur tibi pro corona, dum-
modo tentationibus non consentis, &
sint contra voluntatem tuam, &c.

NO-

NOTAE.

1 SEd potes quærere vbi fuerunt illæ animæ, quas tunc liberauit de inferno, vsque dum ascendit in Cœlum.

Agitur in præsenti nota de animabus Sanctorum Patrum, quos Saluator noster descendens ad Limbum, suaq; illis præsentia visionem conferens liberauit, cum ergo quæritur, vbi illæ manserint, quamdiu Saluator noster ad cælos ascendit, profecto credendum est in eodem loco mansisse, vbi prius erant, vsque ad tempus Ascensionis Christi, quos tunc secum adduxit ergo Dominus diuinitatis suæ visionem illis communicans gaudiæ & gloriæ, eos participes effecit, vt Beatissima Virgo hoc loco insinuat his verbis, quod fuerunt in quodam gaudio nato solo filio meo, nam vbicunque filius meus est, & erat, & est gaudium, & gloria, quod aperte probatur auctoritate Doctoris Angelici 3. p. q. 52. art. 4. ad primum, vbi affirmat Christum Dominum statim, vt descendit ad inferos, sanctos ibi existentes liberasse non quidem eos de loco inferni educendo, sed in ipso inferno eos luce gloriæ illustrando. Cæterum per infernum hic intellige Limbum Patrum, non damnatorum infernum, appellabatur autem tunc infernus ob priuationem gloriæ, & secundũ hoc habebat rationem inferni, vt annotauit Diuus Thomas quæst. supra citata. 3. par. artic. 1. ad quartum, post vero descensum Christi non amplius infernus erat, sed sinus Abrahæ dicebatur, quem locum D. Aug. Epistola 99. secretæ cuiusdam quietis habitationem appellat, & hic locus est qui dicitur in hoc capite natus Christo Domino, plura de eo annotauimus lib. primo Reuelat. cap. 15. nota tertia.

2 Multi etiam in Hierusalem Sancti mortui surrexerunt, quos vidimus, quorum animæ ascenderunt cum filio meo, sed corpora expectant cum alijs iudicium, & resurrectionem.

Ex huius notæ verbis plane constat, illos qui Christo resurgente surrexerant, vt Matth. 27. scribitur multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt, non ad immortalem vitam surrexisse, sed iterum post aliquod spatium temporis obijsse, & licet quidem grauissimos quosdam doctores secutos fuisse contrariam sententiam. Et quidem ex Patribus occurrit primo, Epiphanius Hæresi 69. circa finem, vbi cum affirmasset Sanctorum Reliquias in terris remansisse, excepit eos eorum Patrum, qui Christo resurgente surrexerunt, & in Sanctam Ciuitatem ingressi sunt, sed ante Epiphanium hoc indicauit Origenes lib. 1. in Epistolam ad Rom. edisserens illa verba cap. primi (ex Resurrectione Iesu Christi Domini nostri) sequitur etiam Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum paulo ante medium, vbi dicit eorum corpora, qui cum Christo surrexerunt in meliorem ordinem fuisse translata, eandem veritatem videntur insinuasse Athanasius, Ambrosius, Ciprianus, Gregorius, Nissenus, & Eusebius, quos citat Franciscus Suarez in Comment. super 3 p. Sancti Thomæ q. 53. art. 3. tom. 2. sed vere fere omnes citati patres nõ ita aperte hac de re loquuntur, vt colligi possit eos affirmasse huiusmodi Sanctos, qui cum Christo surrexerunt ad immortalem surrexisse vitam, dicunt enim tantummodo, vel cum Christo ad Cœlum eos euolasse, vel ad meliorem vitam fuisse translatos, quod vero corpore ad Cœlos cum Christo iuerint aperte non docuerunt, sed quicquid sit Remigius in Matt. hoc aperte fatetur, hic enim postquã quæstionem hanc ex professo disputauit, eam sic definit; Incunctanter ergo debemus credere, quia qui resurgente a mortuis Domino resurrexerunt, ascendente eo ad Cœlos & ipsi pariter ascenderunt. Eandem sententiam ex Neotericis secuti sunt Caietanus super tertiam partem S. Thomæ q. 53. artic. 3. Iansenius, & Maldonatus in 27. cap. Matth. nu. 52. dicentes, quod illa resurrectio Sanctis viris tormentum potius, quam beneficium fuisset, nam cogebantur iterum mortis subire dolores, quod sanè parum mihi probatur, cum potuerit Dominus illorum ex corpore eripere animas sine doloris sensu: nec valet etiam, quod asserunt; nisi ad immortalem illi surrexissent vitã non fuissent idonei testes Resurrectionis Christi, nam qualiscunq; Resurrectio fuerit, & ad quantumcunq; tempus, poterat esse efficacissimum Resurrectionis Christi argumentum. Contrariam ego sententiam probabiliorem existimo, eos nimirum, qui surrexerunt post aliquod tempus iterum mortuos fuisse & fortasse hi vsque ad Saluatoris nostri Ascensionem fuere superstites, & tunc relictis in terra corporibus cum Christo in Cœlos euolarunt, vt in præsenti capite legimus, huius sententiæ fuerunt D. Hieron. in 27. cap. Matt. Qui rem hanc his verbis probat, sicut inquit Lazarus mortuus resurrexit, sic etiam multa corpora Sanctorum surrexerunt vt Dominum ostenderẽt resurgentem, ex quo ego infero; sed vere Lazarus iterum moriturus surrexit, ergo etiam hi Patres mortali corpore surrexerunt. Eandem opinionem amplexus est, Prosper de promiss. & prædictionibus Dei par. 3. cap. 29. & Sotus in 4. dist. 43. q. 2. art. 1. & Suarez vbi supra hanc censuit esse probabiliorem, sed eandem aperte defendunt. Theophilatus, & Euthimius, D. vero Thomas in 4. Sent. d. 43. priorem sententiam secutus est, deinde re melius inspecta mutauit opinionem, & hanc secundam probabiliorem esse affirmauit 3. p. q. 53. artic. 3. ad secundum Argumentum, quanquam existimem in 4. Sent. eum non fuisse locutum ex

propria sententia, fauet etiam D. Aug. ad Euodium Epistola 99. & probat primo, quia si quis resurrecturus erat ad immortalem vitam, maxime fuisset Dauid, at actorum secundo dicitur sepulchrum Dauidis, hoc est corpus sepultum Dauidis, secundo probat D. Aug. ex Paulo ad Hebræos ij. vbi loquens de patribus veteris testamenti dicit, non acceperunt repromissionem Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consumarentur, idest ne ante nos bene corporis gloriam consequerentur, sed tunc omnes suscitemur simul, & glorificemur: ex quo infert Liranus ibi, quod Patres veteris testamenti similiter non consumantur in gloria sine nobis, quia inquit, Sancti veteris testamenti, & noui simul accipient gloriam corporis, ergo tunc illi, qui surgente Christo surrexerunt, iterum obierunt, & gloriam corporis tunc non acceperunt, sed accipient nobiscum in Vniuersali Iudicio. Vide etiam Dionysium Carthusianum in locum citatum Pauli, qui hanc interpretationem probat. Tertio hoc idem probatur, si isti non amplius morituri surrexissent, vtiq; cū Christo in Cælū ascendissent, at si ascēdissent non tacuissent Euangelistæ, & præsertim Lucas, qui in Christi Domini Ascensione narranda diligentissimus fuit, hoc enim erat valde insigne, & maxime pertinens ad illustrandam gloriam Christi, valde etiam conducere poterat ad fidei nostræ, ac spei confirmationem, quam de corporum resurrectione habemus, ac in Cœlum Ascensione. quarto si Patres sic surrexissent maxime, vt Saluatoris nostri resurrectionis testes essent, & ad hoc sufficiebat si ad tempus resurrexissent, prout factum esse credimus. Postremo si cui insigne hoc beneficium erat concedendū maxime Sancto Ioanni Baptistæ, quippe qui omnium Sanctissimus erat ex his, qui mortui erant, & Christo Charissimus, & ad testificandum de illo idoneus testis, cum apud Iudæos plurimum auctoritate valeret, & ad immortalem eum non resurrexisse vitam constat ex eius corporis reliquys, & præcipue ex venerando capite, quod asseruatur in Vrbe in Ecclesia Monialium Sancti Siluestri, ibique magno populorum concursu colitur & honoratur, hinc est, quod aliqui hanc Ecclesiam vocauerint Sanctus Siluester ad Caput, quod in ea reconditum sit Præcursoris Domini caput, vt annotauit Cardinalis Baronius ex Martino Polono in Martyrologio Romano mense Decembris die Festo Sancti Siluestri.

3 Tamen ista est rei veritas, quod Filius meus resurgens, primo mihi apparuit, quam alicui alij.

Christum Dominum post resurrectionem, primo Beatissimæ Virgini apparuisse, vt scribitur hic plures ex Sanctis Patribus etiam annotarunt, D. Aug. lib. de Sancta Virginitate cap. 3. D. Anselmus de excellentia Virginis cap. 6. Gregorius Nissenus orat. 3. de Resurrectione, docebat inquit Deiparam, ea quæ ad gaudium pertinebant Apostolis annunciare, hinc est, quod Epiphanius contra hæreses Mariam primum adorasse Christum gloriosum tradit, probatq; hanc sententiam Metaphrastes, Sedulius lib. quinto Paschalium carminum in fine, & Canisius de B. Virgine lib. quarto cap. 13. Cæterum posset quispiam hoc loco obijcere id quod Marcus 16. cap. sui Euangelij scribit Christum Dominum primo apparuisse Mariæ Magdalenæ, non ergo Mariæ Matri se se visibilem post resurrectionem prius Christus exhibuit: verum hoc non obstat, nam vt egregie admonuit Rupertus lib. septimo de diuinis officijs cap. 25. Euangelistæ illas tantummodo apparitiones retulerunt, quæ factæ sunt in testimonium veræ resurrectionis, vt act. 10. scribitur, dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, sicut ergo non omnia scripserunt, quæ Christus gessit, sic non omnia singularia officia, quæ Matri Christus exhibuit, sed ea tantum, quæ ad fidei mysteria confirmanda sufficiebant, cum ergo dicitur Christus apparuisse primo Magdalenæ intelligendum, vel inter eos, qui erāt futuri testes resurrectionis, vel inter eos, quibus Christus apparuit ad eorum fidem confirmandam, Beatissima vero Virgo, nec futura erat testis resurrectionis, de his quorum meminissent Euangelistæ, ne ob filij amorem, vel suspecta esse, vel fingere existimaretur, nec de fide Resurrectionis aliquando fuit incerta, & ideo ob hanc causam non primo illi apparuisse scripserunt Euangelistæ, sed vt debitū amoris signū ei præberet illi primo apparuisse censendum est, cui ex Anselmo vbi supra addendum est, Euangelistas huius apparitionis Matri factæ non meminisse ne viderentur Reginam Cœli, & Terræ cæteris, quibus Christus apparuit, comparare.

QVIDAM NOBILIS Princeps iustus nolebat acceptare vnam magnam dignitatem regiminis regni ex bona intentione, quem Mater Dei per sponsam reprehendit, 2 præcipiens, quod illam acceptet habendo in ore semper verba veritatis, & in manu gladium iustitiæ sine aliqua acceptione personarum.

CAP. XCV.

CVM quidam nobilis Magnus Regni Sueciæ, Qui Dominus Israel vocabatur multis precibus ad dignitatem maiorem regiminis Regni vocaretur, multoties a rege, & ille habens desiderium eundi contra

pa-

paganos, & ibi in seruitio Dei pro fide sancta moriendi, nullo modo ad suscipiendam dictam dignitatem inclinaretur. Tunc orante sponsa loquebatur ei Mater Dei dicens. Si inquit illi, qui iustitiam sciunt, & eam desiderant, & facere possunt, recusant pro Deo suscipere onus, & laborem, quomodo stabit regnum in vigore suo? Veh, illud non est regnum, sed latrociniū, & spelunca tyrannorum, vbi iniqui dominantur, & iusti conculcantur. Et ideo homo iustus, & bonus trahi debet charitate Dei, & zelo bono afferre se ad regimen, vt proficiat multis. Qui autem dignitates, & regimina ambiunt propter honorem mundi, non sunt principes veri, sed tyranni pessimi. Ergo iste amicus meus Israel, accipiat regimen propter honorem Dei, habendo in ore verba veritatis, & in manu gladium iustitiæ non respiciendo, nec inclinando se ad fauores hominum, nec ad cognatos, nec faciendo personarum acceptionem. Nam dico tibi, quod adhuc dicetur de isto ab ore hominum. Iste exiuit de patria viriliter, honorauit matrem Dei sinceriter, seruiuit Deo fideliter. Propterea scias, quod per aliam viam magis ducam eum ad regionem meam. Sic vere postea omnia hęc euenerunt. Nam transactis aliquibus annis iste Dominus exiuit contra infideles, & venit in Alemaniam in Ciuitatem Rigensem vbi infirmatus est. Et sentiens mortem vicinam ascendit cum aliquibus in Ecclesiam Cathedralem, & ibi digito imaginis Beatissime Mariæ Virginis, quæ ibi in maxima reuerentia colitur, impressit anulum preciosum, & reliquit ibi dicens aperte. Tu mihi domina es, & semper fuisti dulcissima, super quo te testem inuoco. Ideo me, & animam meam tuæ prouidentiæ, & misericordiæ relinquo. Deinde sumptis Sacramentis deuotissime mortuus est. Post hæc autem orante pro eo sponsa, Mater Dei loquebatur de eo sic dicens. Ipse dedit mihi anulum charitatis suæ desiderans me sponsam suam. Vere filia scias, quod ipse cum vixit non dilexit me dimidio corde suo, sed toto. Et in omnibus operibus suis, & iudiciis timuit filium meum. Ideo ego duxi eum operante Deo Filio meo per viam sibi magis necessariam, & vtilem, & præsentaui eum cœlesti exercitui Sanctorum, & Angelorum, a quibus ipse dilectus erat, ne si in manibus parentum mortuus fuisset consolatione temporali impediretur. Eius quippe bona voluntas sic placuit Deo, ac si in paganismo moreretur contra infideles pugnando pro fide Sancta Catholica.

Declaratio.

Hic Dominus erat frater Sanctæ Brigittæ.

DVM ROMAE COMBVRERENtur campanæ Ecclesiæ Sancti Petri, Christus dicit sponsæ, quod non miretur, quia aliquando elementa ostendunt signa euentuum futurorum sic illæ campanæ ostendunt propinquam mortem cuiusdam Pontificis, cui graue instat iudicium, nisi cito ad Deum conuertatur.

CAP. XCVI.

PAulo ante mortem cuiusdam Pontificis, mirabili casu comburebantur campanæ Ecclesiæ Sancti Petri in Roma. Quæ audiens sponsa stupefacta orabat. Et tunc apparuit Christus dicens. Vere filia magnum signum est istud, nam scriptū est, quod elementa omnia quasi compatiebantur mihi in morte, quando splendorem & solitum effectum suum retraxerunt. Sic elementa, & creaturæ, quandoq; pugnāt, & iudicant pro Deo, & ostendunt in cursibus suis iram Dei, & signa euentuum futurorum. Sed nunc ecce comburuntur campanæ, & quasi clamant omnes, Dominus mortuus est, Dominus Pontifex recessit. Sit dies ista benedicta, sed non Dominus iste benedictus. O mirabile, vbi enim omnes clamare deberent viuat diu, & viuat fœliciter iste Dominus, ibi clamant, & gaudenter dicant discedat, & non resurgat. Nec mirum, nam ipse qui clamare debuerat, venite, & inuenietis requiem animarum vestrarum. Ipse clamabat venite, & videte me in pompa, & ambitione plus quam Salomonem. Venite ad curiam meam, & exhaurite bursas vestras, & inuenietis perditionem animarum vestrarum. Sic enim clamabat exemplo, & facto. Et ideo iam appropinquat

tempus iræ, & iudicabo eum sicut dissipatorem gregis Petri. O, o quale iudicium instat ei. Veruntamen si adhuc voluerit conuerti ad me, ego occurram ei in media via sicut pius Pater.

QVALITER DEVS VVLT, QVOD peccatores moneantur ad confessionem opportune, & importune, & maxime in fine vitæ exemplo vnius, qui vixerat LX. annis sine confessione, & in fine quasi coacte inductus confessus est, & contritione obtenta saluatus est.

CAP. XCVII.

QVidam Magnus Dominus secundum mundum, qui diu non fuerat confessus grauiter infirmabatur. Cui compatiens sponsa, orabat pro eo. Christus vero apparens tunc sponsæ loquebatur ei dicens. Dic confessori tuo, vt istum infirmum visitet audiendo confessionem eius. Cui venienti respondit infirmus non se indigere confessione; testans se sæpissime cõfessum. Iterum vero sequenti die iubetur a Christo confessori redire. Qui veniens ad infirmum simile, sicut prius recepit, responsum. Tertio autem die iterum veniens confessor ad infirmum, ex reuelatione Christi sponsæ facta, sic dixit ei. Christus Filius Dei viui, & diaboli Dominus dicit tibi. Tu habes in te septem dæmonia. Vnus sedet in corde, ligans illud ne peccatis compungaris. Secundus, sedet in oculis ne videas vtiliora animæ tuæ. Tertius, sedet in ore tuo ne loquaris ea, quæ sunt ad honorem Dei. Quartus, sedet in inferioribus tuis, ideo dilexisti omnem impuritatem. Quintus, est in manibus tuis, & pedibus, ideo homines spoliare, & interficere non verebaris. Sextus est in interioribus tuis, & ideo gulæ deditus es, & ebrietati. Septimus est in anima tua, vbi Deus sedere deberet, & modo ibi sedet diabolus inimicus eius. Ideo pœnitere citius, quia adhuc Deus propitiabitur tibi. Tunc infirmus ille cum lacrymis respondit. Quomodo mihi persuadere poteris veniam, qui tot publicis sceleribus sũ irretitus? Respondit confessor. Iuro tibi, quia expertus sum, quod etiam si maiora fecisses per contritionem saluaberis. Tunc ille iterum cum lacrymis dixit. Ego desperabam de salute animæ meæ, quia homagium feci diabolo, qui mihi multoties locutus est. Ideo iam sexagenarius nunquam feci confessionem, nec sumpsi corpus Christi, sed finxi mihi negocia, quando alij communicabant, iam vero cõfiteor tibi pater, quod tales lacrymas, quales nunc habeo, nunquam recordor me habuisse. Igitur illo die quater confessus est, & sequenti die etiam post confessionem cõmunicauit. Post hæc autem sexto die mortuus est, de quo Christus ad sponsam sic loquebatur dicens. Iste homo seruiuit latroni illi, cuius periculum ostendi tibi prius, & ab eo iam fugit diabolus, cui homagium fecerat, & hoc fuit propter contritionem quam habuit, & iam venit ad purgationem, & huius liberationis signum est contritio quam habebat in fine. Sed potes quærere. Quare meruit contritionem homo, qui tantis sceleribus inuolutus erat? Respondeo tibi, hoc fecit dilectio mea, qui vsque ad vltimum punctum expecto hominis conuersionem, & meritum Matris meæ. Nam licet iste homo non dilexit eam corde, tamen quia consuetudo sua fuit compati dolori eius, quoties eam considerabat, & audiebat nominari, ideo compendium salutis suæ inuenit, & saluatus erit.

CHRISTVS PER SPONSAM comminando reprehendit quandam Abbatissam comparans eam vaccæ pingui diaboli, quia proprium habebat, & mollibus vtebatur, & curiosis vestimentis cum superbia, & epulabatur splendide prebens sororibus perditionis exemplum.

CAP. XCVIII.

FIlius Dei loquitur. Illa Abbatissa est de vaccis pinguibus, vadens in cœno, & cauda sua lutosa aspergens circunstantes. Sic ipsa spargit sororibus exemplo suo prauo. Cuius vestimentorum ruge perhi-

perhibent testimonium, quod non est filia Beati Benedicti mei, nec sponsa humilis, quia immemor est sponsionis suæ. Nam regula sua dicit habere vestem, quæ rudior, & vilior inuenitur, & illa habet molliorem, pulchriorem, & delectabiliorem. Regula etiam præcipit comedere necessaria cum parcitate, & timore, nihilq; habere proprium, sed ista habens proprium impinguat se sicut vacca diaboli, sequendo propriam voluntatem. Regula etiam dicit, quod omnia sint in manu Abbatissæ, non attendens intétionem Beati Benedicti mei, qui ideo omnia posuit in manu Abbatis, vt Abbas esset discretus, & exemplum virtutum, & regulæ præcipuus imitator, sed ista recipit nomen, & verbum potestatis ad dissolutionem suam, non attendens, quod de omnibus animabus sororum suarum red ditura est mihi rationem. Propterea scias quod nisi correxerit mores suos, & sororum suarum, vadet cum vaccis pinguibus in infernum, & laniabunt eam corui inferni, quia noluit cum humilibus, & abstinentibus euolare in cœlum.

Declaratio.

Hæc Abbatissa mortua apparuit Beatæ Brigittæ aliquantulum alba, sed quasi reti ferreo circuntecta, cuius lingua videbatur ignea, manus, & pedes plumbei, oculi ex toto lacrymosi, & dixit. Miraris de me cur sic appareo deformis, hæc est retributio iustitiæ *Dei*. Nam quod alba videor, ideo est, quia virginitatem carnis habui, sed rete ferreum denotat, quod regulares obseruantias, & patientiæ bonum non seruaui. Sicut enim in rete multæ ansæ combinantur, sic ego pro multis operibus bonis omissis multa pati teneor, quia bona opera cum tempus habui non exercebam. Quod vero lingua mea apparet ignea, dignum est, quia ipsa contra professionem meam in multis vanitatibus, & scurrilitatibus soluebatur. Manus vero meæ, & pedes apparent plumbei, & merito, quia opera mea quæ designantur in manibus, quæ fuisse debuerant fulgentia quasi aurum, fuerunt mollia, & dissoluta, vt plumbum. Pedes quoque mei, quibus ad sorores meas bonis exemplis, & conuersatione munda iuisse instituebar, lubricauerunt in mundialibus, & desides erant ad omne spirituale bonum. Oculi mei apparent tibi sicut illius, qui nimium habet fletum, & merito, quia peperci eis a fletu cum potui diluisse, & debuissem omnes negligentias vitæ meæ. Verumtamen in statu misericordiæ sum, & expectatione bonę spei, propter illa quæ fiunt in Ecclesia Dei, & propter preces Sanctorum, & sanguinem Christi.

VIDEBATVR INTER MONIALES vnus Ethiops habitu monachali vestitus, quæ Christus exponens dicit, quod ille est dæmon cupiditatis, qui sub specie charitatis inducebat monachas ad congregandum diuitias, vt de illis facerent alijs largas eleemosynas, quæ Christus hic grauiter reprehendit, & improbat.

CAP. XCIX.

Videbatur ethiops teterrim⁹ in quodam monasterio, inter velatas moniales existere cum nigro velo, & habitu monachali, de quo admirante sponsa, Christus loquebatur dicens. Scriptum est in Euangelio meo, quod cauendum est de illis, qui ambulant sub vestimento ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Sic nunc dico tibi, quod ille ethiops, qui apparebat inter moniales cum habitu monialium, ipse est dæmon cupiditatis, qui suadet eis aggregare possessiones, & castra, & plures diuitias, vt ex illis lautius viuant, & distribuant largas eleemosynas, vt sub tali religiosa specie recedentes a paupertate mihi grata, dissoluantur paulatim, donec preuaricantes regulam, & priorem obseruantiam perdant animas. Ideo scito, quod nisi vigilanter caueant ab isto lupo cupiditatis, scilicet contentando se de his quæ habent, & nihil plus volendo accrescere in possessionibus, & terrenis diuitijs. Inficientur ab eo etiam sane oues istius gregis damnabiliter, & postea a lupis dilaniabuntur immisericorditer. Magis enim mihi placet, quod in paupertate quieta, & sancta, quam profitebantur viuant, & contententur, quam quod terrena cura regiminis temporalium implicátes se, de distributione eleemosynarum bonorum aliorum inaniter glorientur.

CHRISTVS CONFIRMAT sponsam dicens, quod non timeat, quod verba Dei diuinitus reuelata in illis libris contenta possint infirmari, licet moliri, & calcari, & exprimi debeant sicut oleum, vt ex hoc patientia, & honor Dei amplietur.

CAP. C.

Timebat sponsa, quod verba istorũ librorum diuinitus ei reuelata infirmarentur, & calumniarentur ab emulis, & malitiosis. Cui oranti super hoc Christus loquebatur dicens.
1 1 Ego habeo duo brachia, cum vno amplector cœlum, & omnia quæ in eo sunt. Altero vero amplector terram, & mare. Primum, extendo ad electos meos in cœlo, & in terra honorando eos, & consolando. Secundum extendo super malitias hominum patiendo eos misericorditer, & refrenando eos ne faciant quantum malum volunt. Ideo noli timere, quia nullus poterit infirmare verba mea, sed venient ad locum, & gentem mihi placitam. Veruntamen scias, quod verba ista sunt sicut oleum, propterea moliri, & calcari, & exprimi debent, nunc ab inuidis, nunc a scire volentibus, nunc ab occasionem quærentibus, & vt honor meus & patientia amplietur.

N O T AE.

1 Ego habeo duo brachia.

Brachium Deo, qui incorporeus est metaphorice tribuimus, quemadmodum sumenda sunt duo brachia, quorum hoc loco mentio fit, & quidem per primum brachium intelligendum esse arbitror, vel vim operatiuam Dei, per quam operatur in cœlo, quicquid ad beatorum gaudium spectat, communicando illis suæ diuinitatis visionem, ideo legimus hic Deum illud extendere ad suos electos in Cœlo, eos consolando, vel etiam per Brachium intelligi potest Diuinitas Christi, per quam ipse faciebat, quicquid ad suorum electorum commodũ, & exultationem pertinet, & in hoc sensu in Sacris litteris Brachium de Deo dici tradunt, Arnobius in psal. 135. D. Aug. in Ioann. tract. 53. D. Hieron. super Ieremiam cap. 27. D. Gregor. 32. moral. cap. quinto. Per secundum brachiũ quantum ex textu colligere potui intelligendum esse opinor, vel ipsam Dei misericordiam, quam malis impartitur, eos patienter tolerando, vel vim dictam, quam de malitia sumit impiorum, quos punit, vt in præsenti capite legimus eos refrenando, ne quantum volunt malum faciant, & brachium Dei in sacris litteris significare vindictam indicasut, Glossa interlinearis Deuteronom. 33.

CHRISTVS PRAECIPIT SPONSæ, quod ea, quæ ab eo audierit in spiritu scribat, & mittat ad gentes, vt cognoscant ingratitudinem suam, & patientiam Dei.

CAP. CI.

Filius loquitur ad sposam dicens. Ego sum sicut vnus Dominus. Cuius filios hostis sic fascinauerat, & depresserat, quod in captiuitate gloriantes, nec oculos ad patrem, & hæreditatem leuare vellent. Ideo ea, quæ a me audieris scribe, & mitte ad filios, & amicos meos, & ipsi illa seminent inter gentes, si forte cognoscere, velint ingratitudinem suam, & patientiam meam, quia ego Deus surgere volo, & ostendere gentibus iustitiam, & charitatem meam.

Digitized by Google

CHRISTVS MONET VNAM infirmam, quod sit stabilis in patientia, quia pro vtilitate animæ suæ ei dispensatur infirmitas, & declarat, quod indulgentiæ Ecclesiarum Romæ maiores sunt apud Deum, & vtiliores animabus, quam homines credunt.

CAP. CII.

DOmina quædam de Suetia, cum longo tempore
in Roma infirmaretur, di
1 xit quasi subridẽdo spon-
sa audiente. 1 Fama
inquit est, quod in hoc
loco est absolutio a culpa, & pœna, sed Deo nihil est impossibile, pœnam enim experior ego. Tunc subsequente mane sponsa audiuit in spiritu vocem dicentem sibi. Filia hæc mulier grata est mihi, & quia deuote vixerat in se, & quia filias suas enutriuit mihi, sed adhuc tantam contritionem non habuit in pœnis, quantam delectationem habuit, & habuisset in peccatis, nisi charitate mea refrenata fuisset. Ergo quia ego Deus vnicuique prouideo in sanitate, & in infirmitate, sicut vnicuique expedire video, ideo nec in minimis verbis ab aliquo irritari, vel iudicari debeo, sed vbi-
2 que timeri, & venerari. 2 Dic etiam
* ei, quod indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis Romæ maiores sunt apud Deum * quam sonant, quia hi, qui perfecto corde veniunt ad istas indulgentias, non solum remissionem peccatorum habebunt, sed etiam gloriam æternam. Nam homo etiam si millies se occideret pro Deo, non esset condignus ad minimam gloriam quæ datur sanctis. Et licet homo non sufficit viuere ad tot millia annorum, tamen quia pro infinitis peccatis infinita debentur supplicia, quæ homini impossibile est satisfacere, & implere in hac vita. Ideo propter indulgentias relaxantur multa, & grauissima pœna, & longissima cõmutatur in minimam, & hi, qui habitis indulgentijs cum charitate perfecta, & contritione vera decedunt de mundo, soluuntur non solum de peccatis, sed etiam a pœnis, quia ego Deus non solum dabo sanctis, & electis meis, quæ petunt, sed & duplicabo, & centuplicabo propter charitatem, ideo moneas illam infirmam ad patientiam, & stabilitatem, quia ego faciam ei, quod vtilius sibi est ad salutem.

quã cre dũt ho- mines.

Declaratio.

Huius Dominæ animam vidit sancta Brigitta ascendentem sicut igneam. Cui occurrerunt plures ethiopes, a quorum conspectu anima quasi perterrita facta est, & quasi tremula, & statim videbatur quasi Virgo pulcherrima venire ei in auxiliũ, quæ dixit ethiopibus. Quid vobis cum anima ista, quæ est de familia nouæ sponsæ filij mei? Et statim ethiopes fugientes sequebantur a longe. Cumque anima venisset ad iudicium dixit iudex. *Quis* respondet pro anima ista, & quis est aduocatus eius. Et statim videbatur Beatus Iacobus adesse dicens. Ego Domine tebor respondere pro ea, nam bis in magnis laboribus fuit ad memoriam meam. O Domine miserere ei, quia voluit, & non potuit. Cui iudex. *Quid* est, quod voluit, & non potuit. Cui Iacobus. Voluit inquit seruire tibi toto corde, sed non valuit, quia infirmitate præuenta retardabatur. Tunc iudex ait ad animam. Vade, quia fides tua, & voluntas saluabit te. Et statim anima egressa est a conspectu iudicis exultans, & quasi stella splendens, omnibus astantibus, dicentibus. Benedictus sis tu Deus, qui es, & eras, & eris, qui non amoues misericordiam tuam a sperantibus in te.

NOTAE.

1 FAma inquit est, quod in hoc loco est Absolutio a culpa, & pœna.

Omnino censendum est iuxta cõmunem Theologorum, ac Canonistarum opinionem, per indulgentias culpas non auferri, sed eas quandam esse tantummodo pœnæ temporalis relaxationem, quam quisquam ob commissa peccata in purgatorio luere debet, & hæc est doctrina Theologorum omnium, vnico Paludano dissentiente in 4. d. 20. q. 4. sub finem, qui existimat per indulgentias culpam venialem tolli, & in hanc iuisse sententiam D. Antoninum refert Nauarrus de Iubilæo notabili 10. num. 13. & colligit ex prima parte suæ summæ tit. 10. cap. 3. sed hæc opinio facile conuincitur ex eo, quoniam culpa nunquam tollitur, absq; gratiæ infusione, & gratia non infunditur hu-

humano ministerio absq; Sacramento, solus enim Deus, & etiam Christus per potestatem excellentiæ, quæ non est alligata Sacramentis conferunt gratiam sine Sacramento, in alijs mediantibus tantum Sacramentis datur, vt tradit D. Thomas communiter receptus 3. p. q. 64. artic. 3. & patet ex cap. Nemo de Consecrat. dist. 4. & ibi Gloss. & cap. Multiplex, & cap. Verbum de pœnitentia dist. prima, ex quo infertur per indulgentias culpas non tolli, sed tantummodo pœnas, vt diximus, quod etiam probat Adrianus contra Paludanum de Indulgentijs fol. 4. Nauarr. vbi supra, & notabili 20. num. 1. hic tamen animaduertendum est, quod si quando in Bullis Indulgentiarum legamus, prout etiam in præsenti capite scribitur Indulgentias absoluere a culpa, & pœna hoc intelligi debere indirecte, quatenus in illis Bullis regulariter præcipitur actualis confessio, per quam quis a culpa absoluitur, & cum dicunt a peccato absoluere, loquuntur de peccato quo ad pœnam, & in hoc sensu explicanda sunt verba præsentis notæ.

2 Dic etiam ei, quod indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis Romæ maiores sunt apud Deum quam sonant.

Verba præsentis notæ sic corrigenda sunt, maiores apud Deum quã homines credant. Ad cuius rei intelligentiam animaduertendum est hic, quod non est sermo de Indulgentijs in ordine ad suscipientes, quod scilicet plus homines summant, quam Bullæ concedant, sed verba facit Christus de Thesauro Indulgentiarum, & de concessione earum facta a Pontificibus Romanis Ecclesijs, Sacrisq; locis, & hæ indulgentiæ dicuntur Romæ maiores esse quam homines credant, sic etiam legimus in argumento præsentis capitis, & infra hoc eodem libro cap. 105. circa initium ibi permittitur B. Brigittæ visitare loca ista cum humilitate, & deuota reuerentia, quia in hac Roma maiores sunt Indulgentiæ, quam homines credere possunt.

Cæterum verum est illud communiter ab omnibus receptum Axioma Indulgentias tantum valere, quantum sonant, vt habent Theologi in 4. d. 20. & Gloss. in cap. quod autem de pœnitentia, sed an hoc intelligendum sit ratione deuotionis suscipientis, an ex quantitate rei datæ, an ex proportione, ad causam Indulgentiæ, an vero ex Abundantia meritorum Christi, egregie explicat Durandus in 4. d. 20. q. 4. vbi dicit veritatem huius propositionis pendere ex abundãtia meritorum Christi, quod s. tãtũ de pœna per indulgentias expiatur, ad quantam expiandam quantitas meritorum ab habente potestatem applicatur.

QVALITER BEATVS NIcolaus in Baro ad sepulchrum eius apparuit sponsæ vnctus oleo, declarans ei de oleo manante de corpore eius, & alia de suis virtutibus dum viuebat, & de largiflua bonitate Dei ad suos electos.

CAP. CIII.

Cum visitaret sponsa reliquias Sancti Nicolai in
Baro ad sepulchrum eius
cœpit cogitare de illo liquore olei manante de
corpore eius. Et tunc 1
rapta extra se in spiritu,
vidit quandam personam oleo vnctam, &
fragrantissime odorantem, quæ dixit ei.
Ego sum Nicolaus Episcopus, qui appareo tibi in tali specie, sicut dispositus eram
in anima dum viuebam. Nam omnia
membra mea ita habilitata, & flexibilia
erant ad seruitium Dei, sicut res vncta, quæ
flexibilis est ad opus possidentis, & ideo
laus exultationis sẽper erat in anima mea,
& in ore meo prædicatio diuina, & in opere patientia, propter virtutes humilitatis, & castitatis, quas præcipue dilexi.
Sed nunc, quia in mundo multorum ossa
arida sunt ab humore diuino, ideo dant sonum vanitatis, & stridorem ex collisione
mutua, & inhabilia sunt ad fructificandum
fructum iustitiæ, & abominabilia Deo ad
1 intuendum. Tu vero scias, quod
sicut rosa profert odorem, & vua dulcedinem, sic Deus corpori meo emanandi
oleum, singularem dedit benedictionem, quia ipse non solum honorat electos suos in cœlis, sed
& lætificat, & exaltat
in terris, vt plures ædificentur, & participentur de gratia eis data.

* * *

Digitized by Google

NOTAE.

1 TV vero scias, quod sicut Rosa profert odorem, & vua dulcedinem, sic Deus corpori meo emanandi oleum singularem dedit benedictionem.

Ex Beatissimi Nicolai corpore tanquam ex perenni quodam fonte oleum manare consueuisse, sicut hoc loco scribitur, plures tradiderunt, & in primis Petrus Damianus in sermone quem edidit de vnguento ex eius sepulchro manare solito, idem habet Ioannes Archidiaconus, qui beati Nicolai res gestas scripsit, citatus a Surio tom. 7. ex Adsit ut Antistitis corpore, vt e perenni quodam charismatum fonte stillat liquor salubris, sicut olim cum esset Myrae ex quibus verbis liquet deducere, etiam nunc in Baro, vbi illius corpus repositum est vigere miraculum, cuius rei fidem facit Hymnus qui in Breuiario Toletano habetur.

Cuius tumba fert oleum
Matres olim nesciunt
Quod natura non protulit.
Marmor sudando parturit.

Plura de laudibus, & vita huius gloriosissimi Antistitis habentur in Liturgia S. Chrisostomi, & tradit Nicephorus lib. 8. hist. cap. 14. & 42. praeter ea, quae fuerunt scripta a Lipomano, & Surio tom. 6. aliisque, qui deinceps eius vitam literis consignarunt.

QVALITER BEATA ANNA apparuit sponsę, & docet eam vnam orationem specialem ad reuerētiam eius, & ad impetrandam prolem a Deo mulieribus coniugatis.

CAP. CIIII.

SACRISTA Monasterii Sancti Pauli extra muros Romae dedit sponsę Christi reliquias de Sācta Anna matre dominae nostrę Virginis Mariae. Cum igitur domina cogitaret quomodo eas reponeret, & honoraret, apparuit ei Sancta Anna dicens.
2 Ego sum Anna domina omnium coniugatarum, quae fuerunt ante legem. Ego etiam sum Mater omnium coniugatarum fidelium, quae sunt post legem, quia Deus voluit de generatione mea nasci, ideo tu filia honora Deum isto modo. Benedictus sis tu Iesu fili Dei, & fili Virg. quę de coniugio Annae, & Ioachim matrem tibi elegisti, ideo propter preces Annae miserere omnibus, qui in coniugio sunt, vt fructificent deo. Dirigo etiam omnes, qui ad coniugium tendunt, vt in eis honoretur Deus. Reliquiae vero meę, quas habes, erunt diligentibus in solatium donec Deo placuerit eas altius honorare in resurrectione nouissima.

MATER DEI CONFORTAT sponsam ad visitandum sanctuaria Romae, dicit, quod maiores sunt indulgentiae, quam homines credunt quas sancti impetrauerunt suis precibus, & proprio sanguine.

CAP. CV.

1 MATER loquitur sponsae dicens. Cur sic turbaris filia. Respondit illa, quia domina non visito loca ista sancta, quę sunt in Roma. Et Mater. Permittitur, inquit, tibi visitare loca ista cum humilitate, & deuota reuerentia, quia in hac Roma maiores sunt indulgentiae, quam homines credere possunt, quas sancti Dei glorioso sanguine suo, & precibus a filio meo impetrare promeruerunt. Veruntamen filia non dimittas propter haec scolas tuas in grammatica, nec patris spiritualis tui sanctam obedientiam.

***

QVI-

QVIDAM SIMVLANS se reliquisse mundum, & velle seruire Deo consuluit sponsam in quo statu Deo seruiret, cui Christus dicit quod iste nondum transiuit Iordanem, idest, nondum contempsit mundum perfecte, & voluntatem suam, & ideo non audiet responsum secrete voluntatis Dei.

CAP. CVI.

QVidam dicebat se velle seruire Deo, & volens scire in quo statu magis placeret Deo, consuluit sponsam desiderans habere diuinū responsum. De quo Christus loquens sponsæ dixit. *Iste* nondum peruenit ad Iordanem, & minus pertransijt, sicut scribitur de Helia, quod transito Iordane, cum peruenisset ad deserta, audiuit secreta Dei. Sed quis est Iordanis iste, nisi mundus, qui fluit quasi aqua, quia temporalia nunc ascendunt cum homine, nunc descendunt. Nunc eleuant eum honore, & prosperitate, nunc deprimunt aduersitate, & nunquam homo est sine sollicitudine, & tribulatione. Ergo, qui desiderat cælestia, necesse est vt ab animo omnes terrenas affectiones remoueat, quia cui dulcescit Deus, vere ei vilescunt terrena, & caduca. *Sed* hic homo nondum ad hoc peruenit, vt omnia contemneret, immo adhuc voluntatem suam habet in manu sua, Ideo adhuc cælestia secreta auditurus non est, donec perfectius mundum contempserit, & voluntatem suam dimiserit in manu Dei.

CHRISTVS DICIT SPONSAE quod sicut aquila ab alto custodit filios, & succurrit eis in necessitate, & periculo, sic ipse amicis suis in necessitatibus corporis, & animæ: præcipit etiam sponsę, quod visitet corpus Sancti Andreæ, quem laudat dominus hic, & visitantibus illum promittit misericordiam, & gratiam.

CAP. CVII.

FILIVS loquitur sponsæ dicēs. Aquila videt ab alto quis velit nocere pullis suis, & peruenit volatu defendēdo eos. Sic ego præuideo vobis salubriora, ideo dico expectate, & iterum dico ite, sed quia nunc tempus
1 est. 1 *Ite* ad ciuitatem Amalphię ad Apostolū meū Andręā. Cuius corpus fuit templum meum ornatum omni virtute, Ideo factum est ibi depositorium fidelium, & adiutorium peccatorum, nam qui fideli mente ibi veniunt ad ipsum non solum exonerantur peccatis, sed abundabunt consolatione æterna. Nec mirum. Nam ipse non erubuit crucē meam, sed portauit hilariter, & ideo non erubesco audire, & suscipere eos pro quibus ipse orat, quia voluntas sua est voluntas mea. Cum vero fueritis apud eum redite statim Neapolim ad natale meum. Respondit sponsa. O Domine tempus nostrum transit, & ætas, & infirmitas appropinquant, & subsidium temporale minoratur. Cui *Dominus*. Ego inquit sum naturæ conditor dominus, & reformator. Ego sum etiam in necessitatibus adiutor, & defensor, & distributor. Sicut enim qui habet equum sibi charū nō parcit prato suo etiā delectabili, vt ibi equus pascatur. *Sic* ego, qui omnia habeo, & nullius egeo, & omnium mentes inspicio, inspirabo cordibus diligentium me, vt benefaciant desiderantibus me, nam etiam non diligentes me admoneo, vt benefaciant amicis meis quatenus bonorum orationibus meliores fiāt.

NOTAE.

1 ITe ad ciuitatē Amalphiæ ad Apostolum meum Andream.

Plura

Digitized by Google

Plura de gloriosissimo Apostolo Andrea, habet Card. Baronius in annot. ad Martirologium Romanum die 30. Nouembris, & de translatione corporis eius facta a Constantinopoli ad ciuitatem Amalphiã agit die nona Maij, vbi etiam meminit miraculi scaturientis ab eius sacratissimo corpore liquoris ad morbos curandos proficui, adducit ad hoc probandum authoritatem antiquissimi, ac probatissimi scriptoris Gregorij Turonensis, de gloria Martyrum cap. 31.

ORANTE SPONSA IN Roma ad sepulchrum beati Stephani apparuit ipse narrans ei aliqua de vita, & virtutibus eius, & de passione sua, & offert se impetrare pro ea gratiam a Deo prædicẽdo sibi, quod adhuc ibit in Hierusalem.

CAP. CVIII.

ORabat sponsa ad sepulchrum beati Stephani in Roma extra muros sic dicens. Benedictus sis tu beatæ Stephane, quia eiusdem meriti es cum beato Laurentio, nam sicut ipse prædicabat infidelibus, sic, & tu prędicabas iudęis, & sicut Laurentius gaudenter sustinuit ignem, sic & tu lapides. Ideo inter martyres digne laudaris primus. Tunc apparens beatus Stephanus respondit ei dicens. Ego a iuuentute mea cæpi Deum habere charum, quia parentes habui sollicitos de salute animæ meæ. Cum autem Dominus meus Iesus Christus incarnatus fuit, & cæpit prædicare, tunc ego toto corde audiebam eum, & statim post eius Ascensionem coniunxi me Apostolis, seruiens fideliter in officio mihi iniuncto cum humilitate. Iudęis igitur blasphemantibus Deum socium Iesum ego gaudens accepisse occasionem loquendi cum eis constanter increpabam duritiam eorum paratus mori pro veritate, & imitari Dominum meum. Sed tria operabantur ad gloriam, & coronam meam, qua nunc gaudeo. Primum, fuit bona voluntas mea. Secundum, oratio dominorum meorum Apostolorum. Tertium, passio, & charitas Dei mei. Ideo nunc habeo triplex bonum. Primum est, quod incessanter video faciem, & gloriam Dei. Secundum est, quod quicquid voluero potero, & nihil volo, nisi quod vult Deus. Tertium est, quod gaudiũ meum erit sine fine, & quia tu de gloria mea gaudes, ideo oratio mea perficiet tibi ad consequẽdum maiorem Dei cognitionem, & spiritus Dei perseuerabit tecum, & venies adhuc in Hierusalem ad locum passionis meæ.

MATER DEI REPREHENDIT quandam spiritualem, scilicet, quod non confidat de aliqua virtute sua, & caueat a multiloquio. & risorio, & a leuitate morum. Item quod acceptius est Deo, quod homo iuste viuat in mundo de labore suo, quam in heremo, vel religione, sine Dei charitate.

CAP. CIX.

MATER loquitur. Vbi optimus est cibus, si infunditur in eo aliquid amaritudinis vilescit. Sic qualescunque, & quantascunque virtutes aliquis habeat, si delectatur in aliquo peccato non placet Deo. Ideo dic illi amico meo, quod si desiderat placere filio meo, & mihi, non confidat in virtute sua aliqua etiam minima, sed compescat linguã suã, ab omni multiloquio, & risorio, & prohibeat mores suos ab omni leuitate. Nam ipse debet portare flores in ore quibus alliciat insipidos ad fructum optimum. Si autem inter flores aliqua reperiuntur amara, vilescunt flores, & fructus bonus non desideratur. Idem dico, quod sicut vir, & mulier quandoque diligunt se propter solam corporis sustentationem, & sicut monachus quandoque est in monasterio propter corporale bonum. Sic ille homo quem ipse nouit, desiderat esse in monasterio, vt nihil patiatur contrarium, desiderat quoque esse pauper, vt nihil tamen ei desit. Ideo dimittatur propriæ voluntati, quia Deo est acceptius in mundo iuste viuere, & laborare manibus, quã in heremo, vel religione stare sine Dei charitate.

AVDIVIT SPONSA CHRISTI in spiritu quid signant septem tonitrua, & quare Ioanni præceptum fuit, vt tantum ea signaret, & non scriberet, & quod multis viuentibus qui tunc erant tonitrua venirent in Ecclesiam, vt multi optarent mori.

CAP. CX.

1 QVidam igitur Magister interrogauit a domina, quid signant septem tonitrua. Tunc domina facta in spiritu audiuit a Christo. Non credas filia, quod in Deitate mea aliqua temporalia cogitanda sunt, nec quod tonitrua, vel venti, vel creaturæ insensibiles habent voces humanas. Sed Ioannes ex inspiratione mea vidit futura Ecclesiæ pericula sub speciebus corporalibus. Quæ si scripsisset ad certa tempora, auditores omnes horruissent. Et expectando præ timore dissoluti fuissent. Propterea præceptum fuit sibi, quod signaret, quæ vidit, sed non scriberet. Nam vbi aliquid signatur, signum est alicuius rei futuræ incutientis timorem. Sic est in vocibus tonitruorum fulgurum, & ventorum. Nam significabantur comminationes tyrannorum conturbantium Ecclesiam meam, quas ita vehementes Ioannes videbat in spiritu, quod potius erant signandæ, quam scribendæ. Sicut enim ille, qui scribit, vel dicit vnam paruam parabolam grandia denotantem, vt audientes habeant occasionem timendi futura. Sic ego ostendi futura. Sed non exposui, vt homines timeant, & quia non erat tempus, vt frangeretur testa, & eliceretur nucleus. Ideo ostendi futura sub obscuritate, quia prius debet parari vas, quam infundatur potus. Scito etiam quod tanta tonitrua, & fulgura venient in Ecclesiam meam, multis viuentibus, qui nunc viuunt, quod multi optabunt mortem, & mors fugiet ab eis.

NOTAE.

1 QVidam igitur Magister interrogauit a domina, quid significant septem tonitrua.

2 *De septem tonitruis, cuius significatio quæritur hic Apocalypsis 10. scribit Ioannes, & cum clamasset locuta sunt septem tonitrua voces suas, dicitur autem hoc loco per illa Ioannes indicare voluisse tirrannorum comminationes contra Ecclesiam, quas tot tantas, quæ esse futuras D. Ioannes prophetico spiritu præuiderat, vt eius potius sub similitudine tonitrui insinuandas, quam distincte aperteque propalandas esse existimauerit, & huius obscuritatis causa redditur, quoniam ad incutiendum tantummodo timorem, tunc meminerat illorum, non enim tempus erat, vt in præsenti capite legimus, vt frangeretur testa, hoc est non dum comminationes illæ adimplendæ, ac contra Ecclesiam seditiones erant tunc excitandæ, in quo sensu explicat D. Hieronym. illud Danielis 7. cum dicit testam digitis statuæ fuisse mixtam ferro, per quod ait designasse prophetam futuras in Romanorum Regno seditiones, est enim testa frustum vasis fictilis, seu alterius rei ex luto factæ, & igni coctæ, quod optime designare potest igne tribulationis fideles in Ecclesia cruciandos esse, ac veluti testa pluribus, varijsque flagellis frangendos esse, & quia non dum tempus aduenerat, ideo dicitur hic, quod non dum testa facta erat, septem vero tonitrua tyrannorum comminationes insinuare, colligi potest ex gloss. interlineari Apocalip. 10. vbi per illa verba, & cum locuta fuissent septem tonitrua, asserit insinuari vniuersos successores, terrorem inferentes, sunt tamen, qui indicant per illa tonitrua concionatores intelligendos esse sacrosque doctores, sic Haimo, & Carthusianus ibi, Liranus vero per septem tonitrua mistice intelligit vniuersitatem Ecclesiarum, septenario numero designatum, vel vt habet Glos. ordinar. vniuersitatem Prælatorum, qui potestatem habent excommunicandi.*

QVOD OBEDIENTIA præfertur castitati, & introducit ad gloriam.

CAP. CXI.

FILIVS Dei loquitur. Quid times, etiam si decies comederes in die, propter obedientiam; non tibi imputabitur in peccatum. Nam virginitas meretur coronam. Viduitas appropinquat Deo. Sed obedientia omnes introducit ad gloriam.

MARIA CERTIFICAT Sponsam de præputio Christi, quod diligenter seruabat, & seruandum Ioanni Euangelistæ tradidit cum sanguine Christi, qui remansit in vulneribus Christi.

CAP. CXII.

1 MARIA ait. 1 Cum filius meus circuncideretur, ego membranam illam in maximo honore seruabam, vbi ibam. Quomodo enim ego illam traderem terræ, quæ de me, sine peccato fuerat generata. Cum tempus vocationis meæ de hoc mundo instaret, ego ipsam commendaui sancto Ioanni custodi meo, cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus eius, quando deposuimus eum de cruce, post hoc sancto Ioanne, & successoribus eius sublatis de mundo crescente malitia, & perfidia, fideles, qui tunc erant absconderunt illa in loco mundissimo sub terra, & diu fuerunt incognita. Donec Angelus Dei illa amicis Dei reuelauit. O Roma, ò Roma si scires gauderes vtique, immo si scires flere fleres incessanter, quia habes thesaurum mihi charissimum, & non honoras illum.

NOTAE.

1 CVm filius meus circunciderctur ego membranam illam in maximo honore seruabam, vbi ibam.

Seruatoris nostri præputium sub terra diu latuisse, ex huius capitis narratione constat, legimus enim hic Beatissimam Virginem toto vitæ suæ tempore pœnes se illud retinuisse, morti vero vicinam D. Ioanni tradidisse, a quo etiam, vt ex contextu colligi potest illud alicui ex discipulis consignatum esse scribitur, sicque successiue ad discipulorum manus peruenisse censendum est, post hæc hominum crescente malitia, vt pote qui tam pretioso indicabantur indigni thesauro religiosi viri, qui tunc aderant illud sub terra asseruandum esse potius existimarunt, quam impiorum pollutis manibus contractandum, vbi tam diu latuisse legimus, quamdiu misericors Deus illud per Angelum propalare dignatus sit: ex dictis duo inferuntur, quæ hoc loco breuiter probanda sunt, primum quidem Christi Domini præputium non fuisse ab eo reassumptum, & per consequens in terris apud nos mansisse, secundo vero, cum diu, vt diximus latuerit, post aliquod temporis spatium ab Angelo fuisse propalatum. Et quidem quantum spectat ad primum illud nobis verum esse suadet, quod sicut Saluator noster ad carnis assumptæ veritatem probandam voluit, quod in eius glorioso corpore vulnerum cicatrices remanerent, salua corporis perfectione, sic quoque censendum est ad eandem veritatem confirmandam voluisse, apud nos sacrum eius præputium esse, rursus etiam idem probatur ex eo, quod quemadmodum Christus ad legis obseruationem voluit circumcidi, vt nos latius probauimus libr. 5. Reuelat. interrogat. 10. quæst. 5. ita quoque dicendum est hunc pretiosum thesaurum apud homines manere voluisse ad eiusdem legis ac nostræ fidei confirmationem, tum quia hoc testimonium esse potuit signaculi circumcisionis Abraham, tum etiam quia sic ostendit circumcisionis præceptum iudæis impositum ab eo manasse, quippe qui ipse met legislator, & circumcidi voluerit, & circumcisionis signum eandem ob causam in terris permanere permisserit. Postremo eandem veritatem miraculorum magnitudo, & copia euidenter confirmat, quæ tot tantaque quotidie ibi fiunt, vbi hæc sanctissima reliquia hodierna die asseruatur, vt nullus hac de re ambigendi locus supersit, cuius rei fidem facit probatissimus auctor Card. Toletus in comment super Lucam cap. 2. annot. 31. cuius verba paulo post referemus, is enim narrat quomodo hæc sanctissima reliquia fuerit asportata calcatam (Nomen est Pagi) viginti dumtaxat millibus Roma distantis, neque solum Cardin. Toletus affirmauit apud nos Domini præputium in terris esse, verum ante illum plures grauissimi doctores hoc constanter asseuerarunt, dicunt enim fuisse Circumcisionem Domini primum ab Angelo delatam in Hierusalem Carolo Magno, & ab eodem inde translatam, & positam Aquisgrani in Ecclesia S. Mariæ, & postea a Carolo Caluo in Ecclesia S. Saluatoris apud Carosium conditam, sic habent Innocentius III. lib. 4. de mysterijs Missæ cap. 30. Guglielmus Durantus in rationali lib. 4. cap. 42. de sept. p. canonis nu. 8. Petrus de Natalibus in Catal. sanct. libr. 2. cap. 27. circa finem, supplementum Gabrielis in 4. dist. 44. qu. 1. Iacobus Philippus Bergomensis in supplemento Cronic. anno 801. qui etiã citat Iacobũ de Voragine hæc narrantẽ plura etiã de eadẽ re habet Panninus de septem Vrbis Ecclesiis, fauere videtur huic opinioni Franciscus Suarez in commẽt. super 3. par. S. Thomæ qu. 54. art. 4. disp. 37. sect. 1. quo loco satisfacit cuidam obiectioni, quæ contra hanc sententiam fieri potest, cum enim præputium particula quædam sit humani corporis, ad eius integritatem spectare quispiã dicere posset,

& per consequens affirmandum est, eam fuisse a Christo Domino reassumptam, vt eius corporis gloriosi integritas saluaretur, verum hoc non obstat quia inquit Suarez potuit corpus Christi post resurrectionem habere præputium formatum ex aliqua alia parte materiæ illius, quæ fuit in corpore Christi, quæ per continuam nutritionem iam fuisset resoluta, sic quæ per eam potuit suppleri illa carnis particula, quæ in circumcisione fuerat abscissa, & Christi corpus tunc fuisset integrum, & portio illa carnis in circumcisione præcisa in terris manere potuit, & quidem ad huius dicti probationem adduci potest hoc loco, quod admonuit Cardinalis Baronius tom. 1. Annal. anno Christi 57. fol. mihi. 447. is enim asserit consueuisse aliquando quibusdam hebræis accidere, vt ea carnis particula abscissa excresceret, & pro hac sententia citat Persium, et Iuuenalē, quod si hoc in Saluatore nostro admittendum est, id intelligendum fuisse factum remoto quocunque artis, ac medicinæ ministerio, quo tamen ad hoc vti solitos fuisse iudeos illos, tradit ibi Card. Baronius ex Iosepho antiquitatum lib. 22. cap. 6. & refert etiam Epiphanium dicentem hanc traditionem manasse ab Esau Iacobi fratre, & hanc ab eo fuiße repertam ad abnegationem veri Dei. & ad delectionem characteris Patrum ipsius, & propterea affirmarunt iudæi a Deo dictum eße, Esau odio habui, huius etiam rei meminit Apostolus 1. Corint. 7. cum dicit circumcisus aliquis vocatus est, ne attrahatur illi præputium, quæ attractio fiebat per instrumentum attractorium, quod spatisterem appellabant, infirmam membrorum cuticulam attrahi sinentes, futuramq; admittentes, & glutinatorijs circundatis præputium, rursus super inducebant, sed hæc absit, vt in Christo facta esse dicamus: potuit tamen hoc fieri, vt Suarez egregie loco citato tradidit naturali facultate Naturæ semoto quocunque artis, ac medicinæ ministerio: sed quid quid sit hac de re dicendū est cum D. Bonauentura in 4. dist. 12. & Siluestro in Rosa aurea di. q. 31. portiunculam illam carnis non spectare ad integritatem corporis Christi, & propterea constanter asserendum esse Saluatoris præputium in terris mansisse ad fidelium deuotionem, & ad veritatem assumptæ carnis probationem. Verū ad maiorem horum notitiam libet hoc loco verba doctorum, quos supra citauimus referre, & primo se se offert Innocentius Tertius, qui rem totam paucis verbis loco supra citato aperit. Quid de Circumcisione Præputij, vel vmblici præcisione dicetur, creditur enim in Lateranensi Basilica aßeruari, licet a quibusdam dicatur, quod Præputium Christi fuit in Hierusalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui trāstulit illud, et posuit Aquisgranū, sed postea a Carolo Caluo positum est in Ecclesia Sancti Saluatoris apud Carosium, melius est tamen Deo totum committere, quam aliud temere difinire, eandem rem ijsdem plane verbis narrat Guglielmus Durantus vbi supra, Petrus vero de Natalibus in Catal. sanctorum lib. 2. cap. 27. circa finem de carne, inquit, Circumcisionis Domini dicitur, quod Angelus eam Carolo Magno detulit, & ipse eam Aquisgrani in Ecclesia Beatæ Virginis collocauit, & postea fertur transtulisse Carosium, nunc autem dicitur esse Romæ in Cappella Lateranensi, quæ dicitur Sancta sanctorum. Hactenus Petrus. Cæterum quamdiu in Lateranensi Basilica pretiosus hic thesaurus permanserit colligi potest ex Card. Toleto supra citato dicit enim anno 1527. Vrbem Romam hostium direptioni cesisse, & tunc Christi Domini præputium cum alijs quibusdam reliquijs militem quēdam sustulisse, qui vrbe discedēs à Rusticis captus calcatam deductus est, ibi ergo in cellaria pro carcere detrusus, sanctissimas Reliquias quas impius subripere ausus erat, desudit, sed aliquanto post libertate donatus Romam rediјt, & ægrotus in Xenodochio Sancti spiritus in Saxia recipitur, cumque morti se esse vicinum animaduerteret, rem totam ministris Xenodochij propalauit, quod vt ad Clementem VII. Pont. Max. retulerunt, mox Ioanni Baptistæ Anguillariæ pagi Domino scribi. Pontifex mandauit, vt omne suum studium, omnemque diligentiam adhiberet in sanctissimis Reliquijs perquirendis, fecit ille, non tamen tunc fuere inuentæ, Mense tandem Octobris 1557. Deo Opt. Max. annuente a sacerdote, qui calcatæ sanctorum Cornelij, & Cypriani curam gerebat Ecclesiæ, cui cellaria illa proxima erant, in qua miles eas Reliquias terra operuerat, repertæ fuerunt, post hæc voluit Deus rei veritatem miraculis comprobare, quæ sane multa, eaque ingentia deinceps facta sunt, vt narrat ibidem Cardinalis Toletus, vbi addit Sixtum Quintum Pontificem Anno 1584. Plenariam Indulgentiam eidem Ecclesiæ concessisse ipso Circumcisionis Domini die.

QVOMODO SPONSA VIDIT statum fratrum Aluastræ, & sicut sponsę ostensum est, ita euenit.

CAP. CXIII.

CVM Domina Brigitta staret orando, rapta in spiritu vidit domum quandam, & super domum cælum valde serenum. Cunque diligenter inspiciendo miraretur. Vidit de domo columbas ascendentes, & penetrare

ascendere cælum, quam Æthiopes conabantur impedire, sed non valebant. Subtus vero dumum videbatur chorus, in quo sunt tres ordines fratrum. Primi sunt simplices, quasi columbæ. Ideo faciliter ascendunt. Secundi sunt, qui veniunt ad purgatorium. Tertij sunt, qui alium pedem habent in mari, & alium in tabulatu nauis, quorum iudicium nunc appropinquat, & vt scias, & probes, vnus post alium citius transibit, secundum quod nomina eorum exprimo tibi. Quod simpliciter contigit. Venit enim mortalitas, & tulit, sicut prædictũ est trigintatres fratres.

SPIRITVS SANCTVS dixit sponsæ negligenti absolutionem accipere pro peccatis, & quod peccatum veniale fit mortale per contemptum.

CAP. CXIIII.

CVM Domina Brigitta semel confiteretur, confessor suus vocatus est a quodam sacerdote, qui surgens oblitus est dare absolutionem. Cumque domina ingressura lectum flecteret genua, dixit Spiritus sanctus, surge filia & humilia te ad absolutionem, quia magiter tuus te non absoluit. Cui obtenta absolutione iterum dixit Spiritus sanctus. Omnis, qui non attendit ad minima cadit in maiora. Nam etiam veniale peccatum, de quo remordetur conscientia, si exercetur, & continuatur fiet mortale, & grauius propter contemptum punietur.

VOLVNTAS BONA sufficit pœnitenti dum copiam confessoris non habuerit, hæc latroni profuit in cruce, & cœlum aperuit. voluntas vero mala infernum fecit Lucifer mala voluntate factus est malus.

CAP. CXV.

QVIDAM de diocesi Aboensi venit Romam ignorans idioma Suecicum, quem cum nullus id Roma intelligere, nec confessorem habere poterat. Consuluit dominam quid ageret. Tunc domina in spiritu audiuit Iesus Christus filius Dei loquitur. Homo ille, qui te consuluit plorat quod nõ habet auditorem confessionis suæ. Dic ei, quod sufficit voluntas. Nam quid profuit latroni in cruce? Nonne voluntas bona? Aut quid aperit cælum, nisi voluntas volendi bona, & odiendi mala? Quid vero facit infernum, nisi voluntas mala, & affectus inordinatus? Nunquid non Lucifer bene creatus fuit? Aut ego ipsa bonitas, & virtus creaui malum aliquid? Nequaquam. Sed postquam Lucifer abusus est voluntate, & mouit eam inordinate, factus est ipse inordinatus, & ex voluntate mala malus. Propterea iste pauper ster stabilis, & non retrocedat. Et cum ad patriam suam redierit, quærat, & audiat salubria animę suæ a sapientibus, & voluntatem suam submittat, & obediat magis consilio iustorum, quã suæ voluntati. Sin autem, & interim morietur in via, erit ei, sicut dixi latroni: Eris mecum in paradiso.

Digitized by Google

SIMPLICITAS VIX scientis Pater noster plus placet Deo quam prudentia superborum, & docta insipientia, & per dilectionem seruat mandata consilia Euangelica intra omnia, & leges.

CAP. CXVI.

QVidam simplex, qui nesciuit plene Pater noster, quæsiuit consilium animæ a domina Brigitta. Cui Christus dixit. Plus placet mihi simplicitas animæ simplicis huius hominis, quam prudentia superborum, quia in illis est superbia elongans Deum a corde. In isto est humilitas introducens Deum in cor. Ideo dic ei, quod continuet opus suum solitum, sicut hucusque, & habebit mercedem cum his quibus dixi. Venite, qui laboratis, & ego cibabo vos pane æterno. Nam si dixero ei, sicut dixi iudeo petenti a me consilium fraudulenter. Serua inquiens mandata, & vende, quæ habes, non potest sustinere, quia senectus non capit informationem, & paupertas non habet, quod vendat. Veruntamen homini tendenti ad æternam vitam necessaria sunt mandata, quia sine illis saluari non potest homo, dummodo tempus, & copiam habet instruentis, huius vero hominis docta insipientia, & voluntas bona, sic placent mihi, sicut illius viduæ duo denarij quos prætuli diuitijs regum. Nam ipse in sua insipientia omnem habet sapientiam. Diligit enim corde me, sed vnde, nisi a spiritu meo? Et hoc videtur sapientibus mundi insipientia non amare diuitias, & nescire grandia loqui. Ideo dixi docta insipientia, quia ipse a spiritu meo didicit veram sapientiam, hoc est diligere Deum. Nunquid non videtur tibi vere sapiens iste, qui non scit, nisi vnicum verbum, scilicet, diligere? Per hãc enim dilectionem ipse seruat omnia mandata legis Moysi, per hanc dat Deo, quæ Dei sunt. Per hanc conseruat omnia consilia Euangelij mei. Per hanc seruat omnia iura, & leges. Per hanc diligit proximum non concupiscendo aliena, immo nec nisi necessaria, nec rapiendo, nec defraudando proximum. Per hanc continue memor est mortis suæ, & iudicij quo apud me est iudicandus. Et ideo qui voluerit venire ad me, non habet sollicitari de ignorantia legis, dummodo vti voluerit conscientia sua, quæ dicit hoc velle pati, quod facit alteri. Ad quid enim homo addiscit tot, & tanta, & tot reuoluit libros? Nunquid ad seruiendum mihi? Nonne magis propter curiositatem, & deductionẽ temporum, & ostentationem, & velle magister vocari? Veruntamen vnusquisque stat in conscientia sua, & ex ea iudicatur vnusquisque, propterea filia quicunque ex perfecta fide, & voluntate, tria ista verba legit. Iesu miserere mei, plus mihi placet, quã ille, qui millia versum legerit sine attentione.

GLORIOSA VIRGO MARIA inuocata etiam a vilissimis peccatoribus ministrat adiutorium, vt ostenditur in anima cuiusdam peccatoris participante de mensa pietatis eiusdem virginis.

CAP. CXVII.

MARIA loquitur. Nullus est tantus peccator, nec in tam vili opere positus, quin si inuocauerit me in adiutorium, ego iuuabo eum. Quod enim opus est vilius, quam curare caput scabiosum? Si quis inuocat me ministrabo adiutorium, vt mundetur. Quid vero vilius instrumento illo, aut sordidius, quo crassitudo terræ eijcitur de stabulo super currum? Si quis inuocauerit me, ego iuuabo eum. Quid vero vilius, quam lauare plagas leprosi? Quicunque inuocauerit me, ego non dedignor tangere, & vngere, & sanare plagas suas. Respondit sponsa. O sanctissima domina, scio quia humillima, & potentissima, & benignissima es. Iuua animam illam, pro qua toties te rogaui. Respondit Mater. Illa anima tria habuit in vita sua. Voluit enim habere mundum. Sed mundus noluit habere ipsum. Secundo dilexit carnem suam per incontinentiam, quia noluit venire ad coniugium. Tertio minus dilexit Deum quam debuit, licet stabilis in fide fuit. Ab his modo liberata est, & in gieer participatur de scutella mensæ pietatis meæ. Adhuc quædam restant a quibus purgata citius liberabitur.

FILIVS DEI CONSVLIT Filiæ Sanctæ Brigittæ Catherinæ volenti redire ad patriam, quod cum ea remaneat. Nam maritus eius in breui erat moriturus.

CAP. CXVIII.

FILIVS Dei loquitur. Consule illi domine, quod ilet tecum ad tempus, quia vtilius est ei stare quam redire. Nam facturus sum ei sicut pater facit puellæ, quæ a duobus diligitur, & petitur in coniugium, quorum alius est pauper, & alter diues, & ambo diliguntur a puella. Pater itaque prudens videt affectum Virginis, & pauperem ab ea diligi, dat pauperi vestes, & dona, diuiti vero coniungit filiam suam. Sic ego volo facere. Ista diligit me, & maritum suum. Ideo, quia ditior sum, & Dominus omnium, prouidere ei volo de donis meis vtilioribus sibi ad animam, quia placet mihi cito vocare eum, & infirmitas qua laborat signum est exitus sui. Decet enim tendentem ad potentissimum, ratiocinationem suam habere in manibus, & a carnalibus esse expeditum. Aliam vero volo ducere, & reducere ad sua, donec apta fiat ad opus, quod ab æterno præsciui, & ostendere ei mihi placet. Aliquanto itaque tempore elapso postquam Beata Catherina vouisset cum Matre sua Romæ remanere, horrore inconsuetæ vitæ concussa, memorque libertatis præteritæ, multum anxia petijt a matre sua, vt ad Sueciam posset remeare, matri vero eius pro hac tentatione in oratione existenti, apparuit Christus dicens. Dic Virgini illi Filiæ tuæ, quod facta est vidua. Et consulo, vt tecum remaneat, quia ego ipse volo sibi prouidere.

COMMVNIS STATVS coniugij Deo placet. Viduitas inuenit gratiam. Sed Virginitas perfectissima est.

CAP. CXIX.

CHRISTVS loquitur.
1 1 Communis laudabilis status acceptus est mihi. Nam, Moyses ductor populi mei placuit mihi, quamuis vxoratus fuit. Sic & Petrus viuente vxore vocatus est ad Apostolatum, & in hoc placuit mihi, quia leuioribus ascendendum est ad perfectiora, populusque carnalis erudiendus fuit signis & operibus ad spiritualia percipienda. Sic etiam Iudith propter viduitatem, & propter bonum viduitatis inuenit gratiam in conspectu meo, meruitque populo suo propter continentiam liberationem. Ioannes vero, cuius custodiæ commisi Matrem meam, non displicuit mihi, quia Virgo fuit, immo summe placuit, quia perfectissima vita est in carne non carnaliter viuere, similisque vitæ Angelicæ. Ideo & meruit custos fieri castitatis, & ei specialia signa ostendi charitatis. Sic etiam dico nunc. Viduitas huius Domine plus placet mihi, quam
2 coniugium, 2 quia acceptior est mihi vidua humilis, quam Virgo superba. Et plus meruit Magdalena in humilitate, & lachrymis, quam si fuisset in propria voluntate.

NOTAE.

1 Communis laudabilis status acceptus est mihi.

Per communem statum hoc loco Christus Dominus coniugium intelligit, quod & ex contextu, & ex Argumento etiam præsentis capitis constat, dicitur autem coniugium status communis, quia inter homines vniuersalior est, magisque late patens, quam Virginalis Status, ac etiam cœlibatus,

 com-

comparat autem Dominus hic hos tres status ad inuicem, docetq; virginitatem principem locum tenere, vt patet ibi circa mediam (immo summe placuit, quia perfectissima vita est, in carne non carnaliter viuere, similisq; vitæ Angelicæ) eandem sententiam habet D. Gregor. Nazianzenus Hom. vnica in caput. 19. Matt. ad ea verba cum consumasset Iesus hos sermones, an non inquit Angelicum, eam, quæ cum carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem viuere, sed natura ipsa excelsiorem esse. Hactenus D. Greg. & sanè nulli dubium est, virginitatem omnibus esse præferendam, illam namq; soli martyrio cedere tradit Diuus Ciprianus in oratione de laude Martyrij, & de Natiuitate Christi prope finem, idem aperte fatetur, & si inquit bona sunt, & a Deo instituta coniugia melior tamen est continentia, & Virginitas excellentior, plura habet de hac re in Epistola de habitu Virginum, quæ incipit disciplina iustorum, in qua ob Virginitatis præeminentiam Virgines appellat spiritualis gratiæ Decus, & ornamentum, lætam indolem, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imaginem, illustriorem gregis Christi portionem. idipsum probant D. Chrisost. Theophilatus, & Eutimius in Matt. cap. 25. vbi Dominus Regnum Cœlorum virginibus comparat, quod ideo fecisse Dominum citati auctores arbitrati sunt, quod sicut Beatitudinis Status, supremus est, ita quoque Virginitas summa, ac primaria virtus est, sed latius D. Aug. de Ecclesiasticis Dogmat. cap. 68. & de hæresibus ad quod vult Deum, & lib. de Sancta Virginitate cap. 7. 8. 18. & 31. fauet etiam D. Gregor. Nazianzen. orat. in Sanctum Baptisma. D. Thomas 2. 2. q. 152. art. 4. Postremo hoc definit Concil. Tridentin. sess. 24. can. decimo, vbi habet, si quis dixerit statum coniugatum anteponendum esse statui Virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut Cœlibatu quam coniungi Matrimonio, anathema sit, taceat ergo impius Iouinianus qui ausus est Virginitati Matrimonium æquare, contra quem scripsit D. Hieron. vt patet tomo tertio suorum operum, & meminit huius erroris lib. primo contra Iouinianum non remote a principio, eundem confutat D. Augustinus locis supra citatis, & alij plures, ex recentioribus, libet autem hoc loco Virginalis Status dignitatem supra alios duos ostendere, congrua quadam similitudine, quam ad rem hanc comprobandam adhibere consueuisse B. Martinum tradit Sulpitius libro 3. in vita ipsius: cum inquit Bi Martinus Dioceses circumiret, boues ex parte prata depauerant, Porci etiam nonnulla suffoderant, pars cætera, quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat, speciem ait gerit pars illa coniugij, quæ pecore depasta, & si non penitus gratiam amisit herbarum, nullo tamen florum retinet dignitatem, illa vero quam Porci pecora immunda foderunt fornicationis imaginem fœdam prætendit, cæterum illa portio, quæ nullam sensit iniuriam gloriam Virginitatis ostendit, herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat.

2 Quia acceptior est mihi vidua humilis, quam virgo superba.

Quanquam cæteris paribus præstantior sit status Virginalis cœlibatu, & statu coniugali, vt superiori nota probauimus, tamen potest accidere, quod ille, qui Virgo non est, excellentiorem habeat virtutem, ratione cuius plus Deo placeat vidua, quam Virgo, vt hoc loco innuitur, quod etiam annotauit D. Augustinus lib. de bono coniugali cap. 23. vbi comparans Virginem inobedientem, & minime sobriam, cum coniugata obediente, & sobria concludit, coniugatam obedientem & sobriam præferendam esse Virgini inobedienti, & non sobriæ, quod multo magis verum erit de vidua sobria obediente, & humili vt legimus hic, vnde Augustinus hac de re loquens, sic scribit, Nuptiæ quippe, & virginitas duo bona sunt, quorum alterum maius, Sobrietas autem, & ebriositas, sicut & obedientia, & contumacia illa bona sunt; hæc mala, melius est autem habere omnia bona, vel minora, quam magnum bonum cum magno malo, quia & in corporis bonis, melius est habere Zachæi staturam, cum sanitate, quam Goliæ cum febre, & Paulo post concludens ait, quapropter non solum obediens inobedienti, sed obedientior coniugata, minus obedienti Virgini præponenda est; idem probat D. Thomas 2. 2. q. 152. artic. 4. ad secundum argum.

CHARITAS COMPARATVR arbori, de qua omnes virtutes procedunt inter quas obedientia primatum tenet.

CAP. CXX.

CHRISTVS filius Dei loquitur. Sicut arbor habet multos ramos. Hi autem, qui sublimiores sunt plus recipiunt de ardore, & vento. Sic est de virtutibus. Charitas est quippe quasi arbor de qua omnes virtutes procedunt. Inter quas primatum tenet obedientia, pro qua ego ipse Deus subire crucem, & mortẽ non dubitaui. Ideo obedientia est mihi placita, sicut fructus suauissimus, quia sicut pax pacatissima, sic & homo ille est mihi ami-

amicissimus, qui se ex humilitate alijs subijcit, & velle suum totum ponit ad manus aliorum. Ideo placet mihi ad maiorem sui coronam, & promerendam charitatem, quod domina ista obediat relinquendo voluntatem suam, quia Abraham ex voluntate sua factus est dilectior, & Ruth in populo Dei clarior, quia voluntati propriç non obediuit. Item loquitur Christus. Non morietur ista, vt dixit medicus, sed viuet placito tempore, quia ego eam enutrire volo sub ascella dextræ manus meæ. Et dabo ei sapientiam, vt afferat mihi flores dilectos, vt viuat ad honorem meum.

CHRISTVS OSTENDIT obedientiam esse virtutem qua omnia imperfecta perficientur, & sine ea indiscretio in conceptibus mentis oritur, & sequuntur deuotionis diminutio, & tribulatio frequenter mentis, & corporis.

CAP. CXXI.

CHRISTVS loquitur. Obediētia est virtus qua imperfecta perficiuntur, & omnes negligētiæ extinguuntur.
1 1 Nam ego Deus præ omnibus perfectissimus, & ipsa perfectio obediui Patri vsq; ad crucem, vt ostēderem exemplo meo, quàm placitum est Deo abnegare velle proprium, sed multi nō attendentes virtutem obedientię, nec habētes zelum discretum sequuntur conceptum mentis suæ. Et sic modico tempore indiscrete affligunt carnem, vt longiori tempore sint inutiles sibijpsis, ex quo Deo minus placentes sunt, & alijs onerosi. Cumque tales considerant defectus suos, retractare volentes priora, statim accedit rubor mentis dimittere incepta, & ex pertinacia non audent aggredi saniora. Ex talibus est iste homo quem vides, qui non attendit ad cōsilia probatorum virorum, nec attendit ad verba mea quæ dixi. Nolo mortem carnis, sed peccati. Ideo timendum est ei, ne veniat in tribulationem maiorem, & defectū mentis. Veruntamen si obedierit sapientibus, & submiserit animam suam a conceptibus proprijs, duplicabitur ei corona, & spiritualis deuotio augebitur in eo. Alioquin sicut scriptum est, fiat ei. Venit homo & superseminauit zizania, & simul exortæ spinæ suffocauerunt semen eius.

NOTAE.

1 NAm ego Deus præ omnibus perfectissimus, & ipsa perfectio obediui Patri, vsque ad Crucem.

In præsenti nota legimus Christum Dominum ex obedientia mortuum esse, quia vt scribit Apostolus ad Filippenses 2. Christus factus est pro nobis obediēs vsq; ad mortē, huius vero singularis obediētiæ duplex hoc loco redditur causa, quarū prima est, vt Christus palàm faceret quantum Deo propriæ voluntatis resignatio placeat, secundo vero, vt nobis perfectæ obediētiæ exemplum relinqueret, sed hic quispiam merito dubitare posset, quomodo Christi voluntas supposito Patris præcepto de redimendo hominum genere libera fuerit, cui dubitationi breuiter satisfacere ex Sacris Theologis possumus, primo quia, vt annotauit D. Anselm. lib. 1. cur Deus homo cap. 9. probabilissimum est, cū primum ostensum est Christo præceptum de prædicāda Euangelica lege, vitijsq; reprehendendis, tunc eum sic ardenter hanc patris voluntatem fuisse amplexum, quod licet ex Iudæorū perfidia sciret, hanc ob causam mortem sibi imminere, petijsse tamen a Patre, vt hoc sibi mandatum imponeret, quod secundum Chrisost. hom. 59. in Ioan. non est intelligendum, quod prius expectauerit audire, & opus ei fuerit discere, sed voluntarium statim monstrauit processum; Emanauit ergo a Patre præceptū, ab eoq; mortem exegit, non quidem tanquam debitā, cum mors sit pœna culpæ, quæ nulla fuit in eo, sed quia iubente Patre iustitiam obseruauit verbo, & operibus Iudæos acriter reprehendendo, nouas leges ferendo, vitia redarguendo, ex quo subinde inuidia orta est, & postea Christi mors, quam sponte subiuit, quod patet ex eo, quia licet Christus ex obedientia mortuus sit, habere tamen potuit circa mortem libertatē, per actum quendam reflexum, quo Christus ita mortem amare poterat, vt etiam si non fuisset præceptum, adhuc tamen illi placeret pro redimendis hominibus mortem subire. Dico secundo, quod etiam ratione intensionis actus habuit libertatē, quia libère cū tāta intēsione fecit, quāta nō obligabatur, respōdet 3. D. Tho. 3. p. q. 47. ar. 2. ad secundum, quod licet obedientia respectu eius, quod præcipitur necessitatem importat, respectu tamen impletionis præcepti voluntatem importat, & talis fuit obedientia Christi, quia vt implebat præceptum redemptionis, sponte faciebat secundum illud psal. 39. vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui.

CHRI-

CHRISTVS OSTENDIT, quod exemplo suo amici Dei moderare debent gestus suos, ne labor orationum fiat minor ad coronam.

CAP. CXXII.

FILIVS DEI loquitur. Ego positus in humanitate, sic temperaui orationes, labores, & ieiunia mea; vt nec scandalizarentur intuentes, nec absentes offenderentur. Sed omnes qui voluissent, possent imitari verba mea, & opera, & exempla. Hæc autem domina, quam cernis mirabiles habere gestus, non est sine magna tentatione, sed nec sine remorsu conscientiæ. Ideo consultum est ei temperantius moderare gestus suos, & facere ea quæ facit magis in occulto, quam in publico. Alioquin labor suus superuacuus, & oratio sua, erunt ei minus in coronam.

**

*

Explicit Sextus Liber Reuelationum Cœlestium Sanctæ Brigittæ.

COMPENDIVM XXXI. CAP.

SEQVENTIS LIBRI SEPTIMI REVELATIONVM SANCTAE BRIGITTAE.

1 IN primo Romæ Virgo Maria prænunciat sponsæ, quod itura esset in Hierusalem, vt ibi videret qualiter peperit Filium Dei.

2 De gladio doloris, qui animam Beatæ Mariæ (iuxta verbum Symeonis in templo) pertransiret.

3 Quod orantem Sanctam Brigittam, Sanctus Franciscus in Ecclesia sua Trans tiberim Sanctorum Cosmæ, & Damiani dicta, inuitauerit ad cameram suam in Assisio pro spirituali cibo capiendo.

4 Quod in Ciuitate Ortonæ Regni Neapolitani essent reliquiæ Sancti Thomæ plurimum grata Deo.

5 Qualiter illustris iuuenis Elciarius scholaris Bononiensis, postea Cardinalis filius comitisse de Ariano a Sancta Brigitta optimam formam viuendi obtinuit.

6 Christus Romę prædicit sponsæ, vt pararet se ad peregrinandum in Hierusalem.

7 Quod quantumcunque Papa, & reliqui presbyteri sint peccatores (modo non sint hæretici) habent potestatem clauium, & conficiunt verum corpus Domini.

8 Resoluuntur dubia super proprio Christi, & authoritate Pontificis Summi, & celebrantium Sacerdotum.

9 Quod iam vadat in Hierusalem, in via fortitudinem corporalem, & necessarias expensas habitura.

10 Quod nullo modo voluntas Dei est, quod Sacerdotes sint vxorati, neque Papa id vllatenus permittet.

11 Qualiter Regina Neapolitana obtinuit tredecim remedia emendandi se, & dominia sua.

12 Qualiter Bernardus Archiepiscopus Neapolitanus pro se, & clero suo obtinuit a Beata Brigitta doctrinam optimam viuendi in Diocesi sua.

13 De saluatione animæ militis Caroli filij Beatæ Brigittæ mortui in Neapoli.

14 De Indulgentijs peregrinorum Ecclesiam Sancti Sepulchri ingredientium in Hierusalem.

15 Qualiter in eadem Ecclesia Sepulchri Beata Brigitta vidit in spiritu totam passionem Christi.

16 Christus conqueritur de ingratitudine Principum, & Prælatorum negligentium huiusmodi passionem, etiam quod nec considerant ea sancta loca, ideo eis nisi se emendauerint, cōminatur in maximis pœnis eisdem irrogandis.

17 Quod Beata Brigitta in hospitio peregrinorum propter bonum exemplum dandum, potius staret, quam apud fratres in monte Syon.

18 Qualiter Beata Brigitta dedit Regi, & Reginæ Cipri bona consilia viuendi.

19 De reformatione Regni Cypri, & authoritate Summi Pontificis.

20 De regula Sancti Francisci, & sancto statu obedientium, & reprobatione eorum, qui proprium aliquid habent, & ita in omnibus alijs regulis.

21 Beata Virgo ostendit Beatæ Brigittæ totum modum pariendi filium Dei, sicut antea promiserat in Roma.

22 De eodem mysterio Sanctissimæ Natiuitatis Christi.

23 De

Digitized by Google

23 De pastoribus in Bethleem adorantibus Christum in præsepe.
24 De tribus Magis, quomodo ibidem Christum cum muneribus adorabant.
25 De humilitate Christi, & Mariæ, tam in terra, quam in cœlis vbi iam regnant.
26 De tempore, & modo Assumptionis Beatissimæ Virginis, & sepulchro eius.
27 De habita reuelatione, & publicata coram Regina, & Bernardo Archiepiscopo, quomodo Neapolitani nisi emendarent peccata sua incurrerent grauissimam Dei vltionem.
28 Domini seruos, seu sclauos suos noviter conuersos ad fidem in omni bona disciplina instruant, & pertractent, & quod sortilegis, & diuinatoribus nulla sit fides adhibenda.
29 De resolutione Episcopi rectoris Marchiæ Anconitanæ, quomodo alibi seruando gubernium, posset se ab ouibus suis absentare.
30 De ingratitudine peccatorum omnium statuum circa immensa Dei beneficia neglecta, & terribili sententia contra eos, nisi se emendauerint extendenda.
31 Christus prædicit Beatæ Brigittæ in domo sua, quæ nunc hospitale Sanctæ Brigittæ vocatur, quo die emigratura esset, & quo tempore libri suarum Reuelationum magis, ac magis acceptentur, & honorentur, & quod corpus eiusdem Sanctæ Viduæ transferri deberet ad Monasterium Vastenen. per eam fundatum, & dotatum in Regno Suetiæ.

INCIPIT SEPTIMVS LIBER

REVELATIONVM COELESTIVM SANCTAE BRIGITTAE DE SVETIA.

REVELATIO QVAM HABVIT SANCTA BRIGITTA Romæ post Annum Iubilæi, in qua Virgo Maria prænunciat ei, quod itura esset in Hierusalem, & Bethleem quando placuerit Deo, promittens ei, tunc ostendere sibi modum, quomodo ipsa peperit filium suum benedictum.

CAPVT PRIMVM.

CVM esset in Roma Beata Brigitta sponsa CHRISTI, & quadam vice vacaret orationi, cœpit cogitare de partu Virginis, & de illa summa bonitate Dei, qui talem matrem purissimam sibi voluit eligere, tantum enim tunc cor eius inflammabatur amore Virginis, quod dicebat intra se. O Domina mea Regina Cœli, intantum gaudet cor meum ex eo, quod altissimus Deus te præelegit in matrem, & tantam dignitatem tibi conferre dignatus est, quod ego magis mihi eligerem

Digitized by Google

gerem in inferno æternaliter cruciari, quam quod tu vno minimo puncto de tanta excellenti gloria, & tua cœlesti dignitate careres, & sic amoris dulcedine inebriata stabat super se alienata a sensibus, in quadam extasi mentalis contemplationis suspensa. Cui tunc Virgo apparuit dicens ei. Attende filia, Ego sum Regina Cœli, & quia tu me diligis tam immenso amore, ideo annuncio tibi, quod tu ibis in sanctam Ciuitatem Hierusalem peregrinando, quando placuerit Filio meo, & inde ibis ad Bethleem, ibiq; ostendam tibi in loco proprio totum modum, qualiter ego peperi eundem filium meum IESVM CHRISTVM, quia sic placuit ei.

Digitized b

CONSALVI DVRANTI

PRESBYTERI ET SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES

Ad Librum Septimum Reuelationum Coelestium Sanctæ Brigittæ.

1 IDEO annuncio tibi, quod tu ibis in Sanctam Ciuitatem Hierusalem peregrinando, quando placuerit filio meo, & inde ibis ad Bethlecem, ibique ostendam tibi in loco proprio totum modum, qualiter ego peperi.

BEatam Brigittam iuisse Hierusalem, ibique loca Sancta visitaße, tum ex vita ipsius, tum etiam ex Bulla Canonizationis Bonifatij IX. constat, quæ habetur in principio huius operis, profecta est autem Anno Domini 1372. ibique morata menses quatuor, & dies quindecim; quo tempore plurima, quæ ad Christi Domini vitam pertinent ei fuerunt diuinitus reuelata.

IN ROMA HABVIT Domina Brigitta Christi sponsa istam reuelationem, quæ loquitur de illo glorioso gladio doloris, qui animam Beatæ Virginis Mariæ pertransiuit, quem sibi iustus Symeon prænunciauit in templo.

CAP. II.

IN Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, dum esset sponsa Christi in Roma, in Ecclesia quæ dicitur Sanctæ Mariæ
1 Maioris, rapta fuit dicta Domina in spiritualem visionem, videns in Cœlo quasi omnia ad magnum festum præparari, & tunc vidit quasi vnum templum mirabilis pulchritudinis, & ibi erat ille venerabilis senex iustus Symeon, paratus ad recipiendum puerum Iesum in vlnis suis, cum summo desiderio, & gaudio, videbat quoque Beatam Virginem venientem honestissime, & portantem puerum filium, vt offerret eum in templo secundum legem Domini. Deinde innumerabilem multitudinem Angelorum, & diuersorum ordinum Sanctorum Dei, & Sanctarum Virginum, & dominarum, Beatam Virginem Matrem Dei præcedentium, & eam cum omni lætitia, & deuotione circundantium, ante quā portabatur a quodam Angelo vnus gladius longus, & valde latus, & sanguinolentus. qui significabat illos maximos dolores, quos Maria passa est in morte amantissimi filij sui, qui figurabantur in gladio, quem iustus Symeon prophetabat ipsius animam pertransiturum esse. Vnde tota exultante cœlesti curia dictum fuit sponsæ. Ecce quantus honor, & gloria rependitur in hoc festo Reginæ Cœli, pro gladio dolorum, quos sustinuit in sui dilecti filij passione. Et tunc hæc visio disparuit.

NOTAE.

1 RApta fuit dicta Domina in spiritualem visionem.

Spiritualis visio est, cum dormientes, vel vigilantes non corpora, sed rerum corporearum imagines cernimus, quibus aliquid aliud significatur, ideoq; legimus hic B. Brigittam in spirituali visione raptam similitudinem quandam ingentis, ac sanguinolenti vidisse gladij, quo insinuabatur dolor ille maximus, quem in passione filij Maria Virgo perceptura erat iuxta Symeonis prophetiam, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, qua de re fuse egimus libro tertio Reuelat. cap. 30. nota secunda, & libro sexto cap. 19. nota quinta, quibus locis explicauimus, quid per gladium intelligendum sit.

REVELATIO QVAM Beatus Franciscus ostendit Christi sponsæ Dominæ Brigittæ, in qua inuitauit eam ad cameram suam ad comedendum, & bibendum, declarans ei spiritualiter, quod camera sua fuit obedientia. Cibus eius fuit conuertere animas ad Deum, potus autem erat quando conuersos videbat totis viribus diligere Deum, & orationi, alijsq; virtutibus cum feruore vacare.

CAP. III.

IN Festo Sancti Francisci in sua Ecclesia Romæ in Transtiberim apparuit Sanctus Franciscus eidem sponsæ Christi dicens ei. Veni in cameram meam, ad comedendum, & bibendum mecum. Quod ipsa audiens statim parauit se ad iter, vt visitaret eum in Assisio. Vbi dum per quinque dies moram duxisset proponens tunc Romam redire intrauit Ecclesiam, vt se, & suos Sancto Francisco commendaret. Cui tunc ipse apparuit dicens. Bene veneris, inuitaui enim te

in

in cameram meam, vt mecum comoderes, & biberes. Scito tamen, quod hæc domus non est camera quam ego dixi tibi, sed camera mea est vera obedientia, quam ego semper tenui, ita quod nunquam sustinui esse sine præceptore. Habui enim mecum continue presbyterum, cui in omnibus præceptis humiliter obediui, & hæc fuit camera mea, tu igitur similiter facias, quia sic placet Deo. Cibus autem 1 meus quo delectabiliter reficiebar, erat hoc, quod scilicet libentissime traxi proximos meos a vanitatibus vitæ sæcularis, ad seruiendum Deo toto corde, & tunc velut dulcissimos morsellos illud gaudium glutiebam. Potus autem meus erat illud gaudium quod habui, dum aliquos per me conuersos vidi Deum diligere totis viribus suis contemplationi, & orationi vacare, aliosq; ad bene viuendum instruere, & veram paupertatem imitari. Ecce filia iste potus ita lætificabat animam meam, quod omnia quæ in mundo sunt despiciebant mihi. Intra igitur hanc cameram meam, & hunc cibum meum comede, & hunc potum bibe mecum. Bibe ergo illud, vt cum 2 Deo reficiaris in æternum.

HANC REVELATIONEM habuit sponsa Christi Domina Brigitta in Ciuitate Ortonæ Regni Neapoli, cui Christus loquens certificat eam, quod ibi sunt Reliquiæ Corporis Sancti Thomæ Apostoli, in altari in quibus reliquijs, & aliorum Sanctorum ipse delectatur suauissime reputans eas suum preciosum thesaurum in terra, promittens magnum meritum, & premium eas venerantibus cum deuotione debita.

CAP. IIII.

VNi personæ vigilanti in oratione, videbatur, quod quasi cor suum ardens, esset diuina charitate, & totum plenum gaudio spirituali, quo ipsum corpus quasi deficiebat a viribus suis. Tunc audiuit vocem dicentem sibi. Ego sum Creator omnium, & Redemptor. Scito igitur, quod tale gaudium quale nunc sentis in anima tua, talis est thesaurus meus, quia sicut scriptum est, spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Istum autem thesaurum tribuo ego amicis meis multifarie, multisque modis, & multis donis, veruntamen dicere tibi volo de alio thesauro, qui nondum est in cœlis, sed & vobiscum in terra.

1 Hic thesaurus est reliquiæ, & corpora amicorum, siue putrida sunt, vel recentia, siue conuersa sint in cinerem, & puluerem, siue non, ipsa sunt certissime thesaurus meus. Sed quærere poteris cum loquitur scriptura. Vbi est thesaurus tuus ibi est cor tuum, quomodo ergo est cor meum cum thesauro isto, scilicet cum reliquiis Sanctorum? Respondit tibi. Summa delectatio cordis mei est omnibus visitantibus loca Sanctorum meorum, & honorantibus reliquias eorum, scilicet qui miraculis glorificati sunt, a Summis Pontificibus Cannonizati retribuere æterna premia, secundum voluntatem, & fidem, & labores visitantium ea. Ideo cor meum est cum thesauro meo. 2 Propterea scire te volo pro certissimo, quod in isto loco est thesaurus meus electissimus, scilicet reliquiæ Sancti Thomæ Apostoli mei, quæ in nullo loco sunt ita multe sicut in isto Altari, incorruptæ, & indiuisæ. Nam cum illa ciuitas vastata esset, vbi primo corpus istius Apostoli mei depositum fuit, tunc translatus est thesaurus iste, permissione mea per quosdam amicos meos in hanc ciuitatem, & positus in altari isto. Nunc autem iacet hic quasi occultus, quia principes huius Regni, antequam corpus Apostoli huc veniret erant dispositi sicut scriptum est. Os habent, & non loquentur. Oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient. Manus habent, & non palpabunt. Pedes habent, & non ambulabunt, &c. Quomodo igitur tales, & taliter circa me Deum suum affecti, impendere possent tali thesauro debitum honorem. Ergo quicunque diligit me, & amicos meos super omnia mallẽs mori, quã me in minimo offendere. Habens etiam voluntatem, & auctoritatem honorandi me & præcipiendi alijs, hic talis quicunq; fuerit exaltabit, & honorabit thesaurũ meũ, scilicet reliquias istius Apostoli mei, quem ego elegi, & prælegi. Ideo dici, & prædicari debet pro certissimo, quod sicut corpora Apostolorum Petri, & Pauli sunt in Roma. Sic reliquiæ Sancti Thomæ Apostoli mei sunt in Ortona. Respondens autem sponsa dixit. O Domine nunquid non principes Regni huius ædificari fecerunt

var. lect.

Ecclesias, & fecerunt eleemosynas magnas? Cui Dominus, fecerunt inquit multa, & offerebant mihi magna de ære ad placandũ me. Veruntamen multorum de eis eleemosynæ fuerunt mihi minus delectabiles, & acceptabiles, propter coniugia eorum contra statuta Sanctorum Patrum copulata. Et quamuis ea, quæ Summi Pontifices permiserunt rata fuerunt, & tenenda, tamen quia voluntas eorum corrupta fuit, & nitebantur contra statuta Ecclesiæ. Ideo hoc in iudicio meo diuino discuti, & iudicari debet.

Additio.

Cum Domina Brigitta iuisset Ortonam contigit eam cum socijs suis tota nocte stare sub diu in frigore, & pluuia magna. Tunc circa auroram dixit Christus. Propter tria aduenit tribulatio hominibus, aut ad maiorem humilitatem sicut Rex Dauid tribulabatur, aut ad maioré timoré, & cautelã, sicut Sarra vxor Abrahæ, quæ a Rege sublata fuit, aut ad cõsolationẽ hominis, & honorem. Sic & vobis contigit. Ego enim instigaui animis incurrentium vobis non procedere amplius illo die, sed noluistis credere, ideo passi estis, quod habuistis. Ideo ingrediemini nunc ciuitatem, & famulus meus Thomas dabit vobis, quod concupiscitis. Itẽ de eodem. Apparuit Christus in Ortona dicens. Dixi tibi prius quod Sanctus Thomas Apostolus meus, erat thesaurus meus. Hoc vtique verum est. Nam ipse Thomas est vere lux mundi, sed homines magis diligunt tenebras quam lucem. Tunc etiam apparuit Sanctus Thomas dicens. Iam diu de te desideratum thesaurum dabo tibi. Et in eodem momento nullo tangente, de ipsa capsa reliquiarum Sancti Thomæ, prodijt vnum frusticulum vnius ossis Beati Thomæ. Quod recipiens Domina cum gaudio reuerenter reseruauit.

N O T AE.

1 var. lect. HIc thesaurus est reliquiæ, & corpora amicorum siue putrida sunt, vel recentia.

Hic textus restituendus est cum M. S. codice, Farnesiano, qui addẽs quædam verba sic legit: hic thesaurus est reliquiæ, & corpora amicorum meorum, nam vere corpora Sanctorum, siue putrida sint, vel recentia, siue conuersa sint in cinerem, siue non, ipsa sunt certissime thesaurus.

2 Propterea scire te volo pro certissimo, quod in isto loco est thesaurus meus electissimus, scilicet reliquiæ Sancti Thomæ Apostoli mei, quæ in nullo loco sunt, tam multæ sicut in isto Altari incorruptæ, & indiuisæ.

Sancti Thomæ Apostoli Reliquias Ortonam aliquando fuisse translatas, constat ex Martyrologio Romano die tertia mensis Iulij, quod nõ propterea in dubium reuocandum est, quia in eodem Martyrologio loco citato, & apud probatissimos quosdam doctores legamus, corpus eius ex India fuisse Edessam in Syria asportatum, vt tradunt Sozomenus lib. 6. cap. 18. Rufinus lib. 2. cap. 5. Gregor. Turonensis de gloria Martirum cap. 31. quos etiam refert Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologiũ Romanum eodem die, nõ inquam dubitandum est, quod eius reliquiæ non sint etiã Ortonæ, vt in præsenti capite scribitur, quia forte factum est, vt eius corporis partes diuisæ sint, quarum aliæ fuerint Edessam translatæ, alia vero Ortonam, quod multis causam præbere potuit disputandi, an corpus illud Apostoli Edessæ sit, an vero Ortonæ, quod etiã accidit de pluribus alijs Sanctorum corporibus, quorum diuersæ partes apud diuersas nationes reperiuntur, quod ex huius capitis narratione aperte colligitur, vbi legimus, huius Apostoli reliquias etiam alibi esse. Maiorem tamen partem haberi Ortonæ, vt patet ibi (quæ in nullo, loco sunt tam multæ sicut in isto Altari indiuisæ, & incorruptæ). Cæterum Cardinalis Baronius vbi supra; affirmauit de hac translatione nihil ad eum peruenisse, de qua tamen nullatenus dubitandum est, tum propter Romani Martyrologij auctoritatẽ, tum quia huius trãslationis fidẽ fecit probatissimus Auctor Ioannes Baptista de Lectis Cannonicus Cathedralis Ecclesiæ Orton. in lib. quem edidit de vita, & translatione D. Thomæ, vbi probat huius Gloriosissimi Apostoli Reliquias ex Chio Ortonam fuisse translatas per Leonem quendam virum morum, & vitæ sanctitate conspicuum Anno Domini M. CCLVIII. & die sexta Septembris eiusdẽ anni peruenisse vna cum Sacratissimis Reliquijs Ortonam, qua die huius translationis festum singulis annis solemniter celebratur, & ad rei veritatem comprobandam fuisse etiam duo instrumenta confecta, alterũ sub die 22. Septembris, Anno 1259. postremum vero die 26. mensis Nouembris 1576. scribit etiam ibidẽ idem Auctor Anno Domini 1566. prima mensis Augusti Ortonam hostium direptioni cessisse, templumq; Cathedralis Ecclesiæ a Turcis fuisse combustum vna cum arca, in qua B. Thomæ reliquiæ asseruabantur, illis tamen diuinitus intactis, ac integris remanentibus, Deo etiam eius rei veritatem multis quotidie miraculis comprobante, quæ omnia ipse met Auctor in eo libello fuse describit.

DO-

DOMINA BRIGITTA habuit istam reuelationem in Neapoli ad requisitionem Domini Elciarij filij Comitissæ de Ariano, qui iuuenis tunc, & scholaris bonæ indolis erat, & tunc ipse rogauit sponsam Christi Dominam Brigittam, quod oraret Deum pro eo. Ipsa vero in oratione existente apparuit ei Virgo Maria, quæ dedit ei istam reuelationem, per quam informat eum de modis tenendis in vita sua valde pulchre dicens, quod ratio debet esse ostiarius, & custos animæ ad expellendum omnes tentationes, & resistendum eis viriliter ne intrent domum interiorem hominis.

CAP. V.

OMnipotenti Deo, a quo cuncta bona procedunt sit laus, & gloria, & specialiter pro his, quæ vobiscum fecerat in ætate iuuenili, a cuius gratia postulandum est, vt charitas quam ad Deum habetis, quotidie vsque ad mortẽ in vobis augeatur. Rex quidẽ potens, & Magnificus domũ quãdam construxit, in qua dilectam filiã suam collocauit, assignans eam hominis cuiusdam custodiæ, sic dicens. Filia mea mortales habet inimicos, & idcirco omni cura eam custodire debes. Quatuor igitur sunt, ad quæ diligenti præmeditatione, & assidua sollicitudine teneris aduertere. Primum est, quod nullus fundamentum domus suffodeat. Secundum est, quod nullus murorum altitudinem transcendat. Tertiũ est, quod parietes domus nemo frangat. Quartum est, quod nullus inimicorum per portas introeat. Mi Domine spiritualiter debet intelligi hæc parabola, quam ex diuina charitate vobis scribo, teste Deo omnium cordium scrutatore. Per domum itaque intelligo corpus tuum, quod Rex cælorum de terra plasmauit. Per filiam Regis intelligo animam tuam, ex virtute altissimi creatam, & in tuo corpore collocatam. Per custodem vero humanam rationem, quæ animam tuam iuxta æterni Regis voluntatem custodiet. Per fundamentum bonam, & firmam, seu stabilem voluntatem, super ipsam namq; omnia bona opera construenda sunt, quibus anima optime defenditur. Igitur, cum talis est voluntas tua, vt ad nihil aliud viuere velis, nisi vt Dei voluntatem sequaris exhibendo ei omnem quem poteris honorem per verba, & opera. Ei quoque corpore, & bonis, totisq; tuis viribus quamdiu vixeris obsequendo, vt animam tuam ab omni carnis spurcitia seruatam recomandare valeas suo Creatori. O quam vigilanter hoc fundamentum, idest, voluntatẽ tuam cum custode, id est, cum ratione te oportet custodire, ne aliquis suis machinamentis ipsum suffodere valeat ad animæ nocumentum. Per eos, qui huiusmodi fundamentum suffodere nituntur, intelligo eos, qui te alloquuntur sic dicẽdo. Domine mi esto laicus, ducendo tibi vxorem venustam, nobilem, & locupletem, vt de sobole, & hæreditate gaudeas, & carnis tribulatione non graueris. Alij quoque sic forte referunt. Si vis fieri clericus tunc ad illum finem artes liberales addiscas, vt magister appelleris. De bonis vero, seu redditibus Ecclesiæ, quantum poteris tibi per preces, seu munera procurando, tunc enim mundanum honorem habebis pro scientia, & ab amicis mundialibus, multisq; seruitoribus gloriaberis pro diuitiarum abundantia. Ecce si forte tibi aliquis talia persuaserit, tunc continuo custodem, idest, rationem illi facias respondere, dicendo, quod potius omnem tribulationem carnis sustinere velis, quam castitatem perdere. Respondeas etiam, quod ad honorem Dei, & Catholicæ fidei defensionem, & ad bonorum hominum confortationem, & errantium correctionem, atq; omnium tuo consilio, & doctrina indigentium, vis scientiã, atque artes acquirere. Nihil etiam super corporis tui sustentatione, & familiæ tibi veræ necessariæ, & non propter vanam gloriam superfluæ vis aliquid desiderare in hac vita. Dicas etiam, quod si forte diuina prouidentia aliquid dignitatis tibi superaddiderit, omnia desideras ad vtilitatem proximorum, & ad honorem Dei sapienter ordinare. Et sic vtique custos, id est, ratio illos expellere poterit, qui fundamentum, idest, bonam voluntatem tuam suffodere molliuntur. Animaduertere debet etiam ratio assidue, & diligenter, ne aliquis murorum altitudinem transcendat. Per quam altitudinem intelligo charitatem, quæ omnibus virtutibus est sublimior.

mior. Certissime igitur scias, quod diabolus nihil magis desiderat, quam super istum murum saltare. Vnde incessanter quantum potest conatur, vt mundana charitas, & carnalis amor, diuinam supergrediatur charitatem. Vnde domine mi, quotiescunque mundanus amor diuinæ charitati se præferre in tuo corde tentauerit, confestim custodem, id est, rationem ei obuiam mitte cum præceptis Dei, dicentem, quod magis vis in anima, & corpore mortem sustinere, quam ad hoc viuere, vt tam benignum Deum verbo, vel opere ad iram prouocares, immo, quod nec propriæ vitæ, nec bonis, seu possessionibus tuis, neque propinquorum, aut amicorum fauoribus vis quoquomodo parcere, vt soli Deo possis totaliter complacere, ipsumque in omnibus honorare. Magis quoq; omnibus tribulationibus eligis te voluntarie subijcere, quam alicui tuo proximo maiori, vel minori damnum aliquod, seu scandalum, aut tribulationem facere. Sed quod vis potius iuxta præceptum Domini omnes proximos tuos fraternaliter peramare. Et si sic Domine mi feceris, Deum plus quam teipsum, & proximum tuum sicut teipsum diligere comprobaris. Tunc igitur custos, id est, ratio secure potest quiescere ex eo, quod nullus animæ tuæ emulus murorum altitudinem potest transcendere. Per parietes vero intelligo quatuor Cœlestis curię delectationes, quas debet attenta meditatione intrinsecus homo desiderare. Prima est desiderare feruenter in corde videre ipsum Deum in æterna gloria sua, illasque indeficientes diuitias, quæ nunquam illi, qui eas adeptus fuerit auferuntur. Secunda est indesinenter velle audire illas dulcisonas voces Angelorum, quibus sine fine, & tedio Deum collaudant, & incessanter adorant. Tertia est toto corde, & feruenti desiderio concupiscere, sicut & ipsi Angeli Deum æternaliter collaudare. Quarta est desiderare Angelorum, & Sanctarum animarum in cœlo potiri consolationibus sempiternis. Vnde notandum est, quod sicut homo in domo consistens, quocunque se verterit semper eum circunstant parietes. Ita etiam quicunque illa quatuor, scilicet Deum videre in gloria sua, Angelos Deum laudantes audire, Deum vna cum ipsis collaudare, & ipsorum potiri consolationibus, die, noctuque summo desiderio concupiscit reuera quocunq; se verteret, & cuicunq; operi intentus fuerit, tunc inter firmos parietes semper conseruatur illæsus. Ita etiam, quod inter ipsos Angelos in hac vita degens conuersationem Dei habere asseratur. O quantum desiderat inimicus tuus Domine mi huiusmodi parietes transfodere, & tales delectationes internas a corde auferre, atq; alias ipsis contrarias tuo desiderio immittere, & implicare, quæ animæ grauiter nocere possent. Quapropter oportet custodem, idest, rationem in duabus vijs per quas hostis aduenire solet diligentem cautelam habere. Prima via est auditus. Secunda visus. Per auditum quidem venit immittendo cordi sæcularium cantionum delectationes, & diuersorum instrumentorum suauiter personantium, fabularum inutilium, atq; propriæ personæ laudes narrantium. Ex quibus quanto homo per superbiam in seipso extollit, tanto ab illo humili Christo longius sequestratur. Tali igitur dilectioni custos, idest, ratio resistat, sic dicendo. Sicut diabolus omnem humilitatem odio habet, quam Spiritus Sanctus inspirat hominum cordibus, ita operante Dei adiutorio ego odio habeo omnē pompam, & mundi superbiam, quam malignus spiritus sua pestifera inflammatione cordibus infundit. Eritq; mihi ita odibilis sicut fętor putridorum cadauerum quem naribus percipientes protinus suffocantur. Per visum quoq; quasi per secundā viā aggredi solet inimicus, ad transfodiendū prædictos parietes, secū deferēs plurima instrumēta videlicet cīum metallorū gñra in diuersas res, & formas fabricata, preciosos lapides, vestimenta honorabilia, herilia palatia, castella, predia, stagna, syluas, vineas, atq; alia quæcunq; multarū pecuniarum lucratiua. Hæc .n. omnia si desiderantur feruenter, prædictos parietes, idest, cęlestes delectationes probantur dissipare. Oportet igitur custodem, idest, rationem, prius quā in cordis delectationē, & dilectionem ista talia venerint, properanter occurrere dicēdo. Si quicquam ex huiusmodi possessionibus in mea potestate habebo in illa arca reponam, vbi fures, vel tinea non timentur, & auxiliante me diuina gratia, per alienarū possessionum cōcupiscentiam Deum meum non offendam, nec a societate Christo famulantium, per alienarum rerum ambitionem me quomodolibet separabo. Per portas vero dictæ domus intelligo omnia corporis necessaria, quæ quidem corpus non potest recusare, scilicet comedere, bibere, dormire, & vigilare, quandoq; etiam turbari, & lætari, oportet igitur custodem, idest, rationem cum sollicitudine his portis, idest, corporis necessarijs assistere. Et cum diuino timore inimicis ne ad animam introeant, sapienter, & assidue resistere. Igitur sicut in sumptione cibi, & potus cauendum est, ne ini-

inimicus per superfluitatem introeat, quæ corpus ad seruiendum Deo accidiosum reddit. Itaque etiam cauendum est, ne per abstinentiæ nimietatem, quæ corpus ad omnia faciēda defectuosum facit, hostis ingressum habeat. Animaduertat etiam custos, idest, ratio, ne propter mundanum honorem, & hominum fauorem, siue cum solus cum familia tua fueris, siue cum hospites aduenerint, continuetur pluralitas ferculorum, sed ex diuina charitate vnicuiq; benefacias, exclusis pluribus cibarijs, & nimium delicatis. Deinde vigilanter, & attente custos, idest, ratio consideret, quod sicut cibus, & potus moderate sumendi sūt, ita etiam cum timore taliter moderandus est somnus, vt corpus ad omnem Dei honorem peragendum leuæ sit, & melius ordinatum, vt omnia vigiliæ tempora in diuinis officijs, & honestis laboribus vtiliter expendantur, quacunque somni grauedine procul mota. Adueniente autem turbatione aliqua, vel rancore, custos, idest, ratio concomitante se socio suo scilicet timore Dei, celeriter occurrat, ne per iram, vel impatientiam contingat te diuina gratia carere, Deumque contra te grauiter prouocare. Insuper consolatione aliqua, vel lætitia cor tuum implente, timorem Dei custos, idest, ratio cordi arctius imprimat, quo opitulante Iesu Christi gratia, sicut tibi magis vtile fuerit consolationem, siue lætitiam illam moderabit.

Additio.

Cum domina Brigitta staret Neapoli, reuelata sunt ei secretissima cordis Elzearij postea cardinalis, & quædam ad ipsum mirabilia futura. Quibus auditis ille stupefactus, cōuersus est ad meliora.

ANNO M. CCC. LXXI. Et in mense Maij, in die Beati Vrbani Papæ, & martyris cum Sponsa Christi domina Brigitta resideret in Roma per multos annos postquam reuersa est de peregrinationibus, quæ sunt in Regno Neapoli, & staret in oratione die, & mēse quo supra Christus apparuit ei dicens, quod pararet se ad peregrinandum in Hierusalem, & ad visitandū sanctum sepulchrum.

CAP. VI.

CVM Sponsa Christi esset in Roma continue residens, & quodam die orando staret in eleuatione mentali, tunc Christus apparuit ei sic dicens. Parate vos iam ad peregrinandum in Hierusalem, ad visitandum sepulchrum meum, & alia loca sancta, quæ ibi sunt, & recedetis de Roma, cum ego dixero vobis.

IN ROMA ANTEQVAM D. BRIGITTA iret vltra mare. 1 Quidam frater deuotus consuluit dictam dominam sup aliquibus dubijs suæ cōscientiæ. Cui dominæ oranti Virgo Maria apparuit, respondens ei ad illa dubia plenarie, & insuper dicit, quod quātumcunque Papa, & presbyteri sint peccatores, dum tamen non sint hæretici, quod ille habet claues Ecclesiæ, & veram potestatem ligandi, & soluendi, & isti plene conficiunt, & pertractant benedictum Sacramentum corporis Christi in altari quamuis sint indigni cœlesti gloria.

1 var. lect.

CAP. VII.

AD honorem, & gratiarum actiones reddendum Deo omnipotenti, & Beatæ Virgini Mariæ suæ dignissime Matri. Mihi indignæ personæ orationi vacanti videbatur, quod Mater Dei mihi peccatrici loqueretur hæc sub-

subsequentia verba. Dic illi fratri amico meo, qui per te supplicationem suam mihi transmisit, quod vera fides est, & perfecta veritas, quod si aliqua persona instigante diabolo cōtra Deum omnia peccata commisisset, quæ postea cum vera cōtritione, & voluntate emendandi veraciter pœniteret, & humiliter cum ardenti charitate, a Deo misericordiam postularet, nullum dubium est, quod statim ipse benignus, & misericors Deus ita paratus esset ad recipiendum illam personam in gratiam suam, cum magno gaudio, & lætitia, sicut pater charitatiuus, qui videret vnicum filium suum dilectissimum ad se redeuntem, iam liberatum de maximo scandalo, & turpissima morte. Et vere multo libentius ipse pius Deus, quam aliquis pater carnalis, omnia peccata dimittit seruitoribus suis, qui assidue pœnitent, & ab eo humiliter misericordiam postulāt, & peccata vlterius committere pertimescunt, atque Dei amicitiam super omnia toto cordis desiderio concupiscunt. Igitur dic eidem fratri ex parte mea; quod propter suam bonam voluntatem, & meam orationem, ex Dei bonitate omnia sua peccata sunt iam sibi indulta, quæ ipse commisit omnibus diebus vitæ suæ. Dic etiam illi, quod propter orationem meam charitas quam ipse habet ad Deum semper csl augmentabitur vsque ad suam mortem, & nullatenus diminuetur. Item dic ei, quod placet Deo Filio meo, quod ipse in Roma permaneat prædicando petentibus bona consilia dando, confessiones audiendo, & salutares pœnitētias iniūgēdo nisi prælatus suus propter aliquā necessitatē legitimā, ipsum aliquando miserit extra Vrbem. Arguat etiam idem frater alios fratres suos charitatiue pro transgressionibus suis, cum bonis verbis, & salutaribus disciplinis, & etiam cum iustis correctionibus, vbi corrigere poterit, ad hoc, vt ipsi regulam seruent, & se humiliter emendent. Propterea notifico ei, quod missæ ipsius, & lectura, atque orationes, Deo sunt acceptabiles & gratæ. Et ideo dic ei, quod sicut custodit se ab omni superfluitate cibi, & potus, atque somni, ita se custodiat diligenter a nimia abstinentia, vt ipse in diuinis laboribus, & seruitijs nullum defectum patiatur, habeat etiam ipse non superflua, sed necessaria indumenta, secundum regulam Sancti Francisci ne superbia, & cupiditas inde sequatur, quia eo copiosior erit merces, quanto vestes minoris precij, & valoris fuerint. Obediat quoque humiliter suo Prælato in omnibus quæ non sunt contra Deum, & quæ ipse frater perficere poterit. Dic etiam illi ex parte mea, quod respondebit illis, qui Papam dicunt non esse verum Papam, nec illud esse verum corpus Iesu Christi filii mei, quod Sacerdotes in Altari conficiunt, quod ipse respondeat illis hæreticis sic, vos vertitis occiput ad Deum, & ideo vos non videtis eum. Vertatis ergo ad eum faciem, & tunc poteritis eum videre.

2 2 Nam vera, & catholica fides est, quod Papa, qui est sine hæresi quantumcunq; alijs peccatis sit commaculatus, nunquam tamen est ita malus ex illis peccatis, & ex aliis suis malis operibus, quin semper sit in eo plena auctoritas, & perfecta potestas ligandi, & soluendi animas. Quam auctoritatem ipse per Beatum Petrum habuit, & assumpsit a Deo.

3 3 Quia multi summi Pontifices fuerunt ante Ioannem Papam, qui sunt in inferno, nihilominus tamen ipsorum iusta, & rationabilia iudicia, quæ in mundo fecerunt, stabilia, & approbata sunt apud Deum.

4 4 Simili etiam ratione dico, quod veri presbyteri sunt, & vere conficiunt corpus Christi filii mei omnes illi Sacerdotes, qui non sunt hæretici, quamuis alias sint pleni multis alijs peccatis, & vere tractant Deum manibus suis in altari, & alia Sacramenta ministrant, quamuis propter sua peccata, & mala opera sint indigni celesti Gloria apud Deum.

NOTAE.

1 var. lec. IN argumento capitis, vbi in vulgatis habemus, quidam frater deuotus.

M. S. Farnesianus legit quidam frater minor, atq; ita esse legendum constat, quia ille erat ex Franciscanorum familia, sic enim scribitur paulo post medium præsentis capitis, habeat etiam ipse non superflua, sed necessaria indumenta secundum regulam Sancti Francisci.

2 Nam vera, & Catholica fides est, quod Papa, qui est sine hæresi, quantumcunq; aliis peccatis sit maculatus, nunquam tamen est ita malus ex illis peccatis, & ex aliis suis operibus malis, quin semper sit in eo plena auctoritas.

Duo ex verbis præsentis notæ colligenda sunt, primo quidem Romanum Pontificem quantumcunque malum, & vitijs etiam pluribus irretitum, nullatenus amittere potestatem, è contra vero, cum in hæresis crimen incidit insinuari hoc loco videtur illam perdere, & quantum spectat ad primum illud est definitum in Conc. Constantiensi sess. decimaquinta, vbi dānatur error trigesimus Ioan-

Ioannis Hus, qui asserebat Prælatum malum non esse vere Prælatum, & probat hoc idem Cardinalis Bellarminus tomo primo Controuersiarum libro tertio de Ecclesia militante cap. 9. nam si inquit mali Prælati sunt membra mortua, & inde non videantur vera corporis Christi membra, pro ut attinet ad rationem membri, vt pars quædam corporis viui est, viua enim sunt per charitatem, quam per eorum malitiam perdunt; sunt tamen verissima membra in ratione instrumenti in ordine ad corpus Christi misticum, quia habent, vt sint talia, vel ab ordine, vel a iurisdictione, quæ sine gratia possunt esse: quibus addi potest, quod, & si in naturalibus virtus instrumenti pendeat ab Agente principali, quo non potest vti, nisi fuerit sibi proportionatum, tamen secus est in supernaturalibus, Deus enim, qui est agens principale, & supernaturale, sicut potest per se sine instrumentis operari, ita potest ad operandum, vti quolibet instrumento. Spiritus ergo sanctus, qui per Prælatos regit Ecclesiam, æque bene operatur per bona instrumenta, ac per mala, viua, & mortua, quoniam illius potestas, non est alligata huic, vel illi instrumento: superest modo videamus, quomodo intelligenda sunt verba quædam Clementis, qui libr. 8. Const. Apostolicarum cap. 2. videtur asserere, malum Episcopum non esse verum Episcopum, sic enim refert Stephanus Durantus de ritibus Ecclesiæ libro 2. cap. 5. num. 6. verba eius sunt, neque Episcopus ignorantia, aut malo animo oppletus Episcopus est, sed falsus Episcopus, non a Deo, sed ab hominibus promotus, quæ verba non sunt intelligenda, quasi Clemens affirmauerit Episcopos ob malitiam propriam Episcopalem iurisdictionem amittere, quam in electione obtinuerunt, sed eos negat esse tales, quatenus munera, & officia quibus funguntur minime Deo accepta, grataque sunt, ad illud vero, quod etiam deduci posse videbatur, nimirum Pontificem, si hæresis labe contaminatur potestatem Pontificiam perdere: dicendum est primo, quod etsi probabilissimum, ac pium sit credere, Papam hæreticum esse non posse, quod videtur Saluator noster his verbis indicasse, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, quam etiam sententiam mordicus defendit Albertus Pighius libr. 4. Hyerarchiæ Ecclesiasticæ capit. 8. & Cardinalis Bellarminus tomo primo Controuersiarum libro quarto de Romano Pontifice cap. 6. tamen data Hypotesi, quod incideret in hæresim, verissimum esse puto, quod tunc Papa desineret esse Papa, sicut enim desineret esse verus Christianus, sic desineret verè esse Christianæ Reipub. caput, & hæc est grauissimorum Patrum sententia, & in primis D. Cipriani libro 4. epistola secunda, hanc eandem defendit Ioannes Driedo libro 4. de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 2. par. 2. sent. 2. & 7. Melchior Canus libr. 2. de locis Theologicis cap. secundo, & cap. vltimo ad argumentum duodecimum, vbi dicit intelligi non posse, quod Aliquis sit caput, & Papa, qui non est membrum, nec pars; sunt enim hæretici vere expulsi a numero gregis, vt nos sequenti capite legimus, immo affirmat Maria Virgo Beatæ Brightæ, ibi, quod sicut Iudas Apostolus exclusus, & exceptus fuit a sacro numero sic iste excluderetur.

3 Quia multi summi Pontifices fuerunt ante Ioannem.

Hoc loco sermo fit de Ioanne xxii. de quo etiam infra sequenti capite agitur.

4 Simili etiam ratione dico, quod veri Præsbiteri sunt, & vere conficiunt corpus Christi, filij mei, omnes illi Sacerdotes, qui non sunt hæretici.

Malos Sacerdotes in peccato mortali existentes, vere corpus Christi conficere dummodo debita materia, & forma vtantur, & intendant facere, quod facit Ecclesia probauimus multis locis, & præcipue libro quarto cap. 132. nota quinta, quibus addendum est hoc ipsum tradi de consecrat. distin. 4. Cap. Ostenditur. Cap. Quomodo. Cap. Romam. Cap. A quodam. Cap. Si qui sunt, hoc idem etiam habet Diuus Thomas in 4. dist. 15. & ratio est, quia habent characterem indelebilem, ad quem consequitur consecrandi potestas. Cæterum animaduertendum, quod cum hoc loco excipiuntur hæretici, non est intelligendum, quod si hi habêtes characterem sacerdotalem de facto consecrent, non consecrent, vere enim consecrant, & conficiunt, sed quod illis conficiendi consecrandique exercitium de iure prohibetur, vt indicat Ricardus eadem distinctione 13. aut etiam intellige eos non conficere, nisi debitam intentionem habeant, & formam Ecclesiæ seruent, sic tradit Sotus in quarta dist. 13. quæst. 5. art. 5. Hostiensis in summa de tempore ordinandorum num. sexto.

**
*

POST-

POSTQVAM PRAEDICTVS frater habuit a domina Brigitta supra proximā reuelationē rogauit eā, quod Deum oraret super materiā de proprio Christi, & de auctoritate summi Pontificis, & sacerdotum celebrantium. Cui dominę oranti apparuit Virgo Maria respondens ad omnia, vt sequitur.

CAP. VIII.

DIC illi fratri amico meo, quod non est tibi licitum scire vtrum anima Papæ Ioãnis xxij. sit in inferno an in cœlo. Neque enim est tibi licitum scire aliquid de illis peccatis, quæ idem Papa tulit secum, quando post mortem suam venit ante iudicium Dei.

1 1 Sed dic eidem, quod ille decretales quas super proprio Christi fecit, seu statuit idem Papa Ioannes, nullum errorem continent catholicę fidei, neque aliquam hæresim. Ego quidem quę ipsum verum Deum genui testimonium perhibeo, quod vnum proprium habebat idem Iesus Christus filius

2 meus, & illud ipse solus possidebat. 2 Hoc enim fuit illa tunica, quam ego propriis manibus meis feci. Et hoc testificatur propheta in persona filii mei sic dicens, super vestem meam miserunt sortem. Ecce attende, quod non dixit vestem nostram, sed vestē meam. Scias etiam, quod quandocunque ego induebam ipsum illa tunica propter vtilitatē sui sanctissimi corporis, tunc oculi mei statim replebantur lachrymis, & totum cor meum torquebatur tribulatione, & dolore, & affligebatur intensa amaritudine, ex eo videlicet, quod ego bene noueram modum quo in futurum illa tunica ab eodem filio meo esset separanda, scilicet tempore passionis eius quādo ipse nudus, & innocens a iudæis crucifigeretur. Et hæc tunica fuit illa vestis super quam crucifixores eius miserunt sortem. Nullusque in vita eius eandem tunicam habuit, nisi solus ipse. Scias etiam, quod omnes illi, qui dicunt Papam non esse verum Papam, neque presbyteros esse veros presbyteros, & rite ordinatos, neque verum corpus benedicti filii mei illud esse, quod in celebratione missarum per presbyteros consecratur. Ipsi omnes tales errores asserentes, inflati sunt spiritu diaboli infernalis. Quia vere idem hæretici aliquas tam graues malitias, & peccata horrendæ commiserunt cōtra Deum, quod propter sua demerita maxima, diabolica iniquitate repleti, damnabiliter propter suam hæresim, sunt excepti, & expulsi a numero gregis totius christianitatis apud iudicium iustitię maiestatis diuinæ, sicut Iudas exclusus, & exceptus fuit a sacro numero Apostolorum propter demerita sua pessima, quia prodidit Christum filium meum. Scias tamen, quod omnes illi, qui se emendare voluerint, a Deo misericordiam consequuntur.

NOTAE.

1 SEd dic eidem, quod ille decretales, quas super proprio Christi fecit, seu statuit idem Papa Ioannes nullum errorem continent catholicæ fidei, neque aliquam hæresim.

Vetus olim fuit inter aliquos doctores disputatio sint ne hæretici censendi hi, qui pertinaciter affirmarunt, Christum Dominum, eiusque Apostolos, nec in speciali, nec in communi quicquam proprij habuisse, quod patet ex D. Antonino. part. 4. suæ summæ tit. 12. ca. 4. §. 23. & Turrecremata in summa de Ecclesia libr. 2. cap. 112. ad decimum argumentum, ad hanc ergo litem sedandam quædam extrauagantes a Ioanne xxij. emanarunt, quæ habentur in sexto decretalium de verborum significat: tit. 14. quarum altera incipit ad conditorem, alia cum inter nonnullos viros Scholasticos, postrema vero incipit, quia quorundam mentes, in quibus definit Pontifex asserere Christum, eiusque discipulos nihil habuisse proprij hæreticum esse, & de his duabus decretalibus certior fit in præsenti capite Beata Brigitta, quod nullum errorem continent, & dicuntur hoc loco decretales de proprio Christi, quatenus tractant an Christus aliquid proprij possederit, sed hac de re legendi sunt Sotus lib. 4. de Iust. & iure qu. 1. art. 1. Franciscus Suarez super tertiam partem S. Thomæ qu. 40. arti. 3. disp. 28. sect. 2. qui conciliant ad inuicem Ioannem xxij. & Nicolaum Quartum, qui in cap. Exijt de verborum significationibus in sexto tradit, Christū nihil proprij habuisse contra id, quod deffiniuit Ioānes xxij. in extrauagant. vbi supra.

2 Hoc enim fuit illa tunica, quam ego propriis meis manibus feci.

Sermo fit hoc loco de inconsutili tunica Saluatoris nostri, super quam sortem misisse milites tradunt

Digitized by Google

dunt Euangelistæ, Matt. 27. Marci 15. Lucæ. 23. Ioan 19. & hoc iuxta Dauidis vaticinium psal. 21. diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, quod nam autem fuerit hoc genus vestis annotarunt Isidorus Pelusiota lib. 1. Epistola 74. Lodulphus de vita Christi p. 2. c. 63. Liranus in Matt. cap. 27. vbi de ea sic habet, ista sors fuit missa super Tunicam Domini inconsutilē, quæ erat facta quasi reticulato opere, & ideo non poterat bene diuidi, cum non haberet aliquam sutu ram, & ideo miserunt sortes, vt quis haberet eam integram, hanc vero vestem manibus Beatissimæ Virginis fuisse confectam, vt in præsenti capite scri bitur, tradunt Eutimius his verbis, hanc tunicam ex traditione Patrum accepimus opus fuisse Dei Matris, a superioribus partibus contextam, veluti sunt apud nos capitis, aut pedum Hyemalia operimenta, immo addit Lodulphus vbi supra, quod Ie su crescente, paulatim etiam creuerit, & opus fuisse B. Virginis, affirmarunt etiam Card. Baronius Tomo 1. Annalium, Anno Christi Domini 34. idque sibi probabilissimum videri, quia inquit in Oriente vestes hominū a fœminis confici solitas scrip tura testatur, fauet etiā Ioannes Maldonatus Matth. 27. & hanc tunicam inconsutilem a militibus sorte datam a Christianis redemptam, & conseruatam, indicat Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum cap. 8. Cæterum si huius rei quæramus mysterium, sunt, qui asserunt id factum fuisse, tum vt adimpleretur prophetia illa, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortē, tum quia Christus omnibus fortunæ bonis spoliari voluit. Sed de his mysteriis legendi sunt D. Athanas. de pass. & cruce. Cirillus Cathechesi 13. Ambros. Lucæ 23. & Ciprianus lib. de Vnitate Ecclesiæ, qui per tunicam inconsutilem affirmat significatam esse Ecclesiæ vnitatem, vel vt admonuerunt Athanas. & Cirillus Carnem Christi, cum quo egregie quadrat, quod ex Eutimio supra tradidimus, illam tunicam fuisse a B. Virgine contextam. Libet autem hoc loco referre, quod de illa Iacobus de Valentia in psalm. 21 mistice attulit, nimirum, huiusmodi tunicam inconsutilem non cecidisse in sortem alicui Iudæo, sed vni militum, qui erat de populo gentili ad notandum, quod sors Euangelii, & fructus passionis non cecidit in populo Iudæorum, sed in populo gentili ad fidem conuerso, & etiam quia sortes prædestinationis non ceciderunt nisi in præclaris Christianis, vt Psal. 25. dictum est.

QVALITER CHRISTVS loquens Dominæ Brigittæ in oratione existenti præcipit ei, quod iam vadat ad Hierusalem promittens ei fortitudinem corporalem, & necessarias expensas.

CAP. IX.

FIlius Dei loquitur sponsæ Beatæ dicens. Ite iam & recedite de Roma ad Hierusalem, quid causaris de ætate ego sum naturæ conditor, ego possum infirmare, & roborare naturam sicut mihi placet, ego ero vobiscum, ego dirigam viam vestram, ego ducam, & reducam vos ad Romam, & procurabo vobis necessaria sufficientius, quam vnquam habuistis prius.

VIRGO MARIA LOQVENS Dominæ Brigittæ sponsæ Christi dicit, quod nullo modo est voluntas Dei, quod Clerici vxores habeant, neque contaminentur vitio carnis prohibens, quod nullus Papa hoc matrimonium clericorum permittat fieri, nec statim in Ecclesia Dei.

CAP. X.

GAude æternaliter, benedictum corpus Dei, in perpetuo honore, & in perenni victoria, ac in sempiterna omnipoten tia tua, vna cum tuo Pa tre, & Sancto spiritu, atque etiam cum tua benedicta Matre dignissima, & cum tota cœlesti curia. Sit etiam tibi laus æternæ Deus, & infinita gratiarum actio, pro eo, quod homo fieri dignatus es, & nobis in mundo tuum venerandum corpus ex pane materiali consecrare voluisti, ipsumq; in cibum ad nostrarum salutem animarum charitatiue nobis tri-

tribuisti. Contigit vni personæ orationi vacanti, quod audiuit tunc vnam vocem dicentem sibi: O tu cui datum est audire spiritualiter, & videre, audi nunc ea, quæ tibi manifestare volo, videlicet de illo Archiepiscopo, qui dixit, quod si esset Papa ipse daret licentiam omnibus clericis, & presbyteris matrimonium contrahendi carnaliter, cogitans, & credens, quod hoc esset acceptabilius Deo, quam quod clerici viuerent dissolute, sicut modo viuunt quia ipse credebat, quod ex hoc matrimonio vitentur maiora peccata carnalia, & quamuis in hoc non bene intellexit Dei voluntatem, nihilominus tamen idem Archiepiscopus amicus Dei erat. Sed ego nunc dicam tibi in hoc Dei voluntatem, quia ipsum Deum genui, & tu hæc notificabis meo Episcopo dicendo sibi sic. Quod Abrae fuit data Circumcisio longe antequam daretur lex Moysi, & illo tempore Abrae homines regebantur quilibet secundum suum intellectum, & secundum arbitrium suæ propriæ voluntatis, & tamen multi ex illis erant tunc amici Dei. Postquam autem data fuit lex Moysi, tunc magis placuit Deo, quod homines viuerent sub lege, & secundum legem, quam secundum suum proprium humanum arbitrium, & intellectum. Simili modo fuit
1 de benedicto corpore filij mei. 1 Nam postquam ipse in mundo instituit hoc nouum Eucharistiæ Sacramentum, & ascendit in cœlum, tunc lex illa antiqua adhuc seruabatur, scilicet, quod christiani sacerdotes viuebant in carnali matrimonio, & nihilominus tamen multi ex eis erant amici Dei, quia credebant cum simplici puritate, quod hoc ita placebat Deo, scilicet, quod sacerdotes christiani tenerent vxores, & viuerent in matrimonio, sicut placuerat hoc sibi antiquo tempore iudæorum in iudæis sacerdotibus, & hoc sic per christianos sacerdotes per multos annos fuit obseruatum. Sed ipsa obseruantia, & consuetudo antiqua videbatur multum abominabilis, & exosa toti cœlesti curiæ, & mihi, quæ corpus eius genui, videlicet, quod sic obseruaretur per sacerdotes christianos tangentes, & manibus suis tractantes hoc nouum, & immaculatum Sacramentum sanctissimi corporis filii mei. Nam iudæi in antiqua lege veteris testamenti habebant vmbram, idest,
2 figuram huius Sacramenti. 2 Christiani vero habent iam ipsam veritatem, scilicet, Christum verum Deum, & hominem in illo pane benedicto, & consecrato. Sed post aliqua tempora, illorum priorum sacerdotum christianorum
3 hæc obseruantium. 3 Ipse Deus per infusionem sui Sancti spiritus dedit in cor Papæ regentis Ecclesiam tunc temporis, aliam legem super hoc sibi magis acceptam, & gratam, infundendo videlicet in corde eius, quod idem Papa statueret in Ecclesia vniuersali, quod sacerdotes christiani, qui tam sanctum, & tam dignissimum haberent officium, scilicet consecrandi hoc Sacramentum preciosum, nullo modo viuerent in matrimoniali contaminosa delectatione carnali. Et ideo ex præordinatione Dei, & iudicio suo iustæ ordinatum est, quod sacerdotes, qui non viuunt in castitate, & continentia carnis, sunt maledicti, & excommunicati apud Deum, & digni carere sacerdotali officio. Attamen, qui se veraciter emendauerint, cum vero proposito vlterius non peccandi, ipsi a Deo misericordiam consequentur. Hoc etiam scias, quod si aliquis Papa concesserit sacerdotibus licentiam contrahendi matrimonium carnale, ipse a Deo tali sentētia spiritualiter condemnabitur, sicut ille homo, qui tam grauiter deliquisset, quod secundum iustitiam iuris deberent corporaliter erui oculi eius, & abscidi lingua cum labiis, & nasus cum auribus, amputari quoque eius manus, & pedes, ac etiam quod totus eius corporis sanguis deberet in totum effundi, & totaliter frigefieri. Et insuper, quod deberet illud exangue corpus, ad deuorandum proijci canibus, & aliis bestiis feris. Similiter vere fieret spiritualiter illi Papæ, qui talem licentiam contrahendi matrimonium concederet sacerdotibus, contra præfatam præordinationem, & volūtatem Dei. Nam idem Papa visu, & auditu spiritnali, verbis etiā, & operibus spiritualibus priuaretur, totaliter a Deo, & tota sua spiritualis sapientia omnino frigesceret, & insuper post mortem suam anima eius proijceretur in infernum perpetuo crucianda, vt ibidem fieret cibus dæmonum æternaliter sine fine, immo etiam si sanctus Gregorius Papa hoc statuisset, nunquam in prædicta sententia misericordiam obtinuisset a Deo, nisi ante mortem suam humiliter reuocasset.

N O T AE

1 NAm postquam ipse in mundo instituit hoc nouum Eucharistiæ Sacramentum, & ascendit in cælum, tunc lex illa antiqua adhuc seruabatur, scilicet, quod Chri-

Digitized by Google

Christiani sacerdotes viuebant in carnali matrimonio.

Ex verbis præsentis notæ duo inferuntur, primum quidem sacerdotes veteris testamenti consueuisse in coniugali comertio viuere, secundo vero in noua lege hunc morem fuisse sublatum, durasse tamen per breue aliquod spatium temporis post Ascensionem Christi Domini, quæ omnia legenti reliquum capitis patere poterunt: sed vt hæc palam fiant, notandum est ex Soto lib. 7. de iustitia & iure qu. 6. art. 2. Apostolorum seculo fuisse permissum, vt qui matrimonio impediti erant, nihilominus sacris initiarentur, id autem fuisse factum, quod cum orienti Ecclesiæ tunc ministrorum copia egeret, constringebatur ex ordine coniugati aliquos eligere, qui prudentia valerent, quibus suas functiones interim committeret, quousque adulta aliud posset sibi sanctius constituere. Dicit secundo receptissimum esse, vt nunquam sacerdotibus licuerit, postquam essent sacro ministerio addicti vxorio se negotio implicarent, probat autem hoc ex Waldense tomo 2. qui est de Sacramentis cap. 129. & tomo 3. de sacramentalibus cap. 6. & hanc esse communem omnium opinionem affirmat, nec obstat huic Canon Quoniam 31. dist. quo declaratur sacerdotes in coniugio permanere posse, nam ibi tantummodo mentio fit de contracto ante susceptos ordines, sicut in notabili primo dictum est, & propterea in hoc capite decimo non dicitur sacerdotibus cum iam essent sacris initiati licuisse vxores ducere, sed tenere, vt paulo post citata præsentis notæ verba legimus, ibi, quia credebant cum simplici puritate, quod hoc ita placebat Deo, quod sacerdotes christiani tenerent vxores, & viuerent in matrimonio, verbum enim tenere præsupponit eos iam vxorem duxisse, antequam ad ordines transirent. Cæterum fuisse sacerdotibus circa tempora Apostolorum coniugale comercium interdictum, probat idem Sotus vbi supra, immo decretum Ecclesiasticum, quod modo in occidentali Ecclesia viget, vt scilicet neque post sacerdotium contraherentur coniugia, neque coniugati sacerdotes fiant, probabilissimum esse, proxime seculum Apostolicum initum fuisse: ex dictis patet non esse recipiendum, quod affirmauit Iudocus Clitboueus de continentia sacerdotum capite quarto, legem nimirum continentiæ primum fuisse a Siricio Papa editam, nec vnquam ab Ecclesia orientali ante illum acceptam, & licuisse sacerdotibus vxores retinere, quas ante ordines duxerant, non inquam hoc recipiendum est, quia vt probabimus infra hoc eodem capite nota tertia, id fuit sacerdotibus prohibitum a Concilijs, & pluribus summis Pontificibus, vt a Calisto cæterisque antiquioribus Siricio Papa. Quod etiam ex Origene colligi potest hom. 23. in Numeros, Epiphan. contra hæreses hæresi. 59. & alijs, quos sequenti nota citabimus, qui Siricium præcesserunt, quique vicini temporibus Apostolorum extiterunt, & proinde probabilissimum cen- [illegible]

[illegible] vsque supra in initio obseruabimus circa tempora Apostolorum fuisse seruatum, vt sacerdotes ab vxoribus abstinerent.

2 Christiani vero habent iam ipsam veritatem, scilicet Christum verum Deum, & hominem in illo pane benedicto, & consecrato.

Per panem benedictum hoc loco intellige species panis, non enim post consecrationem manet in Eucharistiæ Sacramento substantia panis, sed tantummodo species panis.

3 Ipse Deus per infusionem sui Sancti Spiritus dedit in cor Papæ regentis Ecclesiam tunc temporis aliam legem.

Ex verbis huius notæ satis aperte deducitur, continentiæ votum ordinibus sacris fuisse annexum, non de iure diuino, vt affirmarunt Clitboueus vbi supra, & Ioannes Maior. in 4. dist. 24. qu. 2. sed iure Apostolico, teste D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 11. & Caiet. in Opusculis tomo. 1 tract. 27. Soto de iustitia, & iure lib. 7. qu. 6. art. 2. & inde factum est, quam plures Romanos Pontifices prohibuisse in sacris **ordinibus constitutis, ne ducerent vxores, vt Cle-** *mens Primus in Canonibus Apostolorum Canon 27. Calistus I. apud Gratianum dist. 27. Canon presbiteris, Innocentius I. in epistola ad Victricium cap. 9. & in epistola ad Exuperium cap. 1. Siricius in epistola ad Aemericium, Leo Primus epistola 82. ad Anastasium Episcopum Thessalonicen. cap. 4. patet etiam hoc ex Concilijs, vt Cartaginense Secundum can. 2. & quintum can. 3. Arelatense Secundum can. 2. Turonense Primum can. 1. & 2. Turonense Secundum can. 20. Conc. Ancir. can. 10. Nicenum Primum can. 3. Patres quoque idem affirmarunt, vt Origenes & Epiphan. prima nota huius capitis citati, Chrisost. hom. 2. de patientia, Ambros. lib. 1. de officijs cap. vlt. D. Hieron. contra Vigilantium non longe ab initio. Cæterum circa finem etiam præsentis capitis scribitur, D. Gregor. hoc idem prohibuisse, vbi arbitror sermonem esse de Gregorio I. & patet hoc ex epist. 42. lib. 1. & epist. 34. libr. 3. fit autem hoc loco specialis mentio illius, non alia credo de causa, quam vt sanctissimum hunc Pontificem Spiritus sanctus ab hæreticorum calumnijs vindicaret, hi namque impij hæretici ausi sunt affirmare, Beatum Gregorium suo aliquando decreto sacerdotibus vxores ademisse, quod sane verissimum est, vt paulo supra probauimus, mentiuntur autem cum dicunt, eundem Pontificem illud decretum renocasse, probant autem hoc, vt refert Cardinalis Bellarminus de clericis libro primo cap. 22. ex epistola quadam sancti Vlderici Episcopi Augustani ad Nicolaum Papam, in qua asserit Beatum Gregorium suo quodam decreto prohibuisse sacerdotibus, ne vxores ducerent; sed paulo post cum idem iussisset ex Piscina sua pisces aliquos capi, piscatores pro piscibus sex millia capita infantium suffocatorum inuenisse, quam cædem cum intellexisset Gregorius*

notā fuisse ex occultis sacerdotū fornicationibus conunuo renocasse decretum, sed hanc epistolam fuisse confictam ab aliquo etiam imperito defensore coniugij Ecclesiasticorum egregie probat Cardinalis Bellarminus, vbi supra.

HOC EST PRINCIPIVM cuiusdam reuelationis quam Domina Brigitta habuit pro domina Neapoli in eadem ciuitate, sed alia, quæ ibi continentur non ponuntur hic, quia secreta sunt, quæ pertinent ad statum, & personam dictæ dominæ Reginæ.

CAP. XI.

EGO sum Deus Creator omnium. Ego dedi Angelis, & hominibus liberum arbitrium, vt qui vellent facere voluntatem meam manerent mecum æternaliter. Qui vero contraria mihi sentirent, a me sequestrarentur. Ideo autem quidam Angelorum facti sunt dæmones, quia nec voluerunt me diligere, nec mihi obedire. Deinde creato homine diabolus videns dilectionem meam ad illū non solum factus est inimicus meus, sed mouit contra me bellum, incitando Adam ad præuaricationem mandatorum meorum, & tunc diabolus præualuit permissione mea ex iustitia mea, & ab illo tempore ego, & diabolus discordamus, & certamus, quia ego volo, quod homo viuat ad voluntatem meam. Diabolus vero nititur, vt homo sequatur desideria sua. Propterea in eo puncto, quo ego aperui cœlum sanguine cordis mei, diabolus priuatus est iustitia, quam videbatur habere, & animæ, quæ dignæ erant saluatæ sunt, & liberatæ. Tunc etiam lex statuta est, vt sit in hominis arbitrio sequi me *Deum* suum, ad obtinendam perpetuam coronam, *Si* vero sequitur diaboli desideria, habebit supplicium sempiternum. Sic igitur ego, & diabolus certamus, desiderantes animas, sicut sponsi sponsas suas. Ego enim desidero animas, vt tribuam eis æternum gaudium, & honorē. Diabolus vero, vt tribuat æternum horrorem, & dolorem. Audi quid regina mihi fecerat, ego permisi eam exaltari, in regnum, &c.

Additio.

Christus loquitur. Scribe ei, quod faciat puram confessionem de omnibus, quæ egerat a iuuentute sua, habendo firmam voluntatem emendandi se secundum consilia confessoris sui. Secundo, quod recogitet diligenter quomodo, & qualiter steterat in coniugio suo, & regimine suo, quia de omnibus est mihi reddítura rationem. Tertio, quod habeat voluntatem soluendi debita sua, & restituendi scienter male acquisita, quia anima est in periculo, quam diu detinentur, & nihil prodest multa largiri, nisi soluantur. Quarto, quod non oneret communitatem suis nouis adinuentionibus, sed magis consueta releuet onera, quia miserorum gemitum, & clamorem exaudiet Deus. *Quinto*, quod habeat consiliarios iustos non cupidos, & talibus committat iudicia sua, qui diligunt veritatem, & qui non adulantur partibus, nec ditari quærunt, sed qui nouerunt de necessarijs contentari. *Sexto*, quod quotidie recordetur certibus temporibus vulnera, & passionem Dei, quia inde charitas *Dei* in corde innotatur. Septimo, quod colligat pauperes certis temporibus, lauando pedes eorum, & reficiendo eos, & quod omnes subditos suos sincera charitate diligat discordantes inducendo ad concordiam, & iniuste offensos consolando. Octauo, quod dona sua tribuat discrete, & iuxta facultatem suam non alios grauando, & alios ditando, sed sapienter aliquos releuando, & nullos onerando. Nono, quod non plus attendat ad pecunias delinquentium, quam ad iustitiā, sed pensata qualitate delictorum, vbi maiorem viderit humanitatem, ibi maiorem exhibebit compassionem, exclusa omni cupiditate. Decimo, quod apponat omnem diligentiam cum viuit, quomodo regnum quiete stare post mortem eius possit, quia prædico ei, quodammodo non habebit prolem de vtero suo. Vndecimo, quod contenta sit coloribus, pulchritudine faciei quibus eandem *Deus* ornauit, quia color extraneus multum displicet *Deo*. *Duodecimo*, quod assumat maiorem humilitatem, & contritionem pro peccatis, quia ipsa est coram me prædatrix multarum animarum, prodiga dispensatrix bonorum meorum, & virga, & tribulatio amicorum meorum. Tertiodecimo, quod habeat continuum timorem in corde, quia toto tempore suo potius duxerat uitam mulieris lasciuæ, quam reginæ. *Quartodecimo*, quod amoueat a se consuetudines mundanas, & adulatrices mulieres, &

reli-

residuum tempus, quod breue est deducet in honore meo, quia vsque nunc habuit me sicut hominem non recogitantem peccata sua. Timeat iam, & sic viuat, ne sentiat me iudicantem. Alioquin nisi audierit me iudicabo eam non sicut reginam, sed sicut apostatricem, & ingratam, & flagellabo a capite vsque ad calcaneum, & erit in opprobrium mihi, & Angelis, & sanctis meis. Item reuelatio. Christus loquitur. Scribe leuioribus, & paucioribus verbis ista, sicut Spiritus sanctus inflammabit te, & mitte per Episcopum meum reginæ. Item de regina quędam. Videbatur domina stare in camisia respersa spermate, & luto. Et audita est vox, hæc est simia odorans fętentia posteriora, quæ habet venenum in corde, & stat sibiipsi nociua, & festinat in decipulas præcipitationis. Item videbatur habere coronam de viminibus respersis stercore humano, & luto platearum, & sedere nuda in trabe casura. Statimque videbatur Virgo pulcherrima, que dixit. Hæc est mulier procax, & audax, quę reputatur ab hominibus domina mundi, sed coram Deo abiecta est, sicut cernis. Et addidit Virgo. O mulier cogita ingressum tuum, & attende finem, & aperi oculos cordis tui, & vide quia consiliarij tui sunt, qui odiunt animam tuam. Item de regina quadam. Videbatur mulier sedere in sede aurea, & duo Ethiopes stabant ante eam, quasi vnus ad dexteram, & alius ad sinistram. Qui vero a dextris stabat clamauit dicens. O mulier leonina ego porto tibi sanguinem, suscipe, & effunde, quia proprium est leonis sitire sanguinem. Qui vero erat ad sinistram dixit. O mulier ego porto tibi in vase ignem, suscipe, quia igneæ naturę es, & effunde in aquas, vt & memoria tua ita sit in aquis, sicut in terris. Et post hæc apparuit Virgo mirę speciei, a cuius conspectu fugerunt Ethiopes, quæ dixit. Hæc mulier periculose stat, si prosperatur ad voluntatem suam erit multis in tribulationem. Si vero tribulatur vtilius est ei ad æternam vitam, sed ipsa non vult dimittere velle suum, nec tribulari secundum Deum, ideo si dimittatur voluntati suæ, nec sibiipsi, nec aliis erit in consulationem. Item apparuit filius Dei dicens. Hæc mulier alia placita facit mihi. Ideo propter preces amicorum meorum indicare ei volo, quod fugiet opprobrium hominum, & dispendium animæ suæ. Si obedierit bene quidem. Sin autem, non effugiet iustitiam, quia noluit audire vocem patris. *De domino Gomecio.* Mater Dei loquitur. Consule ei facere iustitiam vbicunque poterit. Et si sciret se habere mala acquisita bona, restituere non tardet. Caueat etiam insolita grauamina imponere subditis suis. Sitque contentus de his, quæ habet, quia sufficiunt ei si moderate, & discrete dispenset ea. Fugiat quoque sicut venenum mulieres præter vxorem propriam, & non producat exercitum contra aliquem, neque personaliter intersit, nisi omnino sciuerit se habere iustitiam, & bellum sit iustum. Studeat insuper frequentare confessiones, & frequentius sumere corpus Christi, certisque in die temporibus exoccupare se ad recordandum passionem Christi, & vulnera eius, de Antonio de Carleto. Christus loquitur. Dic reginę, quod permittat istum stare in ordine suo. Si ascenderit ad maiora erit in dispendium animæ eius, & nec ipse, nec amici eius lætabuntur de ascensu suo. Sic omnia euenerunt.

REVELATIO HAEC FVIT Domine Brigittę data diuinitus in Neapoli ad requisitionem domini Bernardi Archiepiscopi Neapolitani qui eam rogauit, vt super certis dubijs conscientię suæ ipsa oraret Deũ, & cum ipsa staret in oratione Christus apparuit ei respondens ad omnia dubia Archiepiscopi, dans etiam doctrinam, & modos quos ipse tenere debeat tam in regimine domus suæ, quam in regimine subditorum suorum in diocesi sua.

CAP. XII.

CHRISTVS loquitur sponsæ dicens. Dic illi, quod si vocari voluerit Episcopus in illa iustitia diuini iudicii, non debet imitari mores, & consuetudines plerunque eorum, qui nunc sunt rectores Ecclesiæ. Ego quidem assumpsi corpus humanum de Virgine, vt legem illam verbis, & operibus adimplerem, quæ in deitate ordinata erat ab æterno, aperiendo portam cœli sanguine cordis mei, viamque per verba, & opera ita illuminando, quod omnes vterentur

meo exemplo ad promerendum vitam æternam. Sed vere illa verba, quæ dixi, & opera, quæ feci in mundo, iam quasi prorius oblita, & neglecta sunt, ad quod nullus tantum operatus est, sicut Ecclesiarum Prælati, qui pleni sunt superbia cupiditate, & putredine corporalis delectationis, quæ omnia mandatis meis contraria sunt, & honestis statutis sanctę Ecclesiæ, quæ statuerunt amici mei ex magna deuotione post Ascensionem meam, completa voluntate mea in mundo. Nam illi mali prælati Ecclesiarum, repleti malignitate spiritus mali reliquerunt hominibus nimis nociua exempla animarum, & ideo oportet me ab eis plenariam exigere iustitiam, super eos iudicia faciendo, eosque de libro vitæ abolendo in cœlis, & iuxta inimicum meum Luciferum collocando eos in infernum, in sedibus infernalibus perpetue cruciandos. Tu tamen scire debes, quod qui se ante mortem emendare voluerint, diligendo me toto corde, & a peccatis abstinuerint, illis ego promptus ero misericordiam meam exhibere. Dic ergo ei quasi ex parte tua ista verba, quæ sequuntur. *Domine* mi aliquando contingit, quod de nigro camino exit pulchra flamma, vtilis, & valde necessaria ad pulchra opera fabricanda, & tamē tunc non oportet laudari caminum pro sua nigredine, sed illi debetur laus, & honor, & gratiarum actio, qui illorum operum est artifex, & magister. Simili modo de me indigna est, si in consilijs meis aliquid inueneritis vtile, quia tunc non mihi, sed ipsi Deo, quia omnia fecit, & bona faciendi perfectam voluntatem habet, infinitas gratias, & beneuolum seruitium continuo exhibere debetis. *Domine* mi, in primis incipio loqui illa, quæ multarum tangunt
1 salutem animarum. 1 Consulens vobis
si Dei amicitiam habere volueritis, quod neque per vos, neque per aliquem alium Episcopum ad sacros ordines promouere velitis aliquos, nisi prius per bonos clericos examinati fuerint diligenter, & ita apti in vita, & moribus reperti fuerint, quod digni ad tale officium recipiendum existere asserantur, testimonio sapientum, & veridicorum virorum. Attendentes diligenter, quod similiter faciant omnes alij Episcopi vestri subditi, & Archiepiscopatus vestri suffraganei. Nam nullus posset credere quanta indignatio Dei est contra illos Episcopos, qui non curant scire, & diligenter examinare, quales illi sunt quos ad tam dignos ordines promouent in suis Episcopatibus. Quod siue hoc fecerint propter aliorum supplicationem, siue propter negligentiam, & desidiam, seu propter timorem omnino in iudicio Dei reddent de hoc districtissimam rationem. Consulo etiam vobis inquirere, quot sunt, & qui sunt in vestra diocesi beneficiati animarum curam habentes, & ad minus semel in quolibet anno ad presentiam vestram eos conuocare, & tunc tractetis cum eis tam de ipsorum, quam de animarum suorum subditorum salute. Et si forte in vno die omnes non possint conuenire, præfigantur eis termini, & dies in quibus quolibet anno ad vos conueniant principaliter. Ita quod nullus eorum de consilio vobiscum habendo per integrum annum, se quomodolibet valeat excusare. Vos quoque eis prædicetis qualem vitam ducere debeant illi, qui tam dignissimum officium habent. Sciatis etiam quod presbyteri, qui concubinas habent, & missam celebrant, ita grati, & placentes Deo sunt, sicut habitatores Sodomæ, quos demersit *Deus* in infernum, & quamuis missa in se semper eadem sit, & eiusdem virtutis, & efficaciæ, tamen osculum pacis, quod tales præsbiteri fornicatores dant in missa, ita est placitum Deo, sicut osculum *Iudæ*, quo tradidit omnium saluatorem. Igitur quantumcunque potestis verbis, & operibus, alliciendo, corripiendo, comminando cooperari continue conemini, quod ipsi studeant castam vitam ducere, præsertim cum tam sanctissimum sacramentum debeant pertractare, & alijs fidelibus Christianis suis manibus ministrare. Præterea ab omnibus maioribus, scilicet, Prælatis, & Canonicis, quam etiam minoribus clericis vestro regimini subiectis Ecclesiarum redditus habentibus salubriter consulatis, vt se omnino corrigant. Nec credat aliquis, quod propter fodomiæ euitationem licebit eis aliquo modo fornicatio, nec etiam frustrabatur eos propter hoc cum mulieribus coinquinari, quia quicunque christianus habens intellectum, qui de vita æterna non curauerit dum vixerit, sine dubio grauissimas inferni pœnas post mor-
2 tem æternaliter sustinebit. 2 Consule
etiam de familia vestra, vt non sit nimis magna propter superbiam, sed sit bene moderata secundum necessitatem regiminis vestri officii, & iuxta exigentiam vestri status. Igitur illos clericos, qui socij vestri vocantur, vbicunque fueritis potius pro bono testimonio vestro non pro vana gloria, siue pompa vobiscum habeatis, qui & sint magis pauci numero, quam multi. Illos vero clericos, quos ad nihil aliud sustentatis, nisi ad cantandum diuinum officium, aut ad aliquod addiscendum, aut ad docēdum alios, aut ad scribendum, tot habeatis

beatis quot vobis placuerit, & tamen expedit vobis, quod quam melius poteftis de eorum correptione curam habeatis diligentem, & de ipsorum salute animarum. Attendatis etiam de reliquis seruitoribus vestris, vt quilibet eorum habeat suum officium, & si aliqui fuerint superflui, propter vanam gloriam non teneantur, ne eleuetur cor vestrum habendo maiorem familiam, quam alij pares vestri. Illos quoque quos vobiscum habetis familiares vere necessarios, expedit quod semper in mente habeatis, illorum vitam perscrutando sollicite, vt verus paterfamilias, eorum quoque actus vitam, & mores corrigendo, eosque paternaliter, & bonis informationibus fouendo, & admonendo, vt ipsi peccata, & vitia fugere addiscant, Deumque super omnia amare studeant. Deo quippe magis acceptum est, vobisque magis vtile, vt nullo modo aliquem familiarem vobiscum habeatis, qui sanis consilijs noluerit acquiescere, neq; suas transgressiones humiliter emendare. De indumentis vestris consulo, quod nunquam plus insimul, quam tria paria in possessione habeatis, & omnia quæ superfuerint statim ipsi Deo tribuatis. De lectisternijs vero, & manutergijs, & mensalibus, tantum pro vobis tenete, quantum vobis necessarium est, & vtile, reliqua autem Deo date. De vaxella argentea tantum pro vobis reseruate, quantum personæ vestræ, & hospitibus in propria vestra mensa comedentibus sufficiat, & illa quæ superfuerint donate hilari mente Deo, quia alia familia vestra, & hospites in alijs mensis sedentes, bene possunt in vasis stanneis, & terreis, aut ligneis, siue vitreis absq; vlla erubescentia manducare, & bibere. Nam illa consuetudo, quæ nunc est in domibus dominorum Episcoporum, in quibus auri, & argenti nimia abundat superfluitas, valde abhominabilis est ipsi Deo, qui pro nobis omni paupertati se subiecit, & animabus multum damnosa. Item cauete a pluralitate ferculorum, & nimium delicatorum. Item ne nimis magnos equos, & preciosos habeatis, sed moderatos in magnitudine, & precio. Nam illi talibus equis indigent, qui pro defensione iustitiæ, & tuitione vitæ, non pro superbia guerrarum periculis se exponent. Ego enim dico vobis, quod Prælati, qui super magnos equos ascendunt propter superbiam, & vanam gloriam, toties super illorum corda diabolus ascendit. Nam scio personam, quæ vidit dæmones quasi ethiopes, qui quando Prælati, & Cardinales pedes leuabant ex superbia, ad equitandum super dorso magnorum equorum suorum. Illi ethiopes tunc super colla Prælatorum pedes leuabant, & ascendebant, ac ibidem irrisoriæ sedebant, & quoties illi Prælati ex pompa calcaribus equos percutiebant, toties ethiopes in gaudio suo capita leuantes, illorum equitantium pectora suis calcibus impellebant. Item consulo, quatenus faciatis, quod vicarij vestri promittant sub iuramento, quod ex parte officij vestri nihil facere præsumant contra iustitiam. Quod si postea contrarium fecerint, secundum iustitiam corripi faciatis vos. Quæ si vos ita vt dictum est feceritis, conscientiam vestram bene sanam existere confidatis. Item consulo pro consolatione illarum animarum vestrorum defunctorum, de quibus me interrogastis si erant in purgatorio, an non, & de eleemosynis pro eis faciendis. Respondeo, & dico, quod omni die vnius anni pro eis duas missas celebrari faciatis, & duos pauperes omni die pascatis, & omni septimana vnum florenum in moneta currate pauperibus erogare. Dicatis etiam parrochialibus Sacerdotibus, quod corrigant parrochianos suos, & pro manifestis peccatis eos corripiant in casibus ad eos pertinentibus, vt melius possent viuere, qui si corripi noluerint tunc corripiantur per vos. Si autem aliquos noueritis contra Deum, & iustitiam manifeste delinquere, & si tam magni tyranni fuerint, quod super istos iustitiam facere non possitis, tunc leuibus verbis, & dulcibus dicatis eis, quod se corrigant. Quod si obedire noluerint, iudicio Dei eos relinquatis, qui vestram beneuolam respiciet voluntatem. Non enim oportet mansuetum agnum inter feroces lupi iactare dentes, quia lupus ex hoc rapacior fiet, tamen decet eos præcanere de periculo animarum suarum cum charitate, sicut pater facit filijs, sibi quandoque contrarijs. Neque etiam dimittere tenemini correptiones propter timorem corporis vestri, nisi forte animarum periculum ex his posset alicuatenus prouenire.

N O T AE.

1 Consulens vobis si Dei amicitiam habere volueritis, quod neque per vos, neque per aliquem alium Episcopum ad sacros ordines promouere velitis aliquos, nisi prius per bonos Clericos examinati fuerint diligenter.

Omnino tenentur Episcopi promouendos ad ordines diligenti probare examine, quandoquidem Sacra Concilia, & Patres hoc stricte perceperunt, & admonet etiam his verbis Paulus Apostolus 1. ad Timot. quinto, manus cito nemini imposueris, quod explicans D. Chrisost. quod sibi vult, inquit, cito, non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed vbi consideratio diuturna praecessit, exactissimaq; discussio, tunc imponito manus, neque enim ea res periculo caret, eorum enim, quæ ille peccauerit, tu quoq; pœnam dabis, qui initio dedisti praecedentiam delictorum. Hæc Chrisost. & addit Primasius ibidem, absq; probatione indignis ordines conferre, esse ante porcos Margaritas ponere, & Bernardus Epistola 152. ad Monachos Alpenses asserit, Episcopos sanctum dare canibus, & porcis Margaritas, cum ordines, & beneficia indignis, absque prævio examine tribuunt, idem quoque annotauit Dionisius Carthusianus, & Glossa Interlinearis in locum citatum Pauli, hanc autem diligentem inquisitionem de vita, & moribus ordinandorum faciendam esse per Ecclesiasticos viros, vt scribitur hoc docuit Concilium Tridentinum session. 23. cap. 7. de reformat. in hæc verba, Episcopus Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris peritis diuinæ legis, ac in Ecclesiasticis Sanctionibus exercitatis sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestiget, & examinet.

2 Consulo, & de familia vestra, vt non sit nimis magna.

Qualis debeat esse familia Episcopi, & quomodo in ea regenda se gerere debeat tradidimus supra libro tertio Reuelationum capite primo nota sexta, & eodem etiam libro plura habentur cap. 13.

HAEC SEQVENS REVELATIO facta Dominæ Brigittæ sponsæ Christi incepit in Neapoli statim post mortem Domini Caroli militis Filij sui, & continuabatur visio ista per viagium Hierosolymitanum interpolatim, donec accessit ad Hierusalem, & ibi fuit finita in Ecclesia Sancti Sepulchri Domini, & continet in se allegationes factas in diuino iudicio coram Christo iudice per Virginem Mariam, & per Angelum pro parte animæ dicti militis, & allegationes factas contra ipsam animam pro parte diaboli, & sententiam Christi iudicis pro liberatione eius.

CAP. XIII.

VIRGO MARIA loquitur Beatæ Brigittæ dicens. Ego tibi dicere volo, qualiter ego feci illi animæ Filij tui Caroli, quando separabatur a suo corpore; feci quidem sicut mulier alteri mulieri parienti astans, vt iuuaret infantem, ne ex fluxu sanguinis moreretur, & ne in illo arcto spatio, per quod exiret infans suffocaretur. Caueo etiam ne infantis hostes, qui in eadem domo essent, ipsum interficere possent. Simili modo ego feci. Ego quippe steti prope eundem filium tuum Carolum, paulo antequam emisit spiritum, vt carnalem amorem non sic in memoria haberet, quod propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia vellet omittere. Neq; illa quæ possent esse quomodolibet diuinæ voluntati contraria vellet perficere, ad suæ animæ nocumentum. Ego etiam taliter iuui eum in illo arcto spatio, idest, exitu animæ suæ a corpore, vt non tam duram pœnam in morte sustineret, quod ex ea inconstans fieri posset aliqualiter desperando, & ne Deum in morte obliuisceretur. Ego etiam custodiui taliter animam ab ipsius mortalibus inimicis, idest, dæmoni-

monibus, quod nullus eorum eam tangere posset. Sed statim cum egressa fuit a corpore, accepi eam in meam custodiam, & defensionem. Quo facto tota turba dæmonum festinanter fugit, & recessit, qui ex sua malitia ipsam cupiebant deglutire, & æternaliter cruciare. Sed qualiter post mortem ipsius Caroli factum est iudicium eiusdem animæ, dum mihi placuerit prorsus ostendetur tibi. Secunda reuelatio super eadem materia. Deinde post aliquot dierum interuallum. Ipsa eadem Virgo Maria apparuit eidem Dominæ Brigittæ vigilanti in oratione dicens. Tibi iam licitum est ex diuina bonitate videre, & audire, quomodo factum est iudicium super animam supradictam, quando de corpore egressa fuit. Et quod tunc factum fuit in vno momento coram incomprehensibili maiestate Dei, monstrabitur tibi seriose per interualla similitudine corporali, ita vt ea capere valeat tuus intellectus. In eadem igitur hora, Domina Brigitta in quoddam palatium magnum, & pulchrum raptam se videbat, & Dominũ Iesum Christum pro tribunali ibi sedentem quasi coronatum Imperatorem, cum infinito famulantium exercitu Angelorum, & Sanctorum, & prope eum videbat suam dignissimam Matrem stantem, & ad iudicium diligenter auscultantem. Videbatur etiam coram iudice quædam anima astare in magno timore, & pauore, & nuda sicut infans tunc natus, & quasi totaliter cæca, ita quod nihil videbat in conscientia tamen intelligebat quid in palatio dicebatur, & agebatur, Angelus autem quidam, stabat ad partem dexteram iudicis prope animam, & quidam diabolus ad eius sinistram; sed neuter eorum animam tangebat, vel attrectabat. Tunc denique diabolus clamauit dicens? Audi tu iudex omnipotentissime. Ego coram te conqueror, quod vna mulier, quæ vtrunque est Domina mea, & tua Mater, quam tu tantum diligis, quod eam potentem fecisti super Cœlum, & Terram, & super nos dæmones infernales. Ipsa quippe mihi iniustitiam fecit de ista anima quæ hic astat. Ego enim secundum iustitiam postquam egressa fuit de corpore hæc anima, statim debui mihi eam assumere, & cum mea societate ante tuum iudicium præsentare. Et ecce iuste iudex illa mulier Mater tua, animam istam quasi antequam exiret de ore hominis, manibus suis apprehendens, in sua forti tutela ad iudicium tuum protulit. Et tunc Maria Dei Mater, & Virgo respondit sic, audi tu diabole responsionem meam. 1 Quando tu creatus fuisti intelligebas illam iustitiam, quæ erat in Deo ab æterno, & sine principio, habuisti etiã liberum arbitrium faciendi, quod tibi magis placeret, & quamuis potius elegisti Deum odire, quam diligere, bene tamen intelligis semper quid secundum iustitiam fieri debet, dico igitur tibi, quod ad me pertinebat potius quam ad te, ante Deum verum Iudicem istam animam præsentare. Nam dum hæc anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, reuoluens hoc sæpius in corde suo, quod me Deus suam Matrem dignatus fuit facere, & quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare, & ex hoc tanta charitate cępit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic. Intantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam Matrem suam habet super omnia charissimam; quod nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudij reciperem, immo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem, & si possibile esset, quod ipsa in vno puncto minimo, a dignitate in qua est, a Deo remotior fieri posset, ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari, & idcirco sit ipsi Deo pro benedicta gratia illa, & immensa gloria, quam dedit suæ Matri dignissimę, infinita gratiarum actio, & gloria sempiterna. Ergo o diabole vide modo cum quali voluntate iste obijt, quid itaque tibi videtur, vtrum magis iustum erat, quod anima eius in meam veniret defensionem ante iudicium Dei, aut in tuas manus impie cruncianda. Respondit diabolus. Non est mei iuris quod illa anima in meas manus veniret, quæ te diligit plus quam se, antequam iudicium factum sit. Sed quamuis dictante iustitia illam gratiam ante iudicium secum fecisti, tamen post iudiciũ, opera eius in manus meas ipsam iudicabunt puniendam. Nunc o Regina interrogo te, quare nos omnes dæmones a præsentia corporis sui in illo exitu animæ ita expulisti, quod nullus nostrum ibi facere posset aliquem horrorem, vel incutere illi aliquem timorem. Respondit Virgo Maria. Hoc ego feci pro illa ardenti charitate, quam ipse habuit ad corpus meum, & pro illo gaudio, quod habuit ex hoc, quod ego sum Mater Dei. Ideo illam gratiam impetraui a filio meo, quod nullus malignus spiritus ei appropinquaret vbicunque erat, & etiam vbi nunc est. Post hæc loquebatur diabolus ad iudicem dicens, ego scio, quod tu es ipsa iustitia, & potentia, tu non magis iudicas iniustitiam diabolo, quam Angelo. Adiudica igitur mihi

mihi istam animam. In illa enim sapientia, quam habui quando me creasti, scripseram omnia peccata ipsius. Custodieram etiam omnia peccata eius, in illa malitia mea quam habui quando cecidi de cœlo. Nam quando primo ista anima ad illam ætatem discretionis peruenit, quod iam bene intelligebat esse peccatum illud, quod faciebat, tunc propria voluntas ipsum trahebat ad viuendum magis in mundana superbia, & carnali delectatione, quam talibus resistere. Respondit Angelus. Quando primo eius Mater intellexit ipsius voluntatem esse flexibilem ad peccatum, statim ipsa succurrebat ei misericordiæ operibus, & præcibus diuturnis, vt ei Deus misereri dignaretur ne ab ipso se elongaret, propter ista denique Matris suæ opera, obtinuit diuinum timorem. Ita quod quotiescunq; cecidit in peccatum, confestim ad faciendum confessionem properauit. Respondit diabolus. Me oportet peccata sua narrare. Et statim volens incipere, in eadem hora clamare cępit, & plangere, & in seipso diligenter inquirere in capite, & membris cunctis, quæ videbatur habere, totusque videbatur tremere, & ex turbatione magna clamauit. Veh mihi misero, quomodo perdidi meum longum laborem, quia non solum oblitus est textus, & abolitus: Verum etiam tota materia combusta est, in qua omnia fuerunt scripta. Materia autem significat tempora in quibus peccauit, quæ non magis recolo, quam peccata in eis scripta. Respondit Angelus. Hoc fecerunt lacrymæ, & longi labores, multæq; orationes Matris suæ, ita quod Deus compatiens gemitibus suis, dedit eius filio talem gratiam, scilicet, quod pro quolibet peccato, quod commisit contritionem obtinuit, humilem confessionem faciendo ex diuina charitate, & ideo illa peccata oblita, & neglecta sunt in tua memoria. Respondit diabolus asserens se habere adhuc saccum plenum illis scripturis, quibus supradictus miles proposuerat, quod peccata sua emendaret, sed non curauit, ideo teneor cruciare eum, quousq; per pœnam fuerit satisfactum, quæ quidē peccata idem miles adhuc emendare non curauit in vita sua. Respondit Angelus. Aperi saccum, & pete iudicium super illa peccata, pro quibus te oportet eam castigare. Quo dicto clamauit diabolus sicut amens dicens, ego sum spoliatus in mea potentia. Nam non solum ablatus est mihi saccus, verum etiam peccata, quibus erat repletus, saccus quippe erat segnities, in quo omnes causas posui, pro quibus oportebat me ipsum punire, quia propter segnitiem multa bona omisit. Respondit Angelus. Te spoliauerunt lacrymæ Matris suæ, & ruperunt saccum, & destruxerunt scripturam, intantum lacrymæ eius Deo placuerunt. Respondit diabolus. Adhuc habeo hic aliqua proferre, videlicet eius venialia peccata. Respondit Angelus. Ipse obtinuit voluntatem de sua patria peregrinari, dimittens bona, & amicos, in multis laboribus sancta loca visitando, & hæc compleuit, se etiam ita parando, quod dignus fuit a Sancta Ecclesia indulgentiam consequi, desiderabat quoque per peccatorum emendationem Deum Creatorem suum placare. Vnde omnes illæ causæ quas iam scripsisse te dixisti, sunt indultæ. Respondit diabolus. Adhuc oportet me tamen pro omnibus illis venialibus, quæ commisit ipsum punire, & ideo per indulgentias minime sunt deleta, sunt enim millia millium, quæ omnia in lingua mea sunt conscripta.
a Respondit Angelus. Extende linguam, & monstra scripturam. Respondit diabolus cum magno eiulatu, & clamore sicut demens, & dixit. Veh mihi ego non habeo vnum verbum ad dicendum. Nam mihi radicitus lingua abscisa est cum viribus suis. Respondit Angelus. Hoc fecit Mater eius assiduis orationibus suis, & labore, quia animam eius dilexit toto corde. Ideo placuit Deo propter ipsius charitatem omnia peccata eius venialia indulgere, quæ ab infantia vsque ad mortem commisit, & ideo lingua tua suis viribus creditur caruisse. Respondit diabolus. Adhuc vnum habeo in corde meo diligenter custoditum, quod nullus potest abolere, hoc est, quod iniuste aliqua acquisiuit, ea reddere non attendens. Respondit Angelus. Pro talibus Mater sua eleemosynis, orationibus, & misericordiæ operibus satisfecit, ita quod iustitiæ rigor se ad misericordiæ blanditiē inclinauit, deditq; ei Deus perfectam voluntatem, sine omnium bonorum suorum parcitate, in omnibus plene satisfacere iuxta facultatem suam, quibus aliquid iniuste abstulerat. Istam enim voluntatem accepit Deus pro effectu, quia diutius viuere non valebat. Oportet igitur hæredes suos pro talibus satisfacere prout possunt. Respondit diabolus. Ergo si non habeo potestatem puniendi eum pro peccatis, tamen oportet me ipsum castigare, quia non exercuit opera bona, & virtutes, quando plenum sensum, & sanum corpus habuit iuxta posse suum. Virtutes enim, & opera bona sunt illi thesauri, quos secum ad tale regnum ferre deberet, scilicet ad Regnum Dei Gloriosum. Permitte ergo me

illud

illud supplere cum pęna, quod sibi defecit in virtuosis operibus, Angelus respondit. Scriptum est, quod petenti dabitur, & pulsanti cum perseuerantia aperietur. Audi ergo tu diabole. *Mater* eius charitatiuis precibus, & pietatis operibus, ad portam misericordiæ perseueranter pulsauit pro eo, plus quam triginta annis fundendo multa millia lacrymarum, vt *Deus* cordi eius spiritum sanctum infundere dignaretur, ita quod bona sua, corpusque, & animam, idem filius suus ad Dei seruitium libenti animo exhiberet. Sic etiam fecit *Deus*. Nam ita ardens iste miles effectus erat, quod ad nihil aliud placeret ei viuere, nisi vt Dei voluntatem sequeretur. *Et* ecce *Deus* sic diu rogatus, in ipsius cor suum benedictum fructum infudit. Virgo vero *Mater Dei* dedit illi ex virtute sua, quicquid sibi defecit in armis spiritualibus, & indumentis, quæ pertinent ad milites, qui debent intrare in Regno Cęli, ad summum *Imperatorem*. Sancti etiam in Cęlesti Regno collocati, quos iste miles in mundo viuens dilexit, de suis meritis sibi consolationem addiderunt. Ipse nanque thesaurum congregauit, sicut illi peregrini, qui quotidie caduca bona commutant in æternales diuitias, & quia ipse sic fecit, ideo gaudium, & honorem perpetuum, obtinebit, & specialiter pro illo ardenti desiderio, quod habuit peregrinandi ad Sanctam Ciuitatem *Hierusalem*, & pro eo, quod desiderauit feruenter vitam suam libenter bellando exponere, vt terra sancta reduceretur ad *Dominium* Christianorum ad hoc, vt illud *gloriosum* Dei sepulchrum in debita haberetur reuerentia, si ad tantum opus sufficiens extitisset. Et ideo tu diabole nullam iustitiam habes illa supplere, quæ ipse personaliter non perfecit. Respondit diabolus. Adhuc deficit ei corona. Nam si ego possem aliquid ad eius imperfectionem fabricare, hoc libenter facerem. Respondit Angelus hoc certissimum est, quod omnes, qui seipsos vicerint de inferno peccatorum vere pęnitēdo, & diuinæ voluntati se voluntarie conformando, ipsumque *Deum* toto corde diligendo, gratiam *Dei* consequentur. Placet quoque ipsi *Deo*, ex triumphali sui benedicti humani corporis corona, eis coronam dare si secundum iustitiæ rectitudinem purgati fuerint. Et ideo tibi o diabole, minime conuenit ad eius coronam aliquid fabricare. Tunc diabolus hæc audiens clamauit, impatienter rugiens, & dixit. Veh mihi, quia tota memoria mea mihi ablata est. Iam enim non recolo in quibus iste miles meam secutus est voluntatem, & quod est mirabilius, etiam oblitus, sub quo nomine dum vixit vocabatur. Respondit Angelus scito, quod modo in cęlo vocatur filius lacrymarum. Diabolus vero clamans altæ respondit. O quam maledicta est illa scrofa, seu porca Mater eius, quæ tam prolixum habuit ventrem, quod tanta aqua in ipsam infusa fuit, quod omnia ventris eius spatia impleta fuerunt humoribus lacrymarum, sit ipsa maledicta a me, & a tota societate. Respondit Angelus. Tua maledictio honor Dei est, & omnium amicorum suorum benedictio. Tunc autem loquebatur iudex Christus sic dicens. Recede tu inimice diabole. Deinde dixit illi militi. Veni tu o mi electe, & statim fugit diabolus. Tunc sponsa hęc videns dixit. O æterna virtus, & incomprehensibilis tu ipse *Deus*, & Domine *Iesu* Christe, tu omnes cogitationes bonas cordibus infundis, orationesque, & lacrymas, tu occultas tua gratiosa dona, conferens pro eis æternaliter premia gloriosa. Sit igitur tibi honor, & seruitium, & gratiarum actio de omnibus quæ creasti. O dulcissime *Deus* meus, tu es mihi charissimus, & vere charior mihi, quam corpus, & anima mea. Angelus quoque tunc loquebatur eidem sponsæ Christi dicens. Tu scire debes, quod hæc visio non solum pro consolatione tua a *Deo* tibi monstrata est, sed etiam vt amici *Dei* intelligere possint, quantum ipsum facere dignatur pro amicorum suorum orationibus, & lacrymis, & laboribus, qui pro alijs charitatiue orant, & laborant cum perseuerantia, & bona voluntate. Scire etiam debes, quod iste miles filius tuus talem gratiam non habuisset, nisi quia ab infantia voluntatem habuit diligere *Deum*, & eius amicos, & in peccati casibus se libenter emendare.

NOTAE.

1 QVando tu creatus fuisti intelligebas illam iustitiam, quæ erat in Deo ab æterno.

De iustitia distributiua hoc loco sermo fit, nam commutatiua non est in Deo, vt probat D. Thomas p. par. q. 21. artic. primo, scribitur ergo hic Dæmonem ab instanti suæ creationis nouisse iustitiam Dei, nouit enim Deum iustum esse, tumque pro meritis præmia iustis, impijs vero pœnas reddere.

2 Respondit Angelus extende linguam, & monstra scripturam.

Cum Angeli incorporei sint non habent nec brachia, nec pedes, nec linguam, tribuitur autem eis lingua metaphorice, vt facit Apostolus 1. Corint. 13. si linguis hominum loquar, & Angelorum: & ratio huius est, quia sicut per corporis linguam significatiuas formamus voces, quibus deinde internos alijs communicamus conceptus nostros, sic quoque Angeli, ac etiam Dæmones cum cæteris volunt suos manifestare conceptus, se se ad illos conuertentes dicuntur eos alloqui, eorum ergo lingua est manifestatio conceptuum, Vnde Hieron. super Isaiam cap. 66. lingua inquit Angelorum, est perfecta cognitio, & manifestatio mysteriorum, idem annotarunt Liranus, & Dionysius Carthusianus in locum citatum Pauli, & Theodoretus ibidem linguas dicit, non quæ sensu, sed quæ intelligentia percipiuntur.

HANC REVELATIONEM habuit Domina Brigitta in Sancta Ciuitate Hierusalem prima vice qua intrauit in Ecclesiam Sancti Sepulchri. In qua Christus declarat indulgentiam, & gratiam, quam boni peregrini habent in dicta Ecclesia cum ibi adueniunt cum recta intentione, & sancto proposito.

CAP. XIV.

Filius loquebatur sponsæ. Quando intrastis templum meum dedicatum sanguine meo, sic mundati estis ab omnibus peccatis vestris, sicut si tūc leuati essetis de fōte baptismatis. Et propter labores, & deuotionē vestram aliquæ animæ consanguineorum vestrorum, quæ erant in purgatorio, hodie liberatæ sunt, & intrauerunt in Cœlum in gloria mea. Nam omnes, qui veniunt ad locum istum cum voluntate perfecta se emendandi iuxta meliorem conscientiam suam, nec volētes reciduare in priora peccata, his omnia peccata priora totaliter dimittuntur, & augetur eis gratia proficiendi.

HANC VISIONEM vidit Christi sponsa Domina Brigitta in Hierusalem in Ecclesia Sancti Sepulchri, in Cappella Montis Caluariæ, die Veneris post Ascensionē Domini, vbi vidit rapta in spiritu totam passionem Domini seriosæ, quæ hic latius continetur.

CAP. XV.

AD Montem Caluarię dum essem męstissima plorans, Vidi Dominum meū nudum, & flagellatum ductum per Iudæos ad cruci figendum, qui diligenter ab eis custodiebatur. Vidi quoque tunc foramen quoddam excisum in monte, & crucifixores in circuitu paratos ad operandum crudelitatem. Dominus autem conuersus ad me dixit mihi. Attende tu, quia in isto foramine petrę infixus fuit pes crucis meæ tempore passionis, & statim vidi qualiter ibi crux eius a iudæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis cum lignis confixis cum malleo validissime circunquaque, vt
1 Crux solidius staret ne caderet. 1 Cum igitur crux ita solide firmata esset ibidem, statim adaptabantur tabulæ ligneę in circuitu stipitis Crucis per modum graduum, vsque ad locum, vbi pedes eius crucifigi debebant, vt possent per illos gradus tabularum, tam ipse quam crucifixores ascendere, & super tabulas illas aptiori modo stare ad crucifigendum eum. Post hoc autem ascenderunt ipsi per illos gradus ducentes eum cum irrisione, & vituperio maximo, qui gratanter ascendens velut agnus mansuetus ductus ad immolandum cum esset iam super tabulas illas non coactus, sed statim voluntarie extendit brachium suum, & aperta sua dextera manu
2 posuit eam in cruce, quam illi seui tortores immaniter crucifixerunt, perforabant eam clauo per illam partem, qua os solidius erat, tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum eius sinistram, cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore vltra modum iunctos pedes affixerunt in cruce duobus clauis, & intantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce

cruce vehementer, quod quasi omnes ve-
2 næ, & nerui eius rumpebantur. 2 Quo
facto coronam de spinis, quam deposuerãt
de capite eius cum crucifigeretur, iterum
imposuerunt, & aptauerunt capiti suo Sa-
cratissimo, quæ tam fortiter pupugit re-
uerendum caput eius, quod oculi sui reple
ti fuerunt illico fluente sanguine. Aures
quoque obstruebantur, & facies, & bar-
ba quasi tegebantur, & intincta erant illo
roseo sanguine, & statim illi crucifixores,
& milites amouerunt velociter omnes ta-
bulas illas, quæ adhærebant cruci, & tunc
remansit crux sola, & alta, & dominus
3 meus crucifixus in illa. 3 Cumque ego
repleta dolore respicerem crudelitatem eo
rum, vidi tunc eius matrem mestissimam,
quasi trementem, & semimortuam, quam
consolabantur Ioannes, & aliæ sorores e-
ius, quæ tunc stabant non longe à cruce ad
eius partem dexteram. Dolor igitur no-
uus compassionis illius sanctissimæ Matris
intantum transfixit me, quod quasi sentie
bam, quod cor meum pertransibat quidam
gladius acutus importabilis amaritudinis.
Surgens tandem illa Mater eius dolorosa
quasi exinanita corpore respexit ad filium
suum, & sic stabat sustentata a sororibus
tota stupore suspensa, & velut mortua vi-
uens gladio doloris transfixa, quam cum
filius respexisset, & alios amicos ploran-
tes voce flebili commendabat eam Ioanni,
& bene cernebatur in gestu eius, & voce,
quod cor eius ex compassione Matris pe-
netrabatur acutissima sagitta doloris im-
mensi. Tunc autem oculi eius amabi-
les, & decori apparebant semimortui, os
eius erat apertum, & sanguinolentum.
Vultus pallidus, & submersus, totusque li
uidus, & intinctus sanguine, corpus quo-
que totum erat quasi liuidum, & pallidum
& languidum valde, ex continuo fluxu de-
currentis sanguinis. Cutis etiam, & ca-
ro illa virginea Sanctissimi corporis eius
ita delicata, & tenera erat, quod ex mo-
dica percussione illata, signum liuidum ex-
terius apparebat. Aliquando vero cona
batur ipse extensiones facere in cruce præ
amaritudine nimia, quam sentiebat intensi
doloris acutissimi. Nam quandoque do-
lor de membris eius, & venis perforatis
ascendebat ad cor, & vexabat eum crude-
liter intenso martyrio, & sic mors eius pro
longabatur, & dilatabatur, cum tormen-
to graui, & ingenti amaritudine. Tunc
igitur ille anxius præ nimia doloris angu-
stia, & vicinus iam morti, ad patrem cla
mauit alta voce, & flebili dicens. O pa-
ter quare dereliquisti me, habebat, & tunc
labia pallida, & linguam sanguinolentam.
Ventrem submissum cohærentem dorso, ac
si nulla intus habuisset viscera. Secundo
quoque clamauit iterum cum anxio dolo-
re maximo: O pater in manus tuas com
mendo spiritum meum, & tunc caput eri-
gens se aliquantulum statim inclinauit se,
& sic emisit spiritum. Quæ tunc Mater
eius videns tota contremuit præ immensa
amaritudine volens cadere in terram, nisi
quod sustentabatur ab alijs mulieribus.
In illa igitur hora manus illius aliquantu-
lum se retraxerunt a loco perforationis
clauorum præ nimio pondere corporis, &
1 sic corpus eius quasi sustentabatur a clauis
quibus pedes crucifixi erant. Digiti au-
tem, & manus, & brachia, magis iam ex-
tensa erant quam ante. Spatulæ vero, &
dorsum eius quasi stringebantur ad cru-
cem. Tunc denique circunstantes Iudæi
irridentes clamabant contra Matrem eius
multa dicentes. Alij namque dicebant,
Maria, iam mortuus est Filius tuus. Alij
vero dicebant alia verba irrisoria, & sic
stantibus turbis in circuitu venit vnus ac-
4 currens cum furia maxima, 4 & infixit
lanceam in eius latere dextro tam vehe-
menter, & valide, quod quasi per aliam
partem corporis lancea voluit pertransi-
re. Quod cum extraheretur lancea de
corpore, statim abundanter exibat de vul
nere illo cum impetu quasi quidam fluuius
sanguinis, ferrum vero lanceæ, & aliqua
pars hastæ rubicunda exibant de corpore,
& intincta sanguine. *Quæ* videns Ma-
ter ita vehementer contremuit cum ama-
ro gemitu, quod bene cernebatur in eius
facie, & gestu, quod anima eius tunc
penetrabatur acuto doloris gladio.
5 5 His autem expletis cum turbæ mul-
tæ recederent deposuerunt dominum qui
dam amici eius, quem tunc pia *Mater*
recepit inter sua brachia Sanctissima, &
reclinauit eum sedens in genu suum, to
tum vulneratum, dilaceratum, & liui-
dum, & tunc tersit Mater eius mestis-
sima cum linteo suo totum corpus ip-
sius, & vulnera, clausitque eius oculos
deosculando eos, & inuoluit eum in Syn-
done munda, & sic duxerunt eum cum
planctu, & dolore maximo, & posue-
runt eum in sepulchro.

NO-

NOTÆ.

1 CVm igitur Crux ita solidè firmata esset.

Hactenus dubitatum est, fuerit ne Christus Dominus in terra iacenti cruci affixus, & simul cū cruce erectus; an verò prius crux fuerit erecta, & infixa, ad quam per aliquos ligneos gradus ascēdens, ei postea fuerit affixus, atque hoc postremo crucifigendi modo in Redemptoris nostri morte vsos fuisse Iudæos scribitur hic, quē sanè fuisse vsitatiorem plurimorum melioris notæ doctorum auctoritas suadet; quod etiam ex Sacris litteris comprobari posse videtur, occurrit enim ad hoc suadendum locus insignis libri primi Esdræ cap. 6. vbi legimus, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur & configatur in eo, ex quibus verbis apparet euidenter, quod erectio antecedebat fixionem; idem constat ex Iosepho, qui libro septimo excidij Iudaici verba faciens de quodam Iudæo a Romanis capto, Bassus inquit iussit defigi crucem, tanquam statim suspensurus in ea Eleazarum: colligunt hoc idem ex D. Gregor. Nazianzeno in Christo patiente eius tragediæ interpretes, Claudius Roylotus, Gabriel Taraconensis, & Sebastianus Tigurinus, qui vnanimiter asseuerant, Christum Cruci affixum esse post erectionem, sequuntur hanc sententiam D. Bonauentura in lib. meditationum vitæ Christi cap. 78. D. Bernardus tract. de passione cap. 5. exaltato inquit in Cruce manus perforantur, Cardinalis Toletus annot. 14. in cap. 19. Ioann. & Clarius Russtius Benzonius Episcopus Lauretanus in speculo Episcoporum vel. lib. primo de fuga disput. 2. q. 3. paragr. nec est simile, & huic sententiæ etiam fauere videntur hi omnes, qui de crucifixione Christi per modum ascensus loquuntur, vt Ambros. lib. 10. in Lucam. cap. qualis Christus Crucem ascenderit, quod sic incipit (refert igitur considerare qualis ascendat) & Ciprianus serm. de passione ascendisti Domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum, & Gregor cant. 7. ascendam in palmam, idem sensit Iustus Lypsius de Cruce lib. secundo cap. 7. qui affirmat vtrumq; modum olim fuisse vsurpatum, sæpius tamen hunc postremum, quem probat ex Nonno, qui de Christo loquens ait.

In lignum quadratum Altum, terraque leuatum.

Rectum extenderunt.

Pererius tamen in Comment. super Matth. qui liber apud nos extat manuscriptus, nondum tamen impressus, agens de ipsa crucifixione quæst. 3. dicit, incertum esse quomodo fuerit crucifixus Christus, quod etiam affirmat Io. Molan. lib. 4. de hist. Imaginum cap. 4. qui tamen in nostram hic videtur opinionem inclinare. Cæterum Nicephorus grauissimus Auctor lib. primo Hist. cap. 30. apertis verbis fatetur Saluatorem nostrum erectæ prius in altum Cruci fuisse affixum, postquam in quit ad Caluariæ Montem ventum est, sol Crux compingitur, Saluator in eam sustollitur, Claui affiguntur, & a prætereuntibus plurimis conuitiis exagitatur.

1 Quo facto coronam spineam, quam deposuerant de capite eius cum crucifigeretur, iterum imposuerunt, & aptauerunt capiti suo Sacratissimo.

Coronam spineam Saluatoris nostri Capiti bis fuisse impositam, ex huius notæ verbis planè constat, primo quidem in pretorio, vt referunt Matth. cap. vigesimoseptimo, Marcus cap. decimo quinto, Ioannes cap. 19. quam etiam vsque ad Caluarium gestasse deducitur ex citatis locis Euangelistarum, & præcipue Matth. & Ioann. qui sic de Christo scribunt, exiuit ergo Iesus foras portans spineam coronam, cum ergo peruenisset ad montem, iterum vestibus exutus. Sed prius de eius Sacratissimo capite spinea corona tollitur, non sine ingenti doloris sensu, nequè enim inconsutilem vestem exuere potuissent, nisi prius spinea corona de capite fuisset sublata, & mox Cruci affigitur, post vero iterum eadem corona Christo imponitur, sic ergo [illegible] punctionis est passus [illegible]; fuisse autem huiusmodi coronā semel, atq; iterum Sacratissimo Christi capiti impositam constat apertè ex verbis præsentis notæ, & ex libro primo Reuelat. cap. decimo ibi (quo facto) hoc est in crucem Christo suffixo aptauerunt coronam de spinis capiti eius, quæ tam vehementer Reuerendum caput filij mei pupugit, vt sanguine fluente replerentur oculi eius, & libro quarto cap. 70. paulo ante medium, & tunc quando eum in crucem Saluator noster eleuatus est, corona spinea capiti eius arctissimè imposita fuit, fauet huic Tertullianus contra Iudæos cap. 9. & hoc etiam colligi potest ex oratione prima de passione, Gregorii Magno ascripta, in qua scribitur: O Domine Iesu Christe adoro te in cruce pendentem, & coronam spineam in capite gestantem, idem confirmat egregie frater Daniel Mallonius in elucidat. Stigmat. Sacræ Sindoni impressi cap. 12. numero decimo octauo, vbi asserit non ideo dicendum esse, spineam coronam fuisse de Christi capite absolute detractam, quæ statim maiori cum dolore erat iterum imponenda, id namque dimissum minime dicitur, quod mox erat assumendum l. diuortium ff. de diuortiis, quæ ratio cum hac opinione conciliari potest. Orige-

nes

2

nes ab eo citatus. qui arbitratus est, quod spinea corona semel imposita nunquam fuerit detracta, addit etiam hoc ipso, quod aliquando a Christi capite coronam detractam esse fateamur, & mox impressam, acerbiorem cruciatum in Christo agnoscimus. eadem etiam ratione verum est id, quod Diuus Bernardus annotauit. ser. de Passione Domini, coronam nimirum spineam mille puncturis speciosum Christi caput diuulnerasse. Caeterum post Christi crucifixionem eius capiti fuisse iterum impositam, illud nobis suadet. Quoniam cum titulum cruci affigi Iudaei mandauerint, vt causam, qua, Christum esse morte dignum indicarent, pari ratione etiam credendum est; hoc idem exprimere voluisse eidem in cruce pendenti spineam coronam imponendo, & propterea cum accusarunt, quod sibi regnum vsurpare, seque regem facere voluerit, sic Matth. vigesimosecundo cap. scribitur, hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & probibentem tributa dari Caesari, & dicentem se Christum Regem esse, & Ioan. 18. obijciebant ei dicentes omnis enim qui se Regem facit. Libet autem hoc loco, breuiter inuestigare spinarum qualitatem, ex quibus Redemptoris nostri corona compacta est, & quidem eam è Iuncis fuisse Marinis confectam, plures Doctores affirmarunt, sic Anselm. de Passione Domini, Gregor. Turronensis de Gloria Martyrum libro primo capite primo, & septimo, Lyranus in capit. vigesimoseptimo Matth. apertis verbis hoc fatetur, ex Iuncis inquit Marinis ad modum spinarum acutis, & ego qui hac scripsi audiui a quodam, qui fuerat vltra mare cum Beato Ludouico Rege Franciae, quod in littore Maris senserat puncturam Iuncorum, per sotulares intermedios, atque hinc illud Poetae, (& Acuta cuspide Iunci,) sed hoc eleganter tradidit Ludulphus de Vita Christi 2. par. capite 52. qui huius coronae qualitatem describens, pro diademate inquit, seu Regali corona plectentes; complicando, seu plicantes, idest componentes connectendo coronam, idest sertum ad modum coronae capitis, de spinis, hoc est de Iuncis spinosis, & aculeatis valde acutos Angulos habentibus, & paulo infra, qui attentius considerasse se dicunt spinas illas Iuncos fuisse marinos asserunt, quorum acies non minus dura, & acuta, aspera, & penetratiua spinis esse dicitur in tantum, vt etiam homines calceati desuper calcantes inde vulnerentur, idem sentit Cardinalis Toletus annotat. secunda in cap. decimonono Ioann. & testatur de communi opinione Franciscus Suarez super 3. par. Sancti Thomae quaest. 46. disput. 35. sect. tertia, sequitur Gulielmus Durandus in libro sexto Rationali Diuinorum Offic. capit. de Parasceue, cuius testimonium eo firmius censendum est, quo ipse in Galliam huiusmodi coronam se vidisse testatur, licet enim non tota, vel integra, maior tamen pars ibi asseruatur, quam Beatum Ludouicum Regem Galliae a Graecis redemisse, eamque Lutetiam asportari iussisse auctor est Genebrardus libro quarto suae Chronologiae. Ex dictis facile colligi potest, quantus fuerit dolor, qui ex huius coronae impositione Redemptori nostro auctus sit, expedit autem in praesentia aliqua hac de re annotare, quae meditari volentibus possunt suppeditare materiam, pietatis etiam, ac compassionis affectum accrescere. meditare inquit Lanspergius Theoremat. decimonono, quam penosa, quantoque cruciatu haec coronatio plena fuerit, erat enim corona ex spinis longis, & acutis, & penetratiuis, ita plexa, vt ex omni parte caput ambiens, & pungens vulneraret, nec minus vertex quam tempora tegerentur, & Homilia trigesimatertia de passione, affirmat huiusmodi coronam ad modum pilei fuisse contextam, ita vt totum penè caput, vndique ambiendo contegeret, & laceraret, idem annotauit Ioannes Echius sermo. de pass. articulo quarto, consid. quinta, & Sanctus Vincentius sermone vnico diei Parasceues, qui etiam addit huiusmodi spinas coronae dominicae fuisse septuaginta duas, quod etiam affirmauit Gretserus libro primo de Cruce cap. duodecimo, alij vero fuisse terdenam probant ex reuelat. quadam facta Sanctae Catherinae Senensi; Caeterum in his Reuelationum Beatae Brigittae libris non inueni certum aliquem spinarum numerum, tantummodo reperi Beatissimam Virginem Gloriosae Brigittae reuelasse coronam hanc sacratissimam non ad instar serti particulam fuisse, qualem Pictores nostri temporis pingere consueuerunt, sed ad modum pilei, totum vndique caput ambientis, ac ferientis, immo & frontem etiam cingentis, sic libro quarto capite septuagesimo, paulo ante medium; tunc corona spinea capiti eius artissime imposita fuit, quae ad medium frontis descendebat, plurimis riuis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius, & crines, & oculos, & Barbam replentibus, vt quasi nihil nisi sanguis totus videretur, nec ipse me astantem cruci videre potuit, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem.

3 Et infixit lanceam in eius latere dextero tam vehementer.

Verba huius notae indicant, Christum Dominum a Longino in latere dextero fuisse lancea percussum, & quidem an Redemptor noster fuerit in latere dextero, vel sinistro vulneratus, nihil certi in Sacris litteris scriptum reperimus; Ioannes enim Euangelista capite decimonono, vbi huius rei meminit, tantummodo scribit ab vno milite Salutatoris latus dextrum lancea percussum, cui veritati fauet in primis vsus frequens pingendi imagines Crucifixi in dextero latere vulnerati, hac autem pictura in Ecclesia consueuit habere

auctoritatem, quoniam antiquæ traditionis argumentum est, & Ecclesiasticæ probationis, & hæc consuetudo sic pingendi crucifixi imagines vniuersalior est, quam contraria, idem probatur ex illo Ezechielis 47. Ecce Aquæ redundantes a latere dextero, quem locum Diuus Isidorus de sanguine: Christi latere fluente intellexit hoc ipsum tradidit Diu. Athanas. in libro de pass. imaginis Christi, Hebræos ait patrum suorum secutos vestigia, valido ictu lancea latus dexterum Icone percussisse, confirmat hoc grauissimus auctor Innocentius Tertius libro secundo de Sacro Altaris ministerio cap. 54. calix ait ponitur ad dexterum latus oblatæ, quasi sanguinem suscepturus, qui ex latere Christi dextero creditur profluxisse, Iuo etiã idem admonuit Epist. 235. eandem confirmant sententiam Patres ex porta Templi a latere dextero sic Rupert. libro tertio Regum capite decimo, ostium inquit lateris Templi vulnus est in latere lanceato dominici pectoris. Augustinus libro duodecimo contra faustum cap. decimosexto, & 39. & 15 de Ciuit. capite vigesimosexto, quod ostium in latere accepit profecto illud vulnus est quando latus Christo lancea perforatum est: sed hic quispiam poterit obÿcere apud Sanctos Patres, eos etiam, qui contemplationi dediti sunt frequenter legi ictu lanceæ cor Christi fuisse transuerberatum sic legitur libro quarto Reuelationum capite septuagesimo, ibi modico autem tempore post aperto latere, & infra vt ex hoc intelligeretur cor transfixum, potuit ergò facilius cor transfigi, si Christus in sinistro latere dicatur percussus, sed hoc non obstat, licet enim & nos fateamur Christi cor fuisse transfixum, potuit tamen etiam in dextero latere accepto vulnere transfigi, tantus, tamque sæuus exitit ictus lanceæ, quem describens Beata Brigitta in præsenti capite aliquanto post medium sic habet, stantibus turbis in circuitu venit vnus occurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in eius latere dextero, tam vehementer, & valide, quod quasi per aliam partem corporis lancea voluit extransire: idem quoque confirmat Ecclesia cum diebus dominicis aquam benedicens cantat eum versiculum desumptum ex vigesimoseptimo cap. Ezechielis, vidi aquam egredientem de templo a latere dextero, & omnes ad quos peruenit aqua ista salui facti sunt, a latere enim Christi dextero sanguis, & aqua exiuit, & ab eodem sacramenta manarunt, per quæ salus nobis collata est, vnde Gloss. Interlinearis in locum citatum Ezechielis, per aquas in dextero latere baptismum intelligit, quo regenerati homines saluantur, fauent huic opinioni Ioannes Damascenus, Gabriel Biel, & Siluester De prierio, quos citat Petrus Lucensis probatissimus auctor in libello, qui inscribitur ars bene cogitandi par. prima, annot. 3. non longe ab initio, vbi asserit hanc esse communem opinionem, eandem sequitur Guillelmus Durantus in Rationali diuinorum officiorum libro quarto capite quarto circa medium, a latere inquit dextero exiuit aqua, & clarius hoc ipsum tradidit, Ludulphus de Vita Christi par. 2. cap. 64. his verbis, Longinus nomine tunc impius, & superbus, post vero conuersus, & Martyr effectus porrigens lanceam de longe, Sacrum latus Domini Iesu dexterum vulnere grandi aperuit, vt impleretur scriptura, quæ dicit videbunt in quem transfixerunt, eandem sequitur opinionem grauissimus auctor Ludouicus Blosius in expositione Passionis Domini capite decimonono, Longinus inquit nomine lancea latus eius dexterum aperuit: plura hac de re habet Franciscus Suarez in comment. super 3. par. Sancti Thomæ. quæst. 31. Disputat. 41. sect. prima, Tomo 2. qui in fine propositæ dubitationis videtur in hanc nostram opinionem inclinare.

5 His autem expletis cum turbæ multæ recederent deposuerunt Dominum quidam amici mei, quem tunc pia Mater recepit inter sua brachia sanctissima.

Christi Redemptoris nostri corpus, postquam fuit de cruce depositũ inter brachia recepisse Mariam, inque osculatam esse, eiusque vulnera Patri obtulisse, auctor est Diuus Bernardus serm. 2. super Euang. stabat iuxta crucem, qui in persona Gloriosæ Virginis loquens, amplectar inquit brachÿs, & depositum de cruce osculabor filium meum, & Dominum meum: idem habet Canisius libro quarto de B. Virgine capite 26. circa medium, addit quoque Cardinalis Baronius tomo primo Annal. Anno Christi 34. Mariam in sui filÿ depositione de cruce maternis manibus inseruisse, & clauos extractos in suum sinum recepisse, eiusque membra fuisse amplexa, partim quidem vulnis adstringens, partim suis lacrimis plagas emundans, deinde totam toti corpori circumfusam: idem annotauit Metaphrastes 15. Augusti, plura hac de re tradidimus libro secundo Reuelat. cap. 21. nota prima, vbi modum explicauimus, quo Christi corpus de cruce fuit depositum. Cæterum adhuc Hierosolymis ostenditur locus, vbi Beatissima Virgo Christum è Cruce depositum in sinum suum excepit, distans a loco, in quo crux fixa erat in Monte Caluario tredecim gressibus, ita Christianus Adricomius in descript. Hierusalem, num. 255. Paschalis in descript Terræ Sanctæ Die. 225.

CON-

CONQVERITVR CHRISTVS sponsæ de omnibus principibus terræ, & Prælatis Ecclesiæ ex eo, quod nolunt habere in memoria, nec recordari talium dolorum, & passionis suæ, nec volunt considerare illa Sacra loca Terræ Sanctæ, & comminatur eis, nisi se emendauerint.

CAP. XVI.

LOquebatur post hæc Christus in eadem hora eidem sponsæ suæ Beatæ Brigittæ dicens. *Hæc* enim quæ vidisti nunc, & alia quæ ego sustinui principes mundi non attendunt, nec etiam loca considerant in quibus ego natus sum, & passus, quia ipsi similes sunt homini habenti locum designatum pro bestijs, & feris indomitis, in quem dimittens canes venaticos delectatur inspiciendo cursum canum, & ferarum. Sic persimille principes terræ, & Prælati Ecclesiarum, & omnes status mundi auidius, & libentius aspiciunt delectamenta terrena, quam mortem, & passionem meam, & vulnera mea. Ideo mittram eis adhuc per te verba mea, qui nisi mutauerint corda sua, & ea conuerterint ad me, condemnabuntur cum illis, qui partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Additio.

Sequitur reuelatio facta Beatæ Brigittæ in Famagusta.

FIlius *Dei* loquitur. hæc ciuitas est Gomora ardens igne luxuriæ, & superfluitatis, & ambitionis. Ideo ruent structuræ eius, & desolabitur, & minuetur, & habitatores eius migrabũt, & præ dolore, & tribulatione ingemiscẽt, & deficient, & nominabitur confusio eius in multis terris, quia

iratus sum eis. De Duce, qui conscius erat mortis fratris sui. Christus loquitur. *Hic* audacter dilatat superbiam suam, gloriatur de incontinentia sua, nec attendit quid fecerit in proximum suum. Ideo nisi se humiliauerit faciam iuxta commune prouerbium. Non leuius plorat, qui post flet, quam qui plorat ante. Nam non leuiorem mortem habebit, quam frater immo amariorem nisi cito se emendet. De confessore Ducis. Christus loquitur. Quid tibi dixit frater ille? Nonne, quia dux bonus est, & melius viuere non potest, excusans incontinentiam eius? Tales non sunt confessores, sed deceptores, qui vadunt tanquam oues simplices. *Sed* verius sunt vulpes, & adulatores. Tales sunt amici illi, qui vident, & proponunt hominibus assumptiones, & deiectiones propter modicum temporale. Ideo si iste frater sedisset in conuentu minus peccasset & minus obtinuisset supplicium, & maiorem coronam. Nunc autem non effugiet manum increpantis, & tribulantis. Quidam cõsuluerunt Dominæ Brigittæ mutare vestes, & denigrare faciem propter Saracenos. Christus loquitur quid consuluit tibi? Nonne deformare vestes, & denigrare facies? Nunquid ego *Deus*, qui præcipio tibi, ne sim sicut ille, qui ignorat futura, aut sicut impotens, qui omnia formidat? Nequaquam, sed ego sum ipsa sapientia, ipsa potentia, qui & omnia præscio, & omnia possum. Ideo tenete modum consuetum in vestibus, & facie, & voluntatem vestram mihi dimittite. Ego enim qui seruaui Saram a manibus captiuantium, seruabo & vos in mari, & terra, & sicut expedit vobis prouidebo vobis.

De Episcopo Alphonso. Mater loquitur. Amicus meus debet diligere me sicut matrem, sicut dominam, sicut filiam, & sicut sororem. Sicut *Matrem* propter ætatem, & propter consilia requirenda. Secundo sicut dominam propter gratiam mihi datam a *Deo*, qui per te ostendit secreta sapientiæ suæ. Tertio sicut filiam, docendo, & consolando, & prouidendo tibi vtiliora. Quarto sicut sororem arguendo cum fuerit opportunum, & admonendo, & incitando ad perfectiora verbis, & exemplis. Item dixit. Ipse debet esse sicut ille, qui portat flores optimos, hi sunt verba mea, quæ dulciora sunt melle sapientibus, & acutiora, & penetrabiliora sagitta, efficaciora remuneratione. Oportet ergo portantem custodire flores a vento, pluuia, & æstu. A vento, scilicet mundanæ locutionis. A pluuia, scilicet carnalium delectationum. Ab æstu

mundani fauoris. Qui enim talibus gloriatur, flores facit vilescere, & seipsum minus idoneum ostendit ad portandum. De Regina Cypri. Filius loquitur, consule Reginæ, quod non redeat ad patriam suam, quia non expedit, sed stet loco quo posita est seruiendo Deo toto corde. Secundo, quod non nubat recipiendo secundum maritum, quia acceptius est Deo plorare commissa, & supplere pœnitentia tempus inutiliter expensum. Tertio, quod homines regni inducat ad mutuam concordiam, & charitatem, & laboret ut boni mores, & iustitia laudabiliter teneantur. Et communitas insolitis grauaminibus non oneretur. Quarto, quod obliuiscatur malorum, quæ in maritum suum commissa sunt propter Deum, & non accendatur ad vindictam, quia ego sum index, & ego iudicabo pro ipsa. Quinto, quod filium suum nutriat cum diuina charitate, constituendo ei consiliarios iustos non cupidos, & familiares pudicos, & compositos, & sapientes, a quibus addiscat timere Deum, regere iuste, compati miseris, fugere assentatores, & adulatores sicut venenum, & consilia iustorum quærere etiam pauperum, & humilium despectorum. Sexto, quod deponat consuetudinem pictorum, & mulierum, in strictis vestibus, & ostensione mamillarum, & vnctionibus, & pluribus vanitatibus, quia omnino sunt Deo odiosa. Septimo, quod habeat confessorem, qui mundum relinquens plus diligat animas quam munera, qui non dissimulet peccata, nec arguere vereatur. Et in his, quæ sunt salutis animæ, obediat ei sicut Deo. Octauo sanctarum reginarum vitas, & mulierum attendat, & inquirat, & laboret quomodo honor Dei augeatur. Nono, quod sit rationabilis in donis suis fugiendo debita, & laudes hominum, quia acceptius est Deo, vel modicum, vel nihil tribuere, quam debita contrahere, & proximum suum defraudare. De coronatione noui Regis. Filius Dei loquitur. Magnum onus est esse regem, & magnus honor, sed maximus fructus. Conderet ergo regem esse maturum, expertum, prudentem, & iustum, & laboriosum, & amatorem vtilitatis proximorum plus quam propriæ voluntatis. Ideo antiquitus bene regebantur regna, quando talis eligebatur in regem, qui & voluit, & sciuit, & potuit regere iuste. Nunc regna non sunt regna, sed puerilia, & delirimenta, & latrocinia, quia sicut latro inquirit modos & tempora, quomodo insidietur, vt obtineat ludra ne noceatur. Sic nunc inquirunt reges adinuentiones, quomodo generatio eorum eleuetur, quomodo pecuniæ imbursentur, quomodo subditi sapienter onerentur, qui & libentius faciunt iniustitiam, vt obtineant bonum temporale. Sed non diligunt iustitiam, vt mercedem obtineant sempiternam. Ideo sapiens sapienter dixit: Væ regno cuius rex puer est, qui delicate viuens, & delicatos habens assentatores, de profectu communitatis nihil angustiatur. Verum quia puer hic non portabit iniquitatem patris. Ideo si proficere voluerit, & implere dignitatē nominis regalis obediat verbis meis, quæ de Cypro prædixi, & non imitetur mores prædecessorum suorum, deponatque leuitates pueri, & inducat viam regiam habendo assistentes tales, qui timeant, & qui non plus diligunt munera eius, quam animam, & honorem eius. Qui odiunt adulationes, & qui veritatem dicere & sequi, & arguere non formidant. Alioquin nec puer lætabitur in populo, nec populus in electo.

CVM DOMINA BRIGITTA existens in Hierusalem dubitaret vtrum in monasterio fratrum minorum montis Syon, vel vtrum in hospitali peregrinorum staret in Hierusalem, & tunc in oratione apparuit Virgo Maria dicens ei, quod in hospitali propter bonum exemplum aliorum.

CAP. XVII.

MATER loquitur: In isto loco montis Syon sunt duo genera hominum. Alii diligunt Deū toto corde. Alij volunt habere Deum, sed mundus dulcior est eis quā Deus, & ideo ne scandalizarentur boni, & ne detur occasio tepidis, & futuris exemplum. Ideo melius est residere in loco peregrinis deputato, Filius enim meus prouidebit vobis de omnibus, sicut sibi placet.

DO-

DOMINA BRIGITTA rogata in Regno Cypri a Domina Elionora Regina dicti Regni, quod ipsa rogaret Deum pro filio suo rege, & pro illo Regno, transiuit tunc in Hierusalem. Et ibi quadam die illa existente in oratione, Christus apparuit ei, & dixit ei ista consilia, quæ deberet scribere dicto Regi, & patruo suo Principi Antiochiæ, & præcepit ei, quod scriberet ea illis quasi a se, & non ex parte Christi.

CAP. XVIII.

Sponsa scribit Regi Cypri & Principi Antiochiæ. Primum consilium est, quod quilibet vestrum cum confessore suo puram, & plenariam confessionem faciat, de omnibus quæ commisit contra Dei voluntatem, & sic recipiatis Benedictum corpus Domini nostri *Iesu* Christi cum timore, & charitate *Dei*. Secundum consilium est, quod ambo sitis vniti in vero amore, ita quod sitis cor vnum ad *Deum*, & honorem eius regendo Regnum ad Dei honorem, & subditorum vtilitatem. Tertium consilium est, quod ambo sitis vniti in vera charitate cum subditis vestris, indulgendo, & parcendo solummodo propter reuerentiam passionis, & mortis *Iesu Christi*, omnibus, qui consilio, facto, vel fauore dederunt operam in morte patris vestri *Regis Petri*, accipiendo illos toto corde in vestram charitatem, ad hoc, vt Deus in sua misericordia recipere vos dignetur, ac etiam vt ipse ad regendum Regnum velit vos roborare ad sui honorem. Quartum consilium est, quod ex quo diuina prouidentia vos constituit gubernatores Regni, adhibeatis omnem diligentiam, quam poteritis in colloquendo, & efficaciter charitatiuo animo consulendo omnibus prælatis tam Ecclesiarum, quam Religionum, quod omnes ipsi & eorum subditi se corrigant in omnibus in quibus a sancto statu priorum sanctorum Patrum suorum prædecessorum, quomodolibet deuiauerunt spiritualiter, vel temporaliter, & ad viuendum perfecte in pristinum statum suorum prædecessorum celeriter se reducant, vt status ipsorum totaliter reformentur, vt sic ipsi, & eorum subditi veraciter emendati obtineant amicitiam Dei, & digni efficiantur ad rogandum *Deum*, quod ipse dignetur statum vniuersalis Ecclesiæ in sanctitate virtutum misericorditer renouare. Quintum consilium est, quod propter illam charitatem magnam, qua Deus dilexit animas vestras, vos velitis diligere animas subditorum vestrorum, consulendo vestro populo militari, quod omnes qui in aliquo Deum offenderant, celeriter, & humiliter se corrigant, & omnes qui sunt sub obedientia Romanæ Ecclesiæ, qui ad annos discretionis peruenerunt, humiliter confessiones exerceant, cum proximis quos offenderant se reconcilient, & concordiam faciant. Reuerenter denique corpus Christi emendati accipiant. Post hæc autem catholicam vitam ducant, viuendo scilicet, fideliter in matrimonio, aut in viduitate, aut etiam in statu laudabili virginitatis. Omniaque illa, quæ sancta Ecclesia præcepit obseruando fideliter, & docendo filios, & subditos, & omnes alios quos poterunt ad sic faciendum suo bono exemplo, aut verbo, & opere charitatis visceribus inducendo, ac eos in talibus statibus suis bonis admonitionibus roborando. Et sciatis certissime, quod omnes, qui in his noluerint obedire, in corpore, & in anima dispendium patientur. Sextum consilium est, quod loquamini cum omnibus prælatis, quod sibi efficaciter, & frequenter admoneant omnes clericos suos, scilicet rectores Ecclesiarum, quod quilibet eorum in parochia sua inquirat diligenter, si aliqui parochianorum sint, qui in aliquibus peccatis publicis male viuendo persistant, & in Dei offensione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ contemptum, & quos taliter inuenerint in suis peccatis publicis impudenter viuendo, eos efficaciter admonendo præcaueant de periculo animarum suarum, & doceant eos tales modos, & spiritualia remedia, per quæ se valeant, & debeant humiliter emendare. Si vero aliqui in publicis peccatis viuentium humiliter obedire noluerint, tunc idem animarum rectores non differant nunciare suis superioribus, & Episcopis, vt talium obstinatorum proteruitas, per Prælatos censura Ecclesiastica iuridice comprimatur, & corrigatur. Si vero prædicti Episcopi, & Prælati propter ipsorum pertinaciam, & superbiam, aut propter eorum temporalem potentiam

tiam, illos corrigere nequiuerint, & punire. Tunc vobis Dominis meis consulitur, quod vestra potenti manu sitis cooperatores dictorum Dominorum Prælatorum, vt auxilio vestro, & fauore dicti peccatores inducti corrigantur, & emendati misericordiam Dei consequantur.

REVELATIO FACTA Dominæ Brigittæ in Sancta Ciuitate Hierusalem super Regno Cypri, & eius reformatione, quam transmisit ipsa Domino Regi, & Principi Antiochiæ, quod publicarent eam toti Regno, & quia Princeps prædictus non præbebat fidem perfectæ isti reuelationi, ideo dicta Domina in reuersione sua de Hierusalem publicauit eam in Ciuitate Famagusta octaua die Octobris in præsentia dicti Domini Regis, & Reginæ, & dicti Principis Antiochiæ dicti Regni, & totius Regalis Consilij.

CAP. XIX.

Contingit vni personæ vigilanti, & orationi vacanti, quod cum staret in extasi contemplationis suspensa, videbat se captam esse in spiritu in vnum palatium, quod erat incomprehensibilis magnitudinis, & pulchritudinis indicibilis. Videbatur quoque sibi Iesus Christus sedere inter sanctos suos in Imperiali Sede maiestatis, qui suum benedictum os aperiens proferebat hæc verba, quæ inferius annotantur. Ego vere sum ipsa summa charitas, omnia enim, quæ ab æterno feceram ex charitate feci, & similiter omnia quæ facio, & in futurum faciam, totum ex mea charitate procedit. Nam charitas ita incomprehensibilis, & intensa nunc in me est, sicut erat in tempore passionis meæ, quando per mortem meam ex nimia charitate liberaui de inferno omnes electos, qui hac redemptione & liberatione digni erant, quia si adhuc possibile esset, quod ego toties morerer, quot sunt animæ in inferno. Ita quod pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hæc omnia, cum libenti voluntate, & perfectissima charitate. Sed vere iam impossibile est, quod corpus meum possit amplius mori, seu aliquam pœnam, vel tribulationem pati. Et sic etiam impossibile est, quod aliqua anima, quæ post mortem meam est, vel fuerit in infernum condemnata, inde vnquam amplius liberetur neque fruatur cœlesti gaudio, quo fruuntur sancti, & electi mei, ex corporis mei glorifica visione; sed sentient infernales pœnas in æterna morte, quia noluerunt frui beneficio mortis, & passionis meæ, neque voluerunt sequi voluntatem meam dum vixerunt in mundo. Cœterum, quia super offensas mihi factas nullus est iudex nisi ego ipse, & propter hoc charitas mea, quam hominibus semper ostendi, conqueritur coram iustitia mea. Ideo ad iustitiam pertinet super hoc iudicare, secundum meam voluntatem. Modo ego conqueror super habitatores Regni Cypri, quasi super vnum hominem. Sed non conqueror de amicis meis ibidem habitantibus, qui me toto corde diligunt, & meam in omnibus voluntatem sequuntur. Sed ad illos omnes, quasi ad vnam personam conquerendo loquor, qui me contemnunt, & meæ voluntati semper obsistunt, mihique permaxime aduersantur, & idcirco nunc incipio loqui omnibus eis tanquam vni. O popule Cypri mihi aduersarie, ausculta, & attende diligenter, quæ dico tibi. Ego te dilexi sicut pater vnicum filium suum, quem ad omnem honorem voluit exaltare. Ego disposui tibi terram in qua abundanter posses habere omnia necessaria, ad sustentationem corporis tui. Ego misi tibi Spiritus sancti calorem, & lumen, vt intelligeres rectam fidem Christianam. Cui tu fideliter te obligasti, & sacris statutis, ac obedientiæ Sanctæ Ecclesiæ humiliter subiugasti. Ego etiam locaui te in loco, qui bene decens esset seruitori, videlicet inter inimicos meos, vt pro tuis laboribus terrenis, & corporali certamine præliorum, obtineres in Regno meo cœlesti preciosiorem coronam. Ego quoque portaui te diu in corde meo, idest in charitate deitatis meæ, & custodiui te sicut pupillam oculi, in omnibus aduersitatibus, & tribulationibus tuis. Et quamdiu tu præcepta mea seruasti, & obedientiam, & statuta Sanctæ Ecclesiæ fideliter custodisti, tunc certissime quasi infinitæ animæ Regni Cypri peruenerunt ad Regnum meum Cœleste, æterna gloria mecum perenniter

Digitized by Google

niter fruiturae. Sed quia tu iam facis tuam propriam voluntatem, & omnia illa, quae delectant cor tuum. Non timens me, qui iudex tuus sum, nec diligens me, qui Creator tuus sum, qui etiam te redemi durissima morte mea, & ex ore tuo expuisti sicut rem fetidam, & insipidam, & quia etiam inclusisti diabolum simul cum anima tua in camera cordis tui. Me quoque inde expulisti tanquam furem, & latronem. Neque magis erubescis in conspectu meo peccare, quam irrationalia animalia in commixtione sua. Idcirco digna iustitia est, & iustum iudicium, quod tu de coelo expellaris ab amicis meis, & colloceris perpetuo in inferno in medio inimicorum meorum. Et hoc indubitanter scias, quod Pater meus, qui est in me, & ego in eo, & Spiritus sanctus in nobis ambobus, ipse est mihi testis, quod nunquam nisi veritas exiuit de ore meo, propter quod veraciter scias, quod quicunque ita dispositus fuerit sicut tu modo es, & se emendare noluerit, ipsius anima ibit eandem viam quam Lucifer iuit propter superbiam suam, & Iudas qui me vendidit propter cupiditatem suã, & Zambri quem Phinees interfecit propter luxuriam suam. Ille, quidem peccauit cum muliere contra praeceptum meum. Ideo post mortem suam anima eius damnata fuit ad infernum. t Propterea popule Cypri annuncio tibi, quod si tu nolueris te corrigere, & emendare, tunc ego generationem, & progeniem tuam ita delebo in Regno Cypri, quod nec pauperi parcam personae, nec diuiti, ita etiam delebo eandem generationem tuam, quod in breui tempore ita labetur memoria tua a cordibus hominum, ac si nunquam fuissetis nati in hoc mundo. Postea autem placet mihi plãtare nouas plantas in hoc Regno Cypri, quae praecepta mea perficient, & toto corde me diligent. Sed tamen sciatis pro certo, quod quicunque vestrum voluerit se corrigere, & emendare, & ad me cum humilitate reuerti, ego ei gaudenter occurram, vt pius pastor, leuando ipsum super humeros meos, & ad oues meas personaliter eum reportando. Per humeros enim meos hoc intelligo, quod beneficio passionis, & mortis meae, quam corpore, & humeris meis sustinui, qui se emendauerit, particeps erit, & percepturus mecum aeternam consolationem in Regno coelorum. Noueritis etiam certissime, quod vos inimici mei in dicto regno habitantes, non eratis digni, vt talis visio, seu mea diuina reuelatio vobis mitteretur. Sed aliqui amici mei in eodem regno existentes, qui mihi fideliter seruiunt, & me toto corde diligunt, laboribus suis, & precibus lacrymosis inclinauerunt me ad hoc, vt facerem vos intelligere per istam meam reuelationem graue vestrarum periculum animarũ. Quia aliquibus dictorum amicorum meorum ibidem a me diuinitus monstratum fuit, quam innumerabiles animae de dicto Regno Cypri a Caelesti gloria excluduntur, t
& ad gehennalem mortem aeternaliter condemnantur. Ista autem supradicta verba loquor ego ad illos Christianos latinos, obedientiae Romanae Ecclesiae subiectos, qui mihi in baptismo rectam fidem Romanam catholicam deuouerunt, & per opera mihi contraria a me totaliter recesserunt. Graeci autem, qui sciunt, quod omnes Christianos tenere oportet vnam tantum fidem Christianam Catholicam, & vni tantummodo subesse Ecclesiae, scilicet Romanae. Vnumque solum Vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum Summum Pontificem supra se spiritualem habere pastorem, & tamen nolunt se eidem Ecclesiae Romanae, & Vicario meo spiritualiter subijcere, & humiliter subiugare propter eorum pertinacem superbiam, & propter cupiditatem, vel propter carnis petulantiam, siue propter aliquod aliud, quod ad mũdum pertinet, indigni sunt post mortem veniam a me, & misericordiam obtinere. Alij vero Graeci, qui desideranter vellent, sed scire non possunt fidem catholicam Romanam, & tamen si scirent, & possent eam deuote, & libenter reciperẽt, & Romanae Ecclesiae se humiliter subiugarent, & nihilominus secundum ipsorum conscientias in statu, & fide sua in qua sunt, abstineat a peccando, & pie viuunt. Istis talibus post ipsorum mortem in supplicijs misericordia mea debetur, quando ipsi ad iudicium meum vocati fuerint. Sciant etiam Graeci, quod eorum imperium, & regna, siue dominia, nunquam stabunt secura, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subiecti erunt, a quibus semper sustinebunt grauissima damna, & miserias diuturnas donec ipsi cum vera humilitate, & charitate Ecclesiae, & fidei Romanae se deuote subiecerint eiusdem Ecclesiae Sacris Constitutionibus, & ritibus se totaliter conformando. His autem sic visis, & auditis in spiritu, vt praefertur, dicta visio disparuit, & remansit in oratione dicta persona non modico pauore, & admiratione suspensa.

NO-

NOTAE.

1 PRopterea Popule Cypri annuncio tibi, quod si tu nolueris te corrigere, & emendare, tunc ego generationem, & progeniem tuam ita delebo in Regno Cypri.

Hæc omnia, quæ in præsenti capite Beatissima Brigitta de Regno Cypri prædixit, euenisse historias legenti constare poterit, quæ de re, vt cæteros omittam, satis erit hoc loco probatissimi authoris Nicolai Sanderi verba referre; is enim libro sexto Visibilis Monarchiæ num. ... post relatam de hoc Regno præsentem reuelationem, rem hanc his verbis explicat. Quam inquit reuelationem vere Diuinam extitisse ex eo scimus, quod ita res tunc futuras prædixit, vt eas euenisse nunc videmus; nam Sancta Brigitta multis annis prius mortua est, quam tota Græcorum Respublica penitus deleretur, futura vero prædici non possunt, præterquam a Dei spiritu, qui solus futura nouit, velut is, qui & auctor est eorum, & cui iam nunc præsentia existunt. Idem insinuauit Thomas Bozius libro sexto de Signis Ecclesiæ signo 19. cap. secundo, & latius de eadem re egit Antonius Guarnerius in Historia, quam edidit de Bello Cyprio. Verum hoc loco omittendum non est, quod in præsenti capite insinuatur, huius nimirum Regni ruinæ vitium carnis potissimum causam præbuisse, ex quo factum est, vt Deus permiserit, vt illud funditus euerteretur, & hinc est, quod Dominus de his gentibus illis verbis conquærebatur, quæ habentur circa medium huius capitis ibi (neque magis erubescis in conspectu meo peccare, quam irrationalia animalia in commistione sua) atque huiusmodi homines sic in venerem effusos, & in luxuriam, ac carnis voluptatem pronos extitisse affirmat Antonius Guarnerius libro primo circa medium de bello Cypri, vt & quosdam sensisse referat Venerem in Cypro natam esse, ibique sedem suam, ac domicilium collocasse.

IN REGNO CYPRI quidam frater minor rogauit dictam Dominam, quod ipsa consuleret ei quid deberet facere super aliquibus dubijs suæ conscientiæ, specialiter super obseruantia regulæ Ordinis sui. Quæ quidem Domina, cum staret quadam die orando in sancta ciuitate Hierusalem pro fratre supradicto, Christus apparuit ei, & alloquebatur eam dicens, multa de ordine minorum, & in fine comminatur omnes Religiosos proprietarios æterna morte.

CAP. XX.

INfinita gratiarum actio, & humile seruitium, Laus, atque honor sit Deo in sua potentia, & maiestate æterna, 1 qui est vnus Deus in tribus personis. Cuius immensæ Bonitati placuit, vt sua dignissima humilitas ad vnam personam in oratione existentem loqueretur dicens sic. Audi tu, cui datum est audire spiritualiter, & videre, & diligenter tene in memoria tua hæc verba mea. Homo quidam erat Franciscus nomine, qui dum se conuertit a mundana superbia, & cupiditate, & a carnis vitiosa delectatione ad spiritualem vitam pœnitentiæ, & perfectionis, tunc obtinuit veram contritionem omnium peccatorum suorum, & perfectam voluntatem se emendandi dicens. Nihil est in hoc mundo, quod non volo libenter dimittere propter amorem, & honorem Domini mei Iesu Christi, nihil est etiam tam durum in hac vita, quod non volo gratanter sustinere propter eius charitatem, faciendo propter eius honorem omnia, quæ ego potero iuxta meas vires corporis, & animæ, & omnes alios quoscunq; potero volo ad hoc inducere, & roborare, vt Deũ super omnia diligant toto corde. Istius Francisci regula quam ipse incepit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu, & prudentia, sed a me secundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea scriptum est, a spi-

a spiritu meo fuit sibi aspiratum, & postea ipse alijs regulam illam protulit, & porrexit. Ita etiam omnes aliæ regulę quas amici mei inceperunt, & ipsi personaliter tenuerunt, & seruauerunt, aliosque eas efficaciter docuerunt, & porrexerunt, non fuerunt dictatę, & compositę ab ipsorum intellectu, & humana sapientia, sed aspiratione eiusdem Spiritus sancti. Istius Francisci fratres, qui minores dicuntur, tenuerunt, & bene seruauerunt illam regulam eius per aliquos annos, & valde spiritualiter, & deuote secundum omnem meam voluntatem, de quo diabolus hostis antiquus magnam inuidiam, & turbationem habuit, ex eo quod dictos fratres tentationibus, & fraudibus suis deuincere non valebat. Quæsiuit igitur diabolus diligenter, vbi posset vnum hominem inuenire, in quo suum malignum spiritum, cum ipsius hominis voluntate posset commiscere. Qui tandem vnum clericum inuenit, sic intra se cogitantem. Ego libenter vellem esse in tali statu, vbi possem habere mundi honorem, & corporis mei delectationẽ, & ibi possem tantam pecuniam congregare, quod nihil deficeret mihi de omnibus, quæ ad necessitatem, & delectationem meam pertinerẽt. Ego igitur intrare volo ordinem Francisci, & fingam me valde humilem, & obedientem. Et sic cum ista intentione, & voluntate præfatus clericus intrauit dictum ordinem, statimque diabolus intrauit in cor eius, & sic dictus clericus factus est frater in dicto ordine. Considerauit autem diabolus taliter intra se, sicut Franciscus vult multos trahere de mundo cum sua humili obedientia, ad recipiendum magna pręmia in coelo. Ita iste frater meus, qui aduersarius nominabitur, ex eo, quod Francisci regulæ aduersarius erit, multos de ordine Francisci trahet de humilitate ad superbiam, de rationabili paupertate ad cupiditatem, de vera obedientia ad faciendum propriam voluntatem, & ad sequendum corporis delectationem. Frater aduersarius autem prædictus cum intrauit ordinem Francisci, statim cœpit sic intra se cogitare ex diabolico instinctu. Ego me ostendam ita humilem, & obedientem, quod omnes me reputabunt sanctum. Quando alij ieiunant, & silentium tenent, tunc ego cum specialibus socijs contrarium faciam, videlicet comedendo, & bibendo, & loquendo, ita occulte, quod nullus aliorum hoc sciat, nec intelligat. Ego etiam secundum dictam regulam non possum licite pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum possidere, & ideo aliquem specialem amicum habere volo, qui pecuniam, & aurum meum teneat secrete secum ex parte mea, vt illa pecunia vtar ego ad voluntatem meam. Ego etiam addiscere volo artes liberales, & scientiam ad hoc, vt ex illa honorem, & dignitatem aliquam habere valeam in ordine habendo æquos, & vasa argentea, & pulchras vestes, ac pręciosa ornaméta, & si aliquis pro istis me arguerit respondebo ei, quod hoc facio propter honorem ordinis mei. Si etiam ego adhuc tantum laborare, & facere possem, quod fierem Episcopus, tunc vere fœlix, & beatus essem pro tali vita, qualem, tunc ducere possem, quia tunc ego essem in propria libertate mea, & haberem omnem delectationem corporis mei. Audi modo tu quid diabolus fecerat in prædicto ordine Francisci. Nam vere, ita est, quod plures sunt illi fratres in mundo, qui tenent, aut opere, aut voluntate, & desiderio regulam prædictam, quam diabolus docuit fratrem aduersarium, quã illi, qui seruant regulam illam, quam ego ipse edocui fratrem Franciscum. Scias tamen, quod quamuis isti fratres, scilicet, Francisci, & fratris aduersarij commixti sunt quamdiu viuunt in mundo. Attamen ego separabo eos post mortem, quia iudex eorum sum, & iudicabo fratres regulę Francisci ad permanendum mecum, simul cum Francisco, in æterno gaudio. Illi autem, qui sunt de regula fratris aduersarij, iudicabuntur ad pœnas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere, & humiliter emendare. Nec est mirandum de hoc, quia illi, qui deberent mundanis hominibus dare humilitatis, & sanctitatis exempla, ipsi præbent eis exempla vilia, & ribalditia cum sua cupiditate, & superbia. Et ideo certissime sciant dicti fratres, quod tã ipsi quã cęteri religiosi quibus regula prohibet habere proprium, & tamen habent aliquod proprium contra regulam suam volentes per bonum me placare, quod inde aliquam partem mihi conferunt, eorum munera abominabilia sunt mihi, & exosa, nec aliqua remuneratione bona sunt digna. Magis enim mihi gratum, & placitum est, quod paupertatem beatam, quã professi sunt secundum regulas suas diligẽter obseruent, quam quod totum aurum, & argentum, ac etiam omnia metalla, quæ in mundo sunt, mihi præsentarent. Scias etiam tu, quæ verba mea audis, quod non fuisset tibi licitum istam præfatam visionem scire, nisi propter vnum bonum seruum meum, qui ex toto corde suo pro illo fratre minore sinceriter me rogauit, qui desiderabat eidem fratri consulere aliqua consilia vtilia suę animæ ex diuina charitate. His autem visis, & auditis hæc visio disparuit.

VISIO QVAM HABVIT Domina Brigitta in Bethleem, vbi Virgo Maria ostendit ei totum modum sui partus qualiter ipsa peperit gloriosum filium suum, sicut ipsa Virgo promiserat eidem dominæ Brigittæ in Roma antequam iret ad Bethleem per xv. annos, vt patet in primo capitulo istius vltimi libri.

CAP. XXI.

CVM essem ad præsepe domini in Bethleem, Vidi quandam Virginem prægnantem pulcherrimam valde, indutam albo mantello, & subtili tunica, per quam ab extra eius carnes virgineas clare cernebam. Cuius venter plenus, & multum tumidus erat, quia iam parata erat ad pariendum. Cum qua senex quidam honestissimus erat, & secum habebant ambo vnum bouem, & asinum.

1 Qui cum intrassent speluncam, Senex
2 ille ligatis boue, & asino ad præsepe exiuit extra, & portauit ad Virginem candelam accensam, fixitque eam in muro, & exiuit extra ne partui personaliter interesset. Virgo igitur illa tunc discalceauit calciamenta pedum suorum, & discooperuit mantellum album quo operiebatur, amouitque velũ de capite suo, & iuxta se reposuit ea, remanẽs in sola tunica, capillis pulcherrimis
3 quasi de auro extẽsis super spatulas. Quæ tunc duos panniculos lineos, & duos laneos mundissimos, & subtiles extraxit, quos secum portabat ad inuoluendum nasciturum infantem, & duos alios paruulos lineos ad cooperiendum, & ligandum caput illius, ipsosque posuit iuxta se, vt eis vteretur tempore debito. Cumque hæc omnia sic parata essent, tunc Virgo genuflexa est cum magna reuerentia ponens se ad orationem, & dorsum versus præsepe tenebat, faciem vero ad cœlum leuatam, versus orientem.
4 Eleuatis igitur manibus, & oculis in cœlum intentis, stabat quasi in extasi, contemplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine. Et sic ipsa in oratione stante, vidi tunc ego moueri iacentem in ventre eius, & illico in momento, & ictu oculi peperit filium, a quo tanta lux ineffabilis, & splendor exibat, quod sol non esset ei comparabilis, neque candela illa, quam posuerat senex, quoquomodo lumen reddebat, quia splendor ille diuinus splendorem materialem candelæ totaliter adnihilauerat, & tam subitus, & momentaneus erat ille modus pariendi, quod ego non poteram aduertere, nec discernere quomodo, vel in quo membro pariebat.
5 Verumtamen statim vidi illum gloriosum infantem iacentem in terra nudum, & nitidissimum. Cuius carnes mundissimæ erant
6 ab omni sorde, & immundicia. Vidi etiam pellem secundinam iacentem prope eum inuolutam, & valde nitidam. Audiui etiam tunc cantus Angelorum mirabilis suauitatis, & magnæ dulcedinis. Et statim venter Virginis, qui ante partum tumidissimus erat retraxit se, & videbatur tunc corpus eius mirabilis pulchritudinis, & delicatum. Cum igitur Virgo sensit se iam peperisse, statim inclinato capite, & iunctis manibus cum magna honestate, & reuerentia, adorauit puerum, & dixit illi. Bene veneris Deus meus, Dominus meus, & filius meus, & tunc puer plorans, & quasi tremens præ frigore, & duritia pauimenti vbi iacebat voluebat se paululum, & extendebat membra, quærens inuenire refrigerium, & matris fauorem, quem tunc mater suscepit in manibus, & strinxit eum ad pectus suum, & cum maxilla, & pectore calefaciebat eum cum magna lætitia, & tenera compassione materna. Quæ tunc sedens in terra posuit filium suum in gremio, & recepit cum digitis subtiliter vmbilicum eius, qui statim abscisus est, nec inde aliquis liquor, aut sanguis exiuit. Et statim cœpit eum diligenter inuoluere primo in panniculis lineis, & postea in laneis, & stringens corpusculum, tybias, & brachia eius cum fascia, quæ suta erat in quatuor partibus superioris panniculi lanei. Postea vero inuoluit ligando in capite pueri illos duos panniculos lineos quos ad hoc paratos habebat. His igitur completis intrauit senex, & prosternens se ad terram genibus flexis, adorando eum plorabat præ gaudio. Nec tunc in partu Virgo illa immutabatur colore, vel infirmitate, nec in ea defecit fortitudo aliqua corporalis, sicut in alijs mulieribus parientibus fieri solet, nisi quod venter eius tumidus retraxit se ad priorem statum, in quo erat antequam puerum conciperet. Tunc autem surrexit illa habens puerum in vlnis suis, & simul ambo scilicet ipsa, & Ioseph posuerunt eum in præsepio, & flexis genibus adorabant eum cum gaudio immenso & lætitia.

NO-

NOTAE.

1 QVi cum intrassent speluncam.

In præsenti nota, locus, in quo Saluator noster Christus natus est, spelunca appellatur, quem sic quoque Patres vocasse constat ex Origene libr. 1. contra Celsum, Epiphanio hæresi 51. Greg. Nissen. oratione de sancta Christi Natiuitate, Theodoreto lib. 8. Græcanicarum affectionum, D. Hierony. epistola 18. qui ad Marcellam scribens, quo inquit sermone, qua voce speluncam Saluatoris exponam, & illud præsepe, in quo infantulus vagijt silentio magis, quam infirmo sermone honorandum est, hanc vero speluncam fuisse prope muros Bethleem probat Cardinalis Baronius ex Burcardo tomo 1. Annalium in principio, erat inquit Bethleem supra collem in longum porrectum posita, in cuius extremitate orientem versus sub rupe quadam existente, tunc temporis iuxta muros ciuitatis erat stabulum, ac præsepe Domini excisum in Rupe. Ex his satis aperte colligitur, Saluatorem nostrum extra vrbem Bethleem natum fuisse, in suburbijs tamen in loco vicinissimo. Cæterum Ioannes Maldonatus Societatis Iesu Theologus in comment. super Lucam cap. 2. ad illa verba, & reclinauit eum in præsepio, existimat, stabulum illud, seu speluncam extitisse in ipsamet vrbe Bethleem, in qua affirmat dicendum esse Christum necessario natum esse, propter prophetiam Michea, qui ca. 5. suarum Reuel. prædixit, Saluatorem in ea fore nasciturum, quibus addendum est, quod ex Patribus plures videntur innuere locum illum esse intra muros Bethleem, vt D. Hieron. in Epitaphio Paulæ epistola 27. Bethleem inquit ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum: & Ciprianus de Natiuitate Christi loquens de Magis, veniunt ait in Bethleem quem prædixit Gabriel, & inueniunt Emanuel. Cæterum si horum duorum Patrum verba recte perpendantur, satis aperte colligitur, eos non affirmasse locum illum esse intra muros Bethleem, nam quod dicit D. Hieron. Bethleem ingressa, & Ciprianus pastores veniunt Bethleem, non concludit illud diuersorium esse intra muros vrbis, nam optime dicitur, quis ingredi, & venire Bethleem, qui intra confines, & terminos ingreditur Bethleem, quod eo verius esse censeo, cum D. Hieron. epistola 17. & 18. affirmet locum illum esse in suburbijs Bethleem, & fauet Eusob. lib. 7. de demonst. cap. 2. demost. 4. & Nicephorus lib. 1. hist. cap. 13. neque huic obstat, quo minus Christus in Bethleem natus dici non possit, quoniam appellatione Bethleem veniunt suburbanæ domus, verissima ergo est sententia tot grauissimorum doctorum asserentium, illum locum esse extra muros Bethleem, ibique Redemptorem nostrum natum esse: quod vt animaduertit Caetanus in comment. super 3. p. S. Thomæ q. 35. a. 7. diuino factum est consilio, vt scilicet huius Natiuitatis excellentia, & Matris Virginitas occultaretur, vtque remotis arbitris, proculque ab amicis, & cognatis, & extra proprium domicilium Virgo pareret, his addendum, quod & oportuisset obstetricem vocare, & si ipsa non vocasset consanguinei hoc fecissent, tum quia necessarium fuisset, ea adhibere, quæ in partu communiter necessaria sunt, & postremo, quia oportebat pastorum, & magorum adorationem, absque tumultu, & publica manifestatione, ac multorum admiratione fieri, qua de re legendus est etiam Franciscus Suarez super 3. par. S. Thomæ qu. 35. disp. 13. sect. 3. qui fauet huic opinioni.

2 Senex ille ligatis Boue, & Asino ad præsepe exiuit extra.

Noluit interesse Ioseph: Virgineo partui, quippe cum sciret nasciturum esse cælorum terreque Dominum, ac humani generis Redemptorem, se iudicauit indignum, vt tanto præsens esset mysterio: si enim, vt lib. 4 Reuela. cap. 18. nota prima, & lib. 6. cap. 59. nota tertia, probauimus ex Origene, & Bernardo voluit ille Mariam dimittere, indignum se reputans habitare cum ea, multo magis credendum est, se indigniorem iudicasse, vt Christi Domini Natiuitati personaliter adesset, exiuisse ergo foras scribitur hic, tum ob rationem adductam, tum ob reuerentiam maximam, quam erga Virginis personam gerebat, quam de Spiritu sancto concepisse crediderit, auctoribus Origene, & D. Bernardo locis supra a nobis citatis. Quod autem fuerint in Diuersorio, vbi natus est Dominus, Bos, & Asinus fuit sententia antiquorum Patrum, Gregorij Nazianzeni in oratione in Christi Natiuitatem, Gregorij Nisseni orat. de Natiuitate, Cyrilli Hierosolymitani Chathechesi 12. D. Augustini oratione contra iudæos, & Paganos cap. 13. D. Hieronymi epistola 27. ad Eustochium, cuius rei rationem reddunt, & quidem D. Chrisost. hom. 1. in Lucam, id factum esse existimat, vt compleretur Vaticinium Isaiæ Prophetæ cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, & Abacuc. 3. inquit, consideraui opera tua, & expaui in medio duorum animalium cognosceris, an vero hæc duo animalia fuerint Iosephi, apud vulgum opinio quædam inoleuit, Asinum ductum fuisse a Iosepho, vt eo grauida Maria veheretur, Bouem vero, vt venderet, & censum debitum solueret, verum hoc mihi parum arridet, quandoquidem D. Chrisost. loco citato arbitratur Iosephum, & Mariam adeo fuisse pauperes, vt hæc non habuerint animalia, quicunque, inquit, pauper est consolationem accipiat, Ioseph, & Maria Mater Dei non habebant seruulum, ancillam nõ de Galilea de Nazaret soli veniunt, nec habebant iumentum, hæc Chrisost. cui addendum

dum est, quod neque indigebant Asino, quo veheretur Maria grauida, nam vt egregie annotarūt D. Bernard. hom. 12. in illa verba Apocalips. signū magnum apparuit, Fulgentius serm. de laudibus Mariæ, Nicephorus libr. 1. cap. 12. Mariæ vterus neque grauis, neque molestus extitit, nam quæ sine viro concepit, sine dolore peperit, credendum etiam est, vterum absque molestia gestasse, non ergo vicinitas partus obstabat, quo minus in Bethleē pedibus venire posset.

3 Quæ tunc duos panniculos lineos, & duos laneos mundissimos, & subtiles extraxit.

Quales fuerint fasciæ, aut panni, quibus natus Saluator noster inuolutus est, ex verbis præsentis notæ satis aperte cognoscimus, non enim erant serici, sed ex lino, & lana confecti, viles quidem, sed mundi, & candidi, non sordidi, constat namque Mariam, & Iosephum adeo pauperes extitisse, vt pannos non solum non habuerint pretiosos ad inuoluendum natum puerum, vt nec illi prægnanti quidem aut parienti locus fuerit in diuersorio, vt necesse fuerit infantem in Præsepio cum animalibus brutis præ inopia ponere, quod animaduertens D. Bernard. serm. 3. de Natali Domini, nascitur, inquit Dei filius in cuius arbitrio erat, quod cumque velle eligere, tempus elegit, quod carni molestius est præsertim paruulo, & pauperis Matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum, Præsepe ad reclinandum. Eosdem quoque pannos fuisse viles tradit D. Augustinus serm. de Natali Domini cum ait in stabulo nascitur, & a Matre Maria vili fascia cingitur, & in præsepio reclinatur, non erat ei Cedrina domus, nec lectus eburneus, in quo pareret creatorem, & omnium poneret Redemptorem, idcirco velut exul, & peregrina in aliena domo, mundi Dominum peperit, & tanquam fœmina pauper non sericis, sed pannis vilibus inuoluit, & in præsepio collocauit.

4 Erectis igitur manibus, & oculis in cælum intentis stabat quasi in extasi contemplationis suspensa.

Omnino credendum est Mariam, ea nocte felici qua Christum Redemptorem parere debebat, non somno fuisse deditam, sed continuis orationibus intentam, hoc enim est, quod scribitur hic, stabat quasi extasi contemplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine, sic orantem Saluatorem nostrum peperisse, vnde non est mirum si cap. immediate sequente legimus, quod ipsa genuflexa orando sola in stabulo peperit, cuius rei fidem etiam facit Canisius lib. 4. de Virgine Deipara cap. 9. neque enim inquit somno oppressa sedebat, quam in summa esset puerperij expectatione, nec deceret imparatam esse sponsam, de cuius thalamo sponsus ille mox erat processurus, media, & in tempesta nox aderat, quando reliquis altum stertentibus Virgo, vt solebat sacras egit excubias, diuinis internis contemplationibus, cœlesti luce circumfusa, & in extasi velut absorpta, dum circa sublime, & arcanum Beatissimæ Trinitatis mysterium incomprehensibili modo philosophatur, tunc demum Maria sensit impleri, quod alicubi scriptum legimus, dum medium silentium, &c.

5 Veruntamen statim vidi illum gloriosum infantem iacentem in terra, mundum, & nitidissimum.

Verba præsentis notæ nobis ansam præbent, vt quæramus, quis fuerit ille locus, quem Saluator noster mox, vt de sacratissimo Virginis vtero prodijt primo suo immaculato corpore tetigerit, & quidem hic innuitur terram fuisse, seu pauimentum illius speluncæ, in qua natus est, cum enim ibi, nulla fuerit obstetrix, vt contra Heluidiū probat Hieron. & Cipr. ser. de Natiuit. D. Thomas 3. pa. q. 35. ar. 6. ad tertium argumentum, certe non fuit primo alicuius obstetricis manibus receptus, ergo vel manus, & Brachia Virginis dicendum est fuisse primum locum, quem primo natus Christus occupauit, vt censet Caetanus in locum citatum S. Thom. vel fuit ipsa met terra, quod si verum est, ingens profecto, vel in principio sui ortus Christus nobis humilitatis reliquit exemplum, eoque magis, quod vt refert Lodulphus de vita Christi p. 1. cap. 9. Maria Virgo, cum suum filium in præsepio collocauit & Puluinar non haberet, eius capiti lapidem supposuit, interposito forte fœno, quod ab animalibus mutuo accepit, quem lapidem ibi, vsque ad hæc tempora asseruari affirmat, verum Christum Dominum recenter natum, etiam Angelorum manibus fuisse susceptum, plures arbitrati sunt, asserentes hoc ad ipsius Christi dignitatem spectare, & B. Virgini huiusmodi gaudium, & amoris significationem competere, sed quicquid sit si quis nosse cupit, quomodo Maria erga natum recenter puerum se gesserit, legat Cipr. vbi supra, qui sic ea de re loquitur, Genetrix est Obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exibet clientelam, attrectat, amplectitur, ingit oscula, porrigit Mamam, & totum negotium plenum gaudij, Plura etiam, quæ ad hanc rem faciunt annotauit Canisius lib. 4. de Virg. cap. 9. 1

6 Vidi etiam pellem secundinam iacentem prope eum inuolutam, & valde nitidam.

Opere pretium esse duxi ad horum intelligentiam inuestigare breuiter, quid secundina sit, quam hoc loco B. Brigitta vidisse testatur, postea vero videbimus, an huiusmodi secundinæ, cum Christus de vtero Matris prodijt, fuerint necne. Et quantum spectat ad primum Aristot. 2. de Gener. Animalium cap. 4. & Galenus de formatione fœtus affirmant, quod cum homo concipitur, membranæ quædam in Matris vtero formantur, in quibus fœtus inuoluitur, ibique vsque ad Natiuitatis tempus moratur: hæ autem ab aliquibus dicuntur folliculæ, quia simul cum infante nascuntur, continentque eum, sic tradit D. Isidorus lib. 11. Etimolog. cap. 1. Sed Albertus Bottinus Medicus, & Philosophus insignis de morbis mulieribus lib. 1. cap. 3. Cornam secundinam appellat, & aliud non esse dixit, quam vasorum

vaserum omnium vteri radicatio quædam per hanc enim vasa omnia seruatur quæcumque secundis insunt. communiter tamen secundino appellari consueuerunt, horum autem primaria functio ad alimentum fœtus pertinet, qui per vmbelicum secundinis iungitur, per quas a Matre sanguinem sugit; ideoque illas venis esse refertas ferunt, cum vero Natiuitatis tempus instat, franguntur illæ, vt proles egrediatur, & post ortum subinde eas Mater emittit simul cum aliquali copia quarundam humiditatum, & sanguinis, quem ad nutriendam prolem ad eas natura amandauerat, his declaratis.

Dicendum est primo Mariam Virginem absque sanguinis fluxu peperisse, quod nos late probauimus lib. 6. Reuelat. cap. 57. nota prima ex Cipriano, Grgor. Nazianz. & Epiphanio, & patet etiam ex sexta Sinodo act. ij. & Sophronio, qui in sua epistola vocat partum illum incorruptibilem, quia scilicet absq; fluxu sanguinis perfectus est, indicat hoc idem D. Thomas 3. pa. qu. 35. art. 6. ad tertium verum si quis quærat quid de illo sanguine factum sit, qui intra secundinas inclusus nutritioni fœtus inseruiebat, respondent aliqui Beatissimam Virginem tempore partus superfluum sanguinem, quem euacuaret non habuisse, sed eum tantummodo, qui ad sui corporis nutritionem, suumque filium nutriendum sufficeret; alij vero existimarunt membranas, simul cum sanguine diuina virtute fuisse resolutas in praiscentem materiam, aut etiam sanguinem illum fluxisse in Mammas, quarum virtute albescens lactis acceperit qualitatem, sic enim communiter fieri arbitratur D. Isidorus loco citato cum inquit, post partum si quid sanguinis non dum fuerit in vteri nutrimento consumptum, naturali meatu fluit in mammas, & earum virtute albescens, lactis accipit qualitatem: cæterum in partu Virginis penitus abfuisse sãguinis fluxũ, vt probauimus: colligitur etiam ex verbis præsentis nota cum dicitur, vidi pellem secundinam valde nitidam, ergo si erat nitida non erat aspersa sanguine, quod autem simul, cum virgineo partu legamus etiam prodijsse huiusmodi secundinam pellem non videtur, nec derogare puritati partus, neque integritati Virginis, spectat namque ad illius puritatem, virginisque integritatem, quod absque hominis aliquo adminiculo sit formatus fœtus, ibique nulla interueniat, aut immunditia, aut libidinis nota, in Natiuitate autem Redemptoris nostri nihil horum inuentum est, omnia namque Spiritu sancti virtute facta sunt, & quanquam per Genitales meatus Christus natus sit, vt consueuerunt alij homines nasci, id tamen citra fœditatem, ac turpitudinem aliquam, & absque inquinamentis accidit, vt egregie annotauit Epiphanius lib. 3. contra hæreses in fine, voluit ergo sic honorare naturam nostram teste Greg. Nazianz. orat. 16. de amore pauperum non longe a principio illam assumendo, cum omni proprietate absque macula tamen aliqua, hinc tradit Caetanus 3. pa. q. 35. ar. 6. in illa Natiuitate intercessisse omnia, quæ non ex peccato, sed ex natura sunt, spectat autem ad integritatem naturæ primo, vt Christi corpusculum fuerit intra secundinas inclusum, si enim his membranis caruisset non potuisset naturaliter ali, nam fœtus, qui per vmbilicum secundinis copulatur, per eas sugit a Matre sanguinem, & ideo illæ plene sunt venis, ergo si hæ abfuissent, Christus in vtero Matris non habuisset statum naturalem, non tamen negarim potuisse Deum per miraculum alio quopiam modo supplere, sed non est necesse ad miracula recurrere, absque necessitate aliqua, hoc ergo adductus argumento Franciscus Suarez societatis Iesu Theologus in comment. super 3. p. S. Thom. q. 35. dispu. 13. sect. 2. affirmauit conceptum quidem fuisse Christum membranis inuolutum, tempore autem Natiuitatis, sicut per naturales vias prodijt, absq; Virginalis Claustri fractione, ita etiam eas exuisse membranas penetrando absque ruptione, neque fuisse necessarium secundinas in lucem prodire, eas tamen cum sanguine in aliam materiam fuisse resolutas diuina virtute, vel alio miraculoso modo in alium locum translatas, probat autem hanc opinionem tripliciter: 1 primo, vt Virginis partus esset purissimus, & integerrimus, sed hoc confutauimus supra ostendentes secundinarum emissionem nullo pacto derogare puritati partus, aut integritati Virginis, spectat namque hoc ad integritatem naturæ, quæ ex se moraliter loquendo, nec laudem, nec vitium importat, immo sic veritatem carnis a Christo assumptæ magis probat, secundo dicit, quod cum secundinæ sint corpus densum, ac durum non poterant ex vtero Virginis exire absque ruptione claustri virginalis sine penetrationis miraculo, quod neque quidquam nobis obest, potuit enim eodem miraculo fieri, vt sicut Christus absque virginalis claustri fractione prodijt ex Matris vtero, ita huiusmodi secundinæ prodirent, tertio probat etiam ex Patribus in Trullo congregatis can. 79. sic enim habent, absq; vllis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, verum, quia alij codices non habent absque vllis secundinis, sed absque vllo dolore, quod etiam ipsemet Suarez animaduertit, ideo illa definitio opinioni nostræ parum nocet, quæ optime suadetur ex eo, quoniam existimamus secundinas in partu virgineo fuisse emissas, vt inde palam fieret, Redemptorem nostrum nõ fantasticum, sed verum corpus assumpsisse, verumque hominem ex Virgine prodijsse, licet enim ipse, ut admonuit D. Greg. Nazanz. ora. 51. quæ est epist. 3. ad Cledo. diuino modo sit genitus, humano tamen, quia iuxta 2 pariendi consuetudinem natus est.

REVELATIO IN BETHLEEM ad præsepe Domini super eadem materia qua supra.

CAP. XXII.

Postea iterum in eodem loco apparuit mihi Virgo Maria dicens. Filia mea diu est, quam promiseram tibi in Roma, quod ostenderem tibi hic in Bethleem modum partus mei. Et licet aliquid ostendi tibi in Neapoli super hoc, scilicet, qualiter stabam quando peperi filium meum, tamen scias certissime, quod ego sic steti, & tali modo peperi, sicut nunc vidisti flexis genibus orando sola in stabulo.
1 Peperi enim eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non sensi aliquod grauamen, quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem. Sed statim inuolui eum panniculis mundis, quos diu antea præparaueram.
2 Quæ quando vidit Ioseph miratus est cum magno gaudio, & lætitia ex eo, quod sic sine adiutorio pepereram, verum, quia magna multitudo gentium in Bethleem circa descriptionem occupata erat. Ideo tamen ipsi attendebant ad illud, quod non poterant inter eos mirabilia Dei diuulgari.
3 Et ideo scias veraciter, quod quamuis homines secundum humanum sensum conantur asserere, quod filius meus nascebatur per modum communem. Veritas tamen est, & absque aliquo dubio, quod ipse natus est, sicut ego alias dixi tibi, & sicut tu nunc vidisti.

NOTAE.

1 Peperi eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non sensi aliquod grauamen quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem.

Omnino credendum est Mariam Virginem absque vllo doloris sensu peperisse, sicut ex verbis huius notæ euidenter colligitur, cuius rei in vniuersum tres apud sanctos Patres rationes legimus, harum prima desumitur ex Damasceno libr. 3. de fide ca. 15. & ex Cipriano orat. de Christi Natiuit. non longe ab initio, & Gregorio Nisseno in orat. 1. de Resurrect. ea autē huiusmodi est, voluptas, & dolor secundum naturam inter se adeo sunt connexa, vt ad inuicem separari minime possint, ergo vbicumque partus non antecessit voluptas, nec sequi debet dolor, ergo si B. Virgo in generando nullam ex viro habuit voluptatem, nec in pariendo dolorem habere debuit, vnde Damasc. loco citato, quam inquit voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu secutus est, secundo, quia maxime decebat, vt nullum prorsus ipso nascente Matri suæ afferret incommodum, cum illud præsertim vitare facillime posset: tertio dolor contingit parientibus propter vteri aperitionem violentam, & partium diuulsionem, earumque diuisionem: fit enim dolor continui diuisione, at in Beatissima Virgine, nihil horum inuentum est, neque fuit aperitio vteri, nec partium diuulsio, idem quoque probari posse videtur ex sacris litteris, & primo occurrit cap. 66. Isaiæ antequam (inquit) parturiret peperit, & antequam perueniret tempus partus eius peperit masculum, quis vnquā hoc audiuit, ac si diceret ante dolores partus Virgo peperit, vbi septuaginta legunt antequam veniat dolor parturientium effugit, & peperit masculum, hoc ipsum etiam indicat ca. 35. illis verbis germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans. Postremo Mariam sine dolore peperisse affirmarunt D. August. serm. 14. de Natiuit. D. Bernard. hom. 3. super missus est, & serm. 4. in Vigilia Natiuitatis, Fulgentius ser. de laudibus Virginis, Greg. Nazianz. in Christo patiente non longe ab initio.

2 Quæ quando vidit Ioseph miratus est, cum magno gaudio, & lætitia ex eo, quod sic sine adiutorio pepereram.

Mariam Virginem absque adiutorio aliquo, & obstetrice peperisse ostendimus superiori capite, nota quinta ex D. Cipriano. D. Thoma. D. Hieron. qui contra Heluidium scribens sic habet, nulla, ibi fuit obstetrix nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsamet quæ peperit, & Mater, & obstetrix fuit.

3 Et ideo scias veraciter, quod quamuis homines secundum humanum sensum conātur asserere, quod filius meus nascebatur per modum communem.

Non defuerunt heretici, qui affirmare ausi sunt, Beatissimam Virginem concepisse Christum ex Iosepho, sicque in conceptione Mariam Virginitatem amisisse, fuisse autem Ebionitas, refert Clemens Papa lib. 6. constitutionum ca. 6. vbi legis Musaicæ obseruatores huiusmodi hæreticos extitisse significat, quod etiam tradit Epiphanius hæresi 30. illi ergo, quorum hoc loco mentio fit, qui asserere ausi sunt Christum communi modo natum esse Ebionitæ fuerunt, sed Ireneus libr. 1. cap. 25. Cherintum, & Carpocratem huius erroris facit auctores, quod etiā tradidit Tertullianus lib. de carne Christi cap. 18.

& de

& de velandis Virginibus cap.6. & de perscriptionibus hæreticorum cap.48. idem habet Epiphanius hæresi 27. & 28. Euseb. lib.3. hist. cap.21. Nicephorus lib.3. hist. cap.3. D. August. Damasc. & Isidorus in cathal. hæreticum, sed quidquid sit de auctoribus huius erroris, de fide credendum est B. Virginem non ex semine viri, & secundum communem nascendi modum, vt legimus hic, sed ex sola Spiritus sancti virtute concepisse, vt Matt. 1. scribitur, inuenta est habens de Spiritu sancto, Lucæ 1. Spiritus sanctus superueniet in te. Isaiæ 7. Ecce Virgo concepit. Hunc errorem etiam detestatus est, D. Greg. Thaumaturg. in Anathematismis Anathematismo 4. Si quis, inquit, dicat ex semine viri genitum esse Christum de Virgine, sicut omnes alij nascuntur homines, & non confitetur ipsum ex Spiritu sancto, & ex sancta Maria Virgine incarnatum, & factum hominem ex semine Dauid, sicut scriptum est Anathema sit: hoc idem egregie tradidit Damascenus lib.4. de fide cap.15. paulo post medium. Per auditū, inquit, conceptio, sed natiuitas per consuetum parientium egressum, tam & si nonnulli fabulantur per latus diuinæ Matris ipsum editum fuisse, non enim impossibile illi erat, per clausam portam transire, & illius non lædere signacula, manet igitur post partum Virgo, & semper Virgo: hoc ipsum probarunt alij Patres, qui asseruerunt, non decuisse Dei filium humano, sed quasi diuino semine hoc est Spiritus sancti virtute concipi, vnde dicunt eum in conceptione Christi habuisse se loco seminis, hoc est suppleuisse virtutem effectiuam, non tamen per semen proprie est intelligendum, vt quid decisum ex substantia personæ operantis, vel vt habet rationem causæ materialis, sed effectiue, quam suppleuit Spiritus sanctus in illa conceptione, sed hac de re legendi sunt Tertullianus de carne Christi cap.12. Damascenus lib. 3. de fide cap.2. S. Maximus serm.3. de Natiuit. Domini, D. Chrisost. ho.1. operis imperfecti in Matt. D. Thom. 3. pa. qu.32. ar.2. ad secundum. Postremo probant sancti Patres Saluatorem nostrum absque humano semine fuisse cōceptum, ne ipsemet Christus, eiusque humanitas ex vi conceptionis esset originali culpæ obnoxia, quod repugnasset, & dignitati personæ, & officio Redemptoris. sic tradunt Fulgentius de incarnat. & gratia ca.4. D. August. lib. 3. de pecc. meritis cap. 12. D. Thom. 3. pa. q.28. arti.1. afferunt etiam ad hoc probandum plures cōuenientias, & coniecturas, quas in præsentia breuitatis causa omittimus, quippe quæ ad rem nostram modo non faciunt.

FVIT AD PRAESEPE Domini hæc reuelatio facta eidem Dominæ in Bethleem qualiter pastores venerunt ad Præsepe ad adorandum Christum natum.

CAP. XXIII.

VIDI etiam in eodem loco dum Virgo Maria, & Ioseph starent puerum adorando in Præsepio, quod tunc pastores, & custodientes gregem venerunt, vt viderent, & adorarēt infantem. Quem cum vidissent ipsi statim adorauerunt cum magna reuerentia, & gaudio; & postea reuersi sunt laudantes, & glorificantes Deum, in omnibus his, quæ audiuerant, & viderant.

HANC REVELATIONEM habuit sponsa in Bethleem in Capella, vbi Christus natus est, in qua Virgo Maria narrat ei qualiter tres Magi Reges adorauerunt Christum filium eius.

CAP. XXIV.

1 DIXIT etiam mihi eadem Mater Domini. Filia mea scias, quod quando tres Reges Magi venerunt in stabulum ad adorandum filium meum. Bene ego antea præsciebam eorum aduentum. Et quando intrauerunt, & adorauerunt eum, exultauit tunc filius meus, & præ gaudio habebat tunc faciem hilariorem. Ego etiam nimis gaudebam, & lætabar, mirabili gaudio exultationis in mente mea. Attendens ad verba eorum, & actus, conseruans ea, & conferens in corde meo.

NOTAE.

1 Filia mea scias, quod quando tres Reges Magi venerunt in stabulum ad adorãdum filium meum.

In præsenti nota tria de Magis insinuantur, primo numerus, quod tres fuerunt: secundo qualitas personarum, quod Reges: tertio, locus in quo adorauerunt Saluatorem, qui idem fuit vbi natus est, & quoniam inter doctores de his omnibus aliqualis fuit dissensio, ideo de singulis sigillatim quædam breuiter annotanda sunt, & quantum spectat ad primum, ex antiqua traditione, & Patrum sententia constat, hos Magos tres tantum numero fuisse. quamquã non me fugiat Glossam Matt. 2. indicasse quod hi in magna fuerint multitudine, alij vero opinati sunt extitisse, vel quatuordecim, vel duodecim, vt refert Maldonatus in Matt. cap. 2. Dicendum tamen est tres tantum fuisse, vt communis est Christiani populi sensus, quod etiam ostendit probabilis coniectura, ex D. Mattheo cap. 2. desumpta, quod tribus muneribus Dominum adorauerint, siue ergo singuli singula munera obtulerint, vt existimauit D. Augustinus serm. 3. de Epiphania, siue singuli tria munera dederint, vt arbitratur D. Anselmus, Matt. 2. & Abulensis, quæst. 18. in Matt. cap. 2. inde satis probabile sumi potest argumentum, quod fuerint tres, probat hoc etiam Leo Pontifex serm. 1. de Epiphania, tribus, inquit, Magis, & serm. 4. idem habet, sequitur Rupertus liro secundo in Matt. D. Augustinus vbi supra, & serm. 29. & 33. de tempore, Anselmus, Matt. 2. Beda in collectaneis non longe a principio, vbi horum nomina recenset, vultus quoque describit his verbis, Primus dicitur fuisse Melchior Senex, & Canus barba prolixa, & capillis, aurum obtulit Regi Domino, secundus nomine Gaspar Iuuenis imberbis, rubicundus, thure quasi Deo oblatione digna Deum honorabat, tertius, fuscus integre barbatus Baltasar nomine per Mirram filium hominis moriturum professus est, Restat modo videamus an Magi vere fuerint Reges, quemadmodum hoc loco scribitur qua de re tres opiniones circumferuntur, quarum prima asserit eos non fuisse Reges; sed priuatos homines, quam sententiam quidam ex hæreticis sequuntur, & videtur accedere Iansenius cap. 9. suæ concordantiæ, idque probant primo, quia id non tacuisset Euangelista, cum ad Christi gloriam hoc maxime spectare videbatur, non enim eos Reges vocat, probant secundo, quia si Reges fuissent Herodes illos apparatu Regio excepisset, quod non fecit quantum ex Euangelio colligi potest, sed hæc argumenta parum probant, & ad primum respondeo Euangelistam vsum fuisse nomine potius Magorum, quam Regum, quia sapientiæ nomen dignius existimauit, quam potentiæ, sic habet Franciscus Suarez in comment. super 3. p. S. Thomæ qu. 36. disp. 14. sect. 2. Respondet secundo Ioannes Maldonatus in comment. in Matt. cap. 2. ob Euangelistam Magos potius, quam Reges fuisse vocatos vt tacite rationem redderet, cur ex stella Christum natum esse cognouissent, hoc enim Magorum, non Regum fuit, Respondeo tertio hoc tacuisse Euangelistã, quia noluit cum historia sacra miscere speciosos titulos terrenæ dignitatis; ad secundam rationem dico D. Matthæum minime explicare quemadmodũ ab Herode sint recepti, cum ad illius historiã nõ spectet; respondet secundo Canus lib. 11. de locis Theologicis cap. quinto ad quartum, id propterea non fuisse ob Euangelista explicatum, quippe qui non existimauit Euangelici testimonium Regio apparatu cumulandum, quod vero Herodes parum honorifice Magos exceperit Herodianæ superbiæ tribuendum existimauit.

2. *Secunda sententia est dicendum Magos non fuisse priuatos homines, sed principes potentes, diuites aut forte Regali stirpe natos, quos consueuerunt homines Regulos appellare, sæpe etiam huiusmodi, & si non sint propriæ Reges appellantur Reges sic a D. Ambrosio libr. 1. de officijs, & Tobia etiam secundo tres illi amici, qui ad consolandum Iob venerunt vocantur Reges, sequuntur hanc sententiam Ioannes Maldonatus, vbi supra & hæc opinio probari potest ex Plinio lib. 6. cap. 28. qui Magos in Perside, vrbes, & castella sub ditione sua tenuisse asserit.*

3. *Tertia sententia est asserendum huiusmodi Magos fuisse Reges, hæc sententia plausibilis est, eamque christianus populus olim imbuit, & probatur hic, & plerique etiam ex sanctis Patribus illam sequuntur, probatur primo, quia Ecclesia in festo Epiphaniæ canit illud psal. 71. Reges Tarsis, & insulæ, & illud Isaiæ 66. ambulabunt Reges in splendore tuo: secundo patet ex Patribus inter quos est antiquissimus auctor Tertullianus lib. 3. contra Iudæos cap. 9. & D. Augustinus serm. 43. ad fratres in Eremo, & de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 3. cap. 4. D. Ciprianus in lib. de Baptismo Christi D. Chrisost. hom. 6. in Matt. Hilar. lib. 4. de Trinitate D. Prosper de promissionibus, & prædictionibus Dei promiss. 6. Hieron. siue quisquis fuerit auctor commentarij in psal. 71. Athanas. ad secundam quæstionem Antiochi, Theophilactus, & Liranus Matt. 2. sequitur hos etiam Gentilis auctor Claudianus in carmine de miraculis Christi.*

Dant tibi Caldei prænuntia munera Reges.
Mirrã homo, Rex aurũ, suscipe thura *Deus.*

Postremo, quod hi fuerint, vel Reges propriè, aut saltem principes, & potentes illud suadet. quod thesauros habuerint, quod longo suscepto Itinere ad Regem Regum adorandum venerint, quod priuati

priuati homines facere non potuissent, hoc enim proprium est Principum, & potentum. Postremo inquirendum nobis breuiter est, vt in principio proposuimus, an in eodem loco Magi Christum adorauerint, vbi ipse natus est, an vero in alio, & quidem hic euidenter dicitur in stabulo adorasse Saluatorem, licet Epiphanius libro secundo contra hæreses, hæresi 51. eos non in spelunca, sed in aliqua alia domo id factum esse putet, ratio eius est, quia arbitratur illos non post decimum tertium à Natiuitate diem, sed post duos annos Christum adorasse, quo tempore Christus consequenter locum mutauerat, verum id quod asseritur hic, probabilius est, sicut etiam Sancti Patres tradiderunt, sic Diuus Hieronymus Epistola decimaoctaua, & vigesimaseptima, Diuus Gregorius Nyssenus Oratione de Sancta Christi Natiuitate. Diuus Chrisost. Homilia sexta in Matth. Nicephorus libro primo Histor. capite decimotertio, Leo Pontifex, Bernardus, Augustinus, & Fulgentius in sermonibus, & Homilijs de Epiphania, præterea constat Mariam non discessisse a loco partus, vsque ad Purificationem.

MATER DEI LOQVENS

Dominæ Brigittæ narrabat ei aliqua de humilitate sua, & filij sui dicens, quod sicut humiles fuerunt Filius suus, & ipsa tunc quando erant in mundo, ita & nunc humiles sunt, licet sint in cœlo.

CAP. XXV.

MATER DEI loquitur. Eadem humilitas est nunc in filio meo in potentia deitatis suæ, sicut tunc fuit, quando reclinabatur in præsepio, qui iacens inter duo animalia, licet omnia sciret secundum deitatem, nihil tamen loquebatur secundum humanitatem. Sic etiam nunc sedens ad dexteram Patris, audit omnes loquentes ad eum cum charitate, & respondet per infusiones sancti Spiritus, quibusdam verbis, & cogitationibus, quibusdam quasi ore ad os loquitur sicut ei placet. Similiter ego quæ sum mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo, quod est super omnia, quæ creata sunt exaltatum, sicut tunc fui quando Ioseph
1 desponsata eram. 1. Veruntamen pro certissimo scire debes, quod Ioseph antequam desponsauit me intellexit in spiritu Sancto me vouisse virginitatem meo Deo, immaculatamque esse cogitatione, verbo, & opere. Qui ea intentione desponsauit me, vt seruiret mihi, habendo me pro Domina sua, non pro vxore.
c Ego etiam in Spiritu Sancto sciui certissime, quod virginitas mea perpetue permaneret illæsa, licet ex occulta dispensatione
a Dei viro desponsabar. 2 Sed postquam consensi nuncio Dei, Ioseph videns vterum meum Spiritu sancti virtute intumescere, expauit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta prophetarum prænunciantium filium
t Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali seruire Matri, donec Angelus in somnis præcepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare. De diuitijs vero ego, & Ioseph, nihil reseruauimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem Dei, reliqua dimisimus propter amorem Dei. Instante vero hora natiuitatis filij mei, quam ego optime presciui, veni secundum præscientiam Dei in Bethleem deferens mecum mundissimam vestem, seu panniculos pro filio meo, quibus nemo vnquam vsus fuerat ante. In quibus primo inuolui illum, qui natus est ex me, cum
3 omni puritate. 3. Et licet ab æterno non præuisa sum sedere in sublimissima sede, & honore, super omnes creaturas, & super omnes homines, nihilominus tamen ex humilitate mea, non dedignabar parare, & ministrare ea, quæ erant necessaria Iosepho, & mihiipsi. Similiter, & Filius meus subditus erat Ioseph, atque mihi. Sicut ergo humilis fui in mundo cognita soli Deo, & Ioseph, sic etiam nunc sum humilis sedens in sublimissimo throno, parata præsentare Deo omnium orationes rationabiles. Sed aliquibus respondeo per infusiones diuinas aliquibus autem loquor secretius sicut beneplacitum est Deo.

*

NOTAE.

1 PRopterea Popule Cypri annuncio tibi, quod si tu nolueris te corrigere, & emendare, tunc ego generationem & progeniem tuam ita delebo in Regno Cypri.

Hæc omnia, quæ in præsenti capite Beatissima Brigitta de Regno Cypri prædixit, euenisse historias legenti constare poterit, quæ de re, vt cæteros omittam, sat erit hoc loco probatissimi auctoris Nicolai Sanderi verbo referre; is enim libro sexto Visibilis Monarchiæ num. 1042. post relatam de hoc Regno præsentem reuelationem, rem hanc his verbis explicat. Quam inquit reuelationem vere Diuinam extitisse ex eo scimus, quod ita res tunc futuras prædixit, vt eas euenisse tunc videmus; nam Sancta Brigitta multis annis prius mortua est, quam tota Græcorum Respublica penitus deleretur, futura vero prædici non possunt, præterquam a Dei spiritu, qui solus futura nouit, reuelatis, qui & auctor est eorum, & cui iam nunc præsentia existunt. Idem insinuauit Thomas Bozius libro sexto de Signis Ecclesiæ signo 19. cap. secundo, & latius de eadem re egit Antonius Guarnerius in Historia, quam edidit de bello Cyprio. Verum hoc loco omittendum non est, quod in præsenti capite insinuatur, huius nimirum Regni ruinæ, vitium carnis potissimum causam præbuisse, ex quo factum est, vt Deus permiserit, vt illud funditus euerteretur, & hinc est, quod Dominus de his gentibus illis verbis conquerebatur, quæ habentur circa medium huius capitis ibi (neque magis erubescis in conspectu meo peccare, quam irrationalia animalia in commistione sua) atque huiusmodi homines sic in venerem effusos, & in luxuriam, ac carnis voluptatem pronos extitisse affirmat Antonius Guarnerius libro primo circa medium de bello Cypri, vt & quosdam sensisse referat Venerem in Cypro natam esse, ibique sedem suam, ac domicilium collocasse.

IN REGNO CYPRI quidam frater minor rogauit dictam Dominam, quod ipsa consuleret ei quid deberet facere super aliquibus dubijs suæ conscientiæ, specialiter super obseruantia regulæ Ordinis sui. Quæ quidem Domina, cum staret quadam die orando in sancta ciuitate Hierusalem pro fratre supradicto, Christus apparuit ei, & alloquebatur eam dicens, multa de ordine minorum, & in fine comminatur omnes Religiosos proprietarios æterna morte.

CAP. XX.

INfinita gratiarum actio, & humile seruitium. Laus, atque honor sit Deo in sua potentia, & maiestate æterna, qui est vnus Deus in tribus personis. Cuius immensæ bonitati placuit, vt sua dignissima humanitas ad vnam personam in oratione existentem loqueretur dicens sic. Audi tu, cui datum est audire spiritualiter, & videre, & diligenter tene in memoria tua hæc verba mea. Homo quidam erat Franciscus nomine, qui dum se conuertit a mundana superbia, & cupiditate, & a carnis vitiosa delectatione, ad spiritualem vitam pœnitentiæ, & perfectionis, tunc obtinuit veram contritionem omnium peccatorum suorum, & perfectam voluntatem se emendandi dicens. Nihil est in hoc mundo, quod non volo libenter dimittere propter amorem, & honorem Domini mei Iesu Christi, nihil est etiam tam durum in hac vita, quod non volo gratanter sustinere propter eius charitatem, faciendo propter eius honorem omnia, quæ ego potero iuxta meas vires corporis, & animæ, & omnes alios quoscunq; potero volo ad hoc inducere, & roborare, vt Deũ super omnia diligant toto corde. Istius Francisci regula quam ipse incepit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu, & prudentia, sed a me secundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea scriptum est, 1 a spi-

a spiritu meo fuit sibi aspiratum, & postea ipse alijs regulam illam protulit, & porrexit. Ita etiam omnes aliæ regulę quas amici mei inceperunt, & ipsi personaliter tenuerunt, & seruauerunt, aliosque eas efficaciter docuerunt, & porrexerunt, non fuerunt dictatę, & composite ab ipsorum intellectu, & humana sapientia, sed aspiratione eiusdem Spiritus sancti. Istius Francisci fratres, qui minores dicuntur, tenuerunt, & bene seruauerunt illam regulam eius per aliquos annos, & valde spiritualiter, & deuote secundum omnem meam voluntatem, de quo diabolus hostis antiquus magnam inuidiam, & turbationem habuit, ex eo quod dictos fratres tentationibus, & fraudibus suis deuincere non valebat.

Quæsiuit igitur diabolus diligenter, vbi posset vnum hominem inuenire, in quo suum malignum spiritum, cum ipsius hominis voluntate posset commiscere. Qui tandem vnum clericum inuenit, sic intra se cogitantem: Ego libenter vellem esse in tali statu, vbi possem habere mundi honorem, & corporis mei delectationē, & ibi possem tantam pecuniam congregare, quod nihil deficeret mihi de omnibus, quæ ad necessitatem, & delectationem meam pertinerēt. Ego igitur intrare volo ordinem Francisci, & fingam me valde humilem, & obedientem. Et sic cum ista intentione, & voluntate præfatus clericus intrauit dictum ordinem, statimque diabolus intrauit in cor eius, & sic dictus clericus factus est frater in dicto ordine. Considerauit autem diabolus taliter intra se, sicut Franciscus vult multos trahere de mundo cum sua humili obedientia, ad recipiendum magna pręmia in cœlo, ita iste frater meus, qui aduersarius nominabitur, ex eo, quod Francisci regulæ aduersarius erit, multos de ordine Francisci trahet de humilitate ad superbiam, de rationabili paupertate ad cupiditatem, de vera obedientia ad faciendum propriam voluntatem, & ad sequendum corporis delectationem. Frater aduersarius autem prædictus cum intrauit ordinem Francisci, statim cœpit sic intra se cogitare ex diabolico instinctu. Ego me ostendam ita humilem, & obedientem, quod omnes me reputabunt sanctum. Quando alij ieiunant, & silentium tenent, tunc ego cum specialibus socijs contrarium faciam, videlicet comedendo, & bibendo, & loquendo, ita occulte, quod nullus aliorum hoc sciat, nec intelligat. Ego etiam secundum dictam regulam non possum licite pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum possidere, & ideo aliquem specialem amicum habere volo, qui pecuniam, & aurum meum teneat secrete secum ex parte mea, vt illa pecunia vtar ego ad voluntatem meam. Ego etiam addiscere volo artes liberales, & scientiam ad hoc, vt ex illa honorem, & dignitatem aliquam habere valeam in ordine habendo æquos, & vasa argentea, & pulchras vestes, ac pręciosa ornaméta, & si aliquis pro istis me arguerit respondebo ei, quod hoc facio propter honorem ordinis mei. Si etiam ego adhuc tantum laborare, & facere possem, quod fierem Episcopus, tunc vere fœlix, & beatus essem pro tali vita, qualem, tunc ducere possem, quia tunc ego essem in propria libertate mea, & haberem omnem delectationem corporis mei. Audi modo tu quid diabolus fecerat in prædicto ordine Francisci. Nam vere, ita est, quod plures sunt illi fratres in mundo, qui tenent, aut opere, aut voluntate, & desiderio regulam prædictam, quam diabolus docuit fratrem aduersarium, quā illi, qui seruant regulam illam, quam ego ipse edocui fratrem Franciscum. Scias tamen, quod quamuis isti fratres, scilicet, Francisci, & fratris aduersarij commixti sunt quamdiu viuunt in mundo. Attamen ego separabo eos post mortem, quia iudex eorum sum, & iudicabo fratres regulę Francisci ad permanendum mecum, simul cum Francisco, in æterno gaudio. Illi autem, qui sunt de regula fratris aduersarij, iudicabuntur ad pœnas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere, & humiliter emendare. Nec est mirandum de hoc, quia illi, qui deberent mundanis hominibus darę humilitatis, & sanctitatis exempla, ipsi præbent eis exempla vilia, & ribalditia cum sua cupiditate, & superbia. Et ideo certissime sciant dicti fratres, quod tā ipsi quā cæteri religiosi quibus regula prohibet habere proprium, & tamen habent aliquod proprium contra regulam suam volentes per hoc me placare, quod inde aliquam partem mihi conferunt, eorum munera abominabilia sunt mihi, & exosa, nec aliqua remuneratione bona sunt digna. Magis enim mihi gratum, & placitum est, quod paupertatem beatam, quā professi sunt secundum regulas suas diligēter obseruent, quam quod totum aurum, & argentum, ac etiam omnia metalla, quæ in mundo sunt, mihi præsentarent. Scias etiam tu, quæ verba mea audis, quod non fuisset tibi licitum istam præfatam visionem scire, nisi propter vnum bonum seruum meum, qui ex toto corde suo pro illo fratre minore sinceriter me rogauit, qui desiderabat eidem fratri consulere aliqua consilia vtilia suę animæ ex diuina charitate. His autem visis, & auditis hæc visio disparuit.

VISIO QVAM HABVIT Domina Brigitta in Bethleem, vbi Virgo Maria ostendit ei totum modum sui partus qualiter ipsa peperit gloriosum filium suum, sicut ipsa Virgo promiserat eidem dominæ Brigittæ in Roma antequam iret ad Bethleem per xv. annos, vt patet in primo capitulo istius vltimi libri.

CAP. XXI.

CVM essem ad præsepe domini in Bethleem, Vidi quandam Virginem prægnantem pulcherrimam valde, indutam albo mantello, & subtili tunica, per quam ab extra eius carnes virgineas clare cernebam. Cuius venter plenus, & multum tumidus erat, quia iam parata erat ad pariendum. Cum qua senex quidam honestissimus erat, & secum habebant ambo vnum bouem, & asinum.
1 1 Qui cum intrassent speluncam, 2 Senex
2 ille ligatis boue, & asino ad præsepe exiuit
extra, & portauit ad Virginem candelam
accensam, fixitque eam in muro, & exiuit
extra ne partui personaliter interesset.
Virgo igitur illa, tunc discalciauit calciamenta pedum suorum, & discooperuit mantellum album quo operiebatur, amouitque velũ de capite suo, & iuxta se reposuit ea, remanẽs in sola tunica, capillis pulcherrimis
3 quasi de auro extensis super spatulas. 3 Quæ
tunc duos panniculos lineos, & duos laneos mundissimos, & subtiles extraxit, quos secum portabat ad inuoluendum nasciturum infantem, & duos alios paruulos lineos ad cooperiendum, & ligandum caput illius, ipsosque posuit iuxta se, vt eis vteretur tempore debito. Cumque hæc omnia sic parata essent, tunc Virgo genuflexa est cum magna reuerentia ponens se ad orationem, & dorsum versus præsepe tenebat, faciem vero ad cælum leuatam, versus orientem.
4 4 Eleuatis igitur manibus, & oculis in cælum intenta, stabat quasi in extasi contemplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine. Et sic ipsa in oratione stante, vidi tunc moueri iacentem in vtero eius, & illico in momento, & ictu oculi peperit filium, a quo tanta lux ineffabilis, & splendor exibat, quod sol non esset ei comparabilis, neque candela illa, quam posuerat senex, quoquomodo lumen reddebat, quia splendor ille diuinus splendorem materialem candelæ totaliter adnihilauerat, & tam subitus, & momentaneus erat ille modus pariendi, quod ego non poteram aduertere, nec discernere quomodo, vel in quo membro pariebat.
5 5 Veruntamen statim vidi illum gloriosum
infantem iacentem in terra nudum, & nitidissimum. Cuius carnes mundissimæ erant
6 ab omni sorde, & immunditia. 6 Vidi
etiam pellem secundinam iacentem prope eum inuolutam, & valde nitidam. Audiui etiam tunc cantus Angelorum mirabilis suauitatis, & magnæ dulcedinis. Et statim venter Virginis, qui ante partum tumidissimus erat retraxit se, & videbatur tunc corpus eius mirabilis pulchritudinis, & delicatum. Cum igitur Virgo sensit se, iam peperisse, statim inclinato capite, & iunctis manibus cum magna honestate, & reuerentia, adorauit puerum, & dixit illi. Bene veneris Deus meus, Dominus meus, & filius meus, & tunc puer plorans, & quasi tremens præ frigore, & duritia pauimenti vbi iacebat voluebat se paululum, & extendebat membra, quærens inuenire refrigerium, & matris fauorem, quem tunc mater sua accepit in manibus, & strinxit eum ad pectus suum, & cum maxilla, & pectore calefaciebat eum cum magna lætitia, & tenera compassione materna. Quæ tunc sedens in terra posuit filium suum in gremio, & accepit cum digitis subtiliter vmbelicum eius, qui statim abscisus est, nec inde aliquis liquor, aut sanguis exiuit. Et statim cœpit eum diligenter inuoluere, primo in panniculis lineis & postea in laneis, stringens corpusculum tybias, & brachia eius cum fascia, quæ fuit consuta in quatuor partibus superioris panni lanei. Postea vero inuoluit, & ligauit in capite pueri illos duos panniculos lineos quos ad hoc paratos habebat. His igitur completis intrauit senex, & prosternens se ad terram genibus flexis adorauit eum, & plorabat præ gaudio. Nec tunc in partu Virgo illa immutabatur colore, vel infirmitate, nec in ea defecit fortitudo aliqua corporalis, sicut in aliis mulieribus parientibus fieri solet, nisi quod venter eius tumidus retraxit se ad priorem statum, in quo erat antequam puerum conciperet. Tunc autem surrexit illa habens puerum in vlnis suis, & simul ambo scilicet ipsa, & Ioseph posuerunt eum in præsepio, & flexis genibus adorabant eum cum gaudio immenso & lætitia.

NOTAE.

a QVi cum intrassent speluncam.

In præsenti nota, locus, in quo Saluator noster Christus natus est, spelunca appellatur, quem sic quoque Patres vocasse constat ex Origene libr. 1. contra Celsum, Epiphanio hæresi 51. Greg. Nissen. oratione de sancta Christi Natiuitate, Theodoreto lib. 8. Græcanicarum affectionum, D. Hierony. epistola 18. qui ad Marcellam scribens, quo inquit sermone, qua voce speluncam Saluatoris exponam, & illud præsepe, in quo infantulus vagijt silentio magis, quam infimo sermone honorandum est, hanc vero speluncam fuisse prope muros Bethleem probat Cardinalis Baronius ex Burcardo tomo 1. Annalium in principio, erant inquit Bethleem supra collem in longum porrectum posita, in cuius extremitate orientem versus sub rupe quadam existente, tunc temporis iuxta muros ciuitatis erat stabulum, ac præsepe Domini excisum in Rupe. Ex his satis aperte colligitur, Saluatorem nostrum extra vrbem Bethleem natum fuisse, in suburbijs tamen in loco vicinissimo. Cæterum Ioannes Maldonatus Societatis Iesu Theologus in comment. super Lucam cap. 2. ad illa verba, & reclinauit eum in præsepio, existimat, stabulum illud, seu speluncam extitisse in ipsa met vrbe Bethleem, in qua affirmat dicendum esse Christum necessario natum esse, propter prophetiam Michææ, qui ca. 5. suarum Reuel. prædixit, Saluatorem in ea fore nasciturum, quibus addendum est, quod ex Patribus plures videntur innuere locum illum esse intra muros Bethleem, vt D. Hieron. in Epitaphio Paulæ epistola 27. Bethleem inquit ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium, & stabulum: & Ciprianus de Natiuitate Christi loquens de Magis, veniunt ait in Bethleem quem prædixit Gabriel, & inueniunt Emanuel. Cæterum si horum duorum Patrum verba recte perpendantur, satis aperte colligitur, eos non affirmasse locum illum esse intra muros Bethleem, nam quod dicit D. Hieron. Bethleem ingressa, & Ciprianus pastores veniunt Bethleem, non concludit illud diuersorium esse intra muros vrbis, nam optime dicitur, quis ingredi, & venire Bethleem, qui intra confines, & terminos ingreditur Bethleem, quod eo verius esse censeo, cum D. Hieron. epistola 17. & 18. affirmet locum illum esse in suburbijs Bethleem, & fauet Euseb. lib. 7. de demonst. cap. 2. demost. 4. & Nicephorus lib. 1. hist. cap. 13. neque huic obstat, quo minus Christus in Bethleem natus dici non possit, quoniam appellatione Bethleem veniunt suburbanæ domus, verissima ergo est sententia tot grauissimorum doctorum asserentium, illum locum esse extra muros Bethleem, ibique Redemptorem nostrum natum esse: quod vt animaduertit Caetanus in comment. super 3. p. S. Thomæ q. 35. a. 7. diuino factum est consilio, vt scilicet huius Natiuitatis excellentia, & Matris Virginitas occultaretur, vtque remotis arbitris, proculque ab amicis, & cognatis, & extra proprium domicilium Virgo pareret, his addendum, quod & oportuisset obstetricem vocare, & si ipsa non vocasset consanguinei hoc fecissent, tum quia necessarium fuisset, ea adhibere, quæ in partu communiter necessaria sunt, & postremo, quia oportebat pastorum, & magorum adorationem, absque tumultu, & publica manifestatione, ac multorum admiratione fieri, qua de re legendus est etiam Franciscus Suarez super 3. par. S. Thomæ qu. 35. disp. 13. sect. 3. qui fauet huic opinioni.

a Senex ille ligatis Boue, & Asino ad præsepe exiuit extra.

Noluit interesse Ioseph: Virgineo partui, quippe cum sciret nasciturum esse cælorum terreque Dominum, ac humani generis Redemptorem, se iudicauit indignum, vt tanto præsens esset mysterio: si enim, vt lib. 4. Reuela. cap. 18. nota prima, & lib. 6. cap. 59. nota tertia, probauimus ex Origene, & Bernardo voluit ille Mariam dimittere, indignum se reputans habitare cum ea, multo magis credendum est, se indigniorem iudicasse, vt Christi Domini Natiuitati personaliter adesset, exiuisse ergo foras scribitur hic, tum ob rationem adductam, tum ob reuerentiam maximam, quam erga Virginis personam gerebat, quam de Spiritu sancto concepisse credidit, auctoribus Origene, & D. Bernardo locis supra a nobis citatis. Quod autem fuerint in Diuersorio, vbi natus est Dominus, Bos, & Asinus fuit sententia antiquorum Patrum, Gregorij Nazianzeni in oratione in Christi Natiuitatem, Gregorij Nisseni orat. de Natiuitate, Cyrilli Hierosolymitani Chathechesi 12. D. Augustini oratione contra iudæos, & Paganos cap. 13. D. Hieronymi epistola 27. ad Eustochium, cuius rei rationem reddunt, & quidem D. Chrisost. hom. 1. in Lucam, id factum esse existimat, vt compleretur Vaticinium Isaiæ Prophetæ cognouit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui, & Abacuc. 3. inquit, consideraui opera tua, & ex paui in medio duorum animalium cognosceris, an vero hæc duo animalia fuerint Iosephi, apud vulgum opinio quædam inoleuit, Asinum ductum fuisse a Iosepho, vt eo grauida Maria veheretur, Bouem vero, vt venderet, & censum debitum solueret, verum hoc mihi parum arridet, quandoquidem D. Chrisost. loco citato arbitratur Iosephum, & Mariam adeo fuisse pauperes, vt hæc non habuerint animalia, quicunque, inquit, pauper est consolationem accipiat, Ioseph, & Maria Mater Dei non habebant seruulū, ancillam nō de Galilea de Nazaret soli veniunt, nec habebant iumentum, hæc Chrisost. cui addendum

dum est, quod neque indigebant Asino, quo veheretur Maria grauida, nam vt egregie annotarũt D. Bernard. hom. 12 in illa verba Apocalips. signũ magnum apparuit, Fulgentius serm. de laudibus Mariæ, Nicephorus libr. 1. cap. 12. Mariæ vterus neque grauis, neque molestus extitit, nam quæ sine viro concepit, sine dolore peperit, credendum etiam est, vterum absque molestia gestasse, non ergo vicinitas partus obstabat, quo minus in Bethleẽ pedibus venire posset.

3 Quæ tunc duos panniculos lineos, & duos laneos mundissimos, & subtiles extraxit.

Quales fuerint fasciæ, aut panni, quibus natus Saluator noster inuolutus est, ex verbis præsentis notæ satis aperte cognoscimus, non enim erant serici, sed ex lino, & lana confecti, viles quidem, sed mundi, & candidi, non sordidi, constat namque Mariam, & Iosephum adeo pauperes extitisse, vt pannos non solum non habuerint pretiosos ad inuoluendum natum puerum, vt nec illi prægnanti quidem aut parienti locus fuerit in diuersorio, vt necesse fuerit infantem in Præsepio cum animalibus brutis præ inopia ponere, quod animaduertens D. Bernard. serm. 3. de Natali Domini, nascitur, inquit Dei filius in cuius arbitrio erat, quod cumque vellet eligere, tempus elegit, quod carni molestius est præsertim paruulo, & pauperis Matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum. Præsepe ad reclinandum. Eosdem quoque pannos fuisse viles tradit D. Augustinus serm. de Natali Domini cum ait in stabulo nascitur, & a Matre Maria vili fascia cingitur, & in præsepio reclinatur, non erat ei Cedrina domus, nec lectus eburneus, in quo pareret creatorem, & omnium poneret Redemptorem, idcirco velut exul, & peregrina in aliena domo, mundi Dominum peperit, & tanquam fœmina pauper non sericis, sed pannis vilibus inuoluit, & in præsepio collocauit.

4 Erectis igitur manibus, & oculis in cœlum intentis stabat quasi in extasi contemplationis suspensa.

Omnino credendum est Mariam, ea nocte fœlici qua Christum Redemptorem parere debebat, non somno fuisse deditam, sed continuis orationibus intentam, hoc enim est, quod scribitur hic, stabat quasi extasi contemplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine, sic orantem Saluatorem nostrum peperisse, vnde non est mirum si cap. immediate sequente legimus, quod ipsa genuflexa orando sola in stabulo peperit, cuius rei fidem etiam facit Canisius lib. 4. de Virgine Deipara cap. 9. neque enim inquit somno oppressa sedebat, quam in summa esset puerperij expectatione, nec deberet imparatam esse sponsam, de cuius thalamo sponsus ille mox erat processurus, media, & intempesta nox aderat: quando reliquis altum stertentibus Virgo, vt solebat sacras egit excubias, diuinis intenta contemplationibus, cœlesti luce circumfusa, & in extasi velut absorpta, dum circa sublime, & arcanum Beatissimæ Trinitatis mysterium incomprehensibili modo philosophatur, tunc demum Maria sensit impleri, quod alicubi scriptum legimus, dum medium silentium, &c.

5 Veruntamen statim vidi illum gloriosum infantem iacentem in terra, mundum, & nitidissimum.

Verba præsentis notæ nobis ansam præbent, vt 1
quæramus, quis fuerit ille locus, quem Saluator noster mox, vt de sacratissimo Virginis vtero prodijt primo suo immaculato corpore tetigerit, & quidem hic innuitur terram fuisse, seu pauimentum illius speluncæ, in qua natus est, cum enim ibi, nulla fuerit obstetrix, vt contra Heluidiũ probat Hieron. & Cipr. ser. de Natiuit. D. Thomas 3. pa. q. 35. ar. 6. ad tertium argumentum, certe non fuit primo alicuius obstetricis manibus receptus, ergo vel manus, & Brachia Virginis dicendum est fuisse primum locum, quem primo natus Christus occupauit, vt censet Caetanus in locum citatum S. Thom. vel fuit ipsa met terra, quod si verum est, ingens profecto, vel in principio sui ortus Christus nobis humilitatis reliquit exemplum, eoque magis, quod vt refert Ludulphus de vita Christi p. 1. cap. 9. Maria Virgo, cum suum filium in præsepio collocauit & Puluinar non haberet, eius capiti lapidem supposuit, interposito forte fœno, quod ab animalibus mutuo accepit, quem lapidem ibi, vsque ad hæc tempora asseruari affirmat, verum Christum Dominum recenter natum, etiam Angelorum manibus fuisse susceptum, plures arbitrati sunt, asserentes hoc ad ipsius Christi dignitatem spectare, & B. Virgini huiusmodi gaudium, & amoris significationem competere, sed quicquid sit si quis nosse cupit, quomodo Maria erga natum recenter puerum se gesserit, legat Cipr. vbi supra, qui sic ea de re loquitur, Genetrix est Obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exibet clientelam, attrectat, amplectitur, ingit oscula, porrigit Mamillam, & totum negotium plenum gaudij, Plura etiam, quæ ad hanc rem faciunt annotauit Canisius lib. 4. de Virg. cap. 9.

6 Vidi etiam pellem secundinam iacentem prope eum inuolutam, & valde nitidam.

Opere pretium esse duxi ad horum intelligentiam inuestigare breuiter, quid secundina sit, quam hoc loco B. Brigitta vidisse testatur, postea vero [illegible] debemus, an huiusmodi secundinæ, cum Christus de vtero Matris prodijt, fuerint omissæ. Et quantum spectat ad primum Aristoteles 3. de Gener. Animalium cap. [illegible] & [illegible] de formatione fœtus asserunt, quod cum homo concipitur, membranæ quædam in Matris vtero formantur, in quibus fœtus inuoluitur, ibique vsque ad Natiuitatis tempus moratur: hæ autem ab aliquibus dicuntur folliculi, quia simul cum infante nascuntur, secundinæ [illegible], sic tradit D. Isidorus lib. 11. Etimolog. cap. 1. Seb. [illegible] Medicus, & Philosophus insignis de morbis mulieribus lib. [illegible] secundinam appellat, & aliud non esse dixit, quam

man

vasorum

vaserum omnium vteri radicatio quædam per hanc enim vasa omnia seruatur quæcumque secundis insunt. communiter tamen secundine appellari consueuerunt, horum autem primaria functio ad alimentum fœtus pertinet, qui per vmbelicum secundinis iungitur, per quas a Matre sanguinem sugit, ideoque illas venis esse refertas ferunt, cum vero Natiuitatis tempus instat, franguntur illæ, vt proles egrediatur, & post ortum subinde eas Mater emittit simul cum aliquali copia quarundam humiditatum, & sanguinis, quem ad nutriendam prolem ad eas natura amandauerat, his declaratis.

Dicendum est primo Mariam Virginem absque sanguinis fluxu peperisse, quod nos late probauimus lib. 6. Reuelat. cap. 57. nota prima ex Cipriano, Grgor. Nazianz. & Epiphanio, & patet etiam ex sexta Sinodo act. ij. & Sophronio, qui in sua epistola vocat partum illum incorruptibilem, quia scilicet absq; fluxu sanguinis perfectus est, indicat hoc idem D. Thomas 3. pa. qu. 35. art. 6. ad tertium verum si quis quærat quid de illo sanguine factum sit, qui intra secundinas inclusus nutritioni fœtus inseruiebat, respondent aliqui Beatissimam Virginem tempore partus superfluum sanguinem, quem euacuaret non habuisse, sed eum tantummodo, qui ad sui corporis nutritionem, suumque filium nutriendum sufficeret, alij vero existimarunt membranas, simul cum sanguine diuina virtute fuisse resolutas in præiacentem materiam, aut etiam sanguinem illum fluxisse in Mammas, quarum virtute albescens lactis acceperit qualitatem, sic enim communiter fieri arbitratur D. Isidorus loco citato cum inquit, post partum si quid sanguinis non dum fuerit in vteri nutrimento consumptum, naturali meatu fluit in mammas, & earum virtute albescens, lactis accipit qualitatem: cæterum in partu Virginis penitus absuisse sãguinis fluxũ, vt probauimus colligitur etiam ex verbis præsentis notæ cum dicitur, vidi pellem secundinam valde nitidam, ergo si erat nitida non erat aspersa sanguine, quod autem simul, cum virgineo partu legamus etiam prodijsse huiusmodi secundinam pellem non videtur, nec derogare puritati partus, neque integritati Virginis, spectat namque ad illius puritatem, virginisque integritatem, quod absque hominis aliquo adminiculo sit formatus fœtus, ibique nulla interueniat, aut immunditia, aut libidinis nota, in Natiuitate autem Redemptoris nostri nihil horum inuentum est, omnia namque Spiritu sancti virtute facta sunt, & quanquam per Genitales meatus Christus natus sit, vt consueuerunt alij homines nasci, id tamen citra fœditatem, ac turpitudinem aliquam, & absque inquinamentis accidit, vt egregie annotauit Epiphanius lib. 3. contra hæreses in fine, voluit ergo sic honorare naturam nostram teste Greg. Nazianz. orat. 16. de amore pauperum non longe a principio illam assumendo, cum omni proprietate absque macula tamen aliqua, hinc tradit Caetanus 3. pa. q. 35. ar. 6. in illa Natiuitate intercessisse omnia, quæ non ex peccato, sed ex natura sunt, spectat autem ad integritatem naturæ primo, vt Christi corpusculum fuerit intra secundinas inclusum, si enim his membranis caruisset non potuisset naturaliter ali, nam fœtus, qui per vmbilicum secundinis copulatur, per eas sugit a Matre sanguinem, & ideo illæ plene sunt venis, ergo si hæ absuissent, Christus in vtero Matris non habuisset statum naturalem, non tamen negarim potuisse Deum per miraculum alio quopiam modo supplere, sed non est necesse ad miracula recurrere, absque necessitate aliqua, hoc ergo adductus argumento Franciscus Suarez societatis Iesu Theologus in comment. super 3. p. S. Thom. q. 35. dispu. 13. sect. 2. affirmauit conceptum quidem fuisse Christum membranis inuolutum, tempore autem Natiuitatis, sicut per naturales vias prodijt, absq; Virginalis Claustri fractione, ita etiam eas exuisse membranas penetrando absque ruptione, neque fuisse necessarium secundinas in lucem prodire, eas tamen cum sanguine in aliam materiam fuisse resolutas diuina virtute, vel alio miraculoso modo in alium locum translatas, probat autem hanc opinionem tripliciter: primo, vt Virginis partus esset purissimus, & integerrimus, sed hoc confutauimus supra ostendentes secundinarum emissionem nullo pacto derogare puritati partus, aut integritati Virginis, spectat namque hoc ad integritatem naturæ, quæ ex se moraliter loquendo, nec laudem, nec vitium importat, immo sic veritatem carnis a Christo assumptæ magis probat, secundo dicit, quod cum secundinæ sint corpus densum, ac durum non poterant ex vtero Virginis exire absque ruptione claustri virginalis sine penetrationis miraculo, quod neque quidquam nobis obest, potuit enim eodem miraculo fieri, vt sicut Christus absque virginalis claustri fractione prodijt ex Matris vtero, ita huiusmodi secundinæ prodirent, tertio probat etiam ex Patribus in Trullo congregatis can. 79. sic enim habent, absq; vllis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, verum, quia alij codices non habent absque vllis secundinis, sed absque vllo dolore, quod etiam ipsemet Suarez animaduertit, ideo illa definitio opinioni nostræ parum nocet, quæ optime suadetur ex eo, quoniam existimamus secundinas in partu virgineo fuisse emissas, vt inde palam fieret, Redemptorem nostrum nõ fantasticum, sed verum corpus assumpsisse, verumque hominem ex Virgine prodijsse, licet enim ipse, vt admonuit D. Greg. Nazanz. ora. 51. quæ est epist. 3. ad Cledo. diuino modo sit genitus, humano tamen, quia iuxta pariendi consuetudinem natus est.

REVELATIO IN BETHLEEM ad præsepe Domini super eadem materia qua supra.

CAP. XXII.

POstea iterum in eodem
loco apparuit mihi Virgo Maria dicens. Filia
mea diu est, quam promiseram tibi in Roma, quod
ostenderem tibi hic in Bethleem modum partus
mei. Et licet aliquid ostendit tibi in Neapoli super hoc, scilicet, qualiter stabam
quando peperi filium meum, tamen scias
certissime, quod ego sic steti, & tali modo
peperi, sicut nunc vidisti flexis genibus oran
1 do sola in stabulo. 1 Peperi enim eum
cum tanta exultatione, & lætitia animæ,
quod non sensi aliquod grauamen, quando
ipse exibat de corpore meo, nec dolorem
aliquem. Sed statim inuolui eum panniculis mundis, quos diu antea præparaue-
2 ram. 2 Quæ quando vidit Ioseph miratus
est cum magno gaudio, & lætitia ex eo, quod
sic sine adiutorio pepereram, verum, quia
magna multitudo gentium in Bethleem
circa descriptionem occupata erat. Ideo
tamen ipsi attendebant ad illud, quod non
poterant inter eos mirabilia Dei diuulga-
3 ri. 3 Et ideo scias veraciter, quod quam
uis homines secundum humanum sensum
conantur asserere, quod filius meus nascebatur per modum communem. Veritas
tamen est, & absque aliquo dubio, quod ipse natus est, sicut ego aliis dixi tibi, & sicut
tu nunc vidisti.

NOTÆ.

1 PEperi eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non sensi aliquod grauamen quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem.

Omnino credendum est Mariam Virginem absque vllo doloris sensu peperisse, sicut ex verbis huius notæ euidenter colligitur, cuius rei in vniuersum tres apud sanctos Patres rationes legimus, harum prima desumitur ex Damasceno libr. 4. de fide ca. 15. & ex Cipriano orat. de Christi Natiuit. non longe ab initio, & Gregorio Nisseno in orat. 1. de Resurrect. ea autē huiusmodi est, voluptas, & dolor secundum naturam inter se adeo sunt connexa, vt ad inuicem separari minime possint, ergo vbicumque partus non antecessit voluptas, nec sequi debet dolor, ergo si B. Virgo in generando nullam ex viro habuit voluptatem, nec in pariendo dolorem habere debuit, vnde Damasc. loco citato, quam inquit voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu secutus est, secundo, quia maxime decebat, vt nullum prorsus ipso nascente Matri suæ afferret incommodum, cum illud præsertim vitare facillime posset: tertio dolor contingit parientibus propter vteri aperitionem violentam, & partium diuulsionem, earumque diuisionem: fit enim dolor continui diuisione, at in Beatissima Virgine, nihil horum inuentum est, neque fuit aperitio vteri, nec partium diuulsio, idem quoque probari posse videtur ex sacris litteris, & primo occurrit cap. 66. Isaiæ antequam (inquit) parturiret peperit, & antequam perueniret tempus partus eius peperit masculum, quis vnquā hoc audiuit, ac si diceret ante dolores partus Virgo peperit, vbi septuaginta legunt antequam veniat dolor parturientium effugit, & peperit masculum, hoc ipsum etiam indicat ca. 35. illis verbis germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda, & laudans. Postremo Mariam sine dolore peperisse affirmarunt D. August. serm. 14. de Natiuit. D. Bernard hom. 3. super missus est, & serm. 4. in Vigilia Natiuitatis, Fulgentius ser. de laudibus Virginis, Greg. Nazianz. in Christo patiente non longe ab initio.

2 Quæ quando vidit Ioseph miratus est, cum magno gaudio, & lætitia ex eo, quod sic sine adiutorio pepereram.

Mariam Virginem absque adiutorio aliquo, & obstetrice peperisse ostendimus superiori capite, nota quinta ex D. Cipriano. D. Thoma. D. Hieron. qui contra Heluidium scribens sic habet, nulla, ibi fuit obstetrix nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsamet quæ peperit, & Mater, & obstetrix fuit.

3 Et ideo scias veraciter, quod quamuis homines secundum humanum sensum conantur asserere, quod filius meus nascebatur per modum communem.

Non defuerunt hæretici, qui affirmare ausi sunt, Beatissimam Virginem concepisse Christum ex Ioseph, sicque in conceptione Mariam Virginitatem amisisse, fuisse autem Ebionitas, refert Clemens Papa lib. 6. constitutionum ca. 6. vbi legis Mosaicæ obseruatores huiusmodi hæreticos extitisse significat, quod etiam tradit Epiphanius hæresi 30. illi ergo, quorum hoc loco mentio fit, qui asserere ausi sunt Christum communi modo natum esse Ebionitæ fuerunt, sed Ireneus libr. 1. cap. 25. Cherintum, & Carpocratem huius erroris facit auctores, quod etiā tradidit Tertullianus lib. de carne Christi cap. 18.

& de

& de velandis Virginibus cap. 6. & de perscriptionibus haereticorum cap. 48. idem habet Epiphanius haeresi 27. & 28. Euseb. lib. 3. hist. cap. 21. Nicephorus lib. 3. hist. cap. 3. D. August. Damasc. & Isidorus in catbal. haeresum, sed quidquid sit de auctoribus huius erroris, de fide credendum est B. Virginem non ex semine viri, & secundum communem nascendi modum, vt legimus hic, sed ex sola Spiritus sancti virtute concepisse, vt Matt. 1. scribitur, inuenta est habens de Spiritu sancto, Lucae 1. Spiritus sanctus superueniet in te. Isaiae 7. Ecce Virgo concepit. Hunc errorem etiam detestatus est, D. Greg. Thaumaturg. in Anathematismis Anathematismo 4. Si quis, inquit, dicat ex semine viri genitum esse Christum de Virgine, sicut omnes alij nascuntur homines, & non confitetur ipsum ex Spiritu sancto, & ex sancta Maria Virgine incarnatum, & factum hominem ex semine David, sicut scriptum est Anathema sit: hoc idem egregie tradidit Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. paulo post medium. Per auditu, inquit, conceptio, sed natiuitas per consuetum parientium egressum, tam & si nonnulli fabulantur per latus diuinae Matris ipsum editum fuisse, non enim impossibile illi erat, per clausam portam transire, & illius non laedere signacula, manet igitur post partum Virgo, & semper Virgo: hoc ipsum probarunt alij Patres, qui asseruerunt, non decuisse Dei filium humano, sed quasi diuino semine hoc est Spiritus sancti virtute concipi, vnde dicunt eum in conceptione Christi habuisse se loco seminis, hoc est suppleuisse virtutem effectiuam, non tamen per semen proprie est intelligendum, vt quid decisum ex substantia personae operantis, vel vt habet rationem causae materialis, sed effectiue, quam suppleuit Spiritus sanctus in illa conceptione, sed hac de re legendi sunt Tertullianus de carne Christi cap. 12. Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. S. Maximus serm. 3. de Natiuit. Domini, D. Chrisost. ho. 1. operis imperfecti in Matt. D. Thom. 3. pa. qu. 32. ar. 2. ad secundum. Postremo probant sancti Patres Saluatorem nostrum absque humano semine fuisse cõceptum, ne ipsemet Christus, eiusq; humanitas ex vi conceptionis esset originali culpae obnoxia, quod repugnasset, & dignitati personae, & officio Redemptoris. sic tradunt Fulgentius de incarnat. & gratia ca. 4. D. August. lib. 3. de pecc. meritis cap. 12. D. Thom. 3. pa. q. 28. arti. 1. afferunt etiam ad hoc probandum plures cõuenientias, & coniecturas, quas in praesentia breuitatis causa omittimus, quippequae ad rem nostram modo non faciunt.

FVIT AD PRAESEPE Domini haec reuelatio facta eidem Dominae in Bethleem qualiter pastores venerunt ad Praesepe ad adorandum Christum natum.

CAP. XXIII.

VIDI etiam in eodem loco dum Virgo Maria, & Ioseph starent puerum adorando in Praesepio, quod tunc pastores, & custodientes gregem venerunt, vt viderent, & adorarẽt infantem. Quem cum vidissent ipsi statim adorauerunt eum magna reuerentia, & gaudio, & postea reuersi sunt laudantes, & glorificantes Deum, in omnibus his, quae audierant, & viderant.

HANC REVELATIONEM habuit sponsa in Bethleem in Cappella, vbi Christus natus est, in qua Virgo Maria narrat ei qualiter tres Magi Reges adorauerunt Christum filium eius.

CAP. XXIV.

1 DIXIT etiam mihi eadem Mater Domini. Filia mea scias, quod quando tres Reges Magi venerunt in stabulum ad adorandum filium meum. Bene ego antea praesciebam eorum aduentum. Et quando intrauerunt, & adorauerunt eum, exultauit tunc filius meus, & prae gaudio habebat tunc faciem hilariorem. Ego etiam nimis gaudebam, & laetabar, mirabili gaudio exultationis in mente mea. Attendens ad verba eorum, & actus, conseruans ea, & conferens in corde meo.

priuati homines facere non potuissent, hoc enim proprium est Principum, & potentum. Postremo inquirendum nobis breuiter est, vt in principio proposuimus, an in eodem loco Magi Christum adorauerint, vbi ipse natus est, an vero in alio, & quidem hic euidenter dicitur in stabulo adorasse Saluatorem, licet Epiphanius libro secundo contra hæreses, hæresi 51. eos non in spelunca, sed in aliqua alia domo id factum esse putet, ratio eius est, quia arbitratur illos non post decimum tertium à Natiuitate diem, sed post duos annos Christum adorasse, quo tempore Christus consequenter locum mutauerat, verum id quod asseritur hic, probabilius est, sicut etiam Sancti Patres tradiderunt, sic Diuus Hieronymus Epistola decimaoctaua, & vigesimaseptima, Diuus Gregorius Nissenus Oratione de Sancta Christi Natiuitate, Diuus Chrys. Homilia sexta in Matth. Nicephorus libro primo Histor. capite decimotertio, Leo Pontifex, Bernardus, Augustinus, & Fulgentius in sermonibus, & Homilijs de Epiphania, præterea constat Mariam non discessisse a loco partus, vsque ad Purificationem.

MATER DEI LOQVENS

Dominæ Brigittæ narrabat ei aliqua de humilitate sua, & filij sui dicens, quod sicut humiles fuerunt Filius suus, & ipsa tunc quando erant in mundo, ita & nunc humiles sunt, licet sint in cœlo.

CAP. XXV.

MATER DEI loquitur. Eadem humilitas est nunc in filio meo in potentia deitatis suæ, sicut tunc fuit, quando reclinabatur in præsepio, qui iacens inter duo animalia, licet omnia sciret secundum deitatem, nihil tamen loquebatur secundum humanitatem. Sic etiam nunc sedens ad dexteram Patris, audit omnes loquentes ad eum cum charitate, & respondet per infusiones sancti Spiritus, quibusdam verbis, & cogitationibus, quibusdam quasi ore ad os loquitur sicut ei 1
placet. Similiter ego quæ sum mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo,
quod est super omnia, quæ creata sunt exaltatum, sicut tunc fui quando Ioseph
1 desponsata eram. 1 Veruntamen
pro certissimo scire debes, quod Ioseph
antequam desponsauit me intellexit in spiritu Sancto me vouisse virginitatem meo
Deo, immaculatamque esse cogitatione,
verbo, & opere. Qui ex intentione desponsauit me, vt seruiret mihi, habendo
me pro Domina sua, non pro vxore.
2 Ego etiam in Spiritu Sancto sciui certissime, quod virginitas mea perpetue permaneret illæsa, licet ex occulta dispensatione
2 Dei viro desponsabar. 2 Sed postquam
consensi nuncio Dei, Ioseph videns vterum
meum Spiritu sancti virtute intumescere,
expauit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus
dicta prophetarum prænunciantium filium
ξ Dei nasciturum de Virgine, reputabat se
indignum tali seruire Matri, donec Angelus in somnis præcepit sibi non timere, sed
cum charitate mihi ministrare. De diuitijs vero ego, & Ioseph, nihil reseruauimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem
Dei, reliqua dimisimus propter amorem
Dei. Instante vero hora natiuitatis filij
mei, quam ego optime presciui, veni secundum præscientiam Dei in Bethleem deferens mecum mundissimam vestem, seu
panniculos pro filio meo, quibus nemo vnquam vsus fuerat ante. In quibus primo inuolui illum, qui natus est ex me, cum
3 omni puritate. 3 Et licet ab æterno non
præuisa sum sedere in sublimissima sede,
& honore, super omnes creaturas, & super omnes homines, nihilominus tamen
ex humilitate mea, non dedignabar parare, & ministrare ea, quæ erant necessaria
Iosepho, & mihiipsi. Similiter, & Filius
meus subditus erat Ioseph, atque mihi.
Sicut ergo humilis fui in mundo cognita
soli Deo, & Ioseph, sic etiam nunc sum
humilis sedens in sublimissimo throno, parata præsentare Deo omnium orationes rationabiles. Sed aliquibus respondeo per infusiones diuinas aliquibus autem loquor secretius sicut beneplacitum est Deo.

quantum est de festo Ascensionis eiusdem
2 filii mei vsq; ad mortem meam. 2 Et tunc mortua iacui in isto sepulchro per quindecim dies. 3 Deinde fui assumpta in cęlum
3 cum infinito honore, & gaudio. Vestes autem meę cum quibus fui sepulta, tunc remanserunt in isto sepulchro. 4 Et ego fui
4 tunc induta talibus vestibus, qualibus indutus est filius meus, & Dominus meus Iesus Christus. Item sciatis, quod nullum corpus humanum in cęlo est, nisi corpus Gloriosissimi filii mei, & corpus meum. Vos igitur iam recedite ad terras Christianorum, vitas vestras semper in melius emendate, & cum summa custodia, & attentione de cętero viuite, ex quo iam visitastis ista loca sancta, vbi Filius meus, & ego viximus corporaliter, & mortui, & sepulti sumus.

NOTAE.

1 EGo postquam filius meus ascendit ad Cęlos, vixi in mundo per quindecim annos.

Hac de re plura tradidimus supra lib. sexto capite 61. nota prima, vbi diuersas Patrum sententias retulimus, inter quos fuit vetus disputatio de Beatissimę Virginis ętate, nos vero probauimus ib. Mariam vixisse post Ascensionem Christi, quindecim annos, vt in pręsenti capite scribitur.

2 Et tunc mortua iacui in isto Sepulchro per quindecim dies.

Fortasse legendum hic aliquantis diebus nō quindecim, sic enim infra legitur in serm. de Virg. excellentia cap. 21. positus in fine huius operis, sed quidquid sit de tempore, quo post obitum Marię corpus in Sepulchro iacuit, multę virorū Doctorum circumferuntur sententię, quidam existimarunt mansisse Mariam in Sepulchro quadraginta dies, et postea resurrexisse, & ad Cęlos fuisse Assumptam animo, & corpore simul, quod factum fuisse vigesimatertia Septembris asserunt, mors enim contigisse creditur decimaquinta mensis Augusti, quo tempore Ecclesia Assumptionis dies festus celebrat, refert hanc opinionem ex quadam reuelatione S. Antoninus 3. par. tit. 19. cap. ij. in fine, & huic etiam fauet Beda, qui in Martirologio nono Calendas Octobris ponit secundam Assumptionem Sanctę Marię Virginis, & priorem posuerat decimo octauo Calendas Septembris, ex quo infert Franciscus Suarez in comment. super 3. p. Sancti Thomę q. 37. artic. 4. disp. 21. sect. 2. hanc postremam Assumptionem secundum Bedam intelligendam esse in sola anima, priorem vero in anima, & corpore, sed hoc videtur posse reijci, quoniam Ecclesia dupplicem illam festiuitatem non agnoscit, alij vero arbitrati sunt eodem die quo mortua est, fuisse etiā Assumptam, id ex eo probantes, quod Ecclesia eodem die, & mortem, & Assumptionem celebrat, sed quoniam, hac ratio satis debilis ad illud probandum existit, alijs pluribus probabilius visum est, post triduum resurrexisse Mariam, quę sententia illo pręcipue fundamento nititur, quod ex Damasceno de Dormitione Deiparę, & ex Nicephoro habetur: Apostolos morti eius affuisse, ac totum triduum ad monumentum Virginis mansisse, Hymnorum cantus ab Angelis audientes, post tertium vero diem venisse Thomam, qui tunc abfuerat, cumq; cum gloriosum eius corpus, quod Deum susceperat adorare voluisset, loculum aperuerunt Apostoli, sed omni ex parte illud inuenire nequaquam potuerunt, inde ergo satis probabiliter arbitrati sunt, tunc temporis illam fuisse ad Cęlos Assumptam. Cui addendum est, quod sicut Christus Dominus in Sepulchro per triduum mansit, ita videtur dicendū Mariam Virginem eius Matrem tribus etiam diebus mansisse.

3 Deinde fui Assumpta in Cœlum cum infinito honore, & gaudio.

Quam plures ex Sanctis Patribus pie credēdum esse asseuerārunt, nō oēs tantummodo Angelorum choros, et sanctorum, sed etiā ipsum met Christum in Maria Virg. occursum venisse, et cum ingenti gaudio, ac gloria eam secum ad Cęlos deduxisse, qua de re pręcipue legendi sunt D. Anselm. de excellentia Virg. cap. 9. Damasc. oratione 1. de dormit. circa finē, & orat. 2. per totum. Sophron epist. de Assumpt. Virg. Athanas. serm. de Sanctiss. Deipara D. Antoninus p. p. hist. tit. 6. cap. 3. §. 1. Canisius lib. quinto de Deipara cap. 3.

4 Ego fui tunc induta talibus vestibus, qualibus indutus est filius meus, & Dominus meus Iesus Christus.

De indumētis hic sermo fit, quibus Maria Virgo vestita est, cum ad Cęlum Assumpta fuit, quę non materialia, sed spiritualia sūt, duo autē in primis occurrunt, incorruptio, ac immortalitas, vt in serm. de Deipara sub finē tradit D. Athanas. qui de Beatiss. Virg. intelligit ea verba, psalm. 44. astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, induta inquit est quantum spectat ad sanctissimam eius carnem incorruptibilitate, & Immortalitate, aut etiam huiusmodi vestes quattuor dotes sunt, quę communiter Beatis in Patria conferuntur. Verum vt rem hanc enucleatius explicemus, supponendum est primo, si loquamur de his, quę ad Beatitudinis essentialis perfectionem spectant, dico Mariam ea in re, & Angelos, & homines anteire, iuxta illud quod canit Ecclesia, exaltata est Sancta Dei Genetrix super Choros Angelorum, & hoc probant D. Anselm. de Excellentia Virg. cap. 4. D. Bernard. serm. 1. & 2. de Assumpt. Damasc. oratione 1. de dormit. Nazianzen. in inuocat. ad Virg. Athanas. vbi supra & alij plures, si vero sermo sit de accidentali gloria corporis, & animę etiā credendum est, quoad vtrumque illam perfectius, & cumulatius huiusmodi accidentalibus premijs abundare, quam om-

omnes alij Beati, hæ autem perfectiones, quæ ad animam pertinent, sunt vel reuelationes variæ, vel impetrationes, & alia sexcenta, quæ omnia Mariæ abundantissime collata sunt, vt ex citatis patribus colligitur; at si loquamur de Aureolis, quæ etiam ad accidentalē animæ gloriam spectant, quis nunquam dubitet, ipsam eas quoque obtinuisse, & de virginitatis Aureola constat tantam Mariæ fuisse præstantiorem, quanto ipsa perfectius cæteris Virginitatem amauit, quod adeo verum est, vt & primicaria Virginum a patribus appelletur, vt frequenter in superioribus notis indicauimus; & de Aureola doctoribus debita patet, quod ea quoque fruatur in Cælo, ipsa namque fuit sapientissima, & in Sacris litteris eruditissima, Apostolorum etiam Magistra, immo omnium mysteriorum Dei Vas, & receptaculum, vt indicauit Gregorius Thaumaturgus serm. 2. in annunciat. circa finem, & nos probauimus supra libro primo Reuelat. cap. 10. nota secunda, & libro sexto Reuelat. cap. 61. nota prima, & licet doctoris officio publice functa minime sit palam docendo, & concionando, hoc tamen ad hanc promerendam Aureolam nō est necesse, satis enim est fidei veritatem in alios diffundere, vt egregie animaduertit Diuus Thomas in 4. d. 49. q. 5. art. 5. Sed de Aureola Martirij fuit aliqualis controuersia, quamsquidem constat Mariam violenta morte non obijsse, vt nos probauimus supra lib. sexto Reuelat. cap. 19. nota quinta ex D. Gregorio Thaumaturgo, Ambrosio, & Beda, at quoniam Sancti Patres, eam & Martirem vocarunt, & plusquam Martyrem, ideo existimandum est Martirij Aureola non caruisse; sic Diuus Hieron. serm. de Assumpt. D. Bernard. serm. signum magnum, Anselm. de Excellentia Virg. cap. quinto, habuisse autem Martirij Aureolam probat Franciscus Suarez in comment. super 3. p. S. Thomæ q. 37. art. 4. disp. 21. sect. 4. qui pro hac opinione citat Gabrielem in 4. d. 49. q. 4. art. 3. & Vigerium in Instit. Theolog. cap. 14. §. 3. verb. 2. ex his facile deducitur, quid de gloria corporis Virginis dicendum sit habuit enim omnes illas dotes quas omnes Beati communiter habent in patria, et tanto perfectius quanto excellentiori animæ Beatitudine fruitur, immo opinatur Suarez loco citato ob singularem filij sui generationem, in corpore etiam habere Mariam singularem quempiam præ cæteris beatis splendorem, vel aliquod aliud quod insigne sit Regiæ dignitatis, ac diuinæ maternitatis, his ergo vestibus induta fuit Maria, quando ad Cælum Assumpta est, de quibus in præsenti capite sermo est.

QVANDO DOMINA Brigitta in reuersione de Hierusalem transiuit per Ciuitatem Neapolim requisita per Dominam Reginam, & Archiepiscopum dictæ Ciuitatis orauit Deum pro habitatoribus eiusdē Ciuitatis, & Christus loquens ei redarguit habitatores prædictos de pluribus peccatis, ostendens eis modum quo se reconcilient cum eo peccatores promittens eis misericordiam si se reconciliauerint, & emendauerint, comminatur etiam eis cum seueritate iustitiæ, si se non correxerint, & in peccato perseuerauerint. Quam reuelationem ipsa Domina Brigitta publicauit in præsentia dicti Domini Bernardi Archiepiscopi, & trium magistrorum in Theologia, & duorum doctorum in iure Canonico, & ciuili, & aliquorum militum, & ciuium dictæ Ciuitatis.

CAP. XXVII.

VNi personæ in oratione vigilanti, & contēplatione vacanti, dum staret in raptu eleuationis mentalis, apparuit Iesus Christus sic ei dicens: Audi tu, cui datum est audire, & videre spiritualia, & attende diligenter, & in mente tua tene ea, quæ modo audies, quæ tu ex parte mea annunciabis gētibus, non loquaris ea pro acquirendo tibi honorem, & aut humanam laudem, nec etiam ea sileas propter aliquem timorem humani improperij, & contemptus, quia non propter te tantum, sed etiam propter preces amicorum meorum hæc tibi ostenduntur, quæ modo es auditura. Nam aliqui electi amici mei Ciuitatis Neapolitanæ, multis annis rogauerunt me ex toto corde suo precibus, & laboribus suis pro inimicis meis in eadē ciuitate habitantibus, vt ego aliquā gratiam ostenderem eis, per quam ipsi a peccatis, & abusionibus suis possent retrahi, & salubriter reuocari, quorum precibus inclinatus do tibi nunc hæc verba mea, & ideo tu diligenter audi, quæ loquor tibi.

tibi. Ego sum Creator omnium, & domi
nus, tam super diabolos, quam super om-
nes Angelos, & nullus effugiet iudicium
1 meum. 1 Diabolus denique tripliciter
peccauit contra me; superbia scilicet, inui
dia; & arrogantia, id est amore propriæ
2 voluntatis. 2 Tantum quippe superbiuit
ipse, quod voluit esse super me dominus, &
vt ego essem subiectus sibi. Inuidebat quo
que mihi intantum, quod si possibile foret
libenter occidisset me, vt ipse esset domi-
nus, & sederet in throno meo. Tantum
etiam chara fuit ei sua voluntas propria,
quod nihil curabat de voluntate mea, dum
tamen ipse posset perficere voluntatem
suam, propter quod ipse cecidit de cœlo,
& de Angelo factus est diabolus, in profun
do inferni. Post hæc autem ego videns
malitiam eius, & magnam inuidiam quam
ipse habebat contra hominem ostendi vo-
luntatem meam, & dedi mandata mea ho
minibus, vt ipsi faciendo ea possent place-
re mihi, & displicere diabolo. Deinde
propter charitatem quam ego habeo ad ho
mines, veni in mundum, & assumpsi carnẽ
de Virgine. Docui etiam eos personaliter
veram viam salutis opere, & sermone; &
vt perfectam charitatem, & amorem eis
ostenderem, aperui eis cœlũ meo proprio
sanguine. Sed quid faciunt mihi, nunc il-
li homines, qui sunt inimici mei? Vere ip
si contemnunt præcepta mea eijciunt me de
cordibus suis tanquam virus abominabile,
expuunt etiam me de ore ipsorum velut rẽ
putridam, & abhorrent me videre quasi le
prosum pessime fœtentem. Diabolum vero
& eius opera amplectuntur toto suo affe-
ctu, & opere, hunc enim introducunt in
cordibus suis, faciendo delectabiliter, &
gratanter eius voluntatem, & sequendo e-
ius immissiones malignas. Ideo iusto iu-
dicio meo remunerabũtur in inferno cum
diabolo æternaliter sine fine. Nam pro su
perbia quam exercent, habebunt confusio-
nem, & æternum pudorem. intantum quod
Angeli, & dæmones de eis dicent. Impleti
sunt confusione, vsque ad summum, pro cu
piditate vero ipsorum, insatiabili quilibet
diabolus inferni replebit eos suo veneno
mortifero, intantum quod in animabus
eorum nullus vacuus locus remanebit, qui
non sit diabolico veneno repletus. Pro lu
xuria vero qua ardens sicut animalia in-
sensata, nunquam admittentur ad viden-
dum faciem meam, sed separabuntur a me,
& priuabuntur etiam sua voluptate inordi
3 nata. 3 Cæterum scias, quod sicut om-
nia peccata mortalia grauissima sunt, ita
etiam peccatum veniale, si homo delecta-
tur in eo cum voluntate perseuerandi effi-
citur mortale. Propterea mulieris, quod
duo peccata exercentur, quæ ego nomino
tibi modo, quæ trahunt secum alia pecca-
ta, quæ omnia videntur quasi venialia. Sed
quia gentes delectantur in eis cum volun-
tate perseuerandi, ideo efficiuntur morta-
lia, & multa alia peccata abominabilia cõ-
mittunt gentes in ciuitate Neapoli, quæ no
lo tibi nominare. Primum de duobus pec
catis est, quod facies humanæ rationalis
creaturæ depinguntur diuersis coloribus,
quibus colorantur imagines insensibiles, &
statuæ idolorum, vt videantur ab aliis pul-
chriores, quam ego feci eas. Secundum pec
catum est, quod per inhonestas formas ve-
stimentorum, quibus gentes vtuntur, cor-
pora hominum, & mulierum deformantur
a statu suo, & hoc gentes faciunt propter
superbiam, & vt videantur pulchriores, &
lasciuiores in corporibus suis, quam ego
Deus creaui eos, & vt etiam sic videntes, ci
tius prouocentur, & inflammentur ad car-
nalem concupiscentiam. Ideo certissime
scias, quod quoties deliniunt facies suas co
lore stylijo, & extraneo toties diminuitur
eis infusio aliqua Sancti Spiritus, & diabo-
lus magis appropinquat eis, quoties vero
ornant se vestibus indecentibus, & inordi-
natis, & taliter deformant sua corpora, to
ties ornatus animæ diminuitur, & diaboli
potestas augmentatur. O inimici mei, qui
talia facitis, & alia peccata meæ volunta-
ti contraria effronte committitis, quare
neglexistis passionem meam, & non attendi
tis in cordibus vestris, quomodo ego nu-
dus steti ad columnam ligatus duris flagel-
lis crudeliter verberatus. Quomodo nudus
stabam, & clamabam in cruce, repletis vul-
neribus, & vestitus sanguine, & quando vos
depingitis, & vngitis facies vestras. Cur
non aspicitis ad faciem meam qualiter san
guine repleta fuit? Nec etiam attenditis
ad oculos meos, quomodo caligauerunt, &
operiebantur sanguine, & lacrymis, & pal-
pebræ meæ colore liuido. Quare adhuc non
aspicitis ad os meum, aures quoque, &
barba non intuimini qualiter erant decolo-
rata, & intincta sanguine, non respicitis re
liqua membra mea, diuersis pœnis immani
ter sauciata. Et qualiter liuidus, & mor-
tuus in cruce pependi propter vos, & ibi ab
omnibus derisus, & abiectus despiciebar,
ad hoc, vt ex tali recordatione, & attenta
memoria me Deum vestrum diligeretis, &
sic diaboli laqueos effugeretis, quibus estis
horribiliter colligati. Veruntamen hæc
omnia in oculis, & cordibus vestris oblita,
& neglecta sunt. Ideo facitis sicut mere-
trices diligentes voluptatem, & delectatio-
nem carnis non autem prolem. Cum enim
sen-

dum est, quod neque indigebant Asino, quo veheretur Maria grauida, nam vt egregie annotarũt D. Bernard. hom. 12. in illa verba Apocalips. signũ magnum apparuit, Fulgentius serm. de laudibus Mariæ, Nicephorus libr. 1. cap. 12. Mariæ vterus neque grauis, neque molestus extitit, nam quæ sine viro concepit, sine dolore peperit, credendum etiam est, vterum absque molestia gestasse, non ergo vicinitas partus obstabat, quo minus in Bethleē pedibus venire posset.

3 Quæ tunc duos panniculos lineos, & duos laneos mundissimos, & subtiles extraxit.

Quales fuerint fasciæ, aut panni, quibus natus Saluator noster inuolutus est, ex verbis præsentis notæ satis aperte cognoscimus, non enim erant serici, sed ex lino, & lana confecti, viles quidem, sed mundi, & candidi, non sordidi, constat namque Mariam, & Iosephum adeo pauperes extitisse, vt pannos non solum non habuerint pretiosos ad inuoluendum natum puerum, vt nec illi prægnanti quidem aut parienti locus fuerit in diuersorio, vt necesse fuerit infantem in Præsepio cum animalibus brutis præ inopia ponere, quod animaduertens D. Bernard. serm. 3. de Natali Domini; nascitur, inquit Dei filius in cuius arbitrio erat, quod cumque vellet eligere, tempus elegit, quod carni molestius est præsertim paruulo, & pauperis Matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum. Præsepe ad reclinandum. Eosdem quoque pannos fuisse viles tradit D. Augustinus serm. de Natali Domini cum ait in stabulo nascitur, & a Matre Maria vili fascia cingitur, & in præsepio reclinatur, non erat ei Cedrina domus, nec lectus eburneus, in quo pareret creatorem, & omnium poneret Redemptorem, idcirco velut exul, & peregrina in aliena domo, mundi Dominum peperit, & tanquam fœmina pauper non sericis, sed pannis vilibus inuoluit, & in præsepio collocauit.

4 Erectis igitur manibus, & oculis in cœlum intentis stabat quasi in extasi contemplationis suspensa.

Omnino credendum est Mariam, ea nocte felici qua Christum Redemptorem parere debebat, non somno fuisse deditam, sed continuis orationibus intentam, hoc enim est, quod scribitur hic, stabat quasi extasi contemplationis suspensa, inebriata diuina dulcedine, sic orantem Saluatorem nostrum peperisse, vnde non est mirum si cap. immediate sequente legimus, quod ipsa genuflexa orando sola in stabulo peperit, cuius rei fidem etiam facit Canisius lib. 4. de Virgine Deipara cap. 9. neque enim inquit somno oppressa sedebat; quam in summa esset puerperij expectatione, nec deterret imparatam esse sponsam, de cuius thalamo sponsus ille mox erat processurus, media, & intempesta nox aderat; quando reliquis altum stertentibus Virgo, vt solebat sacras egit excubias, diuinis intenta contemplationibus, cœlesti luce circumfusa, & in extasi velut absorpta, dum circa sublime, & arcanum

Beatissimæ Trinitatis mysterium incomprehensibili modo philosophatur, tunc demum Maria sensit impleri, quod alicubi scriptum legimus, dum medium silentium, &c.*

5 Veruntamen statim vidi illum gloriosum infantem iacentem in terra, mundum, & nitidissimum.

Verba præsentis notæ nobis ansam præbent, vt quæramus, quis fuerit ille locus, quem Saluator noster mox, vt de sacratissimo Virginis vtero prodijt primo suo immaculato corpore tetigerit, & quidem hic innuitur terram fuisse, seu pauimentum illius speluncæ, in qua natus est, cum enim ibi, nulla fuerit obstetrix, vt contra Heluidiũ probat Hieron. & Cipr. ser. de Natiuit. D. Thomas 3. par. q. 35. ar. 6. ad tertium argumentum, certe non fuit primo alicuius obstetricis manibus receptus, ergo vel manus, & Brachia Virginis dicendum est fuisse primum locum, quem primo natus Christus occupauit, vt censet Caetanus in locum citatum S. Thom. vel fuit ipsa met terra, quod si verum est, ingens profecto, vel in principio sui ortus Christus nobis humilitatis reliquit exemplum, eoque magis, quod vt refert Lodulphus de vita Christi p. 1. cap. 9. Maria Virgo, cum suum filium in præsepio collocauit & Puluinar non haberet, eius capiti lapidem supposuit, interposito forte fœno, quod ab animalibus mutuo accepit, quem lapidem ibi, vsque ad hæc tempora asseruari affirmat, verum Christum Dominum recenter natum, etiam Angelorum manibus fuisse susceptum, plures arbitrati sunt, asserentes hoc ad ipsius Christi dignitatem spectare, & B. Virgini huiusmodi gaudium, & amoris significationem competere, sed quicquid sit si quis nosse cupit, quomodo Maria erga natum recenter puerum se gesserit, legat Cipr. vbi supra, qui sic ea de re loquitur, Genetrix est Obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exibet clientelam, attrectat, amplectitur, impingit oscula, porrigit Mamillam, & totum negotium plenum gaudij, Plura etiam, quæ ad hanc rem faciunt annotauit Canisius lib. 4. de Virg. cap. 9.

6 Vidi etiam pellem secundinam iacentem prope eum inuolutam, & valde nitidam.

Opere pretium esse duxi ad horum intelligentiam inuestigare breuiter, quid secundina sit, quam hoc loco B. Brigitta vidisse testatur, postea vero videbimus, an huiusmodi secundinæ, cum Christus de vtero Matris prodijt, fuerint emissæ. Et quantum spectat ad primum Aristot. 3. de Gener. Animalium cap. 1. & Galenus de formatione fœtus asserunt, quod cum homo concipitur, membranæ quædam in Matris vtero formantur, in quibus fœtus inuoluitur, ibique vsque ad Natiuitatis tempus moratur: hæ autem ab aliquibus dicuntur folliculæ, quia simul cum infante nascuntur, continentque eum, sic tradit D. Isidorus lib. 11. Ethimolog. cap. 1. Sed Albertus Bottonus Medicus, & Philosophus insignis de morbis mulieribus lib. 1. cap. 1. Corion secundinam appellat, & aliud non esse dicit, quam

vasorum

vaserum omnium vteri radicatio quædam per hanc enim vasa omnia seruatur quecumque secundis insunt. communiter tamen secundinæ appellari consueuerunt, horum autem primaria functio ad alimentum fœtus pertinet, qui per vmbelicum secundinis iungitur, per quas a Matre sanguinem sugit; ideoque illas venis esse refertas ferunt, cum vero Natiuitatis tempus instat, franguntur illæ, vt proles egrediatur, & post ortum subinde eas Mater emittit simul cum aliquali copia quarundam humiditatum, & sanguinis, quem ad nutriendam prolem ad eas natura amandauerat, his declaratis.

Dicendum est primo Mariam Virginem absque sanguinis fluxu peperisse, quod nos late probauimus lib. 6. Reuelat. cap. 57. nota prima ex Cipriano, Grgor. Nazianz. & Epiphanio, & patet etiam ex sexta Sinodo act. ij. & Sophronio, qui in sua epistola vocat partum illum incorruptibilem, quia scilicet absq; fluxu sanguinis perfectus est, indicat hoc idem D. Thomas 3. pa. qu. 35. art. 6. ad tertium verum si quis quærat quid de illo sanguine factum sit, qui intra secundinas inclusus nutritioni fœtus inseruiebat, respondent aliqui Beatissimam Virginem tempore partus superfluum sanguinem, quem euacuaret non habuisse, sed eum tantummodo, qui ad sui corporis nutritionem, suumque filium nutriendum sufficeret; alij vero existimarunt membranas, simul cum sanguine diuina virtute fuisse resolutas in præiacentem materiam, aut etiam sanguinem illum fluxisse in Mammas, quarum virtute albescens lactis acceperit qualitatem, sic enim communiter fieri arbitratur D. Isidorus loco citato cum inquit, post partum si quid sanguinis non dum fuerit in vteri nutrimento consumptum, naturali meatu fluit in mammas, & earum virtute albescens, lactis accipit qualitatem: cæterum in partu Virginis penitus abfuisse sāguinis fluxū, vt probauimus colligitur etiam ex verbis præsentis notæ cum dicitur, vidi pellem secundinam valde nitidam, ergo si erat nitida non erat aspersa sanguine, quod autem simul, cum virgineo partu legamus etiam prodijsse huiusmodi secundinam pellem non videtur, nec derogare puritati partus, neque integritati Virginis, spectat namque ad illius puritatem, virginisque integritatem, quod absque hominis aliquo adminiculo sit formatus fœtus, ibique nulla interueniat, aut immunditia, aut libidinis nota, in Natiuitate autem Redemptoris nostri nihil horum inuentum est, omnia namque Spiritu sancti virtute facta sunt, & quamquam per Genitales meatus Christus natus sit, vt consueuerunt alij homines nasci, id tamen citra fœditatem, ac turpitudinem aliquam, & absque inquinamentis accidit, vt egregie annotauit Epiphanius lib. 3. contra hæreses in fine, voluit ergo sic honorare naturam nostram teste Greg. Nazianz. orat. 16. de amore pauperum non longe a principio illam assumendo, cum omni proprietate absque macula tamen aliqua, hinc tradit Caetanus 3. pa. q. 35. ar. 6. in illa Natiuitate intercessisse omnia, quæ non ex peccato, sed ex natura sunt, spectat autem ad integritatem naturæ primo, vt Christi corpusculum fuerit intra secundinas inclusum, si enim his membranis caruisset non potuisset naturaliter ali, nam fœtus, qui per vmbilicum secundinis copulatur, per eas sugit a Matre sanguinem, & ideo illæ plene sunt venis, ergo si hæ abfuissent, Christus in vtero Matris non habuisset statum naturalem, non tamen negarim potuisse Deum per miraculum alio quopiam modo supplere, sed non est necesse ad miracula recurrere, absque necessitate aliqua, hoc ergo adductus argumento Franciscus Suarez societatis Iesu Theologus in comment. super 3. p. S. Thom. q. 35. dispu. 13. sect. 2. affirmauit conceptum quidem fuisse Christum membranis inuolutum, tempore autem Natiuitatis, sicut per naturales vias prodijt, absq; Virginalis Claustri fractione, ita etiam eas exiuisse membranas penetrando absque ruptione, neque fuisse necessarium secundinas in lucem prodire, eas tamen cum sanguine in aliam materiam fuisse resolutas diuina virtute, vel alio miraculoso modo in alium locum translatas, probat autem hanc opinionem tripliciter: primo, vt Virginis partus esset pu- 1
rissimus, & integerrimus, sed hoc confutauimus supra ostendentes secundinarum emissionem nullo pacto derogare puritati partus, aut integritati Virginis, spectat namque hoc ad integritatem naturæ, quæ ex se moraliter loquendo, nec laudem, nec vitium importat, immo sic veritatem carnis a Christo assumptæ magis probat, secundo dicit, quod cum secundinæ sint corpus densum, ac durum non poterant ex vtero Virginis exire absque ruptione claustri virginalis sine penetrationis miraculo, quod neque quidquam nobis obest, potuit enim eodem miraculo fieri, vt sicut Christus absque virginalis claustri fractione prodijt ex Matris vtero, ita huiusmodi secundinæ prodirent, tertio probat etiam ex Patribus in Trullo congregatis can. 79. sic enim habent, absq; vllis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, verum, quia alij codices non habent absque vllis secundinis, sed absque vllo dolore, quod etiam ipsemet Suarez animaduertit, ideo illa definitio opinioni nostræ parum nocet, quæ optime suadetur ex eo, quoniam existimamus secundinas in partu virgineo fuisse emissas, vt inde palam fieret, Redemptorem nostrum nō fantasticum, sed verum corpus assumpsisse, verumque hominem ex Virgine prodijsse, licet enim ipse, vt admonuit D. Greg. Nazanz. ora. 51. quæ est epist. 3. ad Cledo. diuino modo sit genitus, humano tamen, quia iuxta 2
pariendi consuetudinem natus est.

REVELATIO IN BETHLEEM ad præsepe Domini super eadem materia qua supra.

CAP. XXII.

Postea iterum in eodem loco apparuit mihi Virgo Maria dicens. Filia mea diu est, quam promiseram tibi in Roma, quod ostenderem tibi hic in Bethleem modum partus
mei. Et licet aliquid ostendit tibi in Neapoli super hoc, scilicet, qualiter stabam
quando peperi filium meum, tamen scias
certissime, quod ego sic steti, & tali modo
peperi, sicut nunc vidisti flexis genibus orã
1 do sola in stabulo. 1 Peperi enim eum
cum tanta exultatione, & lætitia animæ¹,
quod non sensi aliquod grauamen, quando
ipse exibat de corpore meo, nec dolorem
aliquem. Sed statim inuolui eum panniculis mundis, quos diu antea præparaueram.
2 ram. 2 Quæ quando vidit Ioseph miratus
est cum magno gaudio, & lætitia ex eo, quod
sic sine adiutorio pepereram, verum, quia
magna multitudo gentium in Bethleem
circa descriptionem occupata erat. Ideo
tamen ipsi attendebant ad illud, quod non
poterant inter eos mirabilia Dei diuulgari.
3 ri. 3 Et ideo scias veraciter, quod quam
uis homines secundum humanum sensum
conantur asserere, quod filius meus nascebatur per modum communem. Veritas
tamen est, & absque aliquo dubio, quod ipse natus est, sicut ego alias dixi tibi, & sicut
tu nunc vidisti.

NOTÆ.

1 Peperi eum cum tanta exultatione, & lætitia animæ, quod non sensi aliquod grauamen quando ipse exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem.

Omnino credendum est Mariam Virginem absque vllo doloris sensu peperisse, sicut ex verbis huius notæ euidenter colligitur, cuius rei in vniuersum tres apud sanctos Patres rationes legimus, harum prima desumitur ex Damasceno libr. 4. de fide ca. 15. & ex Cipriano orat. de Christi Natiuit. non longe ab initio, & Gregorio Nisseno in orat. 1. de Resurrect. ea autẽ huiusmodi est, voluptas, & dolor secundum naturam inter se adeo sunt connexa, vt ad inuicem separari minime possint, ergo vbicumque partus non antecessit voluptas, nec sequi debet dolor, ergo si B. Virgo in generando nullam ex viro habuit voluptatem, nec in pariendo dolorem habere debuit, vnde Damasc. loco citato, quam inquit voluptas non anteiuit, nec dolor quidem in partu secutus est, secundo, quia maxime decebat, vt nullum prorsus ipso nascente Matri suæ afferret incommodum, cum illud præsertim vitare facillime posset: tertio dolor contingit parientibus propter vteri aperitionem violentam, & partium diuulsionem, earumque diuisionem: fit enim dolor continui diuisione, at in Beatissima Virgine, nihil horum inuentum est, neque fuit apertio vteri, nec partium diuulsio, idem quoque probari posse videtur ex sacris litteris, & primo occurrit cap. 66. Isaiæ antequam (inquit) parturiret peperit, & antequam perueniret tempus partus eius peperit masculum, quis vnquã hoc audiuit, ac si diceret ante dolores partus Virgo peperit, vbi septuaginta legunt antequam veniat dolor parturientium effugit, & peperit masculum, hoc ipsum etiam indicat ca. 35. illis verbis germinans germinabit, sicut lilium, & exultabis letabunda, & laudens. Postremo Mariam sine dolore peperisse affirmarunt D. August. serm. 14. de Natiuit. D. Bernard. hom. 3. super missus est, & serm. 4. in Vigilia Natiuitatis, Fulgentius ser. de laudibus Virginis, Greg. Nazianz. in Christo patiente non longe ab initio.

2 Quæ quando vidit Ioseph miratus est, cum magno gaudio, & lætitia ex eo, quod sic sine adiutorio pepereram.

Mariam Virginem absque adiutorio aliquo, & obstetrice peperisse ostendimus superiori capite, nota quinta ex D. Cipriano. D. Thoma. D. Hieron. qui contra Heluidium scribens sic habet, nulla, ibi fuit obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsamet quæ peperit, & Mater, & obstetrix fuit.

3 Et ideo scias veraciter, quod quamuis homines secundum humanum sensum conãtur asserere, quod filius meus nascebatur per modum communem.

Non defuerunt heretici, qui affirmare ausi sunt, Beatissimam Virginem concepisse Christum ex Iosepho, sicque in conceptione Mariam Virginitatem amisisse, fuisse autem Ebionitas, refert Clemens Papa lib. 6. constitutionum ca. 6. vbi legis Mosaicæ obseruatores huiusmodi hæreticos extitisse significat, quod etiam tradit Epiphanius hæresi 30. illi ergo, quorum hoc loco mentio fit, qui asserere ausi sunt Christum communi modo natum esse Ebionitæ fuerunt, sed Ireneus libr. 1. cap. 25. Cherintum, & Carpocratem huius erroris facit auctores, quod etiã tradidit Tertullianus lib. de carne Christi cap. 18. & de

& de velandis Virginibus cap.6. & de perscriptionibus hæreticorum cap.48. idem habet Epiphanius hæresi.27. & 28. Euseb. lib.3.hist.cap.21. Nicephorus lib.3.hist.cap.3.D. August. Damasc. & Isidorus in cathal. hæreſum, sed quidquid sit de auctoribus huius erroris, de fide credendum est B. Virginem non ex semine viri, & secundum communem naſcendi modum, vt legimus hic, sed ex sola Spiritus sancti virtute concepiſſe, vt Matt.1. scribitur, inuenta est habens de Spiritu sancto, Lucæ 1. Spiritus sanctus superueniet in te. Isaiæ 7. Ecce Virgo concepit. Hunc errorem etiam detestatus est, D.Greg.Thaumaturg. in Anathematiſmis Anathematiſmo 4. Si quis, inquit, dicat ex semine viri genitum eſſe Christum de Virgine, sicut omnes alij naſcuntur homines, & non confitetur ipſum ex Spiritu sancto, & ex sancta Maria Virgine incarnatum, & factum hominem ex semine Dauid, sicut scriptum est Anathema sit: hoc idem egregie tradidit Damaſcenus lib.4. de fide cap.15. paulo post medium. Per auditũ, inquit, conceptio, sed natiuitas per conſuetum parientium egreſſum, tam & si nonnulli fabulantur per latus diuinæ Matris ipſum editum fuiſſe, non enim impoſſibile illi erat, per clauſam portam transire, & illius non lædere signacula, manet igitur post partum Virgo, & semper Virgo: hoc ipſum probarunt alij Patres, qui aſſeruerunt, non decuiſſe Dei filium humano, sed quasi diuino semine hoc est Spiritus sancti virtute concipi, vnde dicunt eum in conceptione Christi habuiſſe se loco seminis, hoc est suppleuiſſe virtutem effectiuam, non tamen per semen proprie est intelligendum, vt quid deciſũm ex ſubſtantia personæ operantis, vel vt habet rationem cauſæ materialis, sed effectiue, quam suppleuit Spiritus sanctus in illa conceptione, sed hac de re legendi sunt Tertullianus de carne Christi cap.12. Damaſcenus lib.3. de fide cap.2. S.Maximus serm.3. de Natiuit. Domini, D. Chriſost. ho.1. operis imperfecti in Matt. D.Thom. 3.pa.qu.32.ar.2. ad secundum. Postremo probant sancti Patres Saluatorem nostrum absque humano semine fuiſſe cõceptum, ne ipſemet Christus, eiuſq; humanitas ex vi conceptionis eſſet originali culpæ obnoxia, quod repugnaſſet, & dignitati personæ, & officio Redemptoris. sic tradunt Fulgentius de incarnat. & gratia ca.4. D.August. lib.3. de pecc. meritis cap.12. D.Thom.3.pa.q.28.arti.1. aſſerunt etiam ad hoc probandum plures cõuenientias, & coniecturas, quas in præsentia breuitatis cauſa omittimus, quippe quæ ad rem nostram modo non faciunt.

FVIT AD PRAESEPE Domini hæc reuelatio facta eidem Dominæ in Bethleem qualiter pastores venerunt ad Præsepe ad adorandum Christum natum.

CAP. XXIII.

VIDIT etiam in eodem loco dum Virgo Maria, & Ioseph starent puerum adorando in Præsepio, quod tunc pastores, & custodientes gregem venerunt, vt viderent, & adorarẽt infantem. Quem cum vidiſſent ipsi statim adorauerunt cum magna reuerentia, & gaudio; & postea reuersi sunt laudantes, & glorificantes Deum, in omnibus his, quæ audiuerant, & viderant.

HANC REVELATIONEM habuit sponsa in Bethleem in Cappella, vbi Christus natus est, in qua Virgo Maria narrat ei qualiter tres Magi Reges adorauerunt Christum filium eius.

CAP. XXIV.

1 DIXIT etiam mihi eadem Mater Domini. Filia mea scias, quod quando tres Reges Magi venerunt in stabulum ad adorandum filium meum. Bene ego antea præsciebam eorum aduentum. Et quando intrauerunt, & adorauerunt eum, exultauit tunc filius meus, & præ gaudio habebat tunc faciem hilariorem. Ego etiam nimis gaudebam, & lætabar, mirabili gaudio exultationis in mente mea. Attendens ad verba eorum, & actus, conſeruans ea, & conferens in corde meo.

priuati homines facere non potuissent; hoc enim proprium est Principum, & potentum. Postremo inquirendum nobis breuiter est, vt in principio proposuimus, an in eodem loco Magi Christum adorauerint, vbi ipse natus est, an vero in alio, & quidem hic euidenter dicitur in stabulo adorasse Saluatorem, licet Epiphanius libro secundo contra hæreses, hæresi 51. eos non in spelunca, sed in aliqua alia domo factum esse putet, ratio eius est, quia arbitratur illos non post decimum tertium a Natiuitate diem, sed post duos annos Christum adorasse, quo tempore Christus consequenter locum mutauerat, verum id quod asseritur hic, probabilius est, sicut etiam Sancti Patres tradiderunt, sic Diuus Hieronymus Epistola decimaoctaua, & vigesimaseptima, Diuus Gregorius Nissenus Oratione de Sancta Christi Natiuitate. Diuus Chris. Homilia sexta in Matth. Nicephorus libro primo Histor. capite decimotertio, Leo Pontifex, Bernardus, Augustinus, & Fulgentius in sermonibus, & Homilijs de Epiphania, præterea constat Mariam non discessisse a loco partus, vsque ad Purificationem.

MATER DEI LOQVENS Dominæ Brigittæ narrabat ei aliqua de humilitate sua, & filij sui dicens, quod sicut humiles fuerunt Filius suus, & ipsa tunc quando erant in mundo, ita & nunc humiles sunt, licet sint in cœlo.

CAP. XXV.

MATER DEI loquitur. Eadem humilitas est nunc in filio meo in potentia deitatis suæ, sicut tunc fuit, quando reclinabatur in præsepio, qui iacens inter duo animalia, licet omnia sciret secundum deitatem, nihil tamen loquebatur secundum humanitatem. Sic etiam nunc sedens ad dexteram Patris, audit omnes loquentes ad eum cum charitate, & respondet per infusiones sancti Spiritus, quibusdam verbis, & cogitationibus, quibusdam quasi ore ad os loquitur sicut ei placet. Similiter ego quæ sum mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo, quod est super omnia, quæ creata sunt exaltatum, sicut tunc fui quando Ioseph
1 desponsata eram. 1 Veruntamen pro certissimo scire debes, quod Ioseph antequam desponsauit me intellexit in spiritu Sancto me vouisse virginitatem meo Deo, immaculatamque esse cogitatione, verbo, & opere. Qui ea intentione desponsauit me, vt seruiret mihi, habendo me pro Domina sua, non pro vxore.
2 Ego etiam in Spiritu Sancto sciui certissime, quod virginitas mea perpetue permaneret illæsa, licet ex occulta dispensatione
2 Dei viro desponsabar. 2 Sed postquam consensi nuncio Dei, Ioseph videns vterum meum Spiritu sancti virtute intumescere, expauit vehementer, non suspicatus contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta prophetarum prænunciantium filium
2 Dei nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali seruire Matri, donec Angelus in somnis præcepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare. De diuitijs vero ego, & Ioseph, nihil reseruauimus nobis, nisi necessaria vitæ ad honorem Dei, reliqua dimisimus propter amorem Dei. Instante vero hora natiuitatis filij mei, quam ego optime presciui, veni secundum præscientiam Dei in Bethleem deferens mecum mundissimam vestem, seu panniculos pro filio meo, quibus nemo vnquam vsus fuerat ante. In quibus primo inuolui illum, qui natus est ex me, cum
3 omni puritate. 3 Et licet ab æterno non præuisa sum sedere in sublimissima sede, & honore, super omnes creaturas, & super omnes homines, nihilominus tamen ex humilitate mea, non dedignabar parare, & ministrare ea, quæ erant necessaria Iosepho, & mihi ipsi. Similiter, & Filius meus subditus erat Ioseph, atque mihi. Sicut ergo humilis fui in mundo cognita soli Deo, & Ioseph, sic etiam nunc sum humilis sedens in sublimissimo throno, parata præsentare Deo omnium orationes rationabiles. Sed aliquibus respondeo per infusiones diuinas aliquibus autem loquor secretius sicut beneplacitum est Deo.

quantum est de festo Ascensionis eiusdem
2 filii mei vsq; ad mortem meam. 2 Et tunc mortua iacui in isto sepulchro per quindecim [illegible]. 3 Deinde fui assumpta in cęlum
3 cum infinito honore, & gaudio. Vestes autem meæ cum quibus fui sepulta, tunc remanserunt in isto sepulchro. 4 Et ego fui
4 tunc induta talibus vestibus, qualibus indutus est filius meus, & Dominus meus Iesus Christus: Item scias, quod nullum corpus humanum in cœlo est, nisi corpus Gloriosum filii mei, & corpus meum. Vos igitur iam recedite ad terras Christianorum, vitas vestras semper in melius emendate, & cum summa custodia, & attentione de cętero viuite, ex quo iam visitastis ista loca sancta, vbi Filius meus, & ego viximus corporaliter, & mortui, & sepulti sumus.

NOTAE.

1 Ego postquam filius meus ascendit ad Cœlos, vixi in mundo per quindecim annos.

Hac de re plura tradidimus supra lib. sexto capite 61. nota prima, vbi diuersas Patrum sententias retulimus, inter quos fuit vetus disputatio de Beatissimæ Virginis ætate, nos vero probauimus ibi, Mariam vixisse post Ascensionem Christi, quindecim annos, vt in præsenti capite scribitur.

2 Et tunc mortua iacui in isto Sepulchro per quindecim dies.

Fortasse legẽdum hic aliquantis diebus nõ quindecim, sic enim infra legitur in serm. de Virg. excellentia cap. 21. positus in fine huius operis, sed quidquid sit de tempore, quo post obitum Mariæ corpus in Sepulchro iacuit, multæ virorũ Doctorum circumferuntur sententiæ, quidam existimarunt mansisse Mariam in Sepulchro quadraginta dies, et postea resurrexisse, & ad Cœlos fuisse Assumptam anima, & corpore simul, quod factum fuisse vigesimatertia Septembris asserunt, mors enim contigisse creditur decimaquinta mensis Augusti, quo tempore Ecclesia Assumptionis diem festum celebrat, refert hanc opinionem ex quadam reuelatione S. Antoninus 3. par. tit. 19. cap. ij. in fine, & huic etiam fauet Beda, qui in Martyrologio nono Calendas Octobris ponit secundam Assumptionem Sanctæ Mariæ Virginis, & priorem posuerat decimo octauo Calendas Septembris, ex quo infert Franciscus Suarez in comment. super 3. p. Sancti Thomæ q. 37. artic. 4. disp. 21. sect. 2. hanc postremam Assumptionem secundum Bedam intelligendam esse in sola anima, priorem vero in anima, & corpore, sed hoc videtur posse reijci, quoniam Ecclesia dupplicem illam festiuitatem non agnoscit, alij vero arbitrati sunt eodem die quo mortua est, fuisse etiã Assumptam, id ex eo probantes, quod Ecclesia eodem die, & mortem, & Assumptionem celebrat, sed quoniam, hæc ratio satis debilis ad illud probandum existit, ideo pluribus probabilius visum est, post triduum resurrexisse Mariam, quæ sententia illo præcipue fundamento nititur, quod ex Damasceno de Dormitione Deiparæ, & ex Nicephoro habetur, Apostolos morti eius affuisse, ac totum triduum ad monumentum Virginis mansisse, Hymnorum cantus ab Angelis audientes post tertium vero diem venisse Thomam, qui tunc absuerat, quiq; cum gloriosum eius corpus, quod Deum susceperat adorare voluisset, loculum aperuerunt Apostoli, sed omni ex parte illud inuenire nequaquam potuerunt, inde ergo satis probabiliter arbitrati sunt, tunc temporis illam fuisse ad Cœlos Assumptam. Cui addendum est, quod sicut Christus Dominus in Sepulchro per triduum mansit, ita videtur dicẽdũ Mariam Virginem eius Matrem tribus etiam diebus mansisse.

3 Deinde fui Assumpta in Cœlum cum infinito honore, & gaudio.

Quam plures ex Sanctis Patribus pie credẽdum esse asseuerarunt, nõ ols tantummodo Angelorum choros, et sanctorum, sed etiã ipsum met Christum in Mariæ Virg. occursum venisse, et cum ingenti gaudio, ac gloria eam secum ad Cœlos deduxisse, qua de re præcipue legendi sunt D. Anselm. de excellentia Virg. cap. 8. Damasc. oratione 1. de dormit. circa finẽ, & orat. 2. per totum. Sophron. epist. de Assumpt. Virg. Athanas. serm. de Sanctiss. Deipara D. Antoninus p. p. hist. tit. 6. cap. 3. §. 1. Canisius lib. quinto de Deipara cap. 5.

4 Ego fui tunc induta talibus vestibus, qualibus indutus est filius meus, & Dominus meus Iesus Christus.

De indumẽtis hic sermo fit, quibus Maria Virgo vestita est, cum ad Cœlum Assumpta fuit, quæ non materialia, sed spiritualia sunt, duo autẽ in primis occurrunt, incorruptio, ac immortalitas, vt in serm. de Deipara sub finẽ tradit D. Athanas. qui de Beatiss. Virg. intelligit ea verba, psalm. 44. astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, induta inquit est quantum spectat ad sanctissimam eius carnem incorruptibilitate, & Immortalitate, aut etiam huiusmodi vestes quattuor dotes sunt, quæ communiter Beatis in Patria conferuntur. verum vt rem hanc enucleatius explicemus, supponendum est primo, si loquamur de his, quæ ad Beatitudinis essentialis perfectionem spectant, dico Mariam ea in re, & Angelos, & homines anteire, iuxta illud quod canit Ecclesia, exaltata est Sancta Dei Genetrix super Choros Angelorum, & hoc probant D. Anselm. de Excellentia Virg. cap. 4. D. Bernard. serm. 1. & 2. de Assumpt. Damasc. oratione 1. de dormit. Nazianzen. in inuocat. ad Virg. Athanas. vbi supra & alij plures, si vero sermo sit de accidentali gloria corporis, & animæ etiã credendum est, quoad vtrumque illam perfectius, & cumulatius huiusmodi accidentalibus premijs abundare, quam om-

tibi. Ego sum Creator omnium, & domi nus, tam super diabolos, quam super om nes Angelos, & nullus effugiet iudicium meum.
1 1 Diabolus denique tripliciter peccauit contra me, superbia scilicet, inui dia, & arrogantia, id est amore propriæ
2 voluntatis. 2 Tantum quippe superbiuit ipse, quod voluit esse super me dominus, & vt ego essem subiectus sibi. Inuidebat quo que mihi intantum, quod si possibile foret libenter occidisset me, vt ipse esset domi nus, & sederet in throno meo. Tantum etiam chara fuit ei sua voluntas propria, quod nihil curabat de voluntate mea, dum tamen ipse posset perficere voluntatem suam, propter quod ipse cecidit de cœlo, & de Angelo factus est diabolus, in profun do inferni. Post hæc autem ego videns malitiam eius, & magnam inuidiam quam ipse habebat contra hominem ostendi vo luntatem meam, & dedi mandata mea ho minibus, vt ipsi faciendo ea possent place re mihi, & displicere diabolo. Deinde, propter charitatem quam ego habeo ad ho mines, veni in mundum, & assumpsi carnē de Virgine. Docui etiam eos personaliter veram viam salutis opere, & sermone, & vt perfectam charitatem, & amorem eis ostenderem, aperui eis cœlū meo proprio sanguine. Sed quid faciunt mihi, nunc il li homines, qui sunt inimici mei? Vere ip si contemnunt præcepta mea eijciunt me de cordibus suis tanquam virus abominabile, expuunt etiam me de ore ipsorum velut rē putridam, & abhorrent me videre quasi le prosum pessime fœtentem. Diabolum vero & eius opera amplectuntur toto suo affe ctu, & opere, hunc enim introducunt in cordibus suis, faciendo delectabiliter, & gratanter eius voluntatem, & sequendo e ius immissiones malignas. Ideo iusto iu dicio meo remunerabūtur in inferno cum diabolo æternaliter sine fine. Nam pro su perbia quam exercent, habebunt confusio nem, & æternum pudorem, intantum quod Angeli, & dæmones de eis dicent. Impleti sunt confusione, vsque ad summum, pro cu piditate vero ipsorum, insatiabili quilibet diabolus inferni replebit eos suo veneno mortifero, intantum quod in animabus eorum nullus vacuus locus remanebit, qui non sit diabolico veneno repletus. Pro lu xuria vero quæ ardens sicut animalia in sensata, nunquam admittentur ad viden dum faciem meam, sed separabuntur a me, & priuabuntur etiam sua voluptate inordi
3 nata. 3 Cæterum scias, quod sicut om nia peccata mortalia grauissima sunt, ita etiam peccatum veniale, si homo delecta tur in eo cum voluntate perseuerandi effi

citur mortale. Propterea noueris, quod duo peccata exercentur, quæ ego nomino tibi modo, quæ trahunt secum alia pecca ta, quæ omnia videntur quasi venialia. Sed quia gentes delectantur in eis cum volun tate perseuerandi, ideo efficiuntur morta lia, & multa alia peccata abominabilia cō mittunt gentes in ciuitate Neapoli, quæ no lo tibi nominare. Primum de duobus pec catis est, quod facies humanæ rationalis creaturæ depinguntur diuersis coloribus, quibus colorantur imagines insensibiles, & statuæ idolorum, vt videantur ab aliis pul chriores, quam ego feci eas. Secundum pec catum est, quod per inhonestas formas ve stimentorum, quibus gentes vtuntur, cor pora hominum, & mulierum deformantur a statu suo, & hoc gentes faciunt propter superbiam, & vt videantur pulchriores, & lasciuiores in corporibus suis, quam ego Deus creaui eos, & vt etiam sic videntes, ci tius prouocentur, & inflammentur ad car nalem concupiscentiam. Ideo certissime scias, quod quoties deliniunt facies suas co lore stybio, & extraneo toties diminuitur eis infusio aliqua Sancti Spiritus, & diabo lus magis appropinquat eis, quoties vero ornant se vestibus indecentibus, & inordi natis, & taliter deformant sua corpora, to ties ornatus animæ diminuitur, & diaboli potestas augmentatur. O inimici mei, qui talia facitis, & alia peccata meæ volunta ti contraria effronte committitis, quare neglexistis passionem meam, & non attendi tis in cordibus vestris, quomodo ego nu dus steti ad columnam ligatus duris flagel lis crudeliter verberatus. Quomodo nudus stabam, & clamabam in cruce, repletis vul neribus, & vestitus sanguine, & quando vos depingitis, & vngitis facies vestras. Cur non aspicitis ad faciem meam qualiter san guine repleta fuit? Nec etiam attenditis ad oculos meos, quomodo caligauerunt, & operiebantur sanguine, & lacrymis, & pal pebræ meæ colore liuido. Quare adhuc non aspicitis ad os meum, aures quoque, & barba non intuimini qualiter erant decolo rata, & intincta sanguine, non respicitis re liqua membra mea, diuersis pœnis immani ter sauciata. Et qualiter liuidus, & mor tuus in cruce pependi propter vos, & ibi ab omnibus derisus, & abiectus despiciebar, ad hoc, vt ex tali recordatione, & attenta memoria me Deum vestrum diligeretis, & sic diaboli laqueos effugeretis, quibus estis horribiliter colligati. Veruntamen hæc omnia in oculis, & cordibus vestris oblita, & neglecta sunt. Ideo facitis sicut mere trices diligentes voluptatem, & delectatio nem carnis non autem prolem. Cum enim

ſentiunt infantem uiuum in utero ſuo, ſtatim procurant abortum herbis, & aliis rebus, ne careant carnali uoluptate, & continua delectatione peſſima, ut ſic ſemper uacent luxuriæ, & fœtidæ commixtioni carnali. Sic facitis & uos. Nam ego Deus Creator, & Redemptor ueſter omnes uiſito gratia mea pulſando, ſcilicet ad corda ueſtra, quia omnes diligo. Sed cum uos aliquam pulſationem infuſionis, ſcilicet ſpiritus mei in corde ueſtro, ſeu compunctionem ſentitis, uel audiendo uerba mea aliquam bonam uoluntatem concipitis, & ſtatim quaſi abortum ſpiritualiter procuratis excuſando, uidelicet peccata ueſtra, & delectando uos in ipſis, ac etiam uolendo in ipſis damnabiliter perſeuerare. Idcirco diaboli facitis uoluntatem includendo ipſum in cordibus ueſtris, & me ſic contemptibiliter expellendo. Propter quod uos ſine me eſtis, & ego non ſum uobiſcum, & in me non eſtis, ſed in diabolo, quia eius uoluntati, & ſuggeſtionibus obeditis. Igitur, quia iam dixi iudicium dicam, & nunc miſericordiam meam. Miſericordia autem mea hæc eſt uidelicet quod nullus ipſorum inimicorum meorum tãtus, & tam magnus peccator eſt, quod ei negetur miſericordia mea, ſi eam petierit humili, & perfecto corde. Propterea tria debent facere inimici mei, ſi ad gratiam, & amicitiam meã ſe reconciliare uoluerint. Primũ eſt, quod pœniteant, & habeant contritionem de toto corde, eo quod me Creatorem, & Redemptorem ſuum offenderunt. Secundum eſt confeſſio pura, frequens & humilis, quã debent facere ante confeſſorem ſuum, & ſic emendent omnia peccata ſua, faciendo pœnitentiam, & ſatisfactionem, ſecundum eiuſdem confeſſoris conſilium, & diſcretionem. Tunc enim ego appropinquabo meis, & diabolus ab eis elongabitur. Tertium eſt, quod poſtquam hæc ſic perfecerint cum deuotione, & perfecta charitate communicando accipiãt, & ſumant corpus meum, habendo uoluntatem nunquam recidiuandi in priora peccata, ſed perſeuerãdi in bono uſque ad finem. Quicunque igitur iſto modo ſe emendauerit, ſtatim ego occurram ei ſicut pius pater erranti filio, & libentius eum ſuſcipiam ad gratiam meã, quam ipſe rogare, & cogitare poterit, & tunc ego ero in eo, & ipſe in me, & mecum uiuet, & gaudebit in æternum. Qui uero perſeuerauerit in peccatis, & malitia ſua ueniet ſuper eum indubitãter iuſtitia mea, nam ſicut facit piſcator, qui uidens piſces in aqua ludentes in delectatione, & iucunditate ſua, & tunc ipſe mittit hamum in mari, & extrahit capiendo piſces uiciſſim, non omnes coniunctim, ſed paulatim per uices, & tunc mittit eos in mortem, donec omnes conſumpſerit. Sic ego etiam faciã inimicis meis in peccato perſeuerantibus. Nam paulatim conſummabo eos, de hac uita mundana huius ſæculi, in qua ipſi temporaliter, et carnaliter delectantur, et qua hora ipſi non crediderint, et in maiori delectatione uixerint, tunc rapiam eos de uita æterna, et mittam eos in mortem æternam. Vbi nunquam amplius uidebunt faciem meam, ex eo, quod ipſi potiuſ dilexerunt facere, et adimplere inordinatam, et corruptam uoluntatem ſuam, quam perficere mandata, et uoluntatem meam. His autem ſic auditis hæc uiſio diſparuit.

NOTAE.

1 Diabolus denique tripliciter peccauit contra me.

De Angelorum Caſu pluribus in locis ſuſe tractauimus, & præcipue libro primo cap. 34. nota 3. & 4. vbi ex doctoribus ſacris probauimus eorum peccatum ſuperbiam, & inuidiam extitiſſe, ſicut etiam ſcribitur hic, de qua re egimus libro ſecundo Reuelat. cap. duodecimo, nota primo, & libro quarto cap. 106. nota prima, in quibus locis quæſitum a nobis eſt, quod nam fuerit Dæmonum peccatum, & an primus Dux eorum Lucifer peccauerit, & poſtremo an in primo ſuæ creationis inſtanti peccare potuerint.

2 Tantum quippe ſuperbiuit ipſe, quod voluit eſſe ſuper me Dominus.

Dicitur hoc loco Dæmon voluiſſe ſibi dominium vſurpare, quia exiſtimauit ſibi competere dominium Beatitudinis per propriam virtutem independenter a Deo, voluit enim per naturam, quod ſibi debebatur per gratiam, vt ex Diuo Anſelmo, & Diuo Thoma tradidimus libro primo Reuelat. cap. 34. nota quarta, cum vero legitur, voluit ſedere in Throno meo, non eſt intelligendum, quod Dei æqualitatem appetierit per æquiparantiã, quia hoc naturali cognitione ſciuit eſſe impoſſibile, vt annotauit D. Thomas p. p. q. 63. art. 3. & probat Anſelmus de caſu Diaboli cap. 4. & ratio eſt, quia apetiiſſet ſui deſtructionem, dicitur autem voluiſſe in Throno ſedere Dei, quatenus exiſtimauit ſummam illam, & finalem Beatitudinem, quæ Thronus Dei dicitur ſibi competere ratione ſuæ nobilitatis naturæ immediate, ac a Deo indepẽdẽter.

3 Cæterum ſcias, quod ſicut omnia peccata mortalia grauiſſima ſunt, ita etiam peccatum ueniale ſi homo delectetur in eo cum uoluntate perſeuerandi efficitur mortale.

Hac de re egimus libro primo Reuelat. cap. 32. nota quarta, vbi declarauimus quomodo veniale peccatum fieri possit mortale, & tunc diximus fieri, quando quis in eo ponit vltimum finem; & hoc est delectari in eo cum voluntate perseuerandi.

REVELATIO VIRGINIS MARIAE

quam habuit domina Brigitta in Ciuitate Neapoli, & dirigit eam domino Bernardo Archiepiscopo Neapolitano, quæ reuelatio reprehendit illos, qui non instruunt seruos suos, seu sclauos infideles nouiter conuersos ad fidem in eadem fide catholica, & lege christiana, redarguit quoque Virgo Maria illos Dominos, qui male tractant, & exasperant vltra modum seruos suos, comminatur etiam cum magna pœna sortilegis, & diuinatoribus, & etiam tenentibus eos, & fidem eisdem adhibentibus.

CAP. XXVIII.

Domina Brigitta scribit Domino Bernardo Archiepiscopo Neapolitano dicens: Reuerende pater & Domine. Illa persona quam vos bene nostis, cum staret orando in raptu contemplationis suspensa, apparuit ei Virgo Maria sic ei dicens. Ego sum Regina Cœli, quæ loquor tibi. Ego sum quasi hortulanus huius mundi. Nam sicut hortolanus quando videt insurgere ventum validum, nociuum plantulis, & arboribus horti sui, statim occurrit festinanter, & inquantum potest ligat firmando eas firmis sustentaculis: & sic eis succurrit diuersimode iuxta posse, ne a vento irruente frangantur, & miserabiliter eradicentur. Sic ego Mater misericordiæ facio in horto meo huius mundi, quia quando ego video periculosos ventos tentationum, & malignarum suggestionum diaboli flare in corda hominum, statim ego accurro ad dominum meum, & Deum meum filium meum Iesum Christum, cum orationibus meis iuuando eos, & impetrando ab eo, quod ipse infundat in eorum cordibus aliquas sanctas infusiones sancti spiritus, quibus fulsulti, & salubriter confirmati, a diabolico tentationum vento illæsi spiritualiter tueantur. Ne diabolus contra homines præualeat frangendo eorum animas, & eas iuxta malignum desiderium suum damnabiliter extirpando. Et sic homines recipientes dicta mea sustentacula, & iuuamina, cum humilitate cordis, & executione operis, statim a diabolico tentationum incursu defenduntur, & permanentes firmi in statu gratiæ, afferunt Deo, & mihi fructum suauitatis in tempore opportuno. Illi vero, qui contemnunt prædicta filii mei, & mea sustentacula spiritualia, & inclinantur a vento tentationum diaboli consensu, & opere, ipsi eradicantur a statu gratiæ, & ducantur a diabolo per illicita desideria, & opera, vsque ad profundas æternales pœnas, & tenebras infernorum. Nunc autem scias, quod in Ciuitate Neapoli, committuntur diuersa, & multa peccata horrida, & occulta: quæ non tibi refero, sed tamen loquor tibi nunc de duobus generibus peccatorum manifestorum, quæ valde displicent filio meo, & mihi, totique Cœlesti curiæ. Primum est, quod in dicta Ciuitate multi emunt paganos, & infideles ad seruitutem suam, & aliqui eorum Domini non curant eos baptizare, neque volunt eos ad fidem Christianam conuertere. Et si baptizantur aliqui eorum post ipsorum baptismum Domini eorum non curant plus de faciendo eos instruere, & informare in fide Christiana, & informando eos in suscipiendis Sacramentis Ecclesiæ, quam ante ipsorum baptismum, & conuersionem. Et sic euenit, quod dicti serui conuersi post fidem susceptam committunt multa peccata, & nesciunt redire ad Sacramentum pœnitentiæ, & communicationis, & restaurari in statu saluationis, & diuinæ reconciliationis, & gratiæ. Item aliqui tenent suas seruas, seu sclauas in tanta abiectione, seu ignominia, ac si essent canes vendentes eas, & quod deterius est, exponentes ipsas frequenter in lupanari ad lucrandum pecuniam turpitudinis, & abominationis. Alij vero tenent eas in suis domibus, vt meretrices, & pro se, & pro alijs. Et hoc valde abominabile, & odiosum est Deo, & mihi, ac etiam toti celesti curiæ. Alij etiam Domini infidelium grauant, & exasperant dictos seruos suos verbis contumeliosis, & percussionibus, quod aliqui dictorum seruorum ueniunt in statum desperationis, & in uoluntatem interficiendi seipsos. Quæ quidem peccata, & negligentiæ multum displicent Deo, & toti cœlesti curiæ, quia ipse Deus amat eos, eo quod ipse crea-

creauit eos, & ut omnes saluaret uenit in mundum, assumens carnem de me, & sustinuit passionem, & mortem in cruce. Scias etiam, quod quicunque emunt tales paganos, & infideles ea intentione, vt faciant eos Christianos, & voluntate instruendi, & informandi eos in fide Christiana, & virtutibus, & intentione dandi eos libertati in vita sua, vel in morte, ita quod dicti serui non transeant ad hæredes. Isti tales Domini eorum multum ex hoc merentur, & acceptabiles sunt apud Deum. Sed scias certissime, quod illi, qui contrarium faciunt a Deo grauiter punientur. Secundum genus peccati est, quod multi homines, & fœminæ habent secum, & consulunt aliquos malignos sortilegos, & diuinatores, & aliquas pessimas incantatrices diuersis respectibus inordinatis. Nam aliquando petunt ab eis, quod ipsi faciant aliqua maleficia incantationes ad illum finem, vt possint concipere, & recipere prolem. Aliqui requirunt eosdem, quod ipsi aliquas incantationes, & facturas faciant ad hoc, vt ab aliquibus hominibus, vel mulieribus, seu etiam ab eorum Dominis temporalibus districte amentur, & cordialiter diligantur. Alij vero expetunt ab eisdem maledictis maleficiis de præscientia futurorum. Multi etiam quærunt ab eis vt arte sua incantatoria, & malefica, tribuant ipsis sanitatem in infirmitatibus suis. Qui quidem omnes, tam tenentes eosdem maleficos diuinatores, seu etiam incantatrices in familia, & expensis suis, quam omnes petentes a talibus talia consilia, & remedia diabolica, quam etiam idem malefici diuinatores, & incantatrices supradicta promittentes, exosi, & maledicti sunt apud Deum. Et quamdiu in tali statu, & proposito perseuerauerint nunquam aliqua infusio, seu gratia Spiritus sancti descendet, neque intrabit in corda ipsorum. Veruntamen qui pœnituerint, & humiliter se emendauerint, cum vero proposito vlterius non recidiuandi, a filio meo misericordiam, & gratiam consequentur. His autem sic auditis hæc visio disparuit.

QVIDAM EPISCOPVS qui erat rector Marchiæ Anconitanæ pro Sancta Romana Ecclesia requisiuit Dominam Brigittam super eo, quod stimulabatur a conscientia eo quod ipse erat absens, & nimis remotus a diocesi sua, propter prædictum officium Marchionatus, in quo ipse residebat. Et sic non poterat attendere ad oues sibi commissas in sua diocesi. Et ideo dubitabat an magis placeret Deo, quam resideret in officio Marchionatus, vel an quod reuerteretur ad regendum oues sibi commissas in sua diocesi. Et cum Domina supradicta sic requisita oraret pro præfato Episcopo, tūc Christus apparuit ei dicens sibi verba, quæ infra continentur.

CAP. XXIX.

Sit Deus Benedictus in æternum propter omnia bona sua amen. Domine mi Reuerende Pater, humili recommendatione præmissa. Scripsistis mihi cum humilitate, quod ego quædam fœmina vobis incognita, Deum pro vobis humiliter exorarē. Ad quod respondendo vobis dico veridice in conscientia mea, quod ad talia facienda sum insufficiens peccatrix proh dolor, & indigna. Scripsistis etiam mihi, quod aliqua consilia spiritualia vobis scriberem ad salutem animæ vestræ. Et ideo Deus attendens ad fidem, & humilitatem vestram, vestris desiderijs, & fidei pio more paterno voluit satisfacere, non attendens ad peccata mea, sed ad cordialem affectum humiliter postulantis. Nam cum ego peccatrix ad talia indigna pridie pro vobis orarem Dominum meum Iesum Christum, tunc ipse apparuit mihi in spiritu, & per similitudinem loquebatur mecum sic dicens.
1 O tu, cui datum est audire spiritualia, & videre. Attende nunc, & scias certissime, quod omnes Episcopi, & Abbates, ac etiam cæteri Ecclesiarum Prælati, & beneficiati animarum curam habentes, qui dimissis suis Ecclesijs, & oui-

& ouibus meis sibi commissis, recipiunt, & tenent alia officia, & regimina ea intentione, & voluntate, vt in illis officijs ab hominibus magis honorentur, & in altiori statu mundi exaltentur, & sublevuentur, quãuis in illis officijs ipsi rectores nihil furentur, vel prædentur, vel quamuis aliã iniustitiam non ibidem committant, nihilominus tamen, quia in illis officijs, & honoribus ipsi gloriantur, & delectantur, & propter hoc dimittunt oues meas, & Ecclesias suas. Isti talia facientes similes sunt coram me porcis indutis Pontificalibus, seu Sacerdotalibus ornamentis. Sicut per similitudinem diceretur sic. Quod vnus magnus Dominus, qui habebat inuitatos amicos suos ad cœnam, & hora cœnæ intrauerunt illi porci sic induti in palatium coram illo Domino, & coram discumbentibus, qui sedebant in mensa. Domino autem volente dare eis de illis preciosis cibarijs mensæ suę. Tunc porci prædicti clamauerunt cum magno sonitu, voce porcina & refutatoria grumentes, recusando comedere illa preciosa cibaria appetentes tamẽ auide comedere viles siliquas porcinas suo more solito. Tunc autem dominus ille hoc videns, & intelligens, abominatus est vilitatem eorum, & immunditiam, & statim dixit ad seruos suos cum ira magna, & indignatione, expellite eos de palatio meo, & eijcite foras, vt reficiantur, & saturentur sordide siliquis porcinis, quibus digni sunt. Quia nec ipsi volunt, nec digni sunt comedere de cibarijs meis, quæ pro amicis meis parata sunt. Ex quibus Reuerende Pater, & Domine mi, tunc ego intellexi in spiritu, quod vos debetis facere sic, scilicet, quod vos discernatis in conscientia vestra, vtrum ille oues Christi, scilicet Episcopatus vestri vobis commissæ, bene, & spiritualiter regantur in absentia vestra, an non. Si autem sic bene regantur secundum quod decet spiritualiter in absentia vestra, ad commodum, & vtilitatem animarum ipsarum, & vltra hoc videtis vos, quod in rectoria Marchiæ potestis facere maiorem honorem Deo, & vtilitatem animarum, quam in Episcopatu vestro, & tunc dico, quod potestis in officio rectoriæ Marchiæ bene, & licite stare, secundum voluntatem Dei. Dum tamen vos non seducat ad standum ibi desiderium honoris, neque vana ipsius officij gloriatio. Si vero conscientia vestra dictat vobis contrarium, ego tunc consulo, quod dimisso Marchionatus officio redeatis personaliter ad residendum in Ecclesia vestra, & in Episcopatu vobis commisso, ad regendum scilicet oues vestras, vel potius Christi specialiter vobis commissas, & ad pascendum eas verbo, exemplo, & opere non negligenter, & vitiose, vt malus mercenarius, sed sollicite, & virtuose, vt verus, & bonus pastor. Parcatis mihi domine mi, eo quod talia vobis scribo, cum sim ignara fœmina, & indigna peccatrix, rogo illum nostrum verum, & bonum pastorem, qui pro ouibus suis mori dignatus est, quod ipse vobis tribuat gratiam spiritus Sancti, qua oues suas digne regatis, & vsque ad mortem semper faciatis eius gloriosam sanctissimam voluntatem.

NOTAE.

1 O Tu, cui datum est audire spiritualia, & videre. Attende nunc, & scias certissime, quod omnes Episcopi, & Abbates, ac etiam cęteri Ecclesiarum Prælati, & beneficiati animarum curam habentes, qui dimissis suis Ecclesijs, & ouibus recipiunt, & tenent alia officia, &c.

Doctrina præsentis capitis digna sanè est, quæ a singulis Episcopis, cæterisq; curam habentibus memoriæ mandetur, scribitur namq; hoc loco non licere Episcopo tuta conscientia proprijs neglectis ouibus aliorum curã ac regimen suscipere, & hoc maxime, quãdo propter illius absentiam oues propriæ damna patiuntur, quãdo ex eo regimine lucra quærunt, quando inde dignitates, & honores ambiunt & hinc fit quosdam, vt Concil. Trid. sess. 6. capite primo de reformat. vtar verbis propriæ salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac diuinis humana præferentes in diuersis curijs vagari: & in temporalium negociorum sollicitudine, ouili derelicto se detinere occupatos, inde vel superiores gradus quærentes, vel propria commoda, & lucra comparantes, hanc ob causam in Concilio Romano sub Siluestro Can. 17. arctissime interdicitur Episcopis accessus ad curiam, & in Concilio Sardicensi relato a Soto de Iustitia, & Iure lib. 10. q. 3. artic. 3. prohibentur Episcopi ad curias sæcularium Principum accedere, non tamen negarim licitum esse pastoribus, prout in præsenti capite insinuatur aliquando, pro vniuersali Ecclesiæ cõmodo, gregem alteri committere, nam vt omittamus Celebrationem Concilij, aut Generalis, aut etiam Prouincialis, in quo Episcoporum præsentia omnino exigitur, ad ea conficiẽda negotia, quæ Ecclesiæ proficua sunt, etiam hoc esset licitum quando Papa expedire indicaret, aut propter doctrinam egregiã, aut propter singularem auctoritatem personæ, iussu sanè esset, tunc aliquẽ Episcopum, a sua sede ad tempus euocare, cuius consilio ad bonum commune

Pontifex vteretur, aut etiam ad componendam pacem inter potentes, vel vt iste Regia legatione fungeretur ad aliquem Principem, sed in huiusmodi administrationibus, aliisq; similibus functionibus tria animaduertenda sunt, quæ ex huius capitis narratione colliguntur, primo, vt pro viribus curet Episcopus, quod ex Absentia subditi nihil detrimenti patiantur, secundo, quod hæc negotia talia sint, quæ in Ecclesiæ commodum redundent, tertio ne illa, vel ratione lucri, vel dignitatis sibi comparandæ suscipiat, omnes vero causas, ob quas licite potest Episcopus a propria Ecclesia abesse, ad tria in vniuersum capita reuocat Caetanus super 22. S. Thomæ q. 185. art. 5. & hæ sunt necessitas impedimenti, qualitas negocii, conditio personæ, quæ omnia docte explicat Sotus vbi supra: libet autem in præsentia admonere, quod si sermo fiat de quibusdam sæcularibus negociis, ad quæ pertractanda viri sæculares idonei sunt, omnino cēseo, nullatenus curam animarum habentibus esse committendam, nec eos apud Deum ob id esse legitime excusatos, vt de Auditoratu Cameræ, & Rotæ asseuerat Sotus, & ratio esse potest quia huiusmodi administrationes, non solum necessarium non est, vt per Episcopos fiant, sed nec statum eorum condecet, vt probat Paulus 2. ad Timot. 2. cum ait neminem, qui Deo militat, implicari debere negociis sæcularibus, quare S. Gregorius libro septimo registri cap. ii. acriter, reprehendit Basilium quendam Episcopum, qui veluti vnus de laicis in causis forensibus & prætoriis occupabatur; hi ergo, qui sese his negotiis implicantes, & dignitatibus, ac commodis inhiantes, proprias oues deserunt, non pastores sunt ouium, sed Luporum, vt affirmat D. Bernard super Cant. serm. 77. quos etiam idem Bernardus de persecutione sustinenda cap. 31. vocat Mercenarios, quod admonuit Concilium Tridentinum loco citato, sed hac de re legendi sunt D. Gregor. Magnus, & D. Ambrosius in pastoralibus D. Gregor. Nazianzenus in Apologetico, & in oratione, quam scripsit ad Episcopos, qua incipit ô Sacerdotes incruenta Sacrificia mittentes D. Chrisost. de Sacerdotio, D. Hieron. Epistola 24 ad Occanum super illud Pauli ad Titum oportet Episcopum sine crimine esse, vbi plurima ad rem congerit, hoc etiam a Sacris Conciliis, & Summis Pontificibus est definitum, qui prohibent Episcopos a sua diœcesi exire, sic Concilium Tridentinum vbi supra, Côc. Lateranense, vt patet extra de Clericis non residentibus, cap. quia nonnulli. Concil. Antiochenum cap. 21. Concil. Sardicense can. 14. Agathense, quod refertur 7. q. p. canone si quis, & postremo Summi Pontifices, hoc idem statuerunt Alexander tertius in cap. Relatum eo tit. Cælestinus capit. ex parte. Innocentius cap. qualiter, & aliis duobus sequentibus. Verum hoc loco libet afferre, quod tradit Conc. Trid. sess. 23. ca. 1. dicit enim præcepto diuino teneri pastores animarum oues suas agnoscere, verbi diuini prædicatione Sacramentorū administratione, ac bonorum omnium operum exemplo præstare, quæ omnia implere non posse, qui suo gregi non assistunt inde manifestum est. Nam si illi Episcopi, qui assidue resident tota, & viribus in animarum curã incumbunt vix tantum onus regiminis ferunt, & cum ingenti periculo præsunt, vt de se verba facit Augustinus libro 10. confess. capit. 4. & testantur D. Greg. & Chrisost. vbi supra quomodo ibi Episcopi huic oneri poterunt satisfacere, vt par est, qui ab ouibus suis longe absunt, & alienis negotiis implicantur.

IVDEX CONQVERITVR

sponsę de vniuersis peccatoribus omnium statuum, & conditionum narrans beneficia quæ fecit eis, & ingratitudinem eorum. Comminatur
1 quoque eis, cum sententia terribilis iræ suæ, admonet tamen eos, quod conuertantur ad eũ, & suscipiet eos, cum misericordia sicut pater.

CAP. XXX.

Vidi palatium grande simile cęlo sereno, ĩ quo erat exercitus cęlestis militiæ innumerabilis quasi athomi solis, habens fulgorē sicut radij solis. 2 In palatio vero sedebat ĩ throno mirabili, quasi persona quædam hominis incomprehensibilis pulchritudinis, & immensæ potentia dominus, cuius vestes erant mirabiles, & indicibilis claritatis. Ecquidam Virgo stabat ante sedentem in throno, quæ erat fulgentior sole, quam omnes illi assistentes, cęlestis militię honorant reuerenter, vt reginã cęlorum. Ille vero, qui sedebat in throno, aperiens os suum dixit. Audite omnes inimici mei in mundo viuentes, quia ad amicos meos non loquor, qui sequuntur voluntatem meam. Audite omnes clerici Archiepiscopi, & Episcopi, & omnes inferioris gradus Ecclesię. Audite omnes Religiosi, cuiuscunq; ordinis estis. Audite Reges, & Principes, & Iudices terræ, & omnes seruientes. Audite mulieres Reginæ, & Principissæ, ac omnes Dominæ, & ancillæ, & omnes cuiuscunq; conditionis, & gradus estis, magni & parui, qui habitatis orbem verba hæc, quæ ego ipse, qui creaui vos nunc loquor ad vos. Ego cõqueror, quia recessistis a me, &

dedistis filium diabolo inimico meo, vere de me liquistis mandata mea, & sequimini diaboli voluntatem, & obeditis suggestionibus eius, non attenditis, quod ego immutabilis & æternus Deus Creator vester, descendi de cælo ad Virginem, sumens ex ea carnem & conuersatus sum vobiscum. Ego per memetipsum aperui vobis viam, & ostendi consilia per quæ iretis in cælum. Ego fui nudatus, & flagellatus, & spinis coronatus, & ita fortiter extensus in cruce, quodammodo quasi omnes nerui, & compagines mei corporis soluerentur. Ego audiui omnia opprobria, & sustinui contemptibilissimam mortem, & amarissimum cordis dolorem pro salute vestra. Hæc omnia o inimici mei non attenditis, quia decepti estis. Ideo portatis iugum, & onus diaboli cum iniquitate fallaci, & nescitis, nec ista sentietis antequam dolor super onus interminabile appropinquat. Nec sufficiunt vobis ista, sed & tanta est superbia vestra, quod si possetis ascendere super me libenter faceretis. Tantaque est vobis voluptas carnis, quod libentius velletis carere me, quam dimittere inordinatam delectationem vestram. Insuper cupiditas vestra est insatiabilis quasi saccus perforatus, quia nihil est, quod satiare potest cupiditatem vestram. Ideo iuro in deitate mea, quod si moriamini in statu in quo nunc estis, nunquam videbitis faciem meam. Sed pro superbia vestra sic profunde demergemini in infernum, quod omnes diaboli erunt super vos, inconsolabiliter affligentes vos. Pro luxuria vero implebimini horribili veneno diabolico. Et pro cupiditate vestra implebimini dolore, & angustia, & participes eritis totius mali, quod est in inferno. O inimici mei abominabiles, & ingrati, & degenerantes. Ego videor vobis quasi vermis mortuus in hyeme. Ideo facitis quæcunque vultis, & prosperamini. Ideo consurgam ego in æstate, & tunc vos silebitis, & non effugietis manum meam. Veruntamen o inimici, quia ego sanguine meo redemi vos, & nihil quæro nisi animas vestras. Ideo redite adhuc ad me cum humilitate, & gratanter, vt filios suscipiam vos. Excutite graue iugum diaboli a vobis, & recordamini charitatis meæ, & videbitis in conscientia vestra, quod ego sum suauis, & mitis.

CHRISTVS IN ROMA loquens sponsæ suæ Beatæ Brigittæ, prædixit ei diem, & modum mortis suæ, ordinans quid faciat de libris reuelationum, dicit etiam, quod multi erunt in mundo, qui illas recipient cum deuotione, quando ei placuerit, qui obtinebunt gratiam eius. Disponit etiam Dominus de corpore sponsæ suæ, vbi debeat sepeliri.

CAP. XXXI.

Contigit quinq; diebus ante diem obitus Dominæ Brigittæ sepedictæ sponsæ Christi, quod apparuit ei Dominus noster IESVS CHRISTVS ante altare quod erat in camera sua, & læta facie se ostendens ei dixit. Ego feci tibi sicut sponsus solet facere, qui abscondit se a sponsa sua, vt ab ea ardentius desideretur. Sic ego non visitaui te consolationibus isto tempore, quia tempus probationis tuæ erat. Ideo nunc iam probata procede, & para te, quia iam tempus est quod adimpleatur illud, quod promiseram tibi, scilicet, quod ante altare meum in monacham vestieris, & consecraberis, & amodo reputaberis, non solum sponsa mea, sed etiam monacha, & mater in Vuatsteno. Veruntamen scito, quod corpus tuum depones hic in Roma, donec venerit in locum sibi paratum, quia placet mihi parcere tibi a laboribus tuis, & voluntatem tuam recipere pro effectu, & conuersus ad Romã quasi conquærendo dixit. O Roma mea, o Roma mea, Papa contemnit te, & non attendit ad verba mea, sed recipit dubia pro certis. Ideo non audiet amplius fistulam meam, quia tempus misericordiæ meæ ponit in arbitrio suo.

DEINDE DIXIT SPONSAE.

Tu autem dic priori, quod tradat omnia ista verba mea omnium reuelationum fratribus, & Episcopo meo cui dabo feruorem spiritus mei. & complebo ei gratiam meam. Et scias quod venient homines illi quãdo mihi placuerit, qui cum suauitate, & gaudio recipient verba ista cœlestium reuelationum, quæ hactenus tibi factæ sunt, & complebuntur omnia illa quæ dicta sunt tibi. Et licet multis subtracta est gratia mea propter ingratitudinem eorum. Alij tamen venient, qui surgent in locum illorum, & obtinebunt gratiam meam.

INter vltima vero verba omnium reuelationum tibi factarum, ponatur illa communis, & vniuersalis reuelatio quam tibi dedi in Neapoli, quia iudicium meum adimplebitur super omnes gentes, quæ ad me cum humilitate non reuertuntur, sicut ibi ostensum tibi est, his autem dictis, & multis alijs, quæ hic non scribuntur mentionem fecit, & ordinationem dicta Christi sponsa, aliquarum personarum secum existentium, quas ante mortem coram Deo se vidisse dicebat. Post ista audita subiunxit Dominus dicens. In mane diei quintę postquam sumpseris Sacramenta, conuoca singillatim personas præsentes tecum existẽtes quas tibi nominaui modo, & dicas eis illa, quæ facere debeas, & sic inter verba, & manus eorum venies ad monasterium tuum, id est, in gaudium meum, & corpus tuum locabitur in Vazstenum. Deinde appropinquãte die quinta in ipsa aurora iterum apparuit ei Christus consolando eam. Dicta vero missa, & Sacramentis perceptis cum maxima deuotione, & reuerentia inter manus prædictarum personarum emisit spiritum.

Explicit septimus liber Reuelationum Cœlestium Sanctæ Brigittæ.

INCIPIT EPISTOLA SOLITARII AD REGES DOMINI ALPHONSI quondam Episcopi Giennens. & postea hæremitæ probatissimi.

REPREHENDUNTUR HIC ILLI, QUI EX abrupto, & improuiso nullo examine præcedente approbant, aut reprobant personas se asserentes habere visiones, & reuelationes diuinas.

CAPUT PRIMUM.

O SERENISSIMI Reges, & vtinam veri Reges in Christo Domini mei præ charissimi, supplici, & humillima recõmendatione præmissa, apte pedes vestræ maiestatis Regalis. Quoniam moris regum existit velle curiose discutere, & discutiendo cognoscere qualitates personarum eis scribentium, aliqua insolita secreta voluntatis diuinæ. Et quia in istis modernis temporibus densa caligine tenebrosis surrexit quædam illustris generis, & spiritus Domina, Domina Brigitta de Regno Sueciæ, decus omnium fœminarum. Quæ velut stella clarissima, sanctitatis radios fulgentes diffudit per diuersa climata vasti orbis. Quę nunc vobis scribit præcepto cœlestis Imperatoris altissimi, præsentem librum infrascriptum, ei diuinitus reuelatum, quasi quoddam præclarum speculum ad ornamentum regale, & correctionem morum vestrorum, ac subditorum Regni sanctum regimen exercendum. Propterea mei Domini metuendi ne subitum, & improuisum aliquorum indiscretorum indiscretum iudicium inducendo, vos ad incredulitatem, & duritiam Pharaonis, velut ventus turbinis euellat a cordibus vestris semen credulitatis, & fidei, accipiendi humiliter, & credendi istum librum Gloriosum, scriptum in corde prędictę Dominę digito Dei viui. Idcirco decreui ne tali modo illudamini, breuiter, & plenarie vobis ostendere, conditiones, & qualitatem animę pręfatę Beatissimę Dominę, & modum quo ipsa habebat visiones a Deo. Intendo etiam vos, & alios incantando scribere, & scribendo docere modum breuem discernendi visiones diuinas ab illusionibus pessimis sathanę. Dico igitur mei Domini breuiter, quod visionum genera multa, & diuersa sunt. Et quia materia ista peregrina, & quasi incognita est apud homines, propter ignorantiã, & imperitiã scientię sacrę script. & inexperientiam sentimentorum mentalis orationis, & contẽplationis, & vitę spiritualis. Ideo ego sępe desideraui epilogare vnum breuem tractatum, qui esset quasi quoddam ventilabrum ad discernendum visiones propter magna pericula, quæ multis personis meo tẽpore proh dolor euenerunt ex imperitia istius, tam secretę, & tam insolitæ materiæ. Et quia ista Beata Domina, cui præsens liber diuinitus reuelatus fuit in visione, dicit in principio eius, quod vidit in visione palatium grande, & incomprehensibili magnitudine, simile cœlo sereno &c. Idcirco ego tunc decreui prædictum transactum, seu ventilabrum, hic per modum Epistolæ compilare, quo visiones bonæ, & diuinę a diabolicis, & malignis, velut granum a palea excutiantur, & subtiliter separentur, vt sic granum purum, & mundum in horreo spiritualium, & catholico-

PONITVR HIC IN Theorica modus examinis faciendi, de qualitate personæ videntis visiones, & de modo habendi eas, ac de qualitate materiæ visionum, & reuelationum.

CAP. II.

Dicunt Sancti Patres, & Doctores Ecclesię, quod persona visiones vidēs, debet tali modo examinari. An scilicet sit persona spiritualis, vel an sit mundana, & sæcularis. An etiam viuat sub disciplina, & obedientia speciali, continua spirituali alicuius senioris discreti virtuosi, & maturi, catholici, & experti patris spiritualis, vel an in proprio arbitrio, & voluntate. Item vtrum tentationes suas, & illas tales visiones quas habet statim supposuerit examini, & iudicio sui patris spiritualis, vel aliorum discretorum seniorum patrum spiritualium cum humilitate, timens illudi, vel an eas occultauerit, nulliusque examini, & iudicio eas supposuerit, aut ex illis de se præsumpserit, & iactauerit, vel se reputando alios despexerit. Item examinari debet, vtrum ab ista persona vidente visiones resultent veri actus, & virtutes obedientiæ, humilitatis & charitatis, & intentæ orationis, vel an procedant ab ea actus reputationis, & iactantiæ, aut superbiæ, seu ostentationis, & elationis, vel appetitus laudis humanæ, aut negligentia orationis, siue ambitio honoris, vel dignitatis. Item vtrum ista persona apud viros spirituales reputetur vere catholica, & fidelis, & obediens prælatis, & rectoribus Ecclesiæ, vel an sit suspecta de fide, vel de obedientia prælatorum, & rectorum Ecclesiæ. Item vtrum in vita spirituali virtuose, & in pœnitentia, & in habendo frequentes visiones humiliter, & diu perseuerauerit, vel an in hoc sit recens, & nouitia. Item an ista persona visiones videns, habeat bonum intellectum naturalem, & spiritualem, & verum, & discretum iudicium rationis, & spiritus, vel an sit leuis intellectus, vel subita, aut fantastica. Dicit enim Grego. in dialo. quod sancti viri inter illusiones, atque reuelationes ipsas, visionum voces, aut imagines quodam intimo sapore discernunt, vt sciant, vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur. Et vtrum ista persona fuerit alias examinata de materia, & modo visionum, per viros litteratos, & spirituales, & approbata, vel an non. Et hæc sufficere videntur, quantum ad examinationem personæ. Quantum vero ad modum videndi, & audiendi spiritualiter, & recipiendi reuelationes, seu visiones, dicunt sancti patres, & Ecclesiæ sancti doctores, quod debet examinari subtiliter, vtrum ista persona vidēs visiones, & audiens locutiones earum, videt eas vigilando, vel an dormiendo, & somniando. Et vtrum in visione corporali, vel an in visione imaginaria, & spirituali, uel vtrum forte in visione intellectuali supernaturali. Et vtrum in illo raptu mentali, qui extasis vocatur, scilicet, quando talia videt senserit aliquam mentalem supernaturalem dulcedinem amoris diuini, vel an non. Et vtrum tunc videt, & audit aliquem, sibi aliqua mysteria loquentem, aut diuinas doctrinas, & spirituales demōstrantem, vel an non, & in qua specie tales personas videt. Et vtrum tunc sentit illuminationem, seu quandam illustrationem supernaturalis luminis intelligentiæ manifestationis veritatis diuinæ illius materiæ illorum visorum, vel an non. De qualitate etiam, & materia ipsarum visionum debet examinari, vtrum visiones illæ concordant cum diuina scriptura, vel an discrepant ab ea. Et vtrum visio illa sit ad humanorum actuum virtuosam directionem, & salutem animarum, vel an inducat in errorem Catholicæ fidei, vel an inducat aliquid monstruum, & nouum, vel aliquid quod a ratione discordet, aut a bonis virtuosis, & humilibus moribus nos auertat. Et an iste visiones semper veræ sint, aut aliquando mendaces, & falsæ, scilicet, quod illa quæ prædicunt aliquando sint vera, & aliquando non. Et an prædicent nobis futuros honores, aut diuitias, aut laudes humanas an humilitatem in omnibus. An etiam inducant nos, quod extollamur, aut quod præsumamus, & cōfidamus de aliquibus virtutibus nostris, an quod humiliemur. Item vtrum nos monent ad obediendum, etiam puris, & simplicibus virtuosis personis spiritualibus, & præpositis nostris, an ad contrarium. *Et causa breuitatis finaliter* dico, quod ad perfectam examinationem faciendam in ista materia, tam de qualitate personæ videntis visiones, quam de qualitate, & modo viuendi, quam etiam de qualitate materiæ visionum, & de modo

do discernendi spiritus, qui illas ostendunt infundunt, seu ministrant. Vtrum boni spiritus an mali sint. Vide plenissime in libr. cælestium reuelationum ad istam Beatam Brigittam de Suetia, de qua hic agitur in lib. primo, iiij. cap. Et in eodem libro liiij. cap. Et in tertio libro, x. cap. Et in 4. lib. xxiij. & cx. cap. & in vj. lib. & lij. & lxvj. cap. cum multis similibus. Vbi prædicta Domina a Christo, & Virgine Maria plene instruebatur, de ista materia discernendi spiritus, & visiones, & mentalia sentimenta. Nam si talis subtilis examinatio non præcesserit, error periculosus poterit euenire in approbante, vel reprobante indiscusse, & ex abrupto talia videntem, & eius visiones, & reuelationes, quia forte iste subitus, & indiscretus ex abrupto approbans talem videntem, & eius visiones, recipiet falsa pro veris, & vera, vt falsa periculosissime reputabit. Et sic veræ, & bonæ visiones, seu locutiones diuinæ respuentur, & non credentur, nec eis obedietur, etiam si veraciter a voluntate Dei processerunt. Falsis vero illusionibus fides præstabitur, & obedietur, in damnum videntis, & subito approbantis, aut reprobantis indiscusse, & ex improuiso, quod sæpe contigit tam in veteri testamento, quam in nouo, & adhuc hodie talis error sæpe contingit, propter defectum discreti, & maturi examinis.

CONTINETVR HIC qualitas personæ, & virtutum Beatæ Brigittæ, cui infrascriptus liber extitit reuelatus.

CAP. III.

HIs igitur in theorica visis, nunc iam practicandi ad materiam qualitatis personæ, cui reuelatus fuit præsens liber veniamus. Sciendum ergo est, quod illustris Domina Sanctæ memoriæ Beata Brigitta, quæ visiones præsentis libri, & etiam illius magni libri cælestis, & alia multa in spiritu vidit, & audiuit, & ex præcepto Dei illas conscripsit, vt habetur in sexto libro cælesti. cj. capit. de genere regum Gothorum exorta, & in regno Suetiæ, quod est ad Aquilonem, nata fuit. Cuius parentes nobiliter, & virtuose vixerunt. Quæ adhuc in coniugio viuens maritum suum ad continentiæ perfectionem adduxit. Vt multis annis sine carnis copula viuerent, & sic ambo ad Sanctum Iacobum de Galitia peregre profecti sunt in magnis laboribus, & expensis, & cum deuotione maxima. Et postea ad patriam suam Regni Suetiæ redierunt. Vbi tunc prædictus maritus migrauit ad dominum. Ipsa vero tunc accensa perfecto castitatis amore, totam Christo se totaliter tradidit, qui eam illico in sponsam suam benigne suis verbis amplectendo suscepit, vt habetur in primo libro cælesti. ij. cap. Et tunc ipsa incepit habere clarius visiones diuinas, quas statim supposuit humiliter examini cuiusdam sui patris spiritualis sancti viri, qui erat magister in Theologia, scilicet Magistri Matthiæ de Suetia Canonici Lincopen. Ecclesiæ, qui glosauit totam bibliam, vt habetur in sexto libro cælesti. lxxxix. capit. Et exposuit etiam Domina istas visiones suas humiliter examini, & iudicio aliorum prælatorum, & religiosorum spiritualium virorum, vt habetur in quarto libro cælesti. lxxviij. cap. & expressius in prologo Regulæ Saluatoris ei diuinitus reuelatæ. Postquam vero prædicti viri periti in scientia, & spirituales in vita, visiones, & infusiones, & reuelationes prędictę dominę reuelatas approbauerunt, & sententiauerunt eas procedere a Spiritu Sancto veritatis, & non ab illusore spiritu falsitatis, tunc ipsa desiderans Christum pauperem pauper sequi, & eius quodammodo vestigia imitari, de omnibus bonis suis, nihil sibi nisi simplicissimum victum, & vestitum humilem reseruauit. Et sic cęteris aliis bonis filiis distributis, inter filios suos, & Christi pauperes abundanter, & a mundi retinaculis se expediēs, ex pręcepto Christi egressa est exemplo Abrahę de terra sua, & de cognatione sua. Vt patet in legenda vitę eius, & sic ad Romam peregrinando deuenit, ad standum ibi in vita pœnitentiæ, & ad visitandum humiliter limina Apostolorum, & reliquias aliorum Sanctorum, donec Christus ei aliud pręcepit, habens semper secum alios duos seniores antiquos, & maturos, virtuosos, ac virgines, & expertos patres spirituales, qui vsque ad mortem eam secuti sunt. Congruum enim erat, quod ille castissimus sponsus, qui suam matrem Virginem discipulo Virgini commendauit, quod suam nouam sponsam etiam regendam virginibus, & virtuosis patribus commendaret, quorum vnus monachus, & prior Cisterciensis religiosissimus erat. Virgo

go carne, & satis scientia litteratus. Et quia ipsa domina reuelationes scribebat, vt præfertur, ex præcepto Christi in lingua sua Gothica, ideo ex eodem præcepto Christi, iste prior transtulit de illa lingua sua materna in latinum, omnes libros & istum præsentem, eidem dominæ diuinitus reuelatos. De quo quidē religiosa mentio fit in prologo libri cœlestis in fine. Alter vero pater spiritualis istius dominę erat quidam presbyter de Suetia: Virgo etiam venerabilis, & sanctissimæ vitæ, qui totam domum prædictæ dominæ regebat, & eam cum filia sua gramaticam, & cantum ex præcepto Christi docuit, & in viam virtutum paternalibus correctionibus virtuose corrigendo direxit. Quibus patribus ipsa in tota vita sua, in omnibus virtutibus, ita humiliter obediuit, sicut verus monachus humilis obedire solet prælato suo. Propter quod ipsa in tantam humilitatem, & obedientiam, & perfectam mortificationem suæ propriæ voluntatis deuenit, quod quando ibat per indulgentias, & sanctuaria, sociata semper cum prędicto presbytero suo patre spirituali, non audebat eleuare aspectū oculorū suorum de terra, nisi prius requisisset, & obtinuisset ad hoc specialem licentiam eiusdem sui patris spiritualis. Omni etiam die ipsa confitebatur bis, vel ter. Et omni die dominica ipsa, & prædicta veneranda filia sua, quæ secum laudabiliter vixit, & vsque ad mortem in pęnitentia, & castissima viduitate honestissime perseuerauit, corpus Christi cum maxima deuotione, & humilitate sumebant. Semper viuentes in magnis secretis pœnitētijs corporalibus, quas non oculis hominum ad vanam gloriam, sed soli Deo humiliter offerebant in simplicitate cordis, & puritate spiritus sub prædictorum duorum Patrum spiritualium humili subiectione, & continua obedientia spirituali. Quibus Patribus visiones quas ipsa beata Brigitta habebat, statim detegebat, & omnia humiliter subiiciebat eorum iudicio, & discretioni. Et non solum ipsa erat humilis exterius apud homines, sed etiam intrinsecus apud Deum, tam indignam, & peccatricem se reputabat, quod in oratione sæpe loquendo Christo, quasi de eo stupendo mirabatur, & quodam modo eum redarguebat, quia eam tam indignam ad videndum visiones diuinas, & audiendum, & scribendum sanctissima verba eius, ipse sibi eam elegerat, vt clare videre poteris in secundo libro cœlesti, cap. 15. Et in sexto libro, cap. 52. in principio, §. Tunc ego. Et in secundo libro cap. 18 cum multis similibus. Qualem autem patientiam & æquanimitatem habebat præfata domina, non ego respondere volo, sed potius respōdeat tibi de hoc illa gloriosa Virgo Sancta Agnes, quæ de hoc testimonium perhibet in quarto libro cęlesti, cap. 24. quod incipit. Agnes loquitur ad sponsam dicens. Veni filia, & impone tibi coronā factam ex septem lapidibus preciosis. Et de hoc vide latius in legenda vitæ eiusdem dominæ Beatæ Brigittæ. Qualem etiam ardorem charitatis habuit ad Christum, & eius Matrem Virginem, vide in quarto libro cœlesti 61. cap. & in septimo libro, 51. cap. & in 7. libro, primo cap. & ca. 14. in fine, cum multis similibus. Proximos etiam, ita materna compassione diligebat, quod pro multis in specie, & pro omnibus etiam in genere ad Christum orando infinitas preces, & lacrymas frequenter deuotissime effundebat, vt patet in 3. libr. 23. cap. & in multis aliis cap. lib. cœlesti. Immo quodam tempore cum Rex Suetię grauarę vellet subditos suos in toto regno magnis exactionibus, vt solueret quandam pecuniæ quantitatem in qua tenebatur creditoribus, tunc beata Brigitta dixit Regi. Domine noli hoc facere, sed recipe duos filios meos, & pone eos obsides, donec soluere poteris, & non offendas Deum, & subditos tuos. Et hoc clarius habetur in legenda vitæ eius. Omnibus autem aliis virtutibus intantum prædicta domina adornata, & repleta erat, quod Christus eam in sponsam miro modo recepit, & ipsam mirandis consolationibus, & diuinis gratiis frequentissime visitauit, dicens ei. Ego elegi te mihi in sponsam, vt ostendam tibi secreta mea, quia mihi sic placet. Et post paululum subiunxit dicens. Propterea assumo te mihi in sponsam, & in meam propriam delectationem qualem decet Deum habere cum anima casta. Vt patet hoc in primo libro cœlesti 2. ca. cum multis similibus, quæ inuenies in libris eidem dominæ diuinitus reuelatis. De quibus quidem diuinis gratiis ipsa nunquam superbiebat, immo quotidie se humiliando, me teste cum lacrymis, & magis debitricem Deo se reputando grauius iudicium de hoc sibi superesse timebat. Latere quidem ipsa, & thesaurum istum diuinarum Reuelationum abscondere ob humilitatis custodiam maluisse. Sed Christus eam imperio verborum suorum pluries astrinxit ad scribendum, & loquendum sua verba diuina intrepide, summis Pontificibus, Imperatori, Regibus, & Principibus, ac aliis gentibus, vt ex istis diuinis verbis, scilicet libri cęlestis, & præsentis libri, homines peccatores ad Deum se conuerterent. Boni autem, & iusti in melius proficerent, vt patet hoc clare in septimo libro cœlesti

cap.

capit. 27. Et in sexto libro, 101. cap. cum multis similibus. Et in isto præsenti libro celestis Imperatoris ad Reges in pluribus capitulis. Quis enim talem vitam existimet ludibriis patere dęmonum, Christumque tantę impietatis arguere audebit, vt non tueretur in se sperantem, & non se, sed ipsum ex dilectionis eius plenitudine glorificantem? Vel nunquid bonus sponsus castam coniugem, & fidelem exponit, adultero illudendam?

HIC OSTENDITVR qualibus modis beata Birgitta habebat visiones, & reuelationes.

CAP. VIII.

PRæterea, quia iam dixi supra, & patefeci nescientibus aliqua de qualitate personæ, & virtutibus Beatæ Brigittæ. Nunc autem, quia multi mirantur, & dubitant de ista gratia, videndi, & audiendi visiones spirituales prefatę dominæ beatæ data. Et certificari desiderantes, de modo quo ipsa talia videbat, & audiebat sæpe requisierunt me, quod ego eis hoc seriose dicerem, & de pura veritate eos clare certificarem, & cuius infusione spiritus, omnia ista reuelata existant. Ideo ego ad honorem Dei, & Virginis, & prędictę beatissimę dominę, ac etiā ad remouendum dubium de cordibus prędictorum dubitantium, ostendam eis primo qualiter, & quibus modis ipsas visiones & reuelationes videbat, & audiebat. Et postea per ventilabrum diuinæ scripturæ probabo, quod a Spiritu sancto hæc, & non a spiritu illusionis certissime procedebant. Ad primum igitur dico, quod tibi possunt de modo quo ipsa visiones videbat certificari, non solum per mea, sed etiam per verba ipsius met Beatę Brigittæ, quæ in pluribus capitulis librorum hæc ipsa humiliter satis clare notificat, & pręsertim in 4. lib. cœlesti, 77. cap. Et in lib. 6. 52. cap. vbi cum Christo ipsa loquitur in hæc verba. O charissime Deus, & omnium dilectissime, mirabile omnibus audientibus est illud, quod tu mecum fecisti. Nam quando placet tibi, tunc sopis corpus meum non tamen sopore corporali, sed quadam quiete spirituali. Animam autem meam, tunc quali a somno excitas, ad videndum, & audiendum, atque sentiendum spiritualiter. O Domine Deus, quam dulcia sunt oris tui verba. Videtur vere mihi quoties verba spiritus tui audio, quod anima mea illa in se deglutiat, cum quodam sentimento ineffabilis dulcedinis, sicut suauissimum cibum, qui cadere videtur in cor corporis mei, cū magno gaudio, & ineffabili consolatione. Mirabile tamen hoc esse videtur, quod dum verba tua audio, tunc vtrumque efficior scilicet satiata, & famelica. Propter hoc autem satiata, quia tunc nihil aliud mihi libet, nisi illa. Propter hoc vero famelica, quia semper augetur appetitus meus ad illa, &c. Et de hoc in prologo, & etiam in fine regulę Saluatoris eidem dominæ diuinitus reuelatę, cum aliis similibus. Ego etiam Deo teste pluries vidi prędictam dominam aliquando sedendo, aliquando prostratam stare in oratione totam absorptā, & quasi exanimem alienatam a sensibus corporis raptam in extasi spiritus nihil videntem, nec audientem de his, quæ agebantur in loco illo, vbi ipsa corporaliter erat. Quæ quando reuertebatur ad se, narrabat mihi indigno, et talia, & prefatis duobus confessoribus suis, visiones, quas tunc habuerat, & secreta magnalia, & miranda Dei. Habetur etiam eius modus videndi visiones satis clare in quadam visione, & reuelatione secreta, per ipsam dominam transmissa domino Papæ Gregorij XI. Vbi narratur qualiter ipsa existente in oratione vigilando rapta fuit in spiritu. Et tunc omnes eius corporis vires, quasi deficere videbantur, sed cor ipsius inflammabatur, & exultabat charitatis ardore. Eiusque anima consolabatur, & quodam diuino robore confortabatur spiritus eius. Ac etiam tota ipsius conscientia, & intelligentia replebatur intellectu spirituali, vt ibi continetur. Aliquando quoque ipsa sensibiliter sentiebat cum ineffabili exultatione spiritus quendam sensibilem corporalem motum mirabilem in corde suo, quasi si ibi esset infans viuus se reuoluens, qui motus ab extra videbatur. Et de hoc dubitans ipsa, an esset illusio diabolica, ostendit suis patribus spiritualibus. Qui videntes, & tangentes illud, in stuporem admirationis redacti sunt. Hoc tamen dubium declarauerunt ei Christus, & Virgo Maria satis pulchre, dicentes, quod ille motus cordis non erat illusio, sed diuina gratia, & operatio Spiritus sancti. Vt habetur in secundo libro, 18. capitulo. Et in sexto libro, 88. capitulo. Item scias, quod aliquando ipsa domina

mina Brigitta orans vigilando in excessu mentis, videbat in spiritu, aliquas species, seu formas, nec tunc declarabantur ei quid significarent illa visa, sed remanebat dubia, & incerta de significationibus visionum, vt habetur in 4. lib. cœlesti, 2. cap. cum multis similibus. Et infra in isto præsenti libro Cœlestis Imperatoris ad Reges, 31. cap. Quæ visiones aliquando postea declarabantur ei a Christo processu temporis, vt habetur in dicto cap. 31. istius libri, & in vltim. cap. 4. libri. Et aliquando nihil vnquam declarabatur ei de significationibus illarum visionum, sed semper remanebat de illis incerta, vt habetur in aliquibus capitulis libri cœlestis. Aliquando vero in spiritu videbat vigilans visiones in specie aliqua, & quasi semper statim in eadem hora declarabantur ei visiones illæ a Christo loquente, vel a sua Matre Virgine, vel ab Angelo, vel aliquo Sancto, & manifestabantur ei tunc diuinitus in intelligentia sua significationes illarum visorum, vt habetur in 4. lib. 7. cap. Et in 6. lib. 35. cap. & 52. cap. Et in isto libro præsenti infrascripto, 48. cap. cum multis similibus, quæ in libro cœlesti, & in isto inuenies. Sed poteris quærere quomodo potest esse, quod ista beata Domina in oratione vigilans, poterat videre, sicut sæpe videbat rapta in spiritu Christum, & eius Matrem Virginem, & Angelos, & Sanctos, qui semper immutabiliter, & essentialiter stant in cœlo. Et in eodem instanti videre animas cruciari, ac eas, & etiam dæmones loquentes in purgatorio, & in inferno, & etiam personas adhuc viuentes in hoc mundo. Et omnes istos videbat ordinate in eodem instanti ad inuicem, & simul loquentes, & vtrum quando hæc videbat dicta domina, anima eius erat in corpore, vel an extra corpus. Ad quam quæstionem non ego, sed illa speculum omnis sapientiæ, & scientiæ Regina cœli Maria tibi respondet valde pulchre in lib. 4. 52. ca. in fine cum similibus. Vbi determinatur, quod hoc fiebat mira eleuatione, & illustratione mentis, & intelligentiæ eiusdem beatæ Brigittæ, ad magnam vtilitatem totius corporis Ecclesiæ cooperatione, & ministerio Spiritus sancti. Aliquando quippe visa in extasi aliqua specie Christi, vel sanctorum infundebantur in momento intellectui eiusdem beatæ Dominæ aliqua magnalia, scilicet, solutiones quæstionum, reuelationes mysteriorum, & directiones actuum virtuosorum. Et regulæ sanctæ vitæ, per quendam influxum supernaturalis luminis diuini. Et tali modo habuit, quasi in momento totum librum quæstionum, qui est quintus liber inter libros cœlestis voluminis, & regulam etiam Saluatoris religionis monialium ei reuelatam, vt ibi habetur in fine regulæ 29. cap. Aliquando etiam Angelum corporeis oculis ipsa videbat, qui ex Dei præcepto ei sermonem pulcherrimum, & satis prolixum paulatim, & seriose dictabat, & ipso dictante in eodem instanti ipsa scribebat, & sic fuit scriptus per interualla temporum ille excellentissimus sermo Angelicus, de excellentia Mariæ Virginis, qui diuiditur per lectiones, quæ debent per hebdomadam nocturnatim legi a monialibus in matutinis, in dicta religione monialium regulæ Saluatoris. Aliquoties quoque vidit prædicta domina Brigitta non solum in spiritu, immo etiam suis beatis oculis corporalibus Dominum Iesum Christum, & Matrem eius Virginem, & præsertim in fine vitæ suæ, vt infra patebit. Quod tunc ipsa testabatur filiæ suæ, & suis patribus spiritualibus. Pro maiori tamen parte ipsa neminem videns audiebat vocem filij Dei, vel Virginis Matris, uel alicuius Angeli, uel sancti loquentes sibi uerba mirabilia, ad vtilitatem proximorum, directionem iustorum, conuersionem gentium, & reuelationem mysteriorum, ut patet in omnibus supradictis libris, ubi maior pars capitulorum incipit filius loquitur, uel Mater loquitur ad sponsam, &c. Et aliquando tali modo prædicebantur ei multa futura, & prophetica de futuris, & alia non prophetica, per uerba obscura quorum significata ipsa nesciebat, an intelligerentur textualiter, an figuraliter, uel an spiritualiter, uel per quem modum, immo sæpe ipsa aliqua talia uerba intelligebat textualiter, sicut fecit B. Franciscus, cum tamen Christus loquens uel Mater eius illa uolebant debere intelligi spiritualiter. Et patet in 4. lib. cœlesti 15. & 79. cap. & in præsenti lib. cœlesti. Imperatoris ad Reges, 48. cap. cum multis similibus capitulis contentis in dictis libris. Et aliquoties loquebatur ei tali modo diuinitus verba clara, quorum ueritas, & significatio ei clare, tunc pandebatur, & aperiebatur. Vt habetur in multis capitulis libri cœlestis. Et uide hoc in libro infrascripto ad Reges, 48. cap. prope pincipium. Scias tamen, quod prout ego indignus sæpe audiui ab ore eius, semper in omnibus istis supradictis modis uisionum maximam dulcedinem amoris Dei, & ineffabilis consolationis diuinæ ipsa sentiebat in anima, & mente sua. In tantum, quod quasi nullatenus, nisi cum suspirijs, aut lacrymis hoc mihi referre poterat.

MIC

HIC EXAMINATVR per diuinam Scripturã, sub qua specie visionum contineantur visiones istius libri, & aliæ reuelatæ Beatæ Brigittæ.

CAP. V.

EX quo igitur iam certificaui dubitantes de qualitate, & virtutibus personæ præfatæ Dominæ Brigittę beatissimæ, ex multis capitulis superius allegatis, & de modis diuersis quibus ipsa domina visiones, & reuelationes præsentis libri, & aliorum librorũ videbat, & audiebat, atque sentiebat, vt supra patet. Nunc autem restaret videre de qualitate materiæ ipsarum visionum, & reuelationum. *Sed* quia satis de illa tetigi supra, & tangetur infra in. *Hoc* etiam, & in. Ergo o vos imperatores. *Et* etiam ex præiacente huius libri materia, & aliorum librorum suorum, patet euidenter. Ideo non figo plus pedem in hoc. Sed iam mihi restat nunc examinare, & declarando probare secundum Scripturam, & dicta sanctorum *Doctorum*, sub qua specie visionum communiter prædictæ suæ visiones, & reuelationes contineantur. *Sciendum* est ergo de primo, quod August. in libr. 7. super Gen. ad litteram. Et *Hieronymus* in prologo Apocalip. tria principalia genera visionum describunt, scilicet, corporale, spirituale, & intellectuale. Visio enim corporalis est, quando, videlicet corporalibus oculis aliquid videmus. Spiritualis, seu imaginaria visio dicitur cum dormientes, vigilantes in spiritu imagines rerum cernimus quibus aliquid aliud significatur, sicut vidit Pharao spicas, & Moyses rubum ardere, ille dormiens, & iste vigilans. Intellectualis autem uisio est, quando, uidelicet, *Spiritu* sancto reuelante, intellectu mentis ueritatem mysteriorum, sicut est capimus, quomodo uidit *Ioannes* illa, quæ in libro Apocalipsi referuntur. Non enim figuras tantum in spiritu uidit, sed & eorum significata mente intellexit. Primum namque genus uisionum, scilicet, corporale non multum tangit materiam nostram, licet tamen aliquibus uicibus ipsa Beata Brigitta gloriosam *Matrem Dei*, & eius filium corporalibus oculis uiderit, scilicet, quando erat puella. Vidit enim altare, & *Matrem Dei* supra sedentem, quæ uocauit eam, & imposuit ei coronam. Et iterum quando periclitabatur in partu, & *Mater Dei* intrauit ad eam, & uidentibus dominabus cunctis, quę aderant tetigit membra eius, & statim liberata est. *Et* hoc habetur in legenda uitæ eius. Et iterum quando uidit ignem descendere de cœlo super altare, & in manu presbyteri celebrantis hostiam, & in ea agnum, & faciem hominis in agno, & agnum in facie. Et iterum uidit in manu presbyiteri in hostia infantem uiuum, qui signando astantes signo crucis dixit benedico vos credentes, non credentibus ero iudex. Vide in 6. libr. cœlesti. 86. cap. Cumque etiam ipsa iam ageret in extremis, uidit iterum corporaliter Christum eam consolantem, ut supra dicitur. Talis enim uisio credendum est, quod ab ipso Christo eidem sponsæ suę Spiritu sancti mysterio in eius consolationem fuerit ostẽsa, & non a maligno spiritu illusorię ministrata. Et hoc patet clare, quia ipse *Dominus Iesus* Christus prædixerat ei diem sui exitus, quinque diebus antequam ipsa expiraret, præcipiens ei *Sacramenta* Ecclesiæ suscipere, & de factis suis, & monasterij sui aliqua per eum, tunc reuelata disponendo ordinare. Quod præceptum in fine vitæ diabolus ei non dedisset, si illa visio diabolica extitisset. Probatur etiam, quod illa visio fuerit a Deo ex hoc, quia in illo extremo puncto vitæ, ipsa communionem sanctam, & extremam unctionem præsentibus personis multis deuotæ recepit, quibus susceptis, & ipsum Christum oculis corporalibus, tunc eam consolantẽ uidit, & in eius manibus spiritum humiliter commẽdando expirauit. *Et* hoc patet in 7. libro cœlesti cap. ultim. & in fine legendæ uitæ eius. In hoc tamen modo uidendi uisiones, scilicet, corporaliter non figo pedem pronunc, quia ipsa domina paucis uicibus uidebat uisiones corporalibus oculis. *De* secundo autem genere uisionis, scilicet, spiritualis, seu imaginariæ dormientium non loquemur, quia ista somnia suspectissima reputantur per Greg. in lib. 4. dialog. 48. ca. *Et* habetur etiam idem in lib. 4. cœlesti. 38. cap. quamuis aliquando somnia sint uera, & bona, & a Deo, ut ibi dicitur. Et in libro cœlesti uide modum quem debes tenere quando talia somnia eueniunt. Et tali modo dormiendo uidit etiam ista beata domina cum adhuc puella esset semel Christum quasi tunc temporis crucifixum, & ab illa hora semper effecta fuit cordialiter ad passionem Christi, nec talis visio som-

somnialis tangit materiam nostram, quia ipsa domina, quasi omnes visiones videbat in oratione vigilando, & non dormiendo, vt in multis capitulis prędicti libr. cœlestis hoc patet euidenter. Sed veniendo modo ad istam secundam speciem quam dixi, scilicet, visiones spirituales, seu imaginariae vigilantium, quæ tangit materiam nostram, dicit sic Beatus Augustinus in libro duodecimo super Genesim ad litteram. Quando autem pœnitus auertitur, atque arripitur animi intentio a sensibus corporis, tunc magis dici extasis solet. Tunc .n. omnino quecunque sunt præsentia corpora etiam patentibus oculis non videntur, nec vlle voces prorsus audiuntur, quia totus animi contuitus, aut in corporum imaginibus est per spiritualem, aut in rebus in corporeis nulla corporis imagine figuratis, per intellectualem visionem. Ex istis ergo verbis patet manifeste, quod quando dicta Domina stabat in visione, sopita gaudio, & sopore dulcedinis amoris diuini, alienata a sensibus corporis, vt supra ipsa narrat, quod tunc stabat in extasi alienata supra se. Nec talem dulcedinem, & ebrietatem amoris diuini, in alicuius mente diabolus infundere potest, vt infra patebit, quia quod ipse non habet, alijs infundere nequit. Cum vero ipsa dicit supra, & in libris, quod Deus animam suam, tunc quasi a somno excitabat, ad videndum, & audiendum, atque sentiendum, cœlestia diuina, & spiritualia. Et quod tunc ipsa visiones videbat, & vocem loquentis audiebat in spiritu. Tunc ostenditur clare per istud dictum Augustini suprascriptum, quod ipsa, tunc stabat rapta in spiritu, per spiritualem, seu imaginariam visionem, quia scilicet videbat in spiritu illas imagines, seu species, & audiebat locutiones illorum visorum. Quando autem ipsa dixit, vt supra habetur, quod tota conscientia, & intelligentia eius, in illo raptu extasis replebatur, & illuminabatur quodã intellectu spirituali. Et ꝙ in momẽto erant Christo loquente infusa in intellectu eius multa, vt scilicet tota regula Saluatoris, & liber quæst. & multa alia per quendã influxum luminis intellectualis supernaturalis. Ecce quod per hoc clare ostenditur nobis, quod ipsa tunc stabat rapta in illa extasi, & tunc illuminabatur, & illustrabatur mens, & intelligentia eius diuinitus, per supernaturalem intellectualem visionem. Et scias, quod hanc illuminationem, seu illustrationem mentis diabolus nullatenus potest infundere alicui, quia in visione intellectuali nunquam potest anima illudi a dæmone, vt infra clarius patebit per Augustinum, & Thomam de Aquino, & in hoc omnes doct. concordant. Cum etiam ipsa dicit, quod in illo raptu, seu extasi ea existente, filius Dei, vel Virgo Maria, vel aliquis Angelus, vel sanctus sibi loquebatur ea, quæ supra in libr. cœlesti continentur, & infra in præsenti lib. quasi per totum. Tunc per hæc clare colligimus, quod ipse miserator Deus ad ipsius Domine, & nostrã vtilem directionem conscientias nostras per verba doctrinæ suæ dignatus est illustrare, & quod de secretis mysterijs suis, ac de rebus futuris, & alijs documentis sanctissimis sua quadam diuina interna locutione per intellectualem visionem instruere nos per ipsam dominam voluit, & docere. De qua quidem locutione Beatus Greg. in 28. lib. moralis. cap. 1. & plene, & pulchre nos instruit in hæc verba. Sciendum, inquit, propterea est, quia in duobus modis locutio diuina distinguitur, aut per seipsum namque dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum Deus loquitur, sola in nobis vis internæ inspirationis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo eius sine verbis, & syllabis cor docetur, quia virtus eius intima quadam subleuatione cognoscitur ad quam mens plena suspenditur, vacua grauatur. Pondus .n. quoddam est, quod omnem animam quã replet leuat. Incorporeum lumen est, quod & interiora repleat, & repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, quia & auditũ aperit, & habere sonitum nescit. Et subdit. Spiritum enim Dei, quasi quedã nobis verba dicere, est occulta vi ea, quæ agenda sunt intimare. Et cor hominis ignarum non adhibito strepitu, & tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. Et postea subiungit dicens. Dei enim locutio ad nos intrinsecus facta, videtur potius, quam auditur, quia dum semetipsam sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostræ ignorãtię tenebras illustrat. Hæc ille Greg. Tali enim interna diuina locutione ista sancta Domina de his, quæ continetur in hoc libro, & in lib. cœlesti, ad spiritualem doctrinam Imperatorum, & Regum, & summorum Pontificum, ac Prælatorum, & omnium gentium, & etiam ad conuersionem infidelium, a sponso suo Christo loquente dicebatur, & instruebatur, vt patet per totum librum cœlestem, & per præsentem. Subdit etiam Grego. in prælegato capitulo dicens, quod aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tẽpus ex aere assumptis, per Angelos nobis loquitur Deus, sicut Abraam, qui non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere. Et subdit dicens. Nisi .n.

Angeli quedam nobis interna nunciantes; ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non comparerent, vsque hic Greg. Tali etiam modo Deus sepe per Angelum loquebatur suę sponsę prædictæ, & præsertim quando in Roma ipsa existente, Angelum qui sermonem de excellentia Virginis dictaret ei misit, quem ipsa etiam corporeis oculis quotidie vidit, & ipso illum dictante per interualla temporum ipsa sermonem eundem conscripsit, vt patet supra. Sed poteris quærere, quare verba Dei aliquando, ita obscure ab ipso dicuntur, quod diuersimode interpretari possunt, & quandoque aliter a prophetia audiente, & ab alijs hominibus, & aliter a Deo loquente intelliguntur, vt patet in Beato Francisco, quando ei dictum fuit a Christo. Vade, & repara ecclesiam meam, & in multis alijs, qui verba, quæ spiritualiter intelligi debebant materialiter, & textualiter intellexerunt. Respondeo secundum, quod dicit August. in libro 1[illegible]. super Gen. & Thom. de Aquino in secunda secundæ in titul. de prophetia, & alij docto. quod non semper propheta recte intelligit, quæ sibi in visione dicūtur, & reuelantur. Et super hæc vide solutionem quam dat isti Beatę dominæ gloriosa Virgo Maria in isto præsenti libro infrascripto, scilicet, Imperatoris ad Reges cap. 48. quasi in principio. Sed poteris quærere. Et in 4 libr. cœlesti, 15. & 75. cap. cum multis similibus. Et tali modo dicta Domina Brigitta aliquando intelligebat verba visionum corporaliter, seu litteraliter, & tamen Christus, vel Mater eius loquentes intelligebant illa spiritualiter, aut figuraliter, vt supra patet in proximis allegationibus. Liquet ergo ex prædictis euidenter, & ex præiacente materia librorum isti venerandæ Dominæ diuinitus reuelatorum, quod ipsa habuit a Deo singularissimam gratiam spiritus prophetiæ per internam Dei locutionem, & spiritualem, & intellectualem visionem ei diuinitus gratis datam. Quia vera, & propria prophetia, & reuelatio, ac scientia, & doctrina causantur ex visione spirituali, seu imaginaria aliquorum corporum, seu signorum; Accedente tunc ibi influxu luminis intellectualis, & supernaturalis veritatis diuinæ, vt patet ex modis, & sentimentis supradictis, quibus ipsa visiones videbat, & ex dictis August. in libr. 12. super Gen. ad litteram, vbi est textus clarus de hoc, quia imagines corporales in spiritu eius expressæ sunt, & quasi semper earum intellectus diuinitus reuelatus in mente. Immo audacter dico secundum Beatum Thomam de Aquino in secunda secundæ questione 163. & secundum alios doctores, quod iste gradus prophetiæ iste Beatę Dominę diuinitus gratis datus, inter omnes alios gradus prophetiæ altior iudicatur, quando, scilicet, prophetia non solum videt signa verborum vel factorum, sed etiam videt vigilando aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem. Et præsertim si ille loquens vel demonstrans sit in specie Dei, quia dicunt, quod per hoc magis ille propheta appropinquat ad causam reuelatam, quam si ille loquens, vel demonstrans se ostenderet in specie hominis, vel in specie Angeli, secundum illud Isaie 6. cap. Vidi Dominum sedentem, &c. Et maxime ex eo, quod inter omnes scripturas omnium prophetarum clariori modo intelligendi, a Deo scriptura ista præfatæ Dominæ, quam aliæ scripturæ alijs prophetis fuit reuelata, quia dicit Nicolaus de Lyra in prologo super psalterium, & alij doctores idem dicunt, scilicet, quod ille gradus prophetiæ est excellentior, vbi cœteris paribus est intelligentia clarior.

HIC PROBATVR PER Diuinam Scripturam, quod visiones, & reuelationes istius libri, & aliorum Beatæ Brigittæ, emanauerunt, & & processerunt a Spiritu sancto, & non ab illusione diabolica. Et hoc probatur ex septem signis, siue rationibus hic contentis.

CAP. VI.

SANE quia iam supra proximo clare ostensum est subtiliter intuenti, sub quo genere visionum contineantur iste præsens liber, & alij reuelati præfatæ Beatissimæ Dominæ Brigittæ. Idcirco nunc videamus secundum dicta sanctorum, an a Spiritu sancto veritatis, vel an ab illusore spiritu falsitatis visiones, & reuelationes istorum librorum illi fuerint ministratæ. Dico igitur, quod multę differentiæ sunt, in quibus clare potest di-

discerni reuelatio, vel vitio boni spiritus a malo, tam in qualitate personæ talia videntis, quam in sentimentis interioribus animæ ipsius, quam etiam in modo videndi, & in materia visionum discutiendo subtiliter ad quid illa visio nos promouet, & inducit. Ad quorum notitiam, & practicam discernendi ne illuderetur ista præfata domina beatissima, pluries, & satis clare diuinitus fuit edocta, & per visiones, & documenta diuina plenius informata, vt habetur in primo libro cœlesti, 54. cap. & in 2. lib. 19. cap. & in 3. li. 10. cap. Et vide de hoc septem differentias, quæ assignantur isti Dominæ Brigittæ sponsæ Christi a Virgine Maria inter visiones boni spiritus, & mali satis pulchre in 4. libr. 23. cap. & 110. cap. & in 6. libro 68. cap. & 69. & 91. cap. cum multis similibus. & licet tam clara, & notoriæ manifesta est ista gratia diuina præfatę beatae Dominae diuinitus gratis data, quod nulla susceptione fallacis spiritus valeat obfuscari, maxime cum iam ipsa de hoc alias fuerit in Regno Sueciae diligenter examinata, per praelatos, ac viros spirituales, & magistros in Theologia. Et licet per eos fuerit determinatum, quod ista gratia sit diuina, & a Spiritu sancto diuinitus ei data, vt supra dixi. Et licet etiam iterum in Neapoli in praesentia domini Bernardi Archiepiscopi, & trium magistrorum in Theologia, & aliorum pluriũ militum, & peritorum virorum me teste, ista gratia fuerit approbata, immo quedam reuelatio, quam tunc ipsa Domina eis praesentauit per vnum dictorum magistrorum ex praecepto Dominae Reginae, & Archiepiscopi coram toto populo ciuitatis adhoc vocato specialiter, fuerit in Ecclesia Cathedrali publicata, & solemniter praedicata. Nihilominus tamen ad maiorem abundantiam, & vt mordacibus d etractoribus, & calumniatoribus silentium imponatur, & pie de hoc dubitantibus plena satisfactio impendatur, volo probare per dicta doctorum sacrae Scripturae, & sanctorum Patrum, quod ista sint a Deo infusa, & data praefatae Dominae ad informationem, & vtilitatem totius corporis Ecclesiae, & directionem omnium electorum, & non a spiritu maligno illusorie ministrata, & hoc probo per septem signa, seu rationes infrascriptas, quibus discernit visio boni spiritus ab illusione diabolica. Primum signum certissimum est, quod visio sit diuina, quando, scilicet illa persona visiones videns est realiter humilis, & viuit sub obedientia, & disciplina continua alicuius patris spiritualis, discreti senioris, & virtuosi, & experti in vita spirituali. Et quando non praesumit de se ista persona videns, nec extollitur, nec se iactat, nec appetit laudes humanas, nec occultat visiones, sed cũ humilitate vera viuẽs oẽs visiones, & tẽtationes suas statim detegit, & exponit humiliter examini, & iudicio sui patris spiritualis, aut aliorum seniorum patrum spiritualium. & tunc, vt approbatum recipit, quod ille, vel illi approbant, & vt reprobata repudiat illa, quae illi reprobanda diffiniunt. Talis enim anima dico, quod non potest illudi, & de hoc est textus clarus in lib. colla. patrum Ioan. Cassiani colla. 2. cap. Et vt hano eandem. Quae loquitur de illo monacho sub specie Angeli lucis deluso a diabolo. Et eandem colla. capit. Tunc Moyses, vbi idem Abbas Moyses de hoc loquitur in haec verba. Nullatenus enim, inquit, decipi quisque potest, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorantiae eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes corde nascẽtes, perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum, vel reprobat, vel admittit. Illico namque, vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretiones iudicium proferatur serpens teterrimus velut a tenebroso subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim sugestiones noxiẽ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Haec ille Moyses. Et vide ibidem in cap. sequenti. Igitur cum praefata Domina Beata Brigitta viuebat semper sob speciali obedientia, & doctrina Patrum spiritualium seniorum, & virtuosorum, &c. Et habuit in se profundissimam veram humilitatem, & omnes visiones, & tentationes suas, ac etiam alia facienda humiliter supposuerit obedientiae, examini, & iudicio praedictorum, & etiam aliorum seniorum, vt supra dixi. Ideo clare concluditur ex praedicta determinatione illius sanctis patris Moysi, & aliorum Patrum sanctorum, quod omnia sibi reuelata in libris processerint a Spiritu sancto, & non diabolico illusore. Et hoc est clarum, & manifestum signum apud omnes fere spirituales, & doctrina generalis omni ad euadendum tentationes, & diabolicas suggestiostiones, & illusiones. Secundum signum visionis diuinae in quo non potest anima decipi est, quando anima tempore quo videt visiones, sentit se, tunc totam repleri, & quodammodo dulciter inebriari, & inflammari igne infusionis dulcedinis charitatis diuinae, & quodam sapo-

re interne dulcedinis amoris Dei. Dico .n. quod illam internam charitatem, & dulcedinem amoris diuini, quam diabolus non habet, nullo modo potest eam infundere in anima alicuius, nullus dat, quod non habet. Et ideo concluditur, quod qui talia operatur in anima, Deus est, praesertim si tunc illa anima tota roboratur, & repletur illuminatione quadam firmae credulitatis, & obedientiae, & reuerentiae fidei catholicae, & sanctae matris Ecclesiae. Vt habetur in 4. lib. caelesti 78. cap. cum similibus. Probatur etiam hoc pulchre per Hugonē de S. Victore in soliloquio de arrarrha animae in fine totius tractatus. Vbi aīa loquitur ei dicens. *Hoc, inquit, ultimum interrogationis meae suscipias quaeso. Quod est illud dulce, quod eius recordatione me tangere solet, & tam uehementer, atque suauiter afficere, ut iam tota quodammodo a memetipsa alienari, & nescio quo extrahi incipiam, subito immutor. Bene esse incipio ultra quam dicere sufficiam. Exhilaratur conscientia, in obliuionem uenit praeteritorum dolorum, exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria iucundantur, &c.* Cui animae ipsemet *Hugo* sic pulchre respondens ait. *Vere ille est dilectus tuus, qui uisitat te, idest Deus, &c.* Et idē dicit B. Antonius ualde tale, & pulchre docendo discipulos suos discernere uisiones bonas ab illusionibus, ut habetur in Vitaspatrum in 1. lib. in legenda B. Antonij, ibi. Nunc iam caeteras uobis daemonum explicabo fallacias, &c. Et ibi uide plene. Dicit etiam Gregor. in morali libr. 28. cap. 1. quod cum Deus per semetipsum animae loquitur, sola in nobis uis internae inspirationis aperitur, quia uirtus eius intima quadā dulcissima subleuatione cognoscitur, &c. Et uide hoc clarius in 4. lib. caelesti, 78. cap. & in 7. lib. cap. 4. & in capitulis eiusdem caelestis libri supra proximo preallegatis, cum multis similibus. Ex quibus probatur, quod omnia reuelata Beatae Brigittae, quae in istis libris continentur, non ab illusore terribili, sed a Spiritu sancto consolatorie suauissimo fuerunt ei ministrata, quod patet per istas allegationes supradictas, & per illa consolatoria sentimenta similia, quae ipsa sentiebat, tempore quo uisiones uidebat, & diuinas locutiones audiebat, ut patet supra per uerba eius, quae ibi continentur. Tertium signum est in quo cognoscitur, seu discernitur uisio diuina ab illusione diabolica, quando, scilicet, anima existens in uisione, siue corporali, siue imaginaria, & spirituali, sentit influxum intellectualis supernaturalis luminis, intelligibilis ueritatis, & comprehendit tunc significationes ueras illorum uisorum, & uerborum. Et aperitur clare tunc intellectus eius, ac ostenditur, seu manifestatur ei ueritas illius materiae. Iste enim influxus intellectualis supernaturalis luminis, seu uisionis, siue praecedat uisio corporalis, aut imaginaria, siue non, nunquam a diabolo potest infundi in anima, sed solum a Deo, ut ait Thomas de Aquino, in secunda secundae de titulo de prophetia qu. 172. ubi sic dicit. Daemones, inquit, ea quae sciunt hominibus manifestant, non quidem per illuminationem intellectus, sed per aliquam imaginariam uisionem. Aut etiam sensibiliter colloquendo, sed non intellectum illius illuminando. Et in hoc deficit, & differt haec prophetia a uera. August. etiam in libr. 12. super Gen. ad litteram, sic ait. Illuditur autem anima, & fallitur in corporali uisione, &c. Et postea subdit. In uisione autem spirituali, seu imaginaria, idest, in corporū similitudinibus, quae in spiritu uidentur fallitur etiam anima, cum ea, quae sic uidet, ipsa corpora esse arbitratur, &c. Postea haec autem subdit dicens. At uero in illis intellectualibus uisis nō fallitur Anima, &c. Et postea subiungit. Et si uidentur futura, ita ut omnino futura noscantur quorum imagines presentes iudicentur, siue ipsa diuinitus adiuta, siue aliquo inter ipsa exponente quid significent, sicut in Apocalipsi Ioannis exponebatur, magna reuelatio est, etiam si forte ignoret ille, haec demonstrantur, utrum, & corpore exierit an adhuc sit in corpore, sed spiritu a sensibus alienato ista uideat, usque hic August. Sed circa hoc quaeri potest, quae differentia est inter reuelationem, quae fit conficte humano intellectu, seu per illusionem in imaginatione, & intellectu hominis. Et illa, quae fit diuinitus per intellectualem uisionem. Respondeo secundum Thom. de Aquino, in secunda secundae, quaestione 173. articul. secundo, quod prophetia, seu reuelatio, quae fit secundum imaginationem, & iudicium humanae mentis, fit secundum uim intellectualis luminis naturalis. Sed per donum prophetiae diuinae, confertur aliquid humanae menti, supra id quod pertinet ad naturalem facultatem quantum ad utrumque, scilicet, quantum ad iudicium per influxum intellectualis luminis, & quantum ad acceptionem, seu repraesentationem rerum, quae fit per aliquas species. Et quantum ad istud secundum potest assimilari reuelatio conficta humanitus, aut diabolica, reuelationi diuinae prophetiae, sed non quantum ad primū. Vsq; hic Thom. de Aquino. Ex quibus patet, quod cum intellectuale lumen supernaturale, influitur

animae

animæ existenti in imaginaria visione, sine non existenti non a diabolo esse potest, sed a Deo. Concluditur ergo clare, quod cum præfata Beata domina in visionibus suis, susceperit illum influxũ luminis intellectualis, & supernaturalis, & semper ibi affuerit aliquis exponens, vt Christus, aut Mater eius, vel Angelus, aut aliquis sanctus, a quibus declarabantur, & exponebantur ei similitudines ille, & verba figuraliter sibi dicta, & ostendebantur illi veræ significationes illorum visorum. Vt patet in libris suis. Sequitur ergo, quod omnes istæ suę reuelationes, & scriptura istorum librorum a Deo ministratæ sint, qui talia operari potens est. Non autem ab illusore cui hæc facere impossibile est, vt supra patet per Aug. & Thomam. Quia in hoc differt visio illusoria a visione diuina. Et in hoc omnes Sancti patres & doctores concordant. Quartum signum est, in quo differt visio, seu reuelatio boni spiritus, ab illusione diabolica. Quando scilicet ille propheta, seu videns, semper vera prædicit, & catholica mysteria, & documẽta loquitur, & honestos, ac virtuosos mores indicat. Et hæc sunt signa, quod talia a Deo fiat. Quia diabolus in illusionibus suis, interdum dicit vera, vt decipiat, & aliquando falsa, sed Spiritus sanctus semper vera, & nũquã falsa prædicit. Quod clare probat B. Tho. vbi supra sic dicens. In aliquibus enim signis discerni potest etiam exterioribus, prophetia dæmonum a prophetia diuina. Vnde dicit Chrisostomus super Mattheum, quod prophetant in spiritu diaboli, quales sunt diuinatores. Sed sic discernitur. Quoniam diabolus interdum falsa dicit, sed spiritus sanctus nunquam. Vnde dicitur Deuteronomij 18. cap. Si tacita cogitatione responderis quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus dominus, hoc habebis signum. Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus &c. Dicit etiam Aug. in lib. 12. super Gen. ad litteram, quod quando aliqui stantes in extasi eleuationis mentalis, videntes in imaginaria, seu spirituali visione aliqua signa, vel imagines corporum, quod si in hoc eos malus arripuerit spiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas. Cum autem bonus, facit eos fideles mysteria loquentes, aut accedente diuini luminis intelligentia veros prophetas, aut ad tempus, id quod per eos oportet ostendi videntes, atque narrantes. Hæc Aug. Et ideo cum ista Beata Domina semper si bene intelligantur vera prædixerit. Nec in omnibus libris suis aliquid falsum, vel mẽdacium, vel inhonestum, vel nõ catholicum dixerit. Sed omnia vera annunciauerit, & cõfirmantia fidem catholicam, ac damnantia hæreticos, & semper virtutes indicauerit. Vt patet in isto libro, & in alijs libris ei reuelatis. Ideo concluditur clare, quod omnia ista ex diuina gratia infusa, & ostensa ei sint, & non illusione diabolica. Quintum signum in quo discernuntur visiones ministrate a bono spiritu, vel a malo, est fructus ille, & opera quæ procedunt ab illis visionibus, seu reuelationibus, quia secundum Euangelium non potest arbor mala fructus bonos facere, &c. A fructibus .n. eorum cognoscetis eos. Nam prophetia vera ordinata, & data fuit hominibus ex magna miseratione Dei, ad humanorum actuũ directionem, & ad regimen agendorum, aut ad reuelationem mysteriorum, quasi quoddam lumen diuinum, quo homines dirigerentur, & instruerentur tam in cognitione fidei, quam in omnibus operibus virtuosis secundum quod erat expediens ad salutem electorum. Et diuersificata fuit prophetia semper secundum diuersificationem temporum, & negociorum sicut ponit Tho. in secunda secundæ. ti. de prophetia art. ij. cap. vltimo. Nam dicitur Prouerb. 29. cum defecerit prophetia, dissipabitur populus. Et ideo quando videmus, quod ex talibus visionibus, seu verbis reuelatis mens illuminatur. Intellectus, & conscientia videntis illustratur, & vita eius corrigitur, & emendatur, conuertuntur homines vitiosi ad virtuosam, & religiosam vitam, & de guerra, & odio ad pacem, de superbia ad humilitatem, & obedientiam, & de malo ad bonum, & hoc in multis personis, & diu perseuerat. Tunc certissimum signum est, quod tales visiones, & reuelationes, quæ talem fructuum germinauerunt, & produxerunt, non a diabolo, sed a Spiritu sancto potius processere, quæ facere diabolo impossibile est, immo totum contrarium procedit a visionibus, seu potius illusionibus suis. Consueuerunt enim deuiare hominem a fide catholica, a bonis moribus, a sana doctrina, & ab obedientia prælatorum, & sacræ scripturæ, ac etiam a subiectione Sanctæ Matris Ecclesiæ, &c. Cum igitur ab istis visionibus, & reuelationibus, & verbis istorum librorum reuelatis pręfatæ Dominæ Beatissimæ semper processerunt illa, quæ Dei sunt, & omnis virtus, & munditia morum, & conuersio, & emendatio proximorum, reuelatio mysteriorum, roboratio fidei, damnatio hæreticorum, increpatio vitiorum, & prophetia vera futurorum &c. Quæ omnia in libro hoc, & in alijs suis libris, & per experientiam notoriam, & manifestam, in multis personis, & mundi par-

tibus sunt patientia. Ideo concluditur necessario, quod a fonte purissimo, & limpidissimo Spiritusancti, & non a tenebroso lacu fetido illusionis hæc omnia flumina processerunt. Vt in isto moderno tempore vitiorum caligine tenebroso per istam doctrinã sanctam in agendis suis homines instruerẽtur, & sic fugerent a terribili, & districta iustitia diuina in his libris contenta, ad gremium pietatis, & misericordiæ *Dei*. *Sextum signum est*, quod nec a *Deo* sint, & non a maligno spiritu, mors seu finis laudabilis, & virtuosus, personæ videntis visiones. Nam sciendum est, quod quando aliquę personæ a visionibus, seu potius illusionibus sub specie lucis longeue deceptæ fuerunt, ostendente eis diabolo multa vera, vt in fine in vno falso eas deciperet, communiter semper inuenimus in scriptura sanctorum patrum, quod isti sic delusi, in aliquo errore, vel morte mala, aut subitanea, aut sine perceptione in fine ipsorum *Sacramentorum*, a diabolo extincti sunt. *Et* hoc voluit *Deus* semper alijs patefacere, vt a similibus illusionibus coloratis doceret eos cauere. *Sed* per contrarium in sanctis suis, qui diuinis visionibus, seu visionibus, in vita eorum consolabantur, & illuminabantur, *Deus* in eorum morte operari solitus est. Quia in vita eorum semper eos protegendo dixerit, ac ipsos multis virtutibus, & miraculis adornauit. In morte quoque per aliquam singularem gratiam, quasi quodam approbationis iudicio eos mirifice clarificauit, sicut patet in *Ioanne Euangelista*, & in multis similibus. *Sic* etiam fecit cum ista prefata sponsa sua beatissima, ipse bonus Iesus. Nam preuenta fuit eius mira superna gratia, quia ordinato progressu ab infimis ascendit ad summa. *Fuit* enim humilitate sublimis mortificatione viuida, simplicitate prudens, omniq; morum honestate conspicua, propter quod ipse eam in vita sua mirandis gratijs supernaturalibus extulit, & diuinis visionibus, & locutionibus ad vtilitatem Ecclesiæ Seraphicæ decorauit. Necnon in fine vitæ mortem ei ante predixit, & in exitu suo in signum approbationis eius corporalibus oculis consolatorie se ostendens, vt dilectam sponsam ad cœlestes nuptias ipsius animam dulcissimo amplexu recepit, vt supra dictum est. Et vide hoc clare in vltimo libro cœlesti. cap. vlt. & in legenda vitæ eius. *Tali* enim approbationis sigillo voluit ipse Deus Scripturam istorum librorum, eidem sponsę diuinitus reuelatam, quodammodo autenticare, & ad vtilitatem Ecclesiæ, & fideliũ eam mirifice sigillare. *Quia* ei, cui in vita toties per propheticam, spiritualem, & intellectualem visionem apparuit, ante eius exitum mortem ei prædicendo, se per plus quam propheticam, scilicet corporalem visionem monstrauit. Septimum signum boni spiritus est clarificatio miraculorũ post mortem videntis visiones. Nam qui vsq; ad mortem per visiones a dęmone illuditur dignum non est, quod post mortem diuinis miraculis clarificetur. *Et* quia isti Christi dignissima sponsa, a diabolo in visionibus suis in vita delusa non fuit, ideo post eius exitum multis, & mirandis miraculis eam Christus clarificauit, per resurrectionem, scilicet multorum mortuorum. Et per illuminationes cęcorum, & sanationes surdorum, & per innumeras curationes mirificas de diuersis infirmitatibus infirmorum, vt quam ipse in vita fecerat claram, post mortem nobis ostenderet clariorem. Quæ omnia intantum sunt notoria, & manifesta, & per documenta autentico diuulgata, & probata, tam in Regno Suetiæ, quã in Roma, & in Regno Siciliæ, & in alijs multis partibus mundi. Vbi ad eius memoriam, & reuerentiam, a fidelibus imago eius depicta per multas Ecclesias inuenitur, quod alia non indiget probatione, nec aliqua possunt iam tergiuersatione celari. Hoc etiam mentes omnium ista diuinitus reuelata legentium, præparare debet ad faciliorem credulitatis acceptionem, & veritatis, quod tanta verba, tantaque miracula in istis cœlestibus libris tam seriose contenta, non aliam fidem prædicant, nisi quã Christus prædicauit. Non nouum nobis Christum, nec etiam Antichristũ inducunt, sed eundem credendum amandum, feruentius, & timendum nos admonent, qui pro nobis passus in cruce fuit. *Nihil* veritatis quæ in Christo est subtrahunt aut addunt. Sed misericordia, & iustitia eius ad profectum salutis nostræ, in eis quam in alijs libris prophetarum diuinitus clarius ostenditur. Docent enim nos verba ista cœlestia istorum librorum Deum timere recte, diligere pie, & desiderare cœlestia sapienter. Probate igitur vos ista prædicta legentes, & si aliter inueneritis, audacter contradicite. *Hoc* habetur in 1. li. cœlesti. xiiij. ca. in fin. Cedat igitur temeritas suspitionis fallacis spiritus, et detractio superba, & inuidia stulti iudicij, & detur locus gloriæ, & gratiæ Dei, quæ tanto maior esse dinoscitur, quanto ignorantiæ, & modicæ fidei nostræ videtur incredibilior. Gratias ergo Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis agamus, qui in tot senescentis mundi miserijs, tot misericordijs occurrit miseris, ne labantur in baratrum desperationis

Re-

RECAPITVLATIO omnium prædictorum.

CAP. VII.

Recapitulãdo igitur supradictum modum examinis faciendi, personis, quæ vident visiones, & reuelationes, dico breuiter quod persona, quæ in examine reperitur humilis, & præsertim si viuit sub obedientia patris spiritualis continua, cuius discretioni omnia subijcit. Et mens eius in oratione rapta in extasim, sentit singularem dulcedinem amoris diuini, & tunc in imaginaria visione existens, aut sola intellectuali simplici sentit influxum supernaturalis luminis intellectualis veritatis diuinæ, & manifestatur ei tunc veritas illius materiæ. Et semper vera predicit in visionibus suis. A quibus visionibus fructus ædificationis, & emendationis sui, & proximorum semper procedit. Dico, quod talis persona non illuditur a diabolo, nec visiones eius sunt illusoriæ, & despiciendæ, immo totaliter sunt diuinæ, & humiliter tanquam de manu Dei recipiendæ, & credendæ, ac omnimode obediendæ, & exequendæ, vt ex omnibus supradictis patet breuiter, & ex dictis omnium doctorum, & sanctorum patrum super hac materia multifarie diffuse loquentium.

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGVS LIBRI COELESTIS IMPERATORIS ad Reges, in quo continetur modus compilationis eius. Et admonentur Reges, & Principes, quod recipiant hunc librum deuote, & humiliter de manu Dei, & cum corde, & opere sequantur hanc doctrinam frequenter.

CAP. VIII.

AD præsentis quippe libri nunc iam materiã descendendo. Sciendũ est, quod iste liber infrascriptus intitulatur cęlestis Imperatoris ad Reges, quia reuelatus diuinitus fuit per spiritualem, & intellectualem visionẽ prælibatæ Beatissimæ Dominæ Brigittæ, quondam Serenissimæ Principissæ Nericiæ, de regno Suetiæ, quæ nata fuit, vt supra dixi de illustri prosapia, & patria regum Gothorum. Dignum nanque erat, vt quam Imperator Christus in sponsam acciperet, & ad Reges, & Imperatores specialem nunciam, & quasi quodammodo Apostolam, cũ suis nouis litteris, & verbis Euangelicis mitteret non plebeia, aut rusticalis prosapiæ, sed regalis propaginis, & nationis clareret. At vero, quia in illo magnǫ volumine libri cęlestis, in quo septem libri continentur, multæ reuelationes ad Reges, & Imperatores pertinentes inclusę iacebant, & etiam extra illud quam plures eiusdem materiæ vagabantur. Et vt omnes eiusdem materiæ in vno, eodemque volumine texerentur, ideo de illo spacioso viridario prædicti libri cęlestis, illas ad hoc pertinentes transumptiue extraximus, & quasi flores ad fabricandam nouam coronam regalem, cum aliis extrauagantibus contexendo in istum librum compilando posuimus Beatus enim qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius libri, & seruat ea, quę in eo scripta sunt. Tempus enim prope est. Ergo o vos Imperatores, & Reges, ac omnes Reginæ, & cæteri principes, inclinate capita vestra Deo, id est, humiliate mentes vestras superbas ambitione, & cupidine plenas, & suscipite humiliter istam preciosam cęlestem regalem coronam de manu, tam regalis, & pulcherrimæ sponsę Christi, quã ipse nobis per eam tam benigne, & misericorditer destinauit. Hoc est istam sanctam pręsentis libri doctrinam, quæ tractat qualem habitum, & quibus diebus Reges coronam debeant apportare. Ac etiam qualem morigerosam vitam deuotam, & honestam debeant Reges facere. Qualescunque Reginę vxores eorum esse debeant. Quales homines Reges ipsi in consiliarios sibi assumant, & teneant, & quales a se remoueant, & expellant. Qualiter milites creare, & nobiles, ac etiam subditas, & plebeios tractare debeant. Qualiter sua regna regant, & Rempublicam promoueant, & ea zelando tenera compassione custodiant. Qualiter passagium, & guerras contra infideles, discreto, ac iusto, & meritorio modo faciant. Et vltimatim in hoc libro ostenditur eis ex ore sedentis in throno gladius bis acutus, id est, iustitia Dei terribilis super aliquos Reges, qui in vita sua Regno, & corona propter peccata eorum priuati, & morte mala, & vituperosa isto diuinę iustitię gladio occisi sunt. Et etiam iustitia Dei terribilis contra alios Reges mortuos, quorum animas pręfata sponsa Christi in diuino iudicio, miro, & districto modo iudicari, & condemnari videbat. Vt Regibus ex hoc ostẽdatur modernis, quam acutus, & seuerus est iste gladius diuinus, qui cum vna acie scindendo, punit aliquos in honore, & vita per humiliationem, & mortem. Alius vero cum alia acie acutiori punit post mortem in anima, per pęnam horribilem, & damnationem ęternam. Vt sic omnes Reges, & Principes sciant, quod apud Deum non est acceptio personarum, sed omnino intelligant quam districtum, ante, & post mortem iudicium diuinum expectant, quantumque, & qualiter in suis agẽdis Deum formidando timeant. Idcirco nunc Reges intelligite, & erudimini ex istis, omnes qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite quæso hanc humiliter disciplinam nequando irascatur dominus. Quia cum exarserit in breui ira eius, beati omnes, qui puro corde, & iusto opere sperauerunt in eo. Qui Rex est regum, ac dominus dominantium in secula sæculorum. Amen.

SVM-

SVMMARIVM CAPITVM OCTAVI LIBRI.

1 MVNDVS regitur duplici potestate Ecclesiastica, scilicet, & laicali.
2 Consiliarij regum sint optimi, & eorum consilia attendenda.
3 De honesto habitu regum, & quibus festis coronam portabunt.
4 Rex consilijs priuatis quibus se, & regna gubernabunt.
5 Reges legant exempla sanctorum.
6 Docetur quomodo reges populum regant, & abusus tollant.
7 Reges honorando Christum seruent præcepta eius.
8 Reginæ eligantur deuotæ, & honestæ.
9 Malus exitus coniugiorum prohibitorum.
10 Monetur Regina honeste viuere.
11 Reprobatur indiscretum votum continentiæ in coniugatis.
12 Qua discretione Reges arguant suas Reginas, quæ debent esse compassiuæ, charitatiuæ, & modestæ.
13 Discretio suggestionum cognoscendarum.
14 Regina graue reputans consilium Dei, breuis erit vitæ.
15 Sancta Agnes ostendit duos currus, vnum scilicet vitiorum, alterum virtutum.
16 Prohibentur Reges audire, & sequi adulatores.
17 Recepti alienigene erunt Regni prædatores.
18 De duobus optimis consiliarijs Regi datis, & tribulatione bonorum.
19 Reges auferant a se pessimos consiliarios.
20 Non recipienda consilia a cæcis, mutis, surdis, & infirmis in anima.
21 Reges corripiant irrisores.
22 Dantur sana consilia Regi Cypri.
23 Rex Cypri contemnens sana consilia perit.
24 Reges humiliter audiant consilia seruorum Dei.
25 Reges fouentes iniustos sunt prædones.
26 Beatus Dionysius orabat pro Regno Franciæ.
27 Beata Virgo cum S. Dionysio orabant pro regno Franciæ.
28 Modus quomodo fiat pax inter Franciam, & Angliam.
29 Iusti Principes ad regimen vocati obediant.
30 De reformatione clericorum, & laicorum.
31 Rex, & Regina honores mores in malos mutantes consumpti sunt.
32 Milites noui creati, Ecclesiam defendant.
33 De terribili iudicio militis degenerantis.
34 Notabile capitulum pro militibus.
35 De nouis militibus, ad defensionem Ecclesiæ creatis.
36 Vere militantibus promittuntur gaudia cæli.
37 Milites iusti maxima gloria apud Deum recipiuntur.

38 Re-

Digitized by Google

38 Reges extirpent phitones, sortilegos, diuinatores, & similes.
39 Reges ob charitatem Dei pugnent contra paganos.
40 Reges ante bellum admoneant paganos.
41 De iure Regio non alienando.
42 De receptione paganorum, ob ingratitudinem christianorum.
43 Reges pugnaturi, contra paganos secum ducant viros religiosos.
44 Rex virtute Dei, & non multitudine pugnabit.
45 Rex pugnaturus contra paganos non confidat de Dei promissis, si Deo frangit fidem.
46 Episcopi in terra paganorum post victoriam fundent Ecclesias.
47 Rex arguitur nolens sequi consilia seruorum Dei.
48 Verba Dei diuersimode interpretari possunt, & est longissimum capitulum.
49 Cur populus Israel in deserto magis plagatus fuit, quam in Aegypto.
50 Imperator Almaniæ exaltet quatuor virtutes, & extirpet quatuor vitia.
51 Præcipitur Imperatori Almaniæ cum Summo Pontifice confortare regulam, & personas Sanctæ Brigittæ.
52 Summa peccata per summum Pontificem absoluenda, vt Regi cuidam hic dicitur.
53 Rex vadat Romam cum familia modesta, honesta, & deuota.
54 Reges conuertant se a peccatis, & caueant a vestibus detruncatis.
55 Christus præcipit Beatæ Brigittæ verba hæc omnibus manifestare, & beati erunt ea recipientes, & miseri illa contemnentes.
56 De terribili iudicio Regis cuiusdam viuentis, & viso agno facie humana, in manu sacerdotis celebrantis, & de querela contra reges.
57 De tribus peccatis quibus offenditur Deus, & tribus virtutibus idem placatur.
58 Arguuntur Reges, & Principes, ac omnes status ob ingratitudinem, conuersi tamen ad emendationem, misericordiam consequentur.
59 De quodam rege indigno, & iudicio eius.
60 De sex Regibus iniquis, & famelico.
61 De Rege admonito, vt se corrigeret alias priuaretur Regno.

INCIPIT OCTAVVS LIBER COELESTIS IMPERATORIS AD REGES REVELATVS DIVINITVS SANCTAE BRIGITTAE DE REGNO SVETIAE.

SVMMVS IMPERATOR CHRISTVS PER SPONSAM loquitur ad Reges ostendens se esse verum omnium Creatorem, & Regem, in Trinitate, & Vnitate regnantem. Et dicit qualiter mundum ordinauit regendum duplici potestate, videlicet Ecclesiastica, & laicali, quæ in Apostolis Petro, & Paulo principaliter designantur.

CAPVT PRIMVM.

Vidi Palatium grande, incomprehensibile magnitudine, simile cęlo sereno. In quo erant innumerabiles personæ sedentes in sedibus, indutæ vestibus albis, & fulgidis quasi radij solis. In palatio vero vidi thronum mirabilem, in quo sedebat quasi vnus homo fulgentior Sole, incomprehensibilis pulchritudinis, & immensæ potentię dominus. Cuius splendor erat incóprehensibilis, in lóngitudine, & profunditate, & latitudine. Virgo autē quædam stabat iuxta sedem throni, mirabili fulgore coruscans, habens in capite preciosam coronam. Et omnes illi assistentes seruiebant sedenti in throno, laudantes eú in hymnis, & canticis, & honorabant illam virginem reuerenter, vt reginam cęlorum. Ille igitur, qui sedebat in throno voce honestissima dixit mihi. Ego sum Creator Cęli, & terræ, vnus cú patre, & Spiritu sancto verus Deus. Quia Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus

ritus sanctus. Non tres dij, sed tres personę
vnus Deus. Nunc autem quęrere poteris.
Si tres sunt personæ, quare non tres dij. Re-
spondeo tibi, quod Deus est ipsa potentia,
ipsa sapiẽtia, ipsa bonitas. A quo est omnis
potestas infra cęlũ, & supra. Omnis sapien-
tia, & omnis pietas, quæ possit cogitari. Ita
quę Deus trinus est, & vnus. Trinus in per-
sonis, vnus in natura. Nam potentia, & sa-
pientia est pater, a quo sunt oĩa, & qui est
ante oĩa potens non aliunde, sed a seipso, &
1 æternaliter. 1 Potentia, & sapientia etiã fi-
lius equalis patri, non a seipso potens, sed a
2 patre potenter, & ineffabiliter genitus, 2
principium de principio, & a patre nunquã
separatum. Potentia, & sapientia etiam Spi
ritus sanctus, à patre, & filio procedens, æ-
ternus cum Patre, & Filio, & equalis in ma
iestate, & potestate. Vnus ergo Deus, & tres
personæ, quia vna natura trium, vna opera
tio, & voluntas, vna gloria, & potestas. Qui
ita est vnum in essentia, quod etiam sunt di
3 stincti proprietate personarum. 3 Nam to
tus pater est in filio, & spiritu, & filius in pa
tre, & spiritu, & spiritus in vtroq; in vna dei
tatis natura. Non sicut prius, & posterius,
sed ineffabiliter, vbi nihil est prius, aut po-
sterius; nihil alio maius, aut minus, vel alte
rius, sed totum ineffabile, & equale. Propte
rea bene scriptum est, quod Deus est mira-
bilis, & multum laudabilis. Deus quippe mi
sit verbum suum Mariæ Virgini, per Ange-
lum suum Gabrielem. Nihilominus tamen
idem Deus mittens, & missus erat cum An-
gelo, erat in Gabriele, & ante Gabrielem in
Virgine. Dicto autem verbo ab Angelo, Ver
bum factũ est caro in Virgine. Hoc verbũ
4 ego sum, qui loquor tecũ. 4 Pater enim mi-
sit me in ventrem virginis. Nõ sic, quod An
geli caruerint visione, & præsentia deitatis
5 meæ, 5 sed ego filius, qui fui cum patre, &
spiritu sancto in ventre virgineo, idem erã
in cęlo cum patre, & cum spiritu in visione
Angelorum, omnia gubernans, omniaq; su-
stentans, licet humanitas mea, a me solo as
sumpta requieuit in ventre Mariæ. Ego igi
tur in deitate, & humanitate vnus Deus, ad
ostensionẽ charitatis meæ, & in robur Chri
stianæ fidei sanctæ, nõ dedignor loqui tecũ.
Et licet humanitas mea videatur esse iuxta
te, & loqui tecum, verius tamẽ est, quod ani
ma tua, & intelligentia tua mecum est, & in
me. Nihil enim mihi est impossibile, & nihil
difficile, in cęlo, & in terra. Ego quippe sum,
sicut rex potẽs, qui cum exercitu suo veniẽs,
ad ciuitatem, oĩa loca implet, oĩa occupat,
Sic gratia mea oĩa membra tua replet, oĩa,
fortificat. Ego deniq; sum in te, & extra te,
Ego quãuis loquor tecum, idẽ tñ sum in glo
ria. Quid mihi difficile est, qui potẽtia mea

oĩa sustento, sapientia mea oĩa dispono, vir
tuositate mea oĩa supero? Ego igitur cum
patre, & spiritu sancto, sine principio, & sine
fine vnus Deus, qui pro salute hominum in
humanitate assumpta, deitate illæsa perma
nente, vere passus fui, resurrexi, & ascendi,
nunc veraciter loquor tecũ. Ego sum verus
& Sũmus Imperator, & dominus. Nullus. n.
Dñs est me excellentior, nec ante me fuit,
nec post me erit, sed oẽ dominium est a me,
6 & per me. 6 Ideo ego sũ verus Dominus, nec
aliquis vere dominus dicendus est, nisi ego
solus, quia a me est omnis potestas, & do-
minatio, & potentię meæ nullus resistere po
terit. Ego etiam sum Rex coronæ. Nunquid
sponsa mea scis tu quare dixerim rex coro-
næ. Certe deitas mea sine principio erat, &
sine fine erit, & est. Hæc igitur deitas meri-
to coronæ assimilatur, quia corona sine pri
cipio, & sine fine est. Sicut aũt in regno co-
rona seruatur regi futuro, sic deitas mea ser
uabatur humanitati meæ, qua ipsa corona-
7 retur. 7 Ego aũt habui duos optimos famu
los, vnus eorum erat clericus, & alter lai-
cus. Primus erat Petrus Apostolus meus cle
rici officium habens. Secundus fuit Apostо-
lus Paulus quasi laicus. Petrus fuit alliga-
tus coniugio, qui videns coniugium cũ offi
cio clerici nõ posse conuenire, & rectitudi-
nem mentis suæ, in incontinentia periclita
ri perpendens, separauit se quantum ad cõ-
mixtionem carnalem a coniugio quãuis li
cita, & perfecta mẽte adhæsit mihi. Paulus
autem castitatem seruauit, & se immaculа-
tum a thoro custodiuit. Ecce qualem cha-
ritatem cum istis duobus feci. Nam Petro
dedi claues regni cęlorum, vt quęcũq; liga
ret, & solueret in terra, ligata, & soluta es-
sent in cęlis. Paulo vero dedi, vt similis Pe
tro fieret in gloria, & honore. Et ideo scias
quod sicut in terra pares fuerunt, & coniun
cti, sic nunc in cęlo in gloria perpetua con-
iũcti sunt, & glorificati Sed licet illos duos
expresse nominaui, tamen in eis, & cum eis
alios Põtifices, & Reges, & amicos meos in
telligo. Quia sicut olim in lege, ad solum Is-
rael quasi ad vnum hominem loquebar, cũ
tamen totum Israeliticum populum nota-
bam, sic nunc in istis duobus plures intelli-
go, quos gloria mea, & charitate mea reple
ui. Procedente autem aliquo tempore, cę-
perunt mala multiplicari, & caro infirma-
ri, & procliuior solito ad malum esse. Pro-
pterea vtriq; statui clericorum scilicet, &
laicorum, quos in Petro, & Paulo intelligo,
misericorditer cõsulẽs, permisi clericos bo
na Ecclesię ad vtilitatẽ corporis moderate
habere, vt eo feruẽtiores, & freqüẽtiores es
sẽt in seruitio meo. Placuit etiã mihi, quod
laici honeste uiuerent in cõiugio suo, iuxta,
ritum Ecclesiæ.

CON.

CONSALVI DVRANTI

PRESBYTERI ET SACRÆ THEOLOGIAE PROFESSORIS,

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES

Ad Librum Octauum Reuelationum Coelestium Sanctæ Brigittæ.

1 POTENTIA, & sapientia etiã filius æqualis Patri, non a seipso potens, sed a Patre potenter.

Quamquam hoc loco filius in diuinis dicatur ex patre potẽs, & ab eo recepisse potẽtiam, non tamen inde potest deduci, quod non sit æqualis Patri, vt legimus hic, cum enim per æternam generationem acceperit naturam a patre perfectam, & omnia, quæ ipse pater habet filius habeat, vt de se ipso Ioã. 16. testatur, omnia inquit quæ habet Pater, mea sunt, necessario sequitur, filium esse æqualem Patri, secundum magnitudinem, & ideo Paulus ad Filippens. 2. dicit, quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, quæ quidem veritas certa est secundum fidẽ; & deffinitur in Symbolo Athan. & patet etiam prima, Ioan. 4. vbi scribit, quod omnes tres personæ sunt vnum, idest habent eandẽ essentiam, perfectionẽ, & virtutem, sed vt hoc explicemus apertius sciẽdum est ex D. Tho. p.p. q. 42. art. 4. aliter se habere in creatis generationem, aliter in diuinis, in creatis enim cum generatio sit transmutatio quadã exeuntis de potentia ad actum, sequitur quod non statim ab initio generationis filius sit æqualis Patri generanti, sed quod per debitum incrementum ad æqualitatem perducatur, nisi contrarium accidat propter defectum principij generationis, secus autẽ est in diuinis, vbi virtus generatiua Patris non est defectiua, sed omnibus numeris absolutissima, per quam in actu generationis communicat filio omnimodam suæ naturæ perfectionem, vt dictum est, Cæterum non defuerunt, qui affirmarunt Patrẽ maiorem esse Filio, inquantum ipse Filius procedit a Patre, Filium tamen diuinitatis natura, non esse Patre minorem, sic habet Cirillus Alexandrin. lib. 1. Thesauri cap. 10. vbi explicat illud Ioan. 14. Pater maior me est, idem habet li. 2. cap. 3. sic etiã Damascen. lib. 4. de fide cap. 19. Leontius, Theophilatus, & Eutimius in cõment. ad eundem locũ, & Clarius Chrisost. Hom. 74. ad Ioan. eundẽ textum exponẽs, quod si quis inquit maiorem Filio Patrem, in quantum principium Filij diceret, nõ contradiceremus, nec dissentit Hillar. li. 9. de Trinit. qui eundem locum edisserẽs asserit, Patrem auctoritate generationis esse Filio maiorem, eadem quoq; loquendi formula vsum esse Basilium admonuit D. Tho. in li. aduersus Græcorum errores, verum si hoc loco sermo fiat de Christo quantum ad humanam naturã, nullũ dubium est secundũ hoc dici posse minorẽ Patre, vt docuit Athanas. in Symb. æqualis Patri secũdũ diuinitatem, minor Patre secundum humanitatẽ, et iuxta hunc sensum intelligendus est locus Ioã. 14. Pater maior me est, sic habent plures Sacrarum literarum interpretes in hunc locum Ioãnis, quos refert Maldonatus in cõment super cap. 14. Ioan.

2 Principium de principio, & a Patre numquam separatum.

Sic etiam lib. 3. Reuel cap. 26. nota 1. Verbum diuinum dicitur principium de principio, quod qua ratione intelligendum sit explicauimus ibi ex sententia sanctorum Patrum.

3 Nā totus Pater est in Filio, & Spiritu, & Filius ī Patre, & Spiritu, & Spiritus ī vtroq;

Quæ ad horum verborum intelligentiam spectare videntur annotauimus supra lib. 1. Reuel. cap. 42. nota tertia, vbi tradidimus plures modos, quibus vna persona diuina dicitur esse in alia, idem annotauimus lib. 2. cap. 13. nota 1.

4 Pater enim misit me in ventrem Virginis.

Hoc loco cū legimus a Patre fuisse Filium missum in ventrem Virg. non est intelligendū, quod huiusmodi missio, vel importet imperium, sicut cum a Domino seruus mittitur, vel superioritatē respectu mittentis, et subiectionē ex parte missi, sunt .n. personæ diuinæ æquales, vt prima nota præsentis cap. probauimus, hæc ergo missio diuinæ cōpetit personæ. prout importat habitudinē processionis secundū originem quæ æqualitatem connotat, vel habitudinē inceptionis noui modi essendi in alio per hāc ergo missionem verbum nouo modo incepit esse per carnem assumptam in mundo, & tamen antea erat in mundo. vt Ioan. 1. legitur, & quia hæc nō facta est per motum localem, ideo filius non fuit loco separatus a Patre mittente, persona namq; diuina, teste D. Tho. p. p. q. 43. art. 1. ad secundum, sicut non incipit esse, vbi prius non fuerat, ita nō desinit esse vbi prius fuerat, vnde talis missio est absq; separatione, sed solum habet originis distinctionem, & hoc est, quod legimus hic, Angelos per hanc missionem non caruisse visione, & præsentia filij, & ipsum filium, qui fuit in ventre Virginis etiam fuisse semper in cœlo cum Patre, & Spiritu sancto.

5 Ego Filius, qui fui cum Patre, & Spiritu sancto in Ventre Virgineo.

An tres personæ diuinæ fuerint in vētre Virg. sicut in præsenti nota scribitur explicauimus supra li. 1. cap. 34. nota 1. vbi probauimus Patrem, & Spiritum Sanctum non assumpsisse propriæ carnem humanā, sed tantūmodo Filium, dicuntur autē hoc loco in ventre Virgineo fuisse, tum quia incarnationis opus efficienter manauit ab eis, operationes .n. ad extra cōmunes sunt toti Trinitati, tū quia dici potest, quod ibi fuerint cōcomitanter, nō terminatiue, solus nāq; Filius incarnatus est, quia solus terminauit, & sustentauit humanā naturā, aut postremo dicēdum est, Trinitatē in Christi humanitate, et Virg. vtero extitisse, vel per idētitatē, & circumsessionē, vel rōne essētiæ, originis, & imanentiæ secundū quod vna persona diuina dicitur esse in alia, vt declarauimus lib. 1. Reuelat. cap. 42. nota 3.

6 Ideo Ego sum verus Dominus, nec aliquis vere Dominus dicendus est, nisi ego solus, quia a me est omnis potestas.

Verba præsentis notæ duo nobis indicant, primo Christum Dominum verum esse rerum omnium Dominum, secundo vero neminem vere esse Dominum vocandum, præter eum, & quantum spectat ad primū nulli dubiū esse potest Christum, quia Deus est, iure creationis penes se verum Dominium ac rerū omniū Principatū, quas ipse condidit retinere, vt psal. 23. Dauid testatur. Domini est terra, & plenitudo eius, & 2. Machab. 14. Dominus Vniuersorū tu es, quod sanè dominiū ab æterno habuit, ab orbe tamē cōdito id actu possedit, per illud ergo pro suo arbitrio cunctis vtitur creaturis, non solum quantū ad vsum, verum quātum ad earum naturas sic potest creare, creata annichilare, & præter naturæ leges alterare, homines, & animantia vita priuare, sicut vitæ, & mortis Dominus: præterea iure etiam redemptionis Christus in quantum homo Regni Cælorum Rex fuit, ad quem spectabat cuncta, quæ ad sempiternam attinet hæreditatem dispensare, disponere, administrare, Ecclesiam fundare, Sacramenta instituere, leges condere, Ecclesiasticos magistratus creare, Reges etiam cunctos, vt suis obedirent legibus cogere, & ideo Apocalips. 9. de ipso Ioan. scripsit Rex Regum, & Dominus Dominantium, & psal. 2. Dauid in persona Christi, Ego autē constitutus sum Rex, an vero in temporalibus, vt homo, Rex fuerit, & Regiam potestatem exercuerit, nostrum non est in præsentia quæstionem hanc examinare, sat est. Videamus quomodo intelligendū sit, quod legimus hic nullum videlicet esse Dominum appellandum præter eum, constat namq; intellectualibus creaturis, & præcipue hominibus rerum competere dominia, hoc autem loco duæ extremæ sententiæ vitandæ sunt, alteram Gersonis, quā ex Neotericis secuti sunt plures, qui existimauit brutis etiam animalibus aliquarum rerum dominium congruere, vt putà herbarum, quam refert & confutat Sotus de Iustitia, & Iure lib. 4. q. 1. art. 2. Altera est Armacani, qui lib. decimo, q. Armenicarum cap. 4. docuit impios viros nullum habere, vel habuisse dominiū iustum titulum, nec censendos esse veros Reges, vel Principes, iuit in hanc opinionem Vuiclef: confutatus a Vualdensi lib. 2. doctrinalis fidei cap. 81. & sequenti, qui error condemnatus est a Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. eumq; & rationibus, & auctoritatibus reiicit Card. Bellarminus Tomo 1. cōtrouers. de laicis li. 3. ca. 8. his ergo reiectis dicenduū est, homines vere rerum sublunarium habere dominium, probatur primo ex Sacris litteris Gen. 1. vbi homo rerū Dominus constituitur, Faciamus hominē ad imaginem, & similitudinem nostrā, vt præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestijs terræ & psalm. 8. omnia subiecisti sub pedibus eius, hoc etiā videtur colligi posse, ex Arist. qui 1. Politicor. Omnia fuisse facta propter hominem asseuerat, Cæterum quædam hominibus debita sunt naturali iure, & ea sunt, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria, iure quoq; humano, quod in ius gentium, & ciuile diuiditur multis quoq; abundat rerum dominijs, iure namque gentium facta sunt rerum diuisiones inter homines, iure vero ciuili, plurima etiam possidet, vt iure præscriptionis, iure hæreditario, iure primogenituræ, quæ omnia, quia manifesta

sunt

prius maiori non indigent probatione, superest modo explicemus, quomodo hæc cohereant cum his, quæ in præsenti capite traduntur, Deum scilicet tantummodo verum esse rerum Dominum, Regem, & Principem, quod pluribus etiam locis in his Reuelat. libris legimus, vt libro secundo cap. 12. & alibi centies, verum huic dubitationi satisfit dicendo, quod iure creationis, & redemptionis solus Deus est Dominus, quia ipse solus Creator est, & auctor vitæ, & redemptor, verusq; Dominus, qui dominium non habet ab aliquo dependenter, sed a se ipso, a quo facta sunt omnia, homo vero quicquid habet a Deo habet, in cuius comparatione sicut nullus vocari potest, nec Pater, nec Magister, vt Matt. 23. scribitur, ita nec Dominus, ipse enim talis est [illegible], homo vero indulgentia, vt dicit Gloss. super Matth. loco citato, cum ergo homines dominia, regna, principatus, & honores a Deo habeant dici non possunt, nec Domini, nec Reges, neq; Principes in comparatione ad Deum, hinc fit in Sacris litteris sæpe inculcari dominia, principatus, & Regna a Deo hominibus Dari, & per Deum regnare Reges, prouerb. 8. per me Reges regnant. sap. 6. a Domino data est vobis potestas. Roman. 13. & prima Petri 2. a Deo est omnis potestas, & D. Augustinus libro quinto de Ciuit. cap. 21. non tribuamus [illegible] dandi regni, ac Imperij potestatem, nisi Deo vero; qui dat felicitatem in Regno Cœlorum.

7 Ego autem habui duos optimos famulos.

Verba huius notæ eadem penitus repetuntur, sicut etiam sequentia usq; ad finem, supra libro 2. Reuelat. cap. 7. nota 3. vbi declarauimus quomodo intelligendum sit, quod paulo post citata verba hoc eodem capite legitur Petrum scilicet æqualem esse Paulo in gloria, & honore. Cæterum hic admonere lectorem censui, cum hic, & lib. etiam 2. cap. 7. Petrus vocatur clericus, Paulus vero laicus, hoc esse intelligendum per quandam similitudinem, & mistice, & propterea Paulus non laicus absolute fuisse scribitur hic; sed quasi laicus, nam & si vere Paulus fuerit clericus, postquam ad Apostolatus officium vocatus est, & vterque etiam Petrus, & Paulus laici ante vocationem, tamen hic Paulus dicitur laicus, quia [illegible] in eo laicorum status designatur, Petrus [illegible] vero Clericus, quia in ipso, qui caput [illegible] erat, status clericorum notatur [illegible] sic enim habetur circa fin[illegible] [illegible] hem huius capitis pri[illegible] [illegible] ibi. Prop[illegible] [illegible] tenus [illegible] [illegible] que [illegible] [illegible] statui clericorum, scilicet [illegible] [illegible] laicorum, quos in Pa[illegible] [illegible] ro, & Paulo [illegible] [illegible] intellige [illegible] [illegible] tis. [illegible]

SVMMVS IMPERATOR Christus, disponit hic primo de regibus, quales consiliarios debeant habere; & dat eis decem consilia vtilissima, & moralia.

CAP. II.

1 EGO sum verus Rex, & nullus est dignus vocari Rex nisi ego, quia a me est omnis honor, & potestas.
1 1 Ego sum, qui iudicaui primum Angelū, qui cecidit propter superbiam, cupidita-
2 tem, & inuidiam. Ego sum, qui iudicaui Adam, & Cayn, & totum mundum immittendo propter hominum peccata diluuium. Ego idem sum, qui populum Israeliticum permisi in captiuitatem venire, & eum in signis mirabilibus de captiuitate mirabiliter eduxi. In me est omnis iustitia, & erat sine principio, & sine fine erit. Nec aliquando iustitia minuitur apud me, sed semper vera in me permanet, & immutabilis. Et quia Rex iste Sueciæ quærit a te humiliter, quomodo in regimine viuat iuste, & prudenter, ideo ego indicabo ei. Decem igitur ei sunt facien-
2 da. 2 Primum est, quod remoueat a se illos consiliarios, quorum corda sunt ambitiosa, & cupida, quorum lingua duplex, & dolosa, quorum oculi sunt ad spiritualia lippientes. Eligat vero illos, qui non vendunt iustitiam pro pecunia, qui erubescunt 1
mendacium, & assentationes, qui diligunt Deum plus, quam carnalia, & qui proximorum miseriis compatiuntur. Secundum est, quod volo, quod ipse Rex adiuuet suo subsidio, ad ædificationem monasterii tui, cuius regulam ego ipse dictaui. Tertium est, quod ipse mittat vasallos suos, & gentes, ad illa loca infidelium, vbi fides catholica, & charitas augeri potest. Nam ideo vasalli sui interfecti fuerunt in ciuitate Hamnis, quia ipse ambiuit partem regni alieni christianorum. Quartum est, quod ipse rex legat quotidie horas Beatæ Virginis Matris Mariæ, Et cum iudicia, & aliqua ardua inter manus habuerit, dimittere potest horas diei. Audiat etiam

duas missas priuatas, vel vnam cantatam, omni die. Recordetur quoque omni die quinque vicibus, de quinque vulneribus meis, quæ pro eo sustinui in cruce. Quintum est, quod ieiunet vigilias sanctorum, & matris meæ, quæ ab Ecclesia sancta constituta sunt. Sextam vero feriam ieiunet in piscibus, & sabbatum si voluerit in lacticinijs. Quadragesimam vero obseruet juxta morem patriæ. Sed hoc attendat in ieiunio suo, quod sit moderatus, & temperatus, ne propter inconuenientia ieiunia, aut propter indiscretas vigilias, & prolixas orationes priuatas, tepidus sit in consilijs, aut remissus in iudicijs faciendis. Sed quando labor maior ei accreuerit, tunc obediat consilio, & potestati, & dispensationi prælatorum Ecclesiæ meæ. Sextum est, quod quemlibet decimum denarium, qui fisco regio debetur, tribuat in eleemosynam pauperibus. Si vero aliqua alia, pie super erogare ob amorem meum voluerit certa de causa maior tunc erit ei merces. Septimum est, quod omni feria sexta colligat tredecim pauperes, & lauet pedes eorum, & tribuat eis victum, & pecuniam manu sua, nisi forte fuerit in via propter quam talia sunt omittenda. Ipsa quoque sexta feria exoccupet se totum, quando habet residentiam quietam, & audiat illa die querimonias subditorum communitatis regni, & tunc etiam inquirat de fidelitate, & regimine præpositorum, & iudicum regni, & vasallorum, & de exactoribus, seu collectoribus tributorum, & redituum regalium. Octauum est, quod ipse rex sit discretus in donis suis, vt sic vni tribuat, quod alijs non sit auarus. Et si alicui pro vitæ merito, & ampliori labore plus quam alijs donare voluerit, hoc etiam faciat cum maturitate, & cautela, ne notetur in rege inæqualitas, vel occasio murmurationis.

3 3 Quia nihil sic reprehensibile in potentibus dominis est, sicut prodigalitas, aut nimia tenacitas. Et nihil ita decet, & ornat regem, sicut imperare cum modestia, & laborantes in seruitio suo remunerare cum charitate. Poterit etiam Rex dare dona sua, etiam extraneis conseruantibus pacem regno suo, & his, qui necessitatem patiuntur. Sic tamen hoc faciat, quod vasalli, & familiares proprij non negligantur, aut minuiscantur. Nonum est, quod legem Dei non transgrediatur, nec nouas inducat consuetudines contra statuta laudabilia. Nec potestatiue disponat, & iudicet, quæ occurrunt menti eius, sed iuste secundum legem Dei, & regni agat omnia, quid non decet regem multa percipere, & nihil agere, iustitiamque relinquere, & crudeliter imperare. Decimum est, quod rex se talem operibus exhibeat, quatenus dignus sit nomine regio, fugiendo cupiditatem, & diligendo veraciter humilitatem. Quia quanto rex maior est ceteris tanto humilior sit coram Deo, a quo omnis potestas est. Qui ita in iudicio rationem strictam exiget a rege, sicut a populo, & plebe.

NOTAE.

1 Ego sum, qui iudicaui primum Angelum, qui cecidit propter superbiam.

Eadem plane verba habentur libro 2. cap. 12. quo loco inuestigauimus an vere Angelorum
1 *Princeps Lucifer peccauerit, & quæ nam peccata commiserit.*

2 Primum est, quod remoueat a se illos consiliarios, quorum corda sunt ambitiosa, & cupida.

Inter cætera, quæ Regibus, Principibusque necessaria sunt, illud caput est, quod malos consiliarios a se remoueant, & eos præcipue, qui ambitiosi, ac auaritiæ student, & mundum potius diligunt, quam Deum, si enim causæ nostræ cum amicis nostris tractandæ sunt, vt prouerbiorum 25. sapiens admonuit, profecto ambitiosi, & auari penitus amouendi sunt, hi enim non aliorum amici, sed proprij sunt, qui honores, & sua commoda, non aliena quærunt, & si ad consilium eligendi sunt, qui prudentes, ac beneuoli existunt, vt probat D. Bernardus Epistola 42. Ambitiosi certe, & auari optima consilia dare non poterunt,
2 *quippe qui cæci sunt, cæcos nanque ambitio reddit homines, vt D. Chrisost. homil. 28. in acta Apostolorum, & 42. ad populum tradit, & auaritia efficit, vt rerum aliter quam se se habeant videantur, sicut idem Chrisost. annotauit Hom. 74. in Matt. Verum huiusmodi homines recte Papilionibus comparantur ab Anfel. lib. de similitudinibus c. 72. Papiliones namque, cum volant transitum rectum nunquam tenent, sed huc, & illucque se agitant, cumque alicubi residere se videantur, nec ibi diu morantur. sic prorsus Ambitiosi, & Auari Consiliarij faciunt, rectam nunquam in consulendo viam tenent, nec iuxta leges, & Iustitiæ decreta Principibus consilia ferunt, sed omnia suis commodis metiuntur, his vero, qui horum consilia capiunt, idem accidit, quod pueris, qui hæc animalia capere volunt, qui dum post eos currunt, non ad suos pedes, sed ad Papiliones intendunt, & sic frequenter in foueam cadunt, seque inaniter lædunt, hi ergo prorsus amouendi sunt, quandoquidem tanto maiores credendi sunt hostes quan-*

quanto magis laudibus adulantur, sic admonet D. Gregor. in Registro, Epistola 38. relinque tales, & si omnino decepturi sunt, saltem terrenorum hominum non Sacerdotum corda decipiant, Cæterum quales esse debeant Consiliarij docet Ambros. libro secundo de officijs, aduertendum inquit est, quod in acquirendis consilijs plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, facilitatis gratia; quis enim Cœno fontem requirat, quis de turbida aqua potum quærat, ita que vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet, quis vilem indicet causæ alienæ, quam videt mutilem vitæ suæ.

3 Quia nihil sic reprehensibile est in potentibus dominis, sicut prodigalitas, aut nimia tenacitas.

Duo extrema vitia a Regibus esse fugienda Christus Dominus hoc loco admonet, prodigalitas, & auaritia, & sane sicut maximum est vitium illis bona largiri, quibus non decet; & vbi non decet, & plura quam decet, in quo vera prodigalitas ratio sita est, teste Arist. libro primo Moral. cap. 24. ita quoque nullum est tetrius vitium, præsertim in Principe quam Auaritia, vt 2. de offic. auctor est Tullius, data namque sunt Regibus, & diuitibus temporalia bona, vt meritum bonæ dispensationis sibi acquirant, vt annotarunt D. Basil. serm. ad auaros diuites, & D. Ambros. serm. 81. verum non ex iudicij arbitrio, sed ex iudicij delectu donationem, & largitionem esse faciendam censuit Arist. secundo polit. & hoc est, quod legimus paulo post medium præsentis capitis, quod ipse Rex sit discretus in donis suis, quod sic vni tribuat, quod alijs non sit auarus, & si alicui pro vitæ merito, & ampliori labore plus quam alijs donare voluerit, hoc etiam cum maturitate faciat, quod egregie explicat D. Gregor. in ipsa inquit liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum; rerum, vt non omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodeße possimus secundum illud Propheta dispersit dedit pauperibus; personarum vero, vt primum iustis deinde peccatoribus, quibus tamen prohibemur dare non quia homines, sed quia peccatores.

SVMMVS IMPERATOR Christus disponit hic, quod Reges præ cæteris portent honestum habitum, & nobiliorem, in signum dignitatis, & præheminentiæ, & dicit quibus diebus, & solemnitatibus debeant portare regalem coronam.

CAP. III.

Filius Dei loquitur. Quia homo contempsit obedire Deo, ideo necesse est, vt obediat homini simili sibi. Et quia Rex a Deo constituitur ad iudicandum, & regendum iuste, ideo dignum est, vt honoretur, & timeatur a subditis. Ergo vt rex discernatur ab alijs, necesse est, vt habitum discretum, & honestum, & honorabilem habeat præ aliis. Quia sicut honor regis est iustitia, & iudicium, sic honor plebis est pulchritudo regis, & honestas eius. Propterea permittitur regi habitus honorabilis, & honestus. Quem cum portauerit non superbiat ex permissione, sed humiliet se, considerando onus officii sui. His autem diebus debet rex portare coronam in capite, scilicet in die Natiuitatis meæ, Apparitionis, Resurrectionis, Ascensionis, Penthecostes, Assumptionis Matris meæ Virginis, Exaltationis Crucis, & omnium Sanctorum, & omnibus illis diebus, quibus iudicia generalia tenet, & diebus illis, quibus facere debet milites. Nam sicut in diebus festis humanitatis meæ, & glorificationis sanctorum meorum, totus exultat cœlestis exercitus propter beneficia mea, sic de iustitia regis, quæ notatur in corona, gaudere debent iusti in terris. Et de retributione regis iusti, exultat tota curia cœlestis.

*

Digitized by Google

SVMMVS IMPERATOR Christus, dat hic decem consilia salubria regibus, quibus debeant regere se, & regna.

CAP. IIII.

FIlius Dei loquitur ad spōsam dicens. Dixi regi prius quosdam gradus, per quos ascendere potest ad cęlestia. Quos si tenuerit, & seruauerit, tanta facilitate ascendet ad cęlum, sicut ille, qui vitam tenet contemplatiuam. Nunc autem
1 consulere regi volo decem consilia. 1
Primum est, quod in mensa sua non sit solus, sed cum aliquibus subditis suis sedeat, qui ex eius presentia consolabuntur corporaliter, & spiritualiter, quia ex hoc a peccatis, & in honestatibus abstrahuntur. Secundum consilium est, quod post mensam stare poterit, & honeste modicum solaciari. Quia ex humili collocutione, & collatione domestica subditorum, acquirit gratiam, & amorem. Et tunc audiet multorum rationes, & opiniones, aut imitandas, aut reprobandas. Tertium consilium est, quod in omnibus iudicijs, & operibus suis sit misericors, & iustus. Vt nec propter amicitiam, vel falsam compassionem, nec propter priuatum bonum suum, aut propter temporalem vtilitatem, seu timorem, dimittat exercere iustitiam. Nec propter iram, seu impatientiam, negligat, aut obliuiscatur misericordiam.
2 2 Quia indecens est regi vinci ab ira, & iudicem iudicare subdito, aut precibus a via iustitiæ deuiare. Quartum consilium est, quod rex non committat regimina, & iudicia sua facienda illis quos sciuerit esse partiales, & cupidos, aut illis, qui fraudulenter sciunt extorquere pecunias. Quia tales faciliter deuiant a iustitia. Sed inquirat Rex illos, qui a natura bene ordinati, progenitorum suorum imitantur bona vestigia. & qui magis iustitiæ opera diligunt quam ditari. Quintum est, quod continue inquirat rex qualiter obseruatur lex, & iustitia in regno suo, & illos quos delinquentes corrigere poterit non dimittat impunitos. Et caueat, quod non nimis emungat pecunias, & emendas a delinquentibus. Nec aliqua calliditate opprimat innocentes. Sed cum humilibus agat mitius, & seuerius puniat induratos, seruata in omnibus iustitia, & misericordia. Et vbi humilitatem maiorem viderit misericordiam superexaltet equitate. Sextum est, quod continue rex discutiat iudicia, & opera sua. Et si ex facili, & subito mentis impulsu errasse se viderit, non erubescat corrigere, vel retractare, quæ
3 male acta sunt. 3 Non enim ipse sapientior est Dauid, qui etiam errauit. Nec sanctior propheta, qui credens mendacio, occisus est a leone. Septimum est, quod non sit nimis subitus in agendis, sed prouidus, & circunspectus, considerando finem negociorum, innitatur etiam consilijs sapientum, & expertorum, & timentium Deum, quibus & obediat, & se ipsum non abscondat ab eis. Quia degeneris, & suspectiosi est animi, consiliarios probatos habere suspectos, & consilia mature & sobrie tractata, cum adulantibus, & assentantibus retractare. Octauum consilium est, quod caueat leuitatem verborum, & morum in omnibus, etiam apud
4 familiares, & domesticos suos. 4 Fugiatq; adulatores, & assentatores quasi scorpionem, quia eum fouent in peccatis, & scandalizant bonos. Nam talem conuenit esse regem. Quod timeatur a iuuenibus, honoretur a senibus, laudetur a sapientibus, diligatur a iustis, & ab oppressis cordialiter desideretur. Nonum est, quod rex non communicet his, qui ab Ecclesia excommunicati sunt, nec foueat illos, qui Deum, & mandata eius derident, sed informet eos verbis, & admonitionibus charitatis, & nisi resipuerint, ostendat eis seueritatem suam, & subtrahat eis beneficia sua. Nam honor regis est, diuina super omnia diligere, & Dei honorem suis viribus augmentare. Decimum consilium est, quod populum, & communitatem regni sui diligat. Milites suos clementer pertractet, & beneficia parentum in filijs recordetur.

Digitized by Google

NOTAE.

1 PRimum est, quod in mensa sua non sit solus.

Incredibile est, quot, quantaq; commoda adueniant Regi, si pij, doctiq; viri eorum mensis assistant, tunc enim inanes vitantur fabulæ, & nullius læditur fama, cibi quoque vtili aliqua disputatione condiuntur, vnde ex his Reges, & Principes multarum rerum cognitionem sibi de facili comparant, & prudentiæ leges, in agendis acquirunt, quod etiam admonuit Plinius Iunior in Panegirico ad Traianum his verbis, in Mensis Principum suauitas in sermonibus, & studiorum honor cerni debet, non verborum petulantia, hæc autem sic facta conuiuia D. Gregor. in Registro lib. 2. Epistola 53. affirmat esse secundum charitatem, quoniam in eis nulla absentium mordetur vita, non inanes secularium negotiorum fabulæ, sed verba lectionis sacræ audiuntur, & non plus quam necesse est seruitur corpori, sed eius sola infirmitas reficitur, vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur.

2 Quia indecens est Regi vinci ab ira.

Sic etiam tradit Seneca agens de clementia, non inquit decet Regem sæua, & inexorabilis ira, & quidem si Regis est proprium, leges ferre, Magistratus creare, dignos ad honores promouere, Reos punire, seditiones auferre, cuncta prudenter, ac sapienter moderari, quomodo hæc poterit recte, probeq; exequi si ab ira vinci patiatur, cum ira impediat animum, ne verum cernat, est enim ira ebrietas quædam, immo ebrietate peior, quæ rationis vsum offendit, vt habet Diu. Chrisost. Homil. 15. in Ioann. & Homil. 3. in eundem iratos insanis similes facit, quod etiam annotarunt, D. Gregor. libro quinto Moral. cap. 30. D. Basil. in Hexameron. & Cicero libro quarto, Tuscul. quæst. cum ergo iratus est Rex, nihil statuat, quousque ab animo non deposuerint iram, Cæterum, quoniam apud citatos auctores legimus, iram non semper esse censendam vitium, immo peccatis irasci misericordiam esse maximam tradit D. Chrisost. Homil. 14. super Epistolam ad Corint. & Lactantius Firmianus agens de ira Dei asseris actum esse rationis irasci, quoniam inquit per eam delicta auferuntur, & licentia refrenatur, quod vtique iuste, sapienterq; fit, huiusmodi autem hominem sic iratum, mansuetum appellat Arist. libro primo magnorum moral. cap. 23. ideo breuiter inuestigandum, quomodo hoc intelligatur, Dico ergo tunc iram esse vitium censendum, quando extra rationis leges transit, quod fit, cum pro quo, & cum quibus, & quando non debemus, irascimur, si autem ira sit secundum rationem irasci laudabile est, vt docent citati doctores, & probat D. Thomas 2. 2. quæst. 158. artic. primo, tunc enim talis est, cum pro quibus, cum quibus, & quando, & quatenus oportet irascimur, & per hanc de peccatis Principes vindictam sumunt, Reos puniunt, & improborum praue viuendi licentiam coercent, & hæc in Principe, & necessaria, & laudabilis est, quod egregie animaduertit, Diu. Chrisost. Hom. 11. in Matth. qui de ira secundum rationem loquens, si ira inquit non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur, plura hac de re habet Diu. Gregorius loco supra citato.

3 Non enim ipse sapientior est Dauid, qui etiam errauit, nec sanctior Propheta, qui credens mendacio occisus est a Leone.

Exemplo Dauidis, & alterius Prophetæ Christus Dominus hoc loco Regibus, Principibusque, egregium præbet documentum, dicit enim eos si forte errare contingat, minime debere veluti pertinaces in errore persistere, probat autem hoc primo ex Dauide, qui cum esset Sapientissimus, & Deo charus, multos tamen errores commisit Adulterium cum Bersabea vxore Vriæ, & homicidium etiam, quia Vriam Bersabeæ Virum occidit gladio filiorum Amon vt 2. Reg. cap. 11. scribitur, verum illum horum pœnituit errorum, vt 2. Reg. cap. 12. legimus, neque solum adulterium, & homicidium comisit, sed & sex alia grauissima delicta, quæ colligit ex sacris literis Doctissimus Liranus in tractatu, quem edidit contra quendam Iudæum qui Christum, eiusq; doctrinam impugnabat, habetur hic tractatus in fine Tomi sexti Gloss. Ordinariæ, ergo si Dauid Rex, tot, tantisq; virtutibus præditus errauit, & errores retractauit, quanto magis hoc debent facere Reges, & Duces nostri temporis, qui longe inferiores sunt, & sapientia, & virtutibus, & hic sensus est verborum præsentis notæ, atque hoc quoque suadetur exemplo cuiusdam Prophetæ, qui a falso quodam Propheta deceptus, a Leone occisus est, huius historia habetur 3. Reg. ca. 13. quis autem iste fuerit in specie non traditur hoc loco, neque etiam 3. Reg. cap. 13. Rabanus tamen Angelomus, & Liranus insinuant, quod fuerit Abdo Propheta, cuius mentio fit 2. paralipomenon cap. 12. quo autem in re, & quomodo fuerit deceptus quoniam ad rem nostram non pertinet referre omisimus, vide locum citatum. 3. Reg. cap. 13.

4 Fugiat Adulatores, & assentatores quasi scorpiones, quia eum fouent in peccatis.

Comparantur in præsenti nota scorpionibus adulatores, sicut enim scorpiones sua venena interimunt homines, sic quoque adulatores adulationis venenum Regibus propinantes occidere dicuntur, quatenus falsis laudibus bonos hominum mores corrumpunt, & intellectum quadã caligine offundunt,
[illegible]

ne ea, quæ ratione conformis sunt secundum rectam rationem iudicentur, & fiant, vnde recte, quidam eos similes esse coruis asseuerarunt, qui cadauerum oculos effodiunt, fugiendi ergo ab omnibus sunt, & præsertim a Principibus veluti Pestis, quia eorum pestes sunt, vt merito Plato in Phedone Adulatorem bestiam humano generi pestem inferentem appellarit, & apud Plutarchum Bias Adulatorem animal maxime noxium vocat. Adulatoris namque lingua, vt annotauit D. Aug. in psalm. 69. plus nocet, quam manus persequentis, quoniam Adulatores, & populos seducunt, & Rixas, litesq; excitant, & ideo seductores a D. Chrisost. Homil. 2. in Epistolam ad Thessalonicenses vocantur, Cæterum Plinius huiusmodi homines libro 8. cap. 33. Camaleontis similes esse censuit, quia inquit hoc animal omne imitatur colorem, præter Album, & Adulator in turpibus nihil non imitatur, solum quod est honestum non potest imitari, nullum ergo hi commodum afferunt, immo incommoda plura secum portant, voluptatibus solum inseruiunt, quam ob causam Plutarchus in moral. eos esse simijs similes arbitratur, quæ nullius inseruiunt vsui, risum tantummodo mouent, & solatio sunt, sic adulator cum in serijs, & grauibus negocijs nesciat esse vsui, voluptatum tantummodo minister est, & ideo omnino fugiendus, & eijciendus est.

IMPERATOR CHRISTVS consulit regibus, quod aliquando legant exempla sanctorum, quibus corda excitantur ad Deum, & dat vni regi duos consiliarios spirituales optimos, vt eis obediat. & vt alij reges ad similia prouocentur.

CAP. V.

Filius Dei loquitur ad sponsam. Scriptum est de quodam rege, quod dormire non valens fecit sibi afferri annalia, seu cronicas. Sic rex iste pro quo tu oras, quia puerilis est,
1 faciat sibi legi sanctorum opera, & exempla, & gesta fortium, in quibus excitabitur animus suus ad Deum, & addiscet, quomodo interdum regni honestis solatijs possit se occupare. Insuper constituo ei duos amicos meos, qui sine ei quasi duæ matres. De vno vero eorum habebit ipse lac, & panem, de alio vero vinum, & medicinam. Et primus indicabit ei, quomodo, & in quibus peccat. Quomodo satisfaciat de erratis, quomodo consolari possit in tribulatione, quomodo mitigare me possit iratum. Et de secundo habebit sapientiam in dubijs, & solutionem mysteriorum, & prudentiam regendi, & defenden- 1
di regnum suum. Igitur si istis obedierit, proficiet ad Deum, & ad homines. Nec tamen sic istis duobus obediat, quod alij consiliarij contemnantur. Sed cum istis audiat plurimorum consilia, & eligat cum deliberatione meliora.

NOTAE.

1 Faciat sibi legi Sanctorum opera, & exempla, & gesta fortium.

Historiæ cognitio Regibus, Principibusq; admodum necessaria est, quam Cicero libro secundo de Oratore testem temporum, vitæ magistram, vitam memoriæ, veritatis nunciam vocat: ex ea namq; virorum illustrium gesta noscuntur, omniumq; virtutum exempla promuntur, imitationes quoq; præclarissimarum actionum: hinc est, quod homines, qui peruoluunt historias, ad eadē facienda mirum in modum excitantur, sicut enim pluuia irrigans agrum, reddit illum fertilem, ita & illustrium factorum scientia hominem. Verum Sacrarum in primis rerum lectio quærenda est, quæ teste D. Isidoro lib. 3. de summo bono cap. 8. geminum confert donum, siue quia intellectum mentis erudit, siue quod a Mundi vanitatibus hominem abstractum ad Dei amorem perducit, vnde merito Gloss. Deuteronomij cap. 17. tradit sacrarum rerum lectionem, & lucem, & vitam esse, non tamen negarim, vt diximus etiam prophanarum rerum eruditionem, valde principibus esse posse proficuam, ad eam tamen comparandam imitari debemus Apes, quæ teste Basilio de legendis Gentilium libris, non omnibus floribus similiter insident, neque ex eis ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis necessarium fuerit comprehendentes, reliquum dimittunt, nos etiam, vt sobrij, sapientesq; quantum congruit nobis, propinquumq; veritati ex ipsis fuerit, prosequamur, reliquum prætereamus, hactenus D. Basil. cuius similitudine, ad hoc idem probandum vsus est etiam Plinius lib. 11. cap. 7. & lib. 21. cap. 21.

Google

IMPERATOR CHRISTVS, docet Reges diligere populos subditos, tenendo rectos modos regiminis, præcipiens eis, quod amoueant consuetudines iniustas, & prauas.

CAP. VI.

FILIVS DEI loquitur ad sponsam. Dixi prius, quod Rex diligeret populum, & communitatem Regni sui. Tunc autem ostendit se diligere eam, quando eam permittit vti legibus approbatis. Si super communitatem, & populum, crudeles non dominātur exactores, & collectores si nouis adinuentionibus, & impositionibus tributorum, non oneratur populus. Si hospitalitate onerosa, & insolita non aggrauatur. Poterit tamen Rex ad impugnationem infidelium, humiliter petere auxilium a populo, & communitate Regni si necessitatur. Sed caueat, quod necessitas illa non veniat in consuetudinem, & legem. Studeat etiam Rex, amouere consuetudines contrarias saluti animarum. Et maxime illam diutiné antiquatam; quæ continet, quod quando naues in litore potestatis suæ periclitantes tempestate, domini nauium, & mercimoniorum, priuantur bonis, quæ littori aduehuntur. O quam impijssima crudelitas est afflicto afflictionem addere. Sufficit enim afflicto ad cumulum doloris sui, perdere nauem, vt bona alia non distrahantur. Ergo Rex istam consuetudinem, & alias prauas, & iniustas auellat a Regno suo, & inueniet maiorem gratiam, & profectum in oculis meis.

* * *

IMPERATOR CHRISTVS dicit Regibus, quod si eum volunt honorare, seruent præcepta, & verba eius, & augeant eis honorem amando animas subditorum, quas ipse redemit suo proprio sanguine.

CAP. VII.

FILIVS DEI LOQVITVR ad sponsam de quodam Regæ Sueciæ dicens. Si iste Rex vellet me honorare, &c. Require in quarto libro capitulo quadragesimo octauo.

OMNIVM IMPERATOR Christus ad ostendendum Regibus, quod Reginæ debent eligi deuote, & virtuose, ostendit hic exemplo suo, qui elegit inter omnes fœminas virtuosiorem omni virtute in Matrem, ac Reginam cęlorum.

CAP. VIII.

FILIVS DEI loquitur suæ Matri Virgini. Ego sum coronatus Rex in Deitate mea sine principio, & sine fine, nec initium habet corona mea, nec finem, significans potestatem meam, quæ non habuit principium, nec habebit finem. Verum ego aliam coronam habui custoditam in me, quæ quidem corona sum ego ipse Deus, &c. Reliquum huius cap. require in quinto libro reuelationum post interrogationem nonam per totum.

* * *

IMPERATOR CHRISTVS loquens sponsæ, de quadam Regina nouiter desponsata Regi dicit, quod ex illo coniugio non orietur salus Regno, sed tribulatio, quia ipsa de damnato semine ab Ecclesia nata est, & infra ætatem legitimam desponsata.

CAP. IX.

FILIVS DEI loquitur sponsæ de quadam Regina, quam Rex acceperat in coniugem, de semine damnato ab Ecclesia, & infra ætatem legitimam
1 dicens. 1 Attende filia, & scias, quod in omni coniugio christiano tenetur esse ætas, & consensus legitimus, sed in istis nihil horum est. Et ideo istud matrimonium, simile est pupis, & ludo puerili, ex eo quod, gloria temporalis ab istis quæritur, & non lex christiana, & honor Dei. Et ideo ex isto coniugio orietur tribulatio, & non salus Regno. Et licet ista nouella Regina, filia parentum damnatorum ab Ecclesia, non portabit iniquitatem patris, nunquam tamen de semine prouocantis me ad iram veniet populo salus, & fructus. Et ideo Isaac monuit filium suum, recipere vxorem de generatione sua, ne ipse contaminaretur a populo, cui iratus erat Deus.

NOTAE.

1 Attende filia, & scias quod in omni coniugio christiano, tenetur esse ætas, & consensus legitimus.

Aetas legitima, quæ matrimonium contrahere volentibus secundum iuris ordinem necessaria est ex parte viri, quatuordecim annorum est, ex parte vero fœminæ duodecim, sic habetur extra de spons. impub. cap. impuberes, & cap. continebantur, & probat Magister in 4. dist. 36. Durand. ibidem d. 27. qu. 3. Siluester. verb. Matrim. quinto numero 1. Nauarrus in Manuali cap. 22. num. 29. Angelus, & alij summistæ, requiritur etiam vtriusque consensus mutuus, vt tradit Concil. Trident. Sess. 24. ca. 1. de reformat. matrimonij, & Magister in 4. dist. 29. & ibi doctores Scholastici, & patet ex cap. tua nos de sponsali. & extra de sponsal. duo tuas, & cap. dudum, & de sponsal. si inter, & cap. tuas apud.

MATER DEI MONET quandam Reginam mundanam moribus, quod conuertat se ad Deum, dando de se Deo folia, flores & fructum virtutum in loquendo, & audiendo bona, & amando Deum, & proximum.

CAP. X.

MATER DEI loquitur sponsæ dicens. Dic Reginæ, quod ego Mater misericordiæ recepi eam tanquam nucleum in pomo corrosum, qui non erat pulcher ad videndum, sed amarus ad gustandum, & insipidus ad glutiendum. Veruntamen plantaui eam in terram longinquam, vt portaret fructum bonum. Ergo sicut arbores proferunt de se folia, flores, & fructus, sic ipsa debet portare folia virtutum, scilicet, audiendo libenter verba Dei, quæ vtilia sunt animæ, & similia foliis arborum. Loquatur etiam illa, quæ honoris sunt Dei, & vtilitatis proximorum, quia tunc ipsa portat pulchros flores. Diligat quoque Deum, & proximum, & tunc habet optimum fructum. Sed ipsa nunc loquitur libenter scurrilia, & ea quibus acquirere potest mundi honorem, & fauorem, & ideo conuertat se ad me, scilicet, portando filio meo, auditu, & locutione, & opere charitatis, fructum illum, qui ei dulcius sapit.

Hoc est animā suā, quā præcordialiter desiderat possidere.

* * *

CHRI-

CHRISTVS REPROBAT vnum votum continentiæ coniugalis, quod quidam Rex, & Regina coniuges, vouerunt sine consilio, & deliberatione matura, ne inde maius malum, & detractio oriatur.

CAP. XI.

POstquam quidam Rex, & Regina, habuerunt duos filios, vouerunt votum castitatis, & continentiæ inter se. Super quo requisita sponsa, quod oraret Deum, Christus apparens dixit ei. Scriptura dicit, quod homo non præsumat separare, quod Deus coniunxit. Quis enim audeat mutare illud, quod rationabiliter in lege Dei approbatum, & sanctum est.
1 Veruntamen ex iusta causa, carnale bonum, quandoque mutari potest in spirituale bonum, & tunc non est solutio coniugij, sed translatio quædam, quando duo cum deliberatione matura, & consilio, consentiunt in melius bonum, ex charitate Dei. Sed iste Rex, & Regina consenserunt in vnum apparens bonum, sed non discretum, quia altera pars consentit voto continentiæ ex feruore nouicio, & ex zelo indiscreto, & leuitate animi. Alia vero pars ex quadam placentia, & impulsu subito, & causa fugiendi dolores. Ideo tutius est, & laudabilius, redire ad primam legem, matrimonialis copulę. Ne forte si indiscrete continuauerint, & tentationes creuerint, & plenitudo assumpti propositi accesserit, oriatur inde maius malum, & occasio detrahendi. Veruntamen in istis faciant isti duo, secundum consilia sapientum. Quia non est peccatum, retractare sapienter, quod indiscrete inchoatum, & attentatum est.

NOTAE.

1 VEruntamen ex iusta causa carnale bonum quandoque mutari potest in spirituale bonum, & tunc non est solutio coniugij.

In præsenti nota duo breuiter inuestiganda sunt, primum quidem, quid sit carnale bonum in spirituale mutari: secundo vero quibus modis hoc fieri possit, & vt a primo sumamus exordium coniuges carnale bonum in spirituale mutare, est voto se se continentiæ obligare, continentia namque spirituale bonum est multo præstantius copula carnali. quæ hoc loco carnale bonum dicitur, quia in matrimonio ordinatur ad finem honestum, fuit enim Matrimonium institutum, & in officium naturæ, & in remedium concupiscentiæ, & respectu vtriusque talis actus bonus est, natura namque sicut intendit conseruationem indiuidui, ita & speciei, & per illum actum æque bene vtrumque habetur, & conseruatio speciei, & remedium concupiscentiæ, & ideo hoc loco carnale bonum dicitur, quod tamen, vt indicauimus inferioris est ordinis spirituali bono continentiæ, quæ quia manifesta apertaque sunt non egent longiori expositione: superest modo videamus quotupliciter huiusmodi commutatio fieri possit, vt præsentis notæ verborum sensus legentibus pateat. Dicendum ergo est, nullum coniugum sic posse continentiæ votum emittere, absque alterius coniugis consensu, vt nullatenus exigere queat debitum, vel reddere quod ex eo probatur, quia votum cum sit voluntatis, non est nisi eorum, quæ sunt in nostra potestate, sed corpus viri non est in potestate eius, sed vxoris, & e conuerso, ergo nullus eorum potest sic absolute vouere absque consensu alterius, quod patet euidenter ex Paulo 1. Corint. 7. qui asserit vir non habet potestatē sui corporis, sed vxor sicut nec vxor sui, sed vir idem constat etiam ex c. manifestum, & cap noluit 33 q 5. Dico secundo, nec alterum eorum posse vouere, absque consensu alterius quantum ad redditionem debiti, quia vt probatum est, quoad hoc non est sui iuris, & tradit D. Thomas in 4. sent. dist. 32. qu. 2. Paludanus in 4. dist. 32. qu. 2. Siluest. verb. votum quinto §. 5. Nauarrus in Manu-li cap. 12. num. 60. an vero hoc etiam procedat quantum ad debiti petitionem affirmarunt aliqui, posse vnum coniugum absque consensu alterius sic se obligare posse, vt non petat sic Riccardus, & Paludanus in 4. eadem distinct. sed alij contrarium sentiunt esse verius, & rationem afferunt, quia nimis esset onerosum alteri matrimonium, & præsertim mulieri, quæ in eam necessitatem deueniret, vt pudorem petendi debitum semper subire cogeretur, quod votum Durandus dist. 32. qu. 2. licet tenere opinetur, dicit esse indiscretum, & in hanc sententiam inclinat D. Thomas, vbi supra, & Nauarrus loco citato. Dico tertio posse coniuges intercedente mutuo consensu votum continentiæ simplex emittere, sicut Rex, & Regina de quibus in præsenti capite sermo fit emiserunt, neque tamen, propter hoc matrimonium soluitur, vt scribitur hic, & huius rei ratio ex Durando petenda est, qui in 4. sent. dist. 31. qu. 2. affirmat bonum prolis, quod copulam carnalem sequitur dupliciter considerari posse, vel secundum

executionem, vel secundum obligationem, primo modo acceptum non est de essentia matrimonij quoniam illud ei competit ratione actus, & matrimoniales actus est posterior matrimonio, posteriora autem non sunt essentialia prioribus, ex quibus palam fit, quod cum coniuges se ad continentiam ex voto per mutuum consensum facto obligauerint, minime posse absque peccato huiusmodi votum frangere, vt patet ex cap. quod Deo 33. q. 1. & ideo legimus hic Reginam, & Regem petiisse a B. Brigitta, vt super voto continentiæ ab his emisso Deum rogaret, vt illis quidquid esset agendum propalaret, & quia illud votum factum fuerat ex indiscreto quodam zelo, & leuitate animi, & probabile incontinentiæ periculum imminebat; ideo Christus insinuat B Brigittæ, vt super hoc huiusmodi Reges de quibus hic sermo fit sapiẽtes consulant, vtq; illud superioris auctoritate retractent, & hoc est sapientes consulere, nimirum superiores adire quorum auctoritate votum continentiæ indiscrete emissum retractent id enim est conforma doctrinæ Pauli Apostoli 1. Corint. 7. qui monet, quod si coniuges in incontinentiæ periculo versentur, consultius esse, vt ad vsum matrimonij redeant, ex quibus duo deducenda sunt, primo eos propria auctoritate minime potuisse huiusmodi votum reuocare, vt constat ex capit. 1. & penultimo de conuers. coniugatorum, & probat Sotus de iustitia, & iure, lib. 7. qu. 3. art. 1. Nauarrus in Manuali cap. 12. num. 59. Siluest. verb. votum quinto. §. quinto, Decis. Aureæ p. 2. libr. 1. cap. 12. num. 28. secundo deducitur causas huiusmodi votum dispensandi esse præcipuas, incontinentiæ periculum, facilitas vouendi, leuitas animi, eius qui vouit, imbecillitas ad exequendum, quæ omnes in præsenti capite recensentur, & has esse iustas indicandas ad obtinendam dispensationem tradunt D. Antoninus 2. par. tit. 2. cap. 1. Panorm. in cap. 1. de voto.

CHRISTVS DOCET hic Reges, cum quali discretione debeant reprehendere vxores suas, & monet pulchre vnam Reginam deuotam, quod sit humilis, & compassiua miseris, plena charitate, prudens & modesta.

CAP. XII.

FILIVS DEI loquitur ad sponsam. Vbi arista esset iuxta cor non est subito, & precipitanter auellenda, sed paulatim, & leniter resecanda. Sic si mulier bona est, diligenda est, sed tamen homini tendenti ad perfectionem, quandoque impedimentum est. Et ideo homo, qui ligatus est ad vxorem per matrimonium, vbi videt periculũ suum, quandoque lenibus verbis vtatur, more monitoris, quandoque moderate seuerioribus, more doctoris, quandoque more medici resecationibus. Quia mulier prudenter audienda est, vt consoletur modeste, & secrete arguenda est ne contemnatur, honeste erudienda, & quandoque non audienda, ne iustitia dimittatur. Propterea ad Reginam pertinent humilitas animi, modestia operum, prudentia agendorum, compassio miserorum. Nam prudentia mulieris mitigatus est Dauid, ne faceret peccatum. Humilitate peruenit Hester ad Regnum, & perseuerauit. Sed superbia, & cupiditate, deiecta est Iezabel. Et Maria mater mea, propter compassionem, & charitatem, facta est Mater omnium in cœlis, & in terris. Ergo, quia Regina ista pro qua tu oras, per te quærit a me cõsilium, responde ei ex parte mea, & dic ei, Quod ipsa habet aliquas infusiones, & suggestiones, a duobus spiritibus, scilicet a bono, & malo spiritu, quas ego indicabo tibi alia vice. 1

CHRISTVS OSTENDIT Sponsæ cogitationes suggestionum boni, & mali spiritus, quæ in corde Reginæ supra proximo dictæ certabant inter se, & determinat Dominus quid ipsa de illis debeat eligere.

CAP. XIII.

1 CHRISTVS loquitur sponsæ dicens. 1 A duobus spiritibus suggeruntur, & infunduntur cogitationes, & infusiones in cordibus hominum. A bono spiritu, scilicet, & a malo. Bonus nempe Spiritus suadet homini futura cęlestia cogitare, & temporalia non amare. spiritus vero malus suadet homini diligere illa præsentia, quæ homo videt, leuigat peccata, allegat infirmitates, & proponit exempla infirmorum, &c. Residuum huius cap. Require in 4. lib. 4. cap. per totum.

NO-

Digitized by Google

NOTAE.

1 ADuobus spiritibus infunduntur, & suggeruntur cogitationes, & infusiones in cordibus hominum.

De signis secernentibus diuinas reuelationes ab illusionibus dæmonum, pluribus in locis fuse tractauimus; ideo superuacaneum est eadem in præsentia repetere. Vide notam quintam, capitis decimi, libri primi, & lib. 3. cap. 20. num. 3. & cap. 78. nota 2. & lib. 4. cap. 4. nota prima, & secunda, & eodem lib. cap. 23. nota 5.

CHRISTVS DICIT Sponsæ de Regina supra proximo dicta, quod illa reputat graue dictum consilium Dei, ideo annunciat ei, quod nisi obedierit cito, vita eius erit breuis, ratio reddenda in iudicio grauis, & finis dolorosus.

CAP. XIIII.

CHRISTVS loquebatur ad sponsam, de Regina supra proxime dicta dicens. Regina illa de qua prius dixeram tibi, consilium quæsiuit a me per te, & audito consilio, quod dedi
1 ei, videtur sibi grauissimum. 1 Et ideo modo dic ei, quod erat quedam Regina tempore *Heliæ* prophetæ, quæ dilexit quietem suam plus quam me, & persequebatur verba veritatis, & credebat stare per prudentiam suam; ideo contigit, quod non solum contempta, & despecta fuit ab omnibus, sicut prius honorata, sed etiam in morte sua tribulata fuit. Et propterea ego Deus qui clarius video, & scio futura, dico nunc isti *Reginæ*, quod tempus suum breue est. Computus quem reddi tura est in die iudicij grauis est. Et finis suus non sicut principium erit, nisi obedierit verbis meis.

NOTAE.

1 ET ideo modo dic ei, quod erat quedam Regina tempore Heliç Prophetæ, quæ dilexit quietem suam plus quam me, & persequebatur verba veritatis.

Regina cuius in hoc capite mentio fit Iezabel est, de qua 3. Reg. cap. 19. agitur, ipsa namque fuit filia Regis Sidoniorum, vxor Achab. Regis Isdrael, quæ fecit, vt occideretur Nabot per falsos testes, vt eius vineam poliretur, de ea ergo duo afferuntur hoc loco primo, quod veritatis verba persequebatur, secundo quod in morte sua tribulationes plurimas est passa, adducit autem Christus huius Reginæ exemplum hic, vt inde cæteris indicet Reginis, si Dei legem paruipendant, & veritatem persequantur, etiam diuina illis imminere supplicia, vt huic Reginæ accidit, legimus autem, quod Iezabel verba veritatis persequebatur, quia mortem intentauit Eliseo, qui vt verus Propheta veritatem prædicabat, falsosque Prophetas Baal occiderat, legimus quoque hoc capite Iezabel tribulationes in morte passam esse, quia per fenestram Iussu Ieu præcipitata est, & Canum morsibus dilacerata, vt nihil corporis superfuerit præter Caluariam, & pedes sic lib. 4. Reg. cap. 9. habetur quod egregie annotauit Ambrosius epistola 11. ad Ireneum, Iezabel inquit inimica veritati, & aduersaria prophetarum eloquijs; ita dilacerata est morsibus canum, vt nullum eius superesset vestigium, sed toto corpore suo cum omnibus posteritatis suæ insignibus extincta est, idem habet lib. de Nabucdonosor cap. ij.

BEATA AGNES exponit sponsæ, vnum currum materialem pomposum. In quo quedam Regina superba sedebat, dicens, quod ille est currus superbiæ, cum rotis viciorum. Cuius auriga est diabolus. Et describit alium currum spiritualem, cum rotis virtutum, cuius auriga est Angelus.

CAP. XV.

BEATA Agnes apparuit sponsæ Christi, & loquebatur ei de quadam Regina superba, & pompoia, dicens. Vidisti filia dominam superbam in curru superbiç, &c. Require in quarto libro cap. decimoseptimo.

Digitized by Google

CHRISTVS PROHIBET cuidam Regi, ne recipiat quendam adulatorem, & sagacem in consiliarium, quia cupidus, & dolosus est, & comminatur Regi, si contrarium faciat.

CAP. XVI.

FILIVS DEI loquitur ad sponsam, de quodam sagaci homine adulatore, quem Rex quidam volebat exaltare, & in consiliarium recipere dicens.
1 1 Ille homo quem tu cognoscis, quem nunc Rex in consiliarium recipere vult, lupus est. Et quid aliud facturus est, nisi vt rapiat, & glutiat, & fallat? Ideo dico, quod si amicitiam meam quærit inuenire Rex caueat, & recedat ab amicitia, & conuersatione illius. Non tribuat ei vnum minimum passum terræ, quam ille quærit ab eo. Non iuuet eum hominibus, vel muneribus suis. Quia ille vellera habet ouina, sitim inextinguibilem, & fraudis venenum in corde. Si vero Rex audierit consilia eius, & vult amicitiam eius, & dissoluerit se cum eo confidendo plenariè de eo, reprobabitur a me, & erit prouerbium, & ridiculum multorum dicentium. Ecce Rex similior est asino coronato, quam principi. Et etiam timendum est ei ne cum dolore amittat Regnum. Filius loquitur. Domina illa prius mihi chara, nunc conuersa retrorsum, quærit de semine lupi fructum coniugij de fructu suo, contra voluntatem meam, & verba mea. Ideo scito pro certissimo, quod de fructu eius non gaudebit, nec radices altas dabit semen eius, nec incolæ gaudebunt de hærede, quia Rex iustitiam non habuit ad Regnum, quia minor supplantauit maiorem.

NOTAE.

1 ILle homo, quem tu cognoscis, quem nunc Rex in consiliarium recipere vult lupus est.

Hoc eodem libro cap. 4. nota quinta probatum est a Regibus adulatores omnino eiciendos esse quippe, qui illis maxime nocent, ideo eos ibi Scorpionibus, Simijs, Camaleonti, alijsque bestijs comparauimus, in præsenti vero capite adulatorem lupo Christus Dominus similem facit, cuius rei ratio esse potest, quod sicut lupus animal est, noxium, & rapacissimum: ita quoque adulator falsis laudibus corda rapit Principum, vt eos ad sua vota trahat, vtque quidquid ipse vult etiam iniusta ab illis extorqueat, aut etiam, quia lupus animal est, cani simile, ita adulator amico similis est, sed non verus amicus: caueant ergo Principes inquit, epitectus apud Stobeum serm. 3. & 12. ne canum custodum vice, perniciosos lupos nescij admittant.

CHRISTVS PROHIBET cuidam Regi, ne recipiat amicitiam cuiusdam magni domini alienigenæ, introducendo eum in Regno suo, quem comparabat vulpi, quia dolosus, & superbus est, depredator est simplicium.

CAP. XVII.

CHRISTVS loquitur sponsæ dicens.
1 1 Rex quærit auxilium, & amicitiam vulpis. Sed quæ est consuetudo vulpis, nisi simulare se mortuam vt rapiat simplicies aues? Si intrauerit cubile anserum, non contentatur comedere vnum, nisi vt interficiat omnes. Sic iste, si obtinuerit partem terræ non quiescit donec habeat maiora, & tunc seminabit discordiam, quia indignè, cum extraneis non concordabunt. Et ideo fugiatur conuersatio eius, sicut sibilus serpenti venenosi. Quia si profecerit, rediget terram in ruinam, & anseres simplices deplumabit. Consiliarij vero Regni, & Rex laborent, vt pecunia, quæ ratione dotis sibi debetur, soluatur ei. Quia secundum communem prouerbium, melius est esse ante cautum, quam post pericula prudentem. Filius Dei loquitur. Iam de semine vulpis, & vipere, eleuauerunt sibi caput, quod deplumare nouit non sanare, quod erit eis non in magnum gaudium, nec in iustitiæ augmentum, quia generatio illa mihi displicet, & leta principia eius obfuscabit finis dolorosus.

NO-

Digitized by Google

NOTAE.

1 REx quærit auxilium, & amicitiam vulpis.

Admonet Christus hoc loco Regem quendam, eique prohibet, vt a se dolosos, & astutos viros abijciat, & nomine Vulpis hic intelligit fraudulentum, & subdolum hominem, cum quo Rex bonus non debet inire amicitiam, vt Christus hic asseuerat, quod autem Vulpes astuti dolosi, ac fallacis hominis simbolum sint, patet ex eorum natura, est enim animal mire astutum, latrat, vt canes, latet in cauernis, vt latentes decipiat, sic habet Arist. 9. hist. animal. 3. horum autē hominum figuram gerere Vulpes annotarunt D. Greg. 19. mor. cap. 1. & super Cant. cap. 2. D. Augustinus de sancta Virginitate cap. 51. & super psal. 8. Hilar. in Matt. Canon. 7. D. Bern. super Cant. serm. 63.

CHRISTVS DAT CVIDAM Regi duos consiliarios optimos, habentes Diuinam charitatem, & zelum iustitię, ostendens per hoc regibus, quod tales consiliarios recipiant, & non negligentes, & mundum amantes. & declarat quare amicos suos Deus exponit tribulationibus.

CAP. XVIII.

FILIVS DEI loquitur sponsæ oranti pro quodam Rege dicens. 1 Si
1 Rex iste laborare voluerit pro conuertendis animabus, duos consiliarios ei cōstituto, qui Regnum regent. Primus diligit me plus quam se, &
2 sua paratus est etiam mori pro me. 2 Secundus iam assumpsit cornua agni paratus obedire mihi, & non carni, sed spiritui obedire.
3 3 Sed quærere poteris, cur amicos meos expono tribulationibus? Respondeo tibi per exemplum, quasi si aliquis dominus esset, qui haberet aliquam siluam, vel heremum vallatam muro, intra vero murum essent animalia indomita, extra vero murum oues, & murus haberet aperturas multas, & iuxta quamlibet apertum duo spacia, & iuxta quodlibet spacium essent tria foramina occulta. Dominus itaque ille sollicitus de ouibus, ait seruis suis. O serui mei, vos scitis, quod oues meæ simplices sunt, & bestie ille fere rapaces. Ideo state, & custodite foramina, & aperturas, ne bestie feroces exeuntes de ambitu, noceant ouibus. Nō sit vobis tediū in laborādo, non accidia in vigilādo, vox vestra sit quasi tuba, baculus sit cōtinue ī manibus, quo bestie rapaces appropinquantes ouibus deterreātur. Serui igitur accepto mandato domini libenter obedierunt. Tandem dominus vocato venatore suo, ait ad eum. Egredere in siluam meam cum canibus, & fac animalia audire sonum tube, & deterre ea clamore tuo. Serui igitur audientes sonum tube, dixerunt. Ecce hæc est vox venatoris nostri domini. Surgamus ergo festinanter, non simus iam timidi, nec negligentes; manus nostra sit promptior iam in percutiendo, vox altior in clamando, oculis vigilantior in speculando, & vbi prius statuimus alios pro defensione ouium, ibi modo ponamus nosipsos. Igitur ego ipse Deus similis sum isti domino. Heremus, seu silua illa mundus est abundans animalibus ferocissimis, & indomitis, idest, viris sine le-
2 ge, sine charitate, sine sensu Dei, ad omnia mala pręparatis. Hunc mundum murus nimię pręsumptionis, & obstinationis circundat. Quia homines patientia Dei abutuntur, & proficientes in malis obdurantur. Extra vero hunc murum sunt amici mei, quia charitate mea succensi imitantur vestigia mea, & quærunt pascua mea. Intra vero murum sunt illi, quorum cupiditas non habet modum, qui creaturam præferunt creatori, corpus diligunt, & non animam, ad præsentia aspirant, & non ad futura bona. Aperture vero huius muri, sunt
fraus, & symonia, & malicia, quæ nec patri 4
pareunt, nec filio. Sed ista dominatur iam apud multos, & reputatur summa fęlicitas, obtinere temporalia, & non curare de eterna gloria. Duo vero spacia iuxta aperturas duæ sunt abusiones in mundo, seu duo mala. Prima est spiritualis, secunda vero cor-
5 poralis. Prima est, dare alijs exemplum peccandi verbo, aut operatione. Secunda, scilicet corporalis, duplex est. Prima est, dissimulare peccatum, quod corrigendum est, propter munera, propter fauorem, & honorem, seu propter mundanum timorem. Secunda est, nolle punire peccatum manifestum, propter suam vtilitatem, vel propter mundiale bonum. Tria vero fo-

ramina occulta, sunt tres affectus malignantium. Aut enim appetunt nocere vitæ proximorum, aut derogare honori, aut damna inferre in bonis suis, & amicis. Venator vero significat iustitiam Dei, manifestandam, Cuius vox erit talis. *Da duris dura, & da mollibus mollia*. Canes autem sequentes sunt, viri iniquitatis quibus Deus quamuis sunt mali, vtitur ad bonum, non sibiipsis, sed purgandis. *Hi vtique* sunt quasi canes insatiabiles, qui consueuerunt odire oues, impingere eas superbiæ cornibus, diripere eas vellere, & pedibus conculcare. Et ideo, quia regnum istius *Regis*, est de heremo, & silua ista habens bestias feroces, & indomitas plures, quam oues propter hoc constituo amicos meos custodes ouium mearum. *Qui parati sunt* misericordiam dare humilibus, induratis vero iustitiam, & omnibus facere equitatem. Cæterum amici isti caueant sibi a custodibus illis, qui stantes iuxta foramina, & lanceas tenentes in manibus suspendũt eas transeuntibus bestijs, & hostibus, quibus euasis, percutiunt terram cum clamore valido, vt videantur fortiter egisse. *Hi enim* sunt custodes, qui animas non quærunt, sed vellera, qui peccata dissimulant, aut leniter reprehendunt, vt placeant, accidiæ inquisitionis de peccatis dominantur. Sed isti amici mei laborent sollicite, vt iustitia obseruetur, & teneatur, communitas diligatur, honor Dei augeatur, & rebelles, & impij puniantur. Verum autem vox iustitiæ meæ veniet in diebus istorum an non, licitum non est eis scire, sed ipsi stent firmiter, & viriliter clament. Ego enim *Deus* veritas, dabo eis mercedem veritatis.

NOTAE.

1 SI Rex iste laborare voluerit, pro conuertendis animabus duos consiliarios ei constituo.

Præceperat Dominus, quemadmodum hoc eodem libro cap. 2. scribitur, vt eos consiliarios Reges, Principesque a se amouerent, qui auaritiæ, & ambitionis vitijs essent irretiti, hoc autem loco tradit vt tantummodo ab his esse eligendos, qui & charitate, & iustitiæ zelo præditi sint, & quidem si charitatis est proprium alijs prodesse, profecto qui charitatem habent optimi consiliarij sunt, hi namque poterunt non solum consilio, auxilioque suis principibus opem ferre, verum, & subditos mirum in modum a necessitatibus subleuare, per quod in Regnis pax summa seruatur, quies, & tranquillitas obtinetur: animorum etiam inde consensio comparatur, ideo Clemens Alexandrinus libr. 2. stromatum scriptum reliquit, quod charitas est consensio quedam eorum, quæ in ratione sunt, & vita, & moribus, & vt rem paucis expediamus, charitas aliud non est, quam vitæ societas, amicitiæ, & beneuolentiæ extensio, cuius pedisseque opera sunt misericordiæ, & ea quæ prosunt animæ, corporique ad quæ consilia debent referri, his namque stabilis quædam vnio, animorumque firma consensio sanciuntur, inter ipsos etiam ciues forte pacis vinculum firmatur, mutua beneuolentia inter principes, & subditos conciliatur, quibus Regna, & vrbes mirũ in modum augentur, cunctaq; diu conseruantur. Rursus etiam ijsdem de causis consiliarij, virtute iustitiæ debent excellere, hæc enim est, quæ a Pindaro ode 8. dicitur habere consiliorum pacis, & belli claues, quæ vrbium est conseruatrix, ista sine aduersario iudicis officio fungitur, vt habet Philo iudæus 1. Alleg. hæc virtutum spectatrix nominatur, & castigatrix, inuicta tribuit suffulta comitibus, sanctitate, veritate, & fide teste Arist. lib. de virtutum præstantia, per hanc consiliarij principum magistratus bonos a malis discernunt, malosque puniunt, lites, & contentiones auferunt, seditiones a ciuitatibus tollunt, pacem, & vnionem inter ciues seruant, vnde a Maximo Tirio serm. 2. Murus arduus dicitur, quem non obliquis doli vijs ingreditur hominum genus, hac ergo si ad augenda, conseruandaque Regna faciunt, procul dubio Reges consiliarijs egent, qui charitate, & iustitia pollent.

2 Secundus iam assumpsit cornua Agni.

Sermo fit hoc loco de secundo consiliario, a Rege suscepto, legimus autem eum consiliarium assumpsisse cornua Agni, quia iustitiæ zelum suscepit, quo ea Regi consilia dabat, vt impios homines puniret, malosque dignis supplicijs afficeret, bonos vero præmijs, vt par est honoraret, hoc enim est proprium distributiuæ iustitiæ munus, ac functio, & in sacris litteris cornu iustitiæ zelum designare affirmat D. Greg. in 1. lib. Reg. cap. 16. Aut etiam per cornua hoc loco intellige sublimitates virtutum, vt prudentiam fidem, probitatem, & alia quibus hic consiliarius de quo Christus hic verba facit abundabat, & sensus est hunc assumpsisse cornua Agni, quia has virtutes habebat a Christo, qui est verus Agnus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, & in sacris litteris cornua virtutes significare auctor est D. Hieron. super Amos 6. Rupert. super Zacch. ca. 9. Aretbas super Apocal. cap. 9. Arnobius super psalm. 78.

3 Sed quærere poteris cur amicos meos expono tribulationibus.

Quare in presenti vita Boni tribulationibus premantur, Mali vero, quandoque exaltentur: hisque ad votum quedam succedant, tradidimus lib. 2. ca. 2. nota 2. & lib. 3. interrogat. 6. qu. 2.

REGINA COELI declarat, quare aliquando cum ipsa loquitur dicit nos, & quando loquitur Christus dicit ego. Et comminatur grauiter cuidam regi, si non separauerit a se vnum iniquum consiliarium. Et monet regem, quod sit vigilans, & sollicitus, in Dei charitate.

CAP. XIX.

MAter Dei loquitur ad sponsam, dicens. Miraris, cur ego aliquando dico nos quando loquor tibi. Et cum Filius meus loquitur tibi, dicit ego. Scias, quod hoc ideo est, quia quando filius meus loquitur tibi, ipse ex parte deitatis loquitur tecum, quia Trinitas vnus Deus est. Cum vero loquor ego, ex virtute eiusdem Trinitatis loquor, & verbum trium personarum vnum, & idem est verbum. Ideo ego dico nos. Dic itaq; isti Regi pro quo tu modo oras, quod *Mater* charitatis incautat, & præcauet eum, de pudore, & verecundia, & damno suo. Pudor enim, & verecundia esset, si Dominus loco sui constitueret seruum suum. Damnum autem esset, si aliquis arcam plenam auro, cambiret, seu permutaret per arca vacua, vel pari valoris. Sic iste rex, proponit exaltare seruum diaboli, cupiens obedire ei, quod vtique pudor spiritualis est. Ideo iuro per Iesum Christum Filium meum, quod nisi separauerit illum cum consilio sapientum a se, faciendo eum simplicem secundum generationem suam, nec tribuendo ei potestatem, nec etiam vnius obuli omnium, quæ regalia sunt, ego flagellabo eum a vertice capitis, vsq; ad calcaneum, donec dicat ex dolore, miserere mei *Maria*, quia prouocaui te ad iram. Secundo præcaueo eum de damno, quod scilicet non sic attendat ad modicam quietem, vt incurrat longam inquietudinem, sed magis laboret sollicite, & fortiter, in diuina charitate, vt obtineat illud aurum preciosum, & æternum. *Si* vero obedire noluerit, sicut filius meus dixerat sibi, dimittat. *Quia* nos bene inuenimus vias, per quas sine opprobrio mundi, & damno poterit inchoata declinare.

MATER DEI DICIT regibus, quod non recipiant consilia ab hominibus cæcis, & surdis, & mutis, & infirmis in anima, sed a sanis spiritu, & virtutibus.

CAP. XX.

MAter Dei loquitur sponsæ
1 dicens. 1 *Dic* regi pro quo tu supplicas, quod ipse habet quinque famulos. Quorum primus est cæcus, attamen materia quædam est, de qua imago potest fieri pulchra. Ideo consilia non sunt quærenda a cæco, antequam habeat clarum visum. *Secundus* est surdus quia in aures eius nulla ingreditur diuina charitas, & ideo non sunt cum eo conferenda spiritualia nisi habuerit auditum meliorem. Tertius famulus est mutus, quia charitas diuina non est in anima eius, & ideo totum, quod loquitur, aut est propter timorem pœnæ, aut est propter lucrum mundi, aut ad placendum. *Quartus* famulus est paralyticus in omnibus membris & ideo inhabilis est ad opus spirituale. Quintus famulus est totus leprosus spiritualiter, & ideo fugienda est eius præsentia, ne alij ab eo maculentur. *Pro* his vero quinque famulis quos ei dissuademus, disponimus ei alios quinque, qui sunt bene videntes, & audientes spiritualiter, & sine spirituali macula, quibus si obedierit, amicitiam filij mei retinebit. Item dic ei, quod obedienter stet in corona, alioquin filius meus vocabit eum sub corona. Illud enim verbum exponam tibi in tempore suo.

NOTAE.

1 DIc Regi, pro quo tu oras, quod ipse habeat quinque famulos.

Quales esse debeant Consiliarij Regum ac Principum ministri, de quibus in præsenti capite sermo fit, annotauimus supra hoc eodem lib. cap. 2. nota 2. & cap. 18. nota prima.

QVIDAM NOBILIS deridebat de Deo coram vno Rege, & Christus comminatur eidem Regi, nisi illum corripiat, quia iudici corripienti peccatorem propter Deum dupplicabitur corona, dissimulanti vero dupplicabitur pœna.

CAP. XXI.

FILIVS DEI loquitur sponsæ. Cur turbaris, quod illum qui deridebat me, tam patienter supporto? Nescis, quod graue est æternaliter ardere? Nam vbi colores diuersi seminantur, si ante tempus debitum succiduntur, non ita valent rei colorandæ, sicut si debito tempore colliguntur. Sic verba mea, quæ cum iustitia, & misericordia manifestanda sunt, vsque ad plenitudinem maturitatis crescere debent, & tunc rei, cui apponendæ sunt magis conuenient, & virtutem meam conuenienter colorabunt. Et ideo caueat Rex ne anima sua, sit pro anima
1 illius deridentis me. 1 Qui corripit peccatorem propter Deum, ne puniatur a Deo, sicut fecit Moyses, dupplicabitur ei corona eius, & quia placat iram Dei, & quia minuit iudicium delinquentis, ne in æternum puniatur. Qui vero dissimulat delinquentem corrigere, dupplicabit pœnam, scilicet augendo pœnam in futurum, & iustitiam non exercendo.

NOTAE.

1 QVi corripit peccatorem propter Deum, ne puniatur a Deo sicut fecit Moyses dupplicabitur ei corona eius.

Verba præsentis notæ indicant, qualis esse debeat fraterna correctio, & quo fine facienda sit, qua de re tria tanguntur hic primo; quod solum, qui peccator est corripiendus est, scribitur enim hic, qui corripit peccatorem, secundo, quod hæc correctio propter Deum fiat; hoc est in ordine ad Deum, quatenus peccatum illud erat offensa Dei, aut propter Deum, vt peccator fraterna admonitione resipiscat, ne de cætero Deum offendat, vtque emendatus non puniatur a Deo æterna pœna, quam subijsset si in peccato perstitisset, & hic sensus quadrat textui, vt patet ex sequentibus verbis ibi placat iram Dei, & minuit iudicium delinquentis, ne in æternum puniatur, ex quibus colligi posse videtur, fraternam correctionem de mortalibus tantummodo peccatis faciendam esse, quia hic agitur de pœna æterna, quæ solummodo mortalibus debita est, sequuntur hanc sententiam Hieronymus, Ambrosius, Hyllarius, & Chrisostomus in capit. decimoseptimo Lucæ, Diuus Augustinus sermone decimosexto de Verbis Domini, Theophilatus, & Eutimius, quamquam non desint, qui existiment etiam de venialibus esse faciendam, sic Origen. tract. in Matth. sexto. Tertio, in correctione fraterna quærenda est vtilitas proximi, quam ob causam facienda est, vt proximus emendetur, & æternas pœnas subire minime cogatur, & colligitur ex illis verbis, ne puniatur a Deo, non enim fieri debet ex odio, quia ab eo quem corrigimus offensi sumus, hoc enim esset mortale peccatum, præsertim si deliberato animo nocendi fieret, vt bene annotauit Syluester Verbo correctio. quæstio. ij. ad hanc etiam omnes tenentur secundum illud, Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, in facienda tamen obseruanda est temporis opportunitas, & personæ qualitas, &, quod speretur emendatio, vel saltem non deterioratio, quodque constet de peccato proximi, quæ omnia colliguntur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 33. & ibi Caetanus, Sotus etiam tradit de ratione tegendi membro 2. quæst. 2. Adrianus in quarto de correctione fraterna, Turrectemata in capit. si peccauerit 2. quæstione prima, cæterum quo ordine, quoue modo facienda sit egregie annotauit Clemens Papa libro secundo Constitutionum Apostolicarum cap. quarto, libet autem hic eius verba referre. tu inquit vti Clemens Medicus peccatores omnes cura, vtens accommodatis ad salutem medicamentis, non modo secando, vrendo, nouacula adhibendo, sed etiam colligendo, inijciendo medicamenta lenia, cicatricem obducentia, emolliendo sermonibus consolatorijs si vulnus altum fuerit, reficito suaui vnguento, vt repletum reliquis partibus equetur, si sordes collegerit, nouacula perpurgato, hoc est iudicij minis, si serpat, cauterio cohibeto, tabemque exscindito, ieiunij acrimonia, Hactenus Clemens, qui non poterat præstantiores afferre regulas sub medici similitudine, quæ in fraterna

na correctione seruanda sunt: eadem similitudine ad rem hanc vsi sunt Clemens Alexandrinus libro primo Pedagogi capite quinto, Diuus Augustinus Epistola prima ad Bonifatium Diu. Chrisost. Homil. ij. in priorem Epistolam ad Corinth. Philo Iudæus libro de Sacrificijs Abel, & Cayn.

REQVISITA SPONSA a Regalibus in Regno Cypri, quod oraret Deum pro Rege, & Regno, Christus apparuit eidem sponsæ existenti in Hierusalem, & dat ei notabile documentum, quod scribat regi, & Patruo suo principi.

CAP. XXII.

CHRISTVS per sponsam loquitur Regi Cypri puero. 14. annorum, & patruo suo Principi, & Gubernatori Regni prædicti, dicens ad sponsam. Attende filia ad consilia, quæ debes dare isti puero Regi, & Principi patruo suo, & scribe eis illa quasi ex parte tua, dicens eis sic. Primo consulo vobis, quod quilibet vestrum cum confessore suo, &c. Require istud cap. in septimo libro, cap. 18.

NOTAE.

Ab hoc capite vsque ad trigesimum inclusiue nihil annotandum occurrit, hæc enim octo sequentia capita sparsim habentur ad verbum superioribus libris, & suis locis omnia a nobis explicata sunt.

REVELATIO SECVNDA facta in Hierusalem. Et Christus præcipit per sponsam dicto Regi Cypri, & Principi, quod statim publicaret eam toti Regno sine mora, vt se emendarent. Et quia non fecerunt, ideo in proximo destructi sunt per ianuenses terribiliter.

CAP. XXIII.

CVm sponsa staret orando in extasi contemplationis suspensa. Videbat rapta in spiritu vnum palatium, incomprehensibilis magnitudinis, & pulchritudinis indicibilis, ibi videbat Christum, vt Summum Imperatorem, inter sanctos suos in throno excelso imperiali sedere, qui suum benedictum os aperiens proferebat hæc verba, quæ inferius annotantur &c. Ego verum ipsa summa charitas. Require istud cap. in septimo libro, cap. 19.

CHRISTVS INNVIT hic per exemplum, quod Reges humiles, & prompti debent esse, ad audiendum consilia secreta amicorum Dei, etiam si non sint adornati exteriori verbosa eloquentia, quia sæpe illa, quæ apud mundanos videntur iusta, reprobata sunt apud Deum.

CAP. XXIIII.

FILIVS DEI loquitur sponsæ. Medicus quidam venit in regionem longinquam, & ignotam, in qua rex non regebat, sed regebatur, quia cor habebat leporinū, & ideo sedens in throno Regali, quasi coronatus asinus

asinus apparebat, populus vero suus vacabat comessationibus &c. Require istud capitulum in tertio libro, capit. xxxj. per totum.

IOANNES EVANGELISTA dicit sponsæ, quod Reges, qui iniustos homines diligunt. Iustos deprimunt, excessus corrigendos dissimulant, subditorum bona auferre permittunt grauamina imponunt, & Deum opere non honorant, potius sunt coram Deo predones, & proditores, quam Reges. Et dicit modum qualiter se emendent.

CAP. XXV.

APparuit sponsæ persona quædam hominis, cuius crines videbantur circuncisi cum opprobrio, & corpus perunctum erat oleo, totusq; nudatus, sed nihil erubescens. Qui ait ad sponsam. Scriptura quam vos vocatis sanctam, dicit sic. Quod nullum opus sine remuneratione erit &c. Istud capit. require in quarto libro, primo capit. per totum.

VIDEBAT SPONSA qualiter Beatus Dionysius orabat matrem Dei pro Regno Fráciæ, quæ exaudiens eum, orabat filium cum eo humiliter.

CAP. XXVI.

CVm essem orando sola vidi qualiter Beatus Dionysius loquebatur ad Mariam Virginem Matrem Domini dicens. Regina misericordiæ tu es, cui data est omnis misericordia &c. Require in quarto libro, capitulo 103.

MATER MISERICORDIAE orat Filium cum Beato Dionysio pro Regno Franciæ, & Angliæ, & super guerra istorum duorum Regum, qui assimilantur duabus bestijs ferocissimis.

CAP. XXVII.

MATER DEI loquitur ad Filium dicens. Benedictus sis tu Fili mi. Scribitur, quod ego dicebar benedicta, quæ te portaui in vtero meo. Tu vero respondisti, quod ille esset etiam benedictus, qui verba tua audiret, & seruaret ea &c. Istud cap. require in quarto libro capit. 104. per totum.

CHRISTVS DICIT SPONSAE modum per quem fiat pax inter Reges Franciæ, & Angliæ. Quod si Reges non obedierint grauissime punientur.

CAP. XXVIII.

ITEM Filius Dei loquitur. Ego sum Rex metuendus, & honorandus. Ideo propter preces Matris meæ mittam Regibus Franciæ, & Angliæ verba mea &c. Require istud capit. quarto libro, capitulo 105.

RE-

Digitized by Google

REGINA COELI DICIT per sponsam cuidam Principi suo deuoto, quod Principes iusti, & boni quando a Regibus vocantur ad regimen reipub. debent omnino acceptare illud onus regendi, propter honorem Dei, & vtilitatem multorũ.

CAP. XXIX.

DVM quidam Magnus Princeps, & iustus Regni Suetiæ. *Qui Dominus Israel vocabatur*, multis precibus ad maiorem dignitatem regiminis Regni vocaretur &c. Require in sexto libro, capit. 95.

CHRISTVS DICIT hic, quod Reges debent conari cum consilio spiritualium, & sapientum virorum iustorum, quod reparentur spiritualiter muri Hierusalem, idest, Ecclesiæ, quod reformentur omnes status laicorum, & clericorum, & religionum, in pristinum, & antiquum statum obedientiæ, & obseruantiæ mandatorum Dei, & Ecclesiæ.

CAP. XXX.

CHRISTVS loquebatur sponsæ oranti pro quodam Rege Suetiæ dicẽs. Is qui de diaboli membro factus est membrũ meum, laboret sicut illi qui reedificabant muros Hierusalem, qui pro legis &c. Require istud cap. in sexto lib. cap. 26.

VIDEBAT SPONSA in visione cadere Solem, & Lunam in abyssum, amisso splendore solito quæ significant quendam Regem, & Reginam, mutantes bonos mores in malum, propter quod Rex amisso regno captiuus mortuus est.

CAP. XXXI.

CVm starem orando. Vidi in spiritu Cœlum quasi turbulentum, & Solem, & Lunam fulgentes in serenitate clarissima, quorum lux etiam
1 vltra cęlum se extendebat. 1 Cumque attente aspicerem, vidi quod Angeli boni, & mali pugnabant contra Solem, & Lunam, sed non præualuerunt, donec draco magnus, & terribilis ascendit in Cęlo, cui Sol, & Luna dederunt potestatem, & claritatem suam. Et tunc statim sol factus est pallidus, & niger, & Luna fugit subtus terram. Cumq; aspicerem ad terram, vidi eam plenam reptilibus, & serpentibus, qui comedebant superficiem terræ, & occidebant homines caudis suis; donec sol cecidit in abyssum, & locus Lunæ non est inuentus amplius. Transactis autem post hæc vndecim annis, audiui vocem Christi dicentem mihi. Recordare sponsa, quod ostendi tibi in ciuitate Stockolmis de cęlo turbulento. Nũc autem exponam tibi, quid illa significant. Cęlum inquit quod ostendi tibi turbulentum, regnum istud Suetiæ est, nam regnũ istud, quod quasi celeste, & quietum, & iustum esse deberet, iam turbine tribulationum agitatur, & iniquitatibus, & exactionibus conculcatur. Nec mirum. Nam Rex, & Regina, qui tanquam Sol, & Luna fulgebant, iam denigrati sunt sicut carbones, quia moribus, & voluntate immutati sunt. Hominem namq; de radice viperea eleuauerunt, vt prosternant amicos, & simplices meos. Ideo scias, quod draco ipse confusus celerius descendet, quam ascendit. Et amici mei quorum quidam vita sunt Angelici, Inter quos etiam sunt aliqui tanquam mali Angeli vita sordidi, qui eleuabuntur, & liberabuntur a tribulationibus suis. Sol vero pallescet donec venerit sub coronam, qui noluit iuste stare in corona. Et dicetur de eo, quod secundum splendorem eius multiplicatæ sunt tenebræ eius.

NO-

NOTAE

1 CVmque attente aspicerem, vidi quod Angeli boni, & mali pugnabant.

Nulli dubium est hoc loco, cum de pugna bonorum, & malorum agitur Angelorum, id totum metaphorice accipiendum esse, vt ex contextu colligi potest aperte, & ex ipsa met præsentis visionis expositione, quæ paulo ante medium huius capitis habetur ibi, transactis autem &c. vbi per bonos, & malos Angelos intelliguntur, boni, & mali homines, quibus tunc temporis Regnum Suetiæ plenum erat, verum non improbabiliter dici posse crederem, per bonos Angelos propriè hic intelligendum esse Angelum deputatum ad custodiam Regni Suetiæ, de quo Regno agitur hic, vel etiam custodem Angelum Regis, ac Reginæ illius Regni, quorū interitum prænunciat in hoc capite Christus Dominus, per malos vero Angelos dæmones intelligi posse, quos cum bonis pugnare intuebatur B. Brigitta, pugnare autem dicuntur, quoniam Angelus bonus, qui Regno præerat Suetiæ, & Angelos custos Regis, & Reginæ aliud non intendebant, quam Regni salutem, conseruationem, & pacem, sed è contra dæmones dissensiones, lites, & seditiones tentabant. Regiq; & Reginæ suggerebant, vt in ea viuendi licentia persisterent, & in peccatis permanerent, & ideo sic legimus infra. Regnum istud, quod quasi cœleste, quietum, & iustum esse deberet, iam in turbine tribulationum agitatur, & iniquitatibus, & exactionibus conculcatur, nec mirum, nam Rex, & Regina, qui tanquam Sol, & Luna fulgebant, iam denigrati sunt sicut carbones, quia moribus, & voluntate immutati sunt, ex quibus euidenter patet, qualis hæc pugna fuerit, non enim facta est materialibus armis sed sola voluntate pugnatum est, ad hunc sensum reuocandum est, quod scripsit D. Ioan. Apocalips. 12. factum est prælium magnum in Cœlo Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, quod vt explicemus apertius, sciendum est, voluntatem in Lucifero, cæterisq; dæmonibus adeo fuisse debilitatam, quod inferiores Angeli mediante gratia, quam obtinuerunt ex fide, & merito Passionis Christi prætiuæ potuerunt superiores vincere, scribitur enim ibi, & vicerunt in sanguine Agni, quod adeo verum est, quod vnus tantummodo etiam minimus Angelus in gratiam confirmatus, potuisset omnes expellere, nam per gratiam consumatam naturæ Angelicæ maior collata est prælatio, & præsidentia super dæmones, quam potuerit vnquam esse naturalis prælatio Luciferi, & aliorum, quod autem huiusmodi pugna sic facta fuerit, tradit Rupertus in Apocalypsim loco supra citato, his verbis quomodo prælium gestum est, quibus, aut qualibus armis illæ acies vtuntur, & quidem in illa visione Ioannis armorum materialium quasdam similitudines videri potuisse putamus, sed Angeli siue boni, siue mali cum sint spiritus, corporali armatura non induuntur, attamen Draco ille, quod natura non habuit, maligna arte sibi assumpsit, omne scilicet genus armorum, quibus bella geruntur inter homines, at vero Michael, & Angeli eius e contra præliantes nihil de huiusmodi genere armorum, aut habuerunt, aut quæsierunt, in hanc sententiam etiam inclinat D. Thom. p. p. quæst. 113. artic. 8. qui etiam inter ipsos met bonos Angelos pugnam admittit, non quidem ex parte voluntatis eorum; quia secundum voluntatem sunt concordes, conformantur nanque penitus cum diuina voluntate, quam volunt semper impleri sed videtur aliqualis esse contrarietas ex parte meritorum eorum, pro quibus pugnare dicuntur, contingit enim quandoq; quod in diuersis Regnis, & hominibus contraria merita, & demerita sint, & vnus alteri subdatur, aut præsit, sic igitur in quantum
1 *tum de contrarijs meritis, & sibi repugnantibus, diuinam consulunt voluntatem, resistere, & pugnare dicuntur ad inuicem, nō quia contrarias habeant voluntates, quia concordant in hoc, quod diuina voluntas fiat, sed quia ea, de quibus consulunt sunt repugnantia, sic explicat illud Danielis 10. Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus, fauet etiam huic sententiæ Cardinalis Caetanus in comment. super S. Thomam loco citato, & Ioannes Viguerius in instit. Theologicis cap. 3. vbi agit de voluntate Angelica. Verb. 12. paragr. 26.*

CHRISTVS DOCET HIC Reges nouum, & deuotum modum, & formam creandi milites, cuiusdā nouæ militiæ ad impugnationem infidelium, & defensionem sanctæ fidei, & Ecclesiæ.

CAP. XXXII.

CHRISTVS loquebatur ad sponsam inter alia dicens. Attende sponsa, & scias, quod status laicorum bene erat alio tempore antiquo dispositus. Nam quidam eorum excolebant terram, & labori agrorum viriliter instabant. Alii velificabant nauibus, & mercimonia ad alias regiones deferebant, vt vnius regionis fertili-

tilitas, alterius subleuaret inopiam. Alij instabant operi manuum, & diuersarum artium. Inter istos erant quidam defensores fidei, & Ecclesiæ meæ, qui nunc dicuntur curiales, seu armigeri. Qui assumpserunt sibi arma, ad vltionem Ecclesiæ sanctæ, & fidei, & expugnationem inimicorum eius. In istis curialibus apparuit quidam bonus homo, & amicus meus, qui cogitabat apud se sic. *Ego* inquit non excolo terram, vt agricultor. *Non* desudo in fluctibus maris, vt mercator, & non insisto operi manuum, vt operator egregius. Quid ergo faciam? Aut quibus operibus placabo Deum meum? *Sed* nec virilis sum in labore Ecclesiæ. Corpus meum debile est, & molle ad patiendum vulnera. *Manus* remissa ad feriendum inimicos. *Mens* fastidiosa ad cogitanda cælestia. *Quid* ergo faciendum est mihi? Certe scio quid faciam. Surgam ergo, & obligabo me cum iuramento stabili, sub temporali principe, quod defensurus sim viribus, & sanguine meo fidem Sanctæ Ecclesiæ. Veniens autem ille amicus meus ad Principem, seu Regem ait. *Domine*, ego sum de defensoribus *Ecclesiæ*. Corpus meum nimis molle est ad patiendum vulnera. Manus remissa ad feriendum. Mens instabilis ad cogitandum bona, & laborandum. Voluntas mihi placet propria. *Requies* non finit me fortiter pro domo Dei stare. Ideo constringo me cum iuramento publico, sub obedientia Sanctæ Ecclesiæ, & tua o Princeps, quod eam defensurus sim omnibus diebus vitæ meæ. Vt si forte tepida mens, & voluntas fuerit ad certandum propter iuramentum teneor, & compelli possim ad laborandum. Cui respondit Princeps. Vadam tecum ad domum Domini & ero testis iuramenti tui, & promissionis tuæ. Venientes ambo ad altare meum. Amicus meus flexo genu ante altare meũ, dixit. *Ego* nimis infirmus sum in carne mea ad patiendum vulnera. Voluntas propria, nimis est mihi chara. *Manus* tepida ad feriendum. *Ideo* in præsenti promitto obedientiam *Deo*, & tibi qui caput es, cũ iuramento meo firmiter astringens me, sanctam Ecclesiam contra inimicos eius defensurum. Amicos *Dei* confortaturum. Viduis, & orphanis, & fidelibus *Dei*, bene facturũ. Contra Ecclesiam Dei, & fidem eius, nunquam aliquod contrarium acturum. Et insuper obligo me correctioni tuæ si errare me contingat, ad hoc vt obligatus ad obedientiam, tanto magis cauere possim peccata, & voluntatem propriam, & tanto feruẽtius, & facilius insistere voluntati *Dei*, & tuæ. Sciamq; tanto mihi est damnabilius cæteris, & contemptibilius, si violata obedientia mandatis tuis contrariæ præsumpsero. Facta autẽ ista professione ad altare meum Princeps sapienter cõsiderans, disposuit sibi habitũ ab alijs sæcularibus distinctum, in signum abdicationis propriæ voluntatis, & vt sciret se superiorem habere, & debere ei obtemperare. *Dedit* etiam princeps in manu eius gladium, dicens. Hoc gladio inimicos *Dei* comminues, & interficies. Dedit, & in brachium eius clypeum dicens. *Hoc* clypeo defendas te cõtra inimicorum iacula, & patiẽter tolera illata, vt prius crepat clypeus quam fugias, clerico meo, qui præsens erat, firmiter seruaturum se promisit. *Qui* clericus facta promissione dedit ei corpus meum in robur, & fortitudinem, vt amicus meus per corpus meum mihi vnitus, nunquam a me separaretur. Talis fuit amicus meus Georg. & plures alij. *Tales*, & deberent esse milites, qui nomen deberent habere propter dignitatem, habitum propter operationem, & defensionem fidei Sanctæ. Audi nunc sponsa, quid inimici mei faciunt, contra ea quæ amici mei prius fecerunt. Milites quippe, qui mea portabant arma, erant parati dare vitam pro iustitia, & effundere sanguinem suum propter fidem sanctam. Indigentes promouendo ad iustitiam, malosq; deprimere, & humiliare. *Sed* nunc audi, quomodo auersi sunt placet quippe nunc eis magis, mori in bello pro superbia, & cupiditate, & inuidia, iuxta diabolicas suggestiones, quam secundum mandata mea viuere, ad obtinendum gaudium sempiternum. Ergo omnes milites, qui in tali voluntate moriuntur, dabitur eis stipendium a iudicio diuinæ iustitiæ, scilicet animabus eorum, in æterna diaboli coniunctione. *Hi* vero, qui mihi seruiunt, tenentur habere stipendium cum cælesti exercitu, sine fine. Hæc verba, Ego Iesus Christus locutus sum, verus *Deus*, & homo, vnus cum *Patre*, & *Spiritu Sancto* semper *Deus*.

NOTAE.

1 *PRæsens caput fere totum ad verbum habetur supra libro secundo cap. 7. vbi plura annotauimus, quæ ad eius cognitionem facere videbantur.*

Verba

VERBA CHRISTI AD sponsam de occursu dæmonum ad animam militis, qui apostauerat a vera militia virtuosa, & sancta, & militabat mundo. & vitijs, & de eius terribili iudicio damnationis.

CAP. XXXIII.

OMNE tempus huius vitæ, non est nisi quasi vna hora apud me. Ideo quod dico tibi, nunc semper fuit in præscientia mea. Dixi tibi prius, quod vnus erat qui incepit veram militiam &c. Istud capit. Require in secundo libro capite nono.

CHRISTVS IMPERATOR ad preces Ioannis Baptistæ, & Virginis Mariæ, concedit quod armetur vnus miles eorum deuotus spiritualiter, quem ipsi Petrus, & Paulus Apostoli, armant splendide, preciosis armis spiritualibus virtutum hic contentis, notabile documentum pro militibus.

CAP. XXXIIII.

CHRISTVS loquebatur sponsæ dicens. Tu in grammatica tua composuisti hodie prouerbium, quod melius esset præuenire, quam præueniri. Sic ego præueni te dulcedine gratiæ meæ, ne diabolus dominaretur animæ tuæ. Et statim apparens Ioannes Baptista dixit. Benedictus sis tu Deus, qui es ante omnia, cum quo nullus vnquam fuit Deus, & præter quem nullus, & post quem nullus erit, quia tu eras, & es æternaliter vnus Deus, &c. Residuum istius capituli. Require in quarto libro cap. septuagesimoquarto per totum.

CHRISTVS NARRAT beneficia, quæ fecit, & facit militibus, & conqueritur de ipsorum ingratitudine. Et docet Reges vnam nouam formam sibi gratam procreandi milites, ad defensionem, & ampliationem fidei, & Sanctæ Ecclesiæ.

CAP. XXXV.

EGO SVM CVM Patre, & Spiritu Sancto vnus Deus. Require istum capitulum in secundo libro, capitulo octauo per totum.

CHRISTVS VERVS Imperator, & Rex, benigne, & humiliter, vt pater, & frater, & Dominus, monet milites, quod reuertantur ad eum, narrando pœnas quas passus est pro eis, & promittendo illis in stipendium si reuertantur vere premia gloriosa cęlestia.

CAP. XXXVI.

EGO SVM VERVS Rex, & nullus est dignus vocari Rex nisi ego, quia a me est omnis potestas &c. Istud cap. Require in secundo libro cap. 12.

CHRI-

CHRISTVS OSTENDIT hic, quam Gloriose, boni, & iusti milites recipiuntur ad cœlestem gloriam, per exemplum vnius animæ boni militis defuncti, cui occurrebant Angeli cum iubilo, & tota Trinitas cum gaudio mirifico.

CAP. XXXVII.

IMperator Christus loquitur ad sponsam dicens. Dixi tibi prius de fine, & pœna militis, qui primo recessit a militia mihi professa, &c. Residuum huius capituli. Require in secundo libro capit. vndecimo.

CHRISTVS PRAECIPIT Regibus, quod extirpent de Regno Phitones, sortilegos, & diuinatores, qui arte diabolica decipiunt animas, & homagiant se diabolo, propter lucra temporalia.

CAP. XXXVIII.

MIles quidam de Regno Suetiæ, consuluit phitonem, vtrum homines illius Regni deberent rebellare contra Regem, vel non &c. Require istud capitulum in sexto libro libro, cap. 82.

CHRISTVS DICIT HIC Regibus, quod qui volunt passagium facere, & guerram contra paganos, debent hoc facere intentione recta, scilicet propter charitatem Dei, & animarum salutem. corrigendo se prius, & reformando Regnum suum.

CAP. XXXIX.

REX quidam Suetiæ rogauit sponsam Christi, quod consuleret Deum, si placeret ei, quod iret in exercitu contra paganos. Quia habebat hoc in voto. Super quo sponsa orante, apparuit ei Christus dicens. Si Rex exire voluerit ad paganos, consulo non præcipio. Et consulo ei duo. Primo quod habeat cor bonum, & corpus aptum. Cor se licet bonum, vt nulla sit intentio alia exeundi, nisi propter charitatem Dei, & salutem animarum. Corpus vero aptum, vt scilicet rationabilis sit in ieiunio, & labore. Secundo laboret, quod vassallos, & milites habeat voluntarios, & correctos. Ideo circumeat primo regnum suum, inquirendo quomodo iustitia seruata est. Qualiter, & per quos facta sunt iudicia, & regimina quia qui alios conatur mittere in cęlum, necesse est, vt incipiat a seipso corrigendo errores proprios, & post hoc subditos admonendo, & corripiendo, & virtuosis exemplis incitando.

CHRISTVS DICIT quod Reges procedere volentes contra infideles, primo admoneant eos, quod conuertantur cum benignitate, & pace, quod si renuerint infideles, tunc zelus, & manus sunt exercendi contra eos.

CAP. XL.

CHRISTVS loquebatur sponsæ dicens. Dicitur, quod nemo inuitus compelli debet ad Regnum Cœlorum. Respondeo, quod vbi flores boni impediuntur a zizania, nunquid non est melius, quod succidantur zizaniæ, ne flores ascendentes impediantur? Propterea, qui vadunt ad terras infidelium, offerant primo eis pacem, & fidem, & libertatem. Et si infideles non recipiunt consilia eorum, &
1 admonitiones. 1 Tunc zelus, & manus sunt coercendi. Omnes enim, qui pro charitate mortui fuerint, ego Deus ipsa charitas, reddam eis centuplum. Et etiam ipsi infideles ad minora supplicia peruenient, quam si diutius viuerent, & in pace morerentur, quia si amplius viuerent, amplius peccarent. Tantum enim bonum est charitas, quod nec minima cogitatio erit sine remuneratione, quanto magis opus bonum.

NOTAE.

1 TVnc zelus, & manus sunt coercendi.

Locus iste corruptus est, & pluribus erroribus refertus, nam in argumento capitis legitur exercendi, non coercendi, sic etiam habet M. S. Farnesianus, & sic videtur legendum: nam sermo fit hoc loco de his infidelibus, qui loca sancta, & Christianorum terras occupabant, contra quos Rex iste, de quo Christus Dominus in præsenti capite verba facit, bellum gerebat, & dicit, quod antequam contra eos arma moueat, pacem prius offerat, & sciscitetur ab eis, velint ne absque armis, & sanguinis effusione manus dare, seque eius potestati, vltro, citroque tradere, quod si renuerint, tunc in eos irruat, & hoc est, quod etiam capite quadragesimosecundo scribitur, quod Rex iste prius misericordiæ vexillum erigat offerendo pacem, quam si recipere noluerint, erigat postea vexillum iustitiæ.

COLLOCVTIO INTER DEVM & sponsam, de rege, & iure hæreditario Regis in Regno, & Rex vtrū possit aliqua alienare pertinentia ad coronam, & quæ, et qualiter possit alienata repetere, et rehabere.

CAP. XLI.

LOquebatur sponsa ad Christum orando pro Regno Sueciæ inter alia dicens. O Domine, inquit, ne indigneris si quæro. Audiui ex scriptura, quod nihil acquirendum est cum iniustitia, nec tenendum est aliquid acquisitum contra iustitiam, &c. Require istud capitulum in quarto libro, capite tertio.

CHRISTVS PER EXEMPLVM cōqueritur grauiter de Christianis, et ideo conuertens se ad infideles, et paganos, præcipit seruis, et amicis suis, quod vadant ad conuertendum eos, cum charitate beneuola, et verbis dulcibus hic contentis.

CAP. XLII.

CHRISTVS loquebatur sponsæ dicens. Ego sum similis Regi, qui stabat in campo, ad cuius dexteram stabant amici, & ad sinistram inimici &c. Istud capitulum, require in secundo libro, capitulo sexto.

CHRI-

CHRISTVS INSTRVIT Reges, quod quando vadunt contra paganos, habeant duo vexilla, scilicet passionis, & iustitiæ Dei. Et quod deferant secum Clericos, & Religiosos diuersorum ordinum, litteratos, & virtuosos, & deuotos.

CAP. XLIII.

Filius Dei loquitur sponsæ dicens. 1 Rex,
1 qui lucra animarum quærit, & ad paganos egredi voluerit, habeat duo vexilla. In primo vexillo depicta sit passio mea, quæ notat misericordiam, in secundo gladius iustitiæ meæ. Veniens igitur Rex ad paganos erigat primo primum vexillum misericordiæ, offerendo pacem eis. Qui si recipere noluerint erigat postea vexillum iustitiæ. Et confidens de bonitate mea, non timeat multitudinem inimicorum. Nec retrocedat ex pusillanimitate, nec audiat vocem dicentium, reuertamur quid vltra est laborandum? Si enim Rex stabiliter timuerit procedere, non attentet, nec incipiat bonum. Quia melius est non assumere ardua, quam inchoata non prosequi cum charitate. Assumat etiam Rex secum clericos probatæ vitæ, & Religiosos diuersorum ordinum, qui veraciter mundum contemnunt. Quia multi sunt in paganismo, & inter gentiles, qui præferunt sectas suas, quibus sapienter est respondendum. Clerici etiam instruãt populum, admoneant ne propter cupiditatem incurrant anathema, ne propter murmurationem, & vitam incontinentem moriantur.

NOTAE.

1 Rex, qui lucra animarum, quærit, & ad paganos egredi voluerit, habeat duo vexilla in primo vexillo depicta sit passio mea.

Vexillum nullum potest reperiri præstantius Saluatoris nostri cruce, dignum sanè, quod Militaribus signis inseruiat, est enim crux armatura contra hostes, inuicta galea custodiens caput, lorica protegens pectus, Clypeus ab inimicorum telis defendens, gladius nullo pacto propinquare sinens offendere volentem, & vt rem paucis comprehendam, nostræ salutis causa, & origo, & victoria contra Tirannum. merito ergo Christus hoc loco pracipit Regi contra paganos bellum gerere volenti, vt tale vexillum in exercitu suo erigat. Crucis namque insignia, propria sunt vexilla militum, teste Hieronymo Epistola 7. ad latam, hoc quoq; vexillum Constantinus Magnus cum Maxentio pugnaturus erexit, eumq; in hoc signo vicit iussitq; labarum Romanorum antiquum vexillum, quod in exercitu Imperatorem præcedebat, & a militibus adorari solebat, in formam crucis redigi, vt eo deinceps vterentur exercitus Duces, quod eo consilio fecit, vt eum solum verum Deum esse arbitrarentur, quem Imperator, Ducesq; exercitus colentes propugnatorem aduersus hostes adhiberent, vtq; milites crucem adorare addiscerẽt, sic habet Sozomenus li. 1. ca. 4. Nicephorus li. 7. ca. 37. D. Greg. Nazãz. orat. 1. in Iulianũ, & Latius Prudẽtius his versibus cõtra Symachũ indicat

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum: Clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat Summis Crux addita cristis.

Porro Constantinus, hoc salutari signo veluti contra hostes inuicto propugnaculo semper est vsus, vt annotauit Eusebius de vita Constantini cap. 25. libro 1. & libro 2. de vita eiusdem cap 7. & 8. affirmat eundem Constantinum quinquaginta in Exercitu delegisse, vt crucem deferent, & qua parte crucis vexillum visum erat, hostes fugam arripiebant, qui vero illud gestabat illæsus euadebat signo crucis tela excipiente, sic Sozomenus lib. 2. capit 4. neq; solum crucis vexillum in militaribus signis insertum est, verum & in ipsorum militum armis sculptum, vt idem Eusebius in Constantino, lib. 4. cap. 21. indicauit, & cõstat ex quadam Epistola Constantini ad soporem relatam a Cassio oro li. 3. tripart. ca. 4. & ex recentioribus tradit Lypsius lib. 3. de cruce cap. 16. Cæterum qualis fuerit labari forma, tradunt citati doctores meminit Tertullianus in Apolog. cap. 16. Iustinus Apolog. 2. Pierius Valerianus de signis Hieroglipbicis lib. 50. & Primasius lib. 4. in Apocalips. quem citat Cardinalis Bellarminus tomo 1. controuersiarum lib. 2. de imaginibus Sanctorum capit. 27. vbi agens de vera cruce Domini plura, quæ ad hanc rem faciunt congerit.

CHRISTVS REPREHENDIT quendam Regem, quia cum immoderata multitudine gentium, ibat cõtra infideles, non habita prius matura prouidentia futurorum euenientium. Et post reprehendit illos, qui victorias præliorum attribuunt sibi, & non Deo.

CAP. XLIIII.

Loquebatur Christus ad sponsam de quodam Rege Suetiæ, dicens. Dixi tibi prius, quod puer est iste Rex, &c. Hoc capitulum habetur in sexto libro cap. 41.

MATER DEI CONSVLIT regi eunti contra paganos, quod habeat numerum gentium præfinitum, & quod non confidat de promissionibus diuinitus sibi factis, si ipse non seruauerit quæ promiserat Deo.

CAP. XLV.

Mater Dei loquebatur sponsę dicẽs. Si Rex exiuerit cõtra paganos habeat numerum populi prefinitũ, quia ego scio egressum, & regressum eius, & quod multi vadunt, qui non minus erunt rebelles Deo, quam illi, qui cum Moyse egressi sunt. Sed sicut Moyses non introduxit populum in terrã promissam propter eorum ingratitudinem, sic illi, qui nondum nati sunt perficient velle Dei. Nec confidat Rex quia dixi eum filium meum, & quod nunquam separare me vellem ab eo, quia si ipse seruauerit promissum suum mihi, seruabo & ego promissum meum sibi. Sed si ipse contempserit me, timeat ne contemnatur.

VIRGO MARIA PRAECIPIT per sponsam cuidam Episcopo eunti cum Rege ad guerram contra Infideles, quod quando aliqua patria infidelium acquisita fuerit, instituat statim Ecclesiam Cathedralem, vbi Christiani spiritualiter consolentur.

CAP. XLVI.

Regina Coeli loquebatur sponsæ dicens. Sanctus Sigfridus Archiepiscopus exiuit de Anglia, & fecit voluntatem Dei in Regno Suetiæ. Sic iste Episcopus pro quo tu oras, qui vadit cum Rege contra infideles cum venerit ad paganos, & fuerint aliquæ terræ ipsorum acquisitæ per Christianos, constituat primo Ecclesiam cathedralem, in aliquo loco honesto, & congruo, ut tanquam ad matrem possint Christiani pro necessitatibus animæ ad eam habere refugium, & inde catholice refici, & spiritualiter consolari. Et si non potest Episcopus, nisi vnum, vel duos clericos ibi instituere, & sustentare secum, contentus sit, quia filius meus potens est augere dona sua, & Episcopatum dilatare. Si vero ipse, vel alii amici mei moriantur, antequam perficiantur verba ista, tunc voluntas bona reputabitur eis pro opere, & mercedem habebunt inde. Et ideo nullus confidat de longa vita, sed vnusquisque expectet velle Dei patienter.

MATER DEI NARRAT quomodo ipsa est vas repletum, & replens gratia, & reprehendit quendam ingratum Regem Suetiæ, qui nolens in guerra sua obedire consilijs Dei, & spiritualium virorum contra Dei voluntatem retrocessit de guerra infidelium, consilio mundanorum hominum, cum confusione sua, & regni dispendio.

CAP. XLVII.

REGINA Cœli apparuit sponsæ dicens ei. Audi tu quæ spiritualia vides, & veni mecum in Spiritus sancti collocutionem. Ego sum vas repletum, & repletiuum. Sicut enim vas stans subtus torrentem repletur aqua, & sicut aqua effluit, tamen vas semper est repletum, de torrentis decursu, sic anima mea, quando creata fuit, & coniuncta corpori, replebatur ex decursu torrentis, scilicet Spiritus sancti, quo nunquam postea euacuata est. Propterea quicunque venerit ad me cum humilitate, & mundo corde, habebit auxilium de Spiritu sancto. Itaque bene possum vocari vas repletum. Quia cum essem in mundo, in decursu torrentis eius, filius Dei venit ad corpus meum, & sumpta de me carne, & sanguine, moratus est in me, donec natus est de me, ea natiuitate qua nasci decuit Filium Dei. Natus ergo, & veniens in manus meas, Angeli gauisi sunt, & nunciauerunt pacem in terris. Post hæc autem filius meus cecidit grauiter in pœnam mortis, quando cutis eius rumpebatur a flagellis, ossa constringebantur a clauis, & quando cor crepuit mortuis omnibus membris. Itaque iste casus mortis iam magnus fuit, quod ex eo minuebatur potestas diaboli, & portæ Cœli aperiebantur. Ego passionem filij mei comparo tonitruo, cuius aduentus prius auditur a longe, postquam sonus venit; sic passio filij mei, diu ante nunciabatur per ora prophetarum antequam venit. Postquam vero Filius meus mortuus est, tunc maximus fragor, & sonus factus est, qui diu post passionem eius audiebatur, & prædicabatur, & pro ea multi gaudenter dederunt vitam suam. Nunc autem filius meus sic oblitus, & neglectus est, quod quidam ducunt mortem eius pro nihilo. Alij dicunt se nescire vtrum fuerit, vel non, alij sciunt, sed non curant, pauci vero sunt, qui mortem eius recordantur cum charitate. Itaque vt passio filij mei reduceretur ad memoriam, ideo verba Dei tibi diuinitus data, venerunt in mundum, propterea, & tu missa es ad Regem istum Suetiæ, qui irretitus multis peccatorum laqueis, postquam separatus fuit a diabolo, suscepi eum mihi in filium, desiderans eum facere pugnatorem egregium ad honorem Dei. Quod videns diabolus, inuidit ei.
1 1 Sicut quondam Moysi proiecto in aquam, cuius fiscellam Deus direxit ad terram. Qui postea licet adustus fuerit in lingua, tamen loquebatur, quæ voluit Deus, & fugiens ex timore de Aegypto, redijt ex diuina prouidentia ad Pharaonem. Similiter modo fecit Regi diabolus, iactauit enim in cor eius procellam quandam, vt congregata multitudine hominum a guerra retrocederet, præ paupertate, & fame. Et ideo constituebatur ei certus numerus personarum. Item Rex suggerente diabolo cogitauit sic. Amici inquit Dei non habent scientiam pugnandi, ideo inquiram homines doctos ad pugnam. Cui postea diabolus misit multos de suis, quorum consilio regeretur. Propterea ostensum erat Regi, quorum consilijs obediret. Consultum etiam fuit Regi, quod Clerici, & Religiosi viri, approbatæ vitæ, sequerentur eum. Et hoc factum fuit ex prouidentia Spiritus sancti, contra astutiam diaboli. Ipse quippe bene scit, quod non est longum tempus, quo Deus ostendere velit, quomodo sua pugna aggredienda est. Scit etiam diabolus multos in paganismo esse, qui se magnos in sua secta reputant, nec ignorat, quod multi sunt, qui desiderant scire fidem sanctam catholicam, propterea desiderat diabolus vt tempore gratiæ adueniente, illi mitterentur ad paganos, qui essent idiotæ, & pleni auaritia. Ergo amici Dei, Clerici, & Religiosi parati esse debent cum spirituali sapientia, paganis venientibus cum sua secta, respondere. Multa etiam alia dicta sunt tibi, quæ non statim perficientur, sed verba custodiri debent ad tempus præfinitum. Nam plurima ostendit Deus Moysi, quæ non completa sunt vna hora. Sic & Dauid longo tempore ostensus fuit Rex, antequam peruenit ad potestatem, & ideo amici Dei expectent patienter, & non

attedientur in operando. Diximus etiam
quod fratres Ordinis Dominici, & Fran-
cisci, & Bernardite exirent cum rege ad
paganos, quia illi tres ordines ad paganis-
mum primo sunt vocandi, quia monaste-
ria per illos inchoari debent, qui veraci-
ter contemnunt mundum, & qui non ha-
bent aliam voluntatem, nisi honorare
Deum, & eius amicitiam inuenire. Ve-
rum quidam de dictis fratribus cogitant
sic. Vbi inquiunt est populus, cui præ-
dicandum est? vbi loca sunt ædificanda?
Similiter dixit Israel Moysi. 2 Vbi inquit
est terra promissa?, melius enim fuisset
sedisse in Aegypto, super ollas carnium,
quam in deserto periclitari fame, & tribu-
latione. Attamen peruenit Israel tempo-
re placito in terram promissam, licet ali-
qui murmurabant. Ergo Rex habeat se-
cum semper clericos deuotos, & tales qui
sequantur eum voluntarie ex diuina cha-
ritate. Et caueat habere clericos cupi-
dos, sicut aues rapaces. Sed audi iam,
quid ego Mater misericordiæ dictura sum.
Ille Rex quem ego prius vocaui filium
meum, nunc iam factus est filius inobedien-
tiæ. Cui existenti puero custodiebantur
duo regna. Qui cum ad annos discretio-
nis venisset, regebat iniuste, & omnia age-
bat sine discretione. Attamen Deus pa-
tienter semper agens cum eo, etiam spiri-
tualia bona fecit cum eo, quando charita-
tem cordis sui vertit ad Deum. Insuper
tria reduco ei ad memoriam, quæ Deus fe-
cit ei, sæpe enim contingit, quod infans in
vtero matris ita fortiter cum matre liga-
tus est, quod nullo modo separare se potest
ab eo. Quod obstetrix prudens perpen-
dens, cogitat secum dicens. Si infans vl-
terius morabitur in vtero matris, morien-
tur ambo, si vero separabuntur ab inui-
cem mortua quidem Matre, viuere potest
infans, & sic obstetrix procedens, separat
infantem a matre. Simili modo Rex iste
alligatus erat Matri suæ scilicet mundo,
qui si diutius in eo stetisset, vtique mor-
tuus fuisset ad pœnam inferni. Ego vero
Regina Cœli iui ad Regem separans eum
2 ab amore mundi. 2 Per gressum autem,
quo iui ad regem intelligo introitum Spiri-
tus sancti in cor eius, quia vbicunque in-
greditur spiritus Dei ibi intrat pater, &
3 Filius cum Patre, & Spiritu, 3 Et sicut
impossibile est, quod tres personæ in tri-
nitate separari possint, sic impossibile est
stante lege currente, quod ego quæ sum
Mater Dei separari possim a Deo. Ego
quippe habui filium Dei in me, cum dei-
4 tate, & humanitate. 4 Ideo Deus Pa-
ter habet me in deitate sua, & est vinculum
dilectionis nostræ spiritus sanctus, ille qui
est in Patre, & Filio, & ipse est in me, &
nunquam possumus separari. Isto ergo
modo, quando ego iui ad Regem, Deus
dedit cordi eius contritionem, & oculis e-
ius lacrymas spirituales, quæ nullus obti-
nere potest, nisi ex diuina gratia eius.
Secundo, reduco Regi ad memoriam qua-
lis gratia facta est in Regno eius. Nam
filius meus, qui sedet in summo throno ma-
iestatis excelsæ, loquitur frequenter tibi,
quæ es nata de regno eius, & hanc gratiã
ego promerui regi, vt faceret honorem Deo
& fructum animæ suæ. Cui etiam per te
ostendi, quomodo regnum suum regeret
sapienter, & populum sui regni charitati-
ue diligeret, & qualiter vitam suam gu-
1 bernaret corporaliter, & spiritualiter ad
honorem Dei. Tertio reduco ei ad memo-
riam quomodo electus est, vt fidem san-
ctam catholicam deferret si vellet ad paga-
nismum. Sed audi nunc, quid fecit iste
Rex. Ego enim Mater misericordiæ vo-
caui istum Regem filium meum nouum,
& ideo nouum, quia nouiter venerat ad
obedientiam sanctam. Cui promisi per
te, quod vellem esse domina, & defensa-
trix exercitus sui, & regni sui, & quod sta-
rem ante eum in terra inimicorum eius.
Et ita factum est, nam pax erat in terra sua
ex diuina prouidentia, propter preces
meas. Et ante ipsum fui in terra inimi-
corum eius, quando maiores inimicos
eius, congregaui in vnum locum terræ,
quos ei traditura eram. Paruo igitur
tempore elapso, accesserunt ad regem i-
stum instrumenta diaboli, plena corde
malo, & maligno spiritu, qui confidebant
in manibus hominum, plus quam in auxi-
lio creatoris, quorum cupiditas maior fuit
ad possessiones terrenas, quam ad adiuuan-
dum animas, quorum linguas ille excita-
uit ad loquendum, qui mouit linguam Iu-
dæ ad vendendum Creatorem suum.
Quorum dentes eleuabantur digitis dia-
boli, quorum frigida labia perlinita fue-
runt veneno diaboli. Propterea diuina
charitas non sapuit eis, sed expuentes
verba veritatis, falsitatem in ore habue-
runt. Quorum malignis consilijs obe-
diens rex, cucurrit, & dilatauit de ma-
nibus meis, congregatos inimicos meos
resistentes fidei sanctæ. Et tunc ego va-
cuo sinu remansi sola. Ipse quoque rex
fecit discurrere lupos assignans Agnos
in manu serpentum, qui parati sunt di-
ripere oues, & maior nunc veneno mali-
tiæ sunt impleti. Talia enim processe-
runt de dolosis suggestionibus diaboli,
quia contemptis consilijs amicorum Dei,
Rex

Digitized by Google

Rex obediuit consilijs carnalium hominum. Et non attendens fortitudinem Dei, nec cogitans consilium meum, rediјt sine aliquo fructu, & grauauit communitatem, & populum regni sui, factus inobediens Deo, & hominibus, & violator promissionis malitiæ suæ. Sed sicut Mater faciliter placari solet filio petenti misericordiam sic ego dico nunc ei. Fili conuertere ad me, & ego reuertar ad te surge de casu tuo secundum consilia amicorum Dei. Hæc igitur est vltima littera, quam ego mittam ei.

NOTAE.

1 Sicut quondam Moysi proiecto in aquã, cuius fiscellam Deus direxit ad terram.

Ad horum verborum intelligentiam in memoriam reuocandum est, quod Exodi cap. 1. legimus Pharaonem iussisse in flumen proijci pueros, quoniam viderat Hebræorum populum, & numero, & viribus factum esse potentem, eumq; suspicaretur, ne contra Aegyptios arma caperent, eosque expugnarent, impiam, & Tyranno dignam legem tulit, vt quicquid masculini sexus nasceretur in flumen proijcerent, fœminas vero seruarent: eoque magis ad hoc statuendum motus est, quo a falso quodam Propheta acceperat, teste Iosepho lib. 2. Antiquitatum cap. 5. & Sozomeno tomo primo Anal. tunc temporis ex hebræis venturum esse quempiam, qui Aegyptiorum Regnum expoliaret, eiq; ruinam inferret. Proijcitur ergo in flumen, Moses iuxta Pharaonis decretum, & quãdo probabiliter perire debebat, tunc euasit incolumis, & ab ipsa met Pharaonis filia, singulari Dei prouidentia in filium adoptatus est, & idcirco scribitur hic, cuius fiscellam Deus direxit ad terram, positus namq; fuit Moses a Matre in Fiscella, hoc est in vase quodã rotundo, ad modũ fiscellæ de iuncis, & viminibus compacto, & bitumine linito, ne ingrederetur aqua, vtq; super Aquam fluitaret, sicut annotarunt Rabanus, & Liranus Exod. 2. post hæc ex aquis iussu filiæ Pharaonis extractus, et nutritus postmodum Israeliticum populum a Pharaonis seruitute liberauit, vt ei præceperat Dominus, quanquam huiusmodi onus subire recusasset, quod esset impeditioris, ac tardioris linguæ, vt Exod. 4. scribitur. Adducit autem Beatiss. Virgo in præsenti capite Mosis exemplum, vt Regem de quo hoc loco agitur reprehendat, ipse namque de diuina prouidentia diffidens, bellum quod contra Paganos susceperat dimisit, & negligens Dei obtẽperare mãdatis, impiorum hominum consilijs acquieuit.

2 Per gressum autem quo iui ad Regem intelligo introitum Spiritus sãcti in cor eius, quia vbicunque ingreditur spiritus Dei, ibi intrat Pater.

Quomodo vna persona diuina dicatur esse in alia tradidimus supra libro primo Reuelat. cap. 42. nota tertia, & lib. 2. cap. 15. nota 1.

3 Et sicut impossibile est, quod tres personæ in Trinitate separari possint, sic impossibile est, stante lege currente, quod ego quæ sum Mater Dei separari possim a Deo.

Animaduertendum hoc loco agi de impossibilitate non absoluta, sed ex suppositione, supposita nimirum prædestinatione, & confirmatione in gratia, & gloria, per quæ Sancti in Patria sic confirmati nequamquam a Deo separari possunt, & in hoc sensu accipiendum est, quod scribitur hic, impossibile esse, quod Maria a Deo separetur.

4 Ideo Deus Pater habet me in deitate sua, & est vinculum dilectionis nostræ Spiritus sanctus, ille qui est in Patre, & Filio; & ipse est in me.

Hunc textum pluribus erroribus esse refertum ex antecedentibus, & sequentibus verbis admodum aperte colligi potest, non enim verba præsentis notæ cohærere videntur cum antecedẽtibus, nec etiam sequentibus, verum vt sensus ex his elici possit, duplex vnio concipienda est, altera qua in Trinitate personæ diuinæ dicuntur vnum ob vnius, eiusdemq; naturæ vnitatem, in quo sensu Christus Dominus Ioan. 17. Patrem alloquens dixit. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos, quo loco, vt egregie annotauit Gloss. ordin. non scribitur, vt sint vnum nobiscum, aut vt simus vnum ipsi, & nos, sicut & nos vnum sumus, quia creaturæ non sunt vnius naturæ cum Deo sicut filius, vt Deus est, vnius est naturæ cum Patre, & propterea alia vnio ponenda est, quæ fit per charitatem, voluntatem, consensum, concordiam, fidem, quibus homines Deo, & inter se etiam arctissimo vinculo vniuntur; petijt ergo Christus illis verbis a Patre, vt daret fidelibus summam vnionem, nõ quidem eam, qua ipse erat vnum cum eo respectu diuinæ naturæ, non enim inter homines hæc potest vnitas inueniri, quæ est inter Patrem, & Filium, inter quos, vt est omnimoda naturæ, & essentiæ vnitas, ita voluntatis, & sententiæ, sed inter homines tantummodo identitas est specifica, non autem indiuidualis, & proinde dicendum, quod Christus a Patre quæsiuit, pro hominibus eam vnionem, quæ est per charitatem, fidem, & cætera, sic enim tradiderunt in locum citatum Ioan. Cyrillus, Theodoretus, Heracleotes, Theophilatus, & Eutimius, Ambros. libro quarto de fide cap. 2. Aug. serm. 31. de verbis Domini, & ita dicendum est ibi ea verba, vt sint vnum sicut & nos sumus, non denotare similitudinem vnionis omnimodam, & æqualitatem importare, sed aliqualem,

qualem, & quandam imitationem longinquam, vt exposuerunt Liranus ibidem, & Iansenius in concordantia 4. p. cap. 136. pari ratione in proposito nobis dicendum est, cum scribitur hoc loco, Patrem habere in sua Deitate Mariam, & Spiritum Sanctum esse vinculum dilectionis Mariæ, & eundem spiritum, qui est in Patre, & Filio esse in Maria, hæc intelligenda esse de vnione, & vnitate per charitatem, gratiam, dilectionem, eo modo quo paulo supra a nobis dictum est creaturas vnum esse, non de vnione qua affirmauimus diuinas personas esse vnum respectu diuinæ naturæ, quæ vna, eademq; in tribus personis est, & quoniam hæc vnitas Mariæ cum Deo summa est, & tanta, quanta in pura creatura concipi, ac inueniri potest, ideo mirum non est si hoc loco legitur Mariam a Patre in deitate haberi, & Spiritum sanctum huius dilectionis esse vinculum, & Spiritum sanctum, qui est in Patre esse in Maria.

MATER DEI DECLARAT sponsæ, quare verba Dei ita obscure proferuntur, quod diuersimode interpretari possunt, & quandoque aliter a Deo, & aliter ab hominibus intelliguntur. Et qualiter tota Trinitas ostendit se sponsæ mirabiliter sub forma pulpiti, & libri aurei, & trium radiorum trium colorum, declarans visionem sponsæ notabiliter, de proprietate, & essentia Trinitatis & libri vitæ. Et qualiter videbat sponsa ante diuinũ Tribunal iudicis, iudicium mirabile trium animarum Regum, quorum vnus erat viuens, & alter ad infernum, tertius vero ad purgatorium damnabatur. Et sunt hic multa notabilia de laudabili iustitia, & misericordia Dei.

CAP. XLVIII.

MATER DEI loquitur ad sponsam dicens. *Filia dixi tibi prius, quod illa esset vltima littera mea mittenda illi regi amico.* Quod intelligendum est de his, quæ tangunt personam eius singularem, atque meam. Si enim aliquis sedens audiret aliquod vtile decantari, quod pertineret ad amicum, vt referret eidem, siue esset illud cantilena letitiæ, siue littera reprehensionis salutaris, vterque esset dignus remuneratione, scilicet, & qui dictabat, & qui decantabat. Sic etiam iustitia *Dei* iudicans in equitate, & iustificans in misericordia, decantare vult iustitiam, & misericordiam, ergo quicunque audire voluerit audiat, quia non est littera reprehensionis, sed cantilena iustitiæ, & charitatis. Quando enim olim mittebatur littera alicui continebat reprehensionem, & admonitionem, arguebat de ingratitudine beneficiorum, & admonebat de conuersione morum. Sed nunc iustitia diuina decantat pulchram cantilenam, quæ pertinet ad omnes, quam qui audierit, & credendo cum operatione receperit, inueniet fructum salutis, & fructum æternæ vitæ. Sed poteris quærere, quare verba *Dei*, ita obscure dicuntur, quod diuersimode interpretari possunt? & quandoque aliter a Deo, & aliter ab hominibus intelliguntur Respondeo. Deus similis est confectori, qui conficit vinum ardens, seu aquam ardentem, quæ de vino conficitur. Ille enim confector habet plures fistulas, quasdam ascendentes, quasdam vero descendentes, per quas vinum nunc sursum, nunc deorsum, cooperante ignis calore decur-
1 rit, donec fit perfectum. 1 *Sic Deus* in verbis suis facit, quia quandoque ascendit per iustitiam, quandoque iterum descendit per misericordiam, sicut patuit in rege, cui propheta ex iustitia dixit, quod moreretur, & tamen postea, misericordia addidit ei plures annos ad viuendum. Quandoq; etiam descendit *Deus* per simplicem verborum prolationem, & corporalem expressionem, sed ascendit iterum, per spiritualem intelligentiam, sicut in Dauid, cui multa dicta sunt nomine *Salomonis*; sed completa sunt, sicut, & intellecta in filio
2 *Dei*. 2 *Quandoq;* etiam loquitur de futuris, quasi de præteritis, & præsentia simul tangit, & futura, quia omnia sunt in *Deo*; & præsentia, & præterita, & futura, quasi vnus punctus. Nec mirari debes si obscuris modis loquitur *Deus*, quia hæc sunt quadruplici de causa. *Primo*, vt ostendat *Deus* magnam misericordiam suam, ne quis audiens iustitiam *Dei* desperet de misericordia eius, quia quando homo mutat voluntatem peccandi, tunc etiam *Deus* mutat districtionem sententiæ suæ. *Secunda* est, vt creduli iustitiæ, & promissionum, amplius *Dei* coronentur propter fidem, & expectationem.

3 Ter-

3 3 Tertia ratio est, quia si consiliũ Dei certo sciretur tempore, quidam propter præscitos contrarios casus, multum turbarentur, alij ex tedioa desiderio, & feruore suo desisterent. Et ideo propter ista quando alicui scribo alicia verba, non exprimitur ibi in conclusione, vtrum illa verba recipientur, & credantur cum effectu ab eo, vel non, nec etiam tibi declaratur hoc, an ille credet, & perficiet opere illa an non,
4 quia non licet ibi scire hoc. 4 Tertia causa est ne aliquis præsumat improbe discutere verba, Ipse enim est, qui de sublimi facit humilem, & de inimico facit amicum. Quarta est vt qui occasionem discendi quærit inueniat, & qui sordescunt sordescant adhuc, boni quoque fiant manifestiores. Item at sponsa. Deinde Dei filius loquebatur ad ne dicens. Si aliquis loqueretur per fistulam habentem tria foramina, & diceret audenti. Nunquam ex illo foramine audies vocem meam, non esset arguendus, si postea loqueretur per duo reliqua foramina. Sic etiam est nunc in locutione nostra, nam licet Mater mea Virgo dixerit, quod illa esset vltima littera mittenda Regi, hoc intelligendum est de persona sua. Sed nunc ego Deus, qui sum in Matre, & Mater in me, mitto nuncium meum Regi, tam propter eos, qui nunc sunt præsentes viui, quam propter eos, qui nondum sunt nati. Ab æterno itaque iustitia, & misericordia in Deo sunt, nam ab æterno ista in Deo fuit iustitia, vt cum Deus ante luciferum plenus esset sapientia,
5 & bonitate & potentia. 5 Voluit, quod plures participarentur bonitatis eius, & ideo creauit Angelos, quorum quidam attendentes pulchritudinem suam desiderabant esse supra Deum. Propterea corruerunt, & facti sunt sub pedibus Dei dæmones mali. Et etiam in istis Deus quodammodo habet misericordiam, nam cum diabolus in iustitia, & permissione Dei perficit malum, quod concupiscit, quasi quodã modo consolatur ex prosperitate malitiæ, suę, non quod pœna diaboli minuatur ex hoc, sed sicut eger habens inimicum fortissimum consolatur de auditu mortis eius, licet dolor infirmitatis suę non minuatur ex auditu illo. Sic diabolus ex inuidia qua ardet Deo faciente iustitiam, contra homines exhilarescit, & lætatur, & quasi sitis ma-
6 litiæ suę refrigeratur, & linitur. 6 Verum postea Deus videns in exercitu suo diminutionem, creauit post præsumptionem dæmonum hominem ad obediendum pręceptis suis, & vt fructificaret. 7 Donec
7 tot homines ascenderent cœlum, quot Angeli de cœlo ceciderunt. Homo igitur perfectus creatus est, qui cum accepisset mandatum vitæ non attendit ad Deum, nec ad honorem suum. Sed consentiens suggestioni diaboli præuaricatus est dicens. Comedamus de ligno vitę, & sciemus omnia sicut Deus. Isti enim, scilicet Adam, & Eua noluerunt Deo malum, sicut diabolus, sed nec etiam voluerunt esse supra Deum, sed voluerunt esse sapientes sicut Deus, ideo ceciderunt, sed non sicut dæmon. Nam diabolus inuidebat Deo, ideo non erit finis miseriæ eius. Homo vero, quia voluit aliud quam Deus voluit eum velle, ideo meruit, & sustinuit iusti-
8 tiam cum misericordia. 8 Tunc vero illi prothoplasti senserunt iustitiam, quando nuditatem obtinuerunt pro vestitu gloriæ, famem pro abundantia, pruritum carnis pro securitate, laborem pro quiete, qui etiam statim obtinuerunt misericordiam, scilicet vestitum contra nuditatem, cibum contra famem securitatem coniunctionis mutuæ, propter posteritatem generationis augmentandam. Nempe Adam honestissimæ vitæ fuit, qui nunquam vxorem habuit nisi Euam, sed nec aliam mulierem nisi illam solam. Item Deus etiam iustitiam, & misericordiam habet in animabus. Deus nempe fecit tria egregia. Primo Angelos, qui spiritum habent, sed non carnem. Secundo hominem qui habet animam, & carnem. Tertio animalia, quæ carnem habent, sed non animam sicut homo. Angelus ergo, quia spiritus est Deo incessanter adheret, & ideo humano non indiget adiutorio. Homo vero, quia caro est, Deo incessanter adherere non potest, antequam mortale separatur spiritu. Et ideo, vt subsistat homo, creauit ei Deus adiutorium animal irrationale, vt obediat, & seruiat suo meliori. itaque in istis animalibus irrationalibus Deus magnam habet misericordiam, quia non habent pudorem de membris suis, nec dolorem mortis antequam mors veniat, simplici quoque victu contentantur. Deinde cum pertransisset diluuium etiam Deus fecit iustitiam cum misericordia. Nam bene potuisset Deus introduxisse populum Israelem in terram promissionis in breuiori tempore. Sed iustitia fuit, quod vasa quę optimum potum tenere deberent, primo probarentur, & purgarentur, & deinde sanctificarentur. Quibus etiam Deus magnam fecit misericordiam, quia vno homine, scilicet Moyse orante peccatum eorũ deletum fuit, & diuina gratia data. Similiter, & post incarnationem meam, nunq̃ iustitia sine misericordia, nec misericordia sine iustitia exercetur. Tunc autem vox insonuit in altum dicens. O Mater miseri-

fericordiæ, Mater æterni Regis impetra
misericordiam. Ad te quippe venerunt
preces, & lacrymæ famuli tui regis. Sci-
mus enim, quod iustitia est, vt puniantur
peccata eius, sed impetra misericordiam,
vt conuertatur, & agat pœnitentiam, &
faciat honorem Deo. Respondit spiritus,
in Deo quadruplex est iustitia. Prima
est, vt ille, qui increatus est, & æternali-
ter est, honoretur super omnia, quia ab
ipso sunt omnia, & in ipso viuunt, & sub-
sistunt vniuersa. Secunda iustitia est, vt
ei, qui semper erat & est, & qui tempore
deffinito temporaliter natus est, seruiatur
ab omnibus, & ipse in omni puritate dili-
gatur. Tertia iustitia est, vt ille qui est
ex se impassibilis, & ex humanitate factus
est passibilis, & qui mortalitate assumpta,
promeruit homini immortalitatem, desi-
deretur super omnia, quæ desiderari pos-
sunt, & quæ desideranda sunt. Quarta
iustitia est, vt qui instabiles sunt, inqui-
rant veram stabilitatem, & qui in tenebris
sunt desiderent lucem, id est spiritumsan-
ctum, petendo auxilium eius, cum contri-
tione, & vera humilitate. Sed de illo re-
ge seruo Matris Dei, pro quo nunc mise-
ricordia petitur, dicit iustitia, quod tem-
pus non sufficit ei ad purgandum digne,
secundum quod exigit iustitia, peccata il-
la, quæ commisit contra misericordiam
Dei, nec corpus eius sustinere posset pœ-
nam, quam meruit pro peccatis. Verun-
tamen misericordia Matris Dei promeruit
& impetrauit misericordiam pro eodem
seruo suo, vt ipse audiat illa, quæ egerat,
& quomodo se emendare poterit, si forte
compungi voluerit, & conuerti. Et sta-
tim in eodem puncto vidi in cœlo vnam
domum miræ pulchritudinis, & magni-
tudinis, & in domo erat pulpitum, & in
pulpito liber, & vidi duos stantes ante pul
pitum, scilicet Angelum, & diabolum.
Quorum alter, scilicet diabolus loqueba-
tur, dicens. Nomen meum est heu.
Iste itaque Angelus, & ego insequimur v-
nam rem desiderabilem nobis, quia vide-
mus, quod Dominus potentissimus ædifi-
care proponit rem grandem. Et ideo la
boramus, Angelus ad rei perfectionem,
ego vero ad eius destructionem. Sed con-
tingit nobis, quod cum res illa deside ra-
bilis, venit aliquando in manus meas, tan-
ti feruoris, & caloris est, quod non valeo
tenere eam. Cum vero venit aliquando
in manus Angeli, ita frigida, & lubrica
est, quod statim relabitur de manibus e-
ius. Et cum ego attente intuerer ad idem
pulpitum, tota consideratione mentali, in-
tellectus meus, non sufficiebat capere sicut
erat, nec eius pulchritudinem valuit com-
prehendere anima mea, nec lingua expri-
9 mere. 9 Cuius pulpiti aspectus erat
quasi radius solis, habens colorem rubeū,
& album, & aureum fulgentem. Color
vero aureus erat quasi Sol fulgens, albus au
tem color erat quasi nix candidissima, ru-
beus quoque color, erat quasi rosa rubēs.
Et quilibet color videbatur in alio. Nam
cum aspicerem colorem aureum, videbam
album, & rubeum in eo, & cum viderem al
bum, videbam in eo reliquos duos colo-
res. Et similiter erat quando aspiciebam
colorem rubeum, ita quod quilibet videba
tur in alio, & tamen quilibet discretus erat
ab alio, & per se, sed in omnibus, & vbi-
que equales videbantur. Cumque aspi-
cerem sursum, non valui comprehendere
longitudinem, & latitudinem pulpiti, re-
spiciens vero deorsum, non valui videre,
& apprehendere immensitatem profundi
eius, quia omnia erant incomprehensibi-
10 lia ad considerandum. 10 Post hæc au-
tem in ipso pulpito vidi librum resplenden-
tem, quasi aurum fulgentissimum, & ha-
bentem formam libri. Qui quidem li-
ber apertus erat, & scriptura eius non erat
scripta attramento, sed vnumquodque
verbum in libro erat viuens, & seipsum lo-
quebatur, quasi si aliquis diceret, fac hoc
vel illud, & statim cum prolatione verbi
esset factum. Scripturam quoque libri
nullus legebat, sed quidquid continebat
scriptura hoc totum in pulpito, & illis co-
loribus videbatur. Ante istud autem pul
pitum vidi quendam Regem viuentem in
mundo. Ad sinistram vero partem pul-
piti, vidi alium Regem mortuum, qui e-
rat in inferno. Ad dexteram quoq; pul-
piti, vidi tertium Regem mortuum, qui
erat in purgatorio. Rex itaque supradi-
ctus viuens erat quasi in globo vitreo se-
dens coronatus. Supra globum vero de-
pendebat vnus gladius triculpis horribilis
appropinquans singulis momentis globo,
sicut perpendiculum in horologio ad suum
signum. Ad dexteram quoque eiusdem
Regis viuentis stabat Angelus habens vas
aureum, & sinum. Ad sinistram vero e-
ius stabat diabolus habens forcipem, &
malleum. Qui ambo decertabant, cuius
manus vicinior fieret globo vitreo, quan-
do a gladio tangeretur, & rumperetur.
Tunc autem audiui horribilem vocem il-
lius diaboli dicentem. Quousque inquit
erit istud? Ecce ambo nos insequimur præ
dam vnam, sed ignoramus quis nostrum
erit victor. Et statim loquebatur mihi
iustitia diuina dicens. Ista inquit quæ
tibi ostenduntur non corporalia, sed spiri-
tualia

tualia sunt, nec Angelus, vel diabolus corporales sunt, sed hoc fit, quia tu spiritualia intelligere non vales, nisi per similitudines corporales. Rex itaque viuens ideo tibi apparet in globo vitreo, quia vita eius non est nisi quasi vitrum fragile, & in puncto finitura. Gladius vero tricuspis mors est, quæ cum venit operatur tria. Debilitat quippe corpus, immutat conscientiā, mortificat omnes vires, diuidens sicut gladius animam a carne. Quod vero Angelus, & diabolus certare videntur super globum vitreum significat, quod vterque eorum desiderat habere animam Regis, quæ illi adiudicabitur, cuius consilijs magis obedierit. Quod veró Angelus habet vas, & sinum significat, quod sicut puer quiescit in sinu matris, sic Angelus laborat, vt anima præsentetur Deo, quasi in vase, & in sinu æternę consolationis requiescat. Quod vero diabolus forcipem habet, & malleum significat, quod dæmon animam trahit ad se forcipe praue dilectionis, dissoluitque eam in illeo, idest concursu, & perpetratione delictorum. Quod vero globus vitreus quandoque nimis est ardens, quandoque satis lubricus, & frigidus, significat inconstantiam Regis. Nam in tentatione positus cogitat sic dicens intra se, licet ego sciam me Deum offendere, sic nunc conceptum mentis meæ adimpleo, tamen ista vice conceptum meum opere adimplebo, quia pro nunc ab hoc opere retrahere me nequeo. Et sic scienter peccat in Deum suum, Propterea scienter peccans, venit in manus diaboli. Deinde Rex ipse assumens confessionem, & contritionem, iterum euadit manus diaboli, & venit in potestatem Angeli boni, & ideo nisi iste Rex dimiserit inconstantiam suam periculose stat, quia debile habet fundamentum. Post hæc autem vidi ad sinistram partem pulpiti illum alium Regem mortuum, qui damnatus fuit ad infernum, vestitum vestibus regalibus, sedentem quasi in throno. Qui erat mortuus, & pallidus, & nimis terribilis, ante faciem vero eius erat quedam rota habens quatuor lineas in extremitate. Quæ quidem rota secundum flatum Regis voluebatur. Et quelibet linea, vel ibat sursum, vel deorsum secundum voluntatem Regis, quia motus rotæ erat in potestate Regis. Tres quoque lineæ illarum habebant scripturas, sed in quarta linea nihil omnino erat scriptum. Vidi etiam ad partem dexteram istius Regis, quendam Angelum quasi hominem pulcherrimum, cuius manus erant vacue, sed ipse ad pulpitum seruiebat. Ad sinistram vero partem Regis apparebat vnus diabolus, cuius caput simile videbatur cani, venter eius erat insatiabilis, & vmbilicus apertus, ebuliens veneno colorato omnibus coloribus venenosis, & in quolibet pede habebat tres vngulas magnas, fortes, & acutas. Tunc autem vnus splendidissimus quasi sol, & ad intuendam præ fulgore mirabilis dixit mihi. Iste Rex quem tu vides, miserabilis est. Cuius conscientia modo aperietur tibi, qualis fuit in Regno, & in intentione, quando moriebatur. Qualis vero conscientia eius fuit ante Regnum, non est tuum scire. Veruntamen scias, quod anima eius non est ante oculos tuos, sed conscientia eius. Et quia anima, & diabolus non corporales, sed spirituales sunt, ideo tentationes diabolice, & supplicia per similitudines corporales ostēduntur tibi. Et statim ille Rex mortuus cepit loqui, non de ore, sed quasi de cerebro, & dixit sic. O consiliarij mei talis est intentio mea, quicquid enim subest coronæ Regni mei, tenere, & custodire volo. Laborare etiam volo, quod augeantur obtenta, & non diminuantur. Quali autem modo obtenta sunt, quæ teneo, quid ad me quærere? Sufficit enim mihi, si adepta defendere valeo, & augere, & tunc diabolus clamauit dicens. Ecce perforatum est, quid faciet vncinus meus? Respondit tunc iustitia de libro, quæ erat in pulpito dicens diabolo. Impone foramini vncinum, & attrahe tibi. Et statim prolato verbo iustitiæ, impositus fuit vncinus, sed illico in ipso momento venit ante Regem malleus scilicet misericordiæ, quo dictus Rex excutere potuisset vncinum, si veritatem inquisisset de omnibus, & fructuose mutasset voluntatem. Iterum loquebatur idem Rex dicens. O consiliarij mei, & homines mei, vos assumpsistis me in dominum, & ego vos in consiliarios. Ideo indico vobis hominem quendam esse in Regno, qui proditor est honoris mei, & vitæ, qui insidiator est Regni, & persecutor pacis, & communitatis populorum Regni. Si ergo talis homo sustineatur, & toleretur, damnabitur res publica, inualescet discordia, & intestina mala adaugentur in Regno. Credebant enim mihi docti, & indocti, potentes, & vulgus populi in prędictis verbis, quæ ego eis loquebar, intantum quod homo ille quem ego diffamaui de proditione, obtinuit damnum maximum, & pudorem, & sententia, & exiliū contra eum ferebatur. Attamen bene sciebat conscientia mea, qualis erat rei veritas in isto negocio, & q multa contra hominē illū dixi propter ambitionē Regni & timorem ammissionis eius, nec non, & vt honor meus dilataretur, & vt Regnum mihi, & posteris meis firmius adhereret.

Cogi-

Cogitaui etiam mecum licet ego sciam veritatem, quomodo acquisitum est Regnum, & quomodo ille iniuriatus est. Si tamen ipsum recepero iterum in gratiam meam, & veritatem prodidero, omne opprobrium & damnum redundabit in me. Et ideo firmaui in animo meo magis velle mori, quã veritatem dicere, & verba mea, & opera iniusta reuocare. Respondit tunc diabolus. O iudex, ecce qualiter Rex iste præbet mihi linguam. Respondit iustitia diuina. Impone laqueum. Quod cum fecisset diabolus, statim imposito laqueo, pendebat ante os Regis ferrum acutissimũ, quo potuisset, si voluisset laqueum præscidisse, & comminuisse. Item loquebatur idem Rex dicens. O consiliarij mei. Ego consului clericos, & litteratos de statu Regni, qui dicunt mihi, quod si assignarem regnum in manus aliorum, fierem multis in damnum, viteque, & honorum proditor, iustitię, & legum violator. Et ideo, vt regnum retineam mihi, illudque ab incursantibus defendam, oportet nos quedam noua excogitare, quia antiqui redditus fiscales non sufficiunt ad gubernandum, & defendendum regum. Itaque excogitaui quasdam nouas impositiones tributorum & actionum fraudulentas, imponere in regno in damnum multorum ciuium regni, & etiam innocentium pertranseuntium viatorum, & mercatorum. In quibus ad inuentionibus perseuerare proposui, vsque ad mortem. Licet conscientia mea mihi dixerit, quod ista erant contra Deum, & omnem iustitiam, & publicam honestatem. Et tunc clamauit diabolus dicens. O iudex ecce ambas manus suas inclinauit iste Rex, sub vas meum aquaticum. Quid igitur facturus sum ego? Respondit iustitia de libro. Effunde super eas venenum tuum. Et tunc effuso veneno a diabolo, statim venit ante Regem vnum vas vnctionis, quo Rex illud venenum bene potuisset restrinxisse. Et tunc dęmon clamauit valenter dicens. Ecce video mirabile, & mihi imperscrutabile. Nam vncinus meus impositus est cordi istius Regis, & statim oblatus est ei, & malleus in sinum. Laqueus quoque meus impositus est ori eius, & ferrum acutissimum ei præbetur. Venenum etiã meum infusum est in manibus eius, & offertur adhuc ei vas vnctionis. Respondit iustitia de libro, qui erat in pulpito dicens. Omnia tempus habent, & misericordia, & iustitia obuiabunt sibi. Post hæc autem loquebatur mihi Mater Dei dicens. Veni filia, & vide, & audi, quid suggerit animæ spiritus bonus, quid ve malus. Nam omnis homo infusiones, & visitationes habet, quandoque a spiritu bono, & quandoque a spiritu malo, nec est aliquis, qui non visitatur a Deo quamdiu viuit. Et statim iterum idem Rex mortuus apparuit, cuius animæ cum viueret bonus spiritus taliter inspirabat. O amice, tu totis viribus obligatus es seruire Deo, quia dedit tibi vitam, conscientiam, intellectum, sanitatem, & honorem, insuper tolerat te in peccatis tuis. Respondit conscientia Regis per similitudinem loquendo. Verum est, inquit, quod seruire teneor Deo, cuius potentia creatus, & redemptus sum, cuius misericordia viuo, & subsisto. Sed e contra spiritus malus suggerebat eidem Regi. Frater, inquit, consulo tibi consilium bonum, facito enim sicut ille, qui purgare solet poma. Ille namque peripsemata, seu corticem pomi proijcit, medullam vero, & vtiliora seruat sibi. Similiter fac, & tu. Deus enim humilis, & misericors est, patiens, & nullius egens. Da ergo eis de bonis tuis, illa quibus commode carere poteris, vtiliora vero, & concupiscibiliora reserua tibi. Facito etiam quodcumque delectat te ad carnem, quia faciliter emendari potest. Et quod te non delectat facere, licet tenearis facere, dimitte, & loco illius tribue eleemosinas, quia inde plures consolari possunt. Respondit conscientia Regis. Istud inquit est vtile consilium. Potero quidem aliqua dare de meis, de quibus nullum habeo damnum quæ tamen Deus reputat maxima. Cætera uero seruabo in usus proprios, & ad acquirendum amicitiam multorum. Post hæc autem iterum loquebatur Angelus, qui Regi datus fuerat ad custodiam per inspirationes dicens Regi. O amice, cogita, quod mortalis es, & cito moriturus. Cogita etiam, quod uita ista breuis est, & Deus iudex iustus, & patiens, qui examinat omnes cogitationes tuas, & locutiones, & opera a principio intelligibilis ætatis tuæ, usque ad finem. Qui etiam omnes affectus, & intentiones tuas iudicat, & nihil dimittit indiscussum, & ideo utere tempore tuo, & uiribus tuis rationabiliter. Rege membra tua ad utilitatem animæ, uiue modestus non faciendo uoluptatem carnis in desiderijs. Quia qui secundum carnem uiuunt, & secundum uoluptatem suam, non ueniunt ad patriam Dei. E contra uero suasit statim regi spiritus diabolicus, inspirationibus suis. O frater inquit, si de omnibus horis, & momentis redditurus es Deo rationem, quando ergo gaudere debes? Sed audi consilium meum Deus misericors est, & faciliter placatur. Non enim redimisset te, si te perdere, vellet. Ideo

dicit

dicit scriptura, quod omnia peccata dimittuntur per contritionem. Fac ego, sicut quidam astutus fecit, qui soluturus erat cuidam creditori 20. libras auri, & non habens vnde redderet, venit ad amicum pro consilio. Qui consuluit ei sumere viginti libras cupri, & deaurare eas vna libri auri, & sic deauratas soluere creditori. Qui faciens iuxta consilium, sibi datum, soluit creditori illas viginti libras cupri perlinitas auro, & decem, & nouem libras auri puri retinuit sibi. Sic fac, & tu decem & nouem horas temporis dispone ad delectationem, & voluptatem tuam, & ad gaudium tuum, & vna tantum hora sufficit tibi ad contristandum, & ad compungendum. Audacter ergo ante, & post confessionem facito quod delectat te. Quia sicut cuprum perlinitum auro, totum apparuit aurum, sic opera peccati, quę designantur in cupro, deaurata contritione delebuntur, & omnia opera tua fulgebunt, sicut aurum. Respondit tunc conscientia Regis. Istud consilium videtur delectabile, & rationabile, quia sic faciendo, omnia tempora possum disponere ad gaudium meum.

Item loquebatur Angelus bonus Regi inspirationibus suis dicens. O amice cogita primo quali magisterio eduxit te Deus de angusto vtero Matris tuæ. Secundo cogita, quãta patiẽtia patitur te Deus viuere. Tertio, cogita quãta amaritudine redemit te de ęterna morte. Sed cõtra inspirabat diabolus dicens Regi. O frater si eduxit te Deus de angusto Matris vtero in latitudinem mundi, cogita etiam, quod educet te iterum de mundo per duram mortem. Et si Deus patitur te diu viuere, cogita etiam, quod habes in vita ista multa incommoda, & tribulationes, contra voluntatem tuam. Si Deus redemit te dura morte sua, quis compulit eum? non enim tu rogasti eum. Tunc autem quasi loquendo respondit Rex in conscientia sua intrinsecus. Verum, inquit est, quod suggeris, nam plus doleo, quod moriturus sum, quam quod natus sum de vtero Matris. Grauius etiam est mihi ferre aduersitates mundi, & contrarietates animi mei, quam aliquid aliud. Vellem itaque si daretur mihi optio magis viuere in mundo absque tribulatione, & in eius consolatione permanere quam separari a mundo. Magis quoque optarem vitam habere perpetuam in mundo, cum mundana felicitate, quam quod Christus redemisset me suo proprio sanguine non curarem esse in cœlis, si mundum possem habere ad votum meum in terris. Et tunc audiui verbum de pulpito sic dicens. Aufer nunc a Rege vas vnctionis, quia peccauit in Deum patrem. Deus enim Pater, qui æternaliter est in Filio, & Spiritu sancto, dedit legem veram, & rectam per Moysen. Sed iste Rex constituit legem contrariam, & peruersam. Verum quia iste Rex aliqua bona fecit, licet non bona intentione; ideo permittitur ei possidere Regnum ad dies suos, vt sic in mundo remuneretur. Secundo loquebatur verbum de pulpito sic dicens. Aufer verbum acutissimum ab oculis Regis, quia peccauit contra filium Dei. Ipse enim dicit in Euangelio, quod iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. Iste vero Rex noluit iniuste afflicto facere misericordiam, nec corrigere errorem suum, sed nec mutare peruersam voluntatem suam. Veruntamen propter aliqua bona, quæ fecit, detur ei in remunerationem, vt verba sapientiæ habeat in ore, & a pluribus sapiens reputetur. Tertio loquebatur verbum iustitiæ dicens. Auferatur a Rege Malleus, quia peccauit in Spiritum sanctum. Spiritus enim sanctus omnibus pœnitentibus remittit peccata, iste vero Rex vsque ad finem perseuerare proposuit in peccato suo. Veruntamen quia aliqua bona fecit, ideo detur ei hoc, quod feruentius appetit ad corporis delectamentum, scilicet mulier quam appetit in vxorem delectabile oculorum suorum. Et vt obtineat pulchrum, & optabilem finem vitæ secundum mundum. Post ista autem appropinquante penultimo tempore finis Regis clamauit diabolus dicens. Ecce ablatum est vas vnctionis, ideo iam ego aggrauabo manus ne faciat fructuosa opera. Et statim prolato verbo diaboli, Rex priuatus fuit fortitudine, & sanitate. Et tunc statim clamauit diabolus dicens. Ecce ablatum est ferrum acutum; ideo aggrauabo laqueum meum. Et statim Rex priuatus est loquela. Et in isto priuationis puncto iustitia loquebatur Angelo bono, qui Regi datus fuerat ad custodiam dicẽs. Inquire in rota, & vide quæ linea tendit sursum, & lege scripturam eius. Ecce quarta linea tendebat sursum, in qua nihil omnino scriptum erat, sed erat quasi rota rasa. Et tunc respondit iustitia. Quia inquit anima ista illud, quod uacuum est dilexit; ideo nunc uadas ad sui remunerationis dilectorem. Et statim separata est anima Regis a corpore. Cumque egressa esset anima statim clamauit diabolus dicens. Ego iam dirumpam cor istius Regis, quia possideo eius animam. Et tunc uidi qualiter Rex immutabatur totus a uertice capitis usque ad calcaneum. & apparebat horribilis, quasi animal totum decoriatum. Oculi quo

que eius erant eruti, & caro tota quasi conglobata, & tunc vox eius talis audiebatur. Veh inquit mihi, quia cęcus factus sum, sicut Catulus in cęcitate natus, quærens posteriora Matris, quia propter ingratitudinem meam non video vbera Matris. Veh mihi quia video in cęcitate mea, quod nunquam visurus sum Deum, quia conscientia mea nunc intelligit vnde cecidi, & quid facere debuissem, & non feci. Veh quoq; mihi, quia Dei prouidentia natus in mundo, & renatus in baptismo, oblitus fui, & neglexi Deum. Et quia nolui bibere de lacte dulcedinis diuinæ; ideo iam similior sum cani cęco, quam infanti videnti, & viuenti. Sed nunc etiam contra voluntatem meam licet Rex fuerim compellor dicere veritatem. Ego enim quasi tribus funibus alligatus, & obligatus eram seruire Deo. scilicet propter baptismum, propter coniugium, & propter coronam regni. Sed primum contempsi quando affectum meum verti ad vanitates mundi. Secundum non attendi, quando desiderabam alienam vxorem. Tertium spreui quando superbiebam de potestate terrena, & celestē potentiam non cogitaui. Propterea licet nunc cęcus sum, video tamen in conscientia mea, quod propter contemptum baptismi debeo alligari ad odium diaboli. Et propter carnis inordinatum motum debeo sustinere diaboli voluptatem. Propter superbiam vero debeo pedibus diaboli alligari. Tunc autem respondit dæmon. O frater nunc tempus est, vt ego loquar, & loquendo operabor. Veni itaque ad me non cum charitate, sed cum odio. Ego denique Angelorum pulcherrimis fui, tu vero homo mortalis. Et potentissimus Deus dedit mihi liberum arbitrium, sed quia illud inordinate moui, & magis volui odire Deum, vt excellerem eum quam diligere, ideo cecidi, sicut qui habet caput deorsum, & pedes sursum. Tu vero sicut, & omnis homo post casum meum creatus fuisti, & obtinuisti speciale priuilegium super me, scilicet, quod sanguine filij Dei redemptus es, & non ego. Igitur quia tu spreuisti charitatem Dei; ideo verte caput tuum ad pedes meos, & ego suscipiam pedes tuos in os meum, & sic simus coniuncti ad inuicē, sicut illi quorum alius habet gladium in corde alterius, alius vero cultrum in visceribus alterius. Tu igitur punge me ira tua, ego autem pungam te malicia mea. Et quia caput habui, idest intelligentiam honorandi Deum si voluissem, tu vero pedes, idest fortitudinem eundi ad Deum habuisti, & noluisti; ideo terribile caput meum consumet, & frigidos pedes tuos. Voraberis quidem incessanter, sed non consumeris, immo renouaberis in idipsum. Coniungamus etiam nos tribus funibus. Primus funis sit in medio quo vmbilicus tuus, & meus coniungantur simul, quatenus me spirante trahas in te venenum meum, te vero spirante, ego attraham in me interiora tua. Et merito. Dilexi quippe plus te ipsum quam Redemptorem tuum, sicut, & ego plus dilexi meipsum quam Creatorem meum. Cum secundo vero fune coniungamus caput tuum, & pedes meos. Cum tertio caput meum, & pedes tuos. Deinde vidi eundem diabolum habentem tres vngulas acutas in quolibet pede, & dixi ad Regem. Quia tu frater habuisti oculos ad videndum via vitæ, & conscientia ad discernendum bonum, & malum; ideo duæ vngulæ meæ intrabunt, & perforabunt oculos tuos. Tertia vero vngula intrabit cerebrum tuum. Quibus in tantum suffocaberis, quod totus sis sub pedibus meis, quia tu ad hoc creatus fuisti, vt esses Dominus meus, & ego scabellum pedum tuorum. Accepisti quoque duas aures ad audiendum viam vitæ, & os ad loquendum vtilia animæ. Sed quia spreuisti audire, & loqui salutem animæ tuæ; ideo duæ vngulæ alterius pedis mei, intrabunt aures tuas, & tertia vngula intrabit os tuum. In quibus sic cruciaberis, quod omnia illa erunt tibi amarissima, qui prius quando offendisti Deum tibi dulcia videbantur. His autem dictis statim coniuncta sunt modo supra dicto caput, & pedes, & umbilicus Regis, cum capite, & pedibus, & umbilico diaboli. Et sic ambo colligati descenderunt in abyssum. Et tunc audiui unam uocem dicentem. O o quid habet modo Rex de omnibus diuitijs suis? Certe non nisi damnum. Quid uero de honore? Certe non nisi pudorem. Quid uero habet de cupiditate, qua ambiebat regnum? Vere non nisi pœnam, ipse enim unctus fuit oleo sancto, & consecratus uerbis sanctis, & coronatus corona Regia, vt verba, & facta Dei honoraret, defenderet quoque populum Dei, & regearet. Sciret etiam se semper esse sub pedibus Dei, Deumque remuneratorem suum. Sed quia contempsit esse sub pedibus Dei; ideo nunc est sub pedibus diaboli. Et quia tempus suum fructuosis operibus redimere noluit cum potuit; ideo amodo non habebit tempus fructuosum. Post hæc autem loquebatur iustitia de libro, qui erat in pulpito dicens mihi. Omnia ista quæ tibi tam seriose ostensa sunt, in unico puncto sunt

sunt apud Deum. Sed quia tu corporalis es, ideo necesse est, quod spirituales intelligentiæ tibi per corporales similitudines aperiantur. Itaque quod Rex, & Angelus, & diabolus tibi visi sunt loqui ad inuicem, hoc nihil aliud est nisi inspirationes, & infusiones boni, & mali spiritus, facte vel per seipsas, vel per consiliarios, & amicos eorum ad animam Regis. Quod vero diabolus clamabat dicens, perforatum est, Rege dicente se velle tenere quicquid subesset coronæ qualicunque modo esset acquisitum, nec curare de iustitia, hoc sic intelligendũ est, scilicet, quod tunc conscientia Regis perforabatur ferro diaboli, idest, peccati obduratione, quando ipse noluit inquirere, & discutere, quæ erant illa, quæ iuste pertinebant ad Regnum, & quæ non. Et quando qualem iustitiam ipse habebat ad regnum, non curauit examinare. Tunc vero impositus fuit vncinus animæ Regis, quando tentatio diaboli tantum in anima Regis præualuit, quod in iniustitia sua perdurare voluit, vsque ad mortem. Quod vero malleus venit in sinum Regis post vncinum, significat tempus contritionis datum Regi. Nam si Rex talem cogitatum habuisset, peccaui inquiens, nolo amplius scienter male acquisita tenere, emendabo igitur me de cætero. Statim vncinus iustitiæ comminutus fuisset malleo contritionis, & Rex venisset ad bonam vitam, & viam. Quod vero diabolus clamauit, ecce Rex præbet mihi linguam, & statim laqueus impositus fuit Rege nolẽte facere gratiam homini, quem diffamauerat, hoc sic intelligendum est. Quod quicunque proximum scienter vituperat, & infamat, vt famam propriam dilatet, ipse diabolico regitur spiritu, & sicut fur irretiendus est laqueo, Quod vero ferrum acutum venit ante Regem post laqueum significat tẽpus immutationis, & correctionis prauæ voluntatis, & operationis virtuosæ, Ergo quando corrigit homo bona voluntate, & emendatione reatum suũ talis voluntas est quasi ferrum acutissimum, quo inciditur laqueus diaboli, & remissio peccatorum obtinetur. Si ergo Rex iste mutasset volũtatem suam, & fecisset illi homini iniuriato, & diffamato gratiam statim præcisus fuisset laqueus diaboli. Sed quia firmauit in proposito malo voluntatem suam; ideo iustitia Dei fuit, vt magis induraretur. Tertio vidisti, quod Rege excogitante imponere in regno nouas exactiones tributorum infusum fuit in manibus eius venenum; significat, quod opera Regis regebantur diabolico spiritu, & prauis suggestionibus. Nam sicut venenum facit inquietationem, & infrigidationem in corpore, sic Rex sollicitabatur, & inquietabatur malignis suggestionibus, & cogitationibus, scilicet inuestigando modos quomodo obtineret possessiones, & bona aliorum, & aurum viatorum. Nam quando viatores dormientes, credebant aurum suum esse in bursa propria ex pergefacti, videbant illud esse in potestate Regia. Quod vero vas vnctionis venit post venenum significat sanguinem Iesu Christi, quo omnis eger viuificatur. Itaque si Rex intinxisset opera sua in consideratione sanguinis Christi, & rogasset Deum in adiutoriũ, & dixisset. O Domine Deus, qui me creasti, & redemisti scio ꝙ ex permissione tua ego veni ad regnum, & coronam. Expugna igitur hostes impugnantes me, & solue debita mea, quia non sufficiunt facultates regni. Ego vtique fecissem opera, & onera eius leuia ad portandum. Sed quia ipse concupiuit aliena, volens videri iustus, vbi sciuit se iniustum; ideo diabolus rexit cor eius, qui suasit ei facere contra constitutiones Ecclesiæ, mouere etiam bella, & innocentes defraudare, donec iustitia de pulpito Maiestatis diuinæ clamauit super eum iudicium, & æquitatem. Rota vero, quæ mouebatur secundum statum Regis, significat conscientiam Regis, quæ more rote nunc ad læticiam mouebatur, tunc ad tristitiam. Quatuor vero lineæ, quę erant in rota, significant quadruplicem voluntatem, quam omnis homo habere tenetur, scilicet perfectam, fortem, rectam, & rationabilem. Perfecta igitur voluntas est Deum diligere, & eum velle habere super omnia, & hæc debet esse in prima summa linea. Secunda voluntas est, desiderare, & facere proximo bonum sicut sibijpsi, propter Deũ. Hæc autem voluntas sit fortis, ne odio, vel auaritia infringatur. Tertia voluntas est velle abstinere a carnalibus desiderijs, & desiderare æterna. Et hæc voluntas sit recta, vt fiat non ad placendum hominibus, sed Deo. Et ista debet esse scripta in tertia linea. Quarta vero voluntas est, nole habere mundum, nisi rationabiliter, & ad solam necessitatem. Versa igitur rota, apparuit in linea, quæ tendebat sursum, quod Rex dilexit oblectamenta mundi, contempta dilectione Dei. In secunda linea erat scriptum, quod dilexit honores, & homines mundi. In tertia linea scripta erat dilectio quam inordinate habuit ad possessiones mundi, & diuitias. In quarta vero linea nihil erat scriptum, sed totum erat vacuum in qua habuisset fuisse scriptum dilectio Dei super omnia. Vacuitas ergo quartæ lineæ significat defectum dilectionis, & timoris Dei, nam per timorem attrahitur Deus in animam, per dilectionem vero figi-

tur Deus in anima bona. Nam si homo in vita sua nunquam dilexit Deum,& iam in extremis positus diceret toto corde. O Deus pœnitet me toto corde peccasse contra te, da mihi dilectionem tuam, & emendabo me de cætero, homo talis dilectionis, non iret ad infernum. Ergo quia Rex non dilexit quem debuit, ideo habet iam retributionem dilectionis suæ. Post hæc autem vidi illum alium Regem, ad partem dexteram iustitiæ, qui erat in purgatorio, qui similis erat puero iam nato, non valenti se mouere, nisi quod solummodo oculos leuabat. In sinistra etiam parte Regis vidi quod stabat diabolus, cuius caput simile erat sufflatorio cum longa fistula, cuius brachia quasi duo colubri. Et genua eius quasi prælum, pedes quoque quasi longus vncus. Ad dexteram vero Regis stabat Angelus pulcherrimus, paratus ad iuuandum. Et tunc audiui vocem dicentem. Iste inquit Rex talis nunc apparet, qualis anima eius disposita fuit, quando a corpore egrediabatur. Et statim clamauit diabolus ad librum, qui stabat in pulpito dicens. Mirabile cernitur hic. Angelus enim iste, & ego, expectabamus huius pueri natiuitatem, ille quidem cum puritate sua, ego autem cum omni impuritate mea. Nato itaque puero, non ad carnē, sed a carne, apparuit in eo immundicia, quam Angelus abhorrens, non valuit tangere puerum, ego vero, quia incidit in manus meas tango eum, sed nescio quo ducturus sum eum. Quia tenebrosi oculi mei non vident eum, propter fulgorem cuiusdam claritatis procedentis de pectore eius. Angelus vero videt eum, & scit quo ducturus est eum, sed non valet tangere eum. Ideo tu, qui iustus iudex es dissolue certamen nostrum. Respondit verbum de libro, qui stabat in pulpito dicens. Tu qui loqueris edicito, qua de causa incidit ista anima Regis in manus tuas? Respondit diabolus. Tu qui es ipsa iustitia, tu dixisti nullum ingredi cęlū, qui non prius iniuste ablata restituerit. Sed hæc anima tota maculata est de iniuste acquisitis, intantum quod omnes venæ, & medullæ, & caro, & sanguis eius, nutriebantur, & creuerunt, de cibis iniuste acquisitis. Secundo dixi non congregandos thesauros quos erugo, & tinea demoliuntur, sed qui permanent in æternum. In ista vero anima, locus ille vacuus erat, in quo cœlestis thesaurus recondi debebat, & ille locus plenus erat, vbi vermes, & ranæ nutriebantur. Tertio dixisti proximum diligendum propter Deum. Sed hæc anima corpus dilexit plus quam Deum, & de proximi dilectione nil curauit. Nam habitans in carne, consolabatur de ablatione bonorum proximi sui, vulnerabat corda subditorum suorum non attendens damna aliorum, dummodo ipse abundaret. Fecit quoque quicquid placuit sibi, & quicquid voluit iussit, & modicum curauit de æquitate. Istæ itaque sunt causę principales, quas aliæ innumerabiles sequebantur. Tunc autem respondit verbum de libro iustitiæ dicens ad Angelum. O tu Angele custos animæ, qui es in luce, & vides lucem, quid iuris, aut virtutis habes tu ad iuuandum animam istam? Respondit Angelus. Ipsa, inquit, habuit fidem sanctam, & credidit, & sperauit omne peccatum per contritionem, & confessionem delendum, timuit quoque te Deum suum, licet minus quam debuit. Iterum etiam loquebatur iustitia de libro dicens. O tu Angele meus tibi iam permittitur tāgere animā, & tibi diabole permittitur modo videre lucem animæ. Inquirere ergo ambo quid dilexit anima ista quando viuebat in corpore, & habuit omnia membra sana. Responderunt ambo Angelus, scilicet, & dæmon. Homines, & diuitias dilexit. Et tunc ait iustitia de libro. Quid inquit dilexit, quando anxiabatur præssura mortis? Responderunt ambo. Seipsum inquiunt dilexit; nam plus anxiabatur de infirmitate carnis, & tribulatione cordis, quam de passione Redemptoris sui. Item loquebatur eis iustitia. Adhuc inquirite quid dilexit, & cogitauit in vltimo puncto vitę, quando adhuc habebat in se sanam conscientiam, & intellectum? Respondit Angelus solus. Ipsa anima cogitauit taliter. Ve inquit mihi, quia multum audax fui semper contra Redemptorem meum, vtinam vnum tempus haberē quo possem regratiari Deo meo pro beneficijs suis, plus enim angit me peccasse cōtra Deum, quam dolor carnis meæ, & etiam si non obtinerem cœlum, tamen seruire vellem Deo meo. Respondit iustitia de libro dicens, quia tu diabole non potes videre animam propter claritatem fulgoris eius. Nec tu Angele meus potes eam tangere propter immundiciam eius; ideo iudicium est, quod tu diabole purges eam. Tu vero Angele consolare eam donec ad claritatem gloriæ introducatur. Tibi vero anima permittitur respicere ad Angelum, & ab eo habere consolationem. Erisque particeps sanguinis Christi, & orationum Matris eius, & Ecclesiæ. His autem auditis, diabolus dixit ad animam. Quia venisti ad manus meas plena cibis, & bonis male acquisitis; ideo ego nunc euacuabo te prælo meo. Et tunc posuit dæmon cerebrum Regis inter genua sua similia prælo, & stringebat fortiter

riter in longitudine, & latitudine, donec medulla tota gracilis fieret, sicut folium arboris. Item secundo dixit diabolus ad animam, quia locus vbi virtutes esse debebant vacuus est; ideo ego implebo eum. Et tunc posuit quasi fistulam sufflatorium in ore Regis, & insufflauit fortiter, implens eum valenter horribili vento, intantum, quod omnes vene, & nerui Regis miserabiliter rumpebantur. Item tertio dixit diabolus animæ Regis, quia in subditos tuos, qui quasi filij tui esse debuissent, impius, & immisericors fuisti; ideo brachia mea mordendo constringent te, quia sicut tu pupugisti subditos tuos, sic brachia mea similia serpentibus laniabunt te cum dolore maximo, & horrore. Post istas autem tres pœnas, scilicet præli, & sufflatorij, & serpentum cum diabolus vellet iterum aggrauare pœnas, & a prima incipere, tunc vidi Angelum Dei extendere manus suas super manus diaboli, ne aggrauaret tantum sicut in prima vice. Et sic in qualibet vice, Angelus Domini mitigabat pœnas illas. Anima vero post quamlibet pœnam eleuabat oculos suos ad Angelum, nihil tamen loquens, sed innuens in gestu suo, quod per eum consolabatur, & quod citius saluaretur. Item loquebatur verbum de pulpito mihi dicens. Omnia inquit ista, quæ tam seriose ostensa tibi sunt, apud Deum fiunt in vnico puncto, sed quia tu corporalis es. Ideo per similitudines ista tibi ostenduntur. Itaque quamuis Rex iste cupidus fuit ad honores mundi, & ad recipiendum, quæ non erant sua. Veruntamen quia timuit Deum, & aliqua delectabilia sibi dimisit facere propter timorem illum; ideo timor iste traxit eum ad charitatem Dei. Propterea scias, quod multi implicati multis sceleribus obtinent maximam contritionem ante mortem. Quorum contritio tam perfecta potest esse, quod non solum dimittitur eis peccatum, sed etiam pœna purgatorij, si in ipsa contritione moriuntur. Sed iste Rex non obtinuit charitatem antequam in ultimo puncto vitæ. Quia tunc deficientibus iam viribus & conscientia, obtinuit tamen ex gratia mea inspirationem diuinā, qua plus doluit de inhonoratione Dei, quam de dolore, & damno suo. Et iste dolor significabat lucem illam, de qua diabolus obtenebratus ignorabat quo animam Regis esset ducturus, nec ideo dixit se obtenebratum, quasi quod non haberet spirituales intelligentias, sed admirabatur in illa anima tantam lucis claritatem, & tantam immundiciam. Angelus vero sciebat bene quo duceret animam, sed quia non valebat eam tangere antequam esset purgata, sicut scriptum est. Nemo videbit faciem Dei, nisi prius mundificatus fuerit. Item loquebatur mihi verbum de pulpito dicens. Quod autem vidisti Angelum extendere manus suas super manus diaboli, ne aggrauaret pœnas significant potestatem Angeli super potestatem diaboli qua refrenat malitiam diaboli. Quia dęmon nullum modum, nullumque ordinem haberet in puniendo, nisi virtute Dei refrenaretur. Et ideo Deus adhuc in inferno facit misericordiam. Quia quamuis damnatis non erit redemptio, seu remissio, uel cōsolatio, tamen quia non puniuntur, nisi secundum merita, & iustitiam; ideo in hoc magna est Dei misericordia. Alias diabolus non haberet temperantiam, nec modum in malignando. Quod vero Rex iste videbatur tibi quasi puer nouiter natus significat, qui nasci voluerit de mundi uanitate ad cœlestem uitam, debet esse innocens, & gratia Dei crescere virtutibus ad perfectionem. Quod autem Rex leuabat ad Angelum oculos suos, significat, quod per Angelum custodem suum habebat consolationem, & de spe gaudium, eo quod sperabat se ad æternam vitam peruenturum. Sic ergo spiritualia, per corporales similitudines intelliguntur. Nam diaboli, vel Angeli, non habent talia membra, vel collocutiones cum sint spiritus, sed per tales similitudines, eorum bonitas, vel malignitas, corporalibus oculis declaratur. Item loquebatur verbum de pulpito, dicens mihi. Pulpitum, quod tu vidisti significat ipsam Deitatem, scilicet, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Quod vero non potuisti comprehendere pulpiti longitudinem, & latitudinem, nec profundum, nec altitudinē, significat, quod in Deo nō est inuenire principium, neque finem, quia Deus sine principio est, & erat, & sine fine erit. Quod vero quilibet color dictorum trium colorum videbatur in altero, & tamen vnus color discernebatur ab altero significat, quod Deus Pater æternaliter est in Filio, & Spiritu sancto, & Filius in Patre, & Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in vtroque, vna ueraciter natura, & distincti proprietate personarū. Qui vnus color videbatur sanguineus, & rubeus, significat filium, qui illesa deitate, humanam naturam assumpsit suam personam. Albus vero color significat Spiritum sanctum, per quem fit ablutio peccatorum. Aureus autē color significat Patrē qui est principium, & perfectio omnium. Non quod aliqua perfectio magis est in pa-

tre, quam in filio. Nec quod prius est pater, quam filius, & vt intelligas, quod non est idem pater, qui est filius, sed alius in persona pater, alius in persona filius, alia in persona Spiritus sanctus, vnum vero in natura. Ideo ostenduntur tibi tres colores discreti, & coniuncti. Discreti propter discretionem personarum, vniti vero propter vnitatem naturæ. Et sicut in vnoquoque colore vidisti reliquos colores, neque vnum sine alio videre potuisti, nec in coloribus aliquid prius, aut posterius, maius, aut minus. Sic in trinitate nihil est prius, vel posterius, maius vel minus, diuisim vel confusum, sed vna voluntas, vna æternitas, vna potestas, vnaq; gloria. Et licet Filius sit a Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque, nunquam tamen Pater fuit sine Filio, & Spiritu sancto, neq; Filius, & Spiritus sanctus sine Patre. Item loquebatur verbum ad me dicens. Liber qui in pulpito videbatur significat, quod in deitate est æterna iustitia, & sapientia, cui nihil addi, vel minui potest. Et iste est liber vitæ, qui non est scriptus sicut scriptura quæ est, & non fuit, sed scriptura huius libri semper est. In deitate quippe est, quod sempiternum est, & intellectiuum omnium, præsentium, præteritorum, & futurorum, absque transmutatione, & vicissitudine, & nihil est ei inuisibile, quia omnia videt. Quod vero verbum, vt dicitur loquebatur seipsum, significat, quod Deus est verbum æternum a quo sunt omnia verba, & in quo viuificantur, & subsistunt omnia. Et ipsum verbum tunc visibiliter loquebatur, quando verbum factum est caro, & cum hominibus conuersabatur. Ecce hanc visionem diuinam promeruit tibi Mater Dei. Et hæc est misericordia promissa regno Sueciæ, scilicet quod homines habitantes in eo, audirent verba, quæ procedunt de ore Dei. Quod vero pauci recipiunt, & credunt verba cœlestia, diuinitus tibi data, hoc non est culpa Dei, sed hominum, quia nolunt dimittere frigus mentis suæ. Nam etiam verba Euangelica non sunt completa cum primis regibus illius temporis, sed adhuc venient tempora, quibus complebuntur.

NOTAE.

1 Sic Deus in verbis suis facit, quia quandoque ascendit per iustitiam, quandoque iterum descendit per misericordiã sicut patuit in Rege, cui Propheta ex iustitia dixit quod moreretur.

Rex iste fuit Ezechias, cui Isaiæ 39. legimus Dei iussu Prophetam prænunciasse mortem, qui tamen tunc temporis iuxta vaticinium mortuus nõ est, cuius rei ratio redditur hic, cum dicitur, quod quandoque Deus ascendit per iustitiam, quandoque iterum descendit per misericordiam, per iustitiam namque descenderat Deus ad Ezechiam, quia is ob ingentem aduersus Senacherib reportatam victoriam in superbiam elatus, Deo debitas gratias non retulit, idque non diuinæ, sed suæ virtuti tribuit, ideo vt tunc moreretur iuste Deus decreuit, verum Ezechias audito diuino decreto, conuersus ad parietem fleuit, & piissimus Dominus iterum ad eum per misericordiam descendens, vitæ suæ annos quindecim adiecit quod etiam annotarunt Gloss. in locum citatũ Isaiæ & D. Augustinus li. 2. de mirabilibus Sacræ Scripturæ q. 23. & hoc in Deo mutationem non arguere fuse declarauimus lib. 2. Reuelat. cap. 18. nota prima.

2 Quandoque etiam loquitur Deus de futuris quasi de præteritis.

Sacræ literæ de futuris frequenter sermonem habent, tanquam de præteritis, vt legimus hic, ad quod probandum hoc loco sexcenta exempla afferre possemus, sat erunt duo, vt psal. 21. Dauid in persona Christi loquens dicit, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, quibus verbis Propheta prædicit a militibus in passione vestes Christi esse diuidendas, & super vnam ex his sortes esse mittendas, & tamen dicit diuiserunt, cum id postea factum sit, vt Matthæi 27. Marci 15, Lucæ 23. Ioan. 19. legimus, & psalm. 37. de eodem verbo faciens Dauid scripsit, dorsum meum in flagella paratum, quod etiam annotarunt D. Greg. homil. 1. in Ezechielem, & Procopius Isaiæ 43.

3 Tertia ratio, quia si consilium Dei certo decretur tempore.

Hoc loco per consilium intelligendum esse arbitror determinationem, & decretum, seu certam diuinæ voluntatis rationem, non enim in Deo propriæ est Consilium, quod cum inquisitio quadam sit, & discursum de agendis importet, non potest in Deo reperiri, qui vnico intuitu absq; discursu, & inquisitione aliqua, rerum omnium differentias, origines, & causas intuetur, vnde egregie docuit Damascenus lib. 2. de fide, cap. 22. dicit enim, quod Deus non consiliatur, ignorantis enim

Digitized by Google

enim est consiliari, idem affirmauit D. Thomas p. 2. q. 141 artic. 1. & tradidit etiam Chartusianus super Epistolam ad Ephesios cap. primo edisserens illa verba Apostoli, omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.

4 Tertia causa ne aliquis præsumat improbe discutere verba Dei.

Affert hic Beatissima Virgo causam quapropter in Sacris litteris quædam obscure tradantur, dicit enim inter cæteras supra allatas, hanc esse præcipuam, vt inde homines sciant, Scripturarum Sanctarum intelligentiam, non proprijs viribus comparari, neq; eam superbis a Deo conferri, humillibus vero tantummodo concedi, irridet enim scriptura sacra superbos, & paruulos pascit teste D. Augustino libro quinto super Genesim capit. 3. & Matt. 12. diuina mysteria a sapientibus absconduntur, & paruulis reuelantur, & 1. Corint. 1. affirmat Apostolus secundum carnem non multos reperiri sapientes, non multos potentes, non multos nobiles, sed quæ stulta sunt mundi Deum elegisse, vt confundat sapientes. Vnde egregie D. Hieronymus hac de re scribens ad Paulinam monet, Sacrarum litterarum intelligentiam a Deo esse petendam, multosq; profecisse magis in earum intellectu per orationem, quam per studij exercitationem.

5 *V*oluit, quod plures participarentur bonitatis eius, & ideo creauit Angelos.

Rectius M. S. Farnesianus voluit, quod plures participes fierent bonitatis eius, verum de Angelorum creatione actum est lib. quinto Reuelat. interrogat. nona, quæst. 2. vbi in responsione ad eam vna causa Angelorum creationis redditur, ibi, creaui spiritus, vt in libero arbitrio stantes secundum voluntatem meam gauderent, hoc autem loco legimus, eos fuisse creatos, vt fierent participes bonitatis eius, spectat namq; ad bonitatem diuinam se creaturis communicare, bonum enim natura sua est diffusiuum; tangitur quoq; hic causa ruinæ Angelorum in his verbis, quorum quidam attendentes pulchritudinem suam. sed hac de re pluribus in locis tractauimus, & ex Sacris doctoribus quæsiuimus, quod nam fuerit proprium peccatum eorum, vide Annotationem nostram tertiam, & quartam libri primi Reuelat. capit. 34. & lib. 2. cap. 12. nota prima, & eiusdem libri cap. 17. nota 2. & libro quarto cap. 106. nota prima.

6 Verum postea Deus videns in exercitu suo diminutionem.

Vidit Deus in exercitu suo diminutionem, quando Angeli mali a Iustitia, & gratia Dei recedentes a Cælo deiecti sunt, ideoq; Dei exercitus hoc loco diminutus esse scribitur: ex quo creatus est homo, vt Angelorum ruinæ repararentur. hinc est, quod libro 2. Reuelat. cap. 17. vbi verba præsentis notæ eadem habentur, legimus dixisse dæmones de hominum creatione loquentes, ecce Deus quoddam nouum fecit, quod in locum nostrum potest ascendere, & pugnando vincere, quod nos negligenter reliquimus. Cæterum an prius fuerint creati Angeli, quam homines, vide ibi nota tertia, & lib. quinto, Interrogatione nona, q. 2. vbi plurima, quæ ad horum intelligentiam faciunt tradidimus.

7 Donec tot homines ascenderent Cœlum, quot Angeli de Cœlo ceciderunt.

Propter diminutionem in exercitu diuino factam, ob peccatum Angelorum, vt superiori nota docuimus, creatus est homo, qui diminutum exercitum instauraret, vtq; tot homines ascenderēt, quot Angeli descenderunt, quæ instauratio per Christum facta est, vt Paulus Apostolus ad Ephes. primo tradit his verbis, instaurare omnia in Christo, & quæ in Cælis, & quæ in terris, vbi Gloss. exponit hoc est numerum Angelorum diminutum implere, idem affirmarunt Primasius, Liranus, & Cartusianus ibi.

8 Tunc vero Protoplasti senserunt iustitiam, quando nuditatem obtinuerunt pro vestitu gloriæ.

Postquam primi parentes, qui per verbum protoplasti hoc loco significantur, hoc est primo formati, contra Dei præceptum vetitum Pomum manducauerunt, statim nudos se esse animaduertentes, & propriam nuditatem erubescentes, a Deo se absconderunt, vt Genesis 4. scribitur, & tunc diuinam sensisse iustitiam dicuntur hoc loco, erant enim prius ambo nudi, nec erubescebant, vt Genesis 2. scribitur, post vero peccatum nuditatis pœnam luere cœperunt.

9 Cuius pulpiti aspectus erat, quasi radius Solis, habens colorem rubeum, & album, & aureum fulgentem.

Per Solis Radium, qui tres hoc loco habere colores legitur Beatissima Virgo Sacrosanctum Trinitatis mysterium designat, per aureum colorem Patrem indicat, per Rubeum filium, per album vero Spiritum Sanctum, quæ omnia circa finem huius capitis declarantur ibi, his verbis, quod vnus color videbatur sanguineus, & rubeus, significat filium, qui illæsa deitate humanam naturam assumpsit, albus vero color significat Spiritum Sanctum, per quem peccatorum ablutio fit. aureus autem color significat Patrem, qui est principium, & perfectio omnium, non quod aliqua perfectio magis sit in Patre, quam in Filio, nec quod prius sit Pater, quam Filius, & vt intelligat, quod non est idem Pater, qui est Filius, sed alius in persona Pater, alius in persona Filius, alius in persona Spiritus Sanctus, vnum vero in natura, ideo ostenduntur tibi tres colores discreti, & coniuncti. Cæterum plures etiam ex Sanctis Patribus Radij solarij similitudine vsi sunt, vt Sanctissimum Trinitatis mysterium insinuarēt, sic Tertullianus aduersus Praxeam, Eusebius Emissenus homil. 1. de Symbolo, Greg. Nazianz. de deitate, Athanasius

in

Digitized by Google

in Epistola de decretis Nicenæ Synodi, & hi Patres hanc similitudinem in eo esse positam docent, quod sicut radij Solis sunt vnius substantiæ cũ Sole, & tamen nemo radium appellat Solem, nec è cõuerso, quia Sol vnus est, Radij plures sic in Sanctissima Trinitate personæ diuinæ vnum sunt in substantia, plures in personis & alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, & sicut non potest esse Sol sine splendore, & radijs, nec ignis sine calore, nec virtus, sine fortitudine, nec ratio sine sapientia, nec veritas sine iustitia, nec bonitas sine misericordia, ita nec Pater sine Filio, nec vterque sine Spiritu sancto, & sicut Sol idem manens non minuitur radijs ab ipso effusis, ita nec Pater diminutionem aliquam, aut mutationem patitur communicando suam essentiam filio, nec vterq; communicando eandem naturam Spiritui Sancto.

10 Post hæc autem in ipso pulpito vidi librum resplendentem quasi aurum fulgentissimum.

Hoc loco per librum insinuatur notitia Dei, quã habet prædestinatorum, & quoniam hic sermo fit de duobus Regibus, quorum causa agitur coram Christo iudice præsentibus B Brigitta, Angelo custode, & Dæmone, eorũ Regum merita, ac demerita referentibus, ideo per librum, quem vidit in pulpito B. Brigitta, credimus designari notitiam Dei, quam de horum Regum prædestinatione, & reprobatione habet, quod aperte cõstat ex quibusdã verbis, quæ habentur circa finem præsentis capitis ibi liber, qui in pulpito videbatur significat, quod in deitate, est æterna iustitia, & sapientia, cui nihil addi, vel minui potest, & ipse est liber vitæ, qui nõ est scriptus sicut scriptura, quæ est, & non fuit, sed scriptura huius libri semper est, in deitate quippe est, quod sempiternum est, & intellectiuum oĩum præsentium, præteritorũ, & futurorum: atq; in hũc eundem sensum, etiam in Sacris litteris liber quandoq; summitur, vt Psal 68. deleantur de libro vitæ, sic Cassiodorus, Eutimius, & Hillarius docent exponentes hunc versiculum, & Gloss. etiã ibi, et probat D. Thomas p. p. q. 24. art. 1. & Liranus in Epistola Pauli ad Filippenses 4. ad ea verba, quorum nomina sunt in libro vitæ, sed hac de re vide Burgensem additione 8. in cap. 32. Exodi, vbi quadrupliciter librũ vitæ in Sacra script. summi notat, primo quod sit scriptio eorum, qui sunt electi ad vitam æternam, secundo sumitur pro eo, in quo scribuntur ea, quæ ducunt ad eam, & sic nouum, & vetus testamentum dicuntur liber vitæ, tertio dicitur liber vitæ vis diuina, qua fit, vt cuilibet in memoria reducantur facta sua, sic Danielis septimo libri aperti sunt, quarto reperitur etiam liber iustorum, & is est, in quo res gestæ Sanctorum ad memoriam futuram scribuntur.

CHRISTVS DECLARAT sponsæ, quare Deus plagauit populum Israel in deserto, & non in Aegypto, & de probatione Moysis. Et reprehendit quendam regem cum comminatione, quia non compatiebatur subditis, & regebatur per malos consiliarios, nec confidat in hoc, quod antea vocauerat eum amicum.

CAP. XLIX.

LOquebatur Dominus ad sponsam dicens. Tria genera hominum erant in populo Israel. Quidam eorum diligebant Deum, & Moysen. Alij plus se quam Deum. Alij vero nec Deum, nec Moysen, sed terrena sola. Cumq; populus iste esset in Aegypto, omnes vocabantur Filij Dei, & Filij Israel, sed non omnes æquali mente seruiebant Deo. Sic etiam cum Deo placuit educere populum de Aegypto, quidam crediderunt Deo, & Moysi. Alij autem exacerbabant Deum, & Moysen, ideo Deus ostendit misericordiam suam magnam, & iustitiam induratis. Sed poteris quærere. Cur dominus eduxit populum, & non magis plagauit eum in Aegypto, cum ipse presciuit nondum esse tempus miserendi, nec malitias hominum esse completas? Respondeo ego ipse. Deus elegit populum Israel quasi scholares ad instruendũ, & probandum eos in deserto, quibus necessarius erat pedagogus, qui verbo, & opere præcederet eos. Vt ergo discipuli perfectius instruerentur, magis necessarium fuit desertum, quam Aegyptus, ne forte in disciplina iustitiæ Dei, inquietarentur nimium de Aegyptijs, aut ne inter signa misericordiæ abscondenda canibus, improbe eleuarentur. Moyses quoq; tanquam magister populi probari debuit, vt qui Deo manifestus fuerat, etiam discipulis ad imitandum notus fieret, qui ex populi insipientia factus est probatior, & ex signis insignior,
1 notusque esset vniuersis. 1 Vere dico, quod etiam sine Moyse eductus fuisset populus, & sine Moyse moriturus erat populus. Sed propter bonitatẽ Moysi, leuius mortuus est populus, & propter charitatẽ Moysi sub-

si sublimius est populus coronatus. Nec mirum, quia in omnium morte passus est Moyses, ex compassione. Ergo ideo dominus distulit promissum suum, vt probaretur populus, & Deus notus fieret ex signis, & misericordia, & patientia sua, populi quoq; ingratitudo, & voluntas ostenderetur in cautelam futurorum. Sic etiam multi Sancti, in terras infidelium intrauerunt ex inspiratione Spiritu sancti, qui non consecuti sunt quod voluerunt, & tamen propter voluntatem bonam sublimiter coronati sunt propter quorum patientiam, & bonam voluntatem, Deus accelerauit tempus miserendi, & viam nouam quam ipsi attentabant, eo celerius perduxit ad effectum. Sic ergo iudicia Dei semper veneranda, & timenda sunt, & summe cauendum, ne voluntas hominis contraria sit voluntati Dei. Verum Rex iste de quo tibi loquor, quem tu nosti, non sic affectus erat sicut Moyses. Quia iste non curabat si totus populus suus moreretur, dum tamen ipse solus saluaretur, & honoraretur, qui & diabolicis consiliis regebatur, qui noluit dimittere pertinaciam, & instabilitatem mentis suæ, nec voluit obedire in consilio, his quibus debuit de quibus habere poterat lac diuinæ sapientiæ, & bonæ correctionis. Nec mirum. Nam ipse processit de radice hominis exasperantis Deum, & ideo non corrigitur nisi per flagella.

Scito etiam, quod in isto Regno quadruplex generatio regum fuit. In prima fuit ambitio, & crudelitas, quam tolerabat Deus propter quædam opera bona, & propter peccata populi. In secunda fuit incontinentia, & iniustitia, quam misericorditer humiliauit Deus, & vocauit super coronam. Tertia generatio processit de ambitiosa radice, & duro stipite in qua erat cupiditas, & amor sui, ideo puniuit eam Deus temporaliter, vt leuius haberet in futurum. In quarta est simulata humilitas, & defectus iustitiæ, & prodigalitatis. Ideo ex charitate ostendam ei misericordiam, & iudicium, & si non audierit flagellabo eum a capite, vsque ad calcaneū, intantum quod omnes qui audierint mirabantur, & contremiscent de Dei iustitia, & equitate. Nec confidat, quod dixi eum amicum, sed attendat ad conclusionem verborum, scilicet si tenuerit fidem suam mecum, & tunc ego tenebo promissionem meam.

NOTAE.

1 Vere dico, quod etiam sine Moyse eductus fuisset populus, & sine Moyse moriturus erat populus, sed propter bonitatem Mosis leuius mortuus est.

Quemadmodum sine Mose Iudæorum populus Idolatriæ peccatum commisit, adorando vitulum aureum; ita quoq; pro huiusmodi delicto, populum absq; Mose Deus castigasset, verum ob charitatem, & Mosis probitatem mitius actum est cum Iudæis, sicut legimus hic, sed hæc difficile admodum intelligi possunt, nisi legatur caput trigesimū sextū Exodi, I quo tota huius rei habetur historia, vbi in fine capitis scribitur, percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron, quo loco scriptura Sacra non explicat, quo mortis genere, quoue supplicio affecti fuerint, & in præsenti capite legimus, quod mortui sunt, quidam ergo affirmarunt triplici morte fuisse punitos, primo aquæ potu, quo alij inflati sunt, alij vero obierunt, secundo quosdam leuitarum gladio fuisse occisos, tertio plures etiam mortalitate a Deo immissa perijsse, & ex mortuis secundum aliquorum sententiā fuerunt in vniuersum viginti tria millia, indicat hoc Liranus in locum citatum Exodi. Cæterum Hieronymus Oleaster ibidem arbitratur, omnes fuisse Mosis occisos imperio, in hoc autem inferendo supplicio Deus misericordiam suam ostēdit, vt ex sententia cuiusdam Rabini probat Liranus vbi supra, qui affirmat, quod in omni infortunio, quod postea accidit Iudæis propter Idolatriæ peccatum solutum est aliquid de pœna debita.

CHRISTI VERBA

reuelata sponsæ pro Imperatore Alemaniæ, quod ipse conetur reformare in Ecclesia Dei quatuor sorores, idest quatuor virtutes, quæ expulsæ sunt de sedibus suis, & quod deponantur, & extirpentur quatuor vitia contraria, quæ proh dolor in Ecclesia dominantur.

CAP. L.

CHRISTVS præcepit sponsæ, quod quasi a seipsa scriberet Imperatori verba reuelationis diuinæ in hæc verba. Conqueror non solum &c. Istud capitulum inuenies in quarto libro, capit. 45.

Im-

Digitized by Google

IMPERATOR CHRISTVS scribit Imperatori Alemaniæ notificans ei qualiter ipse ore proprio multa locutus est cum sponsa, quæ in lib. cœlesti scripta sunt. Et præcipit ei, quod videat, & perscrutetur ea, & conetur cum summo Pontifice ad confirmationem regulæ, quam ipse dictauit sponsæ.

CAP. LI.

LOquebatur Christus ad sponsam dicens. Scribe ex parte mea Imperatori verba hæc. Ego sum lux illa, quæ illuminaui omnia, quando tenebræ operiebāt omnia. Ego sum etiam lux illa, quæ inuisibilis per deitatem, visibilis vero apparui per humanitatem. Ego sum etiam lux illa, quæ te quasi speciale lumen constitui in mundo, vt in te inueniretur maior iustitia præ alijs, & vt dirigeres omnes ad iustitiam, & pietatem. Ideo significo tibi ego vera lux, qui te ascendere feci ad sedem imperialem, quia sic placet mihi. Ego loquor cum vna fœmina verba iustitiæ meæ, & misericordiæ. Suscipe igitur illa verba librorum, quæ ipsa mulier scripsit de ore meo, & perscrutare illa, & labora, vt iustitia mea timeatur, & misericordia mea discrete desideretur. Scias etiam tu, qui imperium tenes, quod ego omnium conditor, dictaui vnam regulam monialium, ad honorem amantissimæ Virginis Matris meæ, & dedi illam isti mulieri, quæ scribit tibi. Perlege igitur eam, & conare cum summo Pontifice, vt dicta regula ore meo proprio dictata, per eum, qui in mundo vicarius meus est, etiam apud homines approbetur, quam ego Deus coram exercitu meo celesti approbaui.

CHRISTVS CONSVLIT cuidam Regi, qui inobediens fuerat consilijs Virginis Mariæ, quod vadat ad Papam, & petat ab eo absolutionem, de certis grauibus peccatis suis hic contentis, non occultando peccata, nec excusando, sed humiliando se toto corde, quia summa peccata per summum Pontificem sunt absoluenda.

CAP. LII.

FIlius Dei loquitur sponsæ dicens. Quia Rex inobediens fuit consilijs Matris meæ. Ideo nunc ego filius Dei, qui sum in Matre, consulo ei, quod egrediatur, & vadat ad summum Pontificem, petendo humiliter absolutionem a peccatis suis. Nam summa peccata emendanda sunt cum Summo Pontifice, habente potestatem summam. Ille enim est summæ potestatis, qui in sede mea sedens in mundo, potestatem habet ligandi, & soluendi nomine meo. Ideo si rex acquieuerit consilio meo, dabo ei preciosissimum thesaurum, & defendam eum ab inimicis suis, omniaq; debita sua soluam, vel corporaliter, vel spiritualiter, si ipse non sufficit soluere, & quemlibet passum pedis quem laborauerit amore meo numerabo, & remetiar ei in æterna vita. Cum vero ipse Rex peruenerit ad summum Pontificem humiliet se ex toto corde, non occultando peccata, nec excusando, sed petendo absolutionem, de inobedientia constitutionem Sanctæ Ecclesiæ Dei, de excommunicatione qua innodatus est, & publico periurio, de insolito grauamine communitatis populorum regni sui, & de promotione indignorum clericorum ad Ecclesiastica beneficia occasione sua, & de his, quæ idem Rex attentauerat contra laudabilia statuta Regni, & Episcoporum.

Chri-

CHRISTVS CONSVLIT per sponsam supra proximo Regi, quod vadat ad Papam non cum pompa, & magna familia, largiendo dona sua prodigaliter, vt laudetur in terris, sed quod vadat humiliter, & sapienter, habendo familiam necessariam, honestam, & deuotam.

CAP. LIII.

Dominus loquebatur ad sponsam dicens. Si Rex egrediatur, & vadat ad summum Pontificem, & peccata sua reputat magna, caueat sibi de adulantibus, qui consulunt, quod egrediatur, & vadat cum pompa, ad hoc vt laudetur nomen suum in terris, & ab illis, qui consulunt ei dare dona sua largiter, vt publicetur fama sua, & congregare familiam multam ne capiatur ab hostibus, sed egrediatur sapienter, & humiliter habendo familiam necessariam, & non superfluam, habendo famulos deuotos, & honestos, expendendo sua non ad ostentationem suam, sed ad vtilitatem, & honorem Dei. Caueat autem prudenter ab illis, qui ei nocere appetunt, quia licet ego omnia possum, tamen quandoque humanis consilijs, & auxilijs agendum est. Nam quamuis ego cum Moyse loquebar, tamen ipse etiam consilium pagani hominis, quod bonum erat audiuit, & sequebatur.

CHRISTVS PER SPONSAM monet Reges, quod exonerent se a peccatis, & exemplo Angeli, qui precinctus ad viam apparuit Thobiæ, precingant se zona, idest continentia verborum, & operum bonorum antequam exeant de mundo, & quod portent vestes non detruncatas, sed honestas, & gestus moderatos.

CAP. LIIII.

Dominus loquebatur ad sponsam de supra proximo dicto Rege dicẽs.
1 Scriptum est, quod Angelus Dei apparuit precinctus Thobiæ volenti peregrinari, hoc notat figuram hominis iusti. Nam homo qui consequi desiderat remissionem peccatorum suorum debet exonerare se contritione, & confessione a peccatis suis, & pręcingere se continentia verborum, & operum bonorum. Sic igitur faciat Rex iste. Corrigat enim omnes actus suos antequã exeat de mundo habendo propositum sic abijcere omnes leuitates priores, quod amplius in eis non delectetur. Turpe quippe est vouere pulcherrimo domino, sequi eius pulchritudinem, & iterum deformia imitari, nam famuli Dauid rasi turpiter barba, & detruncatis vestibus, non poterant intrare Hierusalem terrestrem, nisi prius emendatis vestibus, & renascentibus barbis, sed remanserunt in loco tribulationis, & despectionis. Quanto magis ego Deus pulchrior, & fortior illo Dauid, quæro pulchra in hominibus, non enim volo, quod portent detruncatas vestes more scurrarum, non gestus muliebres more effeminatorum, sed concedo hominibus vtilia, & honesta, vt vestiti sint ad vtilitatem, & honesti ad honorem meum, & parati reddere mihi rationem, quando mihi placuerit vocare eos de mundo.

NO-

NOTAE.

1 SCriptum est, quod Angelus Dei apparuit precinctus Thobiæ volenti peregrinari.

Sic Thobiæ capite quinto legitur, egressus Thobias inuenit iuuenem splendidum stantem precinctum &c. Sed de hac Angeli apparitione actum est, lib. 3. Reuelat. cap. primo, nota secunda, vbi per Angelum precinctum metaphorice significari Episcopos, & Sacerdotes admonuimus.

CHRISTVS CONSOLATVR sponsam, & dicit ei, quod non sileat verba Dei sibi reuelata, etiam si ex hoc improbetur, nec ea loquatur propter laudes hominum, quia quibus diuina consilia dantur, si eis obedierint obtinebunt misericordiam promissam, si vero contempserint, incurrant iustitiam.

CAP. LV.

FIlius Dei loquebatur ad sponsam dicens. Tu quæ spiritualia vides, nō ideo silere debes, quia vituperaris, nec ideo loqui, quia laudaris ab hominibus, nec timere debes ex eo, quod verba mea tibi diuinitus reuelata cōtemnuntur, & non statim perficiuntur. Nam illum, qui me contemnit iudicat iustitia. Illum vero, qui obedit mihi remunerat misericordia. Et hoc dupliciter. Primo, quia pœna peccati abolebitur de libro iustitiæ. Secundo, quia merces augetur iuxta satisfactionem peccatorum. Et ideo omnia verba mea sub hac conclusione mittuntur; videlicet, si hi quibus verba mea mittātur, audierint, & crediderint, & illa opere adimpleuerint, quia tunc promissa mea cōplebuntur. Propterea, & Israel nolens præcepta mea sequi, dimisit viam rectam, & compendiosam, & iuit per vnam prauam, & laboriosam, & factus est omnibus odiosus, quorum multi sunt in inferno, plures vero sunt in cœlo. Sic etiam est, & nunc. Nam populus istius regni quem ego plagauerā, non est propter plagam humilior factus, nec obedientior, sed factus est audacior contra me, & magis contrarius mihi. Post hæc autem audiui vocem dicentem. O inquit fili mi, qui humanum genus liberasti morte tua de inferno, surge, & defende te, quia multi viri, & mulieres, excluserant te a corde suo. Ingredere igitur Regnum sapienter sicut Salomon, aufer de postibus summas portas fortiter sicut Samson. Pone obsidionem contra clerum, & decipulas ante pedes militum, deterre mulieres cū armis, & deijce potentes coram communitate populorum. Nullusq; inimicorum tuorum euadat, antequam cum vera humilitate illi petant misericordiam, qui contra te indurantur.

DEVS PATER DECLARAT sponsæ, & ostendit ei, & seriose processum terribilem diuini iudicij factum contra quendam ingratum Re-
1 gem adhuc viuentem, & inobedientem diuinis consilijs, & qualiter sponsa videbat agnum, & in eo faciem humanam in altari diuinæ maiestatis in Cœlo, & in eodem instanti videbat eum in manu presbyteri celebrantis in mundo, & qualiter famuli, & subditi Regum afflicti existentes in mundo, & in inferno, & in purgatorio, conquerebantur Deo grauiter de eisdem Regibus, & Principibus suis, & omnes sancti petebant super eos iustitiam.

CAP. LVI.

DEus pater loquebatur spōsæ dicens. Audi quæ loquor, & loquere, quæ præcipio tibi, non propter honorem tuum, nec propter vituperium tuum, sed equanimiter, & equaliter tene in animo tuo laudantem, & vituperantem, vt nec propter vituperium mouearis ad iram, nec propter laudem extollaris ad superbiam. Nam ille dignus est honore, qui æternaliter est in seipso, & fuit, & qui ex charitate creauit Angelos, & homines ad hoc solum, vt plures participarentur gloriæ eius. Ego quippe nunc idem, & ille sum in potentia, & voluntate, qua tunc fui

Digitized by Google

fui quando filius meus carnem assumpsit. In quo ego sum, & fui, & ipse in me, & Spiritus sanctus in ambobus, & licet mūdo fuit occultum, quod erat filius Dei, tamen aliquibus quamuis paucis notum fuit. Itaq; scias, quod hæc est iustitia Dei quæ nunquam habuit initium, sicut nec ipse Deus.

1 1 Quod prius Angelis ostensa fuit lux, quā viderent Deum, qui non ideo ceciderunt, quod ignorabāt legem, & iustitiam Dei, sed quia eam tenere, & seruare noluerunt. Illi quippe intelligebant, quod omnes diligentes Deum viderent Deum, & manerent cum eo perpetuo, odientes vero Deum punirentur æternaliter nunquam visuri eum in gloria sua. Et tamen eorum cupiditas, & ambitio elegit magis odire Deum, & locū vbi punirentur, quam diligere, vt perpetuæ lætarentur. Similis etiam iustitia est de homine, sicut de Angelis fuit. Homo quippe prius tenetur diligere Deū, & postea videre, propterea Filius meus ex charitate nasci voluit post legem iustitiæ, vt ex humanitate visibilis esset, qui in deitate sua nō poterat

2 videri. 2 Liberum quoq; arbitrium ita datum est hominibus sicut Angelis, vt desiderent cęlestia, & contemnent terrena. Propterea ego Deus visito multos multis modis, licet deitas mea non videtur, & in multis partibus terrarum ostendi multis personis, quomodo peccatum cuiuslibet terræ emendari potuit, & quomodo misericordia obtineri debuit, prius quam in eisdem partibus feci iudicium, & iustitiam meam. Sed homines ista non attendunt, nec curant. Ista etiam iustitia est in Deo, quod omnes qui sunt super terram, primo sperent firmiter ea, quæ non vident, & credant Ecclesiæ Dei, & sancto Euangelio. Deinde diligant eū super omnia, qui eis dedit omnia, & seipsum pro eis in mortem, vt omnes cum eo æternaliter lętarentur. Propterea ego ipse Deus loquor his, quibus mihi placet, vt sciatur quomodo peccata emendari debeant, & quomodo minuatur pœna, & corona augeatur. Post hæc autem vidi quasi quod omnes cęli essent vna domus, in qua sedebat in throno iudex, & domus plena erit seruitoribus, laudantibus iudicem, vnusquisq; voce sua. Subtus vero cęlum, videbatur vnum regnum. Et statim audita est vox omnibus audientibus dicens. Venite inquit vos ambo, Angele scilicet, & diabole ad iudicium. Tu scilicet Angele, qui custos es regis, & tu diabole qui rector es regis. Et statim prolato verbo, assistebant Angelus, & diabolus coram iudice. Angelus videbatur sicut homo turbatus, diabolus vero sicut homo gaudens. Et tunc iudex dixit. O Angele, ego posui te custodem regi, quando ipse iniuit pactum mecum, & fecit confessionem de omnibus peccatis, quę commiserat a iuuentute sua, vt esses ei propinquior diabolo. Quomodo igitur nunc elongatus es ab eo? Respondit Angelus. O iudex, ego sum ardens igne charitatis tuæ, qua & Rex ad tēpus calefactus fuit, sed quando rex abominatus est, & contempsit illa, quæ amici tui dixerunt sibi, & attediatus fuit facere illa, quæ tu cōsuluisti ei, tunc iuit Rex sicut propria delectatio attraxit eum, & elongans se a me, appropinquauit omnibus horis inimico. Respondit diabolus. O Iudex, ego sum ipsum frigus, & tu es ipse calor, & ignis diuinus. Sicut ergo quilibet appropinquās tibi fit ardentior ad opera bona, sic rex appropinquās mihi factus est frigidior ad charitatem tuam, & calidior ad opera mea. Respondit iudex. Persuasum fuit regi diligere Deum super omnia, & proximum sicut seipsum. Cur ergo tu surripis hominem a me, quem ego redemi meo proprio sanguine, & facis eum nocere proximo suo, non solum ad bona temporalia, sed etiam ad vitā? Respondit diabolus. O iudex, nunc meū est loqui, & Angeli est tacere. Nempe quando rex discessit a te, & consiliis tuis, & venit ad me, tunc ego consului ei diligere plus seipsum, quam proximum, & quod non curaret commoda animarum si haberet honorem mundi, nec attenderet quis egeret, vel fraudaretur, si amici sui abundarent. Et tunc ait iudex ad diabolum. Omnis inquit qui discedere voluerit a te, poterit quidem nec tu violenter aliquem retinere poteris. Ideo adhuc ego mittam regi aliquos amicorum meorum, qui eum de periculo suo incautabunt. Respondit diabolus. Iustitia est, quod omnis ille, qui obedire velit mihi, regi debet per me, & ideo mittam etiam Regi consiliarios meos, & videbitur quibus consiliis magis acquiescet. Tunc autē dixit iudex. Vade, quia iustitia mea est adiudicare carnifici, quod suum est, sicut & actori, quod ei debetur in causa sua. Post aliquos autem annos, iterum vidi iudicem Christum cum exercitu suo cęlesti, plus solito commotum, & quasi iratum, & dixit ad Angelum, & ad diabolum. Dicite inquit, quis vestrum vicit? Respondit Angelus. Quando ego veni ad Regem cum diuinis inspirationibus, & amici tui cum verbis spiritualibus statim nuncij diaboli, sibilauerunt in aures eius dicentes. Nunquid parcere vis bonis temporalibus, & honori tuo aut animabus, & corporibus ad hoc, vt amici tui quos plus diligis, quam te ipsum, prosperari, & honorari possint. Quibus

Rex consentiens respondit infusionibus amicorum tuorum. Satis inquit sum sufficiēs, & sapiens ad cōsilia, etiam sine vobis, discedite ergo a me cum rubore. Et sic rex vertens ad te occiput, & faciem ad inimicum, repulit a se amicos tuos dehonoratos, & iniuriatos, & ab amicis mundi derisos. Tunc autem clamauit diabolus. O iudex, ecce iam meum est regere regē, & dare sibi consilia per amicos meos. Respondit iudex. Vade, & quantum tibi permittitur plaga regem, quia prouocauit me contra se ad indignationem. Duobus itaq; annis post hæc translactis apparuit iterum iudex, cui assistentibus Angelo, & diabolo, loquebatur diabolus dicens. O iudex iudica, iam ego pronunciabo iustitiam, tu quippe es vere ipsa charitas, ideo non pertinet ad te manere in corde illo, in quo radicata est inuidia atq; ira. Tu etiam es ipsa sapientia, & ideo nō debes esse in corde illius, qui desiderat nocere vitæ proximorum, & bonis, & honori. Tu quoq; es ipsa veritas, & ideo non decet te morari cum homine illo, qui iureiurādo promiserat facere proditiones. Ergo quia iste rex expuit te sicut illud expuitur, quod abominabile est, ideo permitte me commouere, & opprimere eum, vt fiat totus exanimis, quia consilia mea reputat sapientiam & consilia tua pro derisu. Desidero quippe tali mercede remunerare eum, quia fecit voluntatem meam. Veruntamen nihil ei facere potero sine permissione tua. Et ecce his auditis videbatur iudex quasi habere mutationem mirabilē, & apparuit tunc fulgens quasi Sol, & in ipso Sole videbantur tria verba, scilicet virtus, veritas, & iustitia. Virtus vero loquebatur dicens. Ego omnia creaui, nullorum præcedentibus meritis, & ideo dignus sum honorari a creatura mea, & non contemni, dignus etiam laude sum ab amicis meis, propter charitatem meam, debeo etiam honorari, & timeri ab inimicis, quia supporto eos patienter sine meritis eorum, cum iudicium digne promeruissent. Et ideo o diabole, meum est iudicare omnes secundum iustitiam meam, & non secundum malitiam tuam. Loquebatur etiam veritas statim dicens. Ego in deitate mea assūmpsi humanitatem de virgine, in qua humanitate loquebar, & prædicabam gentibus. Ego etiam misi spiritū sanctum Apostolis, & loquebar per linguas eorum, sicut & quotidie quibus mihi placet, infusione spirituali loquor. Ideo sciāt amici mei, quod ego ipse qui sum veritas, misi verba mea vni regi, quæ ipse contempsit. Ergo tu diabole nunc ausculta, quia ego loqui volo, vt sciatur vtrum rex meis consiliis, an tuis suasionibus obediuit. Loquor autem consilia dicto regi, nunc repetendo verbis paucioribus, quæ prius latius explicaueram. Itaque Regi persuasum fuit, cauere ab omnibus peccatis prohibitis ab Ecclesia sancta, & moderata habere ieiunia, vt audiret, & responderet subditis suis conquerentibus, & paratus esset facere iustitiam diuinitus, & pauperibus petentibus, ne forte propter nimiam abstinentiam, diminueretur bonum communitatis populorum regni, & regimen reipublicæ, aut propter excessum inordinatum fieret remissior, ad dandum audientiam omnibus.

Item fuit persuasum regi, qualiter seruiret Deo, & oraret, & quibus diebus, & temporibus exoccuparet se, ad vtilitatem communitatis Regni sui. Item persuasum fuit regi, quibus diebus portaret coronam regiam ad honorem Dei, & quod omnia consilia sua tractaret cum hominibus diligentibus veritatem, & amicis Dei, nec vnquam scienter transgrederetur veritatem, & legem, sed nec communitati populorum regni sui, imponeret aliqua grauamina insolita, nisi pro defensione regni, & impugnatione paganorum. Item persuasum fuit regi, habere numerum familiarium, & seruientium, iuxta facultatem obuentionum, & redditum fiscalium Regni sui. Et quicquid superesset, diuideret cum militibus, & amicis suis. Item persuasum fuit Regi, quod insolentes, & insipientes admoneret sapienter, cum verbis, & charitate, & corriperet viriliter; & quod diligeret prudentes, & maturos in charitate diuina, inhabitantes in Regno defenderet, & dona sua cum discretione donaret. Et omnia illa quæ spectant ad coronam, non diminueret, nec alienaret, indigenas, & extraneos iuste iudicaret, clerum amaret, militiam sibi charitatiue associaret, & communitatem populorum Regni sui, in pace confoueret. His autem auditis, respondit diabolus iudici dicens. Et ego consului regi peccata quædam facere in occulto, quæ ipse non audebat in aperto agere. Cui etiam persuasi, diu & multas orationes, & psalmos legere, sine attentione, & deuotione cordis, vt sic inaniter prolongando, & occupando tempus, nullos conquerentes audiret, nec aliquam iustitiam faceret iniuriam patienti. Persuasi quoque regi, vt cæteris bonis viris Regni despectis, vnum super omnes homines eleuaret, & præ omnibus præficeret, & eum plus, quam se toto corde diligeret, etiam proprium filium odiret, communitatem populorum Regni sui

sui exactionibus grauaret, homines interficeret, & Ecclesias spoliaret. Item persuasi Regi, vt dissimulando iustitiam permitteret, vnumquemq; nocere alteri, & vt cuidam magno Principi alterius Regni fratri meo adiurato, alienando donaret terras pertinentes coronæ suæ, ad illum finem, vt proditiones, & bella suscitarentur, boni, & iusti tribularentur, mali ad infernum mergerentur profundius, purgandi in purgatorio affligerentur grauius, mulieres quoq; violarentur, naues in mari depredarentur, sacramenta Ecclesiæ contemnerentur, & vt vita luxuriosa licentius continuaretur, omnisque voluntas mea liberius perficeretur. Itaque o Iudex, ex istis iam factis, & per regem opere iam completis, & pluribus alijs peccatis, probari, & sciri potest, vtrum Rex tuis consilijs an meis obediuit. Post hæc autem loquebatur iustitia, & respondendo dixit. Quia Rex odiuit virtutem, & contempsit veritatem, ideo iam pertinet ad te, augere aliqua mala Regi de malis tuis, & ego debeo secundum iustitiam diminuere illi aliqua bona, de gratijs sibi datis. Respondit diabolus. Ego inquit o iudex, augebo, & multiplicabo Regi dona mea, & primo immittam ei negligentiam; vt non attendat opera diuina in corde suo, nec recogitet opera, & exempla amicorum tuorum. Respondit iustitia. Et ego inquit, diminuam ei infusiones spiritus mei sancti, & subtraham ei recordationes, & consolationes priores, quas prius habuit bonas. Et tunc diabolus. Ego inquit immittam ei audaciam, cogitandi, & operandi peccata mortalia, & venialia. absque rubore & verecundia. Tunc respondit iustitia, ego diminuam ei rationem, & discretionē, ne discernat, & discutiat retributiones, & iudicia, mortalium, & venialium peccatorum. Et dixit diabolus. Ego immittam ei timorem, ne audeat loqui, vel facere iustitiam contra inimicos *Dei*. Respondit iustitia. Ego diminuam ei prudentiam, & scientiam agendorum, vt similior videatur fatuo, & ioculatori in verbis, & operibus suis, quam homini sapienti. Tunc dixit diabolus. Ego apponam ei anxietates, & tribulationes cordis, eo quod non prosperabitur secundum voluntatem suam. Respondit iustitia. Ego inquit diminuam ei consolationes spirituales, quas olim habuit in orationibus, & factis suis. Dixit autem diabolus. Ego apponam ei astutiam, excogitare solertes adinuentiones, quibus circumueniat, & decipiat eos, quorum desideret perditionem. Respondit iustitia. Ego diminuam ei tantum intellectum, quod non attendat proprium honorem, & commodum suum. Diabolus dixit. Ego apponam ei talem mentis exultationem, quod etiam de verecundia sua, & damno, & periculo animæ suæ gaudebit, dum tamen possit temporaliter prosperari secundum velle suum. Respondit iustitia. Ego diminuam ei præmeditationem illam, & considerationem, quam sapientes habent in verbis, & actibus suis. Tunc dixit diabolus. Ego apponam ei audaciam fœmineam, & timorem indecentem, gestusque tales, quod similior videatur ribaldo, quam Regi coronato. Respondit tunc iustitia. Tali inquit dignus est iudicio, qui se separat a *Deo*. Nam debet contemni ab amicis suis, & odiri a populo communitatis suæ, & ab inimicis Dei deijci, quia donis charitatis diuinæ, tam spiritualibus, quam corporalibus abusus est. Iterum loquebatur veritas. *Hæc* inquit, quæ ostensa sunt, non sunt propter merita regis, cuius anima nondum iudicata est, sed in extremo puncto vocationis suæ iudicanda erit. Post ista dicta, vidi quod illa tria, scilicet virtus, veritas, & iustitia, similia erant iudici, qui antea loquebatur, & tunc audiui vnam vocem quasi preconis, sic dicentem. O vos cœli omnes cum planetis omnibus, date silentium, omnesque diaboli, qui estis in tenebris auscultate, & omnes vos alii, qui estis in obscuris audite, quia Summus Imperator audire proponit iudicia super principes terrarum. Et statim illa quæ vidi non erant corporalia, sed spiritualia, & oculi mei spirituales aperiebantur ad audiendum, & videndum. Et tunc vidi Abraham venire cum omnibus sanctis, qui de eius generatione nati sunt. Omnesq; Patriarchæ venerunt, & prophetę. Deinde vidi quatuor Euangelistas, quorum forma similis erat quatuor animalibus, sicut in parietibus depinguntur in mūdo, qui tamen viuentes, & non mortui apparebant. Post ista vidi sedes duodecim, & in eis Apostolos duodecim, expectantes potestatē venientem. Deinde veniebant Adam, & Eua cum martyribus, & confessoribus, & oībus aliis sanctis ab eis descendentibus, humanitas vero Christi nondum videbatur, nec corpus benedictæ *Matris* eius, sed oēs expectabant, quod venirent. Terra quoq; & aqua videbātur eleuari vsq; ad cęlos, & omnia quę erant in eis humiliabant se, & cum reuerentia incuruabant se potestati. Post hæc autē vidi vnum altare, quod erat in sede maie-

Rrr 2 sta-

statis, & calicem cum vino, & aqua, & panẽ in similitudinem hostiæ oblatæ in altari. Et tunc vidi qualiter in vna Ecclesia in mũdo, quidã sacerdos inchoabat missam indutus vestibus sacerdotalibus, qui peractis oĩbus pertinentibus ad missam, cũ peruenisset ad verba, quibus benediceret panem, videbam quod quasi Sol, & Luna, & Stellæ cum planetis oĩbus, & oẽs cęli cũ cursibus, & motibus suis, alternantibus vocibus cũ dulcisona nota resonabant, omnisq; cantus, & modulatio audiebatur. Innumerabilia quoq; genera musicorũ videbantur, quorum dulcissimũ sonum, sensu cõprehendere impossibile est, & effari. Illi vero, qui in luce erant, aspiciebant sacerdotem, & inclinabant se potestati cum reuerentia, & honore. Qui vero erãt in tenebris, horrebant, & timebant. Prolatis igitur verbis Dei a Sacerdote super panem, videbatur mihi, quod idẽ panis erat in sede maiestatis in tribus figuris, nihilominus manẽs in manu sacerdotis.
5 Et ipse panis fiebat agnus viuens, quod in agno apparebat facies vna hominis, & ardẽs flãma videbatur intra, & extra agnum, & faciẽ. Cumq; diligenter intuitum meum figerẽ in aspiciendo faciem, videbam agnum in ea. Aspiciens vero agnum, videbã faciem ipsã in eo, & virgo coronato cõsidebat agno, & oẽs Angeli seruiebant eis, qui tantæ multitudinis erant sicut athomi in sole, & procedebat fulgor mirabilis de agno. Tanta etiã erat multitudo sanctarũ animarum, quantã intuitus meus aspicere non valebat, in longitudine, & latitudine, & altitudine, & profunditate. Quædã etiam loca vidi vacua, quæ ad honorẽ Dei, adhuc sunt implẽda. Et tunc audiui vocẽ de terra infinitorum millium clamãtium, & dicentium. O Dñe Deus Iudex iuste, iudica super Reges, & Principes nostros, & attende effusionem sanguinis nostri, & dolores, & lacrymas vxorũ, & filiorum nostrorũ. Respice famẽ, & pudorem nostrum vulnera, & captiuitates nostras, incendiaq; domorum, & violencas, & pudorẽ iuuencularum, & mulierum. Attende iniuriã ecclesiarũ, & totius cleri, & vide principum, & regum fallaces promissiones, & proditiones, & exactiones, quas cum iracundia, & violẽtia extorquẽt, quia non curant quot millia moriuntur, dũ tamen ipsi possunt superbiã suam dilatare. Deinde clamabãt de inferno, quasi infinita millia, dicentes. O Iudex scimus, quod Creator oĩum es. Iudica igitur super dominos, quibus ĩ terra seruiuimus, quia ipsi nos profundius in infernum demerserunt. Et licet cupimus tibi malum, tamen iustitia cõpellit nos conqueri, & dicere veritatẽ. Ipsi quippe domini nostri terreni absq; charitate dilexerunt nos, quia non plus curabant de animabus nostris quam de canibus. Quibus dominis nostris indifferens fuit, vtrum dileximus te Deũ Creatorem oĩum, an non cupientes diligi, & seruiri a nobis. Propterea indigni sunt Cœlo, quia non curant de te, & digni sunt inferno, nisi eis succurrat gratia tua, quia nos perdiderunt. Ideoq; & adhuc grauiora pati vellemus, quam patimur, ne ipsorum pęna finiretur. Deinde qui erant in purgatorio, per similitudines loquendo, clamabant. O Iudex, nos iudicati fuimus ad purgatorium propter contritionem, & bonam voluntatem, quam habuimus in fine vitæ. Et ideo conquerimur super dominos qui adhuc viuunt in terra, ipsi nãq; debuissent rexisse, & admonuisse nos, verbis, & correptionibus suis, & docuisse nos consilijs salutaribus, & exemplis. Sed ipsi magis confortabant nos, & prouocabant ad opera, & peccata mala, & ideo propter eos pœna nostra nunc est grauior, & tempus pœnæ longius est, pudorque, & tribulatio maior. Deinde Abraham cum Patriarchis omnibus, locutus est dicens. O Domine, nos inter desiderabilia omnia desiderabamus, quod filius tuus nasceretur, de progenie nostra, qui nunc a principibus terrarum contemptus est. Ideoque iudicium petimus super eos, quia non attendunt misericordiam tuam, nec iudicium tuum timent. Et tunc prophetæ locuti sunt, dicentes. Nos de aduentu filij Dei prophetauimus, & diximus, quod necesse erat eũ pro liberatione populi nasci de Virgine, & proditionem pati, captiuari, & flagellari; coronari spinis, & ad extremum mori in cruce, vt cęlum aperiatur, & peccatum deleatur. Ergo quia iam completa sunt, quæ diximus, ideo petimus iudicium super principes terræ, qui filium tuum contemnunt, qui ex charitate mortuus est pro eis. Euangelistæ quoq; tunc loquebantur dicentes. Nos testes sumus, quod filius tuus oĩa quæ predicta fuerant, in seipso cõpleuit. Apostoli etiã loquebantur dicentes. Nos iudices sumus, ideo nostrum est secundum veritatẽ iudicare. Ideoq; illos, qui corpus Dei, & præcepta eius contemnunt, iudicamus ad perditionẽ. Post hæc autem virgo cõsidens agno dixit. O dulcissime Domine miserere eis. Cui iudex. Non est inquit iustitia tibi aliquid negare, nam qui desistũt a peccato, & penitentiam condignã egerint, inuenient misericordiam, & iudicium auertam ab eis. Post hæc vidi, quod facies illa, quę videbatur in agno, loquebatur ad regem dicens. Ego magnam gratiam feci tecum, nam ostendi tibi voluntatem meam, quomodo tu gereres te in regimi-

simitate tuo, & quomodò teipsum regeres honeste, & prudenter. Te etiam quasi Mater verbis dulcibus charitatis alliciebam, & quasi pius pater terrui te admonitionibus. Sed tu obediens diabolo proiecisti me à te, sicut Mater proijciens abortiuum, quam non dignatur tangere, nec vbera imponere ori eius. Et ideo omne bonũ, quod tibi promissum est, auferetur à te, & addetur cuidam postero tuo. Post hæc autem Virgo, quæ sedebat cum agno, loquebatur ad me dicens. Ego indicare tibi volo, quomodo data est tibi intelligentia spiritualiũ visionum. Nam sancti Dei diuersimode acceperunt Spiritum sanctum. Quidam enim eorum præsciebant tempus, quo euenirent ea, quæ eis ostendebantur, sicut prophetæ. Alij sancti sciebant in spiritu illa, quæ personis ad se venientibus responderent, quando ab eis aliqua interrogabãtur. Alij vero sciebãt vtrum illi erant viui, vel mortui, qui remotæ ab eis erant. Quidam etiam præsciebant qualem finem, & exitum habere posset prelium aliquod, antequam in eo præliantes intrarent. Sed tibi non est licitum scire alia, nisi spiritualia audire, & videre, & illa quæ vides scribere, & dicere illis personis, quibus tibi præcipitur. Nec licitum est tibi scire vtrum illi viui, vel mortui sunt, quibus tibi præcipitur scribere, vel vtrum obedient, vel nõ consilijs scripturæ tuæ, vel visioni spirituali pro ei diuinitus tibi datis. Sed licet iste Rex contempserit verba mea, veniet vtique alius, qui recepturus est ea cum reuerentia, & honore, & fruiturus est eis ad salutem suam.

NOTAE.

1 QVod prius Angelis ostensa fuit lux, quam viderent Deum.

In præsenti nota duo statuẽda sunt, primo, quod sit Angelis prius fuisse ostensam lucem antequam Deum viderent, secundo vero an ab instanti creationis Deum viderint, & quantum spectat ad primũ dicendum est hoc loco nomine lucis intelligi cognitionẽ perfectam naturalẽ, quæ fuit Angelis à Deo ab instanti creationis collata, per quã ipsi in sua propria essentia cognouerunt Deum, vt auctorem naturæ & etiam res oẽs creatas in ea, est enim essentia Angeli similitudo quædã, & imago Dei, et forma actu intelligibilis intime Angelico intellectui vnita, in ratione speciei intelligibilis, & hunc modum cognoscẽdi in Angelis esse possibilem, et actu etiam reperiri tradunt Capreolus in 2. d. 3. q. 2. Caet. super primam partem S. Thomæ q. 56. ar. 2. Ferrariensis lib. 2. contra gentes cap. 99. aut etiã dicendum est lucem illam in Angelis fuisse cognitionem Dei per species intelligibiles, quas habent omnium effectuum creatorum, vt Rom. 1. Paulus scribit inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & de hac cognitione verba facit D. Aug. lib. ij. de Ciuit. Dei cap. 9. cum dicit, quod Angeli a principio fuerunt participes lucis, & claritatis æternæ, ex quibus deduci potest, Angelos ab initio suæ creationis habuisse prius naturalem cognitionem diuinam, tamen tunc essentiã minime vidisse, & hoc secundum supererat probandũ vt in principio præsentis notæ proposuimus, quod patet euidenter, primo, quia oẽs Theologi cum Magistro Sent. in 2. d. 9. concludunt Angelos fuisse viatores, & per propria merita sibi comparasse beatitudinem, & ferè oẽs admonuerũt per aliquod instans eos extitisse extra beatitudinis statum, et legendus est D. Aug. hac de re lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap 61. & 62. & de correct. & gratia. c. 10. & de ciuit. lib. ij. cap. 13. & probat hoc etiã Augustinus Eugubinus lib. 8. perennis philosophiæ cap. 26. quam sententiam colligit Eugubinus, ex D. Aug. doctrina, idem etiam ratione patet, quia credendum non est, Deum inter spirituales intelligentias tantum posuisse discrimen, vt quosdam Angelos in beatitudine crearerit, quosdam extra, nam vere Angeli, qui ceciderunt, non sunt creati in beatitudine, quia nullus eorum diuinam essentiam vidit, nec per modum permanentis, & status, neq; per modum transeuntis, quamquam hoc secundo modo eos vidisse asseuerauerint Gregorius Ariminensis in 2. d. 4. q. 1. & Alex. Alens. 2. p. q. 24. membro 1. quod nullus cæterorum Theologorum admisit, quia nemo dicit, quod viator dum est in via proprie diuinam essentiam videat, est namq; lex communis gratiæ hæc, quod nemo regulariter viator existens, essentiam diuinam intueatur, a qua nullus excipiendus est, absq; aliquo probabili fundamento, quod scilicet hoc vel reuelationi innitatur diuinæ, vel quod sit in Sacris litteris expressum, & ex his aperte colligi potest verborum præsentis notæ sensus, & quid per lucem illã quam vidisse ab instãti creationis Angelos legimus, intelligẽdũ sit.

2 Liberum quoq; arbitrium ita datum est hominibus, sicut Angelis.

Liberũ arbitriũ quid sit, quaue rõne hominib. datũ tradidimus supra li. 1. Reuel. c. 58. nota 2. & lib. 5. Interrogat. 3. q. 3. & de excellentia Virg. cap. 6.

3 Ipse panis fiebat Agnus viuens.

Sensus est, quod per verba consecrationis, Panis transubstantiabatur in corpus Christi, qui fuit verus agnus, is qui iubebatur offerri in phase Exodi 12. & ipse quotidie in sacrificio Missæ pro peccatis offertur, cuius figura est Agnus, sic annotarunt D. Greg super primum Regum cap. 7. D. Hieronymus super Isaiam ca. 16. Origen. super Num. Hom. 14. D. Aug. super Ioan. tractat. septimo.

MATER DEI DICIT SPONSAE, quod propter tria peccata plaga Dei venit super Regnum, & ideo Deus propter alia tria bona placari potest. Primo, quod gentes assumant humilitatem veram, & honestatem in habitu, secundo per certas eleemosynas, tertio processiones, & missas hic contentas.

CAP. LVII.

Mater Dei loquebatur ad sponsam dicens. Propter tria peccata plaga venit super regnũ, scilicet propter superbiam, & incontinentiam, & cupiditatẽ. Et ideo Deus placari potest per tria, vt tempus plagę abbreuietur. Primum est, quod omnes assumant veram humilitatem in vestibus, habẽdo vestes moderatas non nimis longas more fœminarũ, nec nimis strictas more scurrarum, nec scissuras, vel fissuras vestium dispendiosas, & vanas, & inutiles, quia talia displicẽt Deo. Corpora etiam sua sic honeste gerant, vt nec prominentiora appareant, quam Deus creauit ea, propter ostentationem, nec breuiora, vel subtiliora per aliquas ligaturas, vel nodos, vel similia artificia, sed omnia sint ad vtilitatem, & honorem Dei. Mulieres etiam deponãt vestes ostẽtationis, quas propter superbiam, & vanã gloriam assumpserunt, quia diabolus dictauit mulieribus cõtemnentibus mores patriæ suæ antiquos & laudabiles, quandam nouam abusionem, & ornamenta indecentia, in capitibus, & pedibus, & reliquis membris, ad prouocandum luxuriam, & irritandum Deum. Secundum est, quod fiãt eleemosynæ cum hilaritate mentis. Tertium est, quod quilibet parrochialis sacerdos, semel in mense per annum integrum, cãtet Missam de Sancta Trinitate, ad quam totus populus eius conueniat confessus, & contritus, & ieiunet illa die orando, & obsecrando intente, vt peccata remittantur, & ira Dei mitigetur. Episcopi quoq; similiter in quolibet mense, faciãt per seipsos, vel per alios in cathedralibus Ecclesijs suis processiones solemnes celebrando Missam de Sancta Trinitate, & colligant pauperes, lauentq; humiliter pedes eorum.

COELESTIS IMPERATOR Christus pro tribunali sedens, arguit grauiter Reges, & Principes terræ, & omnes status, de ingratitudine Ipsorum cum cõminatione terribilis sententiæ iræ suæ. Admonet tamen eos, quod conuertantur, & recipiet eos cum misericordia sicut pater.

CAP. LVIII.

Vidi palatium grande similie Cęlo sereno, in quo erat exercitus Cęlestis militiæ, innumerabilis quasi athomi solis &c. Require in septimo libro capit. trigesimo.

ITEM DE QVODAM REGE indigno, & eius iudicio.

CAP. LIX.

Filius Dei loquitur. Quia rex iste non querit &c. Require extra cap. 37.

ITEM DE SEX REGIBVS iniquis, &c.

CAP. LX.

Filius Dei loquitur. Ostendi tibi prius quinque Reges &c. Require extra capit. 78.

REX QVIDAM MONEBATVR ad corrigendum se, alias priuaretur Regno.

CAP. LXI.

Virgo Maria Mater Dei loquebatur sponsæ Christi dicens. Ego sum ad quam Angelus &c. Require extra cap. 80.

Explicit Liber Cœlestis Imperatoris ad Reges.

Digitized by Google

CONSALVI DVRANTI PRESBYTERI

AD REGVLAS SANCTI SALVATORIS BEATISSIMAE BRIGITTAE diuinitus reuelatas.

PRAEFATIO.

HACTENVS, quæ in Superioribus Cœlestium Reuelat. libris, vel obscura, vel intellectu difficilia visa sunt, Deo fauēte explicauimus, nunc autem, quantum ad Regulas Sancti Saluatoris attinet, quædam breuiter annotanda sunt, primo quidem huiusmodi Regulas Beatæ Brigittæ diuinitus Reuelatas, per Sedem Apostolicam fuisse confirmatas, vt supra tradidimus libro quarto Reuelat. capit. 137. nota prima, & testatur Bonifatius Nonus Pontif. in Bulla Cannonizat. eiusdem his verbis. in loco etiam de Vuatzsteno Lyncopen. Dioecesis de suis facultatibus vnum Venerabile Monasterium canonice construi fecit, pro sexaginta Monialibus sub clausura viuentibus, & vigintiquinque Fratribus Ordinis Sancti Augustini, Sancti Saluatoris nuncupati, qui tam Moniales, tam Fratres certas constitutiones per ipsam Beatam Viduam editas, & postea per Sedem Apostolicam approbatas obseruare tenentur: hæc Bonifat. PP. Ceterum huiusmodi Regulas Vrbanum Quintum Pontificem Maximum approbasse scripsit Ioan. Nauclerus in sua Chronographia Vol. 2. Generat. 46. Et sedente hoc Pontifice Beatissimam Brigittam Romam venisse affirmat, pro confirmatione nouæ Religionis, quam instituerat mulierum, & virorum, atque postremo Vrbani V. Pontificatus, tempore etiam ad vrbem venisse, ab eoque Regulæ confirmationem tunc obtinuisse, scripsit quoque Polydorus Virgilius libro septimo de Inuent. rerum capite quarto aliquanto post medium, sed vt hoc latius explicemus libet ipsius met Naucleri rem hanc plenius narrantis in præsentia verba referre. Venit inquit cum Religioso, & honestissimo apparatu ad Vrbanum, a quo benignissime suscepta est ob eius Sanctitatem, atq; prophetiam, Regulamque eius confirmauit, huiusmodi tamen Religionis, primum Authorem Basilium dicunt, quam Religionem Brigitta Spiritu Sancto inspirata hoc modo instaurare nisa est, vt scilicet virorum ædificia connexa haberentur, habitationes tamen ita seiunctæ, vt de vna ad aliam nisi vrgente necessitate transiri non posset, earum tamen Basilicam censuit esse communem, ita vt fratres in inferiori parte, sorores seorsum

Digitized by Google

in ſuperiori, officium exonerent, quorum Monaſteriorum principalem curam Abbatiſſæ eſſe voluit, fratribus diuina Monaſterij aſſignauit, quorum vnus eſſet conſeſſor, & Prior appellaretur, & Monaſteria, poſſeſſiones, & prouentus habere ſtatuit, omnium vero victum, & veſtitum ad Abbatiſſam ſpectare decreuit, nec huiuſmodi fratres, aut ſorores Monaſterium egredi deberent; hi autem Religioſi, tam fœminæ, quam Mares griſeis, vti veſtimentis iubentur cum claſpyde griſea, & rubra Cruce deſuper, & D. Auguſtini Regulam profiterentur additis Brigittæ conſtitutionibus, quæ omnia ipſa ſibi a Deo eſſe Reuelata aſſeruit, Hæc Nauclerus, cui addendum ex Syluestro Beatæ Brigittæ Religioſos militare ſub Regula Diui Auguſtini, vt etiam inſinuarunt Bonifacius Nonus in Bulla Canonizat. vbi ſupra, & Nauclerus, ſic tradit Syluester in Summa Verb. Religio prima. quæſt. ſeptima, quibus adſtipulatur Polydorus Vergilius loco ſupra citato, vbi plura hac de re ſcitu digniſſima ſcribit.

HIC INCIPIT REGVLA SANCTI SALVATORIS, DATA

diuinitus ab ore Iesu Christi deuotæ Sponsæ suæ Sanctæ Brigittæ de Regno Suetiæ; & primo ponitur prohemium in hæc verba.

CAPVT PRIMVM.

IN Dominio Regis Noruegiæ, qui est ad septentrionem omnium Regum vltimus. Ita quod vltra terras sui principatus nullus inuenitur hominibus habitabilis locus. Contigit Dominę Brigittæ orationi intentius vacanti, quod viribus corporis quasi exinantis, cæpit eius anima ad videndum, audiendum, loquendum, & sentiendum, ea quæ spiritualia sunt omnibus suis viribus effici perfectissime vigorosa. Taliter itaque, quod sepius rapta multa audiuit in spiritu, seu in visione spirituali, & intellectuali, sibi spiritualiter enarrari, quę post modum Archiepiscopo Vpsalen. vna cum alijs tribus Episcopis, & cuidam Magistro deuotissimo, qui magnus Theologus habebatur, atque vni Abbati Deo deuoto, & valde Religioso, eadem persona, cum magna reuerentia, & timore Dei humiliter propalauit, timens illud sub specie Angeli lucis, ab illusore Angelo tenebrarum. & hi omnes, & multi amici Dei hæc audientes, & super hoc mature, & spiritualiter ad inuicem conferentes, diuinitus a spiritu bono veritatis, & lucis, ex speciali Spiritus sancti gratia, omnia eidem personæ reuelata fuisse comprobarunt. In tali etiam reuelatione, semel videbat virum quendam, & vnam mulierem speciosissimæ formæ. Cui continuo vox quedam dicebat. Ecce hę duæ personæ quas vides sunt Iesus Christus, & sua Mater Maria, qui tales tibi pro nunc apparent, quales erant in mundo viuentes. Sed, qualia eorum corpora iam sunt in cœlo, impossibile est tibi cognoscere, vel videre. Hoc itaque verbo dicto, Iesus Christus, qui apparuit, labia sua mox aperiens loquebatur dicens.

IN-

INCIPIT PROLOGVS super Regula Saluatoris data diuinitus a Christo Domine Brigittæ de Suetia, in eodē Regno Suetiæ. Christus loquēs Sponsę suę Beatę Brigittæ in figura, dicit, quod ex quo aliæ vineæ, scilicet, regiones, sunt quodammodo desolatę. Ideo ipse nunc de præsenti, vult plantare nouam vineam, videlicet religionem nouam, de qua vult habere sollicitam curā, taliter, quod reddat ei vinum dulcissimum, & suaue.

CAP. II.

EGO sum sicut Rex potentissimus, qui plantauit vineas suas, & fecerunt optimum vinum multo tempore. Tandem inimicus eius seminauit in eis semen pessimum, quod in tantum creuit, & se dilatauit, quod palmites vinum portare non poterant, nisi cum magna difficultate. Serui autem Regis, dixerunt ad eum. Domine considerauimus vineas tuas, & inuenimus in eis valde paucos palmites portantes vinum. illud pessimum semen, quod ad nihilum valet, nisi ad comburendum vltra modum excreuit. Quibus respondit Dominus. Ego plantabo mihi nouam vineam, vbi apportabuntur palmites, & mittent radices. Et ego ipse apponam circa eam pinguedinem, & implebitur vino optimo. Hanc autem per memetipsum custodiam, quod si in eam aliquid nociuum intrauerit pinguescet, ex hoc vinum, & eo amplius dulcescet, & illud nociuum adnihilabitur, & arescet, & citius decidet, ne noceat. Cum autem vinum vineæ huius, venerit ad collegium meum, tunc gaudebunt omnes, & dabitur domino gloria, & honor, qui plātauit vineam, & pinguedinem apposuit. Gaudebit etiam ille, qui radices posuit, nec eius Deus obliuiscetur, qui palmites apportauit. Et hac autem vinea, multæ vineæ longo tempore arentes, renouari incipient, & facere fructum, iuxta diem innouationis suæ.

CHRISTVS LOQVENS Sponsæ declarat supra proximum capitulum, dicens sponsæ, quod ipsa debet esse vitis prædictæ vineæ suæ, idest fundatrix dictæ nouæ Religionis sanctissimæ a qua procedent palmites fructiferi. Et ideo monet eam, vt sit virtuosa, constans, & vigilans, despiciatque terrena, quæ amara sunt quasi venenum.

CAP. III.

EGO sum Creator omniū rerum, & a nullo creatus. Inter omnia quæ feci, nihil in tantam dignitatem feci sicut hominem, quem constitui dominum super omnia, quę creata sunt in terra, etiam dedi ei intelligentiam, vt eis ad necessitatem, & commodum suum vteretur, & me de data sibi gratia collaudaret. Sed inter omnia, me nihil ad iram tantum conuocat sicut homo, & præter eum omnia stant ad præceptum meum. Dixi tibi prius, quod eram similis Regi, qui plantauit vineas bonas, quæ dederunt fructum bonum longo tempore. Quæ fuerunt vineę istę, nisi religiones, & instituta sanctorum Patrum, de quibus sitientes refocillabantur, frigidi incaluerunt, turgidi humiliabātur, cęci illuminabantur. Nunc autem conqueror, quia materia vinearum dissipata est, custodes dormiunt, & ingrediuntur fures, radices suffodiuntur a talpis, palmites siccitate aridi sunt, & racemi a vento prostrati conculcantur. Propterea ne omnino vinum deficiat, plantabo mihi de nouo vineam, in quam tu portabis palmites verborum meorum, amicus meus ponet eos, ego vero ipse Deus, apponam pinguedinem gratiæ meæ. In hanc autem vineam mittam custodes, qui non dormiēt in nocte statuam maceriam, per diuinam charitatem. Stabiliam radices in ea bonæ voluntatis, quæ non suffodientur diaboli tentationibus, dilatabo palmites operationis eius, & deuotionis eius multis. Ideo tu quæ debes palmites portare, debes esse fortis, & stabilis ad portandum, parata, & vi-

vigilans ad recipiendum. fidelis, & cauta ad custodiendum ne diabolus decipiat te. Ille vero qui locaturus est palmites, debet esse consideratiuus, vt ponat eos in loco debito, sollicitus, & diligens in muniendo, pro frigore, vel ardore. Ideo sta firmiter, & dilige me toto corde. Fuge omnem superbiam, & assume omnem humilitatem, serua os tuum, & omnia membra tua, ad honorem meum. Obedi sicut tibi praeceperam, discute omni hora conscientiam tuam, quantum excedis, & quomodo. Consurge statim ad me si cadis, non cures mundi honores, nec eius amicos, quia cum me habueris, omnia dulcescunt tibi. Et cum me perfecte dilexeris, omnia praeter me, quae mundi sunt amara fient tibi quasi venenum. *vide cap. xxviii. [illegible].*

CHRISTVS DICIT SPONSAE, quod ipse vult dictare ore suo proprio istam nouam Regulam, quam vult esse monialium, ad memoriam, & honorem gloriosae Virginis Mariae Matris suae.

NOVAE REGVLAE.

CAP. I.

HANC igitur Religionem ad honorem amantissimae Matris meae, per mulieres primum, & principaliter staturae volo. Cuius ordinem, & statuta, ore meo proprio plenissime declarabo.

IN PRINCIPIO HVIVS Regulae. Christus fundat eam super tres virtutes, scilicet humilitatis, castitatis, & paupertatis, prohibens monialibus, quod nihil habeant proprium, sed Abbatissa prouideat eis de omnibus necessarijs.

CAP. II.

PRINCIPIVM itaque huius Religionis, & salutis, est vera humilitas, & pura castitas, atque voluntaria paupertas. Ideo nulli licitum est habere aliquod proprium nullam omnino rem quamuis minimam, sed nec obulum quidem possidere, vel attrectare manibus, nec auri quid habere, vel argenti, nisi forte pro intextura alicuius operis, auri, vel argenti tactu opus sit, & hoc etiam non absque consilio, & licentia Abbatissae. Omnia autem necessaria de Abbatissa speranda sunt, scilicet indumenta regularia, lectisternia, & instrumenta operis, nec quicquam habeant, quod regula non permittit.

CHRISTVS DISPONIT hic, quales lectos, & lectisternia habeant moniales.

CAP. III.

SCIENDVM est autem, quod lectisternia regularia sint de straminibus, super illa vero habeant duo thoralia de burello, sine linteaminibus, & culcitris. Sub capite vero habendus est cussinus tela coopertus, & ceruical similiter coopertum tela.

CHRISTVS STATVIT hic, qualiter, & quibus horis per moniales silentium teneatur.

CAP. VI.

AD conseruandam gravitatem silentij, a summo mane, vsque ad post missam cantatam de matre mea, nulli loqui aliquid licitum sit. Finita autem illa missa, in locis debitis inter horas vsquequo legantur benedictiones mensæ, de collatione spirituali, & obseruantia ordinis, ac de quibuscunque veris necessarijs, licentia loquendi conceditur. Scurrilia vero, & ociosa in omni tempore penitus caueantur. Deinde lectis gratijs in Ecclesia, inter se sorores loqui possunt donec vesperas incipiant. Et tunc etiam silentium, donec gratias post cœnam in Ecclesia legerint, sollicite est tenendum. Illo quoque modico interuallo, quod est inter gratias, & collationem loquendi licentia condonatur. Incepta vero collatione, omni studio silentium teneatur, donec in die sequenti, vsque ad finem missa cantata fuerit de Matre mea Gloriosa. Et sciendum est, quod ad omnia silentia iam conscripta, sorores vniuersaliter astringantur, præter eas, quæ ad officia talia deputantur, quæ sine loquela competenter non possunt exequi. Omnia enim rationabiliter debent fieri, & vt occasio a prauis excludatur.

CHRISTVS PROHIBET hic, quod nulla persona sæcularis, seu religiosa, claustrum monialium ingrediatur, neque eis loquatur nisi certis temporibus.

CAP. VII.

REmota omni occasione cuiuscunque necessitatis, siue supplicationis, nullus sæcularium virorum, seu mulierum, nullusque Religiosorum, seu aliorum clericorum claustra monasterij monialium ingrediatur. Colloquium quoque omnium, nisi certis temporibus, eis interdicitur.

CHRISTVS DETERMINAT hic, quibus diebus, & qualiter moniales possint loqui ad cratem, personis sæcularibus.

CAP. VIII.

HIs autem temporibus moniales sæcularibus loqui possunt, scilicet a nona, vsque ad vesperas, & hoc tantum dominicis diebus, & magnis festis sanctorum; non tamen exeundo, sed ad fenestras deputatas sedendo. Nulli enim post introitum suum, licebit de monasterii claustris exire. Si qua forte a parentibus, vel amicis honestis charis, videri desiderat, aperiri potest fenestra. Si autem non aperit fenestram, eo copiosior merces ei repromittitur in futuro.

CHRISTVS ORDINAT HIC de temporibus, & modo ieiuniorum fiendorum per moniales.

CAP. IX.

IN aduentu omnes in cibis quadragesimalibus ieiunabũt, vsque ad diem natiuitatis meæ. Feria quoque sexta proxima ante Dominicam quadragesimæ ieiunare incipiet in cibis quadragesimalibus vsq; ad Pascha. Feria vero 6. proxima post Ascensionem meam, vsque ad festum Penthecostes, ieiunabunt in piscibus, & lacticinijs. A festo autem Exaltationis Sanctæ Crucis ieiunabunt vsque ad festum Sancti Michaelis, in piscibus, & lacticinijs. A festo etiam omnium Sanctorum, vsq; ad aduentum, ieiunabunt in piscibus, & lacticinijs. His autẽ diebus debent ieiunare in pane, & aqua, scilicet ante quatuor solemnitates Matris meæ Mariæ. Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis. In vigilijs omnium Apostolorum, hoc excepto, quod vbicunq; duo Apostoli in vna solemnitate combinantur, vt puta Petri, & Pauli, Philippi, & Iacobi, Simonis, & Iudæ, ieiunium vnius diei stabit pro ambobus, Ioannis ante portam latinam, Ioannis Baptistæ, Beati Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum parasceues, & ante solemnitatem corporis mei. His diebus omnes in pane, & aqua ieiunabunt. Et est sciendum, quod in omnibus ieiuniis excipiendæ sunt ægrotæ, & antiquæ. Illis quoq; compatiendum est, quæ intelliguntur ad peragenda officia sua vere debiles existere, dum ieiunant. Cæteris autem temporibus totius anni, in omni hebdomada quater vescantur carnibus, scilicet die dominico, die lunæ, die martis, & die iouis. In cenis autem horum dierum, piscibus vescantur, & lacticiniis. Die autem mercurii abstinebũt a carnibus, tam in prandio, quam in cena. Licebit tamen illo die vesci piscibus, & lacticiniis. In sextis feriis totius anni ieiunabunt in cibis quadragesimalibus. Sabbatis quoq; in lacticiniis, & piscibus ieiunabunt. Præterea omnibus aliis ieiunalibus diebus secundum statuta Ecclesiæ ieiunabunt. *Vide infra retract. extrauag. cap. xiii. et cap. xxxvi.*

CHRISTVS DISPONIT hic tempus, & modum probationis, & receptionis monialium ad religionem.

CAP. X.

SI qua ad religionẽ suscipi rogauerit. Nunquam ante vnum annum integrũ recipiatur, sed dicatur ei primo. Reuertere ad nos post tres menses, & interim deliberabimus de re. Cumque statuto tempore redierit, inquirat ab ea Abbatissa, quo desiderio petit religionem, quibus ve vinculis tenetur in mundo, & auditis causis eius, & proposito, dicatur ei. Filia quandoque sub specie boni latet falsitatis laqueus, & inconsideratio futurorum multos supplantat. Reuertere ergo ad nos post aliquos menses, & ostende nobis desiderium tuum, si perseuerat in bono. Reuertente ergo illa, & humiliante se sicut prius, prædicentur ei dura, & aspera ordinis contemptus mundi, & obliuio parentum. Quæ omnia si se seruaturam promiserit, tunc circa finem anni omnis congregatio consentiet in eam. Quæ si talis persona fuerit, quod de eius vita non est dubium in ipso principio petitionis eius omnes consentire possunt in eam, sed ante annum ad introitum, & professionem, seu habitus receptionem, nullatenus admittatur. Et tunc in fine anni, quando recipitur vtraque pars renunciet anno probationis, qui consueuit fieri in aliis religionibus intra monasteriũ. Adepto itaq; consensu ingressionis, mittatur pro Episcopo diocesano, qui rogatus veniens, consecrabit eam. Veniens autem Episcopus, vel alius Episcopus de licentia sua, vel alterius, qui iurisdictionem ordinariã tunc habet in illa diocesi, descendat ad ianuam Ecclesiæ, & eam, quæ religionem ingressura est expectantem. Episcopus ante fores interroget dicens. Es tu libera, & ab omni vinculo Ecclesiæ immunis, scilicet coniugii, voti, & excommunicationis? Quæ si responderit, vere libera sum. Subiungat Episcopus. Nunquid pudor, aut forte dolor mundanæ aduersitatis compellit te ad religionem? Aut forte copia debitorum tuorum non solutorum, coarctat te?

Re-

Respondente illa. Nequaquam dolor, seu pudor aliquis incitat me ad ista, sed feruens amor Christi, & omnia debita mea iuxta facultatem meam iam solui. Tunc adhuc addat Episcopus. Petis inquit ingressum huius religionis, in nomine Iesu Christi, & in honore Sanctissimæ Matris eius Mariæ Virginis? Dicente illa. Peto. Introducat eam tunc Episcopus in Ecclesiam dicens. Ecce nunc illa digne ingreditur hanc religionem. Et cum ingreditur Ecclesiam, feratur ante illam vexillum rubeum, in quo imago corporis mei passi depicta sit ex parte vna, & imago Matris meæ ex parte altera, vt aspiciens nostra sponsa signum noui sponsi in cruce passi, discat patientiam, & paupertatem, & aspiciens Virginem Matrem discat castitatem, & humilitatem. Introducta igitur illa in Ecclesiam, statuatur circa fores Ecclesiæ, & Episcopus in aliam partem modicum ab ea secedens, consecrabit annulum eius. Accensis autem duabus faculis, quæ ante vexillum ad eam accensæ portabuntur, & ardebunt quamdiu missa celebratur, dicat Episcopus Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui desponsasti tibi sponsam nouam, in misericordia, & miserationibus, benedic annulum istum, vt sicut exterius famula tua, signum nouæ sponsæ portat in manibus, sic interius fidem tuam, & charitatem portare mereatur. In nomine Patris, &c.

CHRISTVS PONIT HIC modum consecrationis, benedictionis, & introductionis monialium ad monasterium.

CAP. XI.

DEinde benedicto annulo Episcopus appropinquans ad famulam Dei dicat. Tu debes promittere Deo, & mihi ex parte eius, te obedire prælatis tuis, & regulam istam tenere iuxta vires tuas, vsque ad finem vitæ. Promittente illa se ista facturam. Subiungat Episcopus. Tali intentione oportet te dare fidem Deo tuo, & vouere, vt nihil omnino sicut Deum tuum diligas, & toto desiderio conuenit tibi assentire in ipsum. Tunc respondet illa. Assentio in Deum meum toto corde, & tota mente offerens me illi in omni simplicitate cordis. Cui sic iterum respondet Episcopus. Et ego ex parte Dei omnipotentis, & vnigeniti Filii eius Domini nostri Iesu Christi, assentio in te. Et legat. Deus omnipotens. Oratio. Ipsam orationem Iesus Christus, verus Deus, & verus Homo, qui in vterum Virginis descendere dignatus est, firmetur in anima tua, & tu in ipso. In nomine Patris &c.

Deinde imponat annulum digito dextræ manus eius dicens. Benedico te in sponsam Dei, & in perpetuam eius possessionem. In nomine Patris &c. Post hæc Episcopus accedens ad altare, incipiet missam cantando de Sancta Trinitate, & famula Dei interim stabit inferius iuxta sanctuarium. Cum autem incipit offertorium, ipsa procedens ad altare offerat, & statim redeat ad locum suum. Dicto vero offertorio, vestimenta eius, quæ regula iubet habere præparata a conuentu, apportentur ad altare ante Episcopũ, quæ ipse benedicet legens. Oratio. Domine Iesu Christe, qui non vis mortem peccatorũ, sed desideras pœnitentiã quæsumus clementiã tuam, vt hæc vestimenta, quæ in signum humilitatis, & pœnitentiæ hæc famula tua ferre proponit, tu benedicere digneris, vt vanitate huius sæculi relicta, te per veram humilitatem induere mereatur. In nomine Patris &c. Vestimentis ergo sanctificatis, vnus clericorum vocabit famulam Dei ad Altare ante Episcopum, quæ nudis pedibus incedens, & exterioribus vestimentis ante altare se exuens, in vna tunica remaneat, consecratum habitum suscepetura. Induatur deinde per Episcopum tunica regulari, dicente Episcopo. Deus omnipotens det tibi. Oratio. verã pœnitentiã in tua consciẽtia, & perfectã contritionẽ in corde. In noĩe patris &c. Deinde ipsa muniat pedes suos sotularibus dicente Episcopo. Oratio. Dominus noster Iesus Christus, faciat rectum gressum pedibus tuis, & det tibi, sic nũc procedere in via salutis, vt nunquam amplius consentias peccato, donecq; tibi de peccatis commissis emendationem verã, & de futuris cautelam. In nomine Patris, &c. Cum autem induitur cuculla, dicat Episcopus. Oratio. Dominus Iesus Christus spes omnium Christianorum det tibi spem, & fiduciam in animo tuo, vt sic speres de Dei misericordia, vt non obliuiscaris eius iustitiam, & sic timeas eius seueritatem, vt non negligas eius pietatem, & bonitatem. In no. pat

Deinde adaptato mantello dicat. Oratio. Dominus Deus omnipotens principium veræ fidei, corroboret, & confirmet animam tuam in vera fide, & det tibi, quæ credenda sunt credere, & ad finem vitæ in bono incepto persistere. In nomine Patris, &c. De hinc coniungatur mantellus cum nodo ligneo, dicente Episcopo. Oratio. Dominus noster Iesus Christus, qui per nimiam charitatem qua dilexit nos, ligno crucis affixus est, & amarissima morte damnatus, ipse animam tuam configat, & transuerberet memoria passionis suæ, vt charitas tua ad solum Deum feruear, & ignis charitatis diuinæ amplexans te, tribuat tibi requiem in suo benedicto brachio, in quo omnes sancti requiescunt. In nomine Patris, &c. Postea ipsa velabis caput suum vitta Episcopo imponente acum, & dicente. Oratio. Dominus noster Iesus Christus sit tuæ animæ in vmbraculum, & refrigerium, vt nulla ei nociua nocere valeant. In nomine Patris, &c. Imposito autem velo, dicat Episcopus. Oratio. Dominus noster Iesus Christus, det intellectui tuo spirituali lumen, & sapientiam, vt terrena omnia, & quæ animæ tuæ sunt nociua, ante oculos tuos fiat mortua, & via quæ ducit ad cœlestia illuminetur ante animam tuam, quatenus eum, qui te elegit cognoscere possis. In nomine Patris, &c. His finitis, reuertatur famula Dei ad locum, vbi stabat prius, & Episcopus compleat missam suam. Qui cum venerit ad partem illam missæ, in qua sacerdos in sponsali missa solet se conuertere, & benedicere sponsum, & sponsam, conuertet, & ipse se Episcopus. Et vno clerico vocante famulam Dei ad altare imponat ei coronam super velum, dicens. Oratio. Dominus noster Iesus Christus, stabiliat signum suum in te, quod capiti tuo impono, & dirigat voluntatem tuam in omnibus, quæ nunc vouisti, vt firma sis, & constans, & faciat te coronari corona lætitiæ iuxta benignam voluntatem suam, vt ei, qui in tribus personis est vnus Deus, vniatur inseparabiliter anima tua. In nomine Patris, &c. Deinde Episcopus mittat acum in coronam dicens. Oratio. Iesus Christus configat dilectione sua cor tuum, & animam, vt nullius tentationis stimulos expauescat. In nomine Patris, &c. His finitis reuertatur famula Dei ad locum priorem, vsque ad finem missæ. Qua finita vnus clericorum vocet eam ad altare dicens. Procede sponsa Christi, ad altare Christi. Ipsa igitur procedens humiliet se ad veniam super faciem suam. Et Episcopus flexis genibus, cum clericis suis legat letaniam, orando omnes sanctos pro famula Dei. Finitis autem letanijs, Episcopus surgens, ad famulam Dei accedat prostratam, & legat super eam absolutionem peccatorum. Et sic absolutione percepta, illa surgens sumat corpus meum. Quo sumpto quattuor sorores, aperta ianua qua famula Dei intratura est, exeant celerius, & feretrum, quod terra superiecta, ante ianuam ante inchoationem missæ statutum est, inferant in monasterium. Deinde Episcopus accedens ad eandem ianuam, subsequente famula Dei, cum duabus faculis, & clericis hymnum. Veni creator spiritus decantantibus, assignabit eam Abbatisse expectanti ad ianuam cum conuentu. Dicente Episcopo Abbatisse hæc verba. Ecce coram Deo, & sanctis omnibus, & in facie sanctæ Ecclesiæ commendo animam istius sponsæ Dei in manus custodiæ tuæ, quæ si per negligentiam tuã, lapsa fuerit, sponsus suus Iesus Christus requiret eam a te. Conserua igitur, & custodi depositum Dei, vt cum ratiocinatio queritur, eam sanctiorem reddas quam sanctam suscepisti. Cui respondeat Abbatissa. Grandis thesaurus est iste pater charissime, & labor difficilis, neq ad ista vires meæ suppetunt. Veruntamen precibus tuis adiuua. Et de adiutorio Dei confidens, faciam quod iubes. Et sic famula Dei protinus introducta claudatur ianua, & ipsa statim ducatur ad capitulum. Et deinde per octo dies, nulla arctabitur disciplina. Sed inferius stabit in choro. Completis autem diebus octo, astringatur, sicut cæteræ ad obseruantiam ordinis, & iuxta vltimam in choro, & in mensa statuatur.

* * *

CHRI-

CHRISTVS DETERMINAT hic numerum Monialium, & Sacerdotum, & Diaconorum, ac etiam conuersorum seruientium dicto conuentui. Et ordinat habitationem eorum, & chorum, vbi sedere, & stare debeant, tam mares, quam fœminæ.

CAP. XII.

SOrores erunt sexaginta, & non plures. Quæ clericos habebunt, qui quotidie de tempore missam, & officium, quod habetur in Ecclesijs Cathedralibus illarum terrarum, in quibus huiusmodi monasteria sunt, decantabunt. Ipsi quidem a monasterio sororum sint omnino exclusi, vnam per se habentes curiam, in qua habitabunt, & de curia introitum in Ecclesiam, & chorum inferiorem habebunt. Chorus vero sororum erit superius sub tecto. Ita tamen, quod sacramenta videre, & officium audire valeant.

Ipsi quidem sacerdotes debent esse tredecim iuxta numerum 13. Apostolorum, quorum Paulus 13. non minimum laborem sustinuit. Deinde 4. diaconi, qui etiam sacerdotes possunt esse si volunt, & ipsi figuram habent quatuor præcipuorum doctorum, Ambrosij, Augustini, Gregorij, & Hieronymi. Deinde octo laici, qui laboribus suis clericis, necessaria ministrabunt. Computatis igitur 60. sororibus, 13. sacerdotibus, 4. diaconis, & octo eorum seruitoribus, tantus omnium personarum erit numerus, quantus erat 13. Apostolorum, & septuaginta duorum discipulorum.

CHRISTVS DETERMINAT hic numerum sacerdotum, diaconorum, & conuersorum seruientium dicto monasterio monialium, & habitum quem debent portare, modum quoque quo debeant benedici, & consecrari.

CAP. XIII.

SAcerdotes omnes, & fratres duo subtunicalia alba de burello, & vnam tunicam de griseo burello, habere possunt, & cucullam de burello griseo, cui assutum sit caputium, & super cucullam mantellum de griseo burello. Pellicium quoque, & foratura sub mantello, de pellibus agninis, vel ouinis, dum necesse fuerit habeantur. Ipsi quidem sacerdo[illegible]es 13. ob reuerentiam meæ passionis, portabunt in mantellis suis ad sinistram partem, crucem rubeam de panno assutam, & in medio crucis modicum albi panni, propter mysterium mei corporis, quod quotidie immolant. Diaconi autem quatuor, portabunt in mantellis suis circulum album, propter incomprehensibilem sapientiam quatuor doctorum, quorum figuram gerunt. In quo circulo quatuor particulæ rubeæ in modum linguarum assuantur, quia Spiritus sanctus inflammauit eos, de excellentia deitatis, de mysterio incarnationis meæ, de vanitate, & contemptu mundi, de premijs iustorum, & de pœnis malorum. Fratres autem laici, in mantellis suis crucem albam portabunt propter innocentiam, in qua cruce sint quasi quinque particulæ rubeæ, ob reuerentiam quinque vulnerum meorum. Sacerdotes vero, & fratres, calceos habeant vsque ad talos, & caligas in estate. In hyeme, sotulares, suffforatos burello, & caligas. Et est sciendum, quod isti fratres nunquam possunt esse plures in monasterio quam 25. Qui eodem modo, & eisdem locis, & benedictionibus, per Episcopum recipiendi sunt, & consecrandi, quibus sorores. Excepto quod pro annulo recipiet Episcopus manus fratrum, cum benedictione qua imponitur sororibus annulus. Et pro velo imponat Episco-

ſcopus manus ſuas ſuper capita eorum, eiſdem verbis, quibus imponitur ſororibus velum. Pro corona vero fiat crux, cum benedictione, qua imponitur corona. Tonſuram etiam habeant fratres ſicut in alijs monaſterijs. Poſt miſſam autem, locabit eos Epiſcopus in curiam fratrum, de qua nunquam egredientur, niſi in Eccleſiam.

CHRISTVS ORDINAT hic qualiter debeat eligi Abbatiſſa, & qualiter poſtea ipſa cum conuentu eligat de illis fratribus Sacerdotibus vnum in confeſſorem, qui ſit generalis confeſſor, tam monialium, quam fratrum dicti monaſterij.

CAP. XIV.

ABbatiſſa cum conſilio Epiſcopi eligatur a conuentu, quæ ob reuerentiam Beatiſſimæ Virginis Matris meæ, cui hic ordo dedicatus eſt, caput, & domina eſſe debet, quia ipſa Virgo, cuius Abbatiſſa gerit vicem in terris, aſcendente me in cœlos, caput, & Regina extitit Apoſtolorum, & diſcipulorum meorum. Abbatiſſa etiam vnum de 13. ſacerdotibus, in quem ipſa vna cum omni congregatione ſororum, & fratrum conſentit, in confeſſorem omnium eligat, ipſumq; Epiſcopus conſtituat, & confirmet. Cui authoritate ligandi, atque ſoluendi, corrigendi, & reformandi plenarie ab Epiſcopo conceſſa, omnes ſacerdotes, & fratres ſicut ſorores Abbatiſſæ in omnibus obediant, extra præceptum eius nihil omnino, vel ne minimum quidem facientes. Qui tamen confeſſor, præter iudicia fratrum, & conſeruationem ordinis abſque conſilio Abbatiſſæ nihil omnino faciet, quæ quia caput monaſterij eſt de negociis, & bonis monaſterii ordinandis, eſt conſulenda.

CHRISTVS PRAECIPIT hic, quod fratres Sacerdotes dicti Monaſterij, debeant tantummodo orationi, & lectioni vacare, & certis diebus Euangelium in materna lingua, ipſis monialibus prædicare.

CAP. XV.

SAcerdotes vero iſti 13. tantummodo diuino officio ſtudio quoque & orationi vacare debent, nulliſque aliis ſe implicare negociis, vel officiis. Qui quidem omni die dominico, Euangelium illius diei in ipſa miſſa, omnibus audientibus, in materna lingua exponere tenentur. Cunctiſque ſolemnitatibus, quarum vigilias, ſeu profeſta ieiunant in pane, & aqua, atque aliis quibuſcunque feſtis vigiliam habentibus publice prædicare.

CHRISTVS ORDINAT HIC tempora confeſſionum monialium, & fratrum, & qualiter confeſſor generalis, poſſit ſibi eligere aliquos fratres Sacerdotes in coadiutores, ad confeſſiones audiendas.

CAP. XVI.

COnfeſſori etiam generali ad minus ter in anno, omniũ ſororum ſacerdotũ, & fratrum conſcientiæ, per confeſſionem pateſiant. Et quoniam omnium conſcientiæ pluries in anno per confeſſionem ſunt purgandæ licitum ſit ipſi generali confeſſori, de 13. ſacerdotibus, quotquot voluerit eligere ad confeſſiones audiendas, qui omni die vnicuique confiteri volenti ſint parati.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTVS DETERMINAT hic, quibus diebus in anno, tam moniales, quam fratres communicare debeant.

CAP. XVII.

Omnibus diebus festis, quorum vigiliæ, vel profesta ieiunantur in pane, & aqua, & in cęna mea & in die Paschæ, & Ascensionis, Penthecostes, & Natiuitatis meę, omnes communicabunt. Aliæ autem moniales, quibus Deus deuotionem maiorem inspirauerit, si feruenti desiderio petunt, cum consilio confessoris sui omni sabbato possunt communicare.

CHRISTVS PRAECIPIT hic, quod omni quinta feria teneatur capitulum per Abbatissam, & ponit hic pœnitentiam monialibus tam infirmis, quam sanis, quam etiam morientibus, habentibus proprium contra professionem suam, vt etiam supra libro septimo capit. vigesimo habetur.

CAP. XVIII.

Omni quinta feria habeatur capitulum, vbi si qua deliquerit in aliquo, corrigatur. Soror quæ in infirmitate deprehenditur, aut confitetur aliquid habere proprium, absoluatur quidem a confessore, sed pœnitentiam debitam sustineat, & compleat recepta sanitate. Illa autem, quæ sana est, & deprehenditur habere quid proprium, nec seipsam prodiderit tribus testibus conuicta sedebit in pauimento, habitura prima die capituli, scilicet quinta feria, præbendam sicut aliæ sorores, & feria sexta sic ĩ pane, & aqua. Istis duobus diebus non egredietur Ecclesiam, & horis, quibus celebratur opus Dei in ambitu manens, & nulli sororum aliquid loquens, omnium exeuntium de Ecclesia vestigijs se prouoluat. Vespetis autem dictis in sexta feria, exeunte conuentu in ordine suo Abbatissa sequens conuentum, cum ad iacentem venerit erigat eam, & data manu ducat ad altare in choro sororum, sequente conuentu, & orante pro ea. Vbi absolutione percepta, reuertatur ad ordinem suum. Si aliquã autem moritur habens quid proprium, nec cõfessa fuerit, loco corpore eius, & posito in feretro portetur ante fores Ecclesiæ, & dicat Abbatissa præsente, & audiẽte conuentu. Hæc per proprietatem fallente diabolo, grauiter contra Deum, & ordinẽ peccauit, oremus igitur pro ea, vt remittat ei Deus peccatum hoc, quia misericors est, & dicto ab omnibus. Aue Maria, absoluatur. Deinde corpus eius statuatur in medio chori sororum, circa finem missæ portetur a sororibus ad ianuam Ecclesiæ, qua aperta fratres ingredientes deferant corpus, & debito more sepeliatur.

CHRISTVS PROHIBET HIC monialibus dona aliqua recipere, & inhibet Abbatissę licentiam recipiẽdi concedere, vetat etiam ne ipsa isto peccato commaculetur, aut notabilis in habitu precioso præ cæteris appareat.

CAP. XIX.

Si aliqua dona a parentibus vel amicis directa alicui fuerint, nequaquã suscipiãtur propter votum, & professionem sanctam. Sed nec ipsa Abbatissa, licet a parentibus cuiuscunq; dignitatis sollicitata, licẽtiam habendi aliquid proprium admittat. Quia sicut a scintilla augetur ignis sic a proprietate damnatio, quæ laudabilem in monasteriis rescindit vnitatem, & communem corrumpit æquitatem. Caueat ergo sollicite ipsa Abbatissa, ne quasi libera vtẽs potestate hoc delectetur peccato, aut notabilis in habitu præ cæteris appareat, quanto prælata cæteris, tanto sollicitius debet præcepta regulæ obseruare.

Chri-

CHRISTVS ORDINAT HIC, qualiter debent Ecclesia, & Monasterium ædificari completæ, & numerus monialium, & sacerdotum competens, ad celebranda diuina officia inueniri, antequam instituatur conuentus intus in monasterio. Disponit etiam de dote, & oblatione danda monasterio, a monialibus nouiter recipiendis, & de modo expendendi illa. Item de ratione annuatim recipienda de expensis factis illo anno, & quomodo redditus, qui supersunt, pauperibus erogentur. Disponit etiam de curioso modo discernendi, an bene, vel male acquisitæ sint illæ eleemosynæ, quæ eis largiuntur, antequam per Abbatissam, & conuentum, ab offerentibus recipiantur.

CAP. XX.

CONSTRUENDA quippe, primum est Ecclesia, & monasterium sororum, atque curia Sacerdotum, in suis locis, vt dictum est superius. Et postea introducendus est conuentus. Et si forte in breui plene consummare nequiuerint, tunc omnino cauendum est, ne vnquam instituatur conuentus, priusquam in tantum consummata fuerint quod sine tribulatione, & metu possint inhabitare. Sed nec pauciores sorores primum introducendę sunt, quam vt sufficientes sint ad officium suum decantandum. Nec pauciores sacerdotes, quod ipsi etiam ad cantandum omni die de tempore officium, sint valentes. Tunc autem in monasterio collocentur, & postea totaliter personæ, quod numerus prænominatus sororum, & fratrum compleatur. Omnis persona dictarum primo fundantium monasterium, hanc religionem introiens, tot pecuniarum redditus secum inferat, & potestati Abbatissæ subijciat, quot in omni anno, tam sterili, quam fertili sufficiant sibi ad panem, & potum. De pecunia vero a populo Regni voluntarie contributa, alia victualia, vestes quoq; & necessarias domos, abbatissa omnibus prouidebit.
Deinde numero personarum primarum fundantium monasterium completo, & qualibet persona præbendam panis, & potus omni anno habente, nequaquam ab alijs postea intrantibus religionem, seu ab alijs personis predia, vel redditus monasterio tribuantur. Nam vna persona in monasterio mortua, suscipiatur alia pro ea, secundum ordinem supradictum. Sed vestimenta personæ mortuæ, vna cum præbenda in cibo, & potu omni die, quousq; alia in locum suum intrauerit, pauperibus erogentur. Ante festum omnium Sanctorum annuatim, computari, & præsciri debent victualia, & necessaria anni subsequentis, & omnia quæ tunc remanent, de victualibus; seu pecunia anni tunc instantis, in crastino omnium sanctorum, hoc est in die commemorationis animarum indigentibus largiantur, & propter hoc non oportet monasterium aliqua hospitalitate aggrauari. Sciendum est etiam, quod si aliquando victualia sequentis anni videntur non sufficere, tunc de pecunia, & victualibus imminentis anni, tantum sequenti anno addatur, quantum necesse est, & non plus, prout abbatissa animæ suæ periculum voluerit euitare. Et postea quicquid remanserit, egenis tribuatur. Quotiescunque noua vestimenta assumuntur, vetera pauperibus erogentur. Sciat etiam Abbatissa, quod si plures domos, quam inhabitantium vera exigit necessitas, siue etiam domos superbas construi fecerit, tam graue hoc sibi computabitur peccatum, sicut si a pauperibus meis, proprium victũ, & vestimenta per violentiam spoliasset.
Deinde cum aliquis offert filium suum, vel filiam in monasterio, semper aliquid offerat monasterio pro eleemosyna, si non redditus, aut prædia, dum quælibet persona præbendam panis, & potus habet de prediis prius datis, sed ne vacuæ appareant in conspectu Dei sui offeratur aliquid. Oblatio autem illa non sit coacta, nec a conuentu prefixa, sed in voluntate, & beneplacito offerentis, vt quantum poterit, vel voluerit dare, cum gratiarum actione recipiatur. Personæ autem, quæ ex toto sunt pauperes, gratis suscipiantur. Porro quæcunque sic oblata fuerint, nullatenus in vtilitatem monasterii conuertantur, sed pauperibus, & Ecclesijs indigentibus erogentur, nisi forte monasterium ineuitabili necessitate coarctatur. Præterea a quocunque aliqua conuentui oblata fuerint præter oblationem illarum personarum, religionem, & monasterium primo fundantium,

tium, & intrantium, quæ vacuæ non debent ingredi, nullatenus ſuſcipiantur. Si vero conuentus intolerabili neceſſitate grauatus, oblata ſuſcipere compellitur, attendatur prouide; & curioſe inquiratur ſi forte oblata ſint de male acquiſitis, & habita de liberatione dicat Abbatiſſa offerenti. Præceptum nobis eſt, nihil debere ſuſcipere, niſi de certis, & bene acquiſitis, rogo te reuertere tali die, & examinata ſollicite oblatione tua, offer eam Deo tuo coram teſtibus. Quo reuerſo cum teſtimonio recipiatur oblatio eius, & conuentus orabit pro eo, & inter benefactores reputetur. Si autem dubium eſt, vtrum bene acquiſita ſint an male, alijs ſentientibus ſic, alijs vero ſic nullatenus ſuſcipiantur, quacunque neceſſitate cogente, tamen voluntate eius indicata conuentui, orabunt omnes pro eo propter charitatem. Qui vero ex feruenti deſiderio offerunt aliqua, nec tamen conuentus eis indiget, dicatur eis a conuentu. Nos quidem libenter ſuſcipimus donata tua, & te in charitate noſtra colligimus, verum quia iſtis oblatis perſonaliter non indigemus, ſuademus tibi, & humiliter ſupplicamus, vt oblata iſta ex parte noſtra, & ſub noſtro nomine, eroges pauperibus, aut Eccleſijs, quibus tibi dicimus. Et ſi hoc promiſerit, & fecerit, petitio eius exaudiatur.

CHRISTVS HIC DISPONIT & taxat numerum altarium, & ornamentorum, & librorum, quæ debent eſſe ad celebranda diuina officia, in Eccleſia, & monaſterio.

CAP. XXI.

SCiendum eſt etiam, quod tredecim erunt altaria, & quodlibet altare vno contentabitur calice. Summum vero altare duos calices habeat, cum duobus paribus ampullarum, & duobus paribus candelabrorum vnam quoque crucem, & tria thuribula, quorum vnum habendum eſt ſingulis diebus, duo vero in feſtiuitatibus, & vnam pixidem pro corpore. Inſuper omnino caueatur, ne plura de argento, vel de auro in poſſeſſione habeatur monaſterij. Quoniam nec aurum, nec argentum, ſiue gemmas, ſed gratiam meam continuis ſtudijs, deuotis orationibus, & diuinis laudibus, ſibi coaceruabunt pro theſauro. Licebit etiam reliquias ſanctorum auro, vel argento, ſeu gemmis ſecundum ipſarum menſuram, ſine omni ſuperfluitate operiri. Libri quoque quotquot neceſſarij fuerint ad diuinum officiū peragendum habendi ſunt, plures autem nullo modo. Illos autem libros habeant quotquot voluerint, in quibus addiſcendum eſt, vel ſtudendum. Præterea vnumquodque altare, duobus ornamentis, & duobus paramentis, propter dies feſtos, & feriales contentetur, plura quoque nunquam in poſſeſſione propria inſimul habeantur, de omnibus rebus ſuprafcriptis.

CHRISTVS DISPONIT hic de ætate, quam debeant habere moniales, & fratres, & de tempore probationis, & conſecrationis antequam ad religionem recipiantur.

CAP. XXII.

NVlla ſororum ante decimumoctauum annum ætatis, vnquam ad iſtam religionem ſuſcipiatur. Nec ante conſecrationem, etiam ſi omnes in eam conſentiant ante annum monaſterium ingredietur. Sed nec aliquis clericorum, ſeu fratrum ante vigeſimumquintum ætatis annum profiteatur.

CHRISTVS STATVIT hic, quod excepto tēpore orationis, & lectionis, & receptionis neceſſitatum corporalium, totum reſiduum tempus in labore pio, & honeſto, a monialibus, & fratribus vtiliter expendatur.

CAP. XXIII.

MATER mea omne tempus ſuum tribus diſtinxit temporibus. Vnum quo laudauit Deum ore ſuo, aliud quo manibus ſuis ei ſeruiebat, tertium quo corporis infirmitati compatiens, neceſſaria tribuit ei iuxta modum. Sic ſorores omni tempore quo diuinis non interſunt, vel lectioni, &

tale

tale tempus fuerit, etiam manibus suis laborent, vt sicut mihi seruiunt ore sic seruient, & reliquis membris. Et iste labor non sit ad aliquam mundi vanitatem, non ad aliquid proprium lucrum, sed sicut labor Matris meæ, pro honore Dei, & Ecclesiarum, vel pauperum vtilitate. Omnia autem opera sua facient cum licentia Abbatissæ. Nunquid ego ipse omnium Deus fui in mundo sine labore? Nunquid non laboraui eundo, docendo, patiendo? Nunquid Apostoli mei fuerunt sine labore, quibus bene omnia potuissem sufficienter dedisse? Sed ipsi omnibus membris suis seruierunt mihi Deo suo, & vt per laborē corporalē aptiores essent ad laborē spiritualē,

CHRISTVS STATVIT HIC, quod mensura ciborum cum discretione taxata, tam nobilibus, quam ignobilibus, equalis tribuatur.

CAP. XXIIII.

SAncti mei non ideo affligebant corpus suum, quia odiebant illud, sed vt temperarent illud ad seruitium Dei sui, ad quod factum erat. Nec ideo, quia credebant se ex eius afflictione dignos, absque misericordia mea ad regnum meum. Quia etiam si homo centies occideret corpus suum, non tamen ex meritis suis esset dignus habere mecum regnum, si cum iustitia mea procederem contra eum. Ideo hoc mihi clarum est, & acceptabile, vt homo sic indulgeat corpori suo, tanquam iumento infirmo, prout stare potest in seruitio meo. Non vt luxurietur, vel delicijs dissoluatur, sed necessitati cum discretione satisfaciat, & prout natura infirma petit. Ergo, quia difficile omnes seruant modum, ideo vt occasionem maiorem boni habeant, mensura omnibus constituatur equalis, nobili, & ignobili, pauperi, & diuiti, cuius virtutem nouerit ille, qui in se infirmitates tentatione deciderat. Quia mensura probatione addiscitur, & patientia, & discretione consummatur.

CHRISTVS DISPONIT de modo fenestrarum, seu cratis, & declarat, quod moniales possint ibidem audiri, sed non videri, tempore confessionis. Tempore vero communionis possint audiri pariter, & videri. Dicit etiam de rota, & de modo ibidem tenendo. Et prohibet, quod nullus vnquam confessor, vel alius intret monasterium monialium, nisi quando alicui infirmæ danda sunt Sacramenta, aut quando aliqua mortua debeat extrahi ad sepeliendum.

CAP. XXV.

SOrores confessiones suas faciant ad fenestras ita ordinatas, quod audiri quidem possint, minime autem videri. Communicare vero debent ad fenestras, vbi audiri possint pariter, & videri. Sed quando de aliis corporis, aut animæ commodis, confessori, aut alicui presbyterorum, seu fratrum loqui voluerint, tunc ad alias fenestras, vbi audiri etiam possunt, sed non videri sedeant. Ibi in pariete rota quædam habeatur, per quā accipienda, & mittenda sunt necessaria. Nulla tamen sororum ibi aliqua loqui, vel audire præsumat, nec accipere aliqua, vel emittere, sine scitu, vel licentia Abbatissæ. Caueatur etiam ibi, & in omni loco nisi dum confessiones ad fenestras deputatas audiuntur, ne aliqua soror ad audiendum, siue loquendum alicui, sine præsentia aliquarum sororum inueniatur sola, quę omnia verba audient sicut ipsa. Prohibeatur etiam ne vnquam confessor, seu aliquis presbyterorum, aut fratrum monasterium ingrediatur, nisi quando infirmis donanda sunt sacramenta. Tunc autem ingrediatur confessor, sed nullo modo solus, immo aliquibus ipsum sequentibus. Mortua vero aliqua sorore omnes presbyteri, & fratres cum confessore ingrediantur cum cantu, & orationibus corpus ad sepulchrum deferendo.

CHRI-

by Googl

CHRISTVS ORDINAT HIC, quod Diocesanus Episcopus, sit Pater, & Visitator Monasterij istius Religionis, Princeps vero Regni, seu Prouinciæ debeat esse defensor. Et Papa earum tutor charitatiuus, sine cuius licentia nullum monasterium istius religionis fundetur. Dicit etiam, quod aliquid deuoti fratres, de regula Beati Benedicti, aut Beati Bernardi, addant in ista regula aliqua capitula, super correctione excessuum, & super visitatione fienda, & super omnibus alijs, quæ huic regulæ necessaria viderint expedire.

CAP. XXVI.

EPiscopus in cuius dioecesi monasterium est, erit tam sororum, quam fratrum Pater, & visitator, necnon & iudex in omnibus causis, seu casibus, sorores, aut fratres tangentibus. Ipsum denique oportet continue sollicitum, & diligentem esse, speculatorem, si regula in omnibus punctis obseruatur, ne contingat ipsius salubria statuta, ab aliquibus sororum, aut fratrum paruipendi. Princeps Regni seu terræ, in quo est monasterium, erit eis responsalis, & defensor in omnibus necessitatibus. Papa vero super vtrunq;, scilicet principem terræ, & Episcopum, erit eorum tutor charitatiuus, si eius adiutorium postulauerint, necessitate aliqua compellente. Quicunque monasterium huius religionis construere voluerit, nullatenus sine voluntate, & licentia Papæ, hoc præsumat. Deinde ista regula per Papã confirmata, inquirantur aliqui deuoti fratres, de regulis Benedicti, vel Bernardi, qui huic regulæ inscribant, quomodo excessus emendandi sunt in monasterio, & quomodo mortui sepeliendi sunt, & qualiter visitabit Episcopus, & pro quibus casibus ingredietur monasterium. Et omnia alia necessaria, quæ in his verbis non narrantur ad huius regulæ roborationem, assumantur de regulis supradictis.

CHRISTVS ORDINAT HIC, qualiter stet semper aperta quædam fossa in monasterio, vbi omni die dicatur oratio. Et sit quoddam feretrum ante ingressum Ecclesiæ, ad habendum memoriam mortis infixam in mente.

CAP. XXVII.

FOssa quedam in monasterio instar sepulchri, loco debito habeatur quotidie aperta, ad quam post tertiam omni die festo, & priuato, egredientur sorores, & eijciente Abbatissa modicũ terræ duobus digitis legant psalmus. De profundis, cum collecta sub hac forma. Oratio. Domine sancte pater, qui corpus, quod filio tuo de Virgine Maria sumpsisti, illæsum in tumulo conseruasti, incorruptũ suscitasti, conserua quæsumus corpora nostra munda, & immaculata in tuo sanctissimo seruitio, & dirige viam nostram in hoc tempore, vt cum dies iudicii magnus & terribilis aduenerit, inter sanctos tuos resuscitentur, & animæ nostræ tecum æternaliter gaudeant, & electis tuis sociari mereantur. In nomine Patris &c. Feretrum quoq; cui modicum terræ superimponitur, ante ingressum Ecclesiæ iugiter statuatur, vbi ab ingredientibus semper videri possit, vt videntes hoc, memoriam mortis in mente habeãt, & legant in cordibus suis quod terra sunt, & in terram reuertentur.

CHRISTVS LOQVENS sponsæ suæ Beatæ Brigittæ, exponit hic illud capitulum quod est ante principium Regulæ, quod loquitur de vineis dissipatis, dicẽs quod vineæ suæ dissipatæ, sunt religiones, in quibus regulæ non seruantur. Promittens adiutorium, & fauorem illis religiosis, qui eas obseruare, & inquãtum possunt reformare conantur.

CAP. XXVIII.

PEr illas vineas dissipatas. De quibus modo dixi prius, quam regulam audires, intelligo regulas illas, quæ iam non te-

tenentur, sicut amici mei inspirante spiritu veritatis, eas dictauerunt, sed propter crapulam, & mundi delectationem, a via recta recesserunt. Denique amici mei in eisdem regulis existentes, & talem fratrum suorum discessum cognoscentes, nec quidem per se hoc emendare volentes, ex magna cordis anxietate, die, noctuq; clamant ad me cum lacrymis, postulantes, quod illi qui se corrigere noluerint, citius eiciantur. Et qui se emendare voluerint, fructuosi in bonis operibus efficiantur. Ego qui sum omnium cordium scrutator, & omnium verborum auditor, si aliquos inuenero, qui monasterii sui errorem corrigere tentauerint, suamque regulam tenere in omnibus quæ præcipit, scilicet in humili, & regulari habitu, in debitis abstinentiis, in fuga proprietatis, in obseruantia castitatis, & vere humilitatis, atque in omnibus bonis consuetudinibus, cooperabor eis, & circundabor eis, & circundabo eos dilectione mea, sicut circundare solent vineam maceria sua, daboque eis gratiam, vt libenter se contentos reddant de solis vitæ necessariis, superfluitatem omnem contemnendo, per quod occiditur talpa radices corrodens, id est, diabolica suggestio, bonas affectiones rescindere cupiens, prauis concupiscentiis. Custodes quoque excitabuntur, hoc est, conscientiæ eorum, qui de animarum suarum salute non attendunt expergescient, seipsas continue speculando. Insuper incrassabo eos dulcedine spiritus mei, qui fortificabit eos ad seruiendum mihi, qui eos creaui, & sanguine meo pretioso redemi.

DOMINA BRIGITTA Christi sponsa, narrat hic mirabilem modum, qualiter dicta regula istius religionis fuit ei tradita, a benedicto ore Christi, in momento.

CAP. XXIX.

DEVS omnium rerum Creator benedicto ore suo omnia istius regulæ verba, tam mirabiliter, & in tam breui tempore, mihi indignæ personæ retulit, quod alicui homini hoc non sufficio enarrare. Nec quidem possibile est alicui, sine similitudine corporali comprehendere, qualiter in breuissima hora, tot verba proferri possent, aut capi. Vnde sicut si in aliquo vase, res præciosæ multæ, & diuersæ haberentur, quæ dum de ipso vase insimul effunderentur, tunc ab aliquo hoc vidente in vno momento vnaquæque res ab alia discerneretur; tanto etiam tempore res ille coram eo morarentur, vt vnamquamque per se in sinum suum colligere posset.

Simili modo, statim quando Iesus Christus, qui apparuit mihi, sua benedicta labia aperuit, & loqui cœpit confestim in breuissima hora omnes articuli istius regulæ, cum omnibus verbis, quæ in eis continentur, coram me erant, non quasi in aliqua carta conscripta, sed quali modo hoc fuit ille solus nouit, a quo tam mirabiliter audiebantur. Ex cuius mirifica virtute comprehendi potuerunt, & vnumquodque ab altero a sensu meo discerni. Tanto denique tempore in illa visione morabar, donec omnia collegi in memoriæ meæ sinu, cooperante Christi gratia. Post hanc autem visionem tanto erat cor meum feruore, & iubilo impletum, quod non posset in illud plus intrare, si deberem amplius viuere, sed rumperetur præ gaudio. Sicut vesica, vento aliquo nimis plena, sic vtiq; cor meum erat per aliquos dies, donec omnes regulæ articulos, & verba quæ in eis continentur, cuidam viro religioso amico Dei enarraui, qui omnia quam citius conscripsit. Quibus plene conscriptis, cor, & corpus meum, in naturalem dispositionem senserunt paulatim se redire. Laus, & gloria sit omnipotenti Deo. Amen.

CHRISTVS PRAECIPIT sponsæ, quod ista supradicta regula præsentetur Domino Papæ confirmanda, & præcipit Papæ, quod eam omnino confirmet.

CAP. XXX.

DEinde plures præterierunt anni. Post quos eadem persona, vigilantis corporis sui viribus quasi ad se redeuntibus, & ex magna consolatione fortificatis, in spiritualem rapta est visionem, cui continuo vox quædã loquebatur dicẽs.

Ego sum filius Dei viui, regula ista quam audisti per Vicarium meum, qui in mundo Papa dicitur confirmari debet, quoniam ex parte mea ligandi, atque soluendi potestatem habet, rationem mihi facturus toto meo cœlesti exercitu audiente. Ego ille idem sum, qui secundum scripturam, Moysi nomen meum sciscitanti, respondi dicens. Ego sum qui sum. Deinde dum mihi placuit, corpus humanum accepi de Virgine. Ego etiam sicut corporali ore loquebar in mundo, affirmans me non venisse legem soluere, sed adimplere. Ita & modo dico hanc regulam, ex nullius hominis sensu dictatam fuisse, quam in spiritu audisti per Papam confirmari debere, sicut alias regulas, quæ ex humano sensu prius compositæ fuerant, eodem spiritu inspirante. Deinde regula confirmata, concedat Papa ipsam incipere volentibus personas de alijs religionibus, quæ regulam suam cum diuina charitate tenuerant in istam regulam secum assumere, quæ vsque ad mortem se cum eis promittunt permansuras. Non tamen plures, quam ipsis placuerit. Nec alias, nisi quas suo collegio associare voluerint, acceptabunt. Admittat insuper Papa, vt in loco qui tibi regulam audienti demonstratus est, monasteriū construatur, ibi enim primum hæc regula inchoanda est. Similiter etiam licentiam det sororibus, cantandi quotidie horas Matris meæ, quæ eodem spiritu, quo, & regula sunt completæ. Ego autem hoc audiens respondi. O incorporalis potentia, o quam magna tua humilitas est. O virtutum omnium operator, & ipsa virtus, vnus Deus omnipotens in tribus personis. Ego omnia credo quæ credi præcipit Sancta Ecclesia. Ego etiam certissime scio, quod nullus ita indignus est, quod denegetur ei misericordia tua, si cum vera humilitate, & perfecta voluntate emendandi commissa, misericordiam a te postulat. Ex gratia igitur tua voluntatem habeo faciendi tuam voluntatem, quamdiu vixero, te testante. Tu scis, quod si possibile esset, quod maius gaudium, maiorque consolatio ex hoc tibi proueniret, quod ego quo ad corpus meum omnes infirmitates, scandala, dolores, paupertates, & omnes tribulationes, & adhuc in ipsa anima mea æterna supplicia sustinerem, istas aduersitates potius amplecterer, quam vtrunque secum ad corpus, & animam æternam felicitatem ad hoc, vt consolatio tua minor esset. O Domine Deus, qui me creasti, & precioso sanguine redemisti. Si in istis tribus, scilicet fide, spe, & charitate, defectum aliquem habere me videris, propter magnam gratiam tuam tu eum supplere digneris. Tu es in intimo cordis mei sanguine, & intimus in anima mea. Et quamuis indigna persona sum, visitatione, & consolatione benedicti spiritus tui, tutelæ tamen tuæ magnæ potentiæ me totaliter committo, vt quicquid tibi placuerit, mecum facias. Et quamuis omnium vides cogitationes, tamen ex præcepto animæ meæ, ad te loquitur lingua mea. O dignissime Domine mi Iesu Christe, ego indigna persona, inter tuos fideles seruitores sum sicut minima formica inter fortes camelos, qui magnas sarcinas portant ad Domini sui commodū, & honorem. Et quomodo poterit Papa credere, quod tu omnium Deus, & Dominus, cum tali formica talia digneris facere. Aut quomodo regula ista ante conspectum eius perueniet.

CHRISTVS LOQVENS sponsæ dicit ei, quod ipsa laboret taliter, quod dicta regula per Dominum Papam confirmetur, promittens gratiam, & adiutorium, omnibus intrantibus istam religionem, & augmentum pacis, & concordiā in patria illa, vbi aliquod monasterium istius religionis fundatum fuerit.

CAP. XXXI.

DEinde vox, quæ prius loquebatur, respondit dicens. Ego sine principio sum, & sine fine, & omnia secundum voluntatē meam ordinaui, & sicut mihi placuit omnia feci. Vnde si quis interrogaret quare non prius creaui cælum, & terram, & omnia quæ in eis sunt. Respondendum esset, quia sic fuit voluntas mea. Similiter si quæreretur, quare non prius istam regulam dedi, aut confirmari eam volui, respondendum est, quia sic volui. Nonne dicit Scriptura? Spiritus vbi vult, spirat. Sic vere est. Ipse enim spirat diuersis modis, vbi vult, & quando vult. Ipsum tales sequentur consolationes, vt totum cor repentina repleatur lætitia, quæ de nullis mundanis, seu corporalibus rebus cordi aduenit, sed ex spiritus gratia tunc inspirantis. Ergo

Ttt si Papa

si Papa talia in corde suo senserit, quando hanc regulam coram se legi audierit, tunc intelligere potest, vnde regula venerit. Quã vere multi amici mei, tam clerici quam laici, quorum corda charitate mea illuminaui credunt indubitanter ex me venisse. Et cognoscunt ea quæ tecum dignatus sum facere, qui omnia creaui, & hominem de inferno liberaui. Et si forte aliqui cum Papa existentes, ista credere non potuerint, tunc venient ad Papam tres testes, qui in eodem regno nati sunt, quo, & tu, qui de te sciunt, & quid tecum actum est plenius agnoscunt, videlicet vnus Episcopus, vnus monachus vnusque sacerdos, istos tres tu omnes agnoscis. Consideret etiam Papa, quod si aliquis multum aurum possideret, quod ex hoc non minus fieret, quod de illo aliquibus alijs daretur, non esset iustum eis de illo non dare, qui ad nihil aliud nisi ad honorẽ Dei, & animarum salutem, de eo aliquid postularent. Per hoc aurum intelligo authoritatem, quam habet Papa ex parte mea, vt confirmet hanc regulam. Ego qui dixi, ego sum pastor bonus, ego ipse omnes eos seruare volo, qui in eam intrauerint, pro omnibus mortalibus inimicis. Et in omni regno, seu terra aut ciuitate in quibus monasteria huius regule, cum vicarij mei licentia constructa fuerint, postquam consummatum est monasterium, quod primum constitui augebitur ibi pax, & concordia. Tu cui regula data est conare quantum poteris, vt ad Papam perueniat. Ego iam idem sum qui fui, quando discipulis meis mandaui in Ciuitatem ire, & asinum mihi adducere, tamen hoc bene potuissem, quod statim staret asinus coram me. Ita etiam hoc modo possem, vt regula in vno puncto ante Papam veniret, & ipse confestim eã confirmaret. Sed hoc iustitia est, vt pro maiori corporis spirituali labore, rependatur animæ maior merces. Labora igitur tu, & cooperare quantum poteris, ego autẽ perficiã dum mihi placuerit.

Explicit Regula Saluatoris.

PROLOGVS
IN SERMONEM ANGELICVM
DE EXCELLENTIA VIRGINIS MARIAE.

CVM Beata Brigitta Principissa Neritiæ de Regno suetiæ, per plures annos habitaret in Roma, in domo Cardinalatus, quę est contigua *Ecclesiæ Sancti* Laurentij in Damaso, tunc ipsa ignorante quales lectiones deberent legi per moniales in monasterio suo, quod Christus constitui præceperat in suetia. Cuius regulam ipsemet dictauerat, ad honorem B. Virginis Matris suæ. Illico ipsa Beata Brigitta orante, & super hoc dubitante apparuit ei Christus dicens ei. Ego mittam tibi Angelum meum, qui lecturam in matutinis legendam per moniales in monasterio tuo ad honorem Virg. Matris meæ tibi reuelabit, & ipse eam tibi dictabit, & tu scribe illam, prout ipse tibi dixerit. Igitur Beata Brigitta habens cameram, cuius fenestra ad altare maius respiciebat, vnde corpus Christi quotidie videre poterat, præparabat se quotidie in eadem camera ad scribendum, cum pugillari, & carta, & penna in manibus, postquam horas, & orationes suas legebat, & sic parata Angelum Domini expectabat. Qui veniens ponebat se prope eam a latere eius, & stabat erectus honestissime, habens semper faciem cum reuerenti gestu respicientem versus altare, vbi corpus Christi reconditum erat. Et sic stans, dictam lecturam, id est, infrascriptas lectiones legendas in matutinis sororum in dicto monasterio, quæ tractant de excellentissima excellentia ab æterno Beatæ *Mariæ* Virginis, ipse dictabat distincte, & ordinate in lingua materna Beatæ Brigittæ. Et ipsa illas quotidie deuotissime scribebat ab ore Angeli, & Patri suo spirituali quotidie illa, quæ ipsa die scripserat humiliter ostendebat.

sed

Digitized by Google

Sed contingebat aliquibus diebus, quod Angelus non veniebat ad dictandum. Et illa die interrogata a suo patre spirituali, de scriptura illius diei si quam scripserat, tunc ipsa respondebat humiliter dicens. Pater hodie nihil scripsi, quia expectaui diu Angelum Domini, qui dictaret, vt ego scriberem, & ipse non venit. Et tali modo ab ore Angeli iste infrascriptus sermo Angelicus de excellentia Beatæ Mariæ Virginis, dictatus, & conscriptus fuit. Et etiam diuisus fuit ab Angelo per lectiones ad legendum in matutinis sororum per hebdomadam per totum anni circulum, vt infra sequitur. Postquam vero idem Angelus perfecit dictamen istius sermonis ait ad sponsam scribentem. Ecce iam ego sarsi tunicam Reginæ Cœli Matris Dei, vos ergo eam sicut poteritis consuatis. Ergo o beatissimæ moniales religionis Sanctissimæ Regulæ Saluatoris, quam ipse omnium saluator, & conditor ore proprio vobis, & mundo, per sponsam suam, tam benigne, & humiliter ministrauit, pręparate manus sanctæ operationis, ad suscipiendum cum magna reuerentia, & deuotione hunc sacrum sermonem quem Matri vestræ Beatæ Brigittæ Angelus Domini ex Dei praecepto dictauit. Aperite aures vestras ad audiendum tam sublimem, & inauditam laudem nouam Marię Beatissimæ Virginis, & eius excellentiam ab æterno hic contentam, humili mente cogitate, vt ea ruminando diligenter faucibus meditationis, deglutiatis eius dulcedinem suauiter gustu contemplationis. Et postea manus, & corda vestra toto affectu coram Deo expandite, ad reddendum ei de tanto beneficio vobis singulariter facto, humillimas, & deuotas gratiarum actiones. Quod vobis concedere dignetur eius beatissimus Filius Rex Angelorum, qui viuit, & regnat perenniter cum eadem in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Prologus:



Digitized by Google

INCIPIT SERMO ANGELICVS DE EXCELLENTIA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, QVEM IPSE ANGELVS DICTAVIT Beatæ Brigittæ ex præcepto Dei, & ipsa ex eodem præcepto deuote conscripsit. Qui debet legi in matutinis diuisim per ferias hebdomadæ per anni circulum, vt infra sequitur.

IN istis tribus lectionibus subsequentibus, ostendit Angelus qualiter Deus Beatam Gloriosam Virginem Mariam Matrem suam, ab æterno dilexit super omnes creaturas, antequam aliquid crearetur.

Absolutio.

Summæ Trinitati Virgo gratissima, nos tueatur sub prece dignissima. Amen.

In die Dominica. Lectio prima.

CAP. I.

VErbum de quo Euangelista Ioánes in Euangelio suo facit métioné, ab æterno erat cum patre, & Spiritu sácto vnus Deus. Tres enim sunt personę, & vna in eis perfecta diuinitas. Hæ siquidem tres personæ in omnibus erant coequales. Erat nanq; omnibus eis vna voluntas, vna sapientia, vna potentia, vna pulchritudo, vna virtus, vna charitas, vnum gaudiũ. Impossibile vtique foret hoc verbum esse Deum, si a patre, & spiritu esset separabile, sicut ab hac dictione (ita) quæ veritatem videtur sonare, & tres in se literas continere, exemplum haberi potest. Quemadmodum enim si aliqua illarum trium literarum subtraheretur ab alijs, tunc eundem effectum quē prius habebant non haberent, quia eãdem dictionem non efficerent. Simili modo intelligendum de tribus in vna diuinitate personis, nam si aliqua illarum separabilis esset ab alia, vt alij inequalis, aut in aliquo deficiens, quod haberet alia, tunc in eis videretur esse diuinitas, ipsa nanq; in se indiuisibilis est. Per humanitatis etiam susceptionem, verbum .s. Dei filium, a patre, & Spiritu fuisse diuisum, nefas est credere. Sicut enim verbum, quod loquimur, quãuis corde cogitatur, & ore profertur, minime tangi potest, vel videri, nisi alicui rei materiali inscriptum, aut impressum fuerit, ita etiã hoc verbum, scilicet Dei Filium pro humani generis saluatione, tangi, vel videri fuisset impossibile, nisi humanæ carni vnitum extitisset. Quemadmodum etiam dum verbum aliquod in codice scriptum conspicitur, tunc etiam in mente cogitari potest, pariter, & ore proferri. Sic vtiq; Dei filium in assumpta carne visibilem, cum Patre, & Spiritu sancto existere, nullatenus dubitandum est. Sunt igitur veraciter tres personæ inseparabiles, incommutabiles, æternaliter in omnibus coequales vnus Deus. In hoc itaque Deo omnia erant ab æterno præscita, omnia eius aspectui

cum

eius pulchritudine reuerenter assistentia, ipsi ad gaudium, & honorem, quæ postmodum cum sibi placuit, per creationem sapientissime in esse produxit. Nulla namque necessitate, nullo gaudij, seu commodi sui defectu, Deus ad aliquod creandum cogebatur. Impossibile namq; erat, quod ipse in se aliquos defectus pateretur. Sola igitur sua feruentissima charitas, ipsum traxit ad creandum, vt plures cum ipso, ex eius ineffabili gaudio æternaliter lętarentur. Vnde omnia illa, quæ creanda erant, ea forma, eoque modo, postea pulcherrime creauit, sicut ab æterno ipsius aspectui pulcherrime astabant increata. Inter omnia tamen, quæ tunc erant increata, vnum erat coram Deo, quod summe cętera excellebat, de quo & ipse maxime lætabatur. In illo namque increato, quatuor elementa, scilicet ignis, aer, aqua, & terra, quamuis etiam increata tunc essent in hunc modum diuino aspectui æternaliter apparebant, quod scilicet aer in eo ita leuis fieri debebat, quod contra Spiritum sanctum vnquam non efflaret. Terra quoque in illo increato creari debebat, tam bona, & tam fructifera, quod nihil in ea crescere posset, quod ad omnia necessaria vtile non esset. Aqua itaque sic tranquilla, quod vndecunque ventorum turbines afflarent, nulla vnquam procella in ea penitus moueretur. Ignis etiam ita altus, quod eius flamma, & calor, mansioni in qua ipse Deus erat appropinquarent. O Maria Virgo purissima, & fęcundissima Mater, hoc ipsum tu es. Sic namque, & talis ab æterno, diuino aspectui increata astitisti, ac deinde de supradictis, tam puris, & claris elementis, materiam tu benedicti corporis habuisti. Talis vtiq; coram Deo ante creationem tuam increata assistebas, qualis postmodum effici meruisti, & ideo a principio omnia creanda, in Dei conspectu ad eius maximum gaudium plurimum excellebas. Deus enim pater de tuis fructuosis operibus, quæ ipso opitulante factura eras exultabat, filius autem de tua virtuosa constantia, & Spiritus sanctus de tua humili obedientia. Erat tamen patri gaudium filij, & spiritus, filio quoq; gaudium patris, & spūs, atq; sācto spiritui gaudium patris, & filij. Vnde sicut omnibus eis de te vnum erat gaudium, ita ad te omnes vnam habebant charitatem. Tu autem Domine.

In die Dominica. Lectio ij.

Absolutio.

Succurre nobis Mater Christi, quæ mundo flebili gaudium intulisti. Amen.

CAP. II.

Tu quoque o Maria creaturarum omnium dignissima. Ab initio sic eras coram Deo, antequam te creauit, sicut arca Noe coram ipso Noe post quā de eius fabricatione sibi innotuit, antequā ipsam, vt sibi iussum fuerat consummauit. Nouit enim Noe in tempore, quo Deo placuit, qualis sua arca fieret. Nouit Deus ante tempora qualis fieret arca sua, gloriosum, videlicet corpus tuum. Gaudebat Noe de arca sua, antequam fabricaretur, gaudebat summe de te o Virgo ipse Deus, antequam te crearet. Gaudebat Noe, quoniam arca sua tam firmiter consolidanda erat, quod nullis procellarum dissolueretur impulsibus, gaudebat Deus, quia corpus tuum tam virtuosum, & forte fieri debebat, quod ex nullius malitiæ duritia, quæ in inferno futura erat, ad peccatum aliquod flecteretur. Lætabatur Noe eo quod arca sua interius, & exterius ita bituminanda erat, quod sentina aliqua in eam nequiret instillare. Lætabatur exeo Deus, quod voluntatem tuam præsciebat, tam bonam debere fieri ex sua bonitate, quod vnctione Spiritus sancti, intus, & foris ita perfundi mereris, quod rerū temporalium in mundo creandarum ambitioni in tuo corde nequaquam pateret introitus. Ita enim odiosa est Deo mundana cupido in homine, sicut Noe sentina in arca sua. Lętabatur Noe de arcæ suæ spaciosa latitudine, lætabatur Deus de tua amplissima, & misericordissima pietate, qua omnes perfectissime amatura eras, nullumq; creatum irrationabiliter oditura, pręsertim vero, quia illa benignissima tua pietas intantum dilatari debebat, quod ille immensus Deus, cuius magnitudo incomprehensibilis est, in tuo benedicto vtero iacere, & versari dignaretur. Lętabatur etiam Noe, quod arca sua facienda erat satis lucida, lętabatur Deus, quia virginitas tua vsq; ad tuā mortem ita clara seruanda erat, quod nullius peccati contagium eam valeret obfuscare.

lætabatur ex hoc Noe, quod omnia sui corporis necessaria habiturus erat in arca sua, lætabatur ex hoc Deus, quod totum suum corpus de tuo solo corpore, sine aliquo defectu erat accepturus. Magis quoque Deus de te o castissima Virginum, quam Noe de arca sua gratulabatur, nam præsciuit Noe, se de arca sua cum eodem corpore, quo in ipsam intraret, exiturum. Præsciebat etiam se Deus in arcam tui honestissimi corporis, sine corpore ingressurum, atque de ipsa cum corpore de tua mundissima carne, & sanguine purissimo assumpto egressurum. Nouit se Noe relicturum arcam suam vacuam, quando ab ipsa discederet, & ad eam deinceps minime reuersurum. Nouit etiam Deus ante sæcula, quod quando de te cum humanitate nasceretur, tu Virgo, & Mater Gloriosa nõ vacua vt Arca Noe, sed omnibus sancti spiritus donis splendidissima remaneres. Et quamuis corpus suum, a tuo corpore in sua natiuitate separaretur, nihilominus tamen te præsciuit secum sine fine inseparabiliter permansurum. Tu autem Domine.

In die Dominica. Lectio iij.

Absolutio.

Deum nobis faciat propitium, quæ ipsius facta fuit hospitium. Amen.

CAP. III.

Diligebat Abraham Patriarcha suum filium Isaac, statim cum ei Deus Filium nasciturũ promisit, multis annis antequam conciperetur. Sed maiori charitate te o dulcissima Virgo Maria antequam aliquid crearetur, ipse Deus omnipotens diligebat, quia præsciebat ab æterno, te sibi ad maximum gaudium fore nascituram. Minime præsciuit patriarcha, quod per promissum sibi filium, sua magna charitas, quam ad Deum habebat, esset manifestanda. Sed sciebat peroptime Deus ab initio, qui per te sua maxima charitas, quam ad genus humanum habebat, deberet omnibus euidenter patefieri. Prænouit Abraham suum filium cum pudore debere concipi, ac de muliere sibi carnaliter copulata nasci. Præsciebat vero Deus, quod in te castissima Virgo sine viri cooperatione debebat concipi cum honore, & quod tua virginitate integraliter conseruata, de te honestissime debebat nasci. Intellexit Abraham, quod caro sui filij postquam eum generaret, a sua carne essentialiter debebat separari. Præsciebat vero Deus Pater, quod caro illa benedicta, a sua maiestate, nequaquam debebat separari, quam suus prædulcis filius, a te o Serenissima Mater decreuerat assumere, nam filius in patre, & pater in filio, essentialiter inseparabiles existunt vnus Deus. Intellexit Abraham, carnem a sua carne genitam putrefieri debere, atq; in puluerem redigi, veluti suam carnem propriam. Sciebat autem Deus tuam mundissimam carnem, non magis resolui debere, vel putrescere, quàm carnem suam sanctissimam, a tua virginale carne generandam. Aedificauit ea voluntate Abraham filio suo habitaculum, antequam conciperetur, vt videlicet, quod quando natus esset habitaret in eo. Tibi vero o incomparabilis Virgo, in qua habitares, æternaliter præordinata erat, scilicet ipse Deus omnipotens. O ineffabilem domum, quæ non solum deforis circundedit te ab omnibus periculis defendendo te, verum etiam intra te mansit, ad omnium virtutum perfectionem corroborando te. Tria deinde Abraham filio suo nondum concepto, frumentum videlicet, vinum, & oleum prouidebat, vt ex eis dum natus fuisset reficeretur. Hæc enim tria a se erant differentia, in aspectu essentia, & sapore, tibi vero o desiderabilis Virgo ad tuam interminabilem refectionẽ, ab æterno prouidebatur ipse Deus in tribus personis a se secundum diuinam essentiam minime differentibus. Et hic idem Deus per te o Maria altrix pauperum, pauperi humano generi, ad æternum nutrimentum prouidebatur. Per illa enim tria, quæ Patriarcha suo prouidit filio, intelligi possunt tres personę, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Nam sicut olei pinguedo ardere nõ potest, antequam lichnus apponatur, sic & patris feruentissima charitas, manifeste non lucebat in mundo, antequam suus filius a te o sponsa Dei prælecta, humanum corpus; quod per lichnum intelligitur sibi assumeret. Quemadmodum etiam frumentum non potest panis effici, antequam præparatum fuerit pluribus instrumentis, ita & filius Dei, qui est refectio Angelorum sub specie panis ad hominis refectionem non apparuit, antequam corpus suum, in tuo benedicto vtero, ex pluribus membris, & lineamentis compositum fuit. Sicut etiam vinum portari non potest nisi vasa prius fuerint præparata

rata ſimili modo gratia Spiritus ſancti, quę per vinum denotatur, homini ad æternam vitam donari non debuit, antequam corpus tui amantiſſimi Filij, quod per vas intelligitur, per mortem, & paſſionem fuiſſet præparatum. *Hoc* enim vaſe ſalutifero omnium dulcedo gratiarum copioſiſſime Angelis, & hominibus propinatur. Tu autem Domine.

IN ISTIS TRIBVS lectionibus ſubſequentibus oſtendit Angelus qualiter Angeli poſt lapſum Luciferi, Beatam Virginem debere creari nouerunt, & quantum de ipſius futura creatione gaudebant. Et qualiter poſt mundi creationem, coram Deo, & Angelis ipſa Virgo aſſiſtere videbatur.

Feria ſecunda. Lectio prima.

Abſolutio.

Ad ſocietatem ciuium ſupernorum, perducat nos Regina Angelorum. Amen.

CAP. IIII.

SCiens itaque Deus omnia ſibi in ſeipſo ad ſuam exultationem æternaliter ſufficere, ex ſolo ſuæ charitatis feruore ad aliquid creandum mouebatur, vt alij ſui ineffabilis gaudii poſſent fieri participes. Creauit igitur innarrabilem Angelorum multitudinem, conferens eis liberum arbitrium, faciendi iuxta ſuum poſſe, quod eis placeret, vt ſicut ipſe nulla coactus neceſſitate, ſed ex propriæ charitatis ardore eos ſibi ipſis ad interminabilem delectationem creauerat, ita & ipſi non inuiti, ſed libera voluntate charitatem pro charitate, & reuerentiam pro indeſinenti conſolatione, ſuo factori indeſinenter exhiberent. circa deniq; punctum quo fuerunt creati, quidam ipſorum liberi arbitrij, gratiſſimo dono peſſime abutentes, cœperunt malitioſe, Creatori ſuo inuidere, quem pro ſua maxima dilectione, ſumme debuiſſent diligere. Vnde protinus de fœlicitate æterna in miſeriam interminabilem, cum ſua malitia merito corruerunt. Alii vero Angeli in gloria ſibi præparata, cum ſua charitate remanſerunt, qui Deum pro ſua dilectione ardenter diligebant, contemplantes in eo omnem pulchritudinem, omnem potentiam, omnemq; virtutem. Intellexerunt etiam Angeli ex *Dei* contemplatione, ſine principio, & ſine fine, ipſum ſolum exiſtere, ſe quoque ipſos ab eo creatos, & quicquid boni habebant, ex eius bonitate, & potentia ſe habere. Nouerant etiam in eius glorifica viſione, ex eius ſapientia, ſe ita ſapientes effectos, quod omnia futura iuxta diuinæ permiſſionis moderamen clare proſpicerent, quibus hoc intimo amplectabantur affectu, quod præноſcebant *Deum* humilitate, & charitate ſua, illas cœleſtes manſiones, ad ſuam gloriam, ſuiq; exercitus conſolationem, iterum velle replere, a quibus inobedientes Angeli, pro ſuperbia & inuidia ſua miſerabiliter corruerant. Intuebantur quoq; in illo benedicto ſpeculo, ſcilicet Deo Creatore ſuo, ſedem quandam reuerendam, ipſi *Deo* ita propinquam, quod impoſſibile videbatur, aliquam aliã ſedem ſibi fieri propiorem, & hoc tamen adhuc increatum eſſe nouerunt, cui ab æterno ſedes illa extitit præparata. Ex intuitu etiam claritatis *Dei*, omnes eos ſine dubio in vno puncto, ita diuina charitas inflammabat, quod quilibet alium ſicut ſeipſum diligebat. Veruntamen *Deum* maxime, & ſuper omnia, atque illud increatũ plus ſeipſis amabant, quod in ſede *Deo* propinquiori erat collocandum, videbant namque *Deum* illud increatum ſumme diligere, ac de illo permaxime gratulari. O omnium conſolatio Virgo *Maria*, hoc ipſum tu es ad quod Angeli a principio ſuæ creationis, tanta arſerunt charitate, quod licet ex ſuauitate, & claritate, quam ipſi in Dei viſione, & appropinquatione habebant ineffabiliter lætabantur, plurimum tamen ex eo gauiſi ſunt, quod tu ipſi *Deo* eis propinquior fieri debebas, & ex eo, quod maiorem charitatem, maioremq; ſuauitatem, quam ipſi habebant, tibi nouerunt reſeruari. *V*idebant etiam ſuper ſedem illam, coronam quandam tantæ pulchritudinis, tantæq; dignitatis, quod nullius maieſtas, niſi ſolius *Dei*, ipſam debebat excellere. Vnde quamuis nouerunt Deum magnum honorem, & gaudium, ex hoc veraciter habere, quod ipſos creaſſet, maiorem tamen honorem, & maius gaudium ex hoc *Deo* debere prouenire videbant, quod tu ad tã ſublimem coronam creari debebas. Et ideo ipſi Angeli de hoc magis exultabant, quod

quod te Deus creare volebat, quam ex eo, quod ipsos creauerat. Et sic tu o Virgo Sanctissima, Angelis mox, vt creati fuerunt, gaudium fuisti, quæ ipsi Deo sine principio summa delectatio extitisti. Et sic vere Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo, de te o Virgo creaturarum omnium dignissima, antequam createris intime congaudebant. Tu autem.

Feria secunda. Lectio ij.

Absolutio.

In Matrem Dei Virgo prælecta, nobis ostendat, quæ sit ad patriam via recta. Amen.

CAP. V.

Intendens igitur Deus mundum creare cum alijs creaturis, quæ in eo sunt ait. Fiat. Et statim perfecte factum erat, quod ipse creare intendebat. Mundo itaque, & creaturis omnibus præter solum hominem perfectis, & diuino aspectui cum pulchritudine reuerenter assistentibus, adhuc vnus minor mundus coram Deo, cum omni venustate increatus astabat, a quo maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia, atque omni homini eius bonitate frui, volenti maior vtilitas, quam de hoc maiori mundo prouenire debebat. O prædulcis domina Virgo Maria, omnibus amabilis, omnibus vtilis, per hunc minorem mundum non incongrue tu intelligeris. Ex scriptura etiam colligitur, quod placuit Deo lucem a tenebris in hoc maiori mundo diuisisse, sed vere illa lucis, ac tenebrarum diuisio, quæ in te post tuam creationem fieri debebat, multo magis ei placuit, quando scilicet interioris infantiæ ignorantia, quæ tenebris comparatur, a te penitus debebat abscedere, & Dei cognitio cũ voluptate, & intelligentia, viuendi secundum eius velle, quæ luce assimilatur, cum feruentissima charitate in te debebant plenissime remanere. Conuenienter itaq; teneritudo illa infantiæ tenebris similatur, qua Deus non agnoscitur, & quid agendum sit nulla ratione discernitur. Hanc vtique ætatis infantiæ teneritudinem tu o Virgo omnis peccati expers, innocentissime transegisti. Deinde quemadmodum Deus duo luminaria, simul cum stellis huic mundo necessaria creauit, vnum vt præesset diei, & alterum vt præesset nocti, ita & in te alia duo luminaria clariora fieri præuidit. Primum namque erat tua diuina obedientia, quæ instar solis coram Angelis in Cœlo, & bonis hominibus in mundo, quibus vere Deus sempiternus dies est lucidissime radiaret. Secundum vero luminare erat tua constantissima fides, qua multi nocturno tempore hoc est ab hora illa, qua creator in carne pro creatura pati debebat, vsque ad eius resurrectionem in tenebris desperationis, & perfidiæ misere peruagantes, veluti quodam lunari iubare, ad veritatis agnitionem ducendi erant. Stellis quoque cogitationes tui cordis in hoc similes apparebant, quod a tempore illo, quo primo Dei cognitionem habuisti ita feruẽs in diuina charitate, vsque ad mortem permansisti, quod Dei, atque Angelorum aspectui omnes cogitationes tuæ, nitidiores quam stellæ humano visui apparebant. Volucrum itaque diuersi generis sublimes volatus, & dulcisoni concentus omnia verba tuorum labiorum figurabant, quæ a tuo terreno corpore, vsque ad aures sedentis in throno maiestatis, ad summam Angelorum exultationem, cum omni suauitate conscendere debebant. Præterea toti terræ in eo similis extitisti, quod sicuti omnia in hoc maiori mundo, terrenum corpus habentia, ex terræ fructibus debebant enutriri, ita omnia illa non solum nutrimentum, immo & ipsam vitam ex tuo fructu debebant obtinere. Floriferis vero, ac fructiferis arboribus, merito comparari possent opera tua, nam cum tanta charitate, ea factura eras, quod plus omnium florum pulchritudine, & fructuum suauitate Deum, atque Angelos delectare debebant. Præsertim cum sine omni ambiguitate credendum sit, Deum in te ante tuam creationem plures virtutes præuidisse, quã in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum generibus, quæ inueniri possent; in totius orbis amplitudine. Vnde nimirum si Deus in te o minor munde, qui adhuc creandus erat magis delectabatur, quam de hoc maiori mundo. Nam licet ante te mundus creatus extitit periturus tamen erat cum omnibus, quæ in eo essent, tu tamen in tua immarcescibili pulchritudine, iuxta æternam Dei præordinationem in ipsius amantissima dilectione inseparabiliter permanere debebas. In nullo .n. ille maior mundus meruit, nec mereri potuit vt sempiternus fieret. Sed tu o felix Maria,

ria, virtutum plenissima, post tuam creationem, diuina opitulante gratia, omnia quæ tecum Deus facere dignatus est, cum omni virtutum perfectione dignissime meruisti. Tu autem domine.

Feria secunda. Lectio tertia.

Absolutio.

Corona virtutum Regina decorata, sit nobis in tutamen iugiter parata. Amen.

CAP. VI.

Virtutum omnium operator, & ipsa virtus Deus est. Immo etiam omnibus creaturis, quæ creatæ sunt, impossibile est virtute aliqua illas sine ipsius adminiculo coruscare. Qui a principio, postquam mundum perfecit creare, & omnes creaturas, vltimo virtute sua creauit hominem, tribuens ei liberum arbitriū, vt per illud in bono perseueranter staret, ad bonum premium, & in malum non caderet ad retributionem malam. Nam sicut apud homines, illorum opera pro modico reputantur, qui operari renuunt, donec in cippo, vel compede ad operandum detenti fuerint, illorum vero opera dilectione, & optimo digna sunt premio, qui non inuiti, sed voluntate spontanea, facienda sua ex sincera charitate perficiunt. *Modo* simili si Deus Angelis, & hominibus liberum arbitrium non dedisset, viderentur quodammodo quasi ad ea quę agerent coarctari, atque eorum opera, modica remuneratione digna existere. Placuit igitur virtuti, quæ Deus est, faciendi quod eis placeret, libertatem donare, fecitq; eos plene intelligere, qualem retributionem diuina obedientia mereretur, & qualibus pęnis contumax inobedientia, suos imitatores dignos efficeret. *Magnam* vtiq; virtutem Deus ostendit, quando hominem ad hoc de terra plasmauit, quod per charitatem, & humilitatē cęlestium mansionum inhabitator mereretur effici, a quibus Angeli diuinæ voluntati contrarij pro superbia, & inuidia infęliciter sunt eiecti. Erant enim ipsis virtutes edibiles, pro quibus potuissent sublimiter coronari. Nam nulli dubium sit, quod sicut rex ex regali corona honoratur, & gloriatur, ita quelibet virtus non solum factorem suum inter homines honorificat, immo etiam coram Deo, & Angelis, veluti fulgida corona ipsum excellenter decorat, & ideo quelibet virtus corona fulgida non incongrue potest appellari. Vnde inestimabilis vere credendus est, coronarum numerus, quibus ipse Deus sublimissime fulget, cuius virtutes omnia quæ fuærunt, quæ sūt, & erunt, pluralitate, & magnitudine, & dignitate, incomparabiliter excedunt, nunquam enim aliud, nisi virtutes operatus est, quem tamen specialiter tres virtutes, veluti fulgidissime tres coronæ gloriosius exornant. Virtus namq; illa qua creauit Angelos erat ipsius corona prima, qua ipsorum aliqui Dei gloriæ inuidentes se ipsos infœliciter priuauerunt. Illa quoq; virtus, qua creauit hominem erat ei corona secunda, qua & ipse homo ex insipientia sua, hostili suggestioni consentiens subito priuatus est, veruntamen per illorum Angelorum, aut hominis ruinam, virtus *Dei*, aut virtutis eius gloria minorari non valuit, quamuis ipsi pro sua iniquitate in gloriosi a gloria ceciderunt, quia *Deo* propter hoc, quod eos ad suam, ac ipsorum gloriam creauerat, gloriam rependere noluerunt, immo Dei sapientissima sapientia ipsorum nequitiam in suæ virtutis gloriam commutauit. Virtus vero illa quæ te o Virgo desiderabilis ad suam æternam gloriam creauit, ipsum glorificauit quasi corona tertia, per quam Angeli rupturas priorum coronarum reintegrari debere cognoscebant. Vnde o domina spes nostræ salutis, honoris Dei corona iuste appellari poteris, nam sicut per te summam virtutem perfecit, ita per te summus honor, præ omnibus suis creaturis sibi prouenit. Clare vtiq; innotuit Angelis, quando Dei aspectui astabas increata, quod diabolum, qui seipsum sua superbia condemnauerat, & ex malitia sua hominem prodiderat, tu debebas tua humilitate sanctissima superare. Igitur quamuis Angeli vidissent hominem ad magnam miseriam corruere, præ gaudio tamen diuinæ visionis dolere nequiuerunt, præsertim quia ipsis satis liquebat, quæ & quanta cum tua humilitate, post tuam creationem Deus facere dignaretur. Tu autem Domine.

In

IN ISTIS TRIBVS lectionibus subsequentibus tractat Angelus de pęnitentia Adę. Et de consolatione quam habuit ex præscientia futuræ creationis Beatę Virginis, & eius magna humilitate, & dignitate. Et quomodo consolatus est Abraham patriarcha, Isaac quoq; & Iacob, atque omnes Prophetæ ex reuerendę Dei Matris futura natiuitate.

Feria tertia. Lectio prima.

Absolutio.

Ab hoste maligno, defendat nos pia Virgo. Amen.

CAP. VII.

PRotestantur sacrę paginæ Adā in Paradisi fęlicitate existentem mandatum Dei præterijsse. Sed postquam in miseriam deuenit, diuinæ voluntati ipsum inobedientem fuisse non commemorat. Vnde vere patet Adam totis præcordijs Deum dilexisse, ex eo, quod postquam suus filius fraticidium perpetrauit, carnale consortium suæ coniugis deuitauit, audito autem postea Dei mādato obedienter iterum eidem coniugi se matrimonialiter copulauit. Grauius quoque eum pęnituit offendisse suum factorem quam seipsum iniecisse in pęnis grauissimis cruciandum. Idcirco non iniustum fore dignoscitur, quod sicut ira Dei super eum venit pro superbia, qua in sua fęlicitate Deū offenderat, ita & ipsi in miseria existenti magna daretur consolatio, eo quod grauissima penitudine, & vera humilitate ingemuit, quod tam benignum creatorem ad iram prouocauerat. Maiorem autem consolationem nequaquam potuisset Adā percipere, quam si certificaretur, quod Deus ex eius generatione nasci dignaretur ad animas illas humilitate, & charitate redimēdas, quas ipse Adam diaboli inuidia deprauatus ad suam superbiam a vita perpetua deiecerat. Sed quia omnibus sapientibus impossibile fore videtur, sicut & est, quod Deus quem non decuit natiuitas nisi honestissima, humanum corpus per carnis concupiscentiam, vt alij infantes sibi assumeret, magis hoc Adam impossibile credidit, qui sine carnis delectatione creatus extitit. Ergo intellexit Adam, quod Creatori omnium non placeret, eo modo sibijpsi humanum corpus creare, quo suum, aut Euæ corpus creauerat. Credebat idcirco Adam, quod de vna persona in corpore simili Euæ, quæ super cunctos ex viro, & muliere generatos, & generandos, omnium virtutum perfectione floreret, humanam carnem Deus vellet assumere, ac de ea sua virginitate salua, cum deitate, & humanitate honestissime nasci. Vnde sine omni hæsitatione credendum esse dignoscitur, quod sicut Adam cum sensit Deum sibi quasi placatum, habuit de verbis, quæ didicit Eua, ex collocutione diaboli magnum dolorem. Simili modo cum in dolorem, & miseriam venit, habuit de verbis quæ tu o Maria spes omnium Angelo responsura eras, magnam lætitiam, & consolationem. Dolebat quoq; Adam, quod corpus Euæ a suo corpore creatum ipsum ad perpetuam inferni mortem deceptorie traxerat, gaudebat autem, quia de tuo corpore o Virginum humanissima, corpus illud venerabile nasciturum præsciebat, quod ipsum, suamq; progeniem ad vitam cęlicam potenter reducere debebat. Tristabatur etiam Adam, quod Eua sua dilecta consors, ex maxima superbia factori suo inobediens existere cęperat, exultabat vero, quia te o Maria suam charissimam filiam cum summa humilitate Deo in omnibus obedire velle præuidebat. Dolebat Adam, quia Eua ex superbia in mente dixerat, quasi quod Deo vellet coequari, propter quod ad magnum scandalum in Dei, & Angelorum conspectu corruerat, lætabatur vero, quia in ipsorum præscientia tuum verbum quo Dei ancillam te humiliter profiteri debebas ad magnam tuam gloriam lucide rutilabat. Tristabatur etiam Adam, quia verbum Euæ Deum ad iram prouocauerat, sibi suæq; posteritati ad damnationem, exultabat autem, quia tuum verbum ad te, & omnes verbo Euæ damnatos, Dei charitatem allicere debebat, ad magnam consolationem. Verbum enim Euæ ipsam cum viro in magno dolore eliminauit a gloria, & portas cœli sibi, suæq; soboli præclusit. Tuum autem verbum benedictum, o Mater sapientiæ, ad magnum gaudium te perduxit, portasque cœli omnibus ingredi volentibus aperuit. Vnde sicut Angeli in cœlo ex hoc lætabantur, quod te o Mater Dei ante mundi constitutionem nascituram præuidebat, ita & Adam ex præscien-

scien-

Digitized

ſcientia tuæ natiuitatis magnum gaudium, & exultationem habebat. Tu autem.

Feria tertia. Lectio ſecunda.

Abſolutio.

Adiuua nos o Virgo amabilis, in huius mundi ſæuis periculis. Amen.

CAP. VIII.

Electus deniq; Adam de paradiſo, iuſtitiã Dei, & miſericordiã in ſeipſo expertus eſt, timẽs Deum propter iuſtitiam, atq; omnis ſuæ vitæ temporibus ipſũ intime diligens propter miſericordiam. Bene vtiq; mundus diſpoſitus erat, quamdiu ſua poſteritas similiter faciebat. Ceſſãtibus vero hominibus iuſtitiam, & miſericordiam Dei conſiderare, obliti ſunt multi eorum ſui conditoris, nam credebant homines, illa quæ eis placebant, & in turpitudine carnalis concupiſcentiæ tempora ſua abominabiliter deducebant, quod Deus vehementer abhorrens, vniuerſos mundi inhabitatores per diluuium interfecit, præter eos, quos per Arcam Noe ad mundi reſtaurationem ſua preordinatione ſaluauit. Multiplicatus ſiquidem denuo humanus populus a veri Dei cultura per idolatriam apoſtatauit, ex maligni ſpiritus inſtigatione, legem ſibi dictando diuinæ voluntati contrariam. Sed Deus ex ſua miſericordiſſima paterna pietate commotus, verum ſuæ fidei æmulatorem Abraham viſitauit, & cum eo, ſuaq; progenie fedus pepigit, compleuitque Deus Abrahę deſiderio donando ei filium Iſaac, ex cuius progenie naſciturum promiſit filium ſuum Chriſtum. Vnde bene credibile fore dignoſcitur, etiam Abrahæ diuinitus fuiſſe præoſtenſum, quod vna filiarum ſuæ ſtirpis immaculata Virgo Dei filium parturiret. Creditur quoq; Abraham de hac futura filia magis, quam de Iſaac filio ſuo exultaſſe, atq; maiori charitate ipſam quam Iſaac ſuum filium dilexiſſe. Intelligendum eſt etiam amicum Dei Abraham propter ſuperbiam, vel cupiditatem non acquiſiſſe bona temporalia, nec deſideraſſe filium pro conſolatione ſua corporali, nam ſicut bonus hortulanus, qui domino ſuo fideliter deſeruiens ramuſculum vitis in eius plantauit territorio, intelligens ex eo infinitas vites plantari poſſe, atque electam vineam inde debere effici, & idcirco fimum collegit, vt vites ex eo impinguatę non marceſcerent, ſed ad ferendum fructus fecundiores fierent. Lætabatur quippe hortulanus ille arborem quãdam inter ſuas plantulas tam excelſam, & tam delectabilem debere fieri prægnoſcens, quod dominum ſuum summopere delectaret, propter arboris pulchritudinem in vineam ſpatiari, & quod ipſius fructuum dulcedinem idem dominus degustaret, & ſub eius vmbra ſuauiter ſedendo quieſceret. Per hunc enim hortulanum intelligitur Abraham. Per ramuſculum vitis Iſaac filius ſuus. Per plures vites inde plantandas vniuerſa ſua progenies, per fimum quoq; mundanæ diuitiæ denotantur quas non deſiderabat Deo dilectus Abraham, niſi ad populi Dei ſuſtentationem. Per illam pulcherrimam arborem Virgo Maria deſignatur. Per Dominum Deus omnipotens, qui in vineam, id eſt, in progeniem Abrahæ venire non decreuit, antequam arbor excelſa ibi fieret, id eſt, Glorioſa Virgo Maria ſua chariſſima Mater ad ætatem debitam perueniret. Cuius innocentiſſima vita pulchritudini quam delectabatur Deus videre ſimilatur, cuius opera Deo ſumme placentia, per fructuum ſuauitatem intelliguntur. Per vmbram autem eius virginalis vterus, quæ virtus obumbrabat altiſſimi. Preſcius itaq; Abraham hanc Virginem, quæ Deum pareret de generatione ſua debere procedere, plus de ipſa ſola conſolatus eſt, quam de omnibus filiis, & filiabus ſuæ ſtirpis. Hanc deniq; fidem, & ſanctam ſpem, ſcilicet futuræ natiuitatis filij Dei, de progenie eiuſdem Abrahæ, pro hęreditate cum magna fide, reliquit idem Abraham filio ſuo Iſaac, quod ex eo bene probatur, quod ſuum ſeruum quem pro vxore filij mittebat, iurare fecit ſuper lũbos ſuos, id eſt, per eum, qui de ſuis lumbis in futurum egrederetur, per hoc innuens, quod Dei filius ex eius naſceretur progenie. Iſaac quoque per benedictionem quam dedit filio ſuo Iacob eandem hæreditatem, id eſt, ſupradictam fidem, & ſpem ſibi reliquiſſe dignoſcitur. Benedicens autem Iacob ſingillatim ſuos duodecim filios eadem hæreditate ſuum filium Iudam conſolari non omiſit. Vnde vere probatur, Deum Matrem ſuam ab initio dilexiſſe, quod ſicut ipſe antequam aliquid crearetur, ex ea maxime gratulatus eſt, ita etiam amicis ſuis ex hoc, quod ipſa naſceretur magnam conſolationem impendit. Et ſic

vtiq;

In istis tribus lectionibus subsequentibus tractat Angelus de Virginis conceptione, & de eius natiuitate, & quomodo ipsam Deus dilexit adhuc etiam dum esset in vtero Matris suæ.

Feria quarta. Lectio prima.

Absolutio.

Nostræ tenebras ignorantiæ, illuminet Virgo Mater sapientiæ.

CAP. X.

ERant homines ante legem datam Moysi, longo tempore ignorantes, quomodo se, & actus suos in hac vita regerent. Vnde illi, qui diuinæ charitatis ardore flagrabant, sicut Deo placere opinabantur, opera sua, & mores sollicite ordinabant. Alij vero, qui amorem Dei non habebant, timore Dei contempto quicquid placebat eis faciebant. *Horum* igitur ignorantiæ diuina bonitas misericorditer condescendens, per *Moysen* seruum suum legem constituit, per quam ad omnem Dei voluntatem regerentur. Hæc denique lex qualiter Deus diligeretur, & proximus, & qualiter coniugium inter virum, & mulierem honesto, & diuino iure teneretur edocebat, vt ex tali coniugio illi procrearentur, quos *Deus* vocare vellet suum populum. Et vere huiuscemodi coniugium, Deus intantum diligebat, quod ex eo decreuit humanitatis suæ honestissimam *Genitricem* accipere. Vnde quemadmodum Aquila quæ in sublimi aere volitans perlustratis pluribus nemoribus, vnam arborem tam firmiter radicatam eminus respiceret, quod ex ventorum impulsibus euelli non posset, stipitem quoque eius ita procerum, quod per eum nemo valeret ascendere, quæ etiam in tali loco staret, quod impossibile videretur, quod aliquid super eam a parte superiori caderet, Et hanc arborem Aquila diligentius intuens, nidum in quo quiescere vellet in ea construeret. Ita Deus, qui huic Aquilæ comparatur, cuius conspectui omnia futura, sicut & præsentia clara sunt, & aperta, dum vniuersa iusta, & honesta coniugia, quæ a primi hominis creatione, vsque in diem nouissimum fieri debebant prospiceret, nullum simile Ioachim & Annæ coniugio, in omni diuina charitate, & honestate præuidit. Et idcirco ei placuit, de hoc sancto coniugio honestissimæ suæ *Matris* corpus, quod per nidum intelligitur generari, in quo ipse cum omni consolatione dignaretur quiescere.

Congrue quidem decoris arboribus deuota comparantur coniugia, quorum radix est vnio talis duorum cordium, vt scilicet pro illa sola ratione coniungantur, quod ipsi Deo honor, & gloria inde proueniat. Conuenienter etiam fructiferis ramis ipsorum coniugium voluntas similatur, quando in omnibus suis operibus, ita timorem Dei obseruabant, quod etiam tantummodo causa prolis, ad laudem Dei procreante iuxta Dei præceptum seinuicem honeste diligant. Talium denique coniugiorum sublimitatem, viribus vel artibus suis insidiator nequit attingere, quando ipsorum gaudium non est aliud, nisi vt Deo rependatur honor, & gloria, & quando nulla etiã eos commolestat tribulatio nisi *Dei* offensa, & inhonoratio. *Tunc* autem in tuto loco stare videntur, quando bonorum mundialium, siue diuitiarum affluentia, ipsorum animos ad suum amorem, seu superbiam non valet allicere. Vnde quia tale *Ioachim*, & Annæ coniugium, *Deus* prænouit fieri debere, propterea domicilium suum, videlicet corpus suæ *Matris* ex ipso colligi praordinauit. O Anna Mater *Reuerenda*, quam preciosum thesaurum in tuo baiulasti vtero, quando *Maria* quæ *Mater Dei* fieri debebat in ipso quieuit.

Vere sine omni ambiguitate credẽdum est, quod materiam illam statim, quando in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, de qua *Maria* formari debebat ipse Deus plus diligebat, quam omnia humana corpora a viro, & muliere generata, & generanda per mundum vniuersum. Vnde Venerabilis Anna, vere nuncupari potest omnipotentiæ Dei gazophylacium, quia ipsius thesaurum super omnia sibi amabilem in suo vtero recondebat. O quam prope erat iugiter cor Dei huic thesauro. O quam pie, & alacriter huic thesauro oculos suæ maiestatis infixit, qui postmodum in *Euangelio* suo sic ait. Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Et ideo vere credibile est Angelos ex hoc thesauro non modicum exultasse, quando conditorem suum quem plus seipsis diligebant, ita illum thesaurum diligere cognoscebant. Quapropter bene esset conueniens, & dignum, quod

dies illa ab omnibus in magna reuerentia haberetur, qua materia illa, in Annæ vtero concepta, & collecta fuit, ex qua benedictum corpus *Matris* Dei formari debebat, quam ipse Deus, & omnes eius Angeli in tanta charitate peramabant. Tu autem domine.

Feria quarta. Lectio secunda.

Absolutio.

Stella Maria maris, succurrat pijssima nobis. Amen.

CAP. XL

DEinde. Postquam illa benedicta materia, congruo tempore formatum corpus habuit, in aluo *Matris* sicut eam decuit, tunc auxit thesaurum suum rex omnis gloriæ, scilicet infundendo ei viuentem animam. Et quemadmodum apis arua florida circumuolans, vniuersa mellifera gramina diligentius perscrutatur, quia ex naturali scientia nouit discernere, vbi pullulat flos amenior, quem si forte ex folliculo adhuc erumpere non viderit, nihilominus tamen eius ortum, cum desiderio delectabiliter præstolatur, vt ad suum placitum ipsius dulcedine perfruatur. Simili modo cœlestis Deus, qui omnia oculis suæ maiestatis clarissime intuetur, quando *Mariam* in secreto materni vteri, adhuc latitare prospiciebat, cui in æterna sua præscientia, nullum hominem totius mundi in omni virtute similem nouit debere existere cum omni consolatione, & gaudio ipsius ortum expectabat, vt per ipsius virginis charitatis dulcedinem sua superabundans diuina bonitas panderetur. O quam clare emicuit in Annæ vtero aurora consurgens, quando in eo *Mariæ* corpusculum, per aduentum animę viuificatum extitit, cuius ortum videre Angeli, & homines, tanto desiderabant. Veruntamen notandum est, quod sicut homines illas terras inhabitantes, vbi sol nocturno etiam sicut, & diurno tempore, suis radiis eos illustrat, auroræ ortum non optant causa luminis, cum solis splendor auroræ luce longe sit clarior. Sed quia apparente aurora, intelligunt solem altius debere ascendere, suosque fructus quos in horrea sperant colligere ex eius caloris beneficio, perfectius & citius debere maturescere. Illarum autem partium inhabitatores, vbi noctis teguntur caligine, ex eo non solum gratulantur, quod post auroræ ortum solem debere oriri cognoscunt, immo etiam ex hoc nimium gratulantur, quia intelligunt, quod surgente aurora, agenda sua videre sufficiunt. Consimili modo Sancti Angeli Regni cœlestis inhabitatores, auroræ ortum hoc est Mariæ natiuitatem, non desiderabant causa luminis, quia verus sol, qui ipse Deus est, ab eorum aspectu nequaquam recessit, sed idcirco ipsam cupiebant in hoc mundo nascendo oriri, quia prægnoscebant *Deum* qui soli assimilatur, per hanc auroram maximam suam charitatem, quæ per calorem intelligitur, velle manifestius ostendere, atq; homines qui *Deum* diligerent, per bona opera fructiferos debere effici, & per cōstantem in bono perseuerantiam, eos maturos fieri, vt eos Angeli in illa ęterna horrea, quæ cœlesti gaudio comparantur valerent congregare. *Homines* vero huius tenebrosi mundi Matris Dei ortum præsciētes, non solum ex hoc gauisi sunt, quia intelligant, quod ipsorum liberator ex ipsa nasci debebat, verum etiam ex eo gaudebant, quod istius Gloriosæ Virginis honestissimos mores viderent, & quid agendum siue fugiendum esset, ex ea plenius addiscerent. *Hæc* etiam Virgo, virga illa extitit, quam Isaias de radice Iesse egressuram præcinuit, floremq; ex ea debere ascendere super quem spiritus domini requiesceret, prophetauit. O virgam ineffabilem, quę dum in Annæ vtero crescebat, medulla eius in cęlo gloriosius permanebat. *Hæc* itaque virga tā gracilis erat, quod in aluo *Matris* faciliter versabatur. *Medulla* vero ipsius in lōgitudine, & latitudine tā immensa & grandis erat, quod nulla mens ipsius magnitudinē excogitare sufficiebat. Non .n. valuit virga florem proferre, antequam medulla per suum introitum sibi virtutem germinandi conferret, nec etiam virtus medullæ manifeste apparuit, antequam virga suum humorem medullæ addidit. Hæc denique medulla persona erat filij Dei, quem licet pater ante luciferum genuit, in flore tamen; id est in humano corpore non apparuit donec de consensu Virginis, quæ per virgam designatur, huius floris materiam ex eius purissimo sanguine in eius virginali vtero accepit. Et quamuis hæc benedicta virgula, scilicet Gloriosa Maria, a materno corpore separabatur in sua natiuitate, veruntamen Dei filius non magis a pa-

tre

tre separatus est, quando virgo ipsum in tempore corporaliter peperit, quamquando pater eum sine corpore intemporaliter genuit. Spiritus quoque sanctus ab æterno inseparabiliter erat in patre, & filio, quia sunt tres personæ, & vna diuinitas. Tu autem Domine.

Feria quarta. Lectio tertia.

Absolutio.

Matris Christi Gloriosa Natiuitas, sit nobis perpetua iocunditas. Amen.

CAP. XII.

IGitur sicut æternaliter Patri, & Filio, & Spiritui sancto vna erat diuinitas, ita & in eis nunquam fuit diuersa voluntas. Vnde quemadmodum si de vno accenso rogo tres flammæ procederent, ita ex diuinæ voluntatis bonitate, tres charitatis flammæ ad eius operis perfectionem æqualiter processerunt. Flamma enim charitatis a patre procedens, lucidissime ardebat coram Angelis, quando ipsius voluntatem esse nouerunt, suum dilectum filium pro captiui serui liberatione mittere benigniter exponere. charitatis flamma procedens a filio non latuit, quando ad patris nutum, semetipsum exinanire voluit, accipiendo formam serui. Flamma quoque charitatis procedens a Spiritu sancto, non minus feruens videbatur, quando Patris, & Filij, suique ipsius voluntatem per manifesta opera demonstrare paratum se exhibuit. Et quamuis huius diuinæ voluntatis feruentissima charitas, per omnes cælos radiabat, indicibilem consolationem ex sua claritate Angelis conferens, ex hoc tamen humano generi redemptio, secundum æternam Dei præordinationem, venire non poterat, antequam Maria esset genita, in qua tam feruens charitatis ignis accendi debebat, quod eius odoriferus fumo sublimius ascendente, ignis qui in Deo erat, seipsum in eum infunderet, & per eum huic frigescenti mundo illaberetur. Hæc denique Virgo post suam natiuitatem nouæ lucernæ, sed nondum accensæ similis erat, quam ita tamen accendi oportuit, quod sicut Dei charitas, quæ tribus flammis assimilatur, in cælis radiabat, simili modo hæc electa lucerna Maria, alijs tribus charitatis flammis, in hoc tenebroso mundo radiaret. Prima quippe flamma Mariæ, coram Deo satis lucide resplenduit, quando ad Dei honorem virginitatem immaculatam, vsque ad mortem firmiter seruare promisit. Hanc vtique honestissimam virginitatem, ita Deus pater concupiuit, quod suum dilectum filium cum sua filijque, ac Sancti spiritus diuinitate, sibi mittere dignatus est. Secunda Mariæ charitatis flamma in hoc apparuit, quod in omnibus humilitate inexcogitabili iugiter seipsam depressit, quod certissime Dei benedicto filio sic placuit, quod ex eius humillimo corpore, venerabile illud corpus dignatus est assumere, quod quidem super omnia in cælo, & in terra decuit æternaliter sublimari. Tertia quoque flamma erat sua per omnia laudabilis obedientia, quæ sanctum spiritum ita sibi attraxit, quod per eum omnium gratiarum donis repleta fuit. Et quamuis hæc benedicta noua lucerna his charitatis flammis, non statim post natiuitatem suam accensa fuerit, quia erat ei sicut alijs infantulis corpus exiguum, & tener intellectus. Deus tamen de ea quanquam adhuc nihil meruisset, magis gratulabatur, quam de omnium hominum benefactis, qui ante eam fuerant geniti per mundum vniuersum. Nam quemadmodum bonus citharista citharam non paratam diligeret, quam tamen vere præsciret dulcissime resonare, ita omnium plasmator Mariæ corpus, & animam in eius infantia summe diligebat, quia ipsius verba, & opera super omnem melodyam sibi placere præsciebat. Credibile etiam fore dignoscitur, quod sicut Mariæ filius statim perfectum sensum habuit, quando in eius vtero humanatus extitit, sic & Maria post suam natiuitatem in iuniori ætate, quam alij infantes sensum, & intellectum adepta fuit. Cum igitur Deus, & Angeli, de eius Gloriosa Natiuitate in Cœlo gauisi sunt, homines etiam ipsius Natiuitatem in mundo cum gaudio recolant, referendo pro ea omnium creatori ex intimis cordibus laudem, & gloriam, qui eam ex omnibus quæ creauit prælegit, ipsamque inter ipsos peccatores nasci præordinauit, quæ peccatorum liberatorem sanctissima generauit. Tu autem domine.

In istis tribus lectionibus subsequentibus ostendit Angelus, quomodo se Virgo Maria gerebat postquam sensum, & Dei notitiam habuit, & de eius animæ, & corporis pulchritudine. Et quomodo eius voluntas omnes sensus suos edomuit, & de conceptione filij Dei in virginis vtero, ac de ipsius Gloriosa Natiuitate in hunc mundum.

Feria v. Lectio j.

Absolutio.

Alma Virgo Virginum, intercedat pro nobis ad Dominum. Amen.

CAP. XIII.

Benedictum Mariæ corpus, congrue mundissimo vasculo similari conuenit. Eius quoque anima lucernæ clarissime ipsiusque cerebrum aquarum puteo in altum salientium, ac deinde in vallem profundam descendentium. Nam cum Virgo ad illam ætatem deuenit, qua verum Deum intelligere potuit in cœlis existere, & quod ipse omnia, & hominem specialiter ad suum creasset honorem perpetuum, iudexque omnium esset iustissimus, tunc sensus, & intellectus a cerebro virginis, instar aquæ descaturientis fontis decurrentis, in cęli fastigium saliebat, ac deinde in vallem, idest in humillimum eius corpus decurrebat. Nam sicut cantat Ecclesia, egressum filii Dei a Patre, & eius regressum fuisse ad patrem, quanquam neuter ipsorum ab altero vnquam disiunctus fuerit, ita sensus, & intellectus Virginis in cęlorum celsitudinem frequenter ascēdens Deum constanter per fidē apprehendebat, cuius dulcissima charitate suauiter amplexata in seipsam redibat. Hanc quoque charitatem cum rationabili spe, & diuino timore ipsa firmissime tenuit per ipsā charitatem ita inflammans animam propriam quod velut feruētissimus ignis in Dei amore flagrare cępit. Hic etiam virginis sensus, & intellectus corpus suum ad obsequendum Deo ita subiecit animæ, quod extunc corpus cum omni humilitate obediuit ei. O quam celeriter sensus, & intellectus virginis, Dei charitatem comprehendit. O quam prudenter ipsam sibi thesaurizauit. Vnde sicut si aliquod lilium transplantatum esset, quod tribus radicibus in terræ infigeret, quibus ipsam etiam solidiorem efficeret, tres quoque flores delectabiles, ad intuentium consolationem sursum expanderet. Sic vtique diuina charitas huic Gloriosæ terræ, scilicet Virgini nostræ diuinitus inserta, ipsius corpori tribus fortissimis virtutibus, quasi tribus radicibus se infixit, per quas etiam ipsum corpus virginis fortificauit, tribusque ornamentis, veluti tribus præfulgidis floribus, virginem quo ad animam ad Dei, ac Angelorum ipsam intuentium lætitiam, honorifice adornauit. Prima igitur ipsius corporis fortitudo discrete abstinentiæ, ita cibum, & potum in ipsa temperabat, quod propter aliquam superfluitatem, a Dei seruitio nequaquam ipsam retraxit vlla segnities, nec propter immoderatam parsimoniam, ad agendā sua vnquam fiebat imbecillis. Secunda vero fortitudo temperantiæ vigiliarum, ita corpus suum moderabatur, quod propter somni breuitatem nullo tempore, quo ipsam vigilare oportuit aliqua torpebat grauedine, nec propter soporis nimietatem, statuta vigiliæ tempora, in minimo puncto breuiabat. Tertia quoque fortitudo fortis complexionis corporis virginis ipsam virginitatem tam constantem effecit, quod laborem, & corporalem aduersitatem, & transitoriam corporis fęlicitatem, equanimiter ferebat, de corporis aduersitate nō dolens, & de eius fęlicitate nequaquam exultans. Hoc insuper primum erat ornamentum, quo diuina charitas, virginem quo ad animam exornabat, quod scilicet præmia illa, quæ Deus amicis suis largiturus erat, omnium rerum pulchritudini in animo suo præferebat, & idcirco mundanæ diuitiæ, velut fętidissimum lutum sibi vilescebant. Hoc denique quasi secundū ornamentum, ipsius animā decorabat, quod scilicet intellectu suo perfecte discernebat, quam incomparabilis honor mundanus extat gloria spirituali, propter quod mundanā gloriā audire sic abhorrebat, sicuti corruptum aerem, qui sua fętore multorum vitam breuiter extinguit. Illud vtiq; ipsius animam glorificabat quasi ornamentum tertium, quod oīa Deo placentia in corde suo reputabat dulcissima, illa quoq; felle amariora, quæ Deo erāt odiosa, & contraria, & ideo ipsa voluntas virginis, tā efficaciter ipsius animā trahebat ad desiderandum verā dulcedinem, quod post hanc vitam eam

gustare non opportuit spiritualem amaritudinem. Ex his quippe ornamentis super omnia quæ erant creata, Virgo ipsa iam pulchre in anima redimita apparuit, quod creatori placuit omnia sua promissa ipsa mediante perficere. Erat enim ex charitatis virtute ita roborata, quod in nullo bono opere tabescebat, nec quidem in minimo puncto, vnquam in eam inimicus prævalebat. Vere procul dubio est credendū, quod sicut ipsius anima coram Deo, & Angelis erat pulcherrima, ita & eius corpus in cunctorum oculis eam intuentium fuit gratissimum. Et quemadmodum Deus, & Angeli, de eius animæ venustate gratulabantur in cęlis, ita etiam gratissima eius corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus vtilis fuit, & consolatoria in terris. Videntes autem deuoti, in quanto feruore illa Deo famulabatur, ad Dei honorem feruentiores efficiebantur. In his autem qui ad peccandum pronissimi erāt, ex eius verborum, & gestuum honestate, statim peccati feruor extinguebatur quam diu ipsam conspiciebant. Tu autem.

Feria quinta. Lectio secunda.

Absolutio.

Virgo ab Angelo salutata, nostra dignetur abolere peccata. Amen.

CAP. XIIII.

NVlla lingua narrare sufficit. Quā prudenter sensus, & intellectus gloriosæ Virginis ipsum Deum in eodē pūcto comprehendit, quo primo eius cognitionē habuit, præsertim cum oīs humana mēs, ad excogitandum debilis sit, quam multiformiter eiusdem Virginis benedicta voluntas Dei seruitio se subiecit, nam omnia quę ipsa Deo placere cognouit, delectabiliter sibi perficere placuit. Intellexit enim Virgo nō suis meritis Deum sibi creasse corpus, & animam, suæq; voluntati libertatem contulisse dominicis præceptis humiliter fauendi, aut etiam ipsis si placeret resistēdi, & ideo decreuit humillima virginis voluntas pro beneficijs iam acceptis quamdiu sua vita vigeret cum omni charitate Deo famulari, quamuis nihil aliud ab ipso sibi donaretur. Cum autē ipsius intellectus capere potuit, quod ipse oīum rerum creator animarum quas creauerat redēptor etiam fieri dignaretur, & quod nihil aliud pro tanti laboris mercede, quam ipsas animas sibi rependi cuperet, & quod omnis homo in voluntate libertatem habet placandi Deum per opera bona, aut eum ad iram prouocandi, per operationes malas, profecto voluntas virginis corpus suū in mūdi procellis, sicut prudens nauclerus suam nauem cępit sollicitē gubernare. Nam sicut nauclerus pertimescit, nauem ex vndarum ictibus posse periclitari, caribdes quoque quibus naues sæpius dissoluuntur, vix ab eius discedunt memoria, funes, & armamenta nauis firmiter adaptat, cuius etiam oculi portum in quo post laborē quiescere desiderat iugiter contemplantur, qui summe etiam satagit, quod bona suæ naui imposita vero possessori quē maxime diligeret, ad commodum perueniant. Sic vtique hæc prudentissima virgo, postquam præceptorum Dei notitiam habuit, confestim iuxta ipsorum flatum, cœpit ipsius voluntas corpus suum, cum omni sollicitudine gubernare. Frequenter quidem timebat propinquorum cohabitationem, ne ipsorum prosperitas, vel aduersitas, quæ mundi procellis similantur per verba, vel opera, ipsam ad obsequendum Deo, efficerent grauiorem. Omnia quoque per legem diuinam vetita, ingi commendabat memoriæ, cum omni attentione ea deuitans, ne sicut dira caribdis, ipsius animam spiritualiter perderent. Hæc denique laudabilis voluntas, ipsam virginem, suosq; sensus sic refrenando edomuit, quod ipsius lingua nunquam mouebatur ad locutiones inutiles, eiusque honestissimi oculi ad respiciendum aliquid innecessarium nequaquam fuerunt leuati, aures quoque eius ad ea solummodo erant intentæ, quæ ad Dei gloriam pertinebant, manus etiam, & digitos non nisi ad propriam sui, vel proximi vtilitatem extendebat, pedesq; suos, quantum ad vnum passum moueri non sinebat, nisi prius discussisset quæ vtilitas inde proueniret. Desiderabat insuper voluntas virginis, omnes mundi tribulationes gaudenter sustinere, vt in portum securitatis, scilicet in sinum Dei Patris ipsa perueniret, hoc incessanter desiderās, quod scilicet Deo, qui sibi erat charissimus ab eius anima pro sua recreatione, honor ad gaudium redderetur. Et quia voluntas virginis in nulla bonitate vnquam defecit, idcirco Deus a quo bona cuncta procedunt, in omnium virtutum culmine, ipsam sublimissime exaltauit, omniumq; virtutum ostore, ipsam splendidissime rutilare fecit. Quis igitur mirari debet, quod Deus hanc virginem super oēs maxime dilexerit, cum ipsa sola excepta, neminem a viro, & muliere generari prænouit, cuius animus ad mortale, seu veniale peccatum, interdum non fieret inclinabilis. O quantum ap-

propinquauit hęc nauis, scilicet corpus Virginis desiderantissimo portui, idest Dei patris mansioni, quando Gabriel adueniens ait. Aue gratia plena. O quam honeste sine viri cooperatione, suum filium pater virgini commendauit, quãdo Angelo ipsa respondit. Fiat mihi secundum verbum tuum confestim nanque in vtero Virginis humanitati fuit vnita diuinitas, factusque est homo, & filius Virginis, verus Deus filius Dei Pater. Tu autem.

Feria quinta. Lectio tertia.

Absolutio.

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria. Amen.

CAP. XV.

O Coniunctionem pulcherrimam, & omni acceptione dignissimam. Nam erat filio Dei in mundo mansio corpus Virginis, in cælo autem erat ei mansio trinitatis, quamuis vbique maneat potentialiter. Erat Virgo in corpore, & anima Spiritu sancto plena erat, & Spiritus sanctus in patre, erat etiam in humanato filio, qui quidem filius Dei non solum in Virgineis visceribus in mundo, verum etiam in Patre, & Spiritu sancto mansionem habebat in cælo. Pater quoque cum Spiritu sancto mansionem in humanato filio habebat in mundo, quamquam solus filius verus Deus, carnem sibi assumpsit humanam, qui licet secundum diuinitatis essentiam, humanis occultabatur aspectibus, coram Angelis tamen in sua æterna mansione, semper idem, & manifestus apparuit. Omnes igitur veram habentes fidem, ex illa ineffabili coniunctione, quæ in Virgine facta est congaudeant, qua coniunctione Dei filius ex eius carne, & sanguine corpus sibi assumpsit humanum, vnita quoque est humanitati diuinitas, & diuinitati vera humanitas. In hac siquidem gratissima vnione, neq; in filio diminuta est diuinitas, neque in Matris virginitatis integritas, Illi quoque erubescant, & paueant, qui creatoris omnipotentiam non credunt talia posse facere, aut ipsius bonitatem nolle reputant pro creaturę suæ saluatione, talia facere si valeret. si etiam ex potentia, & bonitate, talia fecisse creditur, quare ab his, qui eum talia pro se fecisse non dubitant perfecte non amant. Animaduertant igitur corda vestra, & intelligant, quod sicut ille terrenus dominus, summa dilectione dignus existeret, qui dum honore maximo, & diuitiarum abundantia fungeretur, audiens contumelijs, & opprobrijs amicum suum affici, ex bonitate sua, totum ipsius scandalum super seipsum susciperet, vt amicus ille, haberetur in honore. Percipiens quoque idem dominus amicum paupertate tribulari, tunc seipsum inopie subderet, vt illum amicum abundantem efficeret. Deinde vero si ipsum amicum cerneret ad occisionem miserabiliter duci, quam euadere non posset, nisi aliquis pro eo voluntarie moreretur, & tunc seipsum morti traderet, vt ille damnatus ad mortem viuere posset feliciter, & quia in his tribus summa dilectio demonstratur, sic etiam vt nemo dicere posset aliquem hominem amico suo in mundo maiorem charitatem ostendisse, quam ipsum Creatorem, qui est in cœlo, propterea ipse Deus suam maiestatem inclinauit, de cœlo descendens in vterum Virginis, non in vna tantum ipsius corporis parte introiens, sed per totum ipsius corpus virgineis visceribus se infundens, formando sibi honestissime ex solius Virginis carne, & sanguine corpus humanum. Et ideo electissima illa mater, flammanti rubo, sed incendijs inexperto, quem vidit Moyses, congrue similatur. Nam ille idem, qui in rubo tamdiu moratus est, quod Moysen in his, quæ sibi retulit credulum, & obedientem effecit, sibique suum nomen sciscitanti ait. Ego sum qui sum, id est hoc nomen est mihi in æternum. Ipse idem in virgine tanto morabatur tẽpore, sicut alijs infantulis ante suum partum in maternis visceribus morari necesse est. Quemadmodum etiam per totum virginis corpus, quando idem Dei filius concipiebatur, cum sua diuinitate introiuit, sic & quando nascebatur cũ humanitate, & deitate, veluti ex rosa integra odoris suauitas, ita & ipse per totum ipsius corpus virginis fusus est, virginali gloria in Matre integra permanente. Vnde quia Deus, & Angeli, ac deinde primus homo, & post eum Patriarchæ, & Prophetæ vna cum alijs innumerabilibus Dei amicis ex hoc lętabãtur, quod rubus ille, idest Mariæ corpus, ita charitate ardens fieri debebat, quod Dei filius in ipsum, tam humiliter ingredi, & in eo tamdiu morari, atq; de ipso tam honeste egredi dignaretur.

Ideo dignum est, quod homines etiam nunc viuentes toto animo collętẽtur, quod

sicut

sicut Dei filius, cum patre, & Spiritu sancto, verus, & immortalis Deus, hunc rubum ingressus est assumendo in eo pro eis carnem mortalem, ita & ipsi cum festinatione ad Virginem confugere deberent, vt ipsa interpellante eis quo mortales sunt, vita restituatur æterna, qui etiam per sua facinora interitum meruerunt sempiternum. Et sicut Deus in Virgine moratus est ne corpus suum in ætate, vel membris magis, quam aliorum infantium vllum haberet defectũ, vt diabolum potenter deuinceret, qui omnes suæ seueritatis dominio fraudulenter subiugauerat. Ita & homines ipsam humiliter deprecentur, vt in sua defensione morari eos faciat, ne in diaboli laqueos ruere eos contingat. Quemadmodum etiam Deus, ab ipsa Virgine in mundum est egressus, vt hominibus portam cœlestis patriæ patefaceret, ita & ipsi eam suppliciter flagitent, quod eis in egressu suo ab hoc nequam sæculo, adiutorio præsens esse dignetur, procurando ipsis introitum in sui benedicti filij regnum æternum. Tu autem Domine.

In istis tribus lectionibus subsequentibus tractat Angelus de Gloriosæ Virginis amarissimis tribulationibus pro sui benedicti filij dolorosa morte. Et de constantia mentis quam habuit Virgo in omnibus doloribus suis.

Feria vj. Lectio prima.

Absolutio.

Christo qui nos redemit, reconciliet Virgo quæ eum genuit. Amen.

CAP. XVI.

GLoriosa Virgo Maria in affatu Angeli legitur expauisse. Quæ si quidem nullum metum propter sui corporis periculum tunc habuit, sed inimici humani generis fraudulentiam, ad animæ suæ nocumentum adesse formidauit. Vnde vere intelligendum est, quod quando ipsa ad tantam ætatem peruenit, quod sensus, & intellectus eius Dei, suæq; voluntatis agnitionem cõprehendere valuit, confestim sicut Deum cœpit rationabiliter diligere, ita etiam cœpit ipsum rationabiliter metuere. Congrue itaque hæc Virgo nuncupari potest florens rosa, nam sicut rosa crescere solet inter spinas, ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo creuit inter tribulationes. Et quemadmodum quanto rosa in crescendo se plus dilatat, tanto fortior, & acutior spina efficitur, ita & hæc electissima rosa Maria quanto plus ætate crescebat, tanto fortiorum tribulationum spinis, acutius pungebatur. Transcursa denique iuuenili ætate, timor Domini extitit ei prima tribulatio, quia non solum maximo timore tribulabatur in disponendo se ad fugiendũ peccata, verum etiam tremore non modico vrgebatur, in considerando quomodo rationabiliter perficeret opera bona. Et quamuis omni vigilantia cogitationes verba, & opera ad Dei honorem ordinabat, timebat tamen defectum aliquem in eis existere. Considerent igitur ipsi peccatores miseri, qui diuersarum iniquitatum illecebras audacter, & voluntarie incessanter committunt, quantos cruciatus, quantasque miserias animabus suis coaceruant, quando vident quod hæc Gloriosa Virgo ab omni peccato immunis opera sua super omnia Deo placentia, perfecit cum timore. Deinde ex prophetarum scripturis Deum incarnari velle intelligens, & quod tam diuersis pœnis, in carne assumpta deberet cruciari, tribulationem protinus non modicam, propter feruentem charitatem quam ad Deum habebat in corde suo sustinuit, quanquam nondum sibi innotesceret, quod ipsa Mater fieri debebat. Cum autem ad illam ætatem ipsa peruenit, quod filius Dei factus fuit filius suus, & sensit eũ in vtero suo, a se corpus illud accepisse, quod prophetarum scripturas per se ipsum adimplere deberet, tunc lenissima illa rosa, in sua pulchritudine magis dilatari, & crescere videbatur, ac tribulationum spinæ, ipsam acriter stimulantes, fortiores, & acutiores quotidie efficiebantur. Nam sicut ei magnum, & ineffabile gaudium, in filij Dei conceptione oriebatur, ita etiam in recordatione crudelissimæ futuræ passionis eius, mentem suam multiformis pulsabat tribulatio. Gaudebat namque Virgo quia suus filius vera humilitate, amicos suos reducturus erat ad Regni cœlestis gloriam, quibus primus homo per suam superbiam gehennalem pœnam meruerat. Dolebat vero, quia sicut homo omnibus suis membris, per malam concupiscentiã peccauerat in paradiso, ita & suum filium pro ipsius hominis transgressione, per pro-

prij

prij corporis amarissimam mortem satis facturum præsciebat in mundo. Exultabat Virgo, quia filium suum absque peccato, & carnis delectatione conceperat, quē etiam sine dolore pepererat. Tristabatur quoque, quia tam præ dulcem filium, ad turpissimam mortē nasciturum, ac seipsam in maxima cordis anxietate ipsius passiones perspecturam prænouerat. Gaudebat etiam Virgo, quia ipsum a morte resurrecturum præsciebat, & pro sua passione in summo honore æternaliter sublimandum: dolebat tamen, quia contumeliosis opprobrijs, & diris cruciatibus, honorem illum præcedentibus præsciebat eum immaniter cruciandum. Vere indubitanter credendum est, quod sicut rosa constanter in suo loco stare cernitur, quamuis spinæ circunstantes, fortiores, & acutiores effectæ fuerint, ita hæc benedicta rosa Maria, tam constantem gerebat animum, quod quantumcunque tribulationum spinæ, cor ipsius stimulabant, voluntatem tamen suam nequaquam variabant, sed ad suff. rendum, ac faciendum quicquid Deo placeret, se promptissimam exhibebat. Florenti ergo rosæ dignissimæ comparatur, & re uera rosæ in Hiericho, nam sicut rosa illius loci pulchritudine sua, cęteris floribus legitur propellere, ita Maria, vniuersos in hoc mundo viuentes, solo excepto suo benedicto filio, honestatis, & morum pulchritudine excellebat. Vnde sicut Deus, & Angeli, ex eius virtuosa constancia iocundabantur in cœlo, ita homines considerantes, quam patienter se habebat in tribulationibus, & quam prudenter in consolationibus, ex ea maxime lætabantur in mundo, Tu autem domine.

Feria sexta. Lectio ij.

Absolutio.

Qui nos saluauit precio sui sanguinis, defendat nos prece suæ Matris Virginis. Amen.

CAP. XVII.

INter alia quæ voces propheticæ de Dei Filio prædixerunt. Precinebant etiam quam duram mortem in suo innocentissimo corpore sustinere volebat in hoc mundo, vt homines vna cum ipso æterna vita fruerentur in cœlo. Prophetabant denique prophetæ, & scribebant, qualiter idem Dei filius pro humani generis liberatione, ligandus, & flagellandus erat, & quomodo ad crucem ducendus, & quam vituperose tractandus, & crucifigendus. Vnde quia ipsos bene nouisse credimus, qua de causa immortalis Deus, mortalem carnem sibi assumere voluit, & tam diuersis modis, in eadem carne tribulari. Ideo fides Christiana non dubitet, quin Virgo nostra, & domina, quam ante secula sibi Deus præordinauit in Matrem, clarius hoc sciebat, nec virginem istam latuisse, iustum est credere rationem illam, quare ipse Deus humana carne in eius vtero dignabatur vestiri. Et vere proculdubio est credendum, quod ex inspiratione Spiritus sancti ipsa perfectius intellexit, quicquid prophetarum eloquia figurabant, quam ipsi prophetæ, qui ex eodem spiritu verba oretenus protulerunt. Vnde verissime credendum est, quod quando Virgo Dei filium postquam eum peperit, primo suis manibus tractare cępit, subito ipsius menti occurrit, qualiter ipse prophetarum scripturas adimplere debeat. Quando autem ipsum pannis inuoluebat tunc in corde suo considerabat quam acutis flagris totum ipsius corpus lacerandum erat, ita quod etiam quasi leprosus apparere debebat. Recolligens quoque virgo sui filij paruuli manus, & pedes leniter in fascia, recordabatur quam duriter ferreis clauis debebant perforari in cruce. Aspiciens quippe faciem eiusdem filij sui speciosi forma præ filiis hominum, meditabatur quam irreuerenter, ipsam impiorum labia suo sputo debeant maculare. Reuoluebat etiam ipsa Mater sæpius in animo, quantis alapis maxillæ eiusdem sui filii cederentur, quantisque opprobriis, & contumeliis, eius benedictæ aures replerentur. Modo considerans qualiter ipsius oculi, de proprii cruoris influxu caligarent, modo qualiter ipsius ori acetum felle admixtum infunderetur. Modo ad mentem reducens, qualiter ipsius brachia funibus ligari oportebat, neruos etiam, & venas, atque omnes compagines, quomodo immisericorditer in cruce debebant extendi, præcordia eius in ipsa morte contrahi, totumque ipsius corpus gloriosum, qualiter intus, & foris omni amaritudine, & angustia vsque ad mortem oportebat cruciari. Sciebat enim Virgo, quod exaltato in cruce spiritu, ipsius filij latus lancea acutissima perforaret, & ipsius cor per medium transfigeret. Vnde sicut omnium Matrum erat lætissima, quando Dei filium

iam

iam de se natum videbat, quem vere sciebat verum Deum, & hominem existere, mortalem quidem in humanitate, sed in deitate æternaliter immortalem, ita etiam omnium matrum erat męstissima, ex ipsius amarissimæ passionis præscientia. Per talem enim modum eius maximam lætitiã, super grauissima committabatur męstitia, ac si alicui mulieri parturienti ita diceretur. Filium peperisti viuum, & omnibus membris sanum, sed pœna illa quam in partu habuisti vsque ad mortem tuam perdurabit. Et illa hæc audiens de suæ prolis vita, & sospitate gauderet, de passione vero & morte propria tristaretur. Talis vtique matris męstitia procedens, & ex illa recordatione pęnæ, & mortis sui proprij corporis, certe non esset grauior, quam dolor Virginis Mariæ, quotiescunq; sui amantissimi filij mortem futuram in animo reuoluebat. Intelligebat Virgo, prophetarum vaticinia olim prædixisse, quod oportebat suum prædulcem filium, multas, & graues pœnas sustinere, & etiam ille iustus Symeon, non quasi a longe, vt prophetæ, sed in faciem Virginis prædixit, quod ipsius animam debebat gladium pertransire. Vnde vere notandum est, quod sicut vires animæ ad sentiendum bonum, vel malum corporis viribus fortiores, & sensibiliores existunt, ita & benedicta Virginis anima quam gladius ille pertransiturus erat, grauioribus torquebatur languoribus, antequam suus filius pateretur, quam alicuius matris corpus sustinere valeret, antequam suam prolem parturiret. Ille nanq; doloris gladius cordi Virginis omni hora, tanto se propius approximabat, quanto suus dilectus filius passionis tempori magis appropinquabat. Vnde sine dubio credendum est, quod ille piissimus Dei filius innocentissimus suę Matri filialiter compatiens, dolores eius frequentibus cõsolationibus temperabat, alioquin eius vita vsq; ad filij mortem, illos sustinere minime valuisset. Tu autem.

Feria vj. Lectio iij.

Absolutio.

Passio Virginis filij, nos commendet manibus patris altissimi. Amen.

CAP. XVIII.

EO denique tempore quo filius Virginis prædixit, quæretis me, & non inuenietis. Dolorosi cuspis gladij cor Virginis acriter stimulauit. Ipso quoq; deinde a proprio discipulo proditore, & a veritatis, ac iustitiæ emulis, sicut ei placuit captiuato, tunc doloris gladius cor, & præcordia virginis transfigebat, atq; ipsius animam duriter pertrãsiens, vniuersis corporis sui membris dolores grauissimos inferebat. Toties enim in anima virginis gladius ille cum omni amaritudine versabatur, quoties eius amantissimo filio obijciebantur passiones, & opprobria. Videbat quidem filium impiorum palmis colaphizatum, crudeliter, & impie flagellatum, a Iudæorum principibus morti turpissime adiudicatum, ac ipsum toto vociferante populo, crucifige proditorem, ligatis manibus ad locum passionis eductum, alijs eum iam crucem super humeros, in maxima lassitudine baiulantem præcedentibus, & post se ligatum trahentibus, atq; aliis concomitantibus, & eum pugnis impellentibus, ac tãquam crudelissimam feram, illum agnum mansuetissimum agitantibus. *Qui* secundũ Isaiæ vaticinium in omnibus suis angustiis ita patiens erat, quod instar ouis ad occisionem ducte sine voce, & agni coram tondente se reticentis os suum non aperiebat. Qui sicut per seipsum omnem patientiam ostendit, ita sua benedicta Mater, omnes suas tribulationes patientissime tolerauit. Et quemadmodum agnus suam Matrem quocunq; ducta fuerit comitatur, ita Virgo Mater suum filium ad tormentorum loca perductum sequebatur. Videns quoque Mater filium, corona spinea derisum, suamque faciem sanguine rubricatam, & eius maxillas ex magnis alapis rubicundas, grauissimo dolore ingemuit, & tunc suæ maxillæ præ dolorum magnitudine cęperunt pallescere. Sanguine quippe filii in eius flagellatione per totum ipsius corpus defluẽte, innumerabilium aqua lacrymarum, de Virginis oculis decurrebat. Videns deinde Mater suum filium, in cruce crudeliter extendi, in omnibus sui corporis viribus cępit tabescere. Audiens vero malleorum sonitum, quando filii manus, & pedes ferreis clauis perforabantur, tunc omnibus virginis sensibus deficientibus, ipsam velut mortuam, doloris magnitudo prostrauit. Iudæis itaque felle, & aceto ipsum potantibus, anxietas cordis, ita linguam, & palatum virginis exsiccauit, quod labia sua benedicta, ad loquendum tunc mouere non valuit. Audiens quoq; postmodum illam flebilem filii sui vocem, in mortis agone dicentem, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti. Videns deinde, quod omnia eius membra obriguerunt, & inclinato iam capite spiritum exalabat, tunc doloris

prij corporis amarissimam mortem satis facturum præsciebat in mundo. Exultabat Virgo, quia filium suum absque peccato, & carnis delectatione conceperat, quē etiam sine dolore pepererat. Tristabatur quoque, quia tam præ dulcem filium, ad turpissimam mortē nasciturum, ac seipsam in maxima cordis anxietate ipsius passiones perspecturam prænouerat. Gaudebat etiam Virgo, quia ipsum a morte resurrecturum præsciebat, & pro sua passione in summo honore æternaliter sublimandum: dolebat tamen, quia contumeliosis opprobrijs, & diris cruciatibus, honorem illum præcedentibus præsciebat eum immaniter cruciandum. Vere indubitanter credendum est, quod sicut rosa constanter in suo loco stare cernitur, quamuis spinæ circunstantes, fortiores, & acutiores effectæ fuerint, ita hæc benedicta rosa *Maria* tam constantem gerebat animum, quod quantumcunque tribulationum spinæ, cor ipsius stimulabant, voluntatem tamen suam nequaquam variabant, sed ad sufferendum, ac faciendum quicquid Deo placeret, se promptissimam exhibebat. Florenti ergo rosæ dignissimæ comparatur, & re uera rosæ in *Hiericho*, nam sicut rosa illius loci pulchritudine sua, cæteris floribus legitur propellere, ita *Maria*, vniuersos in hoc mundo viuentes, solo excepto suo benedicto filio, honestatis, & morum pulchritudine excellebat. Vnde sicut Deus, & Angeli, ex eius virtuosa constantia iocundabantur in cœlo, ita homines considerantes, quam patienter se habebat in tribulationibus, & quam prudenter in consolationibus, ex ea maxime lætabantur in mundo. *Tu autem domine.*

Feria sexta. Lectio ij.

Absolutio.

Qui nos saluauit precio sui sanguinis, defendat nos prece suæ Matris Virginis. Amen.

CAP. XVII.

INter alia quæ voces propheticæ de Dei Filio prædixerunt. Precinebant etiam quam duram mortem in suo innocentissimo corpore sustinere volebat in hoc mundo, vt homines vna cum ipso æterna vita fruerentur in cœlo. Prophetabant denique prophetæ, & scribebant, qualiter idem Dei filius pro humani generis liberatione, ligandus, & flagellandus erat, & quomodo ad crucem ducendus, & quam vituperose tractandus, & crucifigendus. Vnde quia ipsos bene nouisse credimus, qua de causa immortalis Deus, mortalem carnem sibi assumere voluit, & tam diuersis modis, in eadem carne tribulari. Ideo fides Christiana non dubitet, quin Virgo nostra, & domina, quam ante secula sibi Deus præordinauit in *Matrem*, clarius hoc sciebat, nec virginem totam latuisse, iustum est credere rationem illam, quare ipse *Deus* humana carne in eius vtero dignabatur vestiri. Et vere proculdubio est credendum, quod ex inspiratione Spiritus sancti ipsa perfectius intellexit, quicquid prophetarum eloquia figurabant, quam ipsi prophetæ, qui ex eodem spiritu, verba ore tenus protulerunt. Vnde verissime credendum est, quod quando Virgo Dei filium postquam eum peperit, primo suis manibus tractare cœpit, subito ipsius menti occurrit, qualiter ipse prophetarum scripturas adimplere debeat. Quando autem ipsum pannis inuoluebat tunc in corde suo considerabat quam acutis flagris totum ipsius corpus lacerandum erat, ita quod etiam quasi leprosus apparere debebat. Recolligens quoque virgo sui filij paruuli manus, & pedes leniter in fascia, recordabatur quam duriter ferreis clauis debebant perforari in cruce. Aspiciens quippe faciem eiusdem filij sui speciosi forma præ filiis hominum, meditabatur quam irreuerenter, ipsam impiorum labia suo sputo debeant maculare. Reuoluebat etiam ipsa *Mater* sæpius in animo, quantis alapis maxillæ eiusdem sui filij cederentur, quantisque opprobriis, & contumeliis, eius benedictæ aures replerentur. *Modo* considerans qualiter ipsius oculi, ex proprii cruoris influxu caligarent, modo qualiter ipsius ori acetum felle admixtum infunderetur. *Modo* ad mentem reducens, qualiter ipsius brachia funibus ligari oportebat, neruos etiam, & venas, atque omnes compagines, quomodo immisericorditer in cruce debebant extendi, præcordia eius in ipsa morte contrahi, totumque ipsius corpus gloriosum, qualiter intus, & foris omni amaritudine, & angustia vsque ad mortem oportebat cruciari. Sciebat enim Virgo, quod exaltato in cruce spiritu, ipsius filij latus lancea acutissima perforaret, & ipsius cor per medium transfigeret. Vnde sicut omnium Matrum erat lætissima, quando Dei filium

iam

iam de se natum videbat, quem vere sciebat verum Deum, & hominem existere, mortalem quidem in humanitate, sed in deitate æternaliter immortalem, ita etiam omnium matrum erat mestissima, ex ipsius amarissimæ passionis præscientia. Per talem enim modum eius maximam lætitiã, super grauissima committabatur mestitia, ac si alicui mulieri parturienti ita diceretur. Filium peperisti viuum, & omnibus membris sanum, sed pœna illa quam in partu habuisti vsque ad mortem tuam perdurabit. Et illa hæc audiens de suæ prolis vita, & sospitate gauderet, de passione vero & morte propria tristaretur. Talis vtique matris mestitia procedens, & ex illa recordatione penæ, & mortis sui proprij corporis, certe non esset grauior, quam dolor Virginis Mariæ, quotiescunq; sui amantissimi filij mortem futuram in animo reuoluebat. Intelligebat Virgo, prophetarum vaticinia olim prædixisse, quod oportebat suum prædulcem filium, multas, & graues pœnas sustinere, & etiam ille iustus Symeon, non quasi a longe, vt prophetæ, sed in faciem Virginis prædixit, quod ipsius animam debebat gladium pertransire. Vnde vere notandum est, quod sicut vires animæ ad sentiendum bonum, vel malum corporis viribus fortiores, & sensibiliores existunt, ita & benedicta Virginis anima quam gladius ille pertransiturus erat, grauioribus torquebatur languoribus, antequam suus filius pateretur, quam alicuius matris corpus sustinere valeret, antequam suam prolem parturiret. Ille nanq; doloris gladius cordi Virginis omni hora, tanto se propius approximabat, quanto suus dilectus filius passionis tempori magis appropinquabat. Vnde sine dubio credendum est, quod ille pijssimus Dei filius innocentissimus suę Matri filialiter compatiens, dolores eius frequentibus cõsolationibus temperabat, alioquin eius vita vsq; ad filij mortem, illos sustinere minime valuisset. Tu autem.

Feria vj. Lectio iiij.

Absolutio.

Passio Virginis filij, nos commendet manibus patris altissimi. Amen.

CAP. XVIII.

EO denique tempore quo filius Virginis prædixit, quæretis me, & non inuenietis. Dolorosi cuspis gladij cor Virginis acriter stimulauit. Ipso quoq; deinde a proprio discipulo proditore, & a veritatis, ac iustitiæ emulis, sicut ei placuit captiuato, tunc doloris gladius cor, & præcordia virginis transfigebat, atq; ipsius animam duriter pertrãsiens, vniuersis corporis sui membris dolores grauissimos inferebat, Toties enim in anima virginis gladius ille cum omni amaritudine versabatur, quoties eius amantissimo filio obijciebantur passiones, & opprobria. Videbat quidem filium impiorum palmis colaphizatum, crudeliter, & impie flagellatum, a Iudæorum principibus morti turpissime adiudicatum, ac ipsum toto vociferante populo, crucifige proditorem, ligatis manibus ad locum passionis eductum, alijs eum iam crucem super humeros, in maxima lassitudine baiulantem præcedentibus, & post se ligatum trahentibus, atq; aliis concomitantibus, & eum pugnis impellentibus, ac tãquam crudelissimam feram, illum agnum mansuetissimum agitantibus. Qui secundũ Isaiæ vaticinium in omnibus suis angustiis ita patiens erat, quod instar ouis ad occisionem ducto sine voce, & agni coram tondente se reticentis os suum non aperiebat. Qui sicut per seipsum omnem patientiam ostendit, ita sua benedicta Mater, omnes suas tribulationes patientissime tolerauit. Et quemadmodum agnus suam Matrem quocunq; ducta fuerit comitatur, ita Virgo Mater suum filium ad tormentorum loca perductum sequebatur. Videns quoque Mater filium, corona spinea derisum, suamque faciem sanguine rubricatam, & eius maxillas ex magnis alapis rubicundas, grauissimo dolore ingemuit, & tunc suæ maxillæ præ dolorum magnitudine cæpe runt pallescere. Sanguine quippe filii in eius flagellatione per totum ipsius corpus defluente, innumerabilium aqua lacrymarum, de Virginis oculis decurrebat. Videns deinde Mater suum filium, in cruce crudeliter extendi, in omnibus sui corporis viribus cępit tabescere. Audiens vero malleorum sonitum, quando filii manus, & pedes ferreis clauis perforabantur, tunc omnibus virginis sensibus deficientibus, ipsam velut mortuam, doloris magnitudo prostrauit. Iudæis itaque felle, & aceto ipsum potantibus, anxietas cordis, ita linguam, & palatum virginis exsiccauit, quod labia sua benedicta, ad loquendum tunc mouere non valuit. Audiens quoq; postmodum illam flebilem filii sui vocem, in mortis agone dicentem, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti. Videns deinde, quod omnia eius membra obriguerunt, & inclinato iam capite spiritum exalabat, tunc doloris

loris acerbitas, ita cor Virginis suffocauit, quod nullus sui corporis articulus moueri videbatur. Vnde non paruum miraculum in hoc Deus tunc fecisse dignoscitur, cum Virgo Mater tot, & tantis doloribus intrinsecus sauciata, suum spiritum non emisit, quando tam dilectum filium nudum, & cruentatum viuum, & mortuum, atque lancea transfixum, omnibus eum deridentibus, inter latrones pendere prospexit, illis pene omnibus quibus notus extiterat ab eo fugientibus, & multis eorum a rectitudine fidei, enormiter exorbitantibus. Igitur quemadmodum suus filius, super omnes in hoc mundo viuentes, amarissimam mortem sustinuit, ita ipsius Mater in sua benedicta anima, amarissimos dolores sufferendo portauit. Commemorat etiam sacra pagina, quod vxor Phinees, arcam Dei ab eius inimicis captam esse percipiẽs, præ dolorum vehementia protinus expirauit, cuius mulieris dolores *Mariæ* Virginis doloribus comparari non possent, quæ sui benedicti filij corpus, quod arca prædicta figurabat, inter clauos, & lignum captum detineri videbat. Maiori nanque charitate, Virgo suum filium Deum verum, & hominem peramabat quam aliquis a viro & muliere genitus, seipsum aut alium posset diligere. Vnde quia mirabile cernitur, quod illa vxor Phinees, a doloribus mortua fuit, quæ minoribus doloribus vrgebatur, & *Maria* reuixit quę grauioribus mestitiis extitit lacessita. *Quis* in hoc aliud cogitare poterit, nisi quod de speciali omnipotẽtis Dei dono, contra omnes corporales vires suas, ipsa vitam retinuit. Moriens deniq; Dei filius cęlum aperuit, & amicos suos, qui in inferno tenebantur, potenter eripuit. Reuiscens autem virgo, rectam fidem vsque ad filii resurrectionem integraliter sola seruabat, multosque a fide miserabiliter deuiantes, reducendo ad fidem corrigebat. Mortuus siquidem suus filius, de cruce depositus fuit, & pannis inuolutus, vt alia funera sepulturæ traditus est, & tunc omnes ab eo recesserunt, & pauci eum resurrecturum crediderunt, tūc etiam a corde *Matris* dolorum stimuli fugerunt, & consolationum delectatio cępit in ipsa suauiter renouari, quia sciebat, quod filii sui tribulationes, iam erant ex toto finitæ, ipsumq; cum deitate, & humanitate, die tertia ad æternam gloriam debere resurgere, ac deinceps nullam molestiam debere, nec posse pati. Tu autem domine.

In istis tribus lectionibus subsequentibus ostendit Angelus quam immobilis fuit Beata Virgo a recta fide, quando cæteri de Christi resurrectione dubitabant. Et quam proficua fuit multis sua vita, & doctrina. Et qualiter in corpore, & anima in cœlum fuit assumpta.

In die Sabbati. Lectio prima.

Absolutio.

Confirmet nos in fide Sanctissima, Gloriosa Mater Dei pijssima. Amen.

CAP. XIX.

DE longinquis partibus Regina Austri, ad Regem Salomonem legitur peruenisse, eiusque visa sapientia præ stupore immenso non habuisse spiritum, quæ resumptis viribus, regem suis commendauit sermonibus, magnisque eum glorificauit muneribus. *Huic* vtique Reginæ excellentissima Regina Virgo *Maria* conuenienter similatur, cuius animus totius mundi ordinem, & processum, ab eius exordio, vsque ad eius finem sagaciter perlustrans, & vniuersa quæ in eo erant diligenter prospiciens, nihil in eo reperit, quod possidere, vel audire desideraret, nisi solummodo illam sapientiam quam de Deo audiuerat. Illam itaque omni auiditate quæsiuit, illam sollicite inuestigauit, donec ipsam sapientiam, scilicet Christum Dei filium, qui incomparabiliter Salomone sapientior est sapienter inuenit. Videns autem ipsa Virgo, quam sapienter ille per corporis sui passionem in cruce reuicit animas, eisque cœli portas aperuit, quas subdolus hostis, ad gehennalem mortem vicerat, tunc ipsa Virgo propinquior morti stabat, quam Regina Austri, quando videbatur spiritum non habere. Christi deinde sui Filii passione consummata, tunc ipsa Virgo resumptis viribus, donis ipsi *Deo* gratissimis, ipsum glorificabat, nam plures animas sua salutari doctrina, ipsi Deo præsentabat, quam aliqua alia persona, post Christi mortem vniuersis suis operibus. In hoc etiam suis sermonibus, ipsum honorifice commendasse proba-

ba-

batur, quod multis post eius humanitatis mortem, de ipso per omnia dubitantibus, verum Dei filium in deitate æternaliter immortalem ipsa eum sola constāter asseruit. Tertia quippe die, de ipsius resurrectione discipulis hæsitantibus, & mulieribus in sepulchro, eius corpus sollicite inquirentibus, ipsisque Apostolis, præ maxima cordis anxietate, & pauore, se pariter includentibus, tunc Virgo Mater quamuis scriptura eo tempore, ipsam aliquid locutam non commemorat sine dubio tamen credendum est, quod ipsa Dei filium in carne æternam gloriam resurrexisse testificata est, & quod mors de cætero illi nunquam posset amplius dominari. Item quamuis etiam scriptura dicat, quod Christi Resurrectionem Magdalena, & Apostoli prius viderunt, sine dubio tamen credendum est, quod sua Mater dignissima, antequam illi veraciter hoc sciebat, & priusquam illi eum viuum resurrexisse a mortuis vidit, propter quod iubilo cordis plenissima, ipsum humiliter collaudauit. Ascēdente vero suo benedicto filio, ad suum regnum Gloriosum, Virgo Maria, in hoc mundo ad bonorum confortationem, & errantium correctionem, remanere permissa est. Erat enim magistra Apostolorū, consolatrix martyrum, doctrix confessorū, clarissimum speculum virginum, consolatrix viduarum, in coniugio viuentium salubberrima monitrix, atque omnium in fide catholica perfectissima roboratrix. Apostolis nanque ad se venientibus, omnia quæ de suo filio perfecte non nouerant reuelabat, & rationabiliter declarabat. Martyres quoque ad tribulationes gaudenter pro Christi nomine sufferendas animabat, qui pro ipsorum, & omnium salute, quam pluribus tribulationibus, seipsum sponte exposuerat, asserens seipsam ante filij sui mortem. 33. annis tribulationem cordis indefinenter in omni patientia pertulisse. Confessores deinde dogmata salutis edocebat, qui ex eius doctrina, & exēplo, perfectissime didicerunt diurna, & nocturna tempora, prudenter ad Dei laudem, & gloriam ordinare, somnumque, ac cibum, & labores corporis, spiritualiter, & rationabiliter temperare. Ex eius quippe honestissimis moribus, addiscebant virgines honeste se regere, & virginalem pudicitiam suam, vsque ad mortem firmiter conseruare, multiloquium, & omnes vanitates fugere, ac omnia sua opera diligenter præmeditatione discutere, & spirituali libramine, equa lance iustissime examinare. Viduis etiam ad ipsarum consolationem, Virgo Gloriosa referebat, quod quāuis ex materna charitate sibi placuisset, quod suus amantissimus filius, moriendi voluntatem habuisset. Veruntamen sua voluntas materna diuinæ se voluntati totaliter conformauerat, eligendo potius ad Dei voluntatis perfectionem, omnes tribulationes humiliter sustinere, quam ad aliquod suum placitum, a diuina voluntate in aliquo dissentire. Tali enim collocutione, viduarum animos, patientes in tribulationibus, & constantes in corporis tētationibus faciebat. Consulebat insuper coniugatis, vt ad corpus, & animam se mutuo vera, & non ficta charitate diligerent, & ad quemcunque Dei honorem, indiuiduam voluntatem haberent, de seipsa illis referens, qualiter ipsa Deo fidem suam sinceriter dederat, & qualiter propter ipsius charitatem, diuinæ voluntati in aliquo nunquam restiterat. Tu autem domine.

Sabbato. Lectio ij.

Absolutio.

Filius Mariæ Virginis, mundet nos a sorde criminis. Amen.

CAP. XX.

Quoniam ex Sacri Euangelij serie didicimus, vnicuique eadem mensura, qua alteri mensus fuerit esse remetiendum. Ideo impossibile videtur, quod aliquis humana ratione possit comprehendere quantis honoribus Gloriosa Dei Genitrix in cęli palatio debuit ab omnibus venerari, quæ tam multis dum in hoc mundo vixit, desiderata bona benigniter operata est. Idcirco iustum fore creditur, quod quando suo filio placuit, ipsam ab hoc sæculo euocare, vniuersi ad eius honoris augmentandum parati extiterunt, qui per ipsam suę voluntatis perfectionem habuerūt. Vnde quia creator omnium, ipsa mediante, suum placitum perfecit in mundo, ideo placuit ei cum Angelis, ipsam summo honore glorificare in cœlo. Et idcirco ipsius Virginis animam, quando fuit a corpore separata, statim super omnes cœlos, ipse Deus mirifice sublimauit, eique imperium super vniuersum mundum donauit, & Angelorum Dominam, æternaliter ipsam constituit. Qui quidem

An-

Angeli, ita postmodum obedientes Virgini effecti sunt, quod omnes inferni pœnas libentius sustinerent, quam aliquibus suis præceptis, in aliquo contradicerent. Super omnes etiam malignos spiritus ipsam sic Deus potentem effecit, quod quotiescunque ipsi aliquem hominem, virginis auxilium ex charitate implorantem impugnauerint, ad ipsius Virginis nutum, illico pauidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas suas, & miserias sibi multiplicari, quam eiusdem Virginis potentiam super se taliter dominari. Et quia inter omnes Angelos, & homines, ipsa inuenta est humillima, ideo super omnia quæ creata sunt, facta est sublimissima, omniumq; pulcherrima, atque ipsi Deo super omnes simillima. Vnde vere notandum est, quod sicut aurum cœteris metallis habetur dignius, ita Angeli, & animæ cęteris creaturis digniores existunt. Igitur quemadmodum aurum in aliqua opera, absque ignis beneficio formari nequit, igne vero apposito iuxta aurificis magisterium, in diuersas formas fabricat. Simili modo Beatissime Virginis anima cęteris animabus, atque Angelis non potuisset pulchrior fieri, nisi ipsius peroptima voluntas, quæ artificioso aurifici comparatur, in Spiritus sancti igne ardentissimo, ipsam tam efficaciter præparasset, quod eius opera omnium creatori, gratissima apparerent.

Et quamuis aurum in pulchra opera formatum fuerit, aurificis tamen artificium, in eo non clare discernitur, quamdiu in opaca domo opus illud fabricatum includitur, sed dum in solis splendorem venerit, tunc operis pulchritudo in eo clarius illucescit. Similiter etiam huius Gloriosæ Virginis dignissima opera, ipsius preciosissimam animam pulcherrime adornantia, perfecte videri nequiuerunt, quamdiu anima ipsa, in latibulo sui morituri corporis tenebatur inclusa, donec in splendorem veri solis, qui est ipsa deitas, anima ipsa peruenit. Tunc denique ipsam Virginem tota cœlestis curia, summis laudibus exaltabat, eo quod sua voluntas eius animam ita adornauerat, quod sua pulchritudine omnes creaturarum pulchritudines excellebat, propter quod, & ipsi creatori simillima apparebat. *Huic ergo Gloriosæ animæ*, sedes glorifica ipsi Trinitati propinquissima ab æterno constituta erat. Nam sicut Deus Pater erat in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus sanctus in vtroque quando Filius post humanę carnis susceptionem in sua matris vtero, cum deitate, & humanitate quiescebat, trinitatis vnione penitus indiuisa, ac Matris Virginitate inuiolabiliter conseruata, ita & ipse Deus benedictæ Virginis animæ mansionem Patri, & Filio, & Spiritui sancto proximam ordinauit, vt omnium bonorum quæ a Deo donari possent, ipsa particeps haberetur. Nullius etiam cordis profunditas capere sufficit, quantam iocunditatem suæ societati Deus in cœlo fecit, quando eius amantissima Mater ab hoc miserabili mundo migrauit, sicut vere cunctis cum charitate, cœlestem patriam desiderantibus patefiet, quando ipsum Deum facie ad faciem contemplati fuerint. Angeli quoque Virginis animæ congratulantes Deum glorificabant, nam per ipsius Christi corporis mortem eorum societas impletur, & per suæ Matris aduentum in cœlum, ipsorum iocunditas adaugetur. Adam denique, & Eua, cum Patriarchis, & Prophetis, ac vniuersa cohorte ex inferni carcere educta, cęterique qui post Christi mortem venerãt in gloriam, ex ipsius Virginis aduentu in cęlum gaudebant, referendo Deo laudem, & honorem, qui ipsam tanto honore decorauerat, quod ipsorum redemptorem, & dominum, tam sanctè, & Gloriose peperērat. Apostoli etiam, & vniuersi amici Dei, qui ipsius Virginis dignissimo funeri astabant, quando suus amantissimus filius, eius gloriosam animam in cęlum secum portabat, ipsam humili venerabantur obsequio venerabile ipsius corpus, omni qua poterant laude, & gloria exaltantes. Et vere remota omni ambiguitate credendum est, quod sicut a *Dei* amicis corpus illud Virginis Beatissimæ, sepulturæ tradebatur mortuum, ita ab ipso Deo Filio suo amantissimo, ad vitam perpetuam, viuum cum anima venerabiliter est assumptum. Tu autem Domine.

Sabbato. Lectio iij.

Absolutio.

Ad gloriam regni cęlorum, perducat nos Regina Angelorum. Amen.

CAP. XXI.

QVia ipsa veritas, qui est Dei, & Virginis Filius omnibus consuluit, bonum etiam pro malo retribuere, quantis bonis per seipsum credendus est, ipse Deus bonorum operum factores remunerare. Et quia

quia per suum Euangelium, pro quolibet bono opere centuplum redonari promisit quid excogitare poterit, quantis primiorũ sublimium donis, suam Reuerendissimam Matrem dictauerit, quæ nec quidem minimum peccatum vnquam commisit, cuius & opera Deo gratissima, non habent numerum? Nam sicut ipsius Virginis animæ voluntas, omnium bonorum operum cooperatrix extitit, ita & ipsius honestissimum corpus, ad operum perfectionem instrumentum aptissimum, & iugiter applicabile fuit. Vnde sicut vere credimus, quod ex Dei iustitia omnia humana corpora resurgere habent in die nouissimo, retributionem cum suis animabus iuxta suorum operũ exigentiam suscepturа, eo quod sicut vniuscuiusq; anima, omnium operum suorum per voluntatis adhibitionem cooperatrix fuerat, ita & corpus ei coniunctum, per se omnia corporaliter adimpleuerat. Sic igitur sine aliquo dubio credendum est, quod sicut Dei filij corpus, quod nunquam peccauit a mortuis resurrexit, & cum deitate pariter glorificatum extitit, ita & corpus suæ dignissimæ Matris, quod nunquam aliquod peccatum commisit, aliquantis diebus post eius tumulationem Dei virtute, & potentia fuit cum eiusdem Sacratissimæ Virginis anima assumptum in cęlum, omniq; honore simul cũ eadem extitit glorificatum. Et sicut humano intellectui in hoc mundo impossibile est, illius coronæ pulchritudinem, & gloriam comprehendere, qua gloriari, & venerari decet Christum Dei filium, pro sua passione, ita & nemo illius coronæ decorem excogitare potest, qua Virgo Maria pro sua diuina obedientia, in corpore, & animã veneratur. Et quemadmodum vniuersæ virtutes animæ Virginis, Deum suum factorem commendabãt, cuius Sacratissimum corpus, postea omnium virtutum præmijs decorabatur, ita & eandem Virginem dignissimam Dei Matrem opera sui corporis collaudabãt, quia nullam virtutem ipsa operari prætermisit in mundo, pro qua corpori, & animæ, ipsa sciret esse reddendum premium in cœlo. Vnde vere notandum est, quod sicut sola Sacratissima anima Christi excepta suæ Matris anima, pro virtutibus, & meritis, summis premijs dignissima extitit, quia in bonis operibus nullum defectum habuit, ita etiam solo excepto Christi corpore, suæ Matris corpus fuit dignissimum longiori tempore, quam aliorum corpora, cum sua anima meritorum premia recipere, quia semper cum ipsa, omnia eius optima opera perfecit, nulliq; peccato vnquam consensit. O quam potenter suam iustitiam Deus ostendit, quando Adam de Paradiso expulit, quia fructu vetitum in paradiso, ex ligno scientiæ contra obedientiam manducauit. O quam humiliter Deus manifestauit suam misericordiam in hoc mundo, per Mariam Virginem, quæ congrue lignum vitæ nuncupari potest. Pensate igitur, quam celeriter Iustitia illos in miseriam expulit, qui inobedienter fructu ligni scientiæ vescebantur. Considerate etiam, quam dulciter eos misericordia inuitat, & allicit ad Gloriam, qui per diuinam obedientiam, fructu ligni vitæ refici desiderant. Attendite insuper charissimi, quod quando huius honestissimę Virginis corpus, quod ligno vitæ comparatur, in hoc mundo crescebat, vniuersi Angelorum chori ipsius fructum non eo minus desiderabant, & de eo nascituro non minus lætabantur, quam de illa gratia eis facta, scilicet quod seipsos immortales, in cœlesti lætitia fore nouerant, & præsertim vt Dei magna charitas, in humano genere claresceret, & ex hoc eorum societas augeretur. Et ideo Gabriel Angelus cursu celeri, ad ipsam Virginem alacriter properauit, & eam alloquio omni acceptione dignissimo charitatiue salutauit. Vnde quia ipsa Virgo vere humilitatis, omniumq; virtutũ magistra Angelo nuncianti, humillime respondebat, ideo ipse gauisus est, cognoscens, quod voluntatis suæ, & aliorum Angelorum desiderium, ex eo adimpleri debebat. Sed quia illud benedictum Virginis corpus vere nouimus in cœlum cum anima fuisse eleuatum, ideo hominibus mortalibus Dei offensoribus salubriter est consultum, quod per veram suorum reatuum penitudinem, ad ipsam festinanter ascendant, qui diuersis tribulationibus in hac valle miseriæ dietim atteruntur, atque hanc ęrumnosam vitam, per suorum corporum interitum, non ambigunt, debere terminari. Et si ex huius ligni fructu, qui Christus est desiderant homines refoueri, conentur prius totis viribus ipsius ligni ramusculos flectere, idest ipsam suam Matrem sicut Angelus nuncians charitatiue salutare, ad euitationem cuiuslibet peccati voluntates suas confirmando, atque omnia verba, & opera sua ad Dei honorem rationabiliter ordinando. Tunc enim ad ipsos, ipsa Virgo faciliter inclinabitur, exhibẽdo eis sui adiutorij suffragium ad ligni vitæ fructum, qui est dignissimum Christi corpus suscipiendum, quod manibus hominum vobiscum consecratur. Quod quidem vobis peccatoribus in mundo, & Angelis in cœlo vita est, & alimentum. Et quia Christus ad suæ gratissimæ societatis complementum animas quas proprio redemit sanguine, ardenti desiderio concu-

cupiscit. ideo studeatis dilectissimi, & vos suum desiderium adimplere cum omni deuotione, & charitate ipsum accipiendo, quod Virginis nostræ Mariæ dignissimis precibus, idem Iesus Christus suus filius nobis præstare dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat per infinita secula seculorum. Amen. Tu autem Domine.

Explicit Sermo Angelicus.

PROEMIVM IN ORATIONES SVBSCRIPTAS, QVAE fuerunt diuinitus reuelatæ Beatæ Brigittæ de Regno Sueciæ.

CVM Beata Brigitta semper peteret, & rogaret Deum, quatenus sibi infunderet aliquem gratum modum orandi. Contigit quadam die ipsa orante, quod miro modo eleuata fuit in spiritu quadam eleuatione mentali. Et tunc infusæ fuerunt sibi diuinitus quædam orationes pulcherrimæ de vita, & passione, & laude Christi, & de vita compassione, & laude Beatissimæ Virginis Mariæ, quas postea ipsa semper ita memoriter tenuit, quod quotidie eas deuote legebat. Vnde Beata Virgo Maria postea quadam vice apparens ei in oratione dixit. Ego promerui tibi illas orationes. Ideoque quando has legeris deuote, visitaberis consolatione filij mei.

ORATIONES ALIQVOT SANCTAE BRIGITTAE DIVINITVS REVELATAE.

QVAMVIS hæc sancta mulier Brigitta latissime in libris suarum Reuelationum ad laudādum Deum, & Matrem eius habet multas orationes omni deuotione plenas, tamen ardenter optās aliquem excellentiorem modum, quo Dei inspirationem intimius dominum laudaret, diuinitus virgine sibi reuelante obtinuit. Quatuor speciales orationes in eius libro contentas, sub titulis hic expressis.

In prima laudatur Gloriosa Virgo Maria de Sancta Conceptione, & infantia sua, & de omnibus virtuosis actibus, & laboribus, & magnis doloribus totius vitæ suæ, & de Sanctissima morte, & assumptione sua.

In secunda oratione pulchre, & deuote laudatur Christus cum narratione seriosa, de sua Gloriosa incarnatione, & de omnibus actibus, & laboribus, & angustijs vitæ, & Sanctissimæ mortis suæ, & de Ascensione in Cœlum, & missione Spiritus sancti in discipulos.

In tertia pulchre laudantur omnia membra Sanctissimi Corporis D. N. Iesu Christi, & virtuosissimi actus eius corporales.

In quarta deuotissime, & pulchre laudantur omnia membra Gloriosi Corporis Mariæ Virginis, & virtuosi actus eius corporales cum conclusione vltimæ orationis in hoc modo.

O tu etiam Domine meus, Rex meus, & Deus meus, sit tibi perpetuus honor, perennis laus, benedictio, & gloria cum infinita gratiarum actione, qui illam tam dignissimam, & honestissimam Virginem creasti, & eam tibi in Matrem tuam elegisti pro omnibus, qui in Cœlo, & in terra quomodolibet consolati fuerunt. Vtq; pro his, qui in purgatorio per eam adiutorium, & solamen habuerunt. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

IN

IN ISTA ORATIONE A DEO REVELATA BEATAE BRIGITTAE DEVOTE, ET PULCHRE laudatur Gloriosa Virgo Maria, de Sancta Conceptione, & infantia sua. Et de omnibus virtuosis actibus, & laboribus, & magnis doloribus totius vitæ suæ, & de sanctissima morte, & assumptione sua, &c.

ORATIO PRIMA.

BENEDICTA, & venerabilis sis tu Domina mea Virgo Maria Dei Mater Sanctissima. cuius tu vere es optima creatura, & nullus vnquã tam intime eum dilexit, sicut tu Domina Gloriosa. Gloria sit tibi domina mea Virgo Maria Mater Dei, quæ ab illo Angelo quo Christus tibi nunciatus fuit, ab eodem etiam tu Patri, & Matri tuæ nunciata fuisti, & eorum coniugio honestissimo concepta, & genita extitisti. Benedicta sis tu domina mea Virgo Maria, quæ in tua infantia sanctissima statim post ablactationem tuam a parentibus tuis in templo Dei portata fuisti. Et custodię deuoti Pontificis cum alijs virginibus commissa extitisti. Laus sit tibi domina mea Virgo Maria, quæ cum ad illam ætatem peruenisti, quod Deum intelligeres tuum existere Creatorem, confestim ipsum intime amare super omnia incepisti, & tunc diurna tua tempora, & nocturna, per diuersa officia, & exercitia ad Dei honorem discretissime ordinasti. Somnumq; & cibum tui Gloriosi corporis taliter moderabaris, quod ad seruiendum Deo existeres semper apta. Infinita gloria sit tibi Domina mea Virgo Maria, quæ virginitatem tuam ipsi Deo humiliter vouisti. Et ideo non curasti quis te desponsaret, quia tu sciebas, quod ille, cui prius fidem dederas potẽtior & melior erat vniuersis. Benedicta sis tu domina mea Virgo Maria, quæ sola stabas ardore Diuini amoris accensa, tota mente, totaque virtute virium eleuata, altissimum Deum, cui tuam virginitatem obtuleras ardenter diligens contemplando, quando Angelus a Deo fuit missus ad te, & te salutando Dei voluntatem tibi annunciabat. Cui tu respõdẽs humillime professa fuisti, ancillam Dei te esse, & Spiritus sanctus omni virtute mirabiliter te repleuit. Deus Pater Filium suum sibi coæternum, & coæqualem tibi misit. Qui in te veniens de carne, & sanguine tuo sibi tunc corpus humanum assumpsit. Et sic in illa hora benedicta Dei Filius in te factus est tuus filius, viuens cum omnibus membris suis, non tamen amissa diuina maiestate. Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria, quæ Christi corpus a tuo benedicto corpore creatum, in tuo vtero sensisti semper crescere, & moueri vsque ad tempus suæ natiuitatis Gloriosæ. Quem tu ante omnes tuis sanctis manibus attrectasti, pannis inuoluisti, ac iuxta prophetæ vaticinium in presepio reclinasti, & sacratissimo tuorum vberum lacte eum cum exultationis gaudio materna liter educasti. Gloria sit tibi o domina mea Virgo Maria, quæ domum contemptibilem, id est stabulum inhabitans reges potentes a longe ad filium tuum venire vidisti. Regalia xenia cum maxima reuerentia tuo filio humiliter offerentes. Quem postmodum tuis preciosis manibus in templo præsentasti, & in tuo benedicto corde omnia ab eo audita, & visa in eius infantia, diligenter conseruasti. Benedicta sis tu domina mea Virgo Maria, quæ cum prole illa sanctissima in Aegyptum fugisti, quã postea in Nazareth cum gaudio apportasti, & ipsum tuum Filiũ tibi, & Ioseph in accrescentia sui corporis humilem, & obedientem vidisti. Benedicta sis tu Domina Virgo Ma-

ria quæ filium tuum prædicantem, miracula facientem, & Apostolos eligentem vidisti. Qui eius exemplis, miraculis, & doctrinis illuminati, veritatis testes effecti sunt. Iesum tuum, & Dei Filium veraciter existere diuulgantes cunctis gentibus, quod ipse erat qui prophetarum scripturas per seipsum adimpleuerat, quando pro humano genere durissimam mortẽ patienter sustinuerat. Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria, quæ Filium tuum debere captiuari antea præsciuisti. Et eum postea ligatum, & flagellatum, spinis coronatum, crucique nudum clauis affixum, & multos eum contemnentes, & proditorem vocantes, tuis beatis oculis dolorose vidisti. Honor sit tibi domina mea Virgo Maria, quæ filium tuum de cruce tibi loquentem cum dolore conspexisti, & in mortis agonia ad patrem clamantem, & animam suam in eius manibus recommendantem, tuis benedictis auribus dolenter audiuisti. Laus sit tibi domina mea Virgo Maria, quæ filium tuum in cruce pendentem a vertice capitis, vsq; ad plantas pedum liuidum, & proprio sanguine rubricatum, & sic crudeliter mortuum cum amaro dolore vidisti. Nec non, & pedes, ac manus ipsius vna cum suo glorioso latere transforata, totamque cutem eius sine aliqua misericordia laceratã amarissime conspexisti. Benedicta sis tu domina mea Virgo Maria, quę filium tuum deponi, pannis inuolui, in monumento sepeliri, & ibi a militibus custodiri, tuis lacrymosis oculis vidisti. Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria, quæ intrinseco dolore tui cordis grauissime lacessito, a tui filij sepulchro separata fuisti. Et ab amicis eius ad domum Ioannis tota plena dolore portata extitisti. Et ibi statim releuamen tui magni doloris sensisti, quia filium tuum cito resurrecturum, certissime præsciuisti. Gaude dignissima domina mea Virgo Maria, quia in eodem puncto, quo filius tuus a morte resurrexit, tibi suæ Beatissimæ Matri hoc innotescere voluit, quia illico tibi per seipsum apparuit, deinde alijs personis se illum esse a morte resuscitatum ostendit, qui in corpore suo viuo mortem pertulit. Gaude igitur dignissima domina mea Virgo Maria, quæ morte deuicta, & mortis actore supplantato, cœliq; introitu patefacto, filium tuum resurgentem, & corona victoriæ triumphantem vidisti. Et quadragesima die post resurrectionem suã, honorifice vt regem sociatum Angelis ad suum regnum Cœlorum videntibus multis ascendere conspexisti. Exulta dignissima domina mea Virgo Maria, quia videre meruisti, qualiter post Ascensionem suam Apostolis, & Discipulis suis, spiritũ sanctum quo te antea totam repleuerat, filius tuus repente transmisit. Et augendo in eis charitatis feruorem, & catholicę fidei rectitudinem ipsorum corda mirabiliter illustrauit. Lætare insuper Domina mea Virgo Maria, & de tua lætitia totus mundus lætetur, quia post Ascensionem suam ad amicorum suorum consolationem, & fidei roborationem, indigentium auxilium, & Apostolorum sanum consilium, in hoc mundo filius tuus multis annis te permanere permisit. Et tunc per tua verba prudentissima, gestus honestissimos, & opera virtuosa, innumerabiles iudæos, & infideles paganos ad catholicam fidem conuertit. Et te confiteri Virginem Matrem, ipsumq; tuum filium, & Deum cum vera humanitate illuminando eos mirabiliter illustrauit. Benedicta sis tu Domina mea Virgo Maria, quæ ex ardenti charitate, & materno amore indesinenter omni hora ad tam dilectum filium tuum iam in cœlo sedentem venire desiderasti. Et in hoc mundo tu degens ad cęlestia suspirando, diuinę voluntati te humiliter conformasti, propter quod tibi dictante iustitia diuina, æternam gloriam ineffabiliter augmentasti. Sit tibi ô Domina mea Virgo Maria, æternus honor, & gloria, quia quando Deo placuit a sęculi huius exilio te eripere, & tuam animam in regno suo æternaliter honorare, tunc per Angelum suum hoc tibi dignatus est nunciare, & venerabile corpus tuum iam mortuum, per suos Apostolos cum omni reuerentia in sepulchro voluit tumulare. Gratulare ô Domina mea Virgo Maria, quia in illa leuissima tua morte anima tua a Dei potentia amplexata extitit, & ipse ab omni aduersitate eam paternaliter custodiendo protexit. Et tunc ipse Deus Pater, omnia quæ creata sunt tuæ potestati subiecit. Et Dei Filius te suam dignissimam matrẽ in sede sublimissima secum honorifice collocauit, sanctus quoque spiritus ad regnum suum gloriosum, te tibi desponsatam Virginem deferendo mirabiliter exaltauit. Gaude æternaliter Domina mea Virgo Maria, quia post tuam mortem aliquantis diebus corpus tuum in sepulchro iacuit tumulatum, donec per Dei potentiam denuo animæ tuæ cum honore extitit copulatum. Exulta satis ô Mater Dei glorifica Domina Virgo Maria, quia corpus tuum post tuam mortem simul cum anima viuificatum, assumi in cœlum cum honore Angelorum videre meruisti, tuumque Filium Gloriosum cum humanitate Deum existere agnouisti, ac eum esse omnium iustissimum iudicem, & bonorum ope-

Imperium remuneratorem cum exultationis gaudio conspexisti. Gaude etiam domina mea Virgo Maria, quia tui corporis caro sanctissima se Virginem, & Matrem iam in Cœlo nouit existere, nulloque mortali, vel veniali crimine se vidit maculatam aliquatenus esse, immo omnia opera virtuosa tam charitatiue se nouit fecisse, quod Deū et iustitia oportuit te sum uo honore venerari. Intellexisti tunc etiam, quod quicunque Deum in hoc mundo ardentius amaret, ipse eum in cœlo iuxta se vicinius collocaret. Et quia toti cœlesti curiæ erat manifestum, quod nullus Angelorum, nec hominum, tanta charitate, quanta tu ipsum Deum amauit. Idcirco dignum, & iustum fuit, quod in summa sede gloriæ cum anima, & corpore, te ipse Deus honorifice collocauit. Benedicta sis tu ô Domina mea Virgo Maria, quia omnis creatura fidelis pro te sanctam collaudat Trinitatem, eo quod tu eius creatura es dignissima. Quæ pro miseris animabus veniam impetras promptissima, & pro omnibus peccatoribus existis aduocata, & procuratrix fidelissima. Laudetur igitur Deus summus Imperator, & Dominus, qui te ad tantum honorem creauit, quod tu Imperatrix, & domina fieres perenniter in Regno cœlorum, cum ipso æternaliter regnatura in secula seculorum. Amen.

HAEC ORATIO FVIT A DEO reuelata B. Brigittæ, in qua pulchre, & deuote laudatur Christus cū narratione seriosa, de sua Gloriosa incarnatione, & de omnibus actibus, & laboribus, & doloribus vitæ, & sanctissimæ mortis suæ, & de Ascensione in cœlum, & missione Spiritus sancti in discipulos, &c.

Oratio secunda.

BEnedictus sis tu Domine mi Deus meus, & amator meus dilectissimæ animæ meæ, qui es vnus Deus in tribus personis. Gloria, & laus sit tibi domine mi Iesu Christe, qui in corpus vnius Virginis a patre missus fuisti, manes tamen cum patre semper in Cœlo, & pater cum sua diuinitate manens in tua humanitate inseparabiliter tecum in mundo. Honor, & gloria sit tibi domine mi Iesu Christe, qui in vtero Virginis conceptus de Spiritu sancto corporaliter creuisti, & in eo vsque ad tempus partus humiliter habitasti, ac post iocundam natiuitatem tuam, ipsius tuæ Matris mundissimis manibus tractari, pannis inuolui, & in præsepio reclinari dignatus fuisti. Benedictus sis tu Domine mi Iesu Christe, qui carnem tuam immaculatam circuncidi te quoque Iesum vocari, & a Matre tua in templo offerri voluisti. Benedictus sis tu Domine mi Iesu Christe, qui te in Iordane a seruitore tuo Ioanne baptizari fecisti. Benedictus sis tu domine mi Iesu Christe, qui tuo benedicto ore verba vitæ hominibus prædicasti. Et coram eis per teipsum multa miracula præsentialiter operatus fuisti. Benedictus sis tu Domine mi Iesu Christe, qui prophetarum scripturas adimplendo, te Deum verum esse mundo rationabiliter manifestasti. Benedictio, & gloria sit tibi Domine mi Iesu Christe, qui quadraginta diebus in deserto mirabiliter ieiunasti. Et a diabolo inimico tuo tentari te permisisti, quem solo verbo a te dum tibi placuit expulisti. Benedictus sis tu Domine mi Iesu Christe, qui mortem tuā ante tempus prædixisti. Et in vltima cœna de pane materiali, tuum corpus preciosum mirabiliter consecrasti, ac etiam illud Apostolis tuis in memoriam tuæ dignissimæ passionis charitatiue tribuisti. Et ipsorum pedes lauando tuis sanctis manibus preciosis, maximam humilitatem tuam humiliter ostendisti. Honor sit tibi mi Domine Iesu Christe, qui timore passionis, & mortis de innocenti corpore tuo pro sudore sanguinem emisisti, & nihilominus redemptionem nostram, quam facere volebas perfecisti; & taliter charitatem tuam, quam habebas ad genus humanum manifestissime ostendisti. Gloria sit tibi Domine mi Iesu Christe, qui a discipulo tuo venditus, & a Iudæis emptus, & captiuatus pro nobis fuisti, & vnico tuo verbo inimicos tuos ad terram proiecisti, quorum immundis manibus rapacibus postmodum te captiuum spontanea voluntate tradidisti. Benedictus sis tu Domine mi Iesu Christe, qui ad Caypham ductus fuisti, & tu qui es iudex omnium Pilati iudicio te tradi humiliter permisisti. Benedictus sis tu Domine mi Iesu Christe, qui a Pilato iudice missus ad Herodem fuisti, & te ab eo derideri, & contemni permisisti. Et ad eundem Pilatum iudicem iterum remitti consensisti. Gloria sit tibi domine mi Iesu Christe, pro derisione quam sustinuisti, dum purpura indutus, spinis acutissimis coronatus stetisti. Et quia in faciem tuam gloriosam conspui, oculos tuos

velari, ac in maxilla, & collo ab iniquorum funeſtis manibus grauiſſime cedi, patientiſſime ſuſtuliſti. Laus ſit tibi domine mi Ieſu Chriſte, qui ad columnam ligari immaniter flagellari, & ante iudicium Pilati ſanguinolentus duci, & videri, velut agnus innocens patientiſſime permiſiſti. Benedictus ſis tu Domine mi Ieſu Chriſte, qui ante Pilatum opprobria, & mendacia tibi obijci, ac voces populi petentis reum latronem abſolui, & te innocentem condemnari, tuis auribus benedictis patientiſſime audire voluiſti. Honor ſit tibi domine mi Ieſu Chriſte, qui toto tuo Glorioſo corpore cruentato ad crucis mortem iudicatus fuiſti, tuisque Sacris humeris crucem cum dolore portaſti, & ad locum paſſionis furibunde ductus, veſtibusque tuis ſpoliatus, ſic ligno crucis affigi voluiſti. Gloria immenſa ſit tibi domine mi Ieſu Chriſte, quia ſuſtinuiſti pro nobis humiliter, vt Iudæi tuas venerabiles manus, & pedes cum fune extenderent, & ligno Crucis crudeliter ferreis clauis affigerent, te quoque proditorem vocarent. Et ſuper te ſcripto confuſionis titulo ſuis verbis nephandis te multiplicitor deriderent. Laus æterna, & gratiarum actio ſint tibi mi domine Ieſu Chriſte, qui cum tanta manſuetudine, tam crudeles dolores pro nobis paſſus fuiſti. Nam quando corpus tuum benedictum ſuis totis viribus exinaniuit in cruce, oculi tui benigni caligabant, ſpecioſa facies tua ex diminutione ſanguinis tota operiebatur pallore, lingua tua benedicta eſtuabat, & ſiccabatur. Et ex amariſſimo poculo madebat os tuum. Crines, & barba ſanguine replebantur de vulneribus tui ſanctiſſimi capitis. Oſſa manuum, & pedum totius precioſi corporis tui diſiungebātur a locis ſuis, non ſine tuo magno, & intenſo dolore, vene, & totius tui benedicti corporis nerui crudeliter rumpebantur. Et ſic eras immaniter flagellatus, & doloroſis vulneribus ſauciatus, quod caro, & cutis tua innocentiſſima tota erat intolerabiliter lacerata. Et taliter afflictus, & doloratus ò tu mi dulciſſime domine in cruce ſteriſti, & mortis horam cum dolore nimio patienter, & humiliter expectaſti. Honor perpetuus ſit tibi domine Ieſu Chriſte, qui poſitus in tali anguſtia tuam digniſſimam Matrem, quæ nunquam peccauit, nec etiam minimo peccato vnquam conſenſit, tuis benignis oculis charitatis humiliter reſpexiſti. Et conſolando eam tuam tuo diſcipulo cuſtodiendam fideliter commiſiſti. Benedictio æterna ſit tibi mi domine Ieſu Chriſte, qui exiſtens in mortis agonia omnibus peccatoribus ſpem de venia tribuiſti, quando latroni ad te conuerſo Paradiſi gloriam miſericorditer promiſiſti. Laus æterna ſit tibi domine mi Ieſu Chriſte, pro qualibet hora qua in cruce maximas amaritudines, & anguſtias pro nobis peccatoribus ſuſtinuiſti. Nā dolores acutiſſimi de tuis vulneribus procedentes dire tuam fœlicem animam penetrabant, & cor tuum ſacratiſſimum crudeliter pertranſibant, donec crepante corde, ſpiritum feliciter emiſiſti, & inclinato capite in manus Dei Patris tui ipſum humiliter commendaſti, & tunc mortuus corpore totus frigidus remanſiſti. Benedictus ſis tu Domine mi Ieſu Chriſte, qui tuo precioſo ſanguine, & ſacratiſſima morte animas redemiſti. Et eas ad vitam æternam de exilio miſericorditer reduxiſti. Benedictus ſis tu domine mi Ieſu Chriſte, qui in ligno crucis mortuus pependiſti, & ſtatim amicos tuos potenter de inferni carcere liberaſti. Benedictus ſis tu domine mi Ieſu Chriſte, qui pro ſalute noſtra tuum latus, & cor perforari lancea permiſiſti, & precioſum ſanguinem tuum affluenter, & aquam de eodem latere, vt nos redimeres emiſiſti. Et antequam licentia ſepulture concederetur, corpus tuum ſacratiſſimum depnni de cruce noluiſti. Gloria ſit tibi mi domine Ieſu Chriſte, eo quod corpus tuum benedictum ab amicis tuis de Cruce deponi, & in manibus tuæ meſtiſſimæ Matris reclinari voluiſti, & ab ea pannis inuolui, ac in monumento ſepeliri, a militibus quoque ibidem cuſtodiri permiſiſti. Honor ſempiternus ſit tibi mi domine Ieſu Chriſte, qui die tertia a mortuis reſurrexiſti, & quibus tibi placuit te viuentem manifeſtaſti, poſt 40. quoque dies ad Cœlos multis videntibus aſcendiſti. Ibique amicos tuos quos a tartaris liberaueras honorifice collocaſti. Iubilatio, & laus æterna ſit tibi mi Domine Ieſu Chriſte, qui Sanctum ſpiritum in diſcipulorum cordibus tranſmiſiſti, & immenſum amorem diuinum in eorum ſpiritibus augmentaſti. Benedictus ſis tu, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula mi domine Ieſu, qui ſedes ſuper thronum in tuo Regno Cœlorum, in gloria tuæ diuinitatis, viuens corporaliter cum omnibus membris tuis Sanctiſſimis, quæ de carne Virginis aſſumpſiſti. Et ſic venturus es in die iudicij ad iudicandum animas omnium viuorum, & mortuorum. Qui viuis, & regnas cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN HAC ORATIONE a Deo reuelata Beatæ Brigittæ, pulchre laudantur omnia membra Sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, & virtuosissimi actus eius corporales.

Oratio tertia.

Domine mi Iesu Christe, quamuis ego bene scio, quod benedictum corpus tuum incessanter laudatur, & glorificatur armonia, & iubilo cœlestium ciuium supernorũ. Sed quia ex debito tibi teneor reddere infinitas gratiarum actiones, ideo ego licet sim persona insipiens, & indigna, desidero tamen toto corde, & ore meo, omnibus membris tui preciosi corporis referre gratias, quas possum laudem, & honorem. Domine mi Iesu Christe, quia tu es vere Summus Sacerdos, & Pontifex, qui primo, & ante omnes, vt nos satiares cibo Angelorum, de pane materiali tuum verum, & benedictum corpus mirabiliter cõsecrasti. Ideo Gloriosa Sacerdotalis sedes tua sit ad dexteram Dei Patris tui in tua diuinitate Beata, & benedicta in æternum. Amen. Domine mi Iesu Christe, tu vere es caput omnium hominum, & Angelorũ, & dignus Rex regum, & dominus dominantium, qui omnia opera facis ex vera, & ineffabili charitate. Et quia caput tuum benedictum corona spinea coronari humiliter permisisti, idcirco caput, & capilli tui benedicti sint, & ornentur gloriose diademate imperiali, cœlumq;, & terra, & mare, & omnia quæ creata sunt, in æternum tuæ subiaceant, & obediant imperio, & potestati. Amen. Domine mi Iesu Christe, qui frons tua splendida nunquam se auertit a recta iustitia, & veritate. Ideo benedicta sit eadem tua frõs & regali, ac triumphali gloria perpetuo collaudetur ab omnibus creaturis. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia tuis fulgentibus oculis pietatis benigne respicis omnes qui a te cum vera charitate gratiam, & misericordiam postulant. Ideo benedicti sint oculi tui, palpebræ, & gloriosa supercilia tua, totusq; visus tuus amabilis, & decorus incessanter glorificetur ab omni cœlesti exercitu ciuium supernorum. Amẽ. Domine mi Iesu Christe, quia auribus tuis benignis, libenter audis, & exaudis omnes, qui te humiliter alloquuntur, ideo benedictæ sint illæ aures tuæ, & æternaliter omni repleantur honore. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia benedictæ nares tuæ suauissimæ, non horruerunt fœtorem putridi cadaueris mortui Lazari, neq; etiam fœtorem horridum, qui spiritualiter a proditore Iuda processit quando te osculabatur. Idcirco benedictæ sint nares tuæ preciosæ, & odor suauitatis, & laudis eis ab omnibus æternaliter impendatur. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia tuo ore, & labijs tuis benedictis, ad nostram corporalem, & spiritualem salutem, & instructionem fidei, verba vitæ, & doctrinæ sæpissime prædicasti. Ideo benedictum sit reuerendum os tuum, & labia tua pro omni verbo quod ab eis processit. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia dentibus tuis mundissimis ad sustentationem tui benedicti corporis cibum corporalem moderatissime masticasti. Ideo benedicantur, & honorentur dentes tui, ab omnibus creaturis tuis. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia lingua tua nunquam mouebatur ad loquendum, neq; silebat nisi iuste, & vtiliter quantum erat prærordinatum in tua diuinitate. Idcirco benedicta sit eadem lingua tua. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia secundum tuam ætatem, barbam speciosam in tua facie decora decenter portasti. Ideo sempiternæ veneretur, & adoretur barba tua venerabilis. Amen. Domine mi Iesu Christe. Benedictum sit guttur tuum, stomachus, ac viscera, & omnia interiora tua sacra perpetuo honorentur, pro eo quod corpus tuum preciosum, suo debito ordine decenter nutrierunt, & vitam tuã corporalem perfecte sustentauerunt ad animarum redemptionem, & lætitiam Angelorum. Amen. Domine mi Iesu Christe, qui digne ab omnibus appellaris dux, quia crucis onustam sarcinam tuis sanctis humeris, & collo portasti, antequam inferni potestas potenter constringeres, animasq; electorum ad cœlos reduceres. Idcirco tuo benedicto collo, & humeris, qui talia sustinuerunt, sit honor, & gloria æternaliter sine fine. Amen. Domine mi Iesu Christe, quia benedictum cor tuum regale, & magnificum nunquam tormentis, nec terroribus, seu blanditijs flecti potuit a defensione regni tui veritatis, & iustitiæ, nec tuo sanguini dignissimo in aliquo pepercisti, sed magnifico corde pro iustitia, & lege fideliter decertasti, legisque præcepta, & perfectionis consilia amicis, & inimicis tuis intrepide prædicasti. Et pro defensione ipsorum cum tuis sanctis sequacibus moriendo in prælio victoriam obtinuisti. Idcirco dignum est, vt inuictum cor tuum in Cœlo, & in terra semper magnificetur, & a cunctis creaturis, & militibus triumphali

phali honore incessanter laudetur. Amen. Domine mi Iesu Christe, extrenui milites, & fideles seruitores huius sæculi, vitam suã morti libenter exponunt in bello, vt eorũ Domini suæ vitæ gaudeant sospitate, sed tu ò bone domine mi ad mortem crucis velociter festinasti ne serui tui miserabiliter interirent. Propter quod iustum est, vt gloriosum, & intrepidum pectus tuum a cunctis seruis tuis, quos taliter liberasti, & ab omnibus alijs æternaliter adoretur, ac etiam ab Angelicis choris humiliter collaudetur. Amen. Domine mi Iesu Christe, qui venerandis manibus, & brachijs tuis vires Sansonis mirabiliter excessisti, dum ea ligno crucis affigi patienter sustinuisti. Et sic ab inferno amicos tuos violenter rapuisti. Idcirco eisdem membris tuis ab omnibus quos redemisti exhibeatur incessabilis reuerentia, laus æternaliter, & gloria sempiterna. Amen. Domine mi Iesu Christe benedicantur, & honorentur in æternum preciosæ costæ tuæ, & tergum tuum, a cunctis hominibus spiritualibus, & terrenis laboribus insudantibus, pro eo, quod ab infantia tua vsque ad mortẽ pro redemptione nostra incessanter laborasti, & peccata nostra cum magno onere, & dolore tuo dorso portasti. Amen. Domine mi Iesu Christe summa puritas, & vera munditia, benedicantur innocentissimi lũbi tui, & laudentur super omnem Angelicam munditiam, quæ est in cœlo, & super omnium puritatem, qui castitatem, & virginitatem seruauerunt in mundo. Quia omnium castitas, & virginitas tua munditiæ, & puritati nequeunt comparari. Amẽ.

Domine mi Iesu Christe venerentur, & humiliter honorentur ab omnibus creaturis cœli, & terræ genua tua cum poplicibus & tibijs tuis super omnes, qui coram dominis, & magistris suis genua flectendo reuerentiam exhibent, & honorem, quia tu dominus omnium ante discipulos tuos genua flectebas cum omni humilitate. Amen. Domine mi Iesu Christe magister bone benedicantur, & perenniter adorentur pedes tui beatissimi, quia cum magno dolore tuo asperiorem viam quam alios docuisti tu in hoc mundo discalciatis pedibus ambulasti. Et in finem pro nobis eos duris clauis cruci affigi permisisti. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN ISTA ORATIONE

quæ diuinitus fuit reuelata Beatæ Brigittæ deuotissime, & pulchre laudantur omnia membra Gloriosi corporis Virginis Mariæ, & virtuosi actus eius corporales.

Oratio quarta.

O Domina mea, vita mea, Regina Cœli, Mater Dei. Quamuis ego certa sum, quod tuum corpus gloriosum a tota cœlesti curia cum canore iubilo incessanter laudatur in cęlis. Tum ego licet indigna persona sim, toto corde meo desidero omnibus tuis membris preciosis laudes, & gratias, quas valeo reddere in terris. Idcirco ò Domina mea Virgo Maria, laudetur cesaries tua cum capillis tuis diademate gloriæ decorata, quia solis iubare clariores sunt. Nam sicut crines capitis computari nequeunt, ita virtutes tuæ innumerabiles existunt. O Domina mea Virgo Maria, frons, & facies tua honestissima super lunæ albedinem collaudentur, quia nullus fidelis in hoc tenebroso mundo te aspiciebat, qui non aliquam consolationem spiritualem a tua visione sibi infundi sentiebat. Benedicta sis tu domina mea Virgo Maria, cuius supercilia cum palpebris claritatis nitore radios solares excedunt. Benedicti sint oculi tui pudicissimi ò Domina mea Virgo Maria, qui nihil concupiebant de rebus transitorijs, quas in hoc mundo videbant, quia quotiescunque oculos tuos leuabas, eorum aspectus stellarum excellebat nitorem coram tota cœlesti curia. O domina mea Virgo Maria, collaudentur maxillę tuę beatissimę super auroræ pulchritudinem, quę pulcherrimę cum colore rubeo, & candido exoritur. Sic & maxillę tuæ speciosę dum in hoc mundo fuisti corã Deo & Angelis claritatis nitore fulgebant, quia illas nunquam pro mundana pompa, vel vana gloria ostendisti. O Domina mea Virgo Maria venerentur, & honorentur aures tuæ honestissimæ super omnes vires maris, & omnium aquarum motum, quia contra omnem fluxum immundiciæ mundani auditus, semper ipse aures tuæ viriliter militabant. O Virgo Maria Dominatrix mea glorietur nasus tuus suauissimus, qui ex virtute Spiritus sancti nunquam anhelitum attraxit, vel emisit, quin tota cogitatio tua semper esset apud

altis-

altissimum. Et quamuis aliquando dormiebas, voluntatem tamen tuam ab eo nunquam mutabas. Sit igitur semper odor suauitatis, laudis, & honoris eidem naso tuo, cum naribus tuis beatissimis super cõmixtionem odoriferam omnium aromatũ, & omnium herbarum, quæ delectabilem fragrantiam de se solent emittere. O Domina mea Virgo Maria, laudetur lingua tua Deo, & Angelis gratissima, super omnes arbores fructiferas. Nam omne verbum, quod lingua tua protulit, nulli personæ vnquam nocuit, sed in aliquius commodum semper venit. Erat enim ipsa lingua tua prudentissima, omnibus dulcior ad audiendum, quam aliquis dulcissimus fructus ad gustandum. O Regina, & domina mea Virgo Maria, laudetur os tuum benedictum cum labijs tuis, super rosarum, & omnium florum amenitatem, & specialiter pro illo tuo benedicto verbo humillimo, quod eodem ore tuo precioso, Angelo Dei respondisti, quando ipse Deus suam voluntatem, quam per prophetas prædixerat per te in mundo voluit adimplere, cuius virtute potentiam dæmonum in inferno diminuisti, & Angelorum choros in cœlo honorifice restaurasti. O Virgo Maria domina & consolatio mea, honoretur perpetue collum tuum cum humeris tuis, & tergo tuo, super omnium liliorum venustatem. Quia nunquam dicta membra tua inclinasti, nisi propter aliquid vtile, vel honoris Dei, nec etiam erexisti. Nam sicut lilium ad flatum ventorum motum facit, & inclinationem, ita omnia membra tua mouebantur ad Spiritus sancti infusionem. O domina mea, virtus mea, & dulcedo mea, benedicantur brachia tua sanctissima cum manibus, & digitis tuis, & æternaliter honorentur super omnes gemmas preciosas, quæ tuis virtuosis operibus cõparantur, quia sicut virtuosa opera tua filiũ Dei ad te alliciebant, sic & brachia, & manus tuæ ipsum materno amoris amplexu dulciter stringebant. O domina mea, & illuminatio mea, benedicta sint vbera tua sacratissima, super omnes dulcissimos fontes aquarum. Quia sicut aqua ipsorum scaturiens præbet solamen, & sitientibus refectionem, sic tua sacra vbera filium Dei lactando, præbuerunt nobis indigentibus medicinam, & consolationem. O domina mea Virgo Maria, Benedictum sit pectus tuum preciosissimum super aurum purissimum, quia quando sub cruce filij tui tota dolorosa stetisti, tunc gloriosum pectus tuũ ex sonitu malleorum quasi in duro prelo acerrime stringi sensisti. Et quamuis filium tuum cordialiter diligebas, maluisti tamen illam pœnam amarissimam sustinere, vt scilicet ipse pro animabus redimendis moreretur, quam quod ipsis perditis mors illa ab eo euitaretur. Et sic tu in virtute constantiæ firmissima perstitisti, quando in omni aduersitate voluntati diuinæ te totaliter conformasti. O domina mea lætitia cordis mei Virgo Maria, glorificetur, & veneretur cor tuum Reuerendissimum, quod ad Dei honorem ita ardentissimum erat super omnes creaturas Cœli, & terræ, quod flamma charitatis eius in cœlorum celsitudinem ad Deum Patrem conscendit, propter quod Dei filius a Patre cum Spiritus sancti feruore in vterum tuum gloriosum descendit. Qui tamen a patre separatus non extitit, quamuis secundum Dei præordinationem in tuis virgineis visceribus humanatus honestissime fuit. O domina mea fœcundissima, & virginissima Virgo Maria, benedictus sit venter tuus beatissimus, super omnes agros fructifere germinantes. Quia sicut semen quod cecidit in terram bonam de se fructum affert possessori centesimum, sic venter tuus Virgo, & fecundissimus, benedictum fructum Deo Patri attulit, plus quàm millesimum. Et sicut ex fertili abundantia fructus agri dominus gloriatur, ac etiam auiculæ, & animalia delectanter pascuntur, sic ex benedicto fructu fertili agelli ventris tui, summe Deus in Cœlo honoratur, Angeli gratulantur, & homines in terra largiflue sustentantur, & viuunt. O Dominæ mea Virgo prudentissima laudentur æternaliter pedes tui sacratissimi super omnes radices incessanter fructum afferentes. Sic itaq; sint pedes tui benedicti, qui Dei filium Gloriosum fructum dulcissimum in tuo corpore portabant inclusum, tuo corpore incorrupto existente, & virginitate tua illæsa semper permanente. O quam honeste incedebant pedes tui sacratissimi. Vere de quolibet eorum vestigio Rex Cœlestis consolatus extitit, & tota curia cęlica gauisa, & iucundissima fuit. O domina mea Virgo Maria mater omnium Deus Pater simul cum Filio, & Spiritu sancto in sua incomprehensibili maiestate, æternaliter collaudetur pro cella illa Sacratissima totius corporis tui, in quo Dei filius suauissime requieuit, quem totus Angelorum exercitus collaudat in Cęlis, totaq; Ecclesia veneranter adorat in terris. O tu etiã domine meus, rex meus, & Deus meus, sit tibi perpetuus honor' perẽnis laus, benedictio, & gloria cum infinita gratiarũ actione, qui illam tam dignissimam, & honestis-

ſtiſſimam Virginem creaſti, & eam tibi in Matrem tuam elegiſti pro omnibus qui in Cœlo, & in terra quomodolibet conſolati fuerunt. Atque pro his qui in purgatorio per eam adiutorium, & ſolamen habuerunt. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate ſpiritu ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit orationes Beatæ Brigittæ diuinitus reuelatæ.

INCIPIT PROLOGVS IN REVELATIONES cæleſtes quæ communiter extrauagantes appellantur.

POſtquam Dominus Alphonſus quondam Epiſcopus Giennenſis, & poſtea eremita probatiſſimus, ex præcepto Chriſti reuelationes cœleſtes factas Sanctæ Brigittæ de Regno Sueciæ in libros diſtinxiſſet, dominus Petrus prior Aluaſtri ipſarum reuelationum primus conſcriptor aliquas alias reuelationes extra libros originales prætermiſſas, redegit ſeorſum in cedulas, & ſexternos. Quas in præſentia reuerendi Patris beatæ memoriæ domini Nicolai tūc temporis Epiſcopi Lincopenſis, aliorumque plurimorum dominorum ſæcularium, & Eccleſiaſticorum, tradidit fratribus primitiuis monaſterij Vvatzſtenen. Affirmans in verbo veritatis, reuelationes illas, & plures alias quas in ſuo monaſterio Aluaſtri repoſitas habebat, Beatæ Brigittæ diuinitus reuelatas, & per ſe ab ore eius trāſlatas fideliter, & conſcriptas. Quarum reuelationum aliquæ propter conuenientiam quā habent ad reuelationes in libros originalibus contentas, tanquam declarationes earundem, & additiones, diligenti prȩhabita diſcuſſione ipſis originalibus libris hic inde pio conamine ſunt inſertæ. Reliquæ vero ſtudioſe in vnum recollectȩ volumen, patebunt numero, & ordine infraſcriptis. Et quamuis reuelationes iſtæ ab aliquibus extrauagantes nuncupentur, eo quod ipſis libris originalibus reuelationum Cœleſtium a principio non iunguntur, piæ tamen ab eodem fonte ſapientiæ Dei quo, & aliæ, vnde accipimus omnes creduntur veraciter emanaſſe. Verum quia diſtarum reuelationum extrauagantium, quamplures concernunt regulā Sancti Saluatoris, vel in toto, vel in aliqua ſui parte. Idcirco in præſenti tractatulo tanquam ipſi regulæ viciniores cæteris præferuntur. Cæteræ autem diuerſis hominum ſtatibus abuſiones, & vitia diſuadentes, morum quoque, ac virtutum exempla præbentes vſque ad finem libri propenſius ſubſequuntur. Harum autem reuelationum veritas, quod diuinitus reuelatæ ſint, in atteſtationibus Domini Prioris Petri, & Beatæ Catherinæ Sanctæ Brigittæ filiæ pro canonizatione ſæpe dictæ Sanctæ Brigittæ factis, pro maiori parte euidenter patebit cuilibet, ipſas atteſtationes fideliter intuenti.

Explicit Prologus. Incipiunt capitula.

Digitized by Google

CIRCA SECVNDVM CAPVT Regulæ Sancti Saluatoris. Christus præcipit Scriptori Regulæ exponere gradus veræ humilitatis, vt discant Filiæ matris suæ &c.

CAPVT PRIMVM

CHRISTVS loquitur. Qui habet vas pulchrum, & dicit in eo esse species odoriferas, quis credit, aut quę vtilitas est nisi explicet eas, & ostendat earum genera, & virtutes. Sic est de virtutibus. Aliquis prædicabat, humilitas est virtus. Quid confert audienti, nisi ostendantur eius radices, & gradus, & quomodo acquiratur, & teneatur, propterea, quia humilitas est virtus perfecta, quam ego in meipso ostendi, ideo confessor tuus paucioribus verbis exponat gradus humilitatis, quos didicit in regula benedicti mei, vt discant Filiæ Matris meæ principium virtutum, in quo stabiliant ædificata sua construenda.

CIRCA III. ET IIII. CAPIT. Regulæ Sancti Saluatoris, priori Petro dubitanti an aliqua addenda essent super lectisternijs, vel indumentis, præcipit Christus, quod addat vtilia, & necessaria.

CAP. II.

FIlius Dei loquitur. Cur frater ignorat ponenda, & construenda. Nonne ego ostendi tibi per te, quod famulus meus Benedictus, habuit corpus suum quasi saccum, & qualis esse debeat habitus benedicti: Ideo propter infirmorum imbecillitatem, ponat ipse vtilia, & necessaria; sed nulla superflua, & tolerandum erit. Quibus ego dedero gratiam maioris abstinentiæ, moderabunt frigus secundum calorem interiorem.

CIRCA CAP. QVINTVM Regulæ Sancti Saluatoris, scilicet de horis Officio Diuino, & cantu, &c. Christus comparat humanam naturam Vrbi obsessæ, quam pauper, scilicet Sanctissima Virgo Maria liberauit per sapientiam suam, describendo pauperes spiritu, a pauperibus rebus, & non spiritu. Dicitque quod cantus fratrum in monasterio suo debet antecedere cantum sororum, & quod ipse sorores aliqualiter morosius quam fratres, seruatis temporibus debent suum cantum moderare.

CAP. III.

SCriptura quam vos dicitis Bibliam, & nos vocamus auream, dicit, quod vrbem per potentem obsessam, liberauit pauper per sapientiam suam, cuius pauperis postea nemo recordatus est. Hæc vrbs humana creatura est, quam diabolus in quadro obsedit, quia quadruplici pec-

peccato obsedit hominem, scilicet per inobedientiam diuini præcepti. Per transgressionem naturalis legis. Per cupiditatem noxiam, & per mentis obdurationem. Hanc creaturam quodammodo liberauit Mater mea Sanctissima, quando voluntatem suam totam dimisit in manus meas, & maluit omnem tribulationem pati ad hoc, vt animæ saluarentur. Hæc enim vera est diuina sapientia, totum Deo committere velle suum, & posse, & etiam in contrarijs propter Deum delectari. Propter hanc igitur voluntatem, ego Deus ab æterno Filius Dei factus sum homo in Virgine, cuius cor erat quasi cor meum. Et ideo bene dicere possum, quod Mater mea, & ego quasi cum vno corde saluauimus hominem, ego patiendo corde, & carne ipsa cordis dolore, & amore. Hæc inquam Virgo vere pauper erat, quia nihil desiderabat de diuitijs mundi, cuius, & spiritui minimum non adhæsit peccatum. Quidam pauperes sunt rebus, sed spiritu pleni, idest cupiditate, & superbia, hi non sunt pauperes, quos ego in Euangelio meo designaui. Alij sunt diuites diuitijs, sed spiritu vacui. Hi sunt, qui se cinerem esse considerant, & morituros, qui desiderant esse cum Deo, & propter solam necessitatem, & proximi vtilitatem habent diuitias. Hi sunt vere pauperes, sed diuites in Deo, inter quos erat Mater mea. Huius ergo Virginis, & Matris meæ, quasi oblita cum sapientia, & paupertas. quia pauci, & si laudant eam ore, corde tamen toto non clamant ad eam, nec imitantur vestigia charitatis eius. Ideo quia in Ecclesia Dei honor Dei septies in die canitur a pluribus secundum morem patrum priorum. Propterea nunc volo, vt primum fratres psallant horas suas temporibus debitis. Deinde sorores aliquantulum morosius officium suum compleant. Quibus septenarius numerus non præfigitur, secundum cursum solarem, sed prout possunt agant seruatis temporibus quantum possunt. Et hoc ideo constituo ego ipse, qui dictaui regulam, vt sciatur etiam a paganis, qui conuertendi sunt, quanto honore Deus vult honorare Matrem suam. Et quia ipsa caput, & Domina huius monasterij est, per quam & propitiari volo delinquentibus, necnon vt impleatur scriptura, quæ dicit. Laudabo Deum in omni tempore, & in omni vita. Ideo hæc singularis gratia non renuatur, quia singulare bonum non præiudicat generali. Nec ideo consuetudo laudabilis patrum improbanda est, sed placitum est mihi vt in alijs Ecclesijs primum legantur horæ de virgine matre mea. Deinde psallantur horæ diei secundum tempora constituta.

CHRISTVS DICIT, quod in cantu sororum ordinis Sancti Saluatoris nulla debet esse curiositas, sed sit cantus laudis sonore, &c.

CAP. IIII.

Filius Dei loquitur. Nunquid non legisti, quod Maria soror Moysi ob singulare Dei in mari rubro factum, egressa est cum virginibus, & mulieribus psallens in tympanis, & cymbalis canticum lætitiæ Deo. Sic filiæ matris meæ egredientur de mari rubro, id est a cupiditate, & complacentia mundiali habentes in manibus operationum suarum tympana, idest, abstinentiam voluptatis carnalis, & cymbala laudis sonore, quarum cantus non sit remissus, non fractus, non dissolutus, sed honestus, & grauis, & vniformis, & per omnia humilis, imitenturque illorum cãtum, qui Carthusienses vocantur, quorum psalmodia plus redolet suauitatem mentis, humilitatemque, & deuotionem quam aliquam ostentationem. Nam non vacat a culpa animus quando cantantem plus delectat nota, quam res quæ canitur, omnimoq; abominabile est Deo, quando vocis eleuatio plus fit propter audientes, quam propter Deum.

QVANTVM PLACVIT DEO Magister Petrus in celebrando missam, & dictando cantum sororum Sancti Saluatoris, patet ex sequenti reuelatione.

CAP. V.

Quadam die dum Beatæ memoriæ Dominus Petrus confessor Sanctæ Brigittæ celebrauerat Missam in capella coram illa. Dixit Deus Pater ad sponsam Filij sui. Licet paucæ personæ in mundo personaliter interfuerunt isti missæ, tamen omnis cœlestis exercitus, & omnes animæ in

in purgatorio consolabantur ab illa. Item dic eidem presbytero, quod faciat stare illum hymnum. Sponsæ iungendo filio, &c. sicut posuit illum, quia cum sancta Ecclesia vocat omnes animas sponsas filij mei, multo magis potest anima Mariæ vocari sponsa eius.

VIRGO MARIA NARRAT hic, quam dilectus erat Deo, & sibi Magister Petrus Confessor Sanctæ Brigittæ, & commendat cantum sororum Sancti Saluatoris.

CAP. VI.

MATER DEI loquitur sponsæ Christi. Magister tuus habuit vulnus de talioquente contra Deum, quam quia pro charitate Dei obtinuit, nolumus illud curare, sed magis emplastrum apponi, vt dilatetur. Dic insuper magistro tuo, qui Sanctam Trinitatem diligit in omni virtute sua, quod ego intantum promoui eum in charitate eiusdem Sanctæ Trinitatis, quod ipse est vnus de sacerdotibus, quod Deus maxime diligit in mundo propter quod dabatur ei illum cantum dictare, qui est aurum quod erit multis in solatium.

MATER DEI OSTENDIT Beatæ Brigittæ quam acceptus est Deo, & sibi cantus sororum ordinis Sancti Saluatoris.

CAP. VII.

DIC ILLI, QVI scribit cantum, & laudem meam, non propter laudem suam &c. Require in quarto libro, capit. trigesimosecundo.

CHRISTVS PRAECIPIT sponsæ ire Romam, & mansit ibi xv. annis in magnis tribulationibus. Sed per Christum, & Virginem Mariam consolata est. Et quomodo institutus est cantus. Aue Maris stella cantandus in ordine Sancti Saluatoris post vesperas fratrum.

CAP. VIII.

CHRISTVS loquitur sponsæ existenti in monasterio Aluastri dicens. Vade Romam, & manebis ibi, donec videas Papam, & Imperatorem, & illis loqueris ex parte mea verba quæ tibi dicturus sum. Venit igitur sponsa Christi Romam, Anno ætatis suæ 42. & mansit ibi iuxta diuinum præceptum 15. annis antequam veniret Papa, videlicet Vrbanus Quintus, & Imperator Carolus Boemus. Quibus obtulit reuelationes, pro reformatione Ecclesiæ, & regulam. In illis siquidem 15. annis, quibus mansit Romæ ante aduentum Summi Pontificis, & Imperatoris, habuit multas reuelationes de statu Vrbis, in quibus arguebat Dominus noster Iesus Christus excessus, & peccata inhabitantium vrbem, cum graui comminatione vindictæ. Quæ reuelationes ad notitiam inhabitantium Romanam Vrbem deductæ, feralis odij contra Beatam Brigittam fomentum ministrabant. Vnde quidam eorum minabantur eam viuam incendere. Alij eam erroneam, & phitonissam blasphemabant. Ipsa vero Beata Brigitta patiens sufferebat minas, & opprobria eorum. Sed timebat, quod familia sua, & alij de cognatis, & amicis eius Romæ secum stantes, his tribulationibus, & opprobrijs scandalizati deficerent. Deliberauitq; ad tempus cedere furori malignantium, nec præsumebat alicubi diuertere, sine speciali præcepto Christi. Quia per 28. annos postquam recessit a patria sua nunquam ad aliquas ciuitates, seu prouincias, aut alia loca sanctorum diuertebat, sine imperio Christi. Vnde Beatę Brigittæ in orationibus suis, responsum diuinum super his præstolanti, dixit Christus. Tu desideras scire voluntatem meam, an debeas hic Romæ remanere, vbi plurimi inuidentes tibi, machinantur in mortem tuam, vel cedere eorum malitiæ ad tempus ad. Respondeo tibi, quod quando me habes, nullum timere debes. Ego brachio

potentiæ meæ refrenabo maliciam eorum, vt tibi nocere non valeant. Et quamuis ex permissione mea inimici mei crucifixerunt me, tibi autem nocere, vel occidere nullatenus præualebunt. Item tunc temporis etiam apparuit ei Gloriosa Virgo Maria dicens. Filius meus potens super omnes homines, & dæmones, & super omnem aliam creaturam inuisibiliter restringit omnem conatum malitiæ eorum. Et ego ero scutum protectionis tuæ & tuorum, contra omnes inimicorum spiritualium, & corporalium incursiones. Propterea volo, quod tu, & familia tua conueniatis simul quolibet vespere, ad cantandum hymnum Aue maris stella. Et ego auxilium præbebo in omnibus necessitatibus vestris. Vnde Dominus Petrus Olaui confessor eius per 29. annos, & filia eius domina Catherina Sanctæ memoriæ, instituerunt quotidie cantare in ordine hunc hymnum, asserentes, quod ipsa Beata Brigitta hoc fieri mandauit, ex præcepto eiusdem Virginis Gloriosæ. Quia ipsa Gloriosa Virgo promiserat ordinem istum, a filio suo sibi dedicatum, speciali gratia velle protegere, & benedictionibus dulcedinis Spiritus sancti confouere.

CHRISTVS DICIT qualiter sorores, & fratres omni sexta feria debent legere Septem Psalmos.

CAP. IX.

FILIVS DEI loquitur. Qualibet sexta feria debent sorores circuire ambitus suos, legendo Septem Psalmos, quibus finitis intrabunt chorum suum, & flexis genibus legant Letanias. Similiter faciant fratres, circumeundo ambitus suos.

CHRISTVS DICIT quare organa nullatenus habenda sunt, in monasterijs ordinis Sancti Saluatoris.

CAP. X.

CHRISTVS loquitur. Filij Israel, quia carnales erant, & in vmbra legis seruiebant multa habebant, quibus ad deuotionem excitabantur. Habebant quippe tubas, & organa, & citharas, quibus accendebantur ad laudem Dei. Habebant & cerimonias, & mandata, quibus illuminabantur ad cultum Dei. Legem quoque acceperunt, & iudicia quibus refrenabantur a vitijs, & dirigebantur ad agenda. Sed quia nunc venit veritas ipsa præsignata in figuris, scilicet ego ipse verus Deus, dignum est, vt in veritate, & toto corde mihi seruiatur. Ergo quamuis bonum, & suaue est audire organa, nec bonis moribus est contrariū, nullatenus tamen in monasterio Matris meæ habeantur. Quia ibi debet esse certa deductio temporum, grauitas cantuum, puritas mentium, cultus silentij, continuatio verbi diuini, & præ omnibus humilitas vera, & obedientia sine mora.

CIRCA CAPITVLVM vj. & vij. & viij. Regulæ Sancti Saluatoris, Christus dicit quomodo Abbatissa breuiter loqui potest in monasterio cum artificibus, & pro quibus causis possunt Abbatissa, vel sorores, & confessor, seu fratres exire extra claustrum.

CAP. XI.

FILIVS DEI loquitur. Abbatissa loqui poterit in monasterio breuiter cum artificibus quando emendanda sunt ruinosa, vel aliqua de nouo facienda. Sed nunquam aliter loqui potest in monasterio cum secularibus nisi ad crates. Nec vnquam ipsa exire poterit, vel aliqua sororum, nisi forte quando nouum monasterium construendum est. Tunc sorores maturas emittent, Abbatissa confessor, & conuentus. Confessor vero exire poterit cum socio pro constitutione regulæ, & regularibus disciplinis, cum superioribus instituendis. Item pro sedando scandalo, & infamia monasterij si contigerit quod absit, aut pro hæreticis si necesse fuerit confutandis. Item exire poterit, si pro vtilitate Ecclesiæ sanctæ a prælatis vocatus fuerit, aut cum talia negocia occurrunt, quæ per procuratores monasterij conuenienter emendari non possunt.

DE-

DE VOTA DOCTRINA per quam instruitur Abbatissa cum sororibus, & confessor cum fratribus ordinis Sancti Saluatoris. Tempus quod est inter horas diebus festis, discrete peragere.

CAP. XII.

IN diebus festis Abbatissa ostendat sororibus statum domus, & redditunm, difficultatesque imminentes, legatque eis aliqua capitula regulæ, & vbi dimiserit sequenti festo incipiat donec completa sit, ne qua se excuset de regulæ ignorantia. Habeatque cum eis colloquia ædificatoria, & admonitiones de excessibus quos videt. Post hæc permittat eis habere priuata colloquia, aut in viridarium introire. Similiter & sacerdotes sint in lectura, collatione, studio, sicut alijs diebus, nisi forte confessor de statu domus, & negocijs occurrentibus, aut consilio dando exquisierit eos. Alias si volunt ex licentia confessoris possunt solaciando spaciari.

CIRCA CAPITVLVM nonum Regulæ S. Saluatoris, scilicet de ieiunio, dicit Christus, quod plus placet sibi humilitas, & discretio, quam ieiunium indiscretũ. & qualiter permissum est ieiunantibus in pane, & aqua comedere legumina.

CAP. XIII.

FILIVS DEI loquitur. Licet Mater mea perfectissimam habuit abstinentiam, sic tamen discrete gubernauit corpus suum, vt non frangeretur aliqua superfluitate, & violentia. Et licet Pharisei, & multi adhuc religiosorum non vtantur vino, propter hoc tamen non appropinquant mihi, quia non habent fundamentum continentiæ, scilicet humilitatem, & discretionem. Ideo cum sublimiora aliqua proponuntur, vel præcipiuntur, ponderanda, & discutienda sunt ab infirmis, ne non faciant quantum volunt, sed quid expedit, & quid licet. Ecce enim ieiunare in pane, & aqua sanis est bonum, sed non est summum bonum. Summum bonum est charitas, sine qua non est salus. Sine ieiunio vero panis, & aquæ omnis saluari potest, si adsit perfectio fidei, & discretionis, & iusta causa. Ergo quia tempora mutata sunt, loca frigida, corda tepida, & vasa debilia. Ideo locator palmitum mitigare poterit aspera, & arrida succis irrigare. Hoc est sic intelligendum, quod permissum est ieiunantibus in pane, & aqua, posse comedere legumina, & aquam coctam bibere. Nam aridus est panis, & arctus sine leguminibus. Et aspera, & frigida est aqua, nisi coquatur more tysane, aut in ordeo excolatur. *vide in [illegible] cap. XXXVII. et cap. LVIII. et cap. LX. LXV.*

CHRISTVS DISTINGVENS tres gradus peccatorum, dicit quod in noua regula quam ipse dictauit, scilicet ordinis Sancti Saluatoris, omnis charitas, humilitas, & discretio est attendenda.

CAP. XIIII.

FIlius Dei loquitur. Omnis lex diuina ordinatur, aut propter audaciam transgredientium comprimendam, aut propter petulantiam lasciuientium restringendam, seu propter cognitionem faciendorum, vel omittendorum. Igitur in omni lege si peccat quis ex infirmitate, & necessitate importabili, dispensationem accipit. Qui vero nolens, & ex nulla deliberatione peccat, iudicatur leuius. Qui vero ex industria, seu assiduitate nullam recipit excusationem. Simile est de discipulis meis, quia quando in carne conuersabar, confricantes grana die sabbathi, & comedentes, iudicabantur ab hyppocritis Iudæorum, quos ego quorum noui simplicitatem, & infirmitatem excusaui, allegando exemplum Dauid, qui in necessitate via comedit panes sacerdotum, quod in lege laicis prohibebatur. Nunc autem ego ipse Deus, nouam regulam a me formatam misi amicis meis, in qua omnis charitas, & humilitas, & discretio attendenda est. Cõpassio quoque infirmorum, & sanorum habenda est, quia omnis lex quę in charitate, & humilitate, & discretione non perficit ut laudem non meretur. Ergo licet dixi in regula omnes sanos ieiunare debere statutis temporibus, tamen etiam eis dispensa-

tio negari non debet, si subita in eis mutatio acciderit, & infirmitas, aut tempus laboris compassionem requirit. Quod quidem sit in manu Abbatissæ, & confessoris, & in moderatione eius, cui præceptū est ordinare, quoties sanis expedit frangere ieiunia, & recipere recreationem. Dispensandum est igitur cum minutis defectuosis, subita infirmitate arreptis, & labore nimio fatigatis.

QVOD BALNEA NON debent prohiberi etiam sanis personis Ordinis Sancti Saluatoris, certis causis, & temporibus.

CAP. XV.

Filius Dei loquitur. Legis doctores, & Sacerdotes calumniabātur discipulos meos, quia manducauerunt non lotis manibus, quibus ego respondi, non prodesse lotionem carnis, vbi cor immundum est. Ergo cor mundum acceptabile est Deo, nec obest lotio, & cura carnis, si causa iusta sit, & rationabilis. Ideo prohiberi non debent balneā, etiam sanis certis causis, & temporibus, quia etiam sanitas seruanda est, vt dona debilitentur. Balnea ergo habeantur quoties expedit infirmis. Sanis vero semel in mense, vel in duabus septimanis, si expedit saluti.

CIRCA DECIMVM Capitulum Regulæ Sancti Saluatoris, scilicet de modo probationis, receptionis, & consecrationis personarum, &c.

CAP. XVI.

Filius Dei loquitur. Dixi tibi prius de anno probationis habendo. Hoc considerare debes de personis, quarum vita, & conuersatio minus probata, & nota est. Ideo permitto, quod si aliqua quæ suscipi petit ad religionem, tantæ auctoritatis, & grauitatis est, quod non timetur quasi de inconstantia, & instabilitate eius, & quæ nouit discernere tentationes carnis, & insidias diaboli, cuius & ætas & probata est, talis sociari potest congregationi circa annum dimidium vel sic, proposita ei prius austeritate regulæ, & eius institutis, vt sciat ad quid venit.

PVLCHRA DOCTRINA per quam virgines immo etiam alij volentes profiteri regulam Sancti Saluatoris, se disponere, & gerere debeāt in obseruantijs regularibus.

CAP. XVII.

Qvæcunque sponsæ Dei esse, vel fieri desiderant. Feruentius laborare tenentur ad perfectionem voluntatis Dei, quam pro suis vsibus, vel pro suarum impletione voluntatum. Hæ debent esse sicut sponsæ longe distantes a possessionibus suis, & sunt in itinere hospitarique debent in patrimonio sponsi. Possessio earum est libertas corporis, & mundana conuersatio, cum omnibus sibi attinentibus a quibus tota voluntate se debeant irremediabiliter separare. Debent etiam indui vestibus nuptialibus, scilicet humilitate, patientia, & obedientia, quæ ornant animam, & pulchrificant coram Deo. Debent etiam surgere, & procedere, vt appareant coram sponso, & inuitatis ab eo. O quam honeste, & morigerose oportet eas in conspectu intuentium eas, cum verbis, & moribus incedere cū inuitari ad nuptias intuentes eas, sunt scilicet Virgo Maria Mater Dei cum toto cœlesti exercitu. Sponsus vero desiderās eas est verus Deus, rex regum, & Dominus dominantium, potensque super omnia creata. Tunc enim surrexerunt, quando confessionem suam cum discreta conditione fecerunt, & cum vera humilitate, & voluntate vlterius non peccandi. Sed tunc processerunt quando omnia mundialia sponte reliquerunt, nihil ex eis possidere curantes, sed nec liberam suam propriam voluntatem habere curantes. Tunc vero cum sponso suo sunt consecratæ, quando promittunt se regulam, & professionem suam inuiolabiliter obseruare. Et tunc securam, & rectam viam vadunt ad thalamum sponsi, quando regulam, & professionem suam prout poterunt seruant. Facta vero professione incipit primus dies nuptiarum, & terminatur quando anima de corpore egredietur. Ideo oportet eas istum diem cum

cum tribus expendere, scilicet discreto timore, deuoto gaudio, & feruenti charitate.

CIRCA CAPITVLVM duodecimum Regulæ Sancti Saluatoris, quod est de horis fratrum, & de numero tam sororum, quam fratrum.

CAP. XVIII.

IESVS CHRISTVS filius Dei loquitur. Scriptura aurea dicit, quod ad ornamentum tabernaculi in heremo, quidam offerebant aurum, & argentum, & lapides preciosos. Alij pelles, & pilos capratum pro tentorijs, & omnia oblata placita erãt Deo, secundum dispositionem, & voluntatem offerentis. Sic est de orationibus, & lecturis fidelium, quidam suspensi ab amore mundi, offerunt Deo cor mundissimum, quasi aurum obrizum. Alij inflammati spiritu diuinæ sapientiæ, loquuntur, & cantant verba diuinæ sapientiæ, quæ sunt quasi aurum examinatum. Alij vix sciunt Pater noster, tamen ex contrito corde, & pœnitentiæ operibus offerunt Deo in fide perfecta modicum, quod sciunt, & possunt quasi pilos caprarum. Omnes isti placent mihi in orationibus suis, si intentio, & voluntas est bona. Ideo quia sacerdotibus ætate prouectis difficile est assueta relinquere, & nouis assuescere, permittitur eis cathedralis Ecclesiæ, in cuius diocesi situm est monasterium cantare officium. Sorores vero officium institutum, nullatenus immutabunt.

CVM BEATA BRIGITTA sollicitaretur de personis ordinem Sancti Saluatoris ingressuris audiuit a Beata Virgine, quod essent prouisæ a Deo. Et quod aliqui eorum fierent rebelles verbis Christi.

CAP. XIX.

CVm semel sponsa Christi staret in oratione, incidit ei cogitatio de statu futuræ huius religionis, quomodo tot personæ vtriusque sexus possent inueniri. Cui apparens Mater Dei dixit. Filia tu sollicita es pro personis, in futurum hanc religionem ingressuris. Scias, quod filius meus, qui personaliter regulam istam dictauit, presciit mille personas pro qualibet persona, quam tu scis, & speras hanc religionem ingressuram. Cui sponsa respondit. Domina mea faciliter inueniri possunt mulieres, quæ se subijcient ordini, sed difficile inueniuntur viri, qui se subdere volunt prouisioni mulieris, cum plures regulares scientia inflat, & mundus honoribus diuitijs, & delectationibus eis blanditur. Cui iterum Mater Dei. Venientque vtique illi, qui verba filij mei cum suauitate recipient, & eis vtentur ad commodum animæ suæ, & honorem Dei. Venient etiam alij, qui non minus aduersentur verbis filij mei, & simplici regulæ tibi reuelatæ, quam illi increduli, qui verbis Dei, & Moysi contrariabantur in deserto, interpretantes verba Dei pro sua voluntate. Veruntamen scias, quod verba huius regulæ ad profectum coaptabunt se, & fructificabunt vsque in finem. Nec tu filia, sollicita sis de personis hanc religionem ingressuris. Ipse enim filius meus nouit quos vocabit. & præordine secundum suam voluntatem in opus monasterij huius, quamuis quidam eorum erunt rebelles verbis filij mei, secundum humanam æstimationem suam, simplicitatem verborum præsumptuose paruipendentes, sicut mundi sapientes præsumunt præferre sententias suas aliquando diuinæ voluntati, quibus verum intellectum corrumpunt, & errorem inducunt.

CIRCA DECIMVMQVARTVM Capitulum Regulæ Sancti Saluatoris, scilicet de electione Abbatissæ, &c. Filius Dei distinguens tres gradus hominum sibi summe placentes, vult quod soror de illegitimo thoro nata non eligatur in Abbatissam.

CAP. XX.

FIlius Dei loquitur. Licet filius non portabit iniquitatẽ patris, tamen quia tres ordines sunt, qui mihi summe placent, scilicet virginitas, viduitas, & coniugium. Ideo hi tres ordines, præferẽdi, & honorandi sunt præ omnibus, tum quia magnæ puritatis, & honestatis habent insignia, tum quia Mater mea hos tres ordines in se compleuit.

Fuit enim purissima Virgo in partu, post, & ante partum, fuit & vere Mater, & Virgo, fuit & vidua post ascensionem meam corporali præsentia mea viduata. Propterea cum eligenda est Abbatissa vna quæ est de aliquo istorum ordinum eligatur. Soror vero quæ est de alio genere, quantumcunque continentis, & supereminentis vitæ sit, in Aabatissam non eligatur.

CHRISTVS DICIT, quod Abbatissa debet esse Virgo munda, & probata; atque moribus exemplaris, & quod in defectu huiusmodi Virginis potest assumi in Abbatissam humilis, & probata vidua.

CAP. XXI.

IESVS CHRISTVS loquitur. Pulchra coniunctio est, & decens confederatio, vt Virgo præsit virginibus. Nam inter omnia primatum tenet ipsa munditia carnis, & mentis, de qua & per quam ego *Deus* incarnari volui. Verum, quia *Mater* mea *Virgo* fuit, & *Mater*, sed non ideo *Mater*, quia cognita viro, sed afflata spiritu patris, & mei genuit me verum *Deum*, & hominem. Ideo hic nouus ordo dedicatus est Matri meæ. Et quæcunque debet præesse virginibus eius, necesse est, & laudabile, vt sit Virgo munda, & probata moribus, & virtutibus exemplaris. Si vero Virgo talis in congregatione non fuerit, quæ officium Virginis *Matris* meæ implere potuerit non displicet mihi si onus humilitatis, & prælaturæ assumat humilis, & probatæ vitæ, vidua; quam virgo superba. Ergo si Deo placuerit exaltare humilia, & efferre viduitatem ex necessitate, non derogatur ex hoc laudabili consuetudini virginum, quia Deus omnia humilia exaltare dignatur. Quid enim humilius fuit, & est matre mea? Quid est, quod humilitas perfecta non meretur? Propter humilitatem factus sum ego Deus, & Dei filius verus filius Virginis. Et sine humilitate non est via in Cœlum.

CHRISTVS DICIT cur, & qualiter Abbatissa Ordinis Sancti Saluatoris debet benedici.

CAP. XXII.

CHRISTVS loquitur. Qui habet officium Principis temporalis, tenetur, aliquo signo designari, vt ei ab omnibus obediatur, & honor deferatur. Sic est de Abbatissa, quia ipsa habet officium, & vices *Matris* meæ in terris. Ideo in signum maioris sollicitudinis, & augmentum gratiæ spiritualis. debet ab Episcopo accipere munus benedictionis, vt a cæteris discernatur, & honoretur, non sua assumptione, sed honore mei, & Matris meæ. Benedictio Abbatissæ fiat secundum morem Abbatissarum *Sancti* Benedicti, præter baculum, & annulum, qui prius est benedictus.

CIRCA DECIMVMQVINTVM Capitulum Regulæ Sancti Saluatoris, scilicet quod fratres diuino officio, studio quoque, & orationi vacare debent, &c. Christus ostendit quomodo, & quid prædicandum est populo.

CAP. XXIII.

CHRISTVS loquitur. Qui prædicant veritatem meam, debent habere verba simplicia, & pauca in lectione Sanctarum scripturarum fundata, vt homines venientes de longe capere sufficiant, & non attediantur in prolixitate, & declamatione verborum superfluorum. Nec debent proferre verba contorta more adulantium, nec multiplicare incisiones, & distinctiones capitulorum, seu subtilitates leonitatum, sed omnia moderate iuxta capacitates audientium. Quia quæ populus simplex non intelligit, solet plus mirari, quam ædificari. Ideo si est dominica prædicandũ in ista religione, proponant *Euãgelium* diei, & eius expositiones Biblia, & ista verba mea, & dilectæ *Matris* meæ sanctorumq; meorum, vitas patrum, & miracula Sanctorum, symbolum fidei remedia

dia quoque contra tentationes, & vitia secundum vniuscuiusque capacitatem. Nam Mater mea charissima simplicissima fuit. Petrus idiota; Franciscus rusticus, & tamen plus profecerunt animabus, quam magistri eloquentes, quia perfectam charitatem ad animas habuerunt.

CIRCA VIGESIMVM

Capitulum Regulæ Sancti Saluatoris visio. Qualiter Virgo Maria altercando cum diabolo, iuridice vicit locum Vvatzstena pro fundando in eo monasterio suo. Quem Christus gratijs multis præditum sibi adiudicando donauit.

CAP. XXIIII.

VIdebatur sponsæ, quod esset in lata domo, & magnus ibi exercitus conuenerat. Tunc Beata Virgo dixit ad Regem Cœli. Fili mi da mihi locum istũ Vvatzsten. Mox diabolus affuit, & dixit. Iste locus meus est, ego enim eum possideo triplici iure. Primum est, quod fundatoribus loci istius voluntatem inspiraui ædificandi, & principes huius edificij fuerunt serui mei, & amici. Secundum ius est, quod locus iste locus est pęnarum, & iræ, & amici mei iuxta omnem voluntatẽ meam crudeles, puniebant hic subditos suos absque omni misericordia. Et ideo, quia ego sum dominus pęnarum, & princeps iræ super locum istum, ideo meus est. Tertium ius est, quod locus iste meus fuerat multis annis, & ibi sedes mea est, vbi voluntas mea perficitur. Tunc Beata Virgo dixit iterum ad filium. Fili mi, quæro a te iustitiam si forte aliquis spoliasset alium bonis suis, & pecunia, & faceret eum adhuc super damnum suum ædificare sibi domum proprio labore, & pecunia qua eum spoliauerat, cuius fili mi esset locus ædificatus? Respondit Dominus. Mater inquit dilecta, ille possidet de iure domum, qui possederat pecuniam, & laborem expenderat. Tunc ait Beata Virgo ad diabolum. Ideo tu nihil iustitiæ habes in domo hac. Iterum quæsiuit Beata Virgo a iudice dicens. Fili, & Domine mi. Si in alicuius corde fuerit crudelitas, & iracundia, & intrauerit misericordia, & gratia, quibus competit fugere. Respondit Iudex. Crudelitati, & iracundiæ competit fugere, & cedere misericordiæ. Et Virgo ad diabolum. Ideo inquit tu debes fugere, quia tu es pęnarum dominus, & princeps iracundiæ. Ego autem sum Mater misericordiæ, & Regina Cœli, quia misereor omnium inuocantium me. Tertio quæsiuit Beata Virgo a iudice. Fili mi. Si lictor fuerit in aliqua domo, vel sederit, & dominus suus intrauerit, volens in eadem domo, & sede residere quid faciet lictor? Respondit Iudex. Iustum est, vt lictor surgat, & dominus suus vbi placuerit sedeat. Tunc Virgo ait ad diabolum. Quia tu es lictor filij mei, & ego sum domina super te, iustum est vt fugias, & ego vbi voluero sedeam. Deinde iudex ait ad Virginem. Mater mea tu vicisti locum istum iure debito. Ideo iuste tibi debetur, & ideo eum tibi adiudico. Et ideo sicut in loco isto auditæ sunt lacrymæ, & gemitus miserorum, quorum sanguis, & miseria clamabat ad me de terra, & in auribus meis sonuit, sic nunc vox laudantium te in loco isto, ascendet in aures meas. Et sicut in hoc loco fuerat pęnarum locus, & grauamen terræ, sic nunc colligentur ad locum istum illi, qui postulabunt misericordiam, & indulgentiam viuis, & defunctis, & placabunt me pro statu Regni. Et post hæc adiecit iudex loquens ad Virginem. Mater mea. Inimycus tuus fuerat huius loci dominus longo tempore, sed ammodo eris tu hic domina, & Regina.

CHRISTVS DECLARAT

Sanctæ Brigittæ, quare ciuitas illa Iericho destructa fuit, faciendo quandam similitudinem de loco monasterij Vvatzstena, & inhabitatoribus eius.

CAP. XXV.

CHRISTVS loquitur sponsæ dicens. Quid legisti hodie in libro tuo. Et illa. Legi inquiens, & mirata sum, quod muri Iericho damnati, corruerunt ex sonitu tubarum, & circuitu arce sanctę, ad præceptum tuum. Respondit spiritus. In illa ciuitate, & ex illa ciuitate multa mala facta sunt, & nullus in illa erat, qui mihi placuit. Ideo non merebatur veniã, nec digna fuit, scilicet vt a populo meo in-

inhabitaretur. Verum quia populus meus attritus, & fatigatus in deserto, possessionem promissam accepturus erudiendus prius erat verbis, exemplis, & miraculis. Ideo dispensatio mirabilis, retributioque iusta facta est in ciuitate ista, vt populus eductus mirabiliter de aqua, mirabilia etiam videret in terra. Et sic visis miraculis, Deus amplius insigeretur in cordibus eorum, & ipsi maiora sperare addiscerent, incitarentur. In isto vero loco, quo nunc est afflictio amicorum meorum fuerat habitatio dæmonum. Sed istum locũ mater mea triplici iure obtinuit, scilicet charitate, precibus, & mutatione officiorum futurorum. Cui illa. O inquam Domine non indigneris si loquor. Tu dixisti, quod in domo tua omnis humilitas debet esse. Nunquid ista ædificatio stabit in loco isto? Respondit spiritus. In illa misera Iericho aliqua erant profutura populo meo, quæ purgata prius igne a populo meo inhabitabatur, & idem populus meus labores gentium possedit. Propterea domus hæc de sudore pauperum, pro superbia diuitum ædificata est. Ideo pauperes mei inhabitent eam disponendo omnia superflua, & superba ad solam humilitatem, & vtilitatem. Veruntamen caueatur, vt quod diuina potentia permisit ex causa speciali, non trahatur in exemplum superborum.

CHRISTVS DICIT sponsæ de inobedientia cuiusdam Regis Suetiæ, scilicet in non ... ndo ad Papam pro absolutione peccatorum, & contra paganos, & facit mentionem de ciuitate Iericho, & de loco, & Mona[illegible] zenensi.

CAP. XXVI.

Filius Dei loquitur. Ecce sprevit consilium meum secundum sicut, & primum, & ideo inimici mei intrauerunt loca Matris meæ, & euerterunt, & destruxerunt sicut audisti. Et ideo lapides, & ligna clamant vindictam super regem. Verum quia Deus de malitia hominum fabricat sibi honorem, & vnde diabolus se præualere credit, inde deijcitur, & confunditur. Etenim illa alta ædificia si stetissent, fuissent causa superbiæ posterorum, & exemplum elationis. Si enim ex industria fuissent dirupta, notata fuisset leuitas, & damnum. Nunc ex occasione damni, & malitia hominum, ostendere tibi volo, quomodo Deo chara humilitas ædificari potest ex alta superbia, & inutilis, & sumptuosa eleuatio murorum humilietur. Primum cũ altæ domus, & alta parietum deijciatur eleuatio, tunc erit honor Deo, & consultum inhabitantibus, & exultatio intuentibus, magnumque indicium humilitatis. Sed quomodo hæc fiant hoc sit in manu, & consilio eorum, qui nouerunt structuras exaltare. Item loquitur filius Dei. Dixi tibi prius de Iericho ciuitate, quam similaui loco monasterij huius, & quomodo præparata ædificia starent, & reducerentur ad humilia, & sola necessaria, hæc promisi amicis meis si rex congregasset eos secundum consilium meum. Ideo nunc laborent, qui congregati sunt, & omnia superflua deijciant, & de solis necessarijs, & humilibus contententur, & glorientur.

FILIVS DEI OSTENDIT Beatæ Brigittæ qualiter quidam rex propter peccata sua non erat dignus ædificare sibi domum, scilicet monasterium Vuastzenen.

CAP. XXVII.

FILIVS DEI loquitur. Quia rex iste non quærit calorem meum, sed permanet in frigore, & scandalum manuum suarum non dimittit. Ideo non ædificabit mihi domum vt Salomon, nec habebit exitum vitæ vt David. Sed nec memoria eius erit, vt dilecti mei Olaui, nec coronabitur, vt amicus meus Ericus, sed sentiet iustitiam, quia noluit misericordiam, & arabo terram in iudicio, & tribulatione, donec inhabitantes discant petere misericordiam. Veruntamen persona, quæ ædificabit monasterium meum, qualis erit, & quando veniet erit tibi notum, sed vtrum in hac vita non est tibi licitum scire.

Chri-

CHRISTVS OSTENDIT hic Sanctæ Brigittæ situationem, dimensionem, & dispositionem Ecclesiæ Monasterij Vuastzenen. & chori fratrum locutorij inter fratres, & sorores, testudinum, altarium ostiorum, ambituum, columnarum, chori sororum, fenestrarum, & locutorij sæcularium.

CAP. XXVIII.

Filius Dei loquitur. Chorus Ecclesiæ debet esse ad occidentem ad stagnum, & vnus murus altus ab Aquilone a domo laterina iuxta stagnum vsque ad finem curiæ clericorum. Inter illum murum, & chorum, sit spatium decem & octo vlnarum pro ædificando collocutorio, quod vnus murus diuidat per medium in longitudine a choro fratrum, & ad murum iuxta stagnum. Et illo collocutorio possunt fratres, & sorores loqui ad inuicem de necessarijs suis, & nullæ fenestræ sint in illo interstitio inter sorores, & fratres, ne quis videatur ab alio. Item duæ rotæ sint in illo muro, quales solent esse in talibus monasterijs. Deinde chorus fratrum habet 22. vlnas in longitudine sub vna testudine ab occidentali pariete vsque ad summum altare, ita quod illud summum altare sit sub illa testudine, & clerici stare debent inter summum altare, & parietem occidentalem. Testudo vero habebit 20. vlnas in latitudine. Ille vero paries, qui est retro stallas versus sorores ex Aquilone, habebit quinque fenestras prope terram, ad quas sorores faciant confessiones suas, & recipiant corpus Domini. Item ipsa Ecclesia debet habere quinque testudines in longitudine, & tres in latitudine, & qualibet testudo sit 20. vlnarum in latitudine, & 20. in longitudine. Tres vero testudines proxime retro summum altare ad orientem per transuersum medium totius Ecclesiæ addatur ad chorum clericorū, sex gradus debent esse in descensu a summo altari per transuersum sub dictis tribus testudinibus. Et quilibet illorum graduum habebit duo altaria super se, ita quod sex sint ad dexteram summi altaris, & sex ad sinistram. Et quodlibet altare stet in obliquum ab altero, incipiendo a primo gradu proximo summo altari ex vtraque parte. Summum altare habebit quinque vlnas in longitudine, & duas vlnas cum dimidia in latitudine. Et quodlibet aliud altare ex illis. 12. habebit duas vlnas cum dimidia in longitudine, & vnam vlnam cum dimidia in latitudine. Et inter quodlibet altare illorum duodecim, debet esse spatium duarum vlnarum. Quilibet vero gradus debet habere in altitudine quasi manus per transuersum. Paries vero ad oriētem habebit duo ostia sub duabus vltimis testudinibus. Sub media vero testudine nullum sit ostium. Et quodlibet ostium habebit sex vlnas in latitudine & in altitudine pertingant ad asseres, siue pauimentum, quod est sub pedibus sororum. In medio vero inter ista duo ostia sit altare Beatæ Virginis, habens quatuor vlnas in longitudine, & tres in altitudine, prope parietem ad orientem. Christus per circuitum altaris, habeat 10. vlnas in longitudine, & decem in latitudine, & circumseptus sit gerris ferreis. Vnus ambitus debet esse per circuitum Ecclesiæ interius iuxta parietes circumseptus gerris ferreis, habens quatuor vlnas in latitudine inter murum, & gerras, in quo clerici, seu fratres ambulare possunt, ita quod non veniant ad populum. Super ambas ianuas per gradus ascendendo erit ingressus in chorum Beatæ Virginis, & nullum aliud ostium sit in illo choro. Nullum etiam ostium potest esse in ambitu ferreo Ecclesiæ nisi vnum tantum iuxta summum altare, & illud sit continue sera munitum, nisi quando persona aliqua intrabit religionem, & quoties Episcopus monasterium visitabit. In medio parietis ad meridiem infra ambitum ferreum sit altare Sancti *Michaelis*, ita quod sacerdos vertat se ad austrum. In medio vero parietis ad Aquilonem sit altare Sancti Ioannis Baptistæ, ita quod Sacerdos vertat se ad Aquilonem. Extra vero ambitum ferreum ædificanda sunt altaria, vbi sacerdotes aduenientes celebrare possunt. Columnæ habebunt 11. vlnas in altitudine a pauimento Ecclesiæ, vsque ad trabes, seu pauimentum chori sororum. *Super* trabes vero ædificetur pauimentum, de asseribus, & argilla, & lateribus, super quibus stabunt sorores, & sub illis asseribus figantur lamine cupree ne noceat ignis. Columnæ etiam ascendant per pauimentum sororum, ita quod habeant quatuor vlnas, vel circa hoc in longitudine a pauimento sororum, antequam inchoentur, vel attingantur testudines. Omnes etiam testudines super chorum, & totam Ecclesiam æqualem habeant altitudinem. Tectum habeat tantam altitudinem, quan-

tam

tam habere potest, vel necesse fuerit. Nulla subtilis sculptura sit in ostijs, fenestris, columnis, vel parietibus, sed totum erit de opere plano, humili, & forti. Fenestræ vitreæ non debent habere colorem nisi album, vel glaucum. Domus in qua sorores debent loqui sæcularibus, debet esse ad orientem inter magnam domum laterinam, & Ecclesiam, ibi sint fenestræ, ita quod personæ non possint videri adinuicem. Ecclesia debet ædificari de lapidibus excisis a montibus lapideis, & in terra inuentis, & non de lateribus sicut & testudines. Post hæc vidi vltra stagnū Ecclesiam similem isti cum ædificijs suis, quam ex omni parte circuibat murus longus, fortis, & altus, & audiui in spiritu. Domus & Ecclesiæ quæ ædificabuntur post istam Ecclesiam simili modo ædificabuntur sicut modo vides.

VISIO QVAM HABVIT sancta Brigitta super constructione, & situatione cimiterij monasterij Vvastzenen. cum locutorijs sororū, & fratrum sibi inuicem, & cum sæcularibus, & de habitatione fratrum de Pomerio sororum, & vbi possint recipere medicinas.

CAP. XXIX.

Vidi inquit Beata Brigitta a magna domo lapidea vsque ad cespitem, quæ est ad austrum latæ viæ, murum longum, & latum, & semissem. Deinde vidi Ecclesiam intra murum, & eius fundamenta, & parietes, & fenestras, & longitudinem, & latitudinem diligenter attendi. Deinde a cornu eiusdem domus vidi murum magnum vsque ad sanctuarium, vbi mihi a spiritu dictum est. Ab isto muro ædificetur murus, vbi sit locutorium fratrum, & sororum, in quo sint fenestræ duæ, & pro collocutione sororum, & fratrum, & pro necessarijs fratrum recipiendis. Deinde a muro isto vidi murum, qui protendebatur ad domum lapideam paruam, vbi mihi dicebatur. Hic erunt habitacula clericorum. A cornu vero paruæ domus istius australi ascendebat murus, qui protendebatur ad murum, qui stabat in cespite. Et audiui in spiritu. In isto muro erit parua porta, vbi necessaria fratrum, scilicet ligna, & talia recipientur. Et ibi etiam erit domus pro infirmis inspiciendis, & curandis. Deinde a muro, qui videbatur stare in cespite, protendebatur alius murus vsque ad domum lapideā, quæ est in oriente, sed nō plene attigit domum. Nam distantia parua erat, quia a pariete australi Ecclesiæ ibat alius murus, qui se coniunxit muro, qui processit de cespite, & combinauit ambos muros in vnum, vbi mihi dictum est. Hic erit collocutorium fratrum cum sæcularibus. Deinde a cornu occidentali versus Aquilonem magnæ domus lapideæ, vidi murum, qui circuibat pomerium iuxta situm antiquarum arborum, qui circumeundo pomerium reflectebatur a cornu orientali magnæ domus. Post hæc vidi murum ascendentem a cornu orientali, qui protendebatur directe ad parietem Ecclesiæ. Et tunc audiui in spiritu. In isto muro erunt tres domus. Vna decenter ædificata, vbi Episcopi, & Principes possunt audire sorores. Alia erit pro necessarijs recipiendis. Tertia pro infirmis inspiciendis, & curandis. Post hæc vidi vltra stagnum Ecclesiam similem isti cum ædificijs suis, quam ex omni parte circuibat murus longus, & fortis, & altus, & tunc audiui in spiritu, domus & Ecclesia, quæ ædificabuntur post istam Ecclesiam, simili modo ædificabuntur, sicut modo vides.

CHRISTVS DICIT Sanctæ Brigittæ dispositionem domus suæ, per quam specialiter notatur monasterium Vvastzenense, & ordo Sancti Saluatoris &c.

CAP. XXX.

In domo mea debet esse omnis humilitas, quæ omnino nunc contempta est. Ibi debet esse murus fortis &c. Require primo libro, capit. decimo octauo.

Chri-

CHRISTVS DICIT HIC quales picturę sint in monasterio sancti Saluatoris, & quod Ecclesia tres habeat portas, & de earum mystica interpretatione.

CAP. XXXI.

Filius Dei loquitur. Picturæ non habeantur in parietibus Ecclesiæ, nisi solummodo passio mea, & sanctorum meorum memoria. Nam frequenter ingredientes Ecclesiam, plus delectantur in videndo descriptiones parietum, quam in Christi beneficijs. Notandum etiam, quod in Ecclesia habeantur tres portæ. Prima debet vocari porta remissionis per quam omnes sæculares ingrediantur. Quia omnis qui contrito corde, & voluntate emendandi ingreditur hanc portam habebit alleuiationem in tentationibus suis, fortitudinem ad operandum bona, deuotionem in oratione, remissionem peccatorum, & cautelam in agendis. Ideo hæc porta erit ad orientem, quia orietur ingredientibus charitas diuina, & lux fidei fortificabitur in eis. Secunda porta vocabitur porta reconciliationis, & propitiationis, per quam ingredientur fratres in chorum suum, quia eorum precibus, & fide peccatores appropinquabunt Deo, regnique status meliorabitur, & mitigabitur ira Dei. Ideo hæc porta sit ad occidentem, quia per eorum orationes in multis occidetur, & abscidetur potestas diaboli, vt non præualeat tentare quantum velit. Tertia porta vocabitur porta gloriæ, & gratiæ per quam ingrediantur sorores, quia quæcunque soror ingreditur, qui hanc portam contrito corde, & sola intentione placendi Deo, gratiam habebit in præsenti proficiendi de virtute in virtutem, & refrigerium in tentationibus, gloriamque in futuro. Ideo hæc porta sit ad Aquilonem. Quia sicut a diabolo panditur omne frigus malitiæ sic erit ingredientibus hanc portam abundantiam benedictionis, calorque Sancti spiritus infundetur; & ardor diuinæ charitatis eis adaugebitur.

CHRISTVS PETIT a communitate regni subsidiū quoddam ad complementum monasterij Vuastzenensis.

CAP. XXXII.

Christus loquitur. Ego sum, qui Abrahæ præcepi filium suū immolare, non quia non præsciui obedientiæ suæ bonum, sed quia volui vt voluntas sua bona etiam futuris ad imitandum similiter ostenderetur. Sic ego nunc a principe terræ ædificari volo vnum monasterium in honore matris meæ, ideo vt peccata regni minuantur. Porro ad eiusdem monasterij perfectionem, auxilium a communitate peto, non sicut indigens, qui omnium sum dominus, sed vt promptitudo bonæ voluntatis eorum etiam alijs innotescat. Propterea omnis ad annos discretionis perueniens, qui in virginitate perseuerare proponit, siue vir, siue fœmina tribuat vnum denarium monetæ currentis, similiter, qui in viduitate est. Qui vero in coniugio est tribuat pro se, & vxore duos denarios ad ædificationem eiusdem monasterij Matris meæ. Qui vere filios, & filias habent, & peruenerunt ad annos discretionis, scilicet sexdecim annorum pro vnoquoque soluant vnum denarium, vt in eis charitas, & obedientiæ fructus augeatur. Religiosi vero, qui se, & sua mihi dare tenentur, & clerici, qui sors mea sunt liberi sint. Similiter, & famuli seruientes immunes sint, quia ex sudore comedunt panem suum; & quia sui iuris non sunt.

QVOD ABBATISSA ORdinis Sancti Saluatoris recipere potest quatuor viros boni testimonij, & famæ in fratres extra monasterium, & de eorum habitu, & modo viuendi.

CAP. XXXIII.

Christus loquitur. Scriptura aurea dicit: quod Moyse orante pro populo suo Aaron, & socius eius sustentabant manus eius, ne grauarentur in iugi extensione earum. Sed quid hoc? Nunquid non

Deus

Deus potuisset fortificasse eum, qui dedit ei virtutem orandi. Potuisset quidem, sed signum fuit eorum, qui contemptis omnibus soli Deo adhærent, quia humana natura infirma est, & indiget sustentatione. Ideo vt amici Dei valeant subsistere, & ne post diuinam contemplationem fędantur temporalibus, permittuntur eis solatia exteriora, quibus robustius assurgant ad diuina. Propterea quatuor viri boni testimonij, & vitę, & ætatis assumantur ad curiam officiales, qui distribuant eleemosynam, & vestes pauperibus, qui parati sint recipere verba sororum, & fratrum, & responsa reddere, qui dominis temporalibus in negocijs monasterij loqui, & deseruire sufficiant, & onera Abbatissæ releuare. Ad hoc autem, vt prædicti fratres fiducialius agant in commissis debent de monasterio viuere, & participes esse omnium spiritualium bonorum, quæ aguntur in monasterio. Debent etiam continenter viuere, & crucem rubeam in vestibus prope cor portare, in signum familiaritatis, & charitatis diuinæ. Nec non & obedientiam in manu Abbatissę promittere in temporalibus, & confessori in spiritualibus, eademque charitate, & regula, eisdem moribus, & obedientia, & disciplina viuere, sicut qui infra monasterium sunt, vt nulla nec in moribus, vel victualibus, & correptione discordia fit, nullusque pręceptum pręponant imperio Abbatissę, seu confessoris. Si vero aliqua enormia, seu abominabilia talia per eos committuntur, quibus denigratur, ordo, aut status monasterij diffamatur carceribus monasterij recludantur. Aut si confessor corrigere non poterit, consilium, & auxilium requiratur Episcopi, seruata in omnibus regulę sanctę institutione. Confessor vero prouideat quomodo ieiunent, & quibus horis reficiantur, & teneant silentium, quandoque dormiant, & qualiter, & quomodo extra limites monasterij, seu ad dominos terrę egrediantur. Similiter, & prouideat de habitu eorum honesto, & de horis legendis, & vbi stent in Ecclesia, & recipiunt corpus Christi, constituaturque eis locus vbi comedant, & dormiant, cimiteriumque habeant per se separatum. De istis quatuor, qui portet crucem possunt vnus, vel duo esse sacerdotes, ita tamen, quod in omnibus obediant Abbatissę, & confessori. Si vero aliqui laboratorum, vel artificum se regulæ isti subdere volunt, eadem lege, & institutionibus gaudeant, excepto quod crucem non portent. Vnusque de illis quatuor sit magister eorum, per quem dirigantur, & instruantur, iuxta consilium, & præceptum Abbatissę, & confessoris in spiritualibus.

CIRCA DECIMVMOCTAVVM

Capitulum Regulæ Sancti Saluatoris, Christus distinguit 13. altaria. Apostolis consecranda, secundum eorum 13. virtutum eminentias, &c.

CAP. XXXIIII.

FILIVS DEI loquitur. Dixi tibi prius, quod 13. altaria habenda sūt in sanctuario in tredecim gradibus secundum vocationem, & inflammationem spiritus mei vnicuique collatam. Primum igitur, & principale altare consecretur Petro Principi Apostolorum, quia ipse fuit primus vocatione, & electione. Primus etiam dignitate potestatis, & quadam similitudine mortis meæ. Ad dexteram vero altaris Petri Principis Apostolorum, sit primum altare Pauli, qui licet ipse non vidit me conuersantem in carne, vidit tamen in visione spirituali, & ipse perfectius inflammatus zelo animarum fuit, & charitate amplius laborabat, vnde, & nomen, & vitam, & dignitatem sortitus est Apostolorum. Secundum vero altare ad dexteram sit Iacobi filij Zebedæi, qui per patientiā, & ardorem prædicationis, primum meruit præ alijs glorificari. Tertium altare ad dexteram sit Ioannis Euangelistæ, qui amore castitatis specialem a me inuenit familiaritatem, qua cæteris altius suscepit Euangelicam veritatem. Quartum altare ad dexteram sit Bartholomæi, qui contemptor diuitiarum, & amator paupertatis pœnas patienter tulit illatas. Quintum altare ad dexteram sit Philippi, qui generationem carnis despiciens, multos regenerauit vitæ æternæ. Sextum altare ad dexteram sit Thomæ, qui in latere meo perfectum cognouit fidem, & in perfecta charitate perseuerauit. Ad sinistram vero altaris Principis Apostolorum, sit primum Andreæ, qui secutus me magistrum, non erubuit ignominiam crucis. Secundum altare ad sinistram sit Matthæi, qui lucra relinquens mundi, factus est magister animarum. Tertium altare sit Iacobi Alphei, qui simillimus mihi in carne, iam quodammodo mihi similatus est in cęlo. Quartum sit Simonis germani eius qui

qui spernens parentes carnis, repleri meruit sapientia supernorum. Quintum, sit Thadæi, qui munditia cordis viriliter diabolum debellabat. Sextum, sit Matthiæ, qui abhominatus cupiditatem proditoris mei per humilitatem veram meruit locum gloriæ sempiternæ. Nunc filia quærere poteris, quare Ioannem, & cæteros Apostolos de progenie carnis meæ, non prætuli Petro in dignitate? Respondeo tibi. Perfecta charitas est illa ad Deum, quando homo nihil sibi de se relinquit, sed ad omnem virtutem, & perfectionem se dilatat. Perfecta vero charitas est ad proximum, quando homo malis facit bona, qui eum etiam cum ira exasperant, bonis vero exhibet meliora, maxime his quos reperit in bonis operibus meliores. Ergo quia Petrus feruentior fuit in charitate, & nihil sibi æstimabat proprium, nisi quod secum permaneret æternaliter, ideo ne caro præferatur spiritui, electus est Petrus ad Pontificatum. Quod autem in Ioanne signa maiora dilectionis apparuerunt, hoc meruit castitas eius, & futura constantia. Deus quippe, vt dilatet dulcedinem bonitatis suæ, & insinuet charitatem suam, quandoque eligit tempus, & personas propter fidei exaltationem in quibus magnificari vult a creatura sua, quandoque more fabri hebetata, & frigida ignescit, vt infirma extollat, & superba deijciat, vt sic vbique Deus glorificetur.

CIRCA CAPITVLVM vigesimum regulæ Sancti Saluatoris. Christus dicit, quod sorores possunt habere quatuor mulieres focarias, & similiter fratres duos focarios infra clausuram propter labores, &c.

CAP. XXXV.

FILIVS DEI loquitur. Quando ego conuersabar in mundo cum Apostolis, solummodo intendebam lucro animarum, quia non erat consonum, nec delectabile simul seruire animabus, & mundo. Ideo fideles viri, & fœminæ corporalia ministrabant, qui tamen non erant, nec vocabantur Apostoli, sed erant administratores, & reuelatores laborum seruientium, & assistentium mihi secretius, scilicet Apostolorum. Sic est etiam nunc. Dixi tibi prius de numero puellarum matris meę, quæ familiarius alijs ei debent assistere, quarum quædam delicatiora habuerunt nutrimenta, aliæ infirmæ, & senes, aliæ minus assuetæ laboribus, quædam contemplationi diuinæ magis intentæ. Ideo si necessitas, & locus requirit, permittitur Abbatissæ recipere infra portam quatuor mulieres focarias, ætate, & moribus circumspectas, & bonæ famæ, quæ curent ignem, & inferant ligna, & aquam, eijciantque de monasterio immunditias, & adiuuent in officiis sorores minus fortes. quæ quidem focariæ possunt intrare Ecclesiam, & cætera loca monasterij propter labores. Et domos habeant prope coquinam, & portam, vt semper paratæ sint recipere, & inferre, quæ inferenda sunt in officinas. Non tamen socientur conuentui in choro in dormitorio, & refectorio, sed stent extra chorum quando eis vacat, nec reficiantur cum conuentu, sed viuant de eleemosyna sororum, aut de præbenda quam prouideat eis Abbatissa. Faciant obedientiam Abbatissæ, possintque comedere in stuba, post refectionem sororum, Et in signum recognitionis habeant scapulare sine caputio. Si vero aliqua in coquina per manus sæcularium ineuitabiliter facienda sunt, intersit & videat vna focariarum, vel duæ, vt nihil contra regulam fiat. Fratres similiter habeant duos fratres focarios si vtile fuerit eis, & necessarium. Focarij non debent habere cucullam, sed mantellum de super tunicam, cui sit assutum caputium paruulum, vt alij religiosi, cum vero laborant deponant mantellum, & habeant pro illo caputium ad hoc statutum, sicut conuersi Ordinis Sancti Benedicti, aut Bernardi, & baltheum de corio nigro.

IX. ET. XXIIII.

CIRCA ~~VIGESIMVMPRIMVM~~ Capitulum Regulæ Saluatoris, dicit Christus qualiter religiosi vti debēt speciebus.

CAP. XXXVI.

FILIVS DEI loquitur. Quia ignita sunt incentiua luxuriæ, expedit in monasterio sanis non continue vti pipere & cimino, & consimilibus herbis, sed communibus, quæ terra habitationis profert.

In festis vero nouem lectionum, propter laborem, & recreationem concedi potest eis talibus vti, infirmis vero, & debilibus talia quoties expedit nequaquam denegentur.

CIRCA VIGESIMVMSECVNDVM capitulum Regulæ Sancti Saluatoris vocat se Christus patrem omnium creaturarum, & recreatorum, mandataque sua seruantium, Mariam quoque suam Matrem, & filiam; sorores Ordinis Sancti Saluatoris suas, & Mariæ filias appellando, quibus concedit vt habere possint, & necessitate vrgente portare corpus suum infirmis, cum moderamine tamen prælatorum, commendatque plurimum virgineam castitatem.

CAP. XXXVII.

IESVS CHRISTVS Filius DEI loquitur. Sicut Pater vocatur, qui filium de coniunctione mutuæ carnis generat, sic ego Deus Pater omnium sum, quia corpori animam infundendo, & eam per passionem meam, & inspirationis diuinæ efficaciam regenero, & renouo deformatam, ergo sicut ego pater sum omnium eorum, qui creati sunt, & recreati baptismo, sic & pater sum omnium eorum, qui imitantur viam humilitatis meæ, & sequuntur iter mandatorum meorum. Propterea Maria Mater mea, vocari potest, & Mater, & filia. Mater generatione carnis meæ, filia imitatione voluntatis meæ. Nam similitudo corporis eius, relucebat quodammodo in carne mea, & similitudo omnium virtutum, resplenduit perfectius in corde, & operatione eius. Ergo quia mater mea eligere sibi vult filias, quarum institutor, & rector ego sum, quibus & nouam per te ostenderam institutionem. Ideo pater earum esse, & vocari volo, & in huius signum duo specialia priuilegia concedo eis. Primum est, quod Sacramentum corporis mei super altare suum iugiter positum habeant, in vase decenti saphirico, vel cristallino, vt me quem quotidie speculantur sub aliena forma feruentius desiderent, donec rerum veritate satientur. Secundum est, quod quando aliqua soror tali grauatur infirmitate, quod propter reiectionem sumere Sacramentum corporis mei non valet, aut ne nocte moriatur sine viatico, permitto ego Deus omnium, vt ab Abbatissa, vel cui ipsa iusserit, sequente conuentu portetur vas Sacramenti ad infirmam, ostendendo non tangendo ipsum corpus meum, sed dicendo. Fides tua proficiat tibi ad salutem, & vitam æternam. Respondit Sancta Brigitta. O domine infusor totius gratiæ ne indigneris si loquor. Vere superabundanti largitate te effundis in nos, immo si dici phas est, prodigus tu es præ desiderio nostri. Quis vnquam credere potest bonitatem, & dulcedinem tuam tantam, nisi qui spiritu inebriatus fuerit tuo. Nam scriptum est, quod illi, qui in lege Moysi tangebant, & videbant arcam sanctam, quæ te significabat moriebantur. Et nunc permittis tangere teipsum, qui veritas es ipsa, quam signa omnia promittebant. O quam mundus esse teneretur, qui summo Deo appropinquat. Respondit Deus. Quid miraris filia si vas appropinquat vasi. Si inquam vas virginale appropinquat vasi indeficientis thesauri. Sicut enim ad introitum arcæ Moysi, corruerunt muri fictiles, & idolum detruncatum est, sic per virgineam charitatem superbia diaboli confunditur, duritia cordis mollescit, & impuritas carnis adnihilatur. Quid enim ei mirabile est tangi a virgine, qui etiam in virgine nasci dignatus est? Omnia quippe potest cum Deo virginea charitas, si coniuncta fuerit veræ humilitati. Veruntamen ne præiudicium fieret clero; & aliter sapientibus, hanc gratiam committo moderamini, & potestati prælatorum. Nam nec Moyses, & Prophetæ, sine iudicio, & discussione Pontificum legebantur, nec verba mea procedere debent in lucem sine auctoritate, & approbatione Pontificum, quibus dedi potestatem ligandi, atque soluendi, quos qui spreuerit meipsum contemnit.

CHRISTVS ORDINAT hic, quale pauimentum esse debet in monasterio suo, tam pro sæcularibus, quam pro religiosis, & quomodo sepultis ibi aliquibus iterum reparetur, & qui sepeliendi sunt in Ecclesia.

CAP. XXXVIII.

Filius Dei loquitur. Dixi tibi prius quomodo sorores, & fratres sepeliantur-

ficantur. Nunc super addo quando Ecclesia perfecta est, ambitus, & circuitus infra crates sternendi sunt lapide polito, & mundo, aut lateritijs, vt omnia munda conueniant mundis. Propterea cymiterium ordinetur infra murum magnum, vbi conuenientius fieri potest, in quo sepelientur sorores. Si vero in ambitibus sepeliendæ sunt, attendatur diligenter, vt nulla deformitas, vel inæqualitas in pauimento appareat, sed post sepulturam reparetur ad priorem pulchritudinem, & formam. Similiter, & pauimentum Ecclesiæ sit de lapidibus planis, & mundis, vt ingredientes non offendantur ex fossis, & inæqualitate lapidum, sed locum habeant mundum, & pro orationibus diuinis ornatum. Si vero viri spirituales, & in dignitate positi sepeliendi sunt in Ecclesia, attendatur diligenter, vt sepultis corporibus pauimentum ad suam pulchritudinem, & statum statim reformetur.

CIRCA VIGESIMVMSEXTVM Capitulum Regulę sancti Saluatoris Virgo Maria insinuat tres qualitates personarum ordinem istum ingredientium. Primi sunt, qui charitate succensi beneficia Dei contemplantur. Secundi, qui de peccatis suis agunt pœnitentiam. Tertij, qui plus diligunt opera carnis, quam spiritus, plus mundum, quam Deum. Imprecatur etiam huic ordini, & personis eius deuotis varias eius benedictiones, addens rationem quare templum iudæorum non reedificabitur, cuius typum gerit monasterium istud.

CAP. XXXIX.

MATER CHRISTI loquitur. Omnis qui sedet in superiori sede videbit lucem in meridie. Qui vero ad dexteram euigilabit mane de somno, qui autem ad sinistram, frigescit ex rore noctis. Ideo omnis qui ingreditur domum istam, attendat ne diligat pro vita mortem, frigus pro calore. Caueat etiam ingrediens domum meam hostem, qui est præ foribus. Ideo habeat ductorem rationem, & directorem Deum. Sit domus ista de qua dixeram tibi prius, sicut ignis, qui primum dilatat se in straminibus, & pauimento, & postea inflammat tectum, & totam domũ intantum, quod qui ab extra sunt nesciunt antequam tota domus est ignita. Confortetur domus hæc in Spiritu Sancto, sicut Helias comedens panem, & bibens aquam ambulabat in fortitudine cibi illius 40. diebus, & noctibus. Sic omnes ingredientes domum hanc roborentur, & proficient in qualibet dieta, & accrescat eis spiritualis fortitudo, & feruor fidei, & charitatis. Maneat quoque Deus cum ingredientibus domum hanc, sicut fuit cum Iacob, qui solus de domo patris egrediẽs, regressus est cum turba copiosa, & genuit de se Ioseph, qui vocatus est salus populi, quia saluauit populum suum. Custodiat etiam domum hanc, & ingredientes in eam Deus, sicut custodiuit Apostolum suum ne combureretur pinguedine olei, & det diligentibus eam, vt pinguedine amoris mundi non comburantur, nec deficiant aut succumbant ex aduersitate eius. Fructificent etiam omnes ingredientes domũ hanc, sicut granum, quod de se facit fructum centuplum, & sicut lechitus olei viduæ, vt proficiant de virtute in virtutem, vsquedum videant Deum in beatitudine sua. Muniatur etiam domus hæc muro spiritualis custodiæ tam forti, & tam grandi, quod hostis volens transfodere, dicat sibi tempus non sufficere ad suffodiendum, nec instrumenta habere, quibus posset ad fundamenta venire, & minus ad ipsum murum. Respiciat quoque Deus domum hãc, sicut respexit populum suum cum educeret eum de Aegypto, ostendens viam in die per columnam nubis, & in nocte per ignem. Benedicat insuper domum hanc ingredientes, sicut benedixit Apostolos suos, & me matrem eius, tribuens nobis spiritum sanctum, & promittens se nobiscum manere, vsque ad consummationem sæculi. Sit etiam in domo hac vna porta per quam omnibus liceat ingredi, & ingredientes sint de ouibus filij mei, audientes vocem eius, qui dedit animam suam pro ipsis. Quos pater custodiat potentia sua, filius dirigat sapientia sua, Spiritus sanctus inflammet charitate sua. Vt si lupus in vellere ouis ingressus fuerit, proficiat ouibus ad maius meritum, & ipse descendet ad spatium sibi paratum. Item ait Mater Dei. Scito etiam, quod Prophetæ Dei præceptum fuit, ostendere pepulo ingrato descriptiones templi destructi, quas vidit in spirituali visione, non quod de Cęlo

lo erant corporalia, sed quia per corporalia intelliguntur spiritualia, vt populus inobediens cognosceret ingratitudinem suam, & resipiscens a malis suis præpararet se ad percipiendam promissionem Dei, qui ideo priuatus est, & promissis Dei priuabatur, quia persistens in malitia sua noluit mutare voluntatem suam ad bonum. Ideo etiam templum non est reædificatum, nec erit in perpetuum. Sed in domo mea non solum erigantur parietes materiales, sed & animæ iustorum placebunt in ea filio meo, & compleuit in se spiritualiter descriptiones templi, quod in spiritu vidit propheta *Dei*.

CHRISTVS DISTINGVIT hic tres fructus, id est tres conditiones personarum futurarum in Regula Sancti Saluatoris.

CAP. XL.

FILIVS DEI loquitur. *Tres* erunt fructus in regula mea. Primus erit ex timore, qui more sponsæ vult, & non vult, quia gustata voluntate, & voluptate sponsi, desiderat vt voluntas sponsi conformetur voluntati suæ. *Hic* fructus non gustabit perfecte voluptatem sponsi, quia non se occupat totum ad totã dulcedinem sponsi capiendam. Secundus fructus est qui desiderat Deum, & participare appetit gaudio eius; sed contristatur de aduersitatibus eius patiendis. Hic similis est militi, qui immemor iustitiæ, & causæ obtinendæ coronæ, grandem quærit remunerationem tempore fœlicitatis, qui noluit sequi dominum suum tempore aduersitatis. Tertius fructus est, qui se, & omnia sua non solum reliquit in manus *Dei*, sed quicquid intelligit omnes a se alienat, fructus. sicut iumentum consentiens possessori solam quærens dulcedinem Domini, in aduersitatibus gaudens in prosperitatibus humilis, & timorosus. *Hic* fructus meretur, vt Deus exurgat in miserationibus, & vt obtineatur, seu ascendatur ad promissum gaudium, quo gentiles lætificabuntur, tepidi recalescent, & frigidi ignientur.

CHRISTVS PRAECIPIT Sanctæ Brigittæ ire Romam, dicens quod Regula Sancti Saluatoris proficiet &c.

CAP. XLI.

CHRISTVS Filius DEI loquitur. Iam regula descripta est, iam flores eius appositi, & colores ordinati, vade nunc ad locum vbi visura es Papam, & Imperatorem. Nam hæc regula procedet quasi lumen, & lucerna, & coarctabit se vt proficiat, donec tertius fructus ostendet se, qui conteret aristas, & purum granum recondet in horreum suum.

CHRISTVS PRAECIPIT Sanctæ Brigittæ scribere Imperatori, pro confirmatione Regulæ Sancti Saluatoris.

CAP. XLII.

LOQVEBATVR Christus ad sponsam dicens. Scribe ex parte mea Imperatori verba hæc. Ego sum lux illa, &c. Require octauo libro capit. 51.

CHRISTVS OSTENDIT PER Sanctam Brigittam cuidam regi inobedienti sibi viam per quam reconciliari potest, &c.

CAP. XLIII.

FIlius loquitur, quia ille quem vocaui filium meum, factus est inobediens, & similior puero discolo, quam filio obedienti, ipse quia primam viam scilicet eundo ad paganos non impleuit, ideo ostendo ei nunc secundam viam, quam si tenuerit Beatus erit. *Hæc* autem est via, quod scilicet vadat ad summum Pontificem, quia summa debita apud summum Dominum, per consilia summi Domini sunt emendanda. Si autem exie-

cuerit non erubescat exponere ei, quod fuerat depredator communitatis, proditor animarum, contemptor Ecclesiæ, iuramenti, & legis publicę violator, coronæ Regiæ & facultatum eius prodigus alienator, & dissipator. Impetret insuper absolutionem peccatorum suorum, & confirmationem regulæ meæ, quam in regno eius ostendi, vt apes congregandæ ad loca iam præparata, & speranda, suis benedictionibus solidentur. Non differat ergo exire, ne forte si distulerit, locuste, & bruci occupent loca apibus præparata, & sic fecibus suis deturpent, & dissipent, vt maior labor sit in purgando loca, & renouando, quam fuerat in ædificando.

REVELATIO DE INDVLGENtijs Sancti Petri ad vincula, & confirmatione regulæ Saluatoris.

CAP. XLIIII.

FILIVS DEI loquitur ad sponsam. Qui habet glomerationem filiorum &c. Require quarto libro capitulo 137.

CHRISTVS PER Sanctam Brigittam præcipit priori Petro de Aluastro scribere regulam Sancti Saluatoris, &c.

CAP. XLV.

FIlius Dei loquitur. Dic illi, quod scribat regulã à spiritu meo dictatam, sed caue diligenter ne de spiritu tuo, aut minuas, aut addas, nisi ea quæ tibi à me dicuntur. Si vero scriptor aliquid de regulis patrum addiderit, vbi materiæ congruere viderit, & attractum spiritus mei solitum sibi adesse senserit, non est mihi ingratum; nam Benedictus, & Franciscus, & alij patres more apum de patribus suis in regulis suis multa constituerunt, & gratum est mihi, quia spiritum meum habuerant. Et voluntas eorum erat secundum voluntatem meam, ideo quicquid statuerunt gratum est mihi.

CHRISTVS PRAECIPIT Sanctæ Brigittæ dicere Domino Petro Priori Aluastri qualis regula haberetur in monasterio Sancti Saluatoris, addens rationem cur sibi, & non alijs ista loqueretur.

CAP. XLVI.

EGO ostendere tibi volo qualis regula in monasterio Matris meæ habeatur. Quia etiam heremitæ, & sancti patres infusiones a spiritu meo habuerunt. Propterea quæcunque audieris in spiritu meo defer ad scribentem, & caue omnimode ne vnum verbum de spiritu tuo addas ad verba mea. Sed mirari poteris, cur ego omnium conditor non loquor sapienti, aut in tali lingua, quæ ab omnibus intelligi, & sciri poterit? Respondeo. Ego habui multos prophetas, qui nisi per interpretem, & notarium verba spiritus mei proferre non potuerunt, & tamen peruenerunt ad lucem, & cognitionem. Quia cum donum Dei committitur multum amplius glorificatur Deus. Sic & tecum est, nam bene habeo amicos per quos loquor voluntatem meam, sed tibi tanquam instrumento nono ostendere volo noua, & vetera, vt superbi humilientur, & humiles glorificentur.

QVOMODO SANCTA Brigitta cœpit habere reuelationes diuinas, & quare &c.

CAP. XLVII.

TRansfactis aliquibus annis post mortẽ mariti, cum Beata Brigitta sollicita esset de statu suo, circumfudit eam spiritus domini ipsam inflãmãs. Raptaq; in spiritu vidit nubẽ lucidam, & de nube audiuit vocẽ dicentẽ sibi. Ego sum Deus tuus, qui tecum loqui volo. Conterrita illa ne forte hostis, esset illusio, audiuit iterum. Noli timere. Ego enim sum oĩum conditor nõ deceptor. Scias quia non loquor propter te solam, sed propter salutem omnium christianorum.

Audi igitur quæ loquor. Tu quippe eris sponsa mea, & canale meum audies, & vicibus spiritualia, & secreta cœlestia, & spiritus meus remanebit tecum vsque ad mortem. Crede igitur firmiter, quia ego ipse sum, qui de pura Virgine natus, qui passus, & mortuus sum, pro salute omnium animarum. Qui & resurrexi a mortuis, & ascendi in cœlum, qui & nunc cum spiritu meo loquor tecum.

REVELATIO QVALITER Christus, Dominum Petrum tunc subpriorem Aluastri, conscriptorẽ istarum reuelationum constituit, & renuentem donec consentiret castigauit, præmittendo rationem, quare ista reuelata sunt.

CAP. XLVIII.

ORante Beata Brigitta apparuit ei Christus dicens. Dic ex parte mea fratri Petro sub priori, quod ego sum similis domino, cuius filij tenebantur captiui in duro cippo, qui misit legatos suos, vt filij liberarentur, & vt precauerent alios ne in manus inimicorum suorum inciderent quos putabant amicos. Sic ego Deus habeo multos filios, id est, Christianos, qui grauissimis laqueis diaboli tenentur. Ideo ex charitate mitto eis verba oris mei, quæ per vnam fœminam loquor. Audi igitur tu frater Petre illa, & scribe in lingua latina, verba quæ ipsa tibi ex parte mea dicit. Ego dabo tibi pro qualibet litera non aurum, vel argentum, sed thesaurum, qui non veterascet. Quam reuelationem ipsa Domina Brigitta notificauit statim ex parte Christi eidem priori, qui tunc erat sub prior. Ipse autem volens deliberare super hoc stabat in sero in Ecclesia certando cogitationibus suis secum. Cumq; in fine ex humilitate deliberaret non assumere, neque scribere dictas reuelationes diuinas, reputans se ad talia indignum, & dubitans de illusione diaboli. Tunc percussus fuit tali alapa diuina percussione, quod statim stetit quasi mortuus, priuatus officio sensuum, & virium corporalium, sed tamen intellectus sanus remanebat in mente eius. Monachi igitur inuenientes eum sic in terra iacentẽ, apportauerunt eum ad cellam, & posuerunt in lecto, & sic iacuit per magnum spatium noctis quasi semimortuus. Tandem dispensatione diuina, occurrit ei in mente talis cogitatio. Forte inquit hæc patior, quia nolui obedire reuelationi, & præcepto sanctæ mihi per Dominã Brigittam ex parte Christi, & dicebat in corde suo. O Domine Deus si propter hoc est parce mihi, quia ecce paratus sum, & volo obedire, & scribere omnia verba quæ ipsa mihi dixerit ex parte tua. Tunc autem in eodem puncto consensu facto in corde statim curatus est sine aliqua mora. Et iuit ad Dominam Brigittam festinanter, & offerens se ad scripturam faciendam, de omnibus reuelationibus sicut ipsa diceret ei ex parte Christi. Item dixit prior, quod postea audiuit a Domina Brigitta, quod Christus dixit ei in alia reuelatione hæc verba. Ego percussi eum, quia nolebat obedire, & postea sanaui eum, quia ego sum medicus ille, qui sanaui Thobiam, & Regem Israel. Dic ergo ei. Aggredere, & volue, & reuolue opus scriptorum verborum meorum, & scribe, quia dabo tibi adiutorem magistrũ in lege mea. Et scias pro certissimo, quia tale opus facere volo per verba mea, quæ tu scribis ab ore istius mulieris, vnde potentes humiliabuntur, & sapientes obmutescent. Nec credas a maligno spiritu ipsa verba procedere, quæ hæc mulier tibi loquitur, quia ea, quæ tibi dico, operibus comprobabo. Et statim prior post hæc incepit scribere, & translatare omnes reuelationes, & visiones diuinas, datas ipsi Dominæ Brigittæ iuxta præceptum eius, licet aliquas scripserit dominus Petrus consocius eius, & confessor, vna cum dicto domino Petro priore, quando ipse prior non erat cum ea. Et dixit prior, quod postea ipse ex præcepto Christi sequebatur eam, & fuit confessor, & scriptor eius in dictis reuelationibus 30. annis, vsque ad mortem ipsius Dominæ Brigittæ. Quas postea Christus ante mortem ipsius præcepit dari Domino Alphonso heremitæ Hispano, olim Episcopo Giennen. Et tali modo isti libri Cœlestium Reuelationum conscripti sunt.

CHRISTVS DANDO ISTAS reuelationes similat se carpentario, quas postea misit Domino Alphõso Episcopo, & tunc heremitæ elucidandas, dicens qualiter Spiritus sanctus, quandoque dimittit electos sibijpsis.

CAP. XLIX.

FIlius Dei loquitur ab sponsam dicens. Ego sum similis carpentario, qui præ-

præſcindens ligna, deportat in domum, & inde fabricat imaginem pulchram, & ornat eam coloribus, & lineamentis. Cuius amici videntes imaginem, quod adhuc pulchrioribus coloribus ornari poſſet, appoſuerunt & illi colores ſuos depingendo ſuper eam. Sic ego Deus præſcidi de ſilua deitatis meę verba mea, quæ poſui in cor tuum. Amici vero mei redegerunt ea in libros ſecundũ gratiam eis datam, & colorauerunt, & ornauerunt illa. Nunc ergo, vt pluribus linguis conueniat, trade omnes libros reuelationum eorundem verborum meorum Epiſcopo meo heremitæ, qui conſcribat, & elucidet, & catholicum ſenſum ſpiritus mei teneat. Quia ſpiritus meus dimittit quandoque electos meos ſibijpſis, vt ipſi more ſtateræ dijudicent, & diſcutiant verba mea in corde ſuo, & poſt multos cogitatus exponant clarius, & eliciant meliora. Nam ſicut cor tuum non ſemper eſt capax, & feruidum ad proferendum, & ſcribendum illa quæ ſentis, ſed nunc voluis, & reuoluis ea in animo tuo, nunc ſcribis, & reſcribis illa, donec veneris ad proprium ſenſum verborum meorum.

Sic Spiritus meus cum doctoribus aſcendebat, & deſcendebat, quia nunc ponebant, aliqua retractanda, nunc iudicabantur reprehendebantur ab alijs, & tamen alij poſtea veneruut, qui ſubtilius diſcuſſerunt, & lucidius explanauerunt verba eorum. Attamen omnes Euangeliſtæ mei a ſpiritu meo per infuſionem habuerunt verba quæ loquebantur, & ſcripſerũt. Item dic eidem heremitæ, quod faciat, & impleat officium Euangeliſtæ.

VIRGO MARIA COMMENDAT hic Chriſtum quintupliciter, quam Chriſtus recommendans proſequitur de creatione Angelorum, & ruina, de hominis reſtauratione, & de ſuæ incarnationis ratione aſſimilando ſe aui, quæ non comedit niſi recens cor, &c.

CAP. L.

MARIA Loquebatur dicens. Benedictus ſis tu fili mi chariſſime ſine principio, & ſine fine, quia in te ſunt tria, potentia, ſapientia, & virtus. Potentiam quippe oſtendiſti in creatione mundi, quam creaſti ex nihilo. Sapientiam tuam in diſpoſitione mundi, quando omnia in cœlo, & in terra, & in mari ſapienter, & rationabiliter diſpoſuiſti. Virtutem autem tuam maxime oſtendiſti, quando miſſus es ab eo, qui te in vterum meum miſit. Cum his tribus alia duo habes, miſericordiam ſcilicet, & iuſtitiam. Omnem ſapientiam ſimiliter oſtendiſti, quando omnia miſericorditer diſpoſuiſti, quando & cum forti certaſti, & viciſti ſapienter. Virtutem quoque tuam oſtendiſti in omni miſericordia, & iuſtitia, quando voluiſti naſci de me, & eum redimere, qui per ſe cadere poterat, & non ſine te redire. Reſpondit filius. Benedicta ſis tu Mater Regis gloriæ, & Domina Angelorum, verba tua dulcia, & veriſſima ſunt. Tu bene dixiſti, quia omnia in miſericordia, & iuſtitia facio. Hoc patuit in primordio creationis mundi in Angelis, qui in illo puncto quo creati ſunt, viderunt in conſcientia ſua qualis ſum, licet nondum guſtauerunt.

Vnde aliqui eorum vtentes bene libertate voluntatis ſuæ, ſtatuerunt in conſcientia ſua firmiter ſtare ex charitate ad voluntatem meam. Alij vero ſuperbientes, verterunt voluntatem ſuam contra me, & contra rationem. Ideo iuſtum fuit, vt ſuperbientes corruerent, iuſti autem guſtarent dulcedinem meam, & firmius ſolidarentur. Deinde vt oſtenderem miſericordiam meam, & ne locus cadentium vacuus eſſet ex charitate feci hominem in terra, qui etiam propria libertate corruens primum bonum perdidit, & a dulcedine expulſus eſt, ſed tamen propter miſericordiam non ex toto derelictus. Cuius iuſtitia fuit, vt ſicut ipſe per liberum arbitrium diſceſſerat a prima conſtitutione, ſic per liberam voluntatem rediret, & per eũ, qui nullum peccatum haberet, ſed ſummã puritatem. Sed nullus inueniebatur, qui ad propriam perſoluendam iuſtitiam ſufficiebat, & minus ad aliorum ſaluationem. Nec erat aliquis natus immunis a peccato, propter primam inobedientiam, attamen propter miſericordiam, miſit Deus in ſemen hominis animam à deitate creatã, vt expectaret, & ſtaret vſquedum veniret optimus, & mundiſſimus, qui libertate ſua ſufficeret iacentem erigere, ne diabolus in perpetuum ſuper caſu eius exultaret. Propterea adueniente tempore acceptabili æternaliter præuiſo, placuit Deo Patri mittere me filium ſuum in benedicta viſcera tua, ſumere carnem, & ſanguinem de te duplici de cauſa. Primo, ne homo alteri ſeruiret, quam Deo ſuo, Creatori, & Redemptori ſuo. Secundo, vt oſtenderem charitatem meam quam habui ad ho-

minem, & iustitiam, vt cum ego nihil peccaui, ex charitate moriebar, iustum fuit vt is, qui captiuabatur iuste saluaretur. Propterea Mater charissima bene dixisti, quod in iustitia, & misericordia feci omnia. Benedicta sis, quia fuisti sic dulcis, quod deitati placuit venire ad te, & nunquam separare se a te. Tu fuisti sic munda, quemadmodum domus mundissima, cum odore virtutum odorifera & omni pulchritudine ornata. Tu fuisti sic ardens, quemadmodum stella ardens, & clara, nec tamen consumitur. Sic tu charitate ad me præ cæteris arsisti, quæ nunquam consumebatur. Tu merito plena charitate, & misericordia diceris, quia omnium charitas per te floruit, & omnes inueniunt per me misericordiam, quia in te conclusisti fontem misericordiæ, ex cuius abundantia etiam pessimo inimico tuo, idest, diabolo exhiberes misericordiam, si humiliter peteret. Ideo quodcunque vis, & petis dabitur tibi. Respondit mater. Fili mi, petitio mea ab æterno nota est tibi. Ideo & vt ista sponsa tua intelligat spiritualia, rogo te, vt verba tua quæ dignatus es ostendere, radicentur in cordibus amicorum tuorum, & ad perfectionem compleantur. Respondit filius. Benedicta sis tu ab omni exercitu cœli. Tu es quasi aurora in charitate totius virtutis consurgens. Tu es quasi sydus vadens ante solem, quia iustitiam meam præcedis tua pietate. Tu sapiens mediatrix es, pacificans discordantes, hominem scilicet, & Deum. Ideo petitio tua exaudietur, & verba mea sicut vis complebuntur. Verum, quia vides, & scis omnia in me, Ideo filia tu sponsæ meæ indica quomodo ista verba procedent in mundum, quomodo cum misericordia, & iustitia publicentur. Ego sum quasi auis illa, quæ nihil desiderat comedere, nisi recens cor animalis, & nihil vult bibere nisi sanguinem purissimi cordis auis, tanquam perspicacis visus est, quod in volatu auium perpendit si cor recens est, vel corruptum, & ideo non recipit aues nisi recentis cordis. Ego sum talis auis, ego nihil desidero nisi cor recens, idest animam hominis bonis operibus, & affectionibus diuinis recentem, cuius charitatis sanguinem bibere desidero. Hæc est enim refectio mea charitas feruens ad Deum, & anima a vitijs emundata. Ergo quia charitatiuus, & iustus sum, & nullos desidero nisi charitate feruentes, ideo verba mea in iustitia, & misericordia intrare debent mundum. In iustitia quidem, vt homo non seruiat mihi propter timorem verborum meorum. Nec quasi quadam carnalis dulcedine trahatur ad seruiendum, sed ex diuina charitate, quæ prouenit ex consideratione intima operum meorum, & recordatione peccatorum. Hæc enim duo, qui frequenter cogitat inuenit charitatem inuenict, & me omni bono dignum. Debent etiam verba mea intrare cum misericordia, vt homo consideret, quia paratus sum dare misericordiam, vt homo intelligat Deum suum quem neglexerat, qui peccatores facit meliores.

CHRISTVS OSTENDENS hic cuidam Archiepiscopo, quare reuelare voluit verba ista. Conqueritur super omnes status hominum, suneq; passionis processum mostrando, ipsam neglectam, & se abiectum esse declarat. Præcipit etiam eidē Archiepiscopo laborare in istis reuelationibus. Regi quoque Sueciæ expeditionem contra paganos facere, & Episcopo Aboensi negotium ad Papam transferre. subiungens, quod tria sunt genera dæmoniorum homines obsidentium.

CAP. LI.

EGO sum, qui abeo qui mittebat missus sum in viscera virginea, & assumpsi carnem, & mortuus sum. Sed ad quid? Certe vt ostenderem verbis, & factis fidem, quia de mortuus sum, vt aperirem cœlum. Inde sepultus resurrexi, & venturus sum iudicare. Nunc igitur conuentis Episcopis, dic Archiepiscopo. Miraris quare impuor verba mea. Eleua oculos tuos, & vide. Ausculta auribus tuis, & audi. Aperi os tuum, & interroga, quomodo ab omnibus neglectus sum. Leua oculos tuos, & vide quomodo ab omnibus expulsus sum. vide quia nemo me in sua dilectione habere desiderat. Erige autem aures tuas, & audi, quia a solis ortu, vsque ad occasum cor hominum cupidum est, & feruens ad effusionem sanguinis proximi sui propter cupiditatem. Audi, quia omnes ornant membra sua pro superbia sua. Audi, quia delectatio hominum est irrationabilis quasi animalium. Aperi os tuum, & inquire, vbi sunt defensores fidei, vbi inueniuntur qui inimicos Dei expugnant, vbi sunt qui vitam suam ponunt pro domino suo.

In-

Inquire hæc diligenter, & inuenies valde paucos amicos meos. Cogita hæc, & scies me non sine causa loqui. Inquire vlterius, & audi qualis est dispositio Romanæ curiæ, quæ sedes mea deberet esse, sicut enim in sede quatuor sunt columnæ sustentantes, & medium quoddam in quo sedens quiescit, sic in sede mea quam summis Pontificibus reliqui, deberent esse quasi quatuor columnæ, humilitas, scilicet obedientia, iustitia, & misericordia, & medium, scilicet diuina sapientia cum diuina charitate. Sed hæc mutata est, & assumpta noua sedes, in qua est superbia pro humilitate, propria voluntas pro obedientia, amor pecuniæ pro iustitia, ira, & inuidia pro misericordia. Medium autem vocari sapiens, & magister ad mundũ. Ecce sic euersa, & immutata est sedes mea. Vide vlterius perquire reliqua capitis mẽbra, & clerum totum, & inuenies, quod ego Deus, & Creator omnium sum eis onerosus quasi lapis, sapio eis quasi venenum, ingluuiei eorum sum quasi mica. Ecce quomodo abiectus sum. Ecce quid mihi pro charitate rependitur. Ego creaui eos, & redemi tãta æquitate, & iustitia, ac si per similitudinem loquendo, statera coram me esset posita in qua, vt recte appẽderetur nõ posui aliud, nisi cor meum proprium. Ego natus, & circumcisus sum. Ego habui tribulationes varias, & labores, ego audiui verba pessima, & opprobria, captiuatus, & flagellatus, funibus ligatus sum, & quasi in prælo punitus, nerui mei distendebantur. *Venæ* rumpebantur, iuncturæ omnes dissoluebantur. Inde vertex meus, & caput totum punctutis spinarum lacerabantur. Sanguis defluens coagulatus deturpabat faciem totã, & barbam. Os, & lingua similiter inficiebantur sanguine, gingiuæ tunsionibus intumescebant. Inde extensus in cruce, collum meum non habuit reclinatorium nisi humeros meos. Brachia mea ad foramina stipitis funibus trahebantur. Pedes deorsum tracti, & duobus clauis perfossi, non habebant aliud sustentaculum nisi clauos. Interiora mea omnia arida, & contracta fuerũt. Cor meum plenum erat dolore, quod quia recentissimũ naturæ erat, & optimæ, ideo dolor quandoque de neruis exibat ad cor, & iterum a corde ad neruos, & sic augmentabatur dolor, & prolongabatur mors.

Cumq; sic dolorosus starem aperui oculos meos, & vidi matrem meam flentem astare, cuius cor plenum erat amaritudine, cuius omnia membra diriguerant, & palluerant, cuius væ, & amaritudo plus me cruciabat, quam meum proprium. Vidi etiã amicos meos in maxima anxietate esse, quorũ quidam quasi dubitabant, alij seruabant fidem, licet nimium turbabantur. Me autẽ in tali dolore stante, & in tanto væ perseuerante, tandem cor crepuit præ violentia passionis, & anima egrediebatur, qua egressa caput modicum se eleuauit, omnia membra contremuerunt. Oculi quasi ad medium aperiebantur, pedes sustentabant totum pondus corporis, & pendebam quasi pannus deformis. Ecce talia ego Creator tuus passus sum, & talia nullus curat. Hæc ego conqueror coram te, vt cõsideres quid ego feci, & quid mihi rependitur. *Secundo* rogo, vt labores mecum, omnis qui aliquid opus facere vult debet habere tria. *Primo* materiam de qua fiet opus. Secundo instrumenta cum quibus fiat. Tertio diligentem præmeditationem, vt sapienter fiat. Materia ego ipse sum sapientia ipsa de qua, & per quam omnis sapientia est, quia verba mea misi in mundum. Instrumenta sunt amici mei. Assume ergo verba mea, & vide si recentia, & non putrida sint. Si sanam, & rectam fidem sentiant, & sapiant, vide si digna & habilia auro meo sint. Considera si ducũt ab amore mundi ad amorem Dei, de inferni via ad celsitudinem cæli. Et si ita inueneris operare cum amicis meis tanquam bonis instrumentis honorem meum. Operare inquam sapienter quasi sapiens homo, labora viriliter, vt vir virilis, labora feruenter, vt amicus *Domini*. Tertio præcipio tibi quasi dominus, vt quod incæpisti perficias. Tu iuisti viam meam, iactasti aratrum tuum in modicam partem terræ, & cæpisti arare. Nunc præcipio tibi verte frequentius, & extirpa radices, & spinas, & ædifica ibi Ecclesias de bonis Ecclesiæ tuæ. *Hanc* partem terræ assigno in manus tuas, hanc quær a te. Ideo labora feruenter, & frequenter. Regi præcipio, vt ad inimicos quam citius poterit se transferat, quod si magnũ reputat esse quod facit pro me, maiora ego feci pro eo, quia vitæ meæ non peperci pro eo. *Huic* ego tres dabo in socios, duos qui in spiritualium intelligentiã habent, tertiũ qui nouit legem Ecclesiæ. Episcopo committet regnum suum, qui associabit sibi vnum sæcularem, qui pro iustitia non recipit pecuniam, in iudicijs non veretur hominem, qui non erogat aurum pro ære, non accipit lutum pro Cœlo. *Episcopo* Aboensi præcipio, vt negocium ad summum Pontificem transferat, cui præcipio nihil diminuere, sed permitto addere, quæ ad honorem meum sunt, & ad salutem animarum. Miramur quare spiritus non discedit ab obsesso. In quo possunt perpendere iustitiam meam maximam. Ego enim non maiorem iniuriam facio diabolo

bolo, quam Angelo in Cœlo. Nam iustitia est, vt sicut aliquid venit sic discedat. Iste spiritus a longinquo accessit, sic ex longinquo discedet. Tria namq; dæmoniorum sunt genera. Vnum est quasi aer, quod faciliter illabitur, & obumbrat conscientiam hominis, vt loquatur, & agat impudica, hoc faciliter venit, & faciliter exit. Hoc fuit in illo puero, sicut tibi prius demonstratum est. Secundum, est quasi ignis, quod corpus omne, & carnem impatientia vexat, & sic amaram facit homini vitam, vt mallet mori, quam viuere, & præ impatientia rapitur ad omne, quod spiritus ille impurus suggerit. Hoc sicut faciliter venit, sic etiam faciliter exit, remanente tamen corporis infirmitate. Hoc fuit in illa muliere. Tertium genus est quasi fumus. Sicut enim fumus, vbi ingreditur omnia commaculat, & omnibus se commiscet, sic hoc genus cum illius anima, & corpore totaliter mixtum fuit. Propterea sicut fumus aperto foramine aliquo paulatim discedit, & a longe, sic iste spiritus, qui ad verbum cœpit egredi paulatim exibit, donec ex toto purgatus est. Cum autem tot lacrymæ effusæ sunt, & abstinentiæ assumptæ, quod ad hoc dignæ sunt, & debitæ, tunc ad plenum egredietur, & purgatum se cognoscet, quia sicut paulatim, & a longe spiritus ille accessit, similiter & iustitia exigente abscedet.

SANCTA BRIGITTA HIC se coram Beata Virgine accusat de corpore indomito, & voluntate instabili. Et responsio Virginis consolatoria.

CAP. LII.

Benedicta sis tu Regina cœli, quæ nullum peccatorem despicis te ex toto corde inuocantem: Exaudi me licet indigna sum os meum aperire ad rogandum te. Scio enim, quod nisi suffulta adiutorio tuo, non possum memetipsam regere, quia corpus meum est quasi animal indomitum cuius ori nisi frenum imponitur, currit ad omnia loca in quibus habere consueuerat sua delectabilia. Voluntas mea est quasi volucris, continue sequi volens cogitationes volatiles, & volare cum eis volantibus. Ideo rogo vt frenum imponatur corpori meo, quam cito alicubi currere voluerit, vbi filio tuo displicuerit, & ducat illud, vbi voluntatem filij tui perficere poterit. Imponas etiam retinaculum illi volucri, quæ est voluntas mea, ne longius euolet, quam filio tuo charissimo complacet. Virgo respondit. Oratio ex deuoto corde ad honorem Dei effusa exaudiri meretur ad effectum. Et ideo tu quæ petis frenum imponi corpori tuo, vt regatur ad voluntatem Dei, expedit vt onus etiam imponatur ei, prouehendum ad honorem regentis, vt cum voluntas tua sit talis, quod magis velis tacere, quam cum sæcularibus hominibus loqui, & delectabilius tibi videtur paupertatem pati in domo tua, quam omnes diuitias in domibus principum aspicere. Quorum nec curas inimicitias, si amicitiam Dei promereri possis. Et ideo illud onus impono tibi, vt dicas aliqua verba, quæ Deo placuerint.

CHRISTVS PER PASsionem suam reprobat curiositatem ædificiorum, & delectationem carnalem.

CAP. LIII.

Contigit semel, quod cum Beata Brigitta viuente marito parari fecisset lectum per quendam carpentarium, solemnius, & curiosius solito in sua domo in villa quæ dicitur, vlfasa, tunc percussa fuit quasi ab vna manu tam valenter in capite, quod vix se mouere poterat præ dolore. Ducta igitur ad aliam partem domus, audiuit quasi de pariete vocem dicentem sic. Ego non stabam, sed pendebam in cruce, nec caput meum habuit reclinatorium, & tu tibi tantam curiositatem quæris, & quietem. His igitur auditis Domina Brigitta resoluta in lacrymas, & subito statim curata est. Et postea cum potuit potius in straminibus, & pelle vrsina dormiebat quam in lecto.

VISIO SPIRITVALIS de olla, & cibo desiderabili, & igniculo subtus ollam, de quodam induto auratis vestibus laborante circa ollam, & quid per hoc significatur.

CAP. LIIII.

QVODAM tempore cum Sancta Brigitta esset in oratione, Vidit ante se igniculum quendam in spirituali visione, & quandam paruam ollam super igniculum positam, & in ea desiderabilem cibum. Vidit etiam quendam virum purpura aurea, & valde splendida amictum. Qui flexis genibus ollam circuibat, modo sufflans ad ignem, modo autem ligna remouens, & his modis pro illa laborabat. Qui tandem ad eam, quæ hæc videbat ait, dicens. Tu quæ hæc vides, vidisti vnquam tam humilem hominem sicut ego sum? Ego quidem vt cernis auratis vestibus indutus, tanta seruitia exhibeo huic ollæ. Circumeo eam flexis genibus, inclino caput ad terram sufflando ad ignem. Ligna quoque compono, & congero, quandoque etiam illa ab inuicem separo, & nulli meo labori parco, & ideo me valde humilem comprobato. Sed quid hoc significat tibi ostendere me oportet. Per illam ollam cor tuum intelligo. Per cibum qui est in illa, verba illa dulcissima, quæ tibi a Deo desuper donantur, per igniculum charitatis feruor, quem a Deo habes. Ego vero diabolus sum tuæ consolationi inuidens, qui ideo me tam humiliter seruientem exhibeo, iam sufflando non tantum, vt ignis magis ardeat, sed vt cineres, id est, ignis magis ardeat, sed vt cineres, id est, terrenarum rerum affectus in ollam, id est, in cor tuum ascendant, vt sic ille saporosus cibus, idest verba Spiritus sancti tibi infusa aliquantulum insipida fierent. Commoueo faces, & ligna, vt olla, scilicet cor tuum ad terram, idest ad aliquos terrenos notos, aut proximos inclinaretur, ita vt Deus minus diligeretur.

NARRATIO DE EXCELLENTI merito sanctitatis Beatæ Brigittæ, quam vidit, & prædixit frater Gerrechinus de Monasterio Aluastri vir magnæ sanctitatis.

CAP. LV.

QVidam monachus sanctæ vitæ ipsius monasterij Aluastra. Narrauit cum lacrymis, & iuramento ipsi Priori Petro, quod quando Domina Brigitta venit ibi ad residendum in eodem monasterio monachus admiratus est in corde suo, & zelo regulæ, & sanctitatis, dixit in corde suo. Cur ista domina residet hic in monasterio monachorum, contra regulam nostram inducens nouam consuetudinem? Tunc idem frater in oratione raptus in quodam mentis excessu audiuit quandam vocem dicentem sibi. Hæc enim mulier est amica Dei, & ad hoc venit ad monasterium, vt sub monte isto flores colligat, de quibus omnes gentes etiam vltra mare, & fines mundi recipient medicinam. Iste enim frater vocabatur Gerrechinus, qui fuit tantæ sanctitatis, & vitæ, quod per 40. annos extra monasteriũ nunquam exiuit, sed diebus, & noctibus vacãs orationibus, hanc gratiam singularem habuit a Deo, quod nouem choros Angelorum quasi continue videbat in oratione. Et in eleuatione corporis Christi videbat Christum in specie pueri.

Additio.

Item frater Gerrechinus vidit semel in dicto monasterio Aluastra Dominam Brigittam eleuatam in aerem, & de ore eius flumen egrediens. Et tunc ipso orante audiuit in spiritu dicentem sic. Hæc est mulier, quæ a finibus terræ veniens, propinabit innumerabilibus gentibus sapientiam. Et hoc erit tibi signum, quod ipsa de ore Dei dictura est tibi finem vitæ tuæ, & exultabis in verbis, & aduentu eius. Et complebitur citius desiderium tuum, ne videas mala quæ inducturus est Deus super hanc domum. De isto fratre etiam fertur, quod semel Abbate sibi præcipiẽte vt eos, qui in pistrina erant adiuuaret, ipse artis pistoriæ non assuetus officio imaginẽ quandam Mariæ Virginis in pariete depictam more solito venerando sic affatus est.

Do-

Digitized by Google

Domina chariſſima, pater Abbas præcepit, vt cum piſtoribus laborarem. Tu autem ſcis, quod neſcio piſtrinam, veruntamen iuxta voluntatem tuam faciam, cui imago reſpondit, fac quod hucuſque feceras, & ego pro te ſeruiam in piſtrina. Et ſic factum eſt neſcientibus his, qui ibi laborabant aliud, quam quod frater Gerechinus perſonaliter inibi laboraſſet, cum tamen fixus in oratione in Eccleſia repauſauit. De eodem fratre habetur, quarto libro, cap. 121. apparuit diabolus, & dixit &c.

BEATAE MEMORIAE Dominus Vlpho Gudhmarſon, quondam maritus Beatæ Brigittæ præmortuus apparuit eidem, pœnarum purgatorij ſui aſſignans cauſas, & celeris liberationis ſuæ remedia declarans.

CAP. LVI.

Qvidam mortuus apparuit dicens. Iuſtitiam ſenſeram iudicis, ſed iam paulatim minuetur ſeueritas, & miſericordia appropinquat. Nam viuens quinque modis exceſſi, de quibus in extremis non ſatis penitui. Primum eſt, quod in illo puero deliro quem nouiſti nimis exceſſi ineptijs eius applaudendo, & congaudendo, & in deliramentis eius delectando. Secundum eſt, quod non ſatisfeci viduę de bonis ab ea emptis ante mortem, & hoc contigit propter negligentiam meam. Ideo vt me verum dicere probes cras veniet ad te, cui redde quid petit, quia non petit niſi petenda. Tertium eſt, quod promiſi in leuitate mentis meæ vni viro, aſtare ſibi in omnibus difficultatibus ſuis, ex qua promiſſione ille animoſior factus, contra regem, & legem ſe erexit. Quartum eſt, quod in haſtiludijs, & mundi vanitatibus, plus propter oſtentationem me exercui, quam propter aliquam vtilitatem. Quintum eſt in exilio cuiuſdam nobilis nimis pertinax fui, & inexorabilis, & licet dignus erat iudicio, ego tamen minus miſericors fui in eum quam debebam. Tunc domina reſpondit. O fœlix anima, quid tibi primum profuit ad ſalutem? Aut quid eſt, quod tibi prodeſſe poterit nunc ad liberationem. Reſpondit? Sex ſunt quæ profuerunt mihi. Primum ſcilicet confeſſio mea quam omni ſexta feria quãdo copiam habui feci, habens firmum propoſitum impoſita mihi emendandi. Secundum eſt, quod ſedens in iudicio non iudicaui amore pecuniæ, ſeu fauoris, ſed omnia iudicia mea examinaui diligenter, paratus errata corrigere, & minus benefacta retractare. Tertium eſt, quod obediui magiſtro meo conſulenti mihi non commiſceri poſtquam partum intellexi viuificatum. Quartum eſt, quod cautus fui quantum potui, ne per me, vel meos pauperibus in hoſpitando eſſem ingratus, vel oneroſus, ſeu ſumptuoſus, omnem adhibens ſollicitudinem ne contraherem debita, niſi preuiderem vnde ſoluerentur. Quintum eſt abſtinentia, quam aſſumpſi mihi in via peregrinationis ad ſanctum Iacobum. Nam conſtitui in via non bibere per interualla. Ideo per hanc abſtinentiam deleta eſt illa longa ſeſſio, quam habui in menſa, & loquacitas, & exceſſus. Et iam certus ſum de ſalute mea, licet incertus ſum de hora. Sextum eſt, quod commiſi iudicia mea illis, quos credebam iuſtos, vt ſoluerent debita mea. Et quia debitis implicari timebam, reaſſignaui viuus regi prouincias ſuas ne anima mea iudicium Dei ſuſtineret. Nunc igitur, quia datum eſt mihi auxilium petere, rogo te, vt per annum integrum facias continue celebrare miſſas de Saluatrice noſtra Sanctiſſima Maria, de Angelis, & de omnibus Sanctis, & pro defunctis. Inſuper de Paſſione Chriſti Saluatoris noſtri, quia ſpero me liberari citius. Præcipue etiam ſollicita ſis erga pauperes, non parcendo diſtribuere vaſa, & equos, & alia in quibus delectando maxime peccaui. Calices quoque aliquos ſi poteris pro ſacrificio Dei non negligas offerre, quia certiſſime proficiunt animæ ad ſalutem. Immobilia vero relinque filijs, non enim remordet conſcientiam meam, aliqua vel male acquiſiſſe, vel tenuiſſe, vel tenere voluiſſe.

QVADAM VICE DVM ſponſa Chriſti tentabatur a ſpiritu caſtrimargiæ, Angelus dedit ei formam, & cautelam euadendi huiuſcemodi tentationes.

CAP. LVII.

Qvadam vice Beata Brigitta in Monaſterio Aluaſtri tentata fuit a Caſtrimargia intãtum, quod prę fame vix aliqua alia ſufficeret cogitare.

Tan-

Tandem ipsa orante in spiritu esse sunt ei duæ personæ, scilicet Aethiops vnus habens in manu quasi bucellam panis, & quidam iuuenis pulcherrimus, habens vas deauratum. Et tunc dixit iuuenis Aethiopi. Cur sollicitas eam quæ tradita est mihi in custodia? Respondit Aethiops, quia gloriatur in abstinentia quam non habuerat. Non enim cessat implere ventrem suum, donec plenus fuerit stercoribus delicatis. Ideo porrigo ei bucellam meam, vt dulcescant ei grossiora. Respondit ei iuuenis: Tu scis bene, quod non habet naturam immaterialem sicut nos, sed saccum terrenum, quæ cum sit terra labilis, & inquieta indiget continua recreatione. Et ille Aethiops dixit. Christus vester aliquo tempore ieiunauit nihil comedēs panis, & biberat aquam ad mensuram, ideo promeruit sublimia. Et quomodo ista merebitur, quæ semper sentit satietatem? Respondit Angelus. Nunquid non est etiam Christus tuus sicut noster? Cui ille inquit. Nequaquam, quia nunquam ei me volo humiliare, sed contraria faciam ei, quia non redibo in gloriam suam. Respondit iuuenis. Christus docuit ieiunare, ita tamen vt non debilitetur corpus vltra modum, sed vt humilietur, ne insolescat contra animam. Nec Christus noster quærit impossibilia naturæ, sed moderantiam, nec quærit qualia, & quanta quis sumit, sed quali intentione, & charitate. Cui Aethiops. Iustum inquit est, vt quod ista mulier non experiebatur in iuuentute, sentiat in senectute. Et è contra iuuenis. Iuuenum ait laudabile est abstinere a peccato, nec prohibet a Cœlo purpura, & caro delicata cum charitate Dei habita, quia consuetudo educationis bonæ cum gratiarum actione tenenda est quandoque, ne caro grauius infirmetur. Post hæc autem eadem hora Virgo Maria apparens eidem Dominę Brigittę coronata, dixit Aethiopi. Obmutescere negotiator inuide, quia mihi ista est assignata. Et Aethiops ait. Si inquit aliud facere non potero, iaceam saltim paliurum in fimbriam vestimentorum eius. Cui Virgo ait. Ego adiuuabo eam, & quoties eam eieceris reijcietur tibi in faciem, & duplicabitur corona eius.

MARIA VIRGO DICIT quod omnia ieiunia, & alia meritoria facienda sunt cum obedientia, & discretione. Et dicit tria debere esse in ieiunio.

CAP. LVIII.

MAria loquitur ad sponsam. Omnia quæ facis cum obedientia, & discretione facere debes. Acceptius est enim filio meo comedere, quam contra obedientiam ieiunare. Ideo tria sunt tibi in ieiunio cauenda. Primo ne ieiunes inaniter, sicut illi qui ostendunt ieiunia sua hac intentione, vt alijs sint in ieiunio, & labore similes, & æquales, hoc enim irrationabile est, nam iuxta corporis fortitudinem, & motuum illicitorum edomanda desideria, temperandum est ieiunium, & sicut natura ferre potest. Secundo ne ieiunes insipienter, sicut illi, qui in infirmitate sua, ita exercere volunt contra vim naturæ sicut in sanitate. Isti diffidunt de misericordia filij mei, quasi noluerit recipere infirmitatem eorum pro opere, & voluntate, ergo filia ieiuna sapienter. Et quoties aduenerit infirmitas, aliquantulum mitior sis circa corpus tuum compatiendo ei tanquam animali irrationabili, ne succumbat ex labore. Tertio caue ne ieiunes irrationabiliter sicut qui ieiunant plus alij intētione, vt præ alijs maiorem mercedem, & honorem obtineant. Isti sunt quasi illi, qui constituunt sibi mercedem laboris sui, propterea ieiuna de cetero, vt placeas filio meo, & prout natura tua ferre potest. Mensura ergo te in temetipsa iuxta fortitudinem virium tuarum, confidens semper de misericordia filij mei. Et crede te ad omnia indignam, nec cogita aliquem laborem tuum esse condignum ad remissionem peccatorum tuorum, & minus ad remunerationem perpetuam, nisi filius meus fecerit tecum misericordiam suam. vide lib. 7. cap. 7. medio. et lib. 4. cap. 29. et 68. et 69. et 91.

QVOD RELIQVIAE SANCTOrum sunt reuerenter habendæ.

CAP. LIX.

TEmpore quo B. Brigitta fuit magistra Reginę Blancę quondam Reginæ Suetiæ.

tiæ, obtinuit ab ipsa vnam capsam eburneã pulcherrimam, in qua multorum sanctorum reliquiæ erant inclusæ. Et etiam de Sancto Ludouico *Rege Franciæ* quas de Francia ipsa Regina apportauerat. Igitur casu accidente, capsa illa in loco minus decenti a seruitoribus posita fuit, & oblita. Tunc Beata *Brigitta* vidit in spiritu de illa capsa prodire lumen splendidũ. Quæ admirata super hoc audiuit vocem sic dicentem. Ecce thesaurus Dei, qui honoratur in Cœlis despicitur in terra, ideo transmigremus ad alia loca. Quod audiens domina reponi fecit ipsam capsam honorifice in altari.

CHRISTVS DECLARAT hic, quod balnea cum discretione, seu medicinæ aliæ carnales, ab electis Dei receptæ non displicent ei.

CAP. LX.

ORante Beata Brigitta Christus apparens dixit ei. *Scias* quod illi, qui videbantur esse spirituales homines in veteri lege vocabantur *Pharisæi*, qui habebant tria. *Lauabant* enim se iugiter vt viderentur mundi. Ieiunabant, & orabant in aperto, vt vocarentur sancti, docebant, & præcipiebant multa, quæ ipsi minime faciebant. Sed modicum profuit eis apud Deum, quia intentio eorum erat corrupta, & anima immunda. *Ergo* sicut non proficit animæ immundæ lotio carnis sine munditia conscientiæ, sic nec obest animæ mundæ, lotio carnis, dummodo fiat ex discreta compassione, & absque delectatione. Ideo plus placuit mihi quod obedisti magistro tuo contra velle tuum, quam si secuta fuisses tuam voluntatem contra præceptum eius. Nam multi electorum meorum fuerunt, qui nec habuerunt medicinas carnales, nec alias indulgentias carnis, & placuerunt mihi. Alij vero secundum dispositionem temporum, & locorũ, & infirmitatum diuersarum, adhibuerunt sibi medicamenta, nec isti displicuerunt mihi, quia totum fecerunt ad seruiendum mihi. Ideo obedientia illa quæ nihil habet de propria voluntate, plus placet mihi quam sacrificium magnum. *vide cap. sequente LXI. et [illegible] supra lib. 4. cap. xxvi.*

QVOD CONSVETVDO deuota propter obedientiam pot est mutari.

CAP. LXI.

DOmina Brigitta habuit in consuetudine non bibere inter interualla. Contigit quadam die, quod vix poterat loqui, quod videns magister Matthias suus pater spiritualis, præcepit sibi sumere potum, quæ licet sibi graue videretur omnem priorem consuetudinem mutare nihilominus obediuit. Quæ tunc audiuit in spiritu. *Quid* times mutare vitam? nunquid bonorum tuorum egeo, aut meritis tuis intrabis cœlum? Obedias igitur magistro tuo. Ipse enim expertus est conflictum duorum spirituum, scilicet veritatis, & illusionis, nam etiam si decies comederis, & biberis in die propter obedientiam non tibi imputabitur in peccatum.

QVOMODO SANCTA BRIGITTA elongans se a diabolo, se totam conuertit ad Deum, & quanta est malitia diaboli contra Deum.

CAP. LXII.

VIDEBANTVR Angeli inter quos erat vnus malus, qui ait ad sponsã Christi. Aliam dispositionẽ habet anima tua nunc quam prius, nutrix tua iam elongat se a te, hec est superbia quæ ego sum. Quare non loqueris, & faues mihi sicut prius? *Respondit* illa in anima sua, hoc est, quia non diligis Deum, etiam si pasceres animum meum omni suauitate, corpus meum vestires auro, non diligam te, quia spernis Deum meum. Nam magis sequerer Deum in pœnam, quam in te omnem dulcedinem. *Et* ideo quia odis Deum omnia tua sunt mihi odiosa. *Sed* si vertere volueris animum tuum ad Deum, ego vtiq; diligam te, & faciam voluntatem tuam. *Respondit* dæmon. In veritate inquit si possem sumere corpus mortale magis in eo vellem pati omnem pęnam, & insuper pœnas inferni quam charitatem vertere ad *Deum*. Tunc responderunt illi duo boni Angeli. Cum Dominus noster

ster est Deus tuus, & creator cur non vis ei subijci? Respondit ille. Quia sic firmaueram mentem, & voluntatem meam quam immutare nolo, sic mihi odiosus est. Tunc alter illorum bonorum Angelorum ait. Domine licet omnia memineris, tamen quia tibi sic placet, vnum verbum tibi reduco ad memoriam. Dixisti enim prius de noua sponsa tua. Cum ego verto me ad austrum ipsa vertit se ad occidentem. Nunc autem potes dicere, quocunque vertis te, sponsa tua pro modulo suo sequitur te. Respondit Dominus. Decet sponsam obedire, & humiliare se Deo suo.

VERBA SANCTAE BRIGITTAE ad Virginem Mariam de charitate sua ad ipsam. Et responsio Virginis reamorosa.

CAP. LXIII.

Benedicta sis tu o Maria Mater Dei, & benedictus sit idē Deus tuus filius Iesus Christus, pro omni gaudio quod mihi dederat ex eo, quod tu Mater eius es. Ipse idemque nouit, quod Maria filia Ioachim est mihi charior, quam liberi Vlphonis, & Brigittæ. Et magis vellem, quod Brigitta filia Birgeri nunquam fuisset nata, quam quod Maria filia Ioachim non esset progenita. Et leuius eligeré, quod Brigitta esset in inferno, quā quod Maria filia Ioachim non esset Mater Dei in cœlo. Cui respondit Beata Virgo. Filia scias pro certo, quod illa Maria filia Ioachim erit tibi vtilior, quam tu Brigitta filia Burgeri es tibi ipsi. Et eadem filia Ioachim quæ est Mater Dei, vult esse pro matre liberis Vlphonis, & Brigittæ. Sta ergo stabilis, & obedi Agneti in consilijs quæ dat tibi in spirituali visione, & magistro tuo, qui ambo informent te de vno spiritu. Et obediens alteri eorum, obedis ambobus. Dic etiam illi magistro tuo, quod nihilominus faciat, quod sibi iniunctum est, licet exinde incurrit tribulationes corporales, quia tribulationes positæ contra bona opera, non sunt nisi laquei diaboli. Persaltet igitur laqueos, & procedat viriliter, quoniam via quam incedit homo ad gloriam Dei cum maiori tribulatione, erit ei apud Deum in maiorem remunerationem, & coronam, quam quæ peragitur cum minori tribulatione. Et quodlibet vestigium reputabitur ei a Domino ad coronam.

SANCTA BRIGITTA probat hic Virginem Mariam esse pijssimam dupliciter. Et de quinque tentationibus quæ spirituales solent impedire.

CAP. LXIIII.

Benedicta sis tu, quæ es virgo, & mater. Maria est nomen tuum. Tu peperisti Iesum Christum. Et similitudo quam semel intellexi, quod multi nobiles, & sapientes, perhibebant cuidam testimonium, quod erat pius, & misericors, turba pauperum eminus existens, clamabat dicendo eorum testimonium esse verum. O mea charissima Domina sic mihi videtur esse per te, quia omnes sancti, qui pariter erant nobiles, & sapientes, perhibent tibi testimoniū, quod tu vere es pijssima, & misericordissima. Ego vero quæ sum de turba pauperum de meipsa nihil boni habens clamo dicendo testimonium illorum esse verissimum. Ideo rogo te pijssima domina, vt digneris miserere mei. Videor enim mihi nimis periculose stare, quia mihi videtur quasi stem in limine inter duas domos, quarum altera est valde lucida, aliaque nimis tenebrosa. Dum autem verto oculos ad domum tenebrosam, videntur mihi omnia, quæ vidi in domo lucida, esse quasi somnum in nocte visum. Beata Virgo respondit. Dic mihi licet omnia sciam, quid vidisti specialiter in domo tenebrosa. Ego respondi. Mihi videbatur, quod quasi vnus ingressus esset in tenebrosam domum, & vnus arctus exitus. Extra vero exitum claritudo quædam lucida, in qua omnia delectabilia erant. Ab isto ingressu erant multæ viæ ducentes ad exitum. Et in qualibet via stabant quinque mortales inimici, omnium transeuntium per alias vias. Primus inimicus loquebatur eis verbis blādis, sed in accommodantium sibi aures immisit cerebro flammam ardentem. Secundus tenebat in manu flores, & alia quæ terra fructificat, quæ cito deficiunt. Sed qui vertebat oculos ad illa cum desiderio possidendi ea, perforabatur ab illis in oculis lancea acutissima. Tertius hostis habuit vas veneno plenum perlinitum exterius in summitate modico melle, & emisit in guttura omnium illud vas degustantium. Quartus habuit diuersa, & pretiosa clenodia de auro, & argen-

cto, & lapidibus pretiosis manibus hominum fabricata, ad quæ qui apposuit manum cum desiderio possidendi, lædebatur a serpente venenosissimo. Quintus strauit mollissimam culcitram sub pedibus transeuntium, sed quam cito quis delectabatur requiescere super illa subtraxit hostis culcitram, & sic qui putabat quiescere cecidit profundissime in saxa durissima.

CHRISTVS REVELAVIT hic sponsæ regularem modum viuendi pro seipsa, & sua familia.

CAP. LXV.

CHRISTVS loquitur. Consulo vobis habere quatuor horas pro dormitione ante mediam noctē, & quatuor post. Sed qui hoc non potest habeat voluntatem, & proderit ei. Qui potest minuere aliquid de somno rationabiliter, ita quod non deficiat in corporalibus sensibus, vel viribus, proficiat ei in maius meritum, & pręmiū. Deinde habeatis quatuor horas pro orationibus legendis, & pro aliis deuotis, & vtilibus operibus perficiendis, vt nulla hora prætereat sine fructu. Deinde per horam sedeatis ad mensam, sed si breuius feceritis pręmium a Deo inde recipiatis. Et illud tempus etiam nullatenus sine causa rationabili prolongetis. Deinde habeatis sex horas ad operandum opera necessaria, quæ vobis permittuntur, & iniunguntur. Deinde habeatis duas horas ad vesperas, & completorium, & deuotas orationes. Postea horam ad comedendum, & bibendum in cœnis, cum honesta consolatione ad alleuiationem corporis. Surgentes autem a lecto teneatis silentium per quatuor horas, ita quod nihil loquamini sine licentia, nec etiam necessaria nisi cum paucioribus verbis, si quid a vobis quæritur respondendo. Postea permittitur vobis habere moderatam, & honestam consolationem, ad solatium, & recreationem corporalem. Post gratias teneatis silentium, donec legatis orationes vobis iniunctas, & ordinatas. Sex autem horas ordinetis secundum præceptum magistri vestri, vel ad discendum, vel operandum aliquid vtile, & tunc loqui potestis cū quibus volueritis, quæ sunt honesta, & non contra Deum. In vesperis, & completoriō teneatis silentium. Et in illa modica hora, quæ deinde protenditur ad cœnam, potestis loqui adinuicem verbis honestis, & vsquedum lectos intraueritis consolari. Ego dixi in Euangelio, quod qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo nō perdet mercedem suam. Item omnis abstinentia quãuis minima, pro honore meo assumpta, & deuote completa, meretur a me condigna pręmia. Item vos bene scitis ieiunia vestra in itinere tenenda. Si essetis in monasterio esset vobis forsan maius otium, aut superfluitas. Sumatis igitur corporis necessaria cum parcitate discreta, vtamini brodio vnius generis, siue sit olus, siue aliud quodcunq; sorbile, plura autem relinquite propter Deum. Carnes vero, vel pisces, duplici genere liceat vobis in mensa habere. Et id, quod maius est ob amorem meū dimittite. Panes qui vobis apponuntur comedatis. Et si plures quam apponuntur egueritis, petatis in nomine meo a magistro vestro. Et eadem lex sit in potu, quæ de pane data est. Sciatis etiam, quod infirmus non potest æque tenere regulam vt sanus, & fortis viribus. Et ideo potest necessaria sua petere, & sibi quæ habentur præ manibus exhiberi. Item cum nihil decreueritis possidere, nihil etiam debetis sine licentia dare, vel data vobis sine licentia acceptare. Vos etiam precaueo, quod diabolus omni hora ponit vobis laqueos, & insidias. Ideo consulo vobis, vt notetis verba, quæ in tempore silentij protulistis incaute, & faciatis de eis veram confessionem, assumentes satisfactionem debitam pro eisdem. Et si in verbis inuenitur inutilis, & non discreta præmeditata locutio, vel responsio, tunc oportet, quod pęnitentia, & satisfactio sit maior. Si vero aliquis subito motu, vel ira obloquitur alteri statim cum fieri potest quæratis locum aptum, legendo vnum Aue Maria, a Deo indulgentiam humiliter postulando. Item qualibet sexta feria veniatis in capitulum ea voluntate, quod nihil velitis de debitis vestris abscondere, vel iterare, sed omnia secundum quod vobis iniungitur humiliter emendare.

HIC PERMITTITVR Sanctæ Brigittæ videre qualis erat Christus.

CAP. LXVI.

MARIA loquitur. Ego sum Regina Cęli, & Mater miserorum, ego tibi ostendere volo, qualis filius meus erat in humanitate sua, & qualis quando patiebatur in cruce, & hoc erit tibi signum, quia

quia venies ad loca, in quibus ego corporaliter conuersabar, & ibi videbis spiritualibus oculis tuis filium meum.

VERBA VIRGINIS MARIAE multum consolatoria facta Beatæ Brigittæ in vltima infirmitate sua.

CAP. LXVII.

Paulo ante mortem Beatæ Brigittæ Virgo Maria apparuit ei dicens. Si fœmina quando est infirma parit, omnes filij eius quos parit infirmantur. Sed tu paries filios fortes & sanos, & Deo deuotos, & sanaberis melius, quam vnquam prius fueras, & non morieris, sed venies ad locum tibi promissum, & præparatum. Nam Sanctus Franciscus diu fuit infirmus, & tamen tunc fecit fructum, & velle Dei. Sed postea sanatus est, & fecit, & facit maiora quam infirmus. Sed quærere potes quare tantum prolongatur infirmitas tua, & consumitur natura, & fortitudo tua? Respondeo tibi, quod filius meus, & ego diligimus te. Nonne recordaris, quod filius meus dixit tibi in Hierusalem, quod peccata tua fuerunt dimissa tibi, quando ingressa fuisti templum sanctum sepulchri eius, quasi si tunc a baptismo leuata esses. Sed non dixit tibi, quod nihil pati deberes, quamdiu viuis in mundo. Ideo voluntas Dei est, vt charitas hominis respondeat charitati Dei. Et quod negligentiæ præteritæ per patientiam, & infirmitatem diluantur. Reminiscere etiam me dixisse tibi multoties, quod verba filij mei, & mea spiritualiter, & corporaliter intelligi possunt, sicut dixi in ciuitate Stralesundis, quod si ante perfectionem diuinorum verborum contentorum in libris cœlestibus, quæ tibi diuinitus data sunt, vocata fueris de mundo, quod tunc propter voluntatem tuam bonam reputaberis monacha in Vuazstena, & eris particeps omnium a Deo tibi promissorum.

BEATA VIRGO DEclarat hic quid sit mori spiritualiter aut viuere.

CAP. LXVIII.

Virgo Maria apparuit Beatæ Brigittæ sexta die ante mortem eius sic dicens. Quid dicunt medici, nonne quod non morieris? Vere filia ipsi non attendũt quid est mori. Nam ille moritur, qui separatur a Deo, qui obduratus in peccato non euomit immunditiam peccatorum per confessionem. Ille etiam mortuus est, qui non credit in Deum, nec diligit Creatorem suum. Sed ille viuit, & non moritur, qui semper timet Deum, qui frequenti confessione purgat peccata sua, qui desiderat peruenire ad Deum suum. Verum quia Deus naturarum loquitur tecum, qui etiam contra naturam disponit, & tenet vitam tuam, ideo in medicamentis non est salus, nec vita. Sic nec etiam necesse est tibi iam inniti medicamini, quia modicum tempus modico indiget cibo.

ORATIO SANCTAE BRIGITTAE ad Sanctam Mariam, & responsio Virginis commendans filiam sponsæ Beatam Catherinam.

CAP. LXIX.

Orabat sponsa Christi ad Virginem dicens. O mea charissima Domina. Rogo te propter charitatem dilecti filij tui, vt dones mihi auxilium eum toto corde diligere. Ego sentio me debilem ad diligendum eum tam ardenti charitate vt deberem. Ideo rogo te Mater misericordiæ, vt ligare digneris charitatem eius super cor meum, & attrahe illud ad filium tuum, toto conamine separatum ab omni dilectione carnali. Et eo valentius attrahe, quo fuerit ponderosius. Beata Virgo respondit. Benedictus sit ille, qui tales orationes inspirat. Sed quamuis tibi iam dulce videatur colloquium meum. Vade tamen, & consue tunicam filiæ tuæ, quæ magis gaudet de vetusta, & reparata tunica, quam de noua, quæ maius desiderium habet ad criseum burellum, quam ad sericum, & aliud preciosum indumentum. Beata illa quæ sic libere reliquit mundialia. Ipsa reliquit maritum cum ipsius beneuolo consensu, cuius corpus dilexit sicut seipsam, & eius animam plus quam vtrorumque eorum corpora. Ipsa reliquit fratres, & sorores cognatos, & amicos corporaliter, vt posset eos iuuare spiritualiter, possessiones mũdi non curauit. Ideo pro derelictione consanguineorum dimissa sunt ei omnia peccata sua. Stet modo deinceps stabilis.

Nam pro possessione terrena dabitur ei regnum Cœli. Et ipse Iesus Christus pro marito. Et omnes qui diligunt eam, ad Deum proficient propter eam.

CHRISTVS HIC PROmittit se prouisurum sponsæ suæ, & suis propter charitatem.

CAP. LXX.

CVM Beata Brigitta esset prope Ludosiam in Regno Sueciæ occurrit ei vnus de familia sua pauper rogans sui misereri, quia disponebat facere nuptias filiæ suæ desponsatæ, sed præ paupertate non valebat. Igitur ipsa Domina Brigitta audiens a dispensatore domus suæ, quantum haberet in prompta pecunia, respondit dicens. Da inquit isti pauperi tertiam partem eorum quæ habes, vt filia eius consolata oret pro nobis. Ingressi autem ciuitatem, inuenerunt ad ianuam hospitij dictæ Dominæ Brigittæ pauperes congregatos, quibus præcepit eleemosynam dari. Respondit dispensator, nullo modo sufficere ea quæ habebat ad soluendum in hospitio, nisi reciperet ab alio pecuniam accommodatam. Et quomodo tam large effunditis pecunias. Magnæ quippe perfectionis est, pecunias pauperibus erogare, & ab alijs mutuum recipere. Cui Domina Brigitta. Demus cum habemus, quia benignus Deus largus est nobis dare cum indigemus. Istis enim pauperibus ego reseruata sum, quia non habent aliud solatium. Ego autem in necessitate mea, relinquo me voluntati Dei. Cum autem missam in Ecclesia audiret, ipsa Beata Brigitta, orando audiuit Christum dicentem sibi. Filia nostra est sicut illa, quæ ita feruenter properat ad sponsum, quod obliuiscitur patrem, & matrem, & omnia quæ habet donec inueniat quem quærit. Quid ergo facturus est sponsus? Mittet vtique seruos, & faciet omnia quæ sponsæ sunt venire post eam. Sic propter tuam charitatem prouidemus tibi, & tuis o filia. Nam sicut charitas ineffabiliter introduxit me in vterum Virginis, sic charitas hominis introducit Deum in animam eius.

SANCTVS IOANNES Baptista loquitur Beatæ Brigittæ de quodam, qui creditur fuisse Magister Petrus Olaui confessor eius, de quo superius est actum.

CAP. LXXI.

OFilia de amici tui spiritualis victoria conturbari non oportet. Miles amicus Dei vicit de inimico Dei pulchram victoriam. Inimicus incaute accurrebat post eum, volens eum lædere in hoc, quod irasci deberet contra latrones, se spoliantes. Ille quidem contra hostis lanceam insultauit frangens illam. Et ipsum lancea sua transfixit in hoc, quod cum omnia sibi abstulissent, remota iræ commotione dicebat illis. Amici si placet vobis bibere habeo adhuc vinum in flascone. Secundo transfixit eum alia lancea in hoc, dum abstulerunt ei cappam, ipse enim eis sine impatientia præbebat vnicam. Tertia lancea eum transfixit in hoc, quod ipsis recedentibus, & eo nudo residente, gaudenter regratiabatur Deo pro suis tribulationibus, pro suis læsoribus orans cum charitate. Et viam suam deinde arripuit, de nuditatis pudore minime verecundans, ex cuius victoria tota nostra curia congaudebat.

SANCTVS BOTVIDVS promeruit Beatæ Brigittæ istam gratiam, &c.

CAP. LXXII.

QVarto anno ante mortem vir Sanctus quidam terræ Sueciæ Botuidus nomine, apparuit Dominæ Brigittæ, quasi in quodam mentis excessu, dicens. Ego tibi promerui cum alijs Sanctis istam gratiam Dei, scilicet audire, & videre spiritualia, & sentire, & spiritus Dei inflammabit animam tuam.

Quod

Digitized

QVOD PROPTER MALOS principes, quandoque destruuntur regna, & quomodo rex se habeat secundum Deum.

CAP. LXXIII.

FILIVS DEI loquitur. Sicut propter charitatem hominis, quandoque saluatum est regnum, sic propter adinuentiones, & grauamina quandoque perdita sunt regna. Sicut exemplum dico tibi de vno regno, ipse enim Rex plus confidebat in pecunia a populo, & transeuntibus sub fraude, & simulatione iustitiæ exacta, quam in Deo, ideo vitam perdidit, & regnum reliquit in tribulatione, & adinuentiones suæ prauæ ductæ sunt in consuetudinem, & quasi in legem. Sed si confidit in Deo, & a communitate petit auxilium cum charitate, Deus potens est saluare in paucis, & citius propter charitatem reducere ad pacem. Ideo Rex si prosperari desiderat, teneat promissionem suam cum Deo, & veritatem cum communitate sua. Caueatque præcipue, ne nouas adinuentiones, & subtilitates inducat. In difficultatibus vero sequatur consilia timentium Deum non cupidorum, quia melius est aduersa quædam mundi pati, quam scienter peccare in Deum, & animam suam.

GRAVIS COMMINATIO Dei super militiam regni cuiusdam, & quod propter tria iustitia Dei mitigari potest.

CAP. LXXIIII.

FILIVS DEI loquitur. Dixi tibi prius, ego volo visitare super militiam Regni istius, in gladio, & lancea, & ira. Sed respondent. Misericors est Deus non veniet malum, faciamus voluntatem nostram, tempus nostrum breue est. Ideo audi, quæ nunc dico. Ecce surgere volo, non parcam iuueni, nec seni, diuiti, & pauperi, iusto, & iniusto, sed vadam cum aratro meo, & euertam stipulas, & arbores, ita vbi erant mille vix remanebunt centum, & absque habitantibus erunt domus. Radix quoque amaritudinis erumpet, & potentes decident. Aues quoque rapaces cum vngulis suis prosperabuntur, & comedent non sua. Veruntamen propter tria placari potest, atque mitigari iustitia mea. Nam tria peccata abundant in regno isto, scilicet superbia, gula, & cupiditas. Ideo si assumitur humilitas, & honestas in vestibus, moderantia in potationibus, refrenatio de cupiditatibus mundi, mitigabitur ira mea. Princeps quoque terræ, quia remissus fuerat in iustitia, predatorque multorum, ædificabit monasterium in honorem matris meæ, in loco quo tibi constituo. Si fecerit iuuabo eum, & augebo ei charitatem meam, & omnibus cooperatoribus eius. Sin autem, vocabo eum sub coronam, & secundum gloriam eius multiplicabitur tribulatio eius, & regnum eius erit in contemptum, & inhabitantes non gaudebunt.

CHRISTVS ARGVIT quandam Dominam pro grauibus excessibus, iudicium condignum pro eisdem ostendens, & quod propter pœnitentiam, & satisfactionem iustitiam commutat in misericordiam.

CAP. LXXV.

CHRISTVS dicit cuidam audiente sponsa. Oculi tui curiosi erant ad videndum voluptuosa. Aures ad audiendum laudem tuam, & scurrilia. Os tuum paratum ad detractiones, & inania. Venter tuus plenus semper delitijs, & quod volebat non ei negasti. Ornabas cum vestibus corpus vltra modum ad laudem eius non meam. Amici autem mei stabant exterius miserabiles famelici, & nudi, & clamabant nec exaudiebas eos, cupiebant enim ingredi, & indignabaris. Improperabas eis miserias eorum, & deridebas, nec compatiebatur anima tua super eos. Leue videbatur tibi quicquid ad honorem corporis tui faciebas, & graue vltra modum quicquid pro me faciebas. Iacebas, & sedebas cum volebas, nec iustitiam meam attendebas. Quærebas quicquid

quid

Digitized by Google

quid erat pulchrum in mundo, & me Creatorem mundi pulchriorem omnibus minus curasti. Propterea si iusto iudicio contenderem tecum pro superbia oris tui, & omnium membrorum, dignum esset, vt omnes abominarentur te, & confunderent te publice cum omni pudore, & opprobrio. Pro luxuria tua digna esses, vt omnium membrorum tuorum compagines dissoluerentur, caro putredine consumeretur, cutis præ tumore rumperetur, oculi eruerentur, os distorqueretur, manus, & pedes abscinderentur, & omnia membra sine cessatione mutilarentur. Pro contemptu vero pauperum, & amicorum meorum, & pro auaritia tua, dignum esset, vt tanta te inuaderet fames, quod membra tua, ac si esset vnum frustum carnis libenter vorares, & stercus tuum comederes, & vrinam tuam biberes, nec tamen extingui posset. Pro requie tua, & accidia digna esses nullam habere requiem, sed vbique miseriam, & tristitiam. Pro fauore hominum, quem quærebas plus quam me, tantam mereris deiectionem omnium, vt etiam filij tui, & amici charissimi fugerent te, & quasi fętida caro, & stercus humanum feteres in oculis eorum, & naribus. Mallentque centuplum audire te mortuam quam videre viuam. Pro eo aũt quod proximo tuo intulisti damnum, & ad superbiam tuam dilatandam aliena habuisti, & detinuisti, dignum esset, vt omnia membra tua, & ossa tua gladius membratim diuideret, & serra acutissima carnes tuas sine cessatione laceraret, eo quod miser affligebatur, & non compatiebaris ei. Pro inuidia tua, & ira qua abundabas, dignum esset, vt dæmones ore suo te deuorarent totam, & dentibus vt farinam constringerent, ita vt optares mortem, & mori non posses, sed semper discerpereris, & semper ad idem supplicium sustinendum viueres. Veruntamen quia misericors sum, nec aliquam iustitiam sine misericordia facio, & nec misericordiam sine iustitia, paratus sum misereri omnibus pœnitentibus, ita tamen vt non derelinquam iustitiam, sed magnitudinem iustitiæ in seculora commutem, quia iniuriam non facio dæmonibus, nec Angelis in Cœlo. Ideo sicut in omnibus membris tuis peccasti, sic in omnibus debes satisfacere, & pro modico labore habebis magnam dulcedinem. Abstineat ergo os tuum a multiloquio, & omni verbo otioso. Aures tuæ claudantur a detractione, & oculi tui a visione superuacua. Manus tuæ aperiantur ad dandum pauperibus eleemosynam. Genua tua incuruentur ad lauandum pedes eorum. Corpus tuum abstineat a delitijs, & sic reficiatur, vt stare possit in seruitio meo, vt non luxurietur. In vestibus tuis non sit vnum filum, in quo deprehendatur superbia, sed solummodo sit ad vtilitatem, & necessitatem, non ad superfluitatem.

CAP. LXXVI.

CHRISTVS loquitur. Dic magistro tuo, vt non desistat clamare, & exaltare vocem suam, quia venio cito. Fœlices erunt, qui confugiunt ad veram humilitatem.

COMMINATIO GRAVIS Regni Suetiæ.

CAP. LXXVII.

FILIVS DEI loquitur, arabo terram istam in iudicio, & tribulatione, donec inhabitantes addiscant petere misericordiam *Dei*.

DE QVINQVE REGIBVS trium regnorum similibus brutis, & quod sextus rex eleuatus deijceretur. Comminatio quoque Christi super ciuitates, & regna, &c.

CAP. LXXVIII.

FILIVS DEI loquitur. Ostendi tibi prius quinque Reges, & eorum Regna. Primus coronatus asinus, quia degenerans a principibus bonis, maculam posuit in gloriam suam. Secundus lupus insatiabilis, qui non cognouit improuisum casum suum, vt ditaret inimicum. Tertius, Aquila sublimis, cęteros contemnens. Quartus aries ventilans, & conterens, & proficiens ex iustitia Dei. Quintus agnus occisus, sed non sine macula, cuius sanguis multis fuit occasio tribulationis, & ruinæ. Nunc ostendo tibi de sexto rege, qui conturbabit terram, & mare, & simplices contristabit, qui terram sanctorum meorum exhonorabit, & san-

sanguinem innocentem effundet. Qui tempus vindictæ meæ posuit in audacia manuum suarum. Ideo nisi celeriter attenderit, appropinquabunt ei iudicia mea, & relinquet regnum in tribulatione, & fiet sicut scriptum est. Voluptatem, & ventum seminant, ac tribulationem, & dolorem metent. Nec solum visitabo super regnum istud, sed super ciuitates opulentas & magnas. Nam suscitabo famelicum, qui deuorabit desiderabilia eorum, intestina mala non deficient, & discordiæ abundabunt, stulti dominabuntur, & senes, & sapientes non leuabunt caput; honor, & veritas prosternentur, donec veniet, qui placabit iram meam, & qui animæ suæ non parcet pro equitatis charitate.

CHRISTVS LOQVENDO de duobus, qui dissimiliter vocati sunt materia Episcopalis, dat hic optimam doctrinam Episcopis, ad conseruandum se in gratia, & fugiendum tentationes.

CAP. LXXIX.

FILIVS DEI loquitur. Recordare quia misi te ad magistrum, quem nominaui materiam Episcopalem. Et dixi, quod propter quatuor possit fieri petitio salubris, qui tamen non peruenit ad Episcopatum, quia aliter disponuntur iudicia hominum, & aliter iudicia *Dei*. Et quia sic Deum habere voluit, vt tamen nihil contemptibile de mundo pateretur.

Nunc tibi dico de alio quem voco materiam Episcopalem, & quem etiam diligo, cuius corpus ego ipse confortabo, & saluabo de laqueis diaboli. Cuius conscientiam non obumbrabit fallacia diaboli. Cuius animam mater mea mihi præsentabit, a quo etiam tria peto. Primo vt progrediatur caute, & non procedat in via plus debito. Secundo quod transiliet muros, & fossas præsentando mihi, quod est mihi charissimum, idest animas. Tertio vt non preponat sinistrum pedem dextro, nec alium pedem prius eleuet, nisi alius solide subsistat. Quid significat, quod caute debet procedere in via? Nisi quod cautus sic in tentationibus non nimis abstinendo, ne debilitetur natura in laborando, nec plus iusto indulgendo corpori, ne caro contra animam insolescat. Secundo, quod transiliat muros, & fossas. Isti muri sunt impedimenta, & contrarietates quibus amicus meus impeditur, & attediatur lucrando animas. Hæc autem impedimenta sunt, timor potentum, fauor adulantium, comminatio malignantium, pudor, & damnum mundi, amicitia amicorum carnalium, & quies vtilitatis priuatæ. Hæc transiliet amicus meus per confidentiam in Deo, per stabilitatem fidei, per dulcedinem, & desiderium cœlestis vitæ. Fossæ vero sunt tentatio carnalis delectationis, impugnatio immundorum spirituum, pusillanimitas mentium, lætitia dissoluta, tristitia immoderata, obduratio, & frigiditas mentis. Hæc transcendat Episcopus meus per consolationem sanctarum scripturarum, per exempla, & vitas Sanctorum, per considerationem culparum, & misericordiarum sibi factarum per contritionem, & continuam confessionem, per discussionem diuini iudicij, & formidinem incertæ mortis. Si Episcopus illos muros transcenderit, & fossas, tunc thesaurum mihi pretiosum, idest animas mihi lucrari poterit, & ego Deus ero cum eo in corde, & ore, & conseruabo corpus eius, ne iacula malignantium perueniant ad cor eius. Verum tamen conatus diaboli non aufugiet, quem ego deiiciam ab eo. Duo vero pedes sunt duo affectus placendi, vnus scilicet Deo, vt vitam æternam obtineat; & alius placendi hominibus, vt proficiat ad Deum. Sic ergo Episcopus extendat pedem sinistrum, id est placeat hominibus, admonendo scilicet, & conuersando, & compatiendo errantibus, vt non displiceat Deo, & mandatis eius. Sic etiam extendat pedem dextrum, id est, exerceat misericordiam, vt non obliuiscatur iustitiam, quia gloriosius est apud Deum rationem reddere de moderata misericordia, quam de superabundantia equitatis. Quod vero Episcopus non eleuet pedem, nisi alius solide subsistat, signat quod affectum, & zelum exercere non debeat in peccantes, nisi prius cognita, & diligenter discussa veritate. Non enim est sanctior Dauid, qui etiam in iustitia facienda errabat, sed errando cognita veritate se iuxta consilium diuinū correxit.

Beata

BEATA VIRGO DAT HIC aliqua consilia Principibus vnius regni, vt rex regni illius corrigatur a suis excessibus.

CAP. LXXX.

VIRGO MARIA mater Dei loquebatur sponsæ Christi. Ego sum ad quam Angelus dixit. Aue gratia plena. Et ideo exhibeo gratiam meam omnibus eam in necessitate habere volentibus. Ego exhibeo adiutorium meum ad regimen regni, in quo tu nata es, contra inimicos Dei corporales, & spirituales. Cuius inhabitatores admoneo laborare vnanimiter, vt obtineant regem, qui regere velit incolas regni, ad deuota opera, & honestam conuersationem. Quibus etiam notifico, quod diuina iustitia proponit separare regem, & totam generationem eius a regimine regni istius, & alter natus in regno in rege electus est, qui regnaturus est secundum consilium amicorum Dei, & vtilitatem regni. Vos igitur quatuor faciatis secundum consilium meum, vt possitis vobis plures attrahere habeatis istud consilium secretum secrete cum amicis Dei, & absconditum ab inimicis eius, vt honor Dei augeatur, & bona consuetudo renouetur, nec non & alienata a corona regno resistetuantur. Vadat igitur vnus vestrum, vel plures ad regem dicendo sibi. Nos habemus aliqua dicere vobis tangentia salutem animæ vestræ, qua rogamus vos sub sigillo confessionis tenere. Addatis etiam plura verba, vt expedire videtur, quorum sensus sit talis. Vos habetis pessimam famam in toto regno dicentem vos habere, & exercere naturalem commixtionem, & turpitudinem cum masculis contra naturalem dispositionem. Quod veri simile videtur ex eo, quod plus diligitis quosdam viros contra Deum, & animam propriam, quam propriam vxorem. Secundo dubitari potest, an habeatis fidem rectam, quia interdictus ab Ecclesia audire missam, intrastis nihilominus Ecclesias, & audistis missas. Tertio estis predo coronæ, & bonorum regni. Quarto quod estis proditor famulorum, & subditorum vestrorum, qui fideliter seruiebant vobis, & filio vestro, quos tradidistis voluntarie in manus inimici eorum pessimi cum tota terra Schaniæ, pro cuius malitia, & fallacia, nunquam eo viuente tute poterunt securari. Si decreueritis peccata ista emendare, & terras alienatas reuincere seruiemus vobis. Sin autem committatis filio vestro sub iuraměto præstito, quod velit terras alienatas reuincere, communitatem diligere militibus suis fidelis existere, & omnia secundum leges patriæ iustæ, & pie regere, & gubernare. Attamen sciatis vos quatuor, quod Deus prouiderat sibi alium regem in futurum, qui taliter prouenire potest in publicum cum minori damno, & periculo, quia potens est Dominus, tam vitam iunioris, quam senioris abbreuiare, vel de regno aliter expellere, omniaque secundum velle suum disponere, abbreuiare, seu etiam protelare. Si vero ille obedire noluerit, tunc consulatis secrete aliquos de principibus, & militibus regni, & cum inueneritis aliquos ad idem vobiscum beneuolos, & fideles, dicatis eis in publico, quod prius dixistis regi in secreto, quod nulli hæretico seruire volueritis, vel proditori. Sed nec filio eius si decreuerit esse paterni sceleris imitator. Quo facto assumatis vobis vnum in principem, qui ex parte coronæ regni præliari poterit prælia regni. Qui electus si perfectus in bono fuerit amicus meus erit. Sin autem non cito delebitur. Vos apponite pecunias, & similia, ego addam cor virile, & audaciam, vt qui sponte noluerit inuitus obedire compelletur. Sin autem rex voluerit de regno recedere, caueatis ne quis vestrum ipsius vestigia imitetur.

DECLARATIO CVIVSDAM specialis gratiæ Beatæ Brigittæ.

CAP. LXXXI.

HOC magnum de Spiritu sancti gratia habuit sponsa Christi, quod quoties approximabant ei homines spiritu immundo, & superbo, statim sensit tantum fœtorem, & in ore tam amarum habuit saporem, quod vix ferre posset. Vnde quidam plenus peccatis cum consedisset ei, quæsiuit dicens ei. Quid est de spiritu quem diceris habere verum est a te, aut ab alio aliquo, aut forte a dæmone. Sed illa vix ferre valens fœtorem eius ait. Fœtidum habes habitatorem, & fœtida sunt

sunt, quæ procedunt de ore tuo. Pœnitentiam igitur age, ne tibi superueniat visio Dei. Qui nimis iratus recedens. Cum autem se sopori dedisset, audiuit dæmon voces innumerabilium dicentium. Trahamus istum ad loca porcorum, quia spernit monita salutis, qui rediens ad seipsum, correxit ex gratia Dei vitam suam criminosam. Et postea odor bonus fœtore sublato reuersus est.

CHRISTVS HORTATVR homines ad considerationem operum suorum misericorditer, & ad pœnitentiam, inuitat peccatores sub interminatione pœnæ horribilis, & væ sempiterni.

CAP. LXXXII.

CHRISTVS loquitur. Ego sum omniũ Deus, cuius vocem Moyses audiuit in rubo, Ioannes in Iordane, Petrus in monte. Ego clamo ad te o homo misericorditer, qui clamaui pro te in cruce lachrymabiliter. Eleua aures tuas, & audi me. Aperi oculos tuos, & vide me, vide me, quia ego qui loquor sum potentissimus, & fortissimus, sapientissimus, & virtuosissimus, iustissimus, & pijssimus, & cum his omnibus super omnia pulcherrimus. Vide & inquire potentiam meam in veteri lege, & inuenies eam in creatione creaturarum omnium, mirabilem, & timendam. Inuenies & fortitudinem meam in Regibus, & Principibus rebellibus. Sapientiam quoque in creatione, & dignitate humanæ effigiei, & in sapientia prophetarum, inquire, & virtutem meam incomparabilem, & inuenies eam in legis datione, & populi mei liberatione. Vide & iustitiam meam in primo Angelo, & in primo homine. Vide in diluuio. Vide in reliquarum ciuitatum, & vrbium subuersione. Vide præterea pietatem meam in supportatione, & patientia inimicorum, vide & in admonitione per Prophetas. Ad vltimum vide, & considera pulchritudinem meam, ex pulchritudine, & operatione elementorum ex Moysi glorificatione, & tunc quam digne me eligis, & diligere debes reuoca ad intellectum. Vide me præterea eundem esse, qui loquebar in noua lege potentissimum, & pauperrimum. Potentissimum in adoratione regum, & denunciatione stellæ, pauperrimum qui ligabar pannis, & in præsepio reclinabar. Vide me amplius sapientissimum, & insipientissimum reputatum. Sapientissimum cui non possunt aduersarij respondere. Insipientissimum qui mendacij arguebar, & iudicabar vt reus. Vide & me virtuosissimum, & abiectissimum. Virtuosissimum in sanatione infirmorum, & expulsione dæmonum, abiectissimum in flagellatione omnium membrorum. Vide me iustissimum, & iniustissimum reputatum. Iustissimum in veritatis, & iustitiæ institutione, iniustissimum reputatum per mortis deformis adiudicationem. Vide me quoque pijssimum, & impijssime tractatum. Pijssimum in redemptione, & condemnatione peccatorum, impijssime tractatum, quia latronibus in cruce sociatum. Vide me vltimo pulcherrimum in monte, turpissimum in cruce, quia non habebam speciem, neque decorem. Vide me, & considera, quia ego qui patiebar propter te nunc loquor ad te. Vide me non oculis carnis, sed cordis, vide quid dedi tibi, quid exigo a te, quid redditurus es mihi. Dedi tibi quippe absque macula animam, redde absque macula. Patiebar pro te, vt tu sequereris me. Docui te vt viueres secundum me, non secundum velle tuum, audi insuper vocem meam qua clamaui ad te in carne, agite pęnitentiam. Audi vocem meam qua clamaui ad te in cruce, scilicet sitio te. Audi nunc altius, quia nisi egeris pęnitentiam veniet tibi vę, quo vę caro tua arescet, anima pauore dissoluetur, & medulla tota desiccabitur, fortitudo infirmabitur, pulchritudo euanescet, vita habebitur tedio, fuga quæretur, & non inuenietur. Ideo fuge celeriter ad latibulum humilitatis meæ ne veniat vę, quod minatur, quia ideo minatur, vt fugiatur, si credideris corde. Sin autem opus dabit fidem verbis. Veruntamen inquire a sapientibus, quæ promiseram non præteribo, quamuis per patientiam patienter patientiæ fructum expecto.

EX TRIBVS COGNOSCITVR Christus fuisse verus Deus, & homo in morte sua. Et quod Christus habuit tres amicos in mundo, qui modo auersi sunt ab eo.

CAP. LXXXIII.

MARIA loquebatur dicens. Tripliciter intelligi, & cognosci poterat

terat in morte filij mei, quod ipse erat verus Deus, & verus homo. Primo quia terra contremuit, & lapides conscissi sunt. Secundo cum dixit. *Scriptura completa est.* Tertio cum dixit latroni, hodie me cum eris in paradiso. *Hoc* enim nullus sanctorum promittere poterat. Deinde loquebatur filius ad exercitum suum circunstantem dicens. Amici mei verba mea sunt æterna, & omnia scitis, & videtis in me, propter istam tamen quæ astat hic quæ sine similitudine percipere non potest, loquor, & conqueror coram vobis. Ego habui tres amicos in mundo. *Primus* dilexit me, quia sensit. Cogitabat enim apud se, Deus dat mihi fructum de terra, & arboribus & pisces de mari, dat insuper corpus, & animam, & cum hoc sanitatem, & omnia necessaria. Ideo dilexit me fide & charitatis operibus eleemosyna,& ieiunio, & hi erant omnes boni laici. Secundus dilexit me, quia sensit, & vidit. Sensit quippe, quia terra dedit fructum, cęlum pluuiam. Vidit quoque in scriptura quo modo viueret, qualis erat via, & institutio mea, & sanctorum meorum, & cogitauit secum. *Homines* quasi cæci sunt, & quasi mortui, ideo quia *Deus* dedit mihi scientiam instruam eos. *Et* hi erant litterati, & clerici, qui laudabant, & glorificabant me opere, bonam vitam habendo, quia senserunt, & dilexerunt me, ore alios incitando secum, & docendo. *Tertius* me sensit, & vidit, & perfecte intelligendo considerauit. Sensit quoque cum amico primo quam vtilitatem attulit ei terra, & cœlum quo illuminabatur. Vidit cum secundo in scripturis, quæ fugienda erant, & quæ facienda. *Tertio* etiam intime considerauit quantam charitatem ei ostendissem. Ideo propter tria quæ considerauit, tripliciter se ex charitate afflixit. Considerauit enim nuditatem meam, & paupertatem, propterea relinquens mundum quæsiuit solitudinem. Considerauit secundo tribulationis meę patientiam, ideo assumpsit sibi abstinentiam. Considerauit obedientiam meam vsque ad mortem crucis, ideo reliquit voluntatem suam in manus aliorum. Isti erant boni claustrales. Hi tres amici mei quotidie clamauerunt in aures meas, & vox eorum erat suauis mihi quasi potus bonus, & delectabilis sitienti. Sed nunc hi amici mei auerterunt se a me, & vox eorum abominabilis facta est mihi quasi vox ranarum. *Primus* enim, idest communitas dicit.

Laborabo terram, quia dat mihi fructum de laboribus meis sicut mihi placet, quia laboris mei est aliquid habeo. Industriæ meæ est, quod aliquid possideo. *Nisi* enim laborarem, nihil haberem. Non regratiantur mihi, quia vitam eis tribuo, & sanitatem. Non attendunt quod tempora eis dispono ad commoda, & aerem de cœlo opportunum. Non etiam considerant quare creaueram eos, & quod mihi reddituri sunt de operibus suis rationē. Ideo tribuunt sibijpsis laudem, & secundum voluptatem suam viuunt. Insuper, & spoliant me iure meo, quia decimas non soluunt mihi. Secundus autem dicit, hoc quod habeo ex industria mea est, & iure quodam habeo, & ideo viuere volo secundum voluntatem meam. Acquiram mihi sapientiam hominum, quia sapientia diuina fatuitas est, mandata eius onerosa, & exemplum difficile ad imitandum. Ad honorem vero vocatus sum, propterea laborabo quomodo ab homine honorari possim, hoc enim est lætitia esse magnum in mundo. *Tertius* dicit. Intrabo monasterium, vt maiorem cæteris obtineam honorem cum primis, vbi venero sedeam. *Pro* paupertate dicit, nulla mihi deesse volo. *Pro* abstinentia dicit, in propria voluntate volo esse. Pro obedientia dicit, obediam hominibus pro vtilitate mea, non curo obediens esse *Deo*. Si placere possim hominibus, sufficit mihi. *Talis* est nunc maledictus clamor eorum in auribus meis, & sic stant coram me.

CHRISTVS LOCO MALOrum Christianorum eligere vult paganos, sicut lutifigulus vna imagine defedata, facit sibi aliam.

CAP. LXXXIIII.

EGO sum quasi fictor, qui de luto facit pulchram imaginem ad hoc vt eam nobiliter deauret. Euoluto autem aliquo tempore inspiciens fictor vidit imaginem humidam, & quasi ex humore deformatam, os quippe retortum a pulchritudine sua, factum est quasi os canis, & aures dependentes, oculi euersi, frons, & genæ immersæ. Tunc dicit magister. Non es digna vt vestiaris auro meo,& arripiens eum comminuit, & facit aliam auro suo dignam. *Ego* sum ille fictor, qui hominem feci de terra ad hoc, vt auro deitatis meæ eum mecum insignirem. Nunc autem amor voluptatis eius, & cupiditatis,

sic

sic eum defedauerat, vt indignus sit auro meo. Nam os quod ad laudem meam creatum est, nihil loquitur nisi placentia, & proximo nociua. Aures nihil audiunt nisi terrena. Oculi nihil vident nisi voluptuosa. Frons humilitatis deciderat, & recta est superbia. Ideo eligam mihi pauperes, idest paganos despectos, & dicam eis. Ingredimini, & quiescite in brachio charitatis meæ. Vos autem qui mei esse deberetis, & spreuistis, viuite secundum voluntatem vestram tempore vestro, & in tempore meo, scilicet iudicij, dicam vobis. Ecce dabitur vobis tantum de tormentis quantum dilexistis voluptatem vestram plus quam Deum vestrum. Iste vero venit ad me quasi catulus, ponens caput, & collum ad laqueum exhibens secum. Ideo dimissum est ei peccatum.

QVOD TRIA DEBENT esse in corpore hominis, & tria in anima, sicut tria sunt in exercitu cœlesti. Et de quodam Episcopo amico Christi, & Virginis Mariæ qualiter se haberet in refectione corporis sui, qui & portaturus erat ista verba Christi ad malos christianos.

CAP. LXXXV.

MARIA loquebatur. In exercitu regis Angelorum tria sunt. Primum, quod abundat, & non minuitur. Secundum, quod stabile est, & non euertitur. Tertium quod fulgidum est, & non obfuscatur. Sic etiam tria debent esse in corpore, & tria in anima. Primum, quod abundat in anima, & non minuitur, hoc est donum Spiritus sancti, quod datur animæ, licet enim in se, & virtute sua abundat, tamen propter peccatum minuitur. Secundum debet esse stabile boni operis, vt non euertatur voluntate praua. Tertium debet esse fulgidum pulchritudine, & profectu bonorum operum, vt non offuscetur colore prauæ affectionis, seu concupiscentiæ. In corpore tria esse debent. Primo refectio. Secundo labor. Tertio voluptatis, & consensus carnalis cohibitio. Primo satietas somni vigiliarum, & refectionis cum temperamento, vt nec minus, nec plus sit, sed sic vt corpus sufficiat stare in seruitio Dei. Secundo continuatio in labore cum omni discretione. Tertio voluntas hilaris in seruitio Dei, & cohibitio prauæ voluptatis, ex qua anima illuminatur. Ergo quia amicus meus per votum suum manus suas ligat, ne corpus suum contra animam processum habeat contrarium, ideo ego quæ sum Regina cœli, & filio meo charissima, & proxima, soluo votum suum, quia filio meo sic placet. Ego enim illa sum de qua prædicationem suam incipit. Ego enim præcedo tanquam sidus ante solem, præcedo, cum ante filium meum gubernando subsequor. Ideo permitto ei, vt corpori suo, prout naturæ congruit, & expedit indulgeat carnes comedendo diebus carnium, & pisces diebus piscium. Insuper do sibi tria. Primo formam in bonis operibus. Secundo sapientiam copiosiorem in conscientia. Tertio robur maius ad affectum in proferendis verbis diuinis. Insuper, & illum timorem, quem pro excessu ciborum sumendorum habet verto ei in bonum, ita vt cibus quem sumpturus est, ad corporalem ei fortitudinem, & spiritualem proficiet, & ad animæ profectum liquescat. Deinde filius apparens loquebatur dicens. Ipsi iniunctum est officium Apostolorum; ideo cibum Apostolorum permitto ei habere, Apostoli quippe quæ apponebantur comederunt. Sic ipse in refectione corporis sui se habebit sicut Apostolus. Ego enim mitto eum non ad gentiles vt alios amicos meos, sed ad malos christianos. Sicut enim sponsam, quæ a viri sui consortio contemptibiliter discesserat, difficilius est reuocare ad viri cohabitationem, quam illam quæ non gustauerat viri voluptatem, sic difficilius est malis christianis ad Deum redire, quam qui nondum gustauerant verba Dei, & bonitatis eius dulcedinem. Propterea qui iste amicus meus est, & eum intime diligo, ideo quasi amico laboriosius onus impono. Veruntamen omnia cum attentauerit super gratiam meam fiant illi leuia. In paschalia autem appropinquante videat, vt paratus sit ire ad negotium meum, ipse quippe ponet nucleum in pingui terra, qui pinguescet in multis, & fructum faciet. Nucleus iste verba mea sunt, terra vero pinguis sancta ecclesia, quæ a sapientibus exarata fructifero fiet. Ideo vadat securus, ego ero cum eo in corde, &

QVARE PERICVLOSA EST lætitia mundanorum, & securitas.

CAP. LXXXVI.

MARIA loquebatur, modica lætitia est in illo risu quē scitur pro certissimo ploratus sequuturus. Sic est de risu mundanorum post quem sciunt homines omnium membrorum dolorem sequuturum, & corde crepante, lætitiam conuertendam in luctum. Magnum etiam periculum est non curare reconciliari iudici antequam gladius separat caput a corpore. Tale periculum instat homini non attendenti reconciliari iustitiæ Dei, antequam mors separat animam a corpore.

GRATIA SPIRITVS SANCTI indigni sunt quicunque nolentes dimittere peccata.

CAP. LXXXVII.

MARIA ait: Consuetudo est vobiscum, quod alicui venienti cum sacco apto, vel vase mundo, detur aliquid in illo. Sed si portans saccum nolit præ pigritia sua aperire eū, & si vas suum fuerit immundum, similiusque est stercori, quam vasi purificato, quod etiam portans nullo pacto mundare proponit, quis daret ei sua preciosissima cum indignus sit? Sic est etiam spiritualiter quando voluntas non proponit peccatum dimittere, tunc non est iustitia, vt illi detur poculum Spiritus sancti. Et quando non est voluntas in corde peccatum emendare, tunc non debet cibus sancti Spiritus illi infundi, siue talis sit rex, siue Cæsar, siue Clericus, siue pauper, siue diues.

ACCOMMODARE MVTVO pecuniam indigenti meritorium est, sed absque vsura.

CAP. LXXXVIII.

SI quis petit a te mutuo pecuniam accommodare pro nomine Dei, quem scie eam contra Deum nolle expendere, quære ab eo, quo die voluerit reddere, & cōputatis retentis, quæ tibi, & tuis sunt pro quotidianis sumptibus necessaria, mutua sibi quātum vales & ipse indiget. Qui licet præfixo die reddiderit, nihilominus præmium habebis a domino pro quolibet denario. Si autem præfixo tempore non reddiderit, potes ab eo exigere, quod tuum est secundum leges patriæ, & nihilominus præmium habebis a domino pro labore, & mutuatione tua. Ita cum pecunijs tuis potes acquirere tibi lucra spiritualia, magis quam haberes eas in scrinio reconditas. Sed caue summopere ne recipias vnum obulum pro vsura, prout aliqua præmia desideras habere a Deo pro concessione tua.

VISIO QVALITER MATER Christi iuuat omnes volentes reconciliari Deo, & abbreuiat pœnam damnandorum. Et de malitia diaboli ad homines.

CAP. LXXXIX.

VIdebatur sponsæ Christi Beatæ Brigittę quasi q̄ Virgo Maria Mater Dei staret prope eam. Et a dextris eius iacerent diuersa instrumenta, cū quibus in omnibus periculis se posset defendere. Et quod a sinistris eius iacerent quasi arma apta ad puniendum eos, qui se mala voluntate ad pœnas damnauerant. Tunc dixit Virgo ad sponsam. Sicut tu vides diuersa instrumenta, quodlibet ad opus suum necessarium, sic ego veniam in adiutorium instrumentis meis omnibus timentibus, & diligentibus filium meum, & viriliter contra tentamenta diaboli reluctantibus. Hi sedent quasi intra muros castrorum, quotidie repugnantes contra insidias malignorum spirituum, quibus venio ad defensionem cum armis meis, & dum inimici nituntur murum fodere, & destruere, suppono sustentaculum. Si nituntur per scalas ascendere furcis eos retrudo. Si nituntur foramina in parietibus facere murorum, eos cum trulla reparo, & impleo foramina illa. Tali modo cum armis defensionis adiuuo omnes volentes reconciliari filio meo, & nunquam vlterius contra eum scienter peccare. Et licet tria tantum instrumenta nominaui, innumerabilibus tamen armis defensionis adiuuo ani-

amicos meos, & defendo. De illis instrumentis quæ apparent ad sinistram tuam volo tibi tria nominare. Primum est gladius meus, qui tamen gladio lictoris acutior est. Secundum est laqueus. Tertium ligna, quibus illi comburentur, qui voluntatem habentes vsque in finē peccandi nisi in vltimo puncto, ante mortem se ad pœnas perpetuas condemnauerunt. Quando enim homo proponit in animo vsque in finem contra Deum delinquere, & non prius cessare, quam quod non poterit peccare, tunc a diuina iustitia iudicandus est ad æterna supplicia. Et sicut pro diuersis sceleribus inferuntur interficiendis diuersæ mortes in terris, ita etiam diuersa genera suppliciorum inferuntur damnatis ad gehennam pro peccatis. Ideo quando homo cogitat peccare quamdiu vixerit, dignum est, vt diabolus habeat potestatem super corpus eius, & animam. Et sicut caro scinditur ab ossibus, ita esset iuris diaboli separare corpus eius, & animam tam amara pœna, ac si caro, & ossa retuso silice scinderentur, quamdiu corpus miserum posset in tali amaritudine perdurare. Scito tamen pro certissimo, quod licet aliquis, propter enormitatem scelerum suorum esset in corpore, & anima iuri diaboli traditus a Deo, tamen gratia pœnitentiæ quamdiu viueret, & sensum haberet, nunquam auferetur ab eo. Sed illis, qui non obtinent pœnitentiam abbreuiabit gladius meus aliquam pœnam corporalem ante mortem, ne diabolus plenam potestatem habeat super corpus dum in mundo vixerit, sicut habet potestatem in inferno. Sicut enim aliquis secaret cum serra collum inimici sui ad maiorem eius pœnam, sic diabolus animam cum gladio suo viuentem in æterna morte. Laqueus significat dolorem quem anima damnata habebit post mortem.

Qui eo maiori in inferno, quo vita longior in mundo. Et vellet diabolus, vt homo habens voluntatem peccandi, quamdiu vixerit diu viueret, vt post mortem magis doleret. Et ideo gratia mea dirumpit laqueum quem vides, idest abbreuiat vitam carnis miseræ contra voluntatem diaboli, ne fiat dolor ex iudicio iustitiæ, ita horribilis, vt desiderat inimicus. Diabolus enim incendit ignem in cordibus amicorum suorum viuentium in voluptate, & quamuis conscientia eorum dicit eis esse contra Deum, tamen eam adimplere tantum cupiunt, quod contra Deum delinquunt non curantes. Et ideo iuris diaboli est toties incendere, & augere eis ignem suppliciorum in inferno, quoties eos impleuit peruersa voluptate in mundo.

CHRISTVS COMMEMDANS Sanctum Franciscum arguit eius fratres, addendo quod ipse sibi dedit illas indulgentias quæ sunt in Assisio.

CAP. XC.

CVM Beata Brigitta esset in Ecclesia fratrum in Assisio audiuit, & vidit Christum dicentē. Amicus Frāciscus descendit de monte delitiarum in speluncam, vbi panis suus erat diuina charitas, potus eius continuæ lacrymæ, & lectus eius meditatio operum, & mandatorum meorum. Nunc autem fratres eius ascendunt in montem curarum, & delitiarum sæculi, & non attendunt ad humilitatem, & consolationem patris sui, & amici mei. Sed dic, quid est in corde tuo de quo turbaris, licet omnia sciam.

Et illa, conturbor inquit, quia aliqui dicunt, quod iste sanctus confixit sibi indulgentias istas, & aliqui arguunt eas nullas esse. Respondit Christus. Qui confingit aliqua, est sicut arundo inclinabilis ad fauores adulantium. Sed amicus meus fuit quasi lapis ignitus, & igneus, quia habuit me in se, qui sum ignis diuinus. Et sicut ignis, & stramina non conueniunt, sic nec falsitas ibi communicat, vbi veritas habitat, & ignis diuinæ charitatis. Sed amicus meus habuit, & dixit veritatem. Et quia vidit te porem hominum ad Deum, & cupiditatem ad mundum doluit vehementer. Ideo petiuit a me signum aliquod charitatis, per quod homo accenderetur ad charitatem, & cupiditas minueretur. Cui petenti ex charitate, ego qui sum ipsa charitas dedi signum, scilicet quod omnes, qui venirent ad locum suum vacui, implerentur benedictione mea, & soluerentur a peccatis suis. Respondit iterum domina. Nunquid domine mi successor reuocare debet, quod tu omnis potentiæ, & gratiæ infusor dedisti? Respondit Christus. Fixum est, quod dixi Petro, & eius successoribus. Quodcunque ligaueris ligatum est. Veruntamen propter malicias hominum multa donata subtrahuntur, & propter fidem, & merita gratia donata augetur.

VERBA OMNIA BIBLIAE emanauerunt a Deo, & sunt virtuosa tanquam lapides preciosi.

CAP. XCI.

Deus Pater loquebatur ad sponsam filij dicens. Audi tu quæ miraris de illis verbis quæ scripta legis in Biblia. Scias pro certissimo, quod quodlibet verbum scriptum in ea emanauit ex me, & habet suam propriam virtutem, & efficaciam. Sicut vides, quod lapides preciosi in mundo habent suas naturales virtutes. Sicut magnes habet suam virtutem attractiuam, attrahendo sibi ferrum. Quidam molunt grana, & vertunt in farinam. Quidam vertuntur in cementum habentes virtutem connexiuam ad alios lapides. Alij acuunt ferrum vt cotes, & sic quodlibet genus lapidum habet vim suam. Eodem modo habet quodlibet verbum quod emanauit ex me vires suas, & stant omnia cum æterna pulchritudine in cœlo rutilantia, coram omni meo cœlesti exercitu, sicut preciosissimi lapides cum venustissimo colore, in auro clarissimo. Et omnis qui est in Cœlo nouit virtutem præcipuam cuiuslibet eorum.

QVOMODO SANCTVS Dionysius consolabatur sponsam Christi, marito suo in peregrinatione ægrotante.

CAP. XCII.

CVM iam esset in reditu de peregrinatione Sancti Iacobi maritus Sanctæ Brigittæ infirmari cœpit in Atrabato. Et inualescente infirmitate sponsa Christi in magna anxietate animi constituta, per Sanctum Dionysium meruit consolari. Qui apparens ei in oratione dixit. Ego sum inquit Dionysius, qui a Roma veni ad has partes Franciæ prædicare verbum Dei in vita mea. Tu vero quia speciali deuotione diligis me, ideo predico tibi, quod Deus per te vult innotesci mundo, & tu tradita es custodiæ meæ, & protectioni. Propterea iuuabo te semper, & hoc tibi do signum, quod vir tuus iam non morietur de ista infirmitate. Et sic etiam multis alijs vicibus, idem Beatus Dionysius in reuelationibus visitabat, & consolabatur eam.

DIABOLO TENTANTI SE de nobilitate generis, & dilectione Dei, respondit Sancta Brigitta dicens.

CAP. XCIII.

O Diabole, tu cecidisti propter superbiã tuã. Ego autem quare quærerem superbiam cum non sit melior caro Reginæ quam ancillæ, sed totum vile est, & terra. Quare autem non humiliabo me cum non vnam minimam bonam cogitationem possem habere a memetipsa, nisi Deus ministrauerit. Tuncq; Christus apparens ei dixit sibi. Humilitas est quædam scala, qua de terra ascenditur ad cor Dei.

QVALITER SANCTA Brigitta obtinuit capillos Beatæ Virginis Mariæ.

CAP. XCIIII.

CVm Sancta Brigitta in ciuitate Neapoli per aliquod tempus moraretur, misit pro ea soror quędam Clara nomine in monasterio monialium ad sanctam crucem, & dixit ad eam. Habeo inquit reliquias de capillis Matris Dei datas mihi per Reginam Sanctam, quas nunc tibi dabo, quia mihi inspiratum est diuinitus, vt tibi eas committam. Et hoc tibi signum erit, quod vera loquor, quia cito moriar, & veniam ad dominum meum, quem super omnia diligit anima mea. His autem dictis paucis diebus superuixit, & perceptis Sacramẽtis Ecclesię emisit spiritũ. Igitur cum Beata Brigitta dubitaret, verum capilli illi essent de capillis Virginis Mariæ, vel nõ. Tunc in oratione apparuit ei eadem Mater

Dei

bet dicens. Sicut verum est, & creditur quod ego de Anna, & Ioachim nata sum, sic verum est, quod isti capilli creuerunt in capite meo.

VISIO DE OLLA SVPER ignem posita, & puero sufflante, & amore superfluo ad filios.

CAP. XCV.

Contigit semel in monasterio Aluastri, quod animus Beatæ Brigittæ cum itura esset Romam, accendebatur ad amorem filiorum suorum compatiens relinquere eos, quasi orbatos consolatione materna. Timens etiam, quod post eius recessum audacius offenderet Deum in aliquo, quia iuuenes erant diuites, & potentes. Et tunc vidit in visione vnam ollam positam super ignem; & quendam puerum sufflantem prunas, vt olla accenderetur. Cui dixit Beata Brigitta. Cur tantum insflare conaris, vt succêdatur olla? Respôdit puer. Vt amor filiorum tuorum magis accendatur, & inflammetur in te. Beata Brigitta respondit. Quis inquit tu es? cui ille. Ego inquit sum negotiator. Tunc ipsa intelligens amorem aliquem inordinatũ in corde suo existere ad filios, statim correxit se, vt nihil præponeret amori Christi.

QVOD OBEDIENTIA introducit ad Cœlum.

CAP. XCVI.

Qvadam die cum Beata Brigitta faceret legi pro se in libro, qui vocatur speculũ virginum, rapta fuit in spiritu. Reuersa autẽ ad se dixit. Audi nunc in spiritu vocem dicentem mihi, quod virginitas meretur coronam. Viduitas appropinquat Deo, coniugium non excluditur a cælo. Sed obedientia omnes introducit ad gloriam.

CHRISTVS VOCANS TVgurium cameram salutis præcipit sanctæ Brigittæ ibi stare.

CAP. XCVII.

Christus præcipit sponsæ suæ ire a Roma ad Castrum nouum Abbatiæ Farfa dicens. Vade, quia camera pro te parata est. Cumque venisset ibi cum Domino Petro confessore suo, & familia sua, tũc a fratribus illius monasterij cum maxima difficultate obtinuit ad inhabitandum vnum vile tugurium, allegantibus non esse consuetudinẽ eis, cum mulieribus cohabitare. Tunc Christus apparens ei dixit. Hæc est camera salutis, in qua promereri poteris, & addiscere sublimia. Vt sicut prius inhabitabas domos altas, & pulchras, sic nunc experiri poteris qualia sancti mei in speluncis habitantes patiebantur. Quæ adimpleuit præcepta Christi, ac eis obediuit.

CONSTANTIA SANCTAE Brigittæ de morte filiæ suæ. Et quæ est vere mater, & quæ nouerca, & qualiter educandæ sunt filiæ.

CAP. XCVIII.

Avdiens sponsa Christi filiam suam, dominam Ingeburgen sanctimonialem in monasterio Risabergh esse mortuã exultans dixit. O domine Iesu Christe, o amator meus, benedictus sis tu, quia vocasti eam, antequam mundus irretiret eam. Et statim ingrediens oratorium suum, tantas lacrymas emisit, & suspiria, quod a circunstantibus audiri potuit. Dicentibus illis, qui aderant, ecce filiam suam plorat. Tunc autem Christus apparens ei dixit. Mulier quid ploras? licet enim omnia sciam, tamen te loquente cognoscere volo. Respondit illa. O Domine non ploro, quod filia mea mortua est immo gaudeo, quia si diutius vixisset maiorem coram te habuisset reddere rationem. Sed ex hoc ploro, quia non instruxi eam secundum mandata tua. Et quia exempla superbiæ ei præbui, & remissius correxi eam delinquentem. Cui Christus respondit. Omnis mater quæ plorat, eo quod filia sua offendit Deum, & instruit eam secundum meliorem consciẽtiam suam, illa est vera Mater veræ charitatis, & Mater lacrymarum. Et filia eius est filia Dei propter matrem. Illa vero mater, quæ gaudet ex eo, quod filia eius se scit gerere secundum mundum non curans de moribus eius, dummodo exaltari possit, & honorari a mundo, illa non est mater, sed nouerca. Ideo

propter charitatem, & bonam voluntatem tuam filia tua per compendium transeat ad coronam gloriæ.

CHRISTVS RELAXAT sponsæ suæ votum ieiunij in aduentu Domini.

CAP. XCIX.

CVm Beata Brigitta iret de Roma, ad sepulchrum Sancti Andreæ Apostoli in Regno Ciciliæ propter infirmitates varias transire non poterat, nisi in ciuitatem Bair. Cumque esset tempus aduentus Domini, quo ipsa solita erat ieiunare, & in societate eius erant plures infirmi, & in via illa non inueniebantur pisces, rogauit Deum, vt eis compateretur ne Deum offenderent, aut scandalizarent proximum in comedendo, aut infirmi deficerent ieiunando. Tunc Christus apparens dixit. Pisces sunt multum frigidi, & tempus non est multum calidum, via difficilis, & petrosa, & vos infirmi. Ideo quæ inueniuntur comedite, ego enim super omnia vota sum. Et quæ sunt ad honorem Dei, & moderatam sustentationem carnis, non imputabuntur ad peccatum.

QVALITER IMAGO crucifixi prædixit cuidam dominæ finem suum, quæ vidit beatam Brigittam quasi stare supra vnam columnam.

CAP. C.

QVædam Domina de Regno Suetiæ existens prope Sanctum Iacobum de Galitia in quadam Ecclesia vidit vnum crucifixum in pariete depictum. Quem diligenter intuens cum deuotione, & compassione, audiuit tunc vnam vocem dicentem sibi sic. Vbicunque istam imaginem videris, & loquentem audieris, ibi manebis, & morieris. Quæ rediens ad patriam, & iterum iter aggrediens ad Romam, cum venisset ad ciuitatem Montisflascon, vidit in domo cuiusdam dominæ similem imaginem, quam in Hispania viderat. Et tunc imago dixit ei. Hic ingredieris, & permanebis. Ego vero inclinabo animum dominæ istius domus, vt tradat tibi hic mansionem. Igitur reclusa illa perseuerauit ibidem, & in lacrymis ieiunijs, & orationibus, vitam duxit exemplarem, & miraculosam. Hæc autem vidit semel vnam columnam super quam stabat quædam domina mediocris staturæ, quam multa turba circunstantes aspiciebant, & admirabantur. Et de ore eius exibat quasi ros, & rosæ albæ, & rubeæ, quarum odore homines intuentes delectabantur. Euigilans igitur sequenti nocte consimilia vidit, & audiuit vocem dicentem sic. Mulier quam vides est Domina tua Brigitta, quæ stans Romæ afferet vinum de longinquis partibus cum rosis mixtum, & dabit sitientibus peregrinis.

DOMINE CVIVSDAM peregrinatio, mors, & saluatio, quam diabolus purgauerat viuentem.

CAP. CI.

DOmina quædam de Suetia sequens Beatam Brigittam ad Romam, timensque inconstantiam mariti sui rogauit Beatam Brigittam, quod Deum pro marito suo oraret. Cui oranti Christus apparens dixit ei. Ite ne moueamini ab itinere, & proposito sancto, ego enim abbreuiabo isti mulieri iter. Ego præparabo corpus, vt cum saccus exhaustus fuerit, anima impleatur dulcedine, maritus vero habebit desiderium suum. Igitur cum venissent Mediolanum, domina ista infirmata obijt in pace. Qua sepulta Domina Brigitta orando rapta fuit in spiritu audiuit diabolũ conquerentem super anima illius, quia non adiudicabatur sibi. Cui Christus tunc dixit. Vade. Si tu purgasti eam affligendo saccum, iam ego animam quæ intus iacebat possidebo, & honorabo.

QVALITER EPISCOPVS QVIdam diligens mundum, & a diabolo deceptus mortuus est sine fructu.

CAP. CII.

CVm quidam Episcopus vrbe Vetanensis, tunc pro Domino Clemẽte Papa in alma

alma Vrbe Vicarius existens aliquas reuelationes Beatæ Brigittæ diuinitus reuelatas haberet, nec multum ad illas attenderet. Tunc Beatæ Brigittæ oranti Christus apparuit his verbis dicens. Audi Brigitta, quia voluntas mea est, futura hominum aliqua tibi esse reuelata. Ideo scias, quod iste Episcopus nunquam habebit illud, quod temporaliter totis viribus, & affectibus sui cordis desiderat, immo illa quæ congregauit derelinquentur ab ipso, & morietur in loco non suo. Et accidet ei sicut cani, quem cum homo vult decipere. Primo vngit ferrum carne pingui, quod canis deuorare volens strangulatur a ferro. Sic diabolus ostendit isti Episcopo delectabilia mundi esse suauia in corde, & omnia quæ habet decere statum suum. Ideo nihil relinquere proposuit pro anima sua de iocalibus suis, donec morte arctatus relinquet omnia sine fructu. Expecta igitur, & videbis omnia ista, quæ tibi dixi. Post paucos dies Episcopus iuit Auinionem, vbi vitam finiuit, & thesauros reliquit inuitus.

CHRISTVS CONSOLANDO sponsam turbatam de solutione suorum debitorum, prædixit sibi nuncium venturum cum pecunia.

CAP. CIII.

CONTIGIT ante festum omnium Sanctorum, quod Beata Brigitta existens Romæ, ob defectum pecuniæ a diuersis mutuum accepisset, nec in tribus annis de patria sua pecuniam accepisset, vnde erat in magna angustia propter creditores suos, qui quotidie instabant, vt eis redderet pecunias mutuatas. Tunc dixit ei Christus. Accipe pecunias mutuatas audacter, & consolare, & promitte creditoribus tuis reddere omnia, dominica prima post octauas Epiphaniæ Domini quando monstratur sudarium, quia tunc omnia persoluentur eis. Quod & ita fecit. Circa vesperas enim dictæ dominicæ, venit nuncius de patria, apportans pecunias, & eadem die creditoribus est satisfactum.

CHRISTVS REVELABAT Sanctæ Brigittæ cogitationes cuiusdam Episcopi ipsam comedentem iudicantis, qui tamen erat amicus Virginis Mariæ, &c.

CAP. CIIII.

QVadam vice sponsa Christi sedens in conuiuio cum quodam Episcopo Aboësi, scilicet Domino Hemmingo in mensa, de cibis delicatis sibi appositis comedebat in honorem Dei, propter quod Episcopus dicebat in corde suo. Cur ista domina habens donum spiritus a delicatis cibis non abstinet? Tunc ipsa nihil sciens de talibus cogitationibus eius, circa vesperas cum esset in oratione, audiuit in spiritu vocem dicentem. Ego sum qui impleui pastorem spiritu prophetiæ, nunquid propter ieiunia sua? Ego sum qui feci coniugatos, quia meruerunt illi? Ego iussi prophetæ, vt adulteram reciperet in coniugem, nunquid non obediuit ipse? Ego sum, qui loquebar cum Iob, ita bene in delitijs suis, sicut quando sedebat in sterquilinio. Ideo quia ego sum mirabilis, facio sine præcedentibus meritis omnia, quæ mihi placent. Quā quidem reuelationem ipsa statim illi Episcopo exhibuit. Episcopus autem hoc audiens recognouit se, & fatebatur, quod illas cogitationes in mensa habuerat, propter quod humiliatus animo petendo veniam ab ea, rogauit eam pro se orare. Tunc tertio die apparens eidem Dominæ Brigittæ oranti Beatissima Virgo Maria dixit. Dic eidem Episcopo, quod quia omnes prædicationes suas inchoare solet a laude mea, & quia per iudicium suum te iudicabat in mensa, etiam quia illud iudicium charitatis, & non inuidiæ erat, ideo charitas meretur consolari. Dic ergo ei, quod ego volo ei esse in matrem, & eius animam præsentare Deo. Et ego nunc exponam ei, quod ipse est animal septimum de animalibus prioribus tibi ostensis. Et quod ipse verba Dei coram Regibus, & Pontificibus portabit. Hæc reuelatio de septem animalibus habetur, libro quarto, cap. 125.

VERBA CHRISTI QVAE retulit Sancta Brigitta Abbati de Farfa, vt se corrigeret.

CAP. CV.

CHRISTVS loquitur. Tu Domine Abbas deberes esse speculum Religiosorum, sed tu es caput meretricum, hoc patet in filijs pro quibus es infamatus. Tu deberes esse exemplum pauperum, & distributor indigentium, sed ostendis te esse de eleemosyna magnum dominum. Hoc patet, quia magis inhabitas castra, quam claustrum. Tu deberes esse doctor, & mater fratrum tuorum, & factus es vitricus, & nouerca. Tu ludis in delitijs, & in pompa, alii autem afflicti murmurant tota die. Ideo nisi te correxeris te deponam de castris, & cum minimis fratribus non habebis consortium, nec ad patriam tuam vt credis redibis, nec patriam meam introibis. Sic postea omnia euenerunt.

QVOMODO SPONSA CHRISTI obtinuit particulam veræ crucis Christi, quæ iam contempta terribilis apparebit.

CAP. CVI.

QVidam iuuenis in Suetia Diœcesis Lincopen. ex successione paterna habebat quandam crucem auream, in qua inclusæ erant reliquiæ de ligno vero Sanctæ Crucis. Qui ex necessitate paupertatis Crucem illam vendidit, & lignum Crucis dedit cuidam deuotæ mulieri. Quæ timens illud tenere apud se, donauit illud Beatæ Brigittæ. Illa vero dubitante, an illud esset de vero ligno Crucis, vel non? Dixit ei Christus. Ille iuuenis cambium fecit irrecommendabile. Nam recepit lutum, & dimisit Margaritam preciosissimam. Recepit aurum contemptibile, & dimisit lignum, quo potuisset aduersarios vincere. Recepit desiderabile oculorum suorum, & amisit desiderium Angelorum. Ideo venit tempus quo lignum, quod nunc contemnitur terribile apparebit. Pauci enim cogitant, quam dolorosus stabam in illo ligno, quando cor meum crepuit, & nerui mei a iuncturis recesserunt. Igitur Beata Brigitta fecit illum lignum Sãctæ Crucis reponi in capsa honorabiliter, ne ab indignis portaretur.

QVALITER CHRISTVS permisit sponsam suam turbari, in carentia hospitij in Roma per vnum mensem cum sua familia, & postea ipsam consolabatur.

CAP. CVII.

CVm Beata Brigitta habitaret Romæ in domo Cardinalatus iuxta Ecclesiam Sancti Laurentij in Damaso per quatuor annos, Vicarius Cardinalis dixit ei, quod infra vnum mensem recedens cum familia sua, aliam domum sibi inquireret. Ipsa vero hoc audiens tristabatur nimis, eo quod habebat secum filiam pulchram iuuenem, & nobilem, & intuentium oculis desiderabilem. Ideo timebat non posse inuenire domum similem, ad conseruandum honestatem suam, & filiæ suæ. Et tunc cum lacrymis orauit Deum pro remedio opportuno. Qui volens probare ancillam suam, dixit ei. Vade, & proba per istum mensem, circumeundo per vrbem tu, & confessor tuus, si forte poteris aliam domum vobis vtilem inuenire. Ipsa autem obediens cum magistro suo, & patre spirituali circumiuit per totum illum mensem per vrbem cum dolore, & pœna, nec domum aptam potuit inuenire. Filia vero eius Domina Catherina videns angustias Matris, & de pudore suo timens, sæpe lacrymata est. Cumque per duos dies ante vltimum terminum mensis, fecisset parari, & ligari sarcinulas suas ad dimittendum domum, & hospitandum in hospitijs publicis peregrinorum, tunc dolore conflicta posuit se ad orationem, & cum lacrymis auxilium flagitabat de Cœlis. Tunc Christus apparens ei dixit, Tu turbaris, quia domum congruam tibi inuenire non potuisti. Scias igitur, quod hoc ego permisi ad vtilitatem tuam, & ad maiorem coronam. Vt per experientiam probares paupertatem, & dolores illos, quos pauperes peregrini, qui vadunt peregrinando extra propriam patriam sentiunt. Et vt scias habere compassionem eorum. Tamen scias,

quod

Digitized by Google

quod de ista domo non expelleris. Sed mittentur tibi nuncij ex parte domini domus, vt permaneas in ista domo cósolata, vt hactenus fecisti in bona pace, & quiete cum tota familia tua. Et stabis ibi secura tu, & familia tua, & omnes tui, nec aliquis poterit vos vlterius turbare. Domina autem Brigitta læta iuit ad referendum hanc reuelationem Domino Petro suo Patri spirituali. Illico quidam nuncius pulsauit ad ostium domus portans literas domini domus in qua consolabatur eam, scribens ei, quod non recederet de domo, sed firmaret se, & habitaret in eadem stabilis in omni pace, & quiete.

DE BEATO BRINVLPHO Episcopo Scarensi, quam acceptabilis erat Deo, & Virgini Mariæ.

CAP. CVIII.

Accidit, quod cum in die purificationis B. Brigitta esset in Ecclesia Scarensi, tunc sensit odorem suauissimum, & insolitum. Admirans igitur de hoc, rapta fuit statim in spiritu, & videbat tunc Beatam Virginem Mariam. Et cum ea quendam virum miræ pulchritudinis, indutum Pontificalibus ornamentis. Tunc vero ait Virgo Maria ad eam. Scias filia, quod iste Episcopus honorauit me in vita sua, & honorem opere confirmauit. Cuius vita quam acceptabilis fuit Deo, demonstrauit odor quem sensisti. Nunc autem licet anima eiusdem est in conspectu Dei, tamen corpus eius iacet hic in terra sine honore. Et sic ista Margarita mihi dilecta, locata est inter porcos.

De eodem Episcopo habetur in secundo libro cap. 30.

QVOMODO CONSCRIPTOR harum reuelationum curatus est a longo dolore capitis.

CAP. CIX.

Dominus Prior Petrus narrat, quod cum ipse a pueritia sua vehementissimum dolorem in capite continue pateretur rogauit Beatam Brigittam in monasterio Aluastri existentem, quod super hoc oraret pro eo. Cui oranti, Christus apparens dixit. Vade & dic fratri Petro, quod a dolore capitis liberatus est. Scribat igitur audacter libros verborum meorum tibi reuelatorum, quia ipse habebit adiutores. Et ab illo tempore vsque triginta annos dolorem capitis non sensit.

QVOD AB INDIGENTIBVS cum gratiarum actione accipienda sunt quæ offeruntur.

CAP. CX.

Cum Beata Brigitta a Sancta Ciuitate Hierusalem versus Romam rediret Regina quædam certam sibi pecuniæ quantitatē in Neapoli Ciuitate pro subsidio ex compassione transmisit. Dubitante vero illa vtrum tale munus deberet admittere. Christus apparens ei dixit. Nunquid pro amicitia reddenda est inimicitia, aut pro bono reddendum est malum? Aut in frigido vase reponenda est nix, vt plus frigescat? Ideo quamuis Regina ex frigido corde tibi dedit, quod obtulit, tamen cum charitate, & reuerentia a te suscipiendum est, & orandum pro ea, vt ad diuinum calorem valeat peruenire. Quia scriptum est. Aliorum abundantia suppleat pauperum defectus. Et quod nulla bona opera coram Deo in obliuione erunt.

BONA CLERICORVM SVNT proprium Christi, vnde vult, quod pauperes sustententur.

CAP. CXI.

Cum B. Brigitta semel in peregrinatione pecunia quam secū tulerat pro honore Dei iam consumpta, inopiam pateretur, Dominus Iesus pro cuius amore sua largiēdo alienis indigebat, apparens dixit ei oranti. Quamuis mundus meus sit, & omnibus omnia dare possim, tamen quod ex charitate offertur acceptius est mihi, & ea libentius exigo quæ propria mea sunt. Nunc autem, quia bona vestra expendistis hilariter pro honore meo, ideo tempore ne-

necessitatis vestræ de meo accipietis. Fac ergo dici Archiepiscopo huius ciuitatis sic. Sicut omnes Ecclesiæ sunt meæ, ita omnes eleemosynæ meæ sunt. Da ergo mihi; & amicis meis de his quę mea sunt, quia licet acceptum sit mihi erigere muros Ecclesiarum, æque tamen acceptum mihi est iuuare indigentes amicos meos, qui pro amore meo bona sua exposuerunt. Recordare quod Heliam ad pauperem viduā destinaui quem prius per coruos paueram. Non quia eo tempore aliqui vidua ista ditiores non erant, vel quia sine vidua prophetam, qui quadraginta diebus impastus sustinuerat, absq; alimonijs sustentare non poteram. Sed hoc feci, quia de charitate viduæ volui experimentum sumere, quam ego scrutans corda, & renes Deus bene noueram, vt alijs fieret manifesta. Tu ergo qui pater es, & Dominus viduæ, benefac viduis de meis. Quia quamuis sine te possum omnia, & tu sine me nihil, volo tamen interim charitatem tuam in eis contemplari.

QVAM MALVM EST inquietare amicos Dei.

CAP. CXII.

CVm Sancta Brigitta staret Romæ, coquus eius ipsam sic nequiter est affatus. Domina inquit, Iam filius vester Dominus Carolus est suspensus. Cui ipsa respondit dicens. Prohibeat hoc Deus, & a quo hoc audisti? Et ille. Peregrini mihi hoc dixerunt. Postea circa finem anni, idem coquus contritus, & confessus obijt. Beata Vero Brigitta pro animæ ipsius sollicita salute orationi se dedit. Elapsis autem diebus septem rapta in visionem spiritualem vidit quasi vnam trabem transuersum super infernum positam; in cuius medio sedebat anima prædicti mortui. Tunc apparuit Virgo Maria dicens ei. Nullus homo credit in quanto timore sedet hic anima ista. Et hoc ideo; quia existens in corpore inquietauit amicos Dei. Veruntamen scias, quod est de numero saluandorum.

QVOD CANTVS SOrorum Ordinis Sancti Saluatoris, & horæ, quas dictauit magister Petrus Confessor Sanctæ Brigittæ, & legenda matutinalis, & regula sunt ex Spiritu sancto.

CAP. CXIII.

MARIA dixit Sanctæ Brigittæ. Mitte illi amico meo horas meas. Et dic ei, quod idem dictauit eas, qui dictauit regulam, & idem spiritus, qui tibi dedit lectiones scribere, ostendit & illi cantum dictare cum rebus mirabilibus. Ipsi namque tantus in aures aer aduenit, quod caput eius, & pectus replebantur, & cor calefiebat ad charitatem Dei. Et secundum quod flatus ille ei ostendit, lingua eius cantum, & verba proferebat. Ideo non oportet ea breuiari. Sed dic sibi, quod ostendat ea dilecto amico meo vero Episcopo Hemmingo, quod ipse si velit potest addere, vel planare. Totum autem, quod ibi de infantia mea scriptum est, verum est. Et hoc Ecclesiæ non contradicit. Et quamuis ibi non sit magistrale latinum, potius tamen mihi verba placent ex ore istius dilecti amici mei, quam ex ore alicuius magistri mundani. Postea vero debent horæ cum regula custodiri in monasterio Aluastri, donec locus monasterij mei consumetur.

SPIRITVS SANCTVS DVpliciter illuminat intellectum hominis, & quod lectura, & cantus sororum Ordinis Sancti Saluatoris sunt ex Spiritu sancto.

CAP. CXIIII.

VIrgo Maria loquebatur sponsę Christi. Deo non est difficilius facere, quā loqui. Ipse fecerat vermes venenosos, vt sciāt quo prodire possint iuxta suam necessitatem. Libentius autem se homini inclinat ad illuminandum conscientiam eius, secundum quod sibi placet cum suorum verborum intelligentia. Et hoc facit duobus modis.

Pri-

primo sicut tibi videtur, quod quasi aliqua persona dicenda tibi ostendit. Secundo modo prout magistro tuo videbatur, quod aures suæ, & os aere replebantur, & cor tāquam vesica ex ardēti ad Deum charitate extumescebat, vnde obtinuit ipse illa scire verba, quæ prius ignorauit. Quomodo scilicet responsoria, antiphonas, & hymnos componere, & cantum debuit ordinare, & ideo nullum eorum abbreuiari debet, aut adaugeri. Permittitur tamen, quod verbum aliquod elucidetur si obscurum forsitan videatur.

ITEM DE EODEM Magistro Petro.

CAP. CXV.

ANgelus loquebatur Sanctæ Brigittæ dicens. Dic magistro tuo, quod ipse, & ego ambo sumus vnum membrum Dei. Ipse exterius, ego vero interius. Scribat igitur verba quæ dico tibi, & quod sibi placet deponere potest, aut addere. Ambo enim vno spiritu gubernamur.

QVAM DVLCIS, ET DILectus erat Deus Sanctæ Brigittæ, & è conuerso.

CAP. CXVI.

BEata Brigitta loquebatur deitati dicens. O dulcissime Deus meus quando dignaris visitare cor meum, brachia mea se continere non possunt, quin pectus meum amplexētur ex deifica charitatis prę dulcedine, quam tunc sentio in corde meo. Mihi videtur, quod ita imprimeris in animam meam, vt vere sis eius cor, & medulla, & omnia eius intestina. Et ideo charior mihi es, quam vtrunq; anima scilicet, & corpus meum. Fœlix ego essem si fecero quod tibi sit placitum. Ergo charissime domine da mihi auxilium, & posse ad faciendum in omnibus rebus honorem tuum. Respondit Deus. Filia sicut cera imprimitur in sigillo, ita anima tua imprimetur Spiritui sancto, vt post mortem tuam dicetur a multis. Ecce iam videmus, quod Spiritus sanctus cum illa erat. Et calor meus addi debet ad calorem tuum. Sic quod omnes, qui ibi appropinquāt, inde calefient, illuminabuntur, & fortificabuntur.

Deo gratias.

Digitized by Google

INCIPIT

VITA ABBREVIATA PRÆDILECTÆ SPONSAE CHRISTI SANCTAE BRIGITTAE DE REGNO SVETIAE.

CONTINENS IN SE CERTAS reuelationes diuinas cum aliquibus miraculis.

BENEDICTVS sit Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. De cuius priuilegiata familiaritate, ac magnifica dignatione, erga deuotissimam Christi sponsam sanctam Brigittam scire volentibus, iuxta continentiam reuelationum cœlestium voluminis hic præsentis, congruit primum ea agnouisse salutis exordia, quæ in ipsa prælecta Dei virtutum præuenerint incrementa. Videt enim Dominus, quia conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, & diminutæ sunt veritates a filijs hominum, vt patet primo libro reuelation. cap. quadragesimoprimo & *46.* & infra. & cap. *56.* Item secundo libro cap. 20.. *Item* tertio libro cap. trigesimo. Item quarto libro, cap. *76.* & alibi, verigerum sydus in lumen, & reuelationẽ populorum creare dignatus est, radijsque decorare gratiæ multiformis, in conueniẽdo populos in vnum & reges vt seruiant Domino, vt patet secundo libro, cap. 15. 16. & 17. Item tertio libro cap. quinto & 30. Item libro 4. capitulo 143. & alibi. Et quamuis sexu de fragili, non tamen fragilem, sed mulierem fortem, *Sanctam* scilicet Brigittam, de sanctorum Regum Gothorum Regni *Suetiæ* oriundam progenie velut plantulam salubrem, fructiferam semine spirituali multis profuturo, *Ecclesiæ* suæ militanti, in singulare decus, & solatium destinauit, vt patet primo libro reuelation. cap. 20. Item quarto libro cap. *66.* *Quamobrem* Christus dominus sibi in quadam reuelatione inquit dico tibi non ad laudem tuam, quod generatio tua processit de sanctorum regũ progenie, & ipsi suis promeruerunt meritis, vt tecum manifestaretur gratia Dei. Vt sic iuxta verbum legislatoris, ad filiam transiret hæreditas. *Numeri 27.* Confirmatur ex hoc, quia auia sua Deo, & hominibus grata, quæ ob eminentem pulchritudi-

tudinem suæ domina. N. venusta communiter dicebatur, deuotionem mentis occultans, suæque nobilitatis iuxta decentiam incedens. Cum semel sociata familia sua per monasterium Schoo transiret vna monialium fastuosam, quasi ipsa iudicando cōtempsit. Cui in sequenti nocte apparuit persona quedam miræ pulchritudinis, irato quasi vultu dicens. Cur detraxisti ancillæ meæ, dicendo ipsam superbam esse, quod non est verum, ipsius nanque de genere filium vnam faciam procedere, cum qua facta mea magna faciam in mundo tantamq; sibi gratiam infundam, quod gentes mirabuntur vniuersæ. Itaque mane notum faciet dominus, qui ad se pertineant, & applicabit ad se populum suum. Numeri 16. Cum vero hæc fœlicissima futura sponsa Christi Beata Brigitta in Matris vtero clausa gestaretur, Mater sua naufragium passa est, multisque promiscui sexus iam submersis ipsa ad litus viua peruenit. Cui nocte eadem persona quedam vestitu fulgenti astitit dicens. Ecce saluata es propter bonum quod gestas in vtero tuo. Nutri igitur illud cum charitate Dei, a Deo namque tibi donatum est. Vnde prima ad Thimo. 2. de muliere iusta dicitur, quod saluabitur per filiorum generationem. Nata vero virgine curatus vicinioris ecclesiæ, qui, & factus fuit Episcopus Aboensis, vitæ, & conuersationis beatæ, vigilando in oratione, vidit nubē lucidā, & in nube Virginem, habentē librum in manu sua. Cui admiranti, vox quedam diuinitus dixit. Nata est Birgero filia, cuius vox admirabilis audietur per mundum. Vere vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Cumque septimū attigisset ætatis annum, vidit ex opposito lecti sui semel altare, dominamque super illud fulgida veste sedentem, & habentem in manu preciosam coronam, quæ dixit ei. Brigitta veni. Cui currenti ad altare, domina ait. Vis ne inquit habere istam coronam? Et illa annuente, imposuit eam capiti eius. Vnde sensit quasi circulum coronæ cingentis caput. Statimque visio illa disparuit, quam tamen nunquam poterat obliuisci. In decimo insuper ætatis Anno, audiens in Ecclesia semel prædicari de passione Christi statim nocte sequenti vidit Christum quasi eadem hora crucifixum, & dicentem. Taliter plagatus sum. Illa vero putans hoc recenter factum. Respondit. O Domine, quis fecit tibi istud? Respondit Christus. Qui me contemnunt negligentes charitatem meam, mihi hoc faciunt. Et ab illa die ad passionem Christi tātum afficiebatur, quod ipsam raro sine lacrymis reuoluebat. Sicut docet Apostolus, domino cum humilitate, & lacrymis seruiendo. Præterea circa annum eius 12. matertera sua sub cuius cura defuncta Matre virgo degebat, nocte quadam cubiculum virginum latenter ingressa, inuenit Beatam Brigittam nudam ante lectum suum crucifixum flexis genibus adorantem. Quæ leuitatem virginis suspicata, virgam sibi iussit afferri. Quam dum super dorsum virginis eleuasset, mox in frusticula soluebatur. Quod matertera sua vehementer ad admirans, dixit. Quid fecisti Brigitta? Nunquid docuerant te mulieres aliquas fallaces orationes? Cui Virgo lacrymando respondit. Non domina mea, sed surrexi de lecto, vt laudarem eum, qui me semper adiuuare solet. Cui domina. Quis inquit est ille? Virgo ait. Crucifixus quem nuper vidi. Et ab illa die matertera ipsam venerando feruentius diligebat. Deniq; paulopost beata Brigitta cum coæuis sibi puellis ludente, consilium malignantium obsedit eam. Apparuit namque sibi diabolus quasi centum habens manus, & pedes deformissimus. Vnde ipsa territa, lectum suum properanter accessit crucifixo se humiliter recommendans. Vbi iterum apparens ei diabolus dixit. Nihil possum facere, nisi permiserit crucifixus. Et sic ab his qui animam eius accipere consiliati sunt liberauit eam dominus, qui facit cum tentatione prouentum. Facta tandem annorum tredecim, licet in florido virginitatis summæ ferueret proposito, parentū tamen non minus quam diuino parendo imperio iuxta hoc Ecclesia 3. Iudicium patris audite filij, & sic facite, vt salui sitis. Nobili militi, & viro adolescenti annorum 18. qui & ipse virgo erat est matrimonio copulata. Qui pariter per biennium in virginalibus delicijs iocundantes, connubium castissimum celebrarunt. Postea vero præmissa semper ad Deum oratione, quatenus ipsos in actu matrimonij seruaret innoxios prolemque sibi Deum non offensuram dare dignaretur, cum Dei timore, & mentis puritate infantes promiscui sexus octo numero futuros cæligenas fructifere genuerunt. Quorum cohabitatio ex sequentibus Deo accepta fuisse dinoscitur, & deuota. Quoniam dominus in generatione iusta est. Primus igitur filius eorum fuit dominus Carolus miles egregius. Qui primus, & solus eatenus suam Deo dedicauit militiā, prout docetur in 2. lib. reuel. cap. 13. d. propterea meruit salubrem illam militiæ spiritualis accipere in futuram, de qua habetur in 4. lib. reuel. cap. 74. per totum. Ipse denique cum sancta Matre sua peregrinando in via, & proposito versus sanctam ciui-

tatem Hierusalem vitam suam pro recuperatione terræ Sanctæ paratus exponere in ciuitate Neapoli, 12. die mensis Martij sifirmatus obijt. Et in die Ascensionis Domini, proxime sequenti anima eius celicas petijt mansiones. Sicut pulchre deducitur in septimo libro Reuelat. cap. 13. & 14. per totum. Iste Dominus Carolus habebat filium etiã Carolum nomine, qui cum esset magnæ litteraturæ, veniens de studio duxit vxorem. Cum autem semel in monasterio Vuatzstenensi orationi vacaret, apparuit ei auia sua sancta Brigitta, tenens quasi vitrum horedicum in manu sua, & ait. Carole vides, quàm prope hoc vitrum cursum suum compleuit? Cui ille inquit, domina mea vl deo. Et ipsa subiunxit. Tam prope transit tempus vitæ tuæ, nec plus tibi quam cernis restat. Sed si tu obediuisses Deo longeuior cęteris in progenie mea permansisses, & Episcopus Lincopensis, notabilisq; columna in Ecclesia Sancta Dei. Illo vero rogante eam, quod pro se oraret, seq; libenter emẽdaret. Dixit iterum domina. Non fili, iam enim iudicium datum est, & tempus præterijt. Qui statim infirmatus paulo post acceptis Sacramentis defunctus est, & sepultus in Vuatzstenis. Præterea cum filia istius Domini Caroli Brigitta nomine, & septennis ætate reposita esset ad litteras in monasterio Vretum, & iam extreme decumberet, vidit Sanctam Brigittam abauiam suam, dicentem sibi. Confitere filia. Quæ cum diceret se confessam esse. Adiunxit Domina. Confitere inquit, quod intantum te gestaturam mantellum tuum, & coronã lætabaris, vt somnum capere non valebas. Moxque humiliter absolutione accepta, legumina fraga nuncupata, sibi ad edendum ministrari rogabat. Audito autem a circunstantibus, quod tali tempore Anni quod erat inter Festa Natiuitatis CHRISTI, & Purificationis MARIAE impossibile esset huiusmodi inueniri. Immo inquit Virgo in colle prope Monasterium quærite, ibique remota niue eorum copiam capietis. Ita enim Domina mea mihi retulit sancta Brigitta, vbi cum inde late tentarent iuxta verbum Virginis hoc genus leguminum ibi nunquam prius repertum, & donum Domini in magna multitudine collegerunt. Vere a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Postea Virgo defuncta est in Domino, & in Vuatzstenis tumulata. Secundus filius Sanctæ Brigittæ Dominus Birgerus vocatus, sanctæ matris suæ pariter, & Germanæ Beatæ Catherinæ peregrinationis comes indiuiduus, terram sanctam vsque peruenit, & factus ibi miles Romam rediijt. Defunctaque illic sanctissima matre sua ipse cum Germana sua prædicta, cæterisq; comitibus, reliquias Matris, ossaque Beatæ Vuatzstenas vsque reuexit, vbi tandem iuxta imperium Christi diutina negociorum monasterij, & sanctæ matris suæ procuratione fideliter impensa, fœlicem corporis accepit mansionem, & vt pie creditur anima cum sanctis Dei benedictionem. Quia generatio rectorum benedicetur. Tertium genuerunt filium re, & nomine Benedictum. Qui cum diu infirmaretur in monasterio Aluastra, deuota Mater sua plorans de tam longa infirmitate eius, reputabat hoc esse propter peccata parentum. Tunc apparens diabolus dixit ei. Quid tibi mulier, quod tantis aquis debilitas visum tuum, & in uanum laboras? Nunquid aquæ tuæ possunt ascendere in cœlum? Moxque affuit Christus dicens. Huius pueri infirmitas non est ex stellis, nec propter peccata eius, aut parentum, sed propter naturæ conditionem, maioremque eius coronam. Ideo si hucusque vocatus est benedictus, ammodo filius aquarum, & orationum vocabitur, & finem faciam necessitati eius. Die igitur quinta post hæc, auditus fuit cantus suauissimus quasi auium, inter parietem, & lectum pueri, tunc quoque anima eius a corpore est egressa. Sed eorum quartus filius Gudmarus nomine, puer scholaris in oppido Stokolmensi, quia placita erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, illibatum spiritum domino commendauit, vnde pie creditur, quod in bonis Domini demoratur. Dominus enim non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Insuper & filias quatuor habebant. Quarum prima Domina merita vocabatur. De qua non reperi memoriæ commendatum. Nisi quod post deuotũ matrimonium, filiorumq; castam generationem cum illa bona Martha Euangelica pro domino sollicita, in regno Noruegie creditur corpusculo pulueri tradita. Spiritu ad Dominum qui fecit illum, feliciter ascendente. Quia hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei. Filia vero eorum secunda Beata Virgo Catherina, propter verba labiorum Domini custodiendo vias duras, noua veluť quadam inuentione de hoste didicit triumphare. Maritales namque post, & inter amplexus virgineo candet honore. Sicut patet in extrauag. cap. 110. Quæ quam celebris in cęlis sit Angelis, probatur quæ per ipsam Omnipotens Deus operari dignatur

in ter-

in terris. Etenim in domum eorum quasi exiuit sonus eorum, prout in legenda vitæ suæ latius declaratur. Eiusque præconium attestatione deifica recensetur. Item in sexto lib. reuela. cœlest. 110. & 120. cap. Hęc Deo dilecta domina Catherina. Quæ deuotione præcipua, & morum grauitate præcellens erat, ac habitudine corporis formosa, vitamq; ducens exemplarem, eius honestiores dominæ præsentiam diligebant. Vnde cum semel a nobilioribus matronis Romæ rogata, cum eis extra muros, recreationis gratia deambularet. Prominentibusq; hinc inde supra macerias vinearum botris. Instabant vt ipsa Domina Catherina; quia elegantis, & procere staturæ erat, ipsis dependentes carperet vuas. Quæ cum manus sursum porrigeret brachia eius virginea in vestitu deaurato circundata varietate fulgebant, cum tamen præ paupertate quam elegerat, repetiatas haberet manicas, & præruptas, quas nobiles illæ matronæ cum admiratione singillatim attrectantes stupebant, quod tam humilis, & deuota persona his preciosis vestibus, vt eis apparuit vteretur, non intelligentes diuinum esse mysterium hoc, quod cernerent. Alio quoq; tempore cum Beata Catherina graui corporis valetudine depressa lecto decumberet, & voluntariæ paupertatis præferens insignia, super stramineum iaceret stratorium, habens sub capite vnicum cussinulum coopertum desuper antiquato, & emendato mantello, quidam eius specialis amicus, nobilis Baro Romanus Ludouicus nomine; pluribus stipatus satellitibus ipsam ex deuota compassione visere satagebat. Veniens autem ad lectum languentis videbatur sibi delicatis, & optimis lectisterniis instauratus, desuperq; deaurato, & iacincti no tegimine resplendere. Vnde plurimum admirans dixit comitibus suis. Melius esset vt iste dominæ hæc preciosa venderent, & cum precio eorum suam inopiam releuarent. Contigit etiam Romæ, quod Tyberinus fluuius tanta inundatione succreuit, vt pontem Lateranen. & monasterium Sancti Iacobi cum diuersis circumuicinis ædificiis supergrederetur, Romani itaq; excidium vrbis pertimentes in domũ Beatæ Catherinæ quantocius properabant. Rogantes quatenus vsque ad decursus aquarum inundantium cum ipsis descendere dignaretur, dominum pro vrbe deprecatura. ipsa vero humilitatis alumna indignam se ad hoc reputans, cum lacrymis supportationem postulabat. Sed cum precibus se proficere min. posse viderent, violenter tamen ipsam de domo sua educentes aquarum profluuio obtulerunt. Mira res antiquum innouatur miraculum. Iosue tempore Iordanis conuersus est retrorsum, & ad ingressum Virginis Sanctæ in aquam virtus de illa exibat, & vim virtutis aquarum restringens, inundantem fluuium cum omni velocitate in alueum suum redire coegit, vnde exultabant vniuersi laudantes cuncti potentis magnalia in prælecta sua virgine Catherina. Sed tertia eorum filia Ingeburgis nomine Nazareorum more, in cœnobio Risaberga virgo deuotissima monialis ab infantia extitit consecrata, & consummata in breui animam Angelico dignam consortio morte preciosa reddidit Creatori sicut claret in extra, cap. 98. Crebrescentibusque ad sepulchrum eius miraculis apud Deum nota est, & apud homines laude digna. Quarta autem filia eorum, & vltimo genita erat domina Cæcilia omni reuerentia cum prædictis nominanda, maxime ob singularem gratiam sibi a Gloriosa Matre Dei exhibitam, prius quam ex matris vtero nasceretur. Quippe cum ipsam Beata Mater sua paritura in eius partu periclitaretur, & de eius vita desperaretur, Virgo Maria quasi serico albo induta, visa est ad eam ingredi. Et stans ante lectum, singula iacentis membra tangebat. mulieribus quæ ibi tunc aderant stupentibus, & mirantibus vniuersis. Qua iterum egrediente, mox sine difficultate peperit partum suum, vnde paulo post ipsamet Virgo Maria hoc ipsi Sanctæ Brigittæ reuelauit dicens. Quando inquit difficultatem in partu habuisti, ego ad te ingressa sum. Ideo ingrata es si non diligis me, labora igitur, vt filii tui sint etiam filii mei. O quam fœlix, quamque generosa progenies, vnde Mater Dei eligere dignabatur sibi filios adoptionis prout hic patet, & in extrauag. cap. sexagesimotertio. De hac domina Cæcilia loquebatur Christus, 4. libro reuelatio. cœlestium cap. 74. per totum. Quia Mater sua Sancta Brigitta ipsam paruulam monialem in monasterio Scheningensi facere proponebat. Sed ordinatione diuina per fratrem suum Dominum Carolum fuit magnifico militi desponsata. Quo parum post mortuo, Virgo alteri nupsit. Et ex casto coniugio accepta prole velut altera tabita plena operibus bonis, obiit in viduitate bona, sepultaque est in Vvatzstenο circa annos domini 1 3 9 1. Ecce quam pulchra est casta generatio cum claritate. Gaudium quoque parentibus est de tam bonorum filiorum multiplicatione, vnde Prouerbiorum 23. Exultat in gaudio pater iusti, & mater, quæ eum genuerunt nobis. At vbi preordinatam a Domino

sibi propagationem prolis implessent, vtrique sese continentię, & castitati perpetuæ dedicarant, vt patet in prologo sub litera. e. Perfectisq; fatigabilibus peregrinationibus, abstinentijs, vigilijs, disciplinis, ceterisq; virtutum operibus. Vir Deo beneplacens Dominus Vlpho maritus Sanctę Brigittæ in monasterio Aluastra exuuiarum quietem, & cum pietate dormitionem accipiens. Anno Domini 1344. duodecima die mensis Februarij, optimam habebat repositam gratiam, prout in extrauaganti, cap. 56. habetur per totum. Quo protinus defuncto, ipsa prælecta Dei Sancta Brigitta, impendia, possessiones, amicos, & propinquos pro modico reputans terrestres, cum Magdalena optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, vt patet in prologo sub litera F. Nimirum igitur, qui diligentes se diligit. Et in animas sanctas se transfert, ipsam cœlesti benedictione præueniens iubiliferi Spiritus sancti dulcisflua præsentia per realem experientiam deiformiter adimplere, sponsamq., & filiam charissimam sibi assumere, & nominare dignabatur, ac suorum secretorum consciam, reuelationumq; cœlestium facere receptricem, eius quoq; cor, & animam vti templum amenissimum diuinæ maiestati placitum inhabitando iubilosa illic festinabat Iesus encenia, quæ nemo scit nisi qui taliter accipit, Benedicti spiritus habens contuberniũ Dei, quarto libro reuelationum capitulo 70. Item sexto libro cap. 52. & alibi. Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominũ. Notandum præterea, quod hæc Gloriosa Christi sponsa, cœpit habere istas diuinas reuelationes, Anno Domini 1344. Et ad præceptum Christi, iuit Romam. Anno Domini 1346. Anno vero ætatis suæ 42. & per viginti octo annos postquam recessit a patria sua, nunquam aliquorsum diuertebat sine imperio Christi, sicut patet in extrauaganti cap. octauo. Obijt autem Romæ, Anno Domini 1373. Anno autem ætatis suæ septuagesimo, die vero vigesimatertia mensis Iulij, & vigesimasexta die mensis eiusdem, corpus eius benedictum sepultum fuit in monasterio Sancti Laurentij Panisperai in capsa lignea sigillata, & in monumento marmoreo inclusa, ac per spatium quinque hebdomadarum, cum dimidia carne miraculose consumpta nuda ossa recentia sunt inuenta. Quæ postea a Roma translata sunt, anno Domini 1374. quarto nonas Iulij, quod fuit feria tertia infra octauas Apostolorum Petri, & Pauli in suo monasterio Vatzstena, in Regno Suetię Lincopen. diocesis, condignis honore, & gloria collocata. Tandem canonizata fuit anno Domini 1391. vt latius in Bulla Canonizationis eius continetur.

Sequuntur aliqua miracula Sanctæ Brigittæ.

DVo viri tanquam piratæ iniuste in Arosia captiuati, catenis, & vinculis per mensem crudeliter tenebantur. Qui cum vouissent se reliquias, & monasterium Sanctæ Brigittæ in Vuatzstenis visitaturos, si ipsos iuuare dignaretur statim ad nudæ manus tactum sine quocunque instrumento ab alio extrinseco ab eis totaliter omnia vincula deciderunt. Cunque timore custodum carcerem obseruantium non auderent egressum per ostiũ attentare, terram manibus veluti cinerem effodientes sub carcere secum trahentes vincula ferrea in medio custodum Deo se protegente, in plateam securius conscenderunt votum suum emissum effectui mancipando.

Secundum miraculum.

QVidam de Gothlandia circa festum natiuitatis Domini naufragantes, in quendam maris scopulum naui conquassata delati sunt, vbi per vnam septimanam famem, & frigus patientes, sortem miserunt quis eorum, vt alijs esca fieret necaretur. Per sortem vero deprehensus cum lacrymis Sanctæ Brigittæ subsidium præcabatur, ad visitandum suum monasterium in Vuatzstenis se astringens. Moxq; miraculose grande frustum carnis in littore inuenerunt, quo deuorato, tranquillitateq; suborta, cum parua cimba per longa maris deuia ad frequentiam hominum peruenerunt. Ille vero quem sors occidendum mõstrauerat, In via implendi voti fuit captiuatus, ferroq; & cippo duriter afflictus, iterato Sanctæ Brigittæ vitro ab eo cadentibus vinculis, iter inceptum continuare cœpit. Cui cum in via numerosi lupi terrorem incuterent vibrata catena qua ligatus fuerat singuli diffugerunt.

Tertium miraculum.

DECEM viri circa festum omnium Sanctorum nocturno tempore in mari velantes in quoddam promontorium impe-

pegerunt, vbi naui onusta ima petente ipsi quamtocius promontorium subreptantes, per nouem dies cōtinue absq; cibo, & potu frigescentes inibi iacuerunt. Tandem vouentes se visitare reliquias Sanctæ Brigittæ in Vatzstenis, nona die per quosdam insulares ad securitatem deducti sunt.

Quartum miraculum.

QVatuor viri de Olandia circa festum Natiuitatis Domini, versus Almaniam nauigaturi, a piratis tenti sunt. Et intromissis ad eos quatuor nequam de naui piratarum, cęperunt eos tyrannice molestare, villani autem illi vim vi repellere cęperunt, & gratia Dei præualentes, omnes illos quatuor pyratas a se in mare eiecerunt. Quod cęteri pyratæ videntes ad eos venire festinabant, villani itaque, eo quod nisi octo vlnarum spatio, vel quasi ab eis distabant humano ingenio destituti votum peregrinationis ad reliquias Sanctæ Brigittæ in Vatzstenis, vt euaderent emiserunt mirantes. Subito nauis pyratarum immobilis quasi fixa vndis adhæsit, donec illi prospero nauigio ab eorum aspectibus auulsi sunt.

Quintum miraculum.

IN Regno Suetiæ dioecesi Strengen. parrochia Malmg, puer nouem annorū cum sorore sua sex annorum cum dimidio, Imperio parentum boues ad pascua siluestria minabat. Vbi puella præ nemorum densitate aberrante, puer solus reuersus est. Parentes igitur primo cum vicinis suis, deinde cum tota parrochia tandem cum populo trium circumiacentium parrochiarum perditam filiam per sex dies requirentes inuanum laborauerunt, postea per tres dies quoddam fluuium si forte ex quo in terris non est inuenta submersam reciperent scrutabantur, sed labore vacuo. Demum reliquias Sanctæ Brigittæ in Vatzstenis se pro receptione filiæ perditæ vouentes cum offertoriis visitare. Nona die perditionis eius in ortu solis ante fores ipsam incolumen receperunt.

Sextum miraculum.

IN Ciuitate Liptzig quidam pictor magister Henricus nomine, inter doctores de sanctitate Beatæ Brigittæ, & eius libris Cœlestium reuelationum multa loqui solebat præ amore quo ad ipsam afficiebatur. Tunc semel vnus doctorum sibi cum indignatione inquit. Nisi de hac noua hæresi, librisque illius vetulæ loqui desieris tradam te ignibus comburendum, quod & facere proposuit, citatumque eum fecit, vt sequenti die mane coram magistris compareret. Pictor itaque dictus quendam clericum Beatæ Brigittæ deuotum Waltherum nomine pro saniori in hac re consilio requisiuit, sciebat enim vitæ suæ. Qui ipsum confortans suasit, vt erga Deum, & Sanctam Brigittam deuotioni insisteret, nihil de ipsorum suffragio dubitando. Ipseque Sacerdos cum alio magistro Iwanno socio eiusdem erga Sanctam Brigittam deuotionis viro libenter vellet pro ipso dominum deprecari, quod, & factum est. Mane autem facto coram collegio tremula mente comparauit, examen durum sustinens, vt conuictus tanquam hæreticus puniretur. Sed precibus Sanctæ Brigittæ pro qua certabat, Spiritu sancto imbutus laicus ille simplex, & sine litteris, magnalia Dei, tam efficaciter proponebat, vt aduersarij sui spiritui, qui in ipso loquebatur resistere non valebant. Vnde nec longe postea. Deus vltionum dominus huius disturbij excitatori vindictam immisit horribilis. Nam lectum suum sanus ingrediens morbo caduco nocte percussus interijt, tanto quoque fœtore, & horrore cadauer suum illico computruit, vt nemo illi appropinquare audebat, & ad tactum manuum carnes frustratim ab ossibus soluebantur. Tandem cloacarij appretiati miserum corpus eius in tumulum asportabant. Affirmantes, quod si presciuissent tanti fœtoris in ipso abundantiam, & si pretium eis dupplicassent, ipsum minime attrectassent.

Septimum miraculum.

ALiquandiu post prædicta quidam doctor de ordine fratrum minorum iturus versus Stolpæ ad amicos suos prænominatum Dominum Vualterum in comitem acquisiuit. Qui cum de Sancta Brigitta, & eius diuinis reuelationibus in via magnifica loqueretur, doctor ille sanam doctrinam non sustinens. Define inquit loqui de vetula illa, & suis friuolis superstitionibus, ac noua hæresi. Cumque in Stolpæ intrassent post vsum balnei, & cum amicis suis iocundo celebrato conuiuio, ad lectum pergens, & in alto gradu consistens, diuina percussione præcipitatus protinus expirauit.

Octauum miraculum.

QVidam magnæ litteraturæ de ordine prædicatorum contra reuelationes sanctæ Brigittæ succensus, ita vt manifestę diceret ipsos comburendos, religionis eius personas lulardos, & beguttas appellando. Cui alius magister quidam sæcularis obtulit libros Sanctæ Brigittæ reuelationum cœlestium, vt eos legendo ad meliora mutaretur. Sed salubre consilium aspernanti subiunxit. Timeo quod Dominus Iesus se, & suam sanctam in vos vltione diuina vindicabit, eo quod iam pertinaciter hæc sancta impugnatis. Et cum hoc separati sunt. Statimq; manus domini in ipsum seuiebat, tantaq; lepra corpus suum magis, ac magis infecit, vt nullus fratrum conuentus illius secum comedere, bibere, aut conuersari audebat, seu aliquod seruitium impendere, donec viam carnis transijt vniuersæ, Deus sit ei propitius. Quam periculosum est Sanctæ Brigittæ detrahere, aut reuelationibus celitus sibi factas ausu temerario contraire, patet ex supradictis, & 90. & 92. cap. sexto lib. reuela. quomodo diuina iustitia viriliter retribuit facientibus superbiam. A qua nos protegat Deus trinus, & vnus. Amen.

Finit diuinum volumen omnium Cœlestium Reuelationum prælectæ sponsæ Christi Sanctæ Brigittæ de Regno Suetiæ. A religiosis patribus originalis Monasterij Sanctarum MARIAE, & BRIGITTAE in Vvatzstenis, prę maturo studio, & exquisita diligentia, in hos suprascriptos numerum, & ordinem accuratius comportatum. Et si forte aliquę aliæ Reuelationes sicut repertum est Beatę Brigittę per errorem, aut temerarie a quoquam quomodolibet ascribantur, præter has quæ in hoc pręsenti volumine, aut in vita, seu legenda Sanctę Brigittæ maiori continentur, tanquam falsę, & erroneæ decernentur.

INCIPIT VITA,
SIVE LEGENDA CVM MIRACVLIS

DIVAE CATHERINAE

FILIAE SANCTÆ BRIGITTAE DE REGNO SVETIAE.

B. Catherinam relatam fuisse in Sanctorum numerum ab Vrbano Sexto Pont. Max. testatur Molanus in Vsuardum die 22. Martii, & F. Angelus Rocca in Catalogo Sanctorum Canonizatorum. De eadem agit, Surius Tomo secundo.

ATTESTATIO SANCTIMONIAE ET LAVDIS BEATAE CATHERINAE FILIAE DIVÆ BRIGITTAE.

SCIENS Beatissimus Vrbanus Sextus Pontifex Maximus. Scriptum esse; Arbor bona fructus bonos facit. & qualis radix talis, & ramus, ac germen eius. Idcirco in conspectu Reuerendiss. D. Card. dixit Beatæ Catherinæ pro Canonizatione Matris suæ Beatę Brigittę sollicitanti: Vere filia tu bibisti de lacte Matris tuę, quod veræ dicere potuit. Nam & Christus, ac Beatiss. Virgo Maria, huic Gloriosę Virgini Catherinæ magnum virtutis testimonium (prout in plurimis reuelationibus supradictis patet) perhibuerunt. Insuper & Reuer. Alphonsus Episcopus Giennen. peregrinationis suę matris fidelis comes a Deo pręordinatus in Hierusalem sub eiusmodi verbis ait. Hęc B. Catherina Deo, & parentibus semper obediens, erat speculum virtutum omnium eam intuentium, quia in omni tempore extitit.

In diuino officio feruens	benignitate suauis
In tribulationibus patiens	pietate compatiens
In congerie virtutum solida	in patientia stabilis
Omnium oculis gratiosa	in colloquio affabilis
Opinione mirabilis	in eleemosynis dandis hylaris,
Humilitate placida	& in omni morum honestate composita.

Atque ad regularem obseruantiam omnes sorores, & fratres sincere diligens materno, & dulci hortabatur affectu, eiusq; pijssima admonitione semper de virtute in virtutem, gradientes adhuc usque diem optimam viuendi formam posteris reliquerunt.

Digitized by Google

INCIPIT VITA, SIVE LEGENDA CVM miraculis Diuæ Catherinæ Filiæ Sanctæ Brigittæ de Regno Suetiæ.

VENERABILIS, & Deo dilecta Catherina nobilis viri domini Vlphonis Gudhmarſon, & Brigittæ coniugis eius, cuius laudis præconium in Eccleſia, filia fuit. Hi ex ſancto ſuo coniugio, non tãtum mundo, ſed Deo octo filios genuerunt. Catherinam, de qua narrandi ſeries ſuſcipitur, ordine naſcendi quartam, prouidentia diuina tanquam mediam, virtutibus, & morum honeſtate cæteris eorum filijs eminentiorem, huic luci inuexit. Quæ cum adhuc in cunis mortalis huius vitæ ageret, exordium eius futuræ ſanctitatis, & puritatis inditia diuina gratia demonſtrauit. Nam nutricis officio tradita, propter impudicam, & laſciuam vitam (vt probabili coniectura cõijcitur) ſugere eius mammas abhorrebat, mamillas vero matris ſuæ ſanctæ, & quorundam continentium mulierum, ſine horrore bibebat, incontinentium vero lac ſicut abſynthium refugiens cum lacrymis & vagitu. Congruum nanque fuit, vt quæ tota diuinis dedicanda erat obſequijs, more nazareorum immundum non manducaret ex vtero matris ſuæ. Ablactatam igitur, ſancta mater eius de educatione filiæ ſolicita cuidam deuotæ, & ſanctæ opinionis Abbatiſſæ de Riſabergha tradidit ſanctis moribus educandam. Sed innocentiæ perſecutor diabolus, qui ſemper primordia bona molitur extinguere, dormientem puellam Abbatiſſa in deuotis orationibus excubante, in ſpecie bonis cornipetæ impetijt, & eam cornibus è lecto proijciens, in pauimento ſemiuiuam reliquit. Abbatiſſa vero puellæ immanem gemitum audiens, cum omni celeritate accurrit, eamq; velut mortuam in ſinu ſuo collocauit. Cui diabolus iterum apparens horribilis dixit: Quam libenter eam occidiſſem, ſi a Deo permiſſus fuiſſem? Anno vero ætatis ſuæ ſeptimo, cœpit quadam vice a coæuis ſuis inducta ludis puparum intendere, & ne taliũ ludorum vanitas, quæ in pleriſque iuuenibus mentis ſtabilitatem ſubuertit, etiam ipſius animum innocentem diſſolueret, miſericordis Dei, qui flagellari permittit omnẽ filium quem recipit, permiſſione factum eſt, quod ſequenti nocte poſtquam tali ludo intenderat, vidit in ſomno multos immundos ſpiritus in ſpecie puparum cubiculum ſuum ſubintrantes, qui eam de lecto eiectã flagellis cæciderunt, adeo quod in craſtino toto corpore liuida videbatur. Vnde poſt modum omnem diſſolutionis materiam, & ludorum vanitatem, cooperante eius gratia, qui cum tentatione prouentum facit, perfectè reliquit, amplius cum ludentibus etiam quibuſcunq; ſe non commiſcens, immo quadam maturitate contra illius ætatis fluxam, & decliuem inertiam ſe agebat.

CAP. II.

ANnos inſuper nubiles attingens, cum fiducia, quam ſemper in Deo, & Glorioſa Virgine Maria de caſtitate ſeruanda habebat, voluntati patris obediens, in matrimonium nobilis viri domini Egardi conſenſit. Veniente autem die nuptiarum, cum in ſecreto thalami ſoli commanerent, virgo illa Deo, & Beatæ Virgini deuota, ad caſtitatis votum ſponſum ſuum ſanctis exhortationibus inflexit ipſo cooperante, qui totius puritatis, & caſti conſilij in mentibus electorum eſt infuſor. Voto itaque inter ſe de caſtitate perpetua cum Sacramentis firmato, tenerrime ſe inuicem in Domino diligentes, ſub ſæculari pompa, ſancta quadã calliditate hoſtem pudicitiæ deluſerunt. Et quam gratum Deo erat eorum votum, patet ex indicio ſubſequenti relatione digno. Nam cum vir ipſius Deo ſemper deuotus, more nobilium quandam damam cum canibus venaretur, contigit ipſam Dominam Catherinam fortuitò per viam eiuſdem luci pro negocijs ſuis vehiculo tranſuehi, ad quam fera curſu concito laſſa præ canibus, omni feritate poſtpoſita, tanquam ad ſingulare præſidium confugiens, caput ſuum in ſinu mulieris pudicæ, quæ in ſe beſtiales motus amputauerat, manſuetiſſime reclinauit. Cumque a viro, & alijs beſtiam inſequentibus, eſſet prædicta domina Catherina requiſita, oſtendit eam ſub pallio latitantem, ſupplicans humiliter pro eadem, vt captiuum ſuum (ſignificando beſtiam) donaret libertati. Quo faciliter annuente, ſyluas beſtia petijt, ipſi vero pariter in do

mino

miro plurimum gauisi, & cõsolati, gratias ei agentes, qui feras edomat, & mansuescere facit. Et ne hostis domesticus, caro videlicet, insurgeret, post nocturnas in deuotis orationibus vigilias, & genuflexiones, in pauimento cameræ suæ substratorium vnum torale habentes, & cussinum sub capitibus, dormire consueuerunt, tempore hyemali suam abstinentiam minime immutantes, quia quanto molliora pro Deo relinquebant, tanto magis diuini amoris incendio incalescebant. Ipsa nanq; venerabilis domina menti viri sui deuoti verbo exhortationis sæpius studuit materna virtutum exercitia, & pœnitentiæ inculcare, quæ ipsa iuuencula in matre Sancta Brigitta viderat, & ab alijs didicerat, cupiens se in his pariter conformari. *Hinc* vigilijs, & orationibus sanctis ieiunium associabant, vt cunctis aĩæ virtutibus florere possent, vt caro subiecta aĩæ, & ancilla dominæ suæ congrue famularetur. Abstinentiam ergo, quæ multum cõmendabilis est, pariter amplexati sunt ob amorem Dei, & propriam salutem, non solum cohibentes se ab illicitis, immo etiam a licitis, & concessis, scientes quod abstinẽtia vitam prolongat, castitatem conseruat, Deum placat, dæmones expugnat, intellectum illuminat, mentem roborat, vitia domat, carnem exuperat, & cor ipsum in Dei amorem pertrahit, & inflammat. Fœlix ergo fuit hoc coniugium, quod non carnis petulantia, & lascinia duo corda vnum fecerat, sed dilectio quæ est in Christo Iesu, castis amplexibus constrinxerat glutino charitatis. Fęlix eorum coniugium, qui sanctissimum Marię, & Ioseph virginale coniugiũ, quantum possibile fuit, conabantur imitari, ob diuinæ miserationis respectum, & amorem. Nam in diebus suis erant quasi duo lilia ĩ horto dominico, & statu matrimoniali bene fragrantia, castitatis nitorẽ corã Domino oĩum inspectore habẽtes, & corã proximo per virtutum exẽpla, & exercitia cũ opinione bonæ famæ suauissime redolẽtes. Vnde quidam de eorum familia, insolitę abstinentiæ, & spiritualis vitæ inexperti, tanquam vanis, & superstitiosis corã Domino Carolo fratre Dominæ Catherinæ detrahebant. Qui captata opportunitate, latenter eorum cubiculum intrans, inuenit eos non vt coniuges dilitias carnales sectãtes, sed velut deuotos religiosos laneis, & asperis indutos tunicis, dimisso delicato lecto, in pauimento separatim dormientes. Super quo memoratus dominus Carolus minus eorũ quæ sunt *Spiritus* sapiens, Dominum *Egardũ*, & vxorem eius *Germanam* suam tanquam superstitiosos, & fatuos arguebat. Ipsi vero descendentes pluuiae increpationũ, venientia flumina detractionum, & flantes ventos irrisionum, ęquanimiter tolerantes a proposito castitatis, & abstinentiæ fundamento, minimè ceciderunt, firmati enim erant super sanctæ perseuerantiæ stabile fundamentum. Sed quia non sufficit munditia carnis, nisi & munditia mentis sequatur cũ humilitate vera ad gloriam Dei (nam sicut munditia carnis est immunitas a pollutione hominum, sic humilitas est immunitas a pollutione dæmonum, miscentur enim dęmones animabus, & corrumpunt eas per superbiam sicut homines corpora corrumpunt per luxuriam) ideo hęc venerabilis domina pudicitiæ suę humilitatis studuit adhibere munimentum.

CAP. III.

COepit etiam vestes deformatas ab antiqua patriæ laudabili consuetudine, in quibus modernis temporibus maximè nobiles effluere solent, paulatim deponere, nec propter detractiones, & irrisiones ob humilitatis, & honestę consuetudinis patrię obseruantia desistebat. Cuius exẽplo multę nobiles consodales eius, & cognatæ, vestes pomposas, & ornamentum superfluum patrię reliquerunt. Inter quas nobilis *Domina* vxor fratris sui prędicti Domini Caroli, quamuis consilijs, & exemplis eius in principio pertinaciter resisteret, speciali tamen diuinę visitationis oraculo ad melioris vitę ordinem conuersa est. Nam contigit in ciuitate Calmarnen. in cappella Beatæ Virginis, dum simul starent in oratione ante imaginem ipsius Beatę Virginis, venerabilis domina Catharina cum vxore fratris, quod *Domina* illa, vxor videlicet memorati Domini Caroli, paululum obdormiret, videbaturque sibi, quod Beata Virgo hilari vultu respiceret *Dominam* Catharinam sororem mariti sui, se vero toruis oculis, & irato vultu inspectaret. *Hac* visione multum turbata cœpit cum lacrymis B. Virginem orare dicẽs. *Quare Domina* mea me ita terribiliter respicis? Cui *Virgo*. *Quare* non obedis consilijs dilectæ meæ Catharinæ. Si eius consilijs, & exemplo habitum tuum, & mores correxeris, ego te per gratiam meam hylariter respiciam. Quæ expergefacta admonitionis huiusmodi haud ingrata, continuo depositis superbię ornamentis, humilitati, & dominæ Catharinę moribus se studuit conformare. Vnde vir eius supradictus Dominus Carolus adhuc totus secularis, mutationem vestium, & deuotionis gestus in coniuge perpendens, turbato animo dixit, improperando Dominæ

Ca-

Catherinæ sorori suæ: Non es contenta, quod te beguinam feceras, quin etiam vxorem meum tecum beguinam faceres, & fabulam populorum. Patienter itaq; ferebat improperia, & irrisiones pro Domino, pro virtuosis operibus commendari plurimum abhorrens, commendantes se obtestans per misericordiam Christi, ne eiusmodi de ea dicerent, seu sentirent. Nã speciales suos secretarios sepissimè cum lacrymis obiurgabat, quia ob reuerentiam pudicitiæ virginalis, & quod illibata maritalem torum ageret, fœlicem eam referebant, adiurans eos ne talia de ea amodò nominarent.

CAP. IIII.

Breui igitur tempore elapso, postquam a parentibus nuptui tradita esset, pater eius Dominus Vlpho Gudmarsson Princeps, & Legifer Neritiæ, in senectute bona defunctus, in monasterio Aluastra honorifice datur sepulturæ. Post cuius obitum Beata Brigitta mater dominæ Catherinæ, iuxta preceptum Domini, Romam est profecta. Et cum solicita esset de persona, quæ eam in negocijs arduis familiarius adiuuaret, & solatio esset in terra peregrinationis suæ, responsum accepit a Christo ne de hoc turbaretur, quia mitteret ei personam, quæ esset ei in negocijs sibi diuinitus commissis fidelis coadiutrix, quam etiam speciali gratia suæ benedictionis præueniret. Elapsis itaque ferè quinq; annis postquam Beata Brigitta a patria sua Romam venerat, tanto cœpit Domina Catherina feruere desiderio ad Romam peregrinari, quod præ suspirijs, & quotidianis affectionum incrementis quasi languida appareret. Quod vir eius Deo deuotus perpendens, causam tantorum suspiriorum, & insolitæ affectionis requirit. Ipsa vero de viro tam benigno, & Deo deuoto plurimum confidens, cordis sui arcanum aperuit. Sed prudens ille maritus eius, propter ipsius quam expertus erat vitæ stabilitatem, præsumebat instinctum huiusmodi a Domino agitari, & ideo contradicere, quamuis eam tenerrimè diligeret, non audebat. Sed exinde terebatur ne personæ tam eleganti, & iuuenis ætatis decem, & octo annorum aliquid aduersitatis in via peregrinationis tam longinquæ accideret. Vnde aliquãdiu consensum dare distulit. Sed tandem victus timore Dei, qui voluntati diuinæ repugnare dissuadet, importunis precibus coniugis condescendit. Interea parantur pro ea, & eius familia sumptus in via necessarij, de comitiua honesta prouidetur, & iam exitus de patria solum expectatur. Sed ille veteranus virtutum persecutor (qui molitur quæque sancta, & bona proposita extinguere, si potest, si non, saltem eã nititur impedire.) Domini Caroli fratres eiusdem dominæ Catherinæ animum in indignationem contra eam incitat, ita vt scriberet Domino Egardo marito suo sub comminatione mortis, ne sororem suam peregrinari permitteret extra patriam. Sed littera ista, Domino Egardo extra domum propriam in negotijs suis agente, ad manus dominæ Catherinæ deuoluta est. Quæ aliquid talium suspicata litteram aperuit, & agnita comminationis serie, sermonem huiusmodi ad auunculum suum dominum Israelem, virũ potentem, & totius deuotionis, ac prudentiæ detulit. Qui piè eam in Domino consolando hortabatur, vt ab illo sancto proposito non excideret, propter minas fratris sui, simulq; assecurauit eam, quod comminationem eius contra dominum Egardum maritum suum euerteret, sicq; plurimũ cõsolatã, non tantum verbis, sed & donatiuis ad celeriorem exitum de patria exhortauit. Nec mora cum domino Gorstago Thunasson Marscalco Sueciæ, cum duabus alijs dominabus Regni Sueciæ nauem conscendit.

CAP. V.

Transito mari cum difficultate magna, his supradictis comitata per terras Alamaniæ, & Italiæ, in mense Augusto Romam peruenit. Eo deniq; tempore sancta, & Deo digna mater eius Beata Brigitta, apud Bononiam in monasterio Parpensi ad correctionem Abbatis, & conuentus eiusdẽ loci, ex præcepto Christi, aliquamdiu moram traxit cum venerabili patre suo spirituali Domino Petro Olaui, & paucis alijs de familia sua. Domina vero Catherina cũ sua comitiua quærebat matrem suam in Roma per continuos octo dies multum anxia, quia quo diuertisset, scire non poterat. Interea Dominus Petrus confessor Beatæ Brigittæ, quosdam mirabiles motus, & instinctus quarundam affectionum in anima persensit, intantum eum agitantes Romã transire. Quod præ eorum vehementia dormire, seu comedere non posset, donec arriperet iter versus Romam. Qui a Beata Brigitta quamuis inuite dimissus, celeriter ad vrbẽ peruenit, & in Ecclesia S. Petri dominæ Catherinæ, & comitiuæ eius occurrens, excepit eos cum gaudio magno, vere cognoscens, quia Dominus accelerauit iter eius, propter consolationem eorum. Sequenti vero die ad visendum Dominam Brigittam, vnã

cum

cum Domino Petro ad monasterium prædi ctum repedarunt. Suscepti reuerenter ab Abbate loci illius, propter deuotionem Dominæ Brigittæ, cuius exhortationibus sanctis ad meliorem vitam iam conuersus fuerat, per aliquot dies ibi insimul steterunt, sed ad consilium Beatæ Brigittæ iterato Romam venientes, multum humiliter per stationes & limina Sanctorum, peregrinationes suas compleuerunt. Peractisq; in Roma aliquantis hebdomadibus, ad patriam redire Domina Catherina se disposuit. Cûque iam esset in præcinctu redeundi ad patriam Domina Catherina, requisita a Matre sua Sancta Brigitta ex præcepto Christi, si ad honorem eius vellet in Roma cum ipsa remanere, & pro Christo labores, & aduersa quæq; perpeti. Tota igitur inflammata spiritu, respondit se non solum patriam, amicos, & cognatos, diuitias, & delitias, sed etiam maritum, quẽ plus quam corpus proprium diligebat, si Christo placeret, libẽter velle relinquere. Consensu itaq; remanendi dato, Christus reuelauit matri suæ Beatæ Brigittę dicens, Filia tua Catherina est persona, quam promiseram fidelem cooperatricem in negocijs tibi diuinitus cõmissis, ipsa enim est pulchra plantula, quam ego ipse plantare volo sub dextro brachio meo, vt crescat in arborem fructiferam. Et quia indiget humore gratiæ, rigabo eam sapientia mea. Consule ergo illi, quod stet tecum ad tempus, quia vtilius est ei stare quam redire. Nam facturus sum ei, sicut pater facit puellæ, quæ a duobus diligitur, & petitur in coniugium, quorum alius est pauper, & alter diues, & ambo diliguntur a puella, pater itaque prudens videt affectum virginis, & pauperẽ ab ea diligi, dat pauperi vestes, & dona, diuiti vero coniungit filiam suam, sic ego volo facere. Ista diligit me, & maritum suum, ideo quia ditior sum, & Dominus omnium, prouidere ei volo de donis meis, vtilioribus sibi ad animam, quia placet mihi vocare eum, & infirmitas qua laborat, signum est exitus sui. Decet enim tendentem ad potentissimum, ratiocinationẽ suam habere in manibus, & a carnalibus esse expeditum, illam vero volo ducere, & reducere ad sua, donec apta fiat ad opus, q ab æterno præsciui, & ostendere ei mihi placet. Ab illo igitur die, tanta ei accreuit eloquentiæ gratia, vt inter Principes, & Sapiẽtes de testimonijs Dei loqueretur confidẽter. Vnde ipse Dominus Papa Vrbanus VI. tantum de sapientia eius admiratus est, vt cum ipsa semel coram eo, & Cardinalibus loqueretur, sibi familiariter diceret. Vere filia tu biberas de lacte matris tuæ. Aliquãto itaq; tempore elapso postquam voluerat cum matre remanere, horrore quodam inconsuetæ vitæ cõcussa, memorq; libertatis præteritæ multum anxia, petiit a matre, vt ad Suetiam posset remeare. Matri vero eius pro hac tentatione in oratione existẽti, apparuit Christus, dicens. Dic virgini illi filiæ tuæ, quod iam facta est vidua, & consulo vt tecum remaneat, quia ego ipse volo sibi prouidere. Et quamuis humiliter beneplacitum diuinæ voluntatis amplecteretur, cogebatur nihilominus delitiosum patrię natale solũ in mente reuoluere, quod quidem voluntate, & rõnis vigore refutabat. Vnde rogare benignam matrem suam cœpit, vt si quod secundũ Deum sciret remediũ, ei sic affectæ adhiberet. Venerabilis mater eius oĩum talium tentationum iam triumphatrix, filiæ sauciatæ carnali affectione, remedium prouidit salutare, vocans magistrum confessorem suum, rogãdo suppliciter, & deuote, vt cæde virgarum mentis incõmodũ excutiat, ipsaq; D. Catherina hoc idem remedium instanter efflagitabat. Et quandoq; cum a cõfessore cæderetur, dixit magistro, Non parcas, immo fortius percute, quia adhuc duritiam cordis non attingis. Continuante igitur magistro flagella, vna vice hylari vultu dicebat, Sufficit mihi, sentio enim cor meum mutatum, & omnem tentationis illius motionem penitus abscessisse.

CAP. VI.

EOdem deniq; tẽpore dominus Papa cũ curia sua in Auinione residebat. Vnde multi de filijs Belial ausum ex impunitate captantes, in vrbe contra publicam iustitiã inualuerunt, insolentias, & violentias impunè in plateis vrbis exercentes, ita quod peregrini, & simplices, propter huiusmodi malorum incursiones, indulgẽtias, & stationes visitare non audebant. Maximè aũt iuuenibus mulieribus molestiæ graues ab illis pestilentibus inferebantur. Hac de causa etiã domina Catherina prohibita fuit a matre, ne iret ad indulgentias sine magna, & potẽti comitiua. Vnde per plures dies domi cũ ancillis remanens, matre, & confessore stationes, & indulgentias visitantibus, semel amaris quibusdam cogitationibus cępit agitari, quæ tales erant. Ego hic miseram vitã duco, alij proficiunt, & commoda lucrantur animarum suarum, visitant loca Sanctorum, intersunt mysterijs diuinis, ego vero brutali more ab omnibus bonis spiritualibus sequestrata sum. Eia cognati mei, fratres, & sorores meę, in patria cũ omni tranquillitate seruiunt Deo, vt quid ego deueni in hanc miseriam? Nonne melius esset non

esse,

esse, quam sic in vtrolibet, corpore videlicet,& anima, inutiliter viuere? Sedebat cōfecta mœroribus, intrinsecus repleta amaritudine nimia. Et dum sic affecta cogitationibus suis fluctuaret, superueniens mater sua cum confessore suo Domino Petro, requirit causam tristitiæ, sed illa præ vehemētia amaritudinis,& doloris respondere nequit. Mater autem in virtute sanctæ obedientiæ responsum petit, ipsa vero Domina Catherina ad verbum obedientiæ, quasi ex imo pectoris aiebat. Domina mea non valeo loqui. Erat enim sicut mortua, pallida facie, & oculis transuersis ex violentia importunarum cogitationum eius mentem captiuantiū. Sequenti vero nocte videbatur sibi in somno, quod totus mundus arderet, & quod constituta esset in medio ignis in quadam parua planitie,& multum timens, & tremens, desperansq; se posse ignē illū euadere. Tunc apparuit ei Mater Dei Virgo Maria, ad quam suppliciter alloquitur dicēs, O mea carissima domina adiuua me. Cui Virgo, Quomodo possum te iuuare, ex quo tam feruenter desideras ad patriam, ad amicos,& cognatos remeare? Negligis votum Deo tuo factum, facta inobediens ei, & mihi matri,& patri tuo spirituali. Ad hęc Catherina, O benignissima domina mea libenter amplector, quicquid mihi iniunxeris. Et Virgo ad eam, Esto ergo obediens matri tuæ,& patri spirituali ex parte mea, hoc volo, quod facias, hoc mihi placitū esse cognoscas. Domina vero Catherina euigilans, festinè cum omni humilitate venit ad matrem suam, flexis genibus ante eam stans, supplicando, vt sibi dimitteret culpā pertinacis inobedientiæ suæ, qua grauiter Deum, Gloriosam Virginem, & ipsam offenderat, visione noctis matri plenè exposita, promisit deinde se vsq; ad mortē libenter ei velle obedire, & secum stabiliter in peregrinationis eius exilio remanere. Cuius miraculi conuersione mater congratulans ait. Hæc mutatio dexteræ excelsi, sit ipse benedictus, qui diligentibus se omnia facit cooperari in bonum.

CAP. VII.

VOlens igitur B. Brigitta filiam suā humilitatis,& obediētiæ iugo arctius obligari, ne ex maternæ compassionis indulgētia in via sanctæ pęnitentiæ remissius viueret, vocat magistrum suum D. Petrum, virū in spirituali magisterio probatum, totiusq; sanctimoniæ,& virtutum charismatibus circunfusum, suppliciter efflagitans ab eo, vt filiæ suæ obedientiam acceptaret. Consentienti tandem eidem D. Petro votis tam rationabiliter,& piè obsecrantis, Domina Catherina humiliter obedientiam promisit, & tenuit adeo efficaciter, quod nec minimam rem absq; eius licentia facere præsumeret, sciens, quod virtus obedientię veritati militet, gressusq; hominis in disciplinam dirigit, & sanctæ conuersationis gratiam promeretur. Igitur hac virtute munita, in militiam spiritualis exercitij progreditur, corpus suum continentia castitatis restringēs, ne mortifera voluptas deflueret. Et quāuis in virginitate, etiam in coniugio cum viro suo vixerat, timebat tamen iuuenilis fragilitatis decliuem conditionem,& vel ne inimicus cōmentator totius nequitiæ, sua calliditate propositi sui sancti subuerteret fundamentum. Altissimum igitur posuit adiutorem suum, deuotissimè deprecās, vt ei tribueret virtutem,& fortitudinem resistendi versutijs inimici. Vnde quodam sabbato cū communicatura sacramentum Corporis Christi ad altare accederet, ipso Sacerdote audiente hæc apud se orabat, dicēs, O amātissime Redemptor, qui hoc corpus de intemerata Virgine sumpsisti, & in crucis patibulo diruptis neruis,& venis amarissimè extendi voluisti, ego indigna peccatrix per ineffabilem misericordiam tuam deprecor, vt conseruare me digneris, ne cadam in peccata. Et quia egregium militem, mortalem habui per gratiam tuam pudicitiæ meæ custodem, de cuius modo soluta cōiugio, aliū per gratiam efflagito castitatis meæ zelatorem, militem illum nobilissimum propagatorem tuorum sanctissimorum præceptorū Beatum Sebastianum, cuius me custodiæ,& curæ pijssime Iesu cōmittere digneris. Hæc & alia deuotè perorans, corpus Christi accepit in pignus salutis, & conseruationis a tentatione inimici. Cuius orationis,& cōmendationis adeo efficax fuit sacrificium, quod ab illo die a multis periculis non sine magnis prodigijs cōstat eam diuinitus fuisse præseruatam, sicut inferius clarius patebit. Ipsa ergo venerabilis domina cum marito esset viduata morte intercedente,& staret Romæ cum matre sua Sancta Brigitta, cępit viuere tanquā in monasterio sub cura matris suæ, quam nouit spiritu Dei illustratam, & diuinarum virtutū charismatibus decoratam. Præceptorem vero habuit magistrum Petrū confessorē matris, cuius monitis, doctrinis,& salutaribus consilijs totaliter tanquam vera obediens, se humiliter conformabat. Matris vero suæ vitam,& mores, tanquam speculum sine macula semper est intuita, cupiens mores, actusq; suos dirigere ad exemplum eius, & eam sanctis pœnitentiæ exercitijs imitari. Ex ea namq; certis

tis temporibus silentium obseruare didicit, sciens quod silentij virtus confert pacē cordis, cultumq; iustitiæ, & inter proximos pacem nutrit, atq; custodit. Nam nisi homo valde diligenter ori suo custodiā adhibeat, gratuita bona, quæ habet, cito dissipabit, & in multa mala corruet. Rationabilia vero, & pauca verba interrogata respondebat, sed ædificatoria de voluntate Dei, & præceptis tractantia, omnibus & erga pauperes, & peregrinos, familiariter, & humiliter loquebatur, obseruans illud sapientis. Omnis narratio tua sit de præceptis altissimi. Vnde, cum staret Romæ, pauperes, & peregrinos dulciter confouebat, plurimos de patria aduentantes, non tantum eleemosynis, sed dulci, & familiari colloquio recreabat, exhortans eos ad patientiam, & amorem Christi, sæpius inculcans eis, quod continuam recordationem amarissimæ passionis Christi, & mandatorum Dei obseruantiam specialiter haberent. De vno mentionem facio, quem tunc peregrinum pauperem pluries vocauit in cameram suam, Euangelium sibi relegens, vita Sanctorum, mandata *Dei* explicans, ad vitanda septem mortalia peccata summopere inuitabat. *Hic* quidem cum ea ad patriam rediens, in monasterio Vuatzstena frater conuersus bonam militiam Christi militans, multa laudabilia de eius sanctitate fratribus recitare consueuit.

CAP. VIII.

CVm autem hæc laudabilis domina Catherina staret Romæ viuente matre sua Brigitta, licet iuuenis esset, reputa viginti annorum, fuit tamen grauitate morū spectabilis, & sensus canos habens, venustateq; corporis decora, quæ corda multorū inficit, necnon oculis omnium gratiosa, vnde multi magnates cupiebant eam matrimonialiter sibi copulari, vota sua nunc per se, nunc per alios, eidem dominæ declarantes, magna, & pretiosa quæque dotis nomine promittentes, si eis in matrimonij copulam consentire vellet. *Quibus* ipsa constanter respondit, se vouisse perpetuæ continentiæ cœlibatum, nec velle cum mortali sponso amodo nuptias iterare. Ipsi vero cæco amore capti, quo promissionibus, & blanditijs non poterant, minis, & violentijs extorquere moliuntur. Ponunt igitur insidias in stratis publicis inter angustias viarum, vt captam abducerent, ne matris suæ sanctis consilijs confortata eis consensum denegaret. Vnde in quodam festo contigit, matre sua alijs occupata negocijs, quod dum D. Catherina cum multis matronis nobilibus *Vrbis Romæ*, ad *S. Sebastianum* extra muros pro indulgentijs proficisceretur, quidam comes cum magno comitatu inter vineas latitabat, obseruans si forte D. Catherina cum alijs matronis illuc peregrinaretur. Et vt cognouit eam in earum commeatu esse, suos iubet esse paratos ad eam capiendam. *Festinant* hi de absconditis suis, vt rapiant innocētem, sed frustra tetēderunt arcum iniquitatum suarum, prævaluit enim consilium Domini, qui semper in se sperantes protegit, & defendit. Cum igitur impij illi impetum facerent, ecce festino cursu ceruus eis obuius venit, cuius captione illis nutu Dei occupatis *D.* Catherina cum alijs matronis, citato gressu in vrbem se recepit, eruta quasi damula de manibus eorum, & quasi auis de insidijs aucupis. Venienti itaq; in domum, Beata Brigitta mater sua in spiritu cognoscens periculum de quo liberata est, dixit, Benedictus sit ceruus, qui te ab insidiis rugiētis aduersarij hodie misericorditer liberauit, sicut mihi existenti in oratione Gloriosa Mater *Dei* ostendere dignata est. Vnde cum sponsa illa amorosa dicere potuit, Fuge dilecte mi, assimilare capræ hinnuloq; ceruorum super montes aromatum. Ab illo die non in palàm per stationes ire præsumpsit, sed tantum vicinam Ecclesiam domui suæ visitans, raro in plateis videri voluit, prælegit enim in domo sua consistere pedibus suis, quia pedes firmi super plantas mulieris stabilis. *Extra* muros Vrbis Romæ nullo modo ire præsumebat, nisi diuino præmunita fuisset oraculo, ne præsumptio sua de ipsa faceret gaudium inimico. Quando vero a matre per reuelationem diuinā assecurata fuisset, ad indulgentias ire minimè dubitabat. Contigit enim instante solemnitate *S.* Laurentij, quod Beata Brigitta in vigilia eiusdem, diceret filiæ suæ D. Catherinæ, Cras per *Dei* gratiam pariter ibimus ad S. Laurentium. Cui D. Catherina respōdit, Domina mea multum timeo, quod in via ab illo comite quem bene nostis, violenter tollar a vobis. Et mater ad eam, *Spero* firmiter, & confido in Domino Iesu, quod ipse velit nos de manibus eius per misericordiam suam liberare, & ab omni periculo custodire. In die vero Sancti Laurentij egredientes domum, munierunt se quinquies viuificæ crucis signaculo, quinque vulneribus Christi, & Sancti Laurentij custodiæ se committentes. Talibus munitæ præsidijs, ad Ecclesiam Sancti Laurentij securè peruenerunt. Comes autem ille cum famulis suis, cum adhuc nox erat, prope viam in vinea se abscon-

derat, vt incautã illucescente iam die prosiliens de latibulis suis, eam raperet, sed in laqueo suo quem absconderat, humiliauit eum Deus. Nam orto iam sole, & cum magna pars dici transierat, famuli tędio affecti dicunt Comiti, Domine quid hic moramini? Respondit Comes, Expectamus vtiq; propter illam dominam, quam hodie cogitauimus nobis capere. Ad hæc famuli, Multum temporis est postquam pertrãsijt, & iã diu peruenit ad Ecclesiam S. Laurentij. Et Comes ab eis quæsiuit si iam dies esset, Responderunt ei, Certe domine dies clara circumlucet, & Sol in alto est. Tunc primum Comes cognouit manum Domini contra se exigente sua iniquitate, extentam. Aperiensq; oculos nihil videbat, sed eo præcipiente statim ductus est ad eandem Ecclesiam S. Laurentij, vbi cum venisset, requirit a famulis si ibi dominam Brigittam, & eius filiam viderent. Qui requirentes in multitudine aduentantium, renunciauerunt ei, quod illic essent. Continuò mandat se ad ipsas perduci, & cum perductus fuisset ad eas, prostrauit se in medio cum fletu magno, in erumnis suis recognoscens malitiam suam, humiliterq; petens veniam, vt sibi culpam suam propter Deum dimitterent, promittens Deo, quod talia nunquam amplius attentare, adiungens etiam, quod earum pro viribus suis esset defensor, & adiutor, & ad quæuis beneplacita existeret earum promotor beneuolus, & paratus. Sicque continuò ipsis pro eo orantibus, lumen oculorum recepit. Ab illo die cœpit eas habere in magna reuerentia, & honore, beneficia plurima conferendo. Narrauit autem Comes iste gratiam, & miraculum secum factum coram Domino Vrbano Papa V. & Cardinalibus prædictis, magnalia Dei.

CAP. IX.

VNde nec tacendum puto quamuis impugnationibus aduersarius humani generis per suos fautores castitatem eius Deo dicatã impugnauerit, & Dominus virtutum Christus Rex gloriæ, ab his misericorditer eam liberauit. Accidit autem Sanctum Franciscum apparuisse in visione B. Brigittæ, inuitantem eam ad visendum cameram suam, quæ cum statim tanquam deuota S. Francisco obediens, se disponeret ad pergendum in Assisium ad Ecclesiam eiusdem sancti, quæ dicitur de Portiuncula, pręceptum fuit ei a Christo, quod Domina Catherina eam sequeretur, quia desiderio magno illuc peregrinari affectabat, assecurauit eam etiam Christus, quod in instantibus periculis viarum ipsas misericorditer conseruaret, & non formidarent, quia licet aduersarius multos suscitauerat insidiatores, ipse tamen de eorum manibus eas mirabiliter erueret, & saluaret. Iter igitur arripientes cum decenti comitiua versus Assisium, contigit semel, quod ad hospitium honestũ inclinata iam die non possent peruenire. Sed inter frutera, & deuia montium oberrantes, tandem in crepusculo venerunt ad quandã pauperẽ tabernulam, vbi a tabernario vix receptæ, inter angustas latebras illius tugurij, & ab imbribus pluuiæ, & niuis aliqualiter contegerent se collocarunt. Et ecce in conticinio noctis, turba magna latronum illuc aduenit, accendunt ignẽ, vultus singulorum conspiciunt, captiq; pulchritudine D. Catherinæ, verba iaculantur Venerea. Quali metu mens eius innocua lacessitur, quis explicare potest, cum rugitum terribilis vox Leonum ingeminatur, Modo omne humanum deest auxilium, solum diuinum supplici deuotione efflagitant patrocinium. Benedictus Deus, qui erat sustinentes se. Cum igitur facibus libidinis succensi in eam resilire disponerent, subito factus est impetus magnus tanquam aduenientis exercitus, auditur etiam collisio armorum clamorq; exhortantium ad capiendum latrones. Miseri illi filij occisionis, auditis his clamoribus consternati diffugiunt, nec audentes hospitium illud ipsa nocte reuisere, subitaneus enim, & insperatus timor superuenerat eis, sicq; fugientes credebant illuc venisse castra fortium armatorum. Beata aũt Brigitta, & D. Catherina filia eius, cum comitiua sua in protectione Dei sui ipsa nocte ibi commorantes, mane facto peregrinationis suæ itinera carpunt versus Assisium. Sed scelerati illi per custodes Israel de nocte perterriti, ipso die in via parãt; collocantes se ex vtraq; parte viæ, qua Domina Brigitta, & Catherina cũ familia sua transituræ erant, vt vel sic ad iniquitates extendant manus suas. Illæ in Domino cõfisæ publica progrediuntur via, videntes latrones ex vtraque parte viæ in malum paratos, sed ab ipsis minimè videntur, quia ipsæ minimè uidentur, quia ipsis solis superposita erat grauis nox, & imago tenebrarũ, quamuis circumquaq; orbis terrarum limpido illuminabatur lumine. Sicq; euaserũt manus eorum, in nomine Domini perficientes peregrinationem ad limina Sancti Francisci, vbi consolationibus diuinis plurimũ recreatæ, cum gaudio magno Dei laudãtes magnalia, Romam redierunt.

Per-

CAP. X.

PErpendens exinde venerabilis Domina Catherina diuinam charitatem, & bonitatem in suæ conseruationis beneficio, tanquam grata Dei filia, fundamentum humilitatis posuit in corde suo, quæ gratos Deo efficit, & trahit ad se clementiam Dei, cæterasq; virtutes in suo vigore cõseruat, & earum obtinet principatum, sciens quod dum mens humana humilitati innititur, profecto in amore Dei, & cœlestium inflammatur. Vnde non solum habuit humilitatem, qua seipsam veraciter contempsit, verum etiam ab alijs contemni voluit, & vilis reputari. Magna quidem fuit vitæ merito, & oculis Dei grata, sed tamen ab alijs noluit sancta, sed peccatrix nominari. Studuit ergo in humilitatis spiritu arctius Domino famulari, semper in æstimatione sua se intus deprimens, extra coram hominibus humiliando in verbis, & gemitibus in habitu, & in omnibus factis suis, laudari pro quoque facto suo plurimum abhorrebat. Vnde quandam de famulabus suis, eam pro gratijs sibi collatis commendantem, acriter arguebat dicens, Per nomen D. N. Iesu Christi contestor te, ne vnquam amplius de me talia dicas, seu sentias, cum vilis, & indigna peccatrix sim, sed ipse benedicetur ab omni creatura sua, qui omnia bona in oĩbus operatur. Quantę charitatis etiam, & diuini feruoris exstiterit in seruitio diuino, longũ esset enarrare. Ipsa enim ab infantia sua horas B. Virginis, septem psalmos, cum multis priuatis orationibus quotidie legebat. Et quanti feruoris in priuatis orationibus extiterit, perpendi potest ex his, quæ subiecta sunt. Nam ante dormitionem per quatuor horas continuas in genuflexionibus, & pectoris tunsionibus, cum lacrymis multis, ob recordationem amarissimæ passionis Christi omni vesperi in holocaustum se totam Domino offerebat, in lecto mẽbra diurnis, ac nocturnis fatigata laboribus recolligens, modicum somni capiebat, semper ante diluculum ad orationem consurgens, in silentio quotidianum sacrificium, nec interrogata peragebat, nec sine euidenti necessitate ante meridiem a sanctis occupationibus desistebat. Sed quam efficaces, & Deo acceptę fuerint eius orationes, quas pro alijs in spiritu deuotionis, & compassionis faciebat, multis claret miraculorũ insignijs. Nam cum adhuc in humanis ageret pia mater eius S. Brigitta, & staret cum ea in Roma, quadam die D. Catherinæ procumbenti in oratione ante altare S. Io. Euangelistæ in Ecclesia maiori S. Petri, apparuit ei quadam mulier, peregrina tunica alba induta, balteo præcincta, albumq; velamen in capite portans, superuestita mantello nigro, gressu festino appropinquabat D. Catherinæ, salutans eam ex nomine, suppliciter rogans, quod oraret pro anima Noricæ. Domina vero Catherina erigens se, interrogauit eam vnde esset. Peregrina illa respõdit se esse de Suetia, & quod vxor D. Caroli fratris sui mortua esset. Cępit ergo Domina Catherina inuitare eam in domum matris suæ, sed peregrina illa excusare se cœpit, dicens se tempus manendi non habere, iterato replicãs verba priora, scilicet, Ora bene pro anima Noricæ, nam cito habebitis nuntium de patria vestra, & bonum subsidium, quoniam Norica legauit vobis aureum circulum capitis sui, & statim disparuit. Admirans igitur D. Catherina, conuertit se ad ancillas, quę prope eam stabant, interrogabatq; quo persona illa secum loquens diuertisset. At illę responderunt, Audiuimus quidem vos cum aliquo loquentem, neminem tamen vidimus. Stupefacta igitur domina Catherina, intimauit visa, & audita matri suæ B. Brigittæ. Cui super hoc oranti diuinitus reuelatum fuit, quod D. Gydha vxor D. Caroli mortua erat, cuius anima petens suffragium, sibi apparuit. Nec longe post venit Ingeualdus Amundzson familiaris dominæ Catherinę de Suetia nuntiãs mortem memoratę dominę Gydha apportans eis testamentum, scilicet circulum aureum, seu coronam, quam viuens gestare solebat secundum patrię suę consuetudinem. Erat enim dicta D. Gydha orianda de nobiliori prosapia Noricorum. Corona autem illa tantum valoris extitit, quod pretio eius per integrum annum beata Brigitta, & filia eius cum tota familia earum quoad victualia competenter procurabantur. In hoc verisimiliter apparet, quam accepta erant orationum suarum sacrificia, cum ex diuina clementia animæ in purgatorio existenti, pro sua liberatione illa concederetur expetere. Consuetudo huius venerabilis dominę erat, orationis tempore secretum locum quærere, & tumultum fugere, vt dignum Deo sacrificium, & obsequiũ redderet, credens se tanto celebrius exaudiendam, quanto de imis penetralibus pectoris sui ad Dominum clamaret. Et si lingua carnis tacuit, vitę puritas, tamen cum pijs exercitijs, & operibus non destitit Domino supplicare.

CAP. XI.

QVantę compassionis, & dilectionis erga proximum hęc venerabilis domi-

na extiterit, ex eo considerari potest, quia ab infantia sua secum creuit miseratio pauperum, & infirmorum. Consueuit enim mater sua Sanctissima B. Brigitta iuuenem, & tenellam secum ad hospitalia ducere, vbi ipsa mater suas plagas, & vlcera, infirmorũq; vulnera sine horrore manibus suis deuote pertractauit, beneficia plurima, & verba cõsolatoria eis conferendo, ostendens sibi adhuc iuueni exemplum, qualiter similia pauperibus, & infirmis facere deberet propter Deum in omni ætate ventura. Et si quando aliqui matrem piam huius venerabilis dominæ arguebant, pro eo quod teneras filias secum duceret ad domos pauperum, & infirmorum, timentes eas aliqualiter posse infici fœtoribus infirmorum, respondit benigne eis dicens, quod ideo filias suas ad domos infirmorum duceret, vt addiscerent seruire Deo in pauperibus, & infirmis. Vnde satis credibile est de hac venerabili domina S. Brigittæ filia, quod accrescente ætate secum creuit infirmorum, & personarum pauperum miseratio, eas sedulo visitando verba consolatoria exhibendo, & eorũ inopias pijs eleemosynis releuando, Sanctæ matris suæ vestigia in his, prout potuit, deuote imitando. Verba autem matris S. Brigittæ quæ audierat, & opera pietatis quæ in matre viderat, cor eius pietate trãsfixerãt, ita quod erat pauperum inopiæ toto corde valde cõpatiens, & dolentib. in sermone condolens, & operibus subueniens, beneficia largiter impendendo. Nam ipsi quoque matri suæ super durum pauimẽtum dormienti, ex pia filiali compassione, de nocte secrete surrexit, ponens sub costis, & renibus capucium suum, duritiam pauimenti temperando. O quam pia compassio plena dilectione, quę licet modicum exhibuit in effectu, maximum tamen amorem ostendit esse in affectu, sicut decuit filiam bonam super matre sua. Fœlix igitur mater, quæ mundo talem filiam carne propagauit, immo multo fœlicior, quia eam suis sanctis exemplis, & sanctimonia vitæ, Christo omnium Domino spiritualiter generauit, & eius sancto seruitio adaptauit. Et quoniam maxima impedimenta deuotionis, & obsecrationum, sunt mundi, & carnis desideria, studuit ea magnopere tanquam mortiferum, a mente sua alienare, appetens paupertatem, & abiectiorem vitã propter Deum voluntarie amplecti, vt liberius Christum propter se pauperem factum sequi mereretur. Quem vere sequuta est, diuitijs mundi, & delitijs carnis renunciando, quæ amatores suos cruciant, & molestant. Mundi gloriam in contemptu habuit, & spiritu calcauit, vt Dei gloriam dilataret, & vt magis in via Dei proficere posset, seipsam alterius voluntati per obedientiam subiecit, magnam gloriam æstimans, se pro Domino esse pauperem, & a mundo vilipendi. Possessiones mundi, & fratrum, ac propinquorum solatia, a mente prorsus sequestrauit, exilium diligẽs pro patria, vt animi sui intentionem in Christo sibi dilecto defigeret arctius, & bonis æternis. Vnde benignus ille recompensator, qui diligentibus se, omnia indigna propter se assumpta, commutat in eorum gloriam, & honorem, non tantum in futuro, verum etiam in præsenti, commutauit paupertatem, & abiectionem huius dominæ venerabilis Catherinæ, in præconium, & decorem. Nam contigit semel, matre eius sancta Brigitta viuente, quod quædam matronæ nobiliores Romæ, rogarent eam, vt causa recreationis extra muros cum eis iret, quia multum diligebatur ab omnibus propter gratias multiplices sibi a Deo collatas. Nam deuotionis præcipue, morum grauitate præcellens, habitudine corporis venusta, & laudabili conuersatione socialis enitebat. Mater vero eius Beata Brigitta, considerans illarum insignem probitatem, permisit filiam Dominam Catherinam extra muros Romanos, non ex leuitatis incuria, sed recreationis causa spatiari. Exeuntes igitur Romam, venerunt ad macerias vinearum, quædam vero ex ipsis, videntes vuas prominere supra macerias, rogauerunt Dominam Catherinam, quia staturæ proceræ erat, vt prominentes botros extra vineam, eis carperet. Et cum haberet præ paupertate, quam elegerat, manicas consumptas, & appetiatas, inter tantas Dominas non erubuit pauper, & abiecta reputari. Brachijs extra sinum porrectis ad colligendum fructus vuarum, cunctis dominabus apparuerunt brachia eius hyacintho, & purpura optime vestita, Vnde multum stupentes, singillatim tangunt, & conspiciunt manicas illas, pretiosa purpura splendescentes, & dicunt ei, O Domina Catherina, quis crederet, quod vnquam tam pretioso vestitu, & habitu velletis vti? Hæc testabatur familia, quæ tunc præsens erat, & sanctæ memoriæ magister Petrus confessor eius.

CAP. XII.

ALio quoq; tempore, cum Domina Catherina, adhuc matre sua in humanis agente, graui infirmitate depressa lecto decumberet, quidam earum specialis amicus, nobilis Baro Romanus Ludouicus nomine, intimauit Beatæ Brigittæ, quod vel-

let

let infirmam filiam suam visitare. Hæc audiens familia earum, intra se erubuit, quod tantus dominus deberet videre eam in tam paupere lecto decumbere. Iacebat namq; super stratum stramineum, vnum cussinulum habens sub capite, cooperta desuper antiquo & emendato mantello. Sed Dominus Iesus Christus, qui paupertate sua pauperum suorum inopiam gloria, & honore extulit, huius etiam voluntariç paupertatis suæ vilitatē, & abiectionem, ineffabilis gratiæ suæ diuitijs, in conspectu D. Ludouici potentis, & diuitis, insigniuit. Nam Dominus ille comitatus plurimis, cum veniret vbi infirma decũbebat, videbatur sibi lectus eius optimis paramentis stratus desuper habens aureum, & coccineum operimentum. Admirans plurimum, dixit seruitoribus sequentibus se, Dominæ istæ apud omnes pauperes reputantur, vnde frequenter mutuo sumunt pecuniam pro necessarijs emendis. Melius esset, quod tanti pretij purpuram, & apparatum illum nobilem, quem in domo earũ vidimus, pro necessarijs distraherent, quam quod tanta egestate, & penuria alimentorũ & vestium præmerentur. Quantum autem placuit Deo eius paupertas voluntaria, & Gloriosæ Virgini Mariæ, B. Brigittæ in spiritus dulcedine orãti, taliter reuelatum fuit, O mea charissima Domina, rogo te per charitatem dilecti filij tui, vt doces mihi auxilium, eum toto corde diligere. Ego sentio me debilem ad diligendum eum tam ardenti charitate, vt deberem; Ideo rogo te Mater misericordiæ, vt ligare digneris charitatem eius super cor meum, & trahe illud ad filium tuum, toto conamine separatum ab omni dilectione carnali, & eo valentius attrahe, quo fuerit põderosius. Cui Virgo Maria respondit, dicens. Benedictus sit ille, qui tibi tales orationes inspirat. Sed quamuis tibi videtur dulce colloquium meum, vade tamen, & consue tunicam filiæ tuæ Catherinç quç magis gaudet de veteri, & reparata tunica, quam de noua, quæ magis desiderium habet ad grisium burellum, quam ad sericũ, vel aliud pretiosum indumentum. Beata illa, quæ sic reliquit liberè mundialia, ipsa reliquit maritum cum ipsius beneuolo cõsensu, cuius corpus plus quam seipsam, & eius animam, plus quam vtrorumq; eorum corpora, dilexit. Ipsa etiam reliquit fratres, & sorores, cognatos, & amicos corporaliter, vt posset eos iuuare spiritualiter, & possessiones mundi non curauit. Modo pro derelictione cõsanguineorum, dimissa sunt ei omnia peccata sua. Stet deinceps stabilis; quia pro possessione terrena, dabitur ei regnum Cœli, & ipse Iesus Christus pro marito, & omnes qui diligunt eam, propter Deum, proficiant propter eam. Et quamuis circũamicta varietate virtutum, apud oẽs opinione bonæ famæ, & sanctitatis redoleret, erga tamen domesticos suos de patientia præcipuè commendabatur, quia perpendebat diligenter, quod animus, dum per patientiam perturbationi suæ non obsistit, etiam si qua a se tranquilla mẽte fuerant bene gesta, confundit, & improuiso impulsu destruit, quicquid forsitan diu prouido labore construxit. Perfacile enim est vestem habere contemptibilem, & inclinato capite incedere, sed verum humilem patientia iniuriæ ostendit. Nam sicut vnguenta redolere latius nesciunt, nisi commota, ita hęc venerabilis Domina Catherina patientiæ virtute latius redoleuit, ex persecutionibus & iniurijs sibi iniustæ illatis. Triplici enim virtutis patientiæ exercitio se totam occupauit, a proximo nãq; damna, persecutiones, contumelias, detractiones, patientissime sustinuit. Sępe enim ab ancillis, & familiaribus obiurgata, offensas, & iniurias æquanimiter tolerauit, offensores suos in spiritu lenitatis, tanquam benefactores diligendo. Referebat de hac virtute patiẽtię eius, quędam religiosa, & beatę vitę sanctimonialis in Vvatzsteno. Margarita filia Caroli, quę seruiuit ipsi Dominæ Catherinę per quinq; annos, quod nunquam audiuit verbum impatientiæ ab ea, nec signa indignationis cõtra offendentes eam, perpendere potuit. Vnde valde dolendum, & reprehensibile est in nonnullis, qui pro modico conuitio, vel etiam propter signum aliquod, vel verbum, ita derelinquunt charitatem, vt per plures dies nec loqui, nec amicitiam, nec amicitię signa erga proximum velint habere, & prospera facere. Martyres, & cęteri sancti, non poterant horribilibus tormentis a charitate Dei separari, sed (proh dolor) nos interdum otiosis fabulis, & sępe ob minimum conuitium, immo aliquo quandoque leuitatis signo, dereliquimus Dei, & proximi charitatem. Quanta ab aduersario tentamenta pertulerit, non facilè explicari potest, quoniam vita iustorum non est nisi militia super terram. Flagella vero Opificis cum gratiarum actione hylariter tolerans, minimè ad excessum proruit murmurationis. Considerauit enim, quod qui vitę futurę pręmia desiderat, mala omnia vitę præsentis debet æquanimiter sustinere.

CAP. XIII.

INsuper hęc venerabilis domina, īfrascriptis virtutibus nõ solum se toto vitę suę tempore studiosè exercuit, verum etiam

in alijs bonorum operũ exercitijs, cum staret Romæ 25. annis cum matre sua, omni reuerentia nominanda sancta Brigitta (cuius etiam extitit, præmisso tẽpore, indiuidua comitatrix in suis peregrinationibus) non solum Romę stationes Ecclesiarum pro indulgentijs, sed etiã cum ea diuersa limina Sanctorum, in diuersis locis, & regnis existẽtia, atq; sepulchrum Domini Hierusalem, in laboribus magnis, feruens Dei desiderio, peregrè visitauit. Peragratis igitur Sanctorũ locis, in Sancta Hierusalẽ cępit mater eius sancta Brigitta febre infirmari, quę durauit vsquequo Romam pariter peruenirent, Vbi Dominus Iesus eidem sanctæ spõsæ suæ, diẽ, & horam obitus sui reuelauit, & alia faciẽda, quæ singula dominis suis confessoribus, & Dominæ Catherinæ, intimauit, prout ei a Christo fuerat reuelatum, & demandatum. Mortis igitur debito matris suæ S. Brigittę Romæ soluto, & corpore sepulturæ tradito, secundum eiusdem voluntatis ordinationẽ, In monasterio palisperne, hæc venerabilis D. Catherina sicut se exhibuerat matri viuenti fidelissimam cooperatricem, in negotiorum a Christo sibi cõmissorum prómotione, sic etiam defunctæ, secundum voluntatis Christi ordinationem, in oĩbus exhibuit debitam executricem. Christus enim reuelauerat matri, vt corpus Romæ deponeret, & postea ad Suetiam transferretur, quod ipsa solicitè exequitur cum cõfessoribus S. Brigittæ, quinq; hebdomadarum spatio peracto. Tempore igitur suprascriptio, post mortẽ eius, & in eodem anno, trãslatio inchoata, sed non absq; prodigijs insignibus, circa resolutionem carnis ab ossibus mirabiliter factam, necnõ sine miraculis in via factis, est consumata, & ad monasteriũ Vvatzstenen. translata, sicut alibi plenius est conscriptũ, Cumq; hæc venerabilis Domina reliquias Matris suæ B. Brigittæ deferret, veniebant ad eam matronæ nobiles, & plebeæ, sacras reliquias venerantes, & deosculantes ex deuotione. Quibus ad se venientibus, monita dabat salutis, vt perituri luxus sæculi pompis postpositis futurorum bonorum desiderijs ardentius inhiarent. Ad cuius salutaria monita, multi nobiles viri, & matronæ compuncti, resipiscebãt, melioris vitæ facti cooperante Dei gratia sectatores. Tandem peruenit cum sacris Reliquijs ad Prussiam, & ad ciuitatem Dantzik, vbi duo de primoribus ciuitatis, qui eam secuti fuerant de Vrbe Roma, cum reliqua eius familia, virtutis Dei gratiam, in sancta fęmina collaudabant. Ibiq; constanter arguebat transgressiones cruciferorum, & terribiles comminationes contra eos diuinitus reuelatas B. Brigittæ, tota inflammata Spiritu Dei proponebat, non pertimescens eorum potentiam sęcularem, vt verè diceret illi æterno iudici, & Christi fideli: Loquebar de testimonijs tuis in cõspectu Principum, & non confundebar. Stupor enim apprehendit eos, propter miram diuina sapientia, plenam eloquentiam, vnde ad verba eius oĩs iniquitas opilauit os suum, nec potuit sapientia mundi veritati refragari. Deinde exiuit ciuitatem Dantzik intrans nauem cum sacris Reliquijs, & familia, ad Suetiam nauigando. Cumq; nauigassent, ad portum Suetiæ minime præcogitatum, stella duce, & sole clarius splendente, in meridie peruenerunt, & postea applicuerunt ad portum Ostrogotiæ Sudhercopensem, oĩbus suis saluis. Cognito eius aduentu diu desiderato, occurrerunt ei ex oĩbus partibus Ostrogotię innumera multitudo virorum, ac mulierum, nobilium, ac plebeorum, clericorum, & religiosorum, eam & sacras reliquias B. Matris Brigittæ, ac aliorum diuersorum Sanctorum, quibus Mater & filia honoratę fuerant a magnis personis, Regina Neapolis, Cardinalibus, Baronibus & matronis nobilibus Romanis, ac religiosis plurimis, cũ deuotione præcipua, & gaudio nõ modico, vsq; ad monasterium Vuatzstenen. perducentes. Venerabilis vero Petrus Prior de Aluastro Cistercien. ordinis felicis mem. D. Catherinam, secutus fuerat de Roma, in hac deductione sanctarum reliquiarum. A Sudercopia vsq; Vuatzstenum, in ciuitatibus, & oppidis frequenter sermonem faciebat ad populum confluentem, explicans quanta benignus Deus cum ea operari dignatus est, & quam stupendis prodigijs matrem suam B. Brigittam clarificauerat in Alamaniæ, Italiæ, & Hispaniarum partibus, & in regionibus transmarinis.

CAP. XIIII.

NEc prætereundum arbitror, quanta reuerentia, & deuotione, D. Catherina veniens Lincopiam cum sacris reliquijs, sit accepta a venerabili Antistite Lincopen. D. Nicolao sanctæ mem. Exijt enim obuiam ei, cum clericis, & religiosis, cum solẽni processione, subsequente populo ciuitatis, pulsantur signa campanarum, organa resonant vox iubilationis cum cantico resultat in choro, benedicitur Deus deorum in Sion, qui sanctos suos glorificat in terris. Perducta denique D. Venerabilis Catherina, cum sacris pignoribus, ad Ecclesiam Cathedralem, & finito sermone, D. Episcopum, & suum capitulum, seorsum conuocat, & enarratis quæ ad ipsam pertinebant negocijs, D. Episcopum cum omni reuerẽtia, super quibusdam ie-

ieiunijs,& abstinentijs minus discretis,conueniebat. Incluserat nanque se per longum tempus,solum Deo vacans,in ieiunijs,vigilijs, & orationibus , pastorali solicitudine prætermissa.Cupiebat enim dissolui. & esse cum Christo,non propter laboris,& solicitudinis inquietudinem,sed quia multiplicatis malis in Regno Suetiæ, nō potuit sine dispendio Ecclesiarum,& cleri sui, se murum pro domo Domini opponere. Zelus domus Dei comedit eum,& opprobria exprobrantium priuilegijs Ecclesiæ, ceciderunt super cor eius. Sed audito consilio sanctæ mulieris,spirituali sapientia condito,elegit affligi cum populo Dei,diuitias æstimans portare,pro longanimitate,& patiētia, improperium Christi.Verificabatur in illo Sapientis illud eulogium,Da,inquit,sapienti occasionem,& addetur ei sapientia,doce iustum & festinabit accipere. Exinde venerabatur eam plurimum Sanctus Pontifex, videns sapientiam Dei esse in ea,cuius labia considerant Deo placita,& lingua tanquam argentum electum,intonat prudentiam. Perueniens tandem ad monasterium Vuatzstenen feria 4. infra octauas Petri,& Pauli,cum ingenti gaudio.a tota congregatione sororū, & fratrum suscipitur.Omnes namq; sorores maternali affectione complectitur,de sospitate,& profectu deuotionis earum,plurimū exultans . Sicq; collatione habita cum fratribus,cum sororibus inclusa , toto spiritu deuotionis, Deo sacrificium laudis immolabat,gaudens se diras Charybdes fluctuantis huius sæculi salubriter euasisse. Cœpit itaque eo tempore præesse sororibus,& regulam Saluatoris,quam per 24. annos, adhuc viuente matre sua B Brigitta, in vita spirituali didicerat,ipsis in sanctæ conuersationis vigilanti studio,demonstrare , præbens se omnium in regula contentorum exemplar conspicuum . Et ideo quicquid erat in sancta conuersatione reprehensibile , vtputa detractio,& alia conuitia , plurimum abhorrebat. Vnde semel nepti suæ Ingegardi,tunc iuueni,postea primæ Abbatissæ cōsecratæ in Vatzsteno, dixisse perhibetur , cum aliquando quicquam operis plumarij vt mos est iuuenculis,faceret. Filia mea Ingegerdis, quid acu dipingis in opere illo, quod manibus tenes? Respondit illa, Domina mea, ego hic depingo duos altrinsecus dorsa mordentes. At venerab. Catherina ab imo pectoris suspiria trahens , in verba hæc obsecrationis prærupit, dicens , Benignissime Iesu, propter amantissimæ tuæ matris dignissimam intercessionem,auerte ab ordine isto Virgini matri tuæ dedicato,pestiferos morsus detractorum. Perpendebat enim sancti cuiusdam dictum, quod detractor, & libens auditor, vterq; in lingua diabolum portat. Videbat ergo in ea, oīs congregatio sororum, & fratrum, tanquam in speculo,normam totius honestatis,& sanctimoniæ, & quomodo fuit feruens in diuino obsequio,ac in tribulationibus patiens. Cōsiderabant eam tanquam iubar solis in vertice mōtis,quod refractione radiorum suorum conualles illuminat. In ea deniq; sibi diuina charitas vendicauit Dominum, quæ in omnium virtutum congerie dignoscitur esse solidius firmamentum. Huius .n. excellentis virtutis magisterio, facta est venerabilis Catherina,opinione mirabilis,humilitate lenis,benignitate suauis,cōpatiens pietate,stabilis patientia, colloquio affabilis, in largitione eleemosynarum hylaris, & in omni morum honestate composita. Post horas vero suas,& orationes,cum aliqua sorore psalterium relegebat. Sorores nunc singillatim,nunc vicissim omnes ad se conuocans ad obseruantiam regulæ dulci,& materno hortabatur affectu .

CAP. XV.

FActum est igitur,postquam venerabilis D. Catherina sanctas reliquias sanctæ matris suæ B.Brigittę,de Roma ad Suetiam transtulisset I monasterium Vuatzstenēn.cœperunt ibidem multis coruscare miraculis. Et fama sanctitatis B. Brig. vbiq; in orbe terrarum diuulgata,multi de diuersis partibus Vatzstenum venerunt,laudantes,& magnificantes Deum in miraculis,& prodigijs quæ per eius merita multipliciter operari dignabatur. Quorum miraculorum gloria , Rex,& Prælati, Proceresq; regni,& clerus, succensi,decreuerunt , cum vnanimi totius congregationis,eiusdemq; monasterij consensu, vt D.Catherina iterato ad Romam transiret,pro negocio canonizationis matris suæ B. Brigittæ . Sequenti igitur anno, postquam repositum est corpus gloriosum S. Matris Brigittæ in monasterio Vuatzstenensi,in hebdomada Paschę,oībus sumptib. pro tam arduo negocio paratis,& iam in crastino profectura esset, familiaribus suis dixit,Nouit Deus oīum secretorum fidelissimus testis, quod toto mentis desiderio affecto fatigari pro hoc sancto negocio , & vitam superimpendere , vt effectum debitum sortiatur,sed tantum diligo obedientiam. Quod si magister meus diceret mihi vnico verbo. Tu non vadas de monasterio isto,donec vitam finies præsentem , promptissime eius acquiescerem voluntati. Sciebat enim, quod obedientia melior est quam victima, quia obedientia victimis iure præponitur, quia

quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tandem Deo duce, & saluis rebus, venit iterato Romam, vbi proposito negocio canonizationis, miraculis S. Brigittæ, Regis Sueciæ, Dominorum, & Prelatorum Regni, humilib. & deuotis petitionibus, omnes Curiales Papæ, tam Cardinales, quam cæteri, qui S. Brigittæ in vita existenti, semper deuoti, & fautores specialiter fuerant, ad promouendum hoc negocium sanctum sunt pariter inclinati. Cumq; fama sanctitatis D. Catherinæ, & felicis opinionis suæ, ad aures Romanorum deuenisset, rememorati sunt, quantæ efficaciæ erat apud Deum eius deuotæ orationes, sancta matre eius Brigitta viuente. Vnde quamplures nobiles, eius orationis suffragia, pro se, & conuersione suorum, humiliter efflagitabant, sicut patebit clarius ex infra scriptis. Fuit igitur quædam domina relicta cuiusdam Baronis, extra Romam in castello suo, in sæculari pompa vitam ducens, soror Latini nobilis Baronis Romani, multoties admonita, per fratrem suum, & spirituales viros, vt vanitate postposita, continentius in statu viduitatis viueret. Quæ contemptis monitis animæ suæ salubribus, magis ac magis voluptatibus operam dabat. Tandem D. Latinus frater eius, multa instantia obtinuit, vt ad standum cum eo in Roma, veniret. Quæ cum magna pōpa, non pro indulgentijs lucrandis, Romam venit, vbi cœpit grauiter infirmari, adeo vt a medicis desperata esset. Frater vero eius memoratus D. Latinus, de salute animæ sororis suæ semper solicitus, per se, & per alios deuotos, hortabatur eam, vt purè confiteretur peccata sua, sed ipsa animo indurato sēper respondebat se satis esse confessam. Vnde idem D. Latinus, cōfidens plurimum de sanctitate, & deuotione Dominæ Catherinæ, rogabat eam, vt dignaretur sororem suam iam morti proximam visitare, & vt consuleret ei, ante mortem veraciter confiteri. Domina vero Catherina semper ad infirmorū consolationem benigna, ad eam veniens, deuotis exhortationibus inducere nititur eā ad faciendam confessionem plenariè de cōmissis, sed infirma illa, vt prius, dixit se satis esse confessam, nec velle amplius confiteri. Vnde D. Catherina cor eius induratum intelligens, rogat oēs circunstantes, vt orarent pro salute animæ, & gratia contritionis obtinendæ, flexisq; genibus contulit se ad orationem. Et subito manifeste videbatur de flumine Tyberis ascendere quidā fumus fuligine nigrior, qualitate sphæralis, sed quantitate plaustri totum; qui leuatus in altum super domum in qua infirma decumbebat, paululum vehebatur, in qua domo cū

tan-

tæ tenebræ fiebant, quod nullus poterat ibi præ densitate tenebrarum, alium videre. Ille deniq; tenebrosus turbo, qui mentem illius infirmæ interius obtenebrauerat, tenebras quoq; exteriores sibi in proximo affuturas præfigurabat, nisi pœnitentiæ remedio per gratiam Dei sibi subuentum fuisset, vti que sicut piè creditur, propter deuotas orationes D. Catherinæ. Nam turbo ille tenebrosus, viciniorem domum cameræ, in qua prædicta domina infirma iacebat, solotenus destruxit, ad cuius immanem impetum, & fragorem territa infirma illa, D. Catherinā vocat, & quicquid consuleret pro salute animæ suæ, facere cum lacrymis pollicetur. Vnde gratias immensas Domino agens Domina Catherina, qui semper humilium suorum respicit vota, consuluit infirmæ dominæ, vt peccata sua plenariè confiteretur. Cōtinuò vocatur confessor, quod prius audire nō poterat sine mentis horrore, iam compuncta feruenter expetit cum gemitu cordis, & dolore. Sicq; confessione pluries facta, sequenti mane sumptis sacramentis obdormiuit in Domino. Hanc gratiā creditur orationibus & merito D. Catherinæ, veraciter obtinuisse, sicut ibi oēs præsentes testabantur, laudantes Saluatoris clementiam, qui exaudiuit deprecationem pauperis, & facit misericordias multas, propter diligentes se.

CAP. XVI.

DEuotionis etiam eius sinceritas ex sequenti diuino beneficio euidenter omnibus innotescat. Fuit autem quædam domina Romæ, quæ septem filios abortiuos viro suo generauerat, quia de re minus dilecta a viro habebatur. Et cum iam prægnās esset, timuit sicut prius infantem mortuum procreare. Adijt ergo supplex D. Catherinam, sciens eam Sanctam, & Deo dignam, exposuitq; ei miserabilem casum suum. Vnde D. Catherina dedit ei particulam de vestibus B. Brigittæ matris suæ, exhortans, quod illas secum semper portaret vsq; ad tempus partus; promisit etiam ei, quod vellet adesse quando parturiret. Mulier igitur confisa de eius sanctitate, sibi iniuncta deuote compleuit. Instante vero tempore partus, vocauit D. Catherinam, vt ei suis sanctis orationibus apud Deum obtineret, partum viuū procreare, nec cunctata est ad eam venire, sicut promiserat. Vnde festine ad eam veniens iam partu laborantem, sedulitatem debitam prægnanti, humiliter exhibuit, orare, & obsecrare non desinens, donec mulier infantem viuam enixa est, quam Brigittam ob deuotionem D. Catherinæ nominauit.

nit. Huiusmodi enim gratiam, præsentia, & meritis, & orationibus venerabilis D. Catherinæ, veraciter credidit se Domina illa obtinuisse. Hoc factum diuulgatum fuit in Vrbe, & habitum pro grandi miraculo, omnesq; qui audierunt huiusmodi factum, laudauerunt pariter Dominum, qui per merita & deuotionem D. Catherinæ, salutis beneficia matri, & proli contulerat in periculo constitutis. Contigit etiam Romæ ipsa cōmorante semel, inundatione Tyberis nimiū excrescente, ita quod pontem Lateranensē, & monasterium B. Iacobi, & multa alia circumiacentia ædificia, inundatio aquarū supergrederetur, Romani timentes Vrbis excidium propter nimiam inundationem, inito consilio venerunt in domum D. Catherinæ, rogantes, vt dignaretur descendere cum eis ad decursum aquarum inundātium, pro his incōmodis Dominum deprecatura. Ipsa vero humilitatis alumna, indignam se reputans, cum lacrymis negare cœpit. At illi videntes se instantijs precum nihil proficere, vim inferunt, educentes eam de domo, obieceruntq; ipsam obuijs aquarum inundationibus. Mira res, antiquum redire miraculum. Iosue namq; tempore Iordanis conuersus est retrorsum, ipsa pedibus profluuium tangente redit retrorsum cum omni velocitate, petens alueolum suum, fugitque aqua inundationis ad introitum sanctæ mulieris. Stupent vniuersi, laudaturq; immensæ potentiæ Dominus, qui etiam in aquis per sanctos suos mirabilia facit. Vnde venerabilis pater, & sanctæ mem. frater Petrus Prior Aluastri Ord. Cisterciensium, huic spectaculo præsens, familiam D. Catherinæ cōtestans alloquebatur his verbis. Tenete memoriter, quæ vidistis mirabilia hodie, quia de his, & alijs eius miraculosis gestis, & virtutibus, quæ per eam Deus operari dignatus est, in futuris temporibus requiretur.

Deinde cum hæc venerabilis Domina Catherina transiret Neapolim, & ibi moram duceret propter negotium canonizationis præmissum, ad scribendum, & colligendum miracula, quæ per S. Brigittam matrem suam, tam in vita ibi existētem, quam post mortem eius, Dominus operari dignatus est, fama sanctitatis eius celebris habebatur. Vnde accessit ad eam quædam magna Domina secundum sęculi dignitatem, exponens ei cum lacrymis, quomodo filia sua marito viduata, a dæmonio nocturno grauissimè infestaretur, nec audebat alicui de propinquis manifestare verecundas huiusmodi perturbationes, sed propter opinionem, & famam sanctitatis eius ausum capians, ei incommoda filiæ detegebat. Audiēs vero Domina Catherina earum horribilem impugnationem, ex intimis eis condoluit, legensq; vnum Aue Maria submissè, sicut semper solebat cum super aliquibus spiritualibus consuleretur, saluberrimum dedit eis consilium. Primo, vt confessionem facerent purè de omnibus peccatis suis, quia propter peccata inconfessa, tales illusiones plerunq; multis accidunt, & quod nudis pedibus absq; lineis camisijs cum omni humilitate ad Ecclesiā S. Crucis pergerent, per cōtinuos octo dies ante Crucifixum legendo septem Pater noster, & Aue Maria, ob reuerentiam passionis Christi, Et quod ipsa libenter pro ipsis oraret, quamuis se indignam ad impetrandum reputaret, humillimè tamen ex compassionis spiritu spopondit. Dictæ vero D. iuxta consilium eius facientes, octauo die ad eam reuertuntur, laudantes Deum, quia misericordiam magnam iam cum eis fecerat, propter salubria consilia, & orationes eius. Nam illud monstruosum dęmonium eidem iuueni in noctis silētio apparuit, terribiliter minans, & dicēs. Maledicta sit illa filia Brigittæ, quæ me a te separauit, nūquam ad te amplius reuertar, Sicq; oratio mulieris sanctæ exclusit inimicum persequentem, & religauit dæmonium in deserto Aegypti infernalis. Vnde propter hæc, & alia sanctitatis eius indicia, Domina Catherina cum esset post decessum matris suę, Romę, Neapoli, ac diuersis alijs partibus Italię, & Germanię, reputata est, & habita pro magna sancta, & sine dubio Deo accepta, ita quod multi in necessitatibus constituti, pro consilio, & auxilio apud Deum impetrando, ad eam confugerent, reportantes incommodorum suorum grata remedia precibus, & meritis eius gloriosis.

CAP. XVII.

EXpeditis negotijs apud Neapolim, & miraculorum conscriptionibus sanctę matris suæ Brigittę, venerabilis Domina Catherina Romam redijt, & canonizationis processum, quem sub Gregorio XI. inceperat, continuauit, sed prout negocium canonizationis exigebat, non potuit habere debitum effectum, quia Papa morte preuentus fuit. Vnde totum illud negotium canonizationis exordialiter initiandum, ad Vrbanum VI. successorem immediatum ipsius Gregorij, extitit deuolutum. Qui quidē Vrbanus Papa B. Brigittę, dum in humanis ageret, notitiam habens, & suę sanctitatis experientiam, canonizationem eius attentauit, sed non consumauit, ob varios casus, qui in illis diebus in Ecclesia acciderant, & scisma tunc nouiter inchoatum. Igitur ve-

ne-

nerabilis D. Catherina, quinquennio pro predicto negocio sic Romæ peracto in magnis, & grauibus expensis, cum ei ob periculosum scisma, quod imminebat, non esset spes huiusmodi negotij tam ardui posse cōsequi finem debitum, vt decuit, saniori vsa consilio prælatorum, vitam, & miracula S. matris suæ Brigittæ conscripta, cum suis attestationibus sub pluribus publicis instrumentis autenticis, & sigillis Cardinalium, Prelatorum, Dominorum, & dominarum, in diuersis Vrbis, & Orbis partibus, omnibus veram fidem præstantibus, Romæ deposuit, dispositioni diuinæ, & prouidentiæ committens illud sanctum negocium in futurum. Cūq; ab Apostolico prenominato impetrasset bullam, in qua continetur Regula Saluatoris i tertia persona, & alia priuilegia pro Monasterio Vvatzstenen. disponebat se ad patriam redire omnibus Romæ tunc degētibus relinquens celebrem sui nominis memoriam, & famam sanctitatis. Dominus autem Eleazarus Cardinalis eidem Dominæ Catherinæ deuotionis solatia, dilectionisq; beneficia, consilia, & auxilia, in quibuscunque suis negotijs procurandis, ob vitæ eius eminentiam, singulariter, & deuotè impendebat. Habebat quidem Cardinalis prædictus a iuuentute sua singularem deuotionis gratiam ad sanctam Brigittam, tam viuentem, quam defunctam, quia ipsa viuente se in via Dei, & vita, secundum eius sancta consilia, & monita salutaria, deuotè, & humiliter conformabat. Summus vero Pontifex Vrbanus VI. vna cum sacro collegio Cardinaliū, eam singulari dilectionis fauore excipiens, dabat ei cum benedictione Apostolica bullam exhortatoriam, siue viaticam, ad dominia, ciuitates, & castella, ad quæ eam declinare contingeret, ad tuitionē in via habendam, & securitatem. Vnde virū magnæ auctoritatis de Curia, vt eam per partes Italiæ tuto conductu deduceret, secū vsq; ad alpes ire præcepit. Quantis igitur ob gratiam D. Papæ, & eius bullæ, condignis honoribus excepta fuit, a ciuitatum primoribus, Ducibus, & Principibus, tam Italiæ, quā Alamaniæ, stylus in longū protraheretur, si oīa deberent enarrari. Vnum tamen æstimo necessarium ad dicendum, quod passim omnibus ad se venientibus, monita dabat salutaria, quæ non tantum vitæ sinceritas sancta comprobabat, immo etiam miraculi nouitas commendabat. Accidit in Prussia, cum in itinere ex labore, & infirmitate plurimum fatigata, curru veheretur, vnus de familia eius currui insidens obdormiret, & ex agitatione currus, præceps caderet inter pedes equorum, rotæque succedentes costas ei in tantum contregerunt, quod vix anhelitum trahere valens in currum leuaretur. Cui sicut omnibus infirmis, & tribulatis semper solita erat, benignè compatiens, latus eius contritum, & costas contractas, legens Aue Maria, manu leniter contrectabat. At vbi manus mulieris sanctæ costas confractas tetigit, virtus diuina ipsa solidauit, dolor cessit. Et qui vix propter immanem cruciatū spirare potuit, lætus eodem die, & omnino sanus discurrit laudes Deo, & D. Catherinæ exoluens, pro recuperatæ beneficio sanitatis. Considerabat enim, quod in tactu manuum huius Dominæ, medicina suo dolori cōpetēs salubris extitit, & non in malagmate, quod a medicis magno pretio cōparatur. Eo denique tempore, quo de Roma recessit, cępit in via corpore debilis existere, & de die in diē languor inualescere, vires tamen animæ, & mētis eius deuotio in Domino, nunquam in ea marcescebant. Nec remedia quæsiuit medicorum, quia toto cordis desiderio cupiebat dissolui, & esse cum Christo. A tempore aūt, quo de Roma redijt ad Regnum Suetiæ, & ad monasterium Vvatzstenen. vsq; ad obitū suum, videlicet ab octaua Apostolorum Petri, & Pauli, vsq; ad festum Annunciationis Dominicæ, continuis, & varijs corporis ægritudinum passionibus laborabat. Sed quāto corpore infirmior, tanto mente extitit vigorosior, sciens, quod virtus in infirmitate perficitur, & stabilitas festinat ad coronam. Nec deerant tantę sanctitati miraculorum insignia, quia ciuitas supra mōtem posita, abscondi non potest. Contigit igitur quēdam de familia monasterij, de alto quodam ædificio super lapides, & ligna præcipitem ruere. Sed passus hanc ruinam validam, fractis costis dextri lateris, vt moris est, sic quassatis, cum difficultate anhelitum trahere vix valebat. Quod cum pie matri monasterij, dominæ Catherinæ nunciatum esset, ipsa condolens dolenti, descendit ad ianuam monasterij, oratione præmissa, læsa membra tetigit, & ad eius tactum, diuina virtus membra confracta consolidauit, læsusq; sanus factus, & incolumis, ad labores statim redijt, magnificans Deum, qui talem potestatem dedit hominibus. Nouit autem vir ille, huiusmodi suæ læsuræ fomenta vnctionis congruere, & emplastra, sed tactum manus huius S. Dominę, multo excellentiorem his oībus preiudicauit, & virtutē Dei in manu eius existere omnibus predicauit.

CAP. XVIII.

Ægritudine autem venerabilis Dominæ Catherinæ quotidie accrescente, & stu-

studuit se frequēter sacramentis communiri. Ex feruenti deuotione etiam postquam peregrinationem susceperat, cū matre sua quotidie confessionem faciebat, in cordis contritione, & aliquando bis, vel ter ad lauacrum confessionis humiliter accedebat. Nouerat autem, quod confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorū, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, & quod obstruit os inferni, & aperit portas Paradisi. Sacramentū vero Corporis Christi, propter passiones stomachi, in hac vltima ægritudine sumere non audebat, sed gestibus deuotionis, prout potuit, sacrosanctum corpus Domini venerans, leuatisq; oculis ad Cœlum, diu cordis lingua (quia carnis lingua iam obmutuerat) aliquid soli Deo cógnitum perorans, astantibus sororibus, & exitum suum Deo commendantibus, in Domino fœliciter obdormiuit. Statim prodigia è cœlo, sanctitatem eius testantia, aliquibus deuotis personis apparuerunt. Nam stella visa est stare supra domum, in quā iacebat corpus eius exanimæ, per dies, & noctes, vsq; dum corpus fuisset traditum sepulturæ. Corpore vero ad sepeliendum delato, stella videbatur moueri de loco suo, quasi obsequium funeri eius præstitura, & funere posito in Ecclesia, inter missarum solemnia, stella manebat quasi pendula super feretrū corporis extincti, sed humato eius corpore stellæ illius cessabat officium. Bene quidem stellæ ministerio honorabatur, quæ dum in humanis ageret, vitæ puritate clara, firmaque, ac perseuerans, & lucens in sancto proposito, exemplis commendabilis conuersationis, & omni morum honestate fuisse perhibetur. Aliquæ etiam deuotę personę, cum Sacramentis asserebant se vidisse luminaria mirè radiantia in aere ante feretrum ferri, dum portaretur ad Ecclesiam sepeliendum, sed a quibus illa luminaria portabantur, videre minimè potuerunt. Conuenerant autem die depositionis eius in Vuatzsteno, quam plurimi Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, de regnis Suetiæ, Gotiæ, Daciæ, & Noruegiæ, necnon ex seculari potestate Dominus Ericus filius Regis Suetiæ, cum multis Principibus, Magnatibus, & Baronibus, & inferiorum statuum clericorum, & laicorum multitudine copiosa. Erant vero non modica per singulos suspiria cum lamentis, præcipuè virginum inclusarum, quæ exequias benignæ matris gemitibus, & lacrymis celebrarunt. Efferebat ad sepeliendum extinctum corpus eius memoratus Dominus Ericus, cum Principibus, & Magnatibus Regni, factaq; est cópressio magna populorum, vt vix deferre ad sepulchrum corpus sacrum valuerunt, quoniam omnis turba quærebat contingere illam margaritam preciosam. Debitum sepeliendi officium, Beatæ mem. Dominus Nicolaus Episcopus Lincopensis, astantib. sibi Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatib. cum multitudine clericorum, & religiosorum numerosa lacrymosè expleuit. Inter quos affuit quidam magnæ authoritatis, & scientiæ magister. Tordo Episcopus Strengenensis, in exequijs eius solicitus, & deuotus ministrator, qui ob deuotionem, & familiaritatem, quas erga eam adhuc viuam habuerat, manum Dominæ Catherinæ palmitando tangebat, recommendans se eius interuentui apud iudicem æternum. Mirū dictu, sentiebat Episcopus manum suam fortiter teneri, & coprimi manu D. Catherinæ, sicut solet fieri inter amicos, & fideiussores, qui manus suas in signum maioris dilectionis, & firmitatis inuicem fortiter constringunt. Ipsa enim in Roma existens, pro eodem Episcopo veniente ad Apostolicam sedem pro electione sua cōfirmanda, apud D. Apostolicum; Cardinales, & Officiales Curiæ plurimum laborabat. In hoc facto constrictionis manus Episcopi, dabatur intelligi, vt sicut eum viua hortabatur memorari sponsionis suæ Deo factæ, pro quo quodammodo coram Domino Papa, pro confirmatione sua intercedendo fideiussit, sic exempta carnis oneri, assistens æterno Pōtifici, admonuit fidelitatem seruare suæ promissionis quasi sibi inculcaret illud Sapientis. Si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tuis, fac ergo quod dico, & temetipsum libera. Obijt autem venerabilis Domina Catherina in monasterio Vuatzstenensi, anno Domini 1381. vndecima kalen. Aprilis, die dominica, videlicet in profesto Annunciationis Dominicę, & in crastino eiusdem, honorificè est sepulta. Ad cuius tumulum, & sanctam memoriam, multa patrantur deuotè poscentibus beneficia, ipsius dono, qui in sanctis suis est laudabilis, & mirabilis in sæcula sæculorum. Amen.

CAP. XIX.

CVm supradicta beneficia, seu miracula, multa, variaq;, & admiranda sint, aliorumq; Sanctorum virtutibus, & meritis, scilicet in oīum necessitatum, ægritudinum, morborum, & obsessorum curatione, dignissimè comparanda, satis est ad ea recurrere, quæ dextræ Dei digito, tam foris in sua peregrinatione, quam domi in optima, & virtuosissima cōuersatione sua, fit operata. Vnum itaq; è multis stupendius cæteris, quod in

in frigidissima eius patria acciderat, hic inserendum erit. Monasterio S. Brigittæ in Regno Gotiæ, seu Suetiæ, adiacet quidam lacus Veter dictus, longitudinis 60. & latitudinis 20. Italicorum milliarium, qui talis est naturæ, quod cum tempestuoso vẽto, eoq; remisso, congelatus fuerit, & tempus resolutionis immineat, vehemẽtissimo strepitu incipit in fundo ebullire, & commoueri, magnaq; violentia prorumpere in paruas rimas, vel scissuras, quæ fiunt in glacie, & has in modico temporis spatio faciens valde latas, licet pro tunc glacies in spissitudine habuerit plusquam vnum, vel duo brachia, & tunc cooperante superiore impetu, diuiditur tota glacies in plures particulas, ita quod multi existentes super ipsis, frequentius (nisi Dei presidio, & sanctorum inuocatione tutelam inuenerint) submerguntur. In hac angustia constituti homines cum iumentis, & vehiculis, visa horribili collisione, & dissolutione, ac voragine glacierum, & morte imminente, magno gemitu inuocant Deum, & S. Catherinam, vel matrem eius, aut vtranq; vt salui fiant. Nec frustra id accidere solet, nã nõ solum fortificata parte glaciali, in qua tristes remanent, vel de vna ad aliam transiliunt, sed & contra turbinẽ, & vim vẽtorum gemino miraculo salui deferuntur ad litus, glacie in aquas quasi momentaneo spatio resoluta.

CAP. XX.

Adhuc de crebris, & quasi quotidianis ad sepulchrum eius miraculis ipso largiente, qui in sanctis suis semper mirabilis atque laudabilis existit, aliqua subiungere curaui, ne lucerna tantæ pulchritudinis abscondita sub modio, torpore obliuionis extinguatur. Sacerdos quidam dictus Petrus Kraaka, Vicarius in Ecclesia Parochiali Vvatzstenen. in tantum dolore capitis premebatur, quod fauces, & linguam mouere, seu os ad capiendum cibum aperire minime posset. Omni igitur humano auxilio in hoc necessitatis articulo destitutus, ad Dei, Sanctorumque suffragia se tota mente, & deuotione conuertit, signis, & nutibus innuens, vt vota pro eo fierent ad aliquem Sanctorum. Vnde placuit quibusdam eius amicis, debere fieri votum, & oblationem ad sepulchrum Dominæ Catherinæ, vt meritis ipsius a passione hac grauissima releuaretur. Hoc voto emisso, sequenti die exhaustis iam viribus, infirmus ille quasi in extasi positus, vidit duas reuerendas matronas ad se introeuntes, quarum altera ei dixit. Ex quo vota tua ad me direxeras, tibi libenter subuenirem, sed multum impatiens es, tamen scias, quod veni tibi in auxilium. Qui ad se reuersus, sensit dolorem imminutum, & os, linguam, & cæteros sensus suo naturali officio redditos. Et qui per septem dies continuos, sine cibo, & potu, ac sermonis eloquio, exaruerat, sumptis naturæ fomentis, Dei magnalia per merita Beatæ Catherinæ sibi exhibita, prædicabat hylari mente, ad sepulchrum Dominæ Catherinæ caput de cera offerens, in testimonium suæ sanitatis totaliter recuperatæ.

F I N I S.

INCIPIT TABVLA

LIBRORVM COELESTIVM REVELATIONVM SANCTAE BRIGITTAE DE REGNO SVETIAE.

LITTERA A.

Abbas Benedictus commendatur, 3. lib. cap. 20. & 21.
Abbas ad quid tenetur, & & quid, 4. libr. cap. 23.
Abbatissa qua, & qualis eligatur in monasterio S. Saluatoris. In Regula ca. 14. & quid debet cauere, cap. 19. & 20.
Abbatissa ordinis sancti Saluatoris, qualiter se habeat ad sorores in festis diebus extra 12.
Abbatissa ordinis S. Saluatoris, non eligatur ab illegitimo thoro. extra 20.
Abbatissa ordinis S. Saluatoris esse potest humilis vidua, extra 21.
Abbatissa ordinis S. Saluatoris gerit vices Mariae in terris, extra cap. 21. & 22.
Abbatissa ordinis S. Saluatoris, quomodo debet benedici. extra 22.
Abominantur Christum quidam homines, 1. lib. cap. 53. item 4. libr. cap. 116.
Abiectum reputant Christum aliqui homines. 2. libr. cap. 46. item extra 51.
Abiecta qualiter fuit primo vera militia. 2. libr. cap. 8. & 9.
Ablata iniuste quibus prosunt erogata. 4. l. cap. 13.
Ablata iniuste qualem requirunt poenam, extra 75.
Abortiuo similantur quedam animae damnatae. 6. lib. cap. 19. & 28. & 31.
Abraham erat Deo charissimus. 2. lib. 10.
Abrae posuit Deus fedus suum. 3. lib. 30. item sermo angel. 8.
Abraham propter obedientiam dilectus erat Deo. 6. libr. 120.
Abraham conqueritur super principes terrae. 8. l. 56.
Abraham dilexit filium suum Isaac antequam conciperetur, sic Deus Mariam antequam crearetur, serm. ang. 3. per totum.
Abraham erat verus fidei emulator, serm. ang. 8.
Abraham presciuit Mariam nascituram vnde maxime gaudebat serm. ang. 8.
Abraham fuit sicut bonus hortulanus plantās ramusculum vitis, &c. serm. ang. 8.
Abrae progenies dicitur vinea electa. ser. ang. 8.
Abrae cur praecepit Deus immolare filium suum. extra 32.
Abscondit cur Deus diabolo suam natiuitatem. 5. lib. interrogatione 3.
Absolon filius Dauid notat iudaeos. 2. li. 5.
Absolutionem peccatorum negligere periculosum est. 6. li. 114.
Absoluere a peccatis potest etiam malus sacerdos. 4. li. 41 item 6. li. 78.
Abstinentia verborum, dicitur noua loquela. 1. l. 33.
Abstinentia dicitur nouus cibus. 1. li. 34.
Abstinentia nimia, & vltra vires naturae non placet Deo. 1. li. cap. 34. item 6. lib. 69. item 6. li. 5. & 7. item 57. 65.
Abstinentia dicitur vestimentum sericum. 2. libro, cap. 26.
Abstinentia pulchrior est aliis virtutibus. 2. li. 27.
Abstinentia assimilatur myrrhe 3. li. 21.
Abstinentia dicitur rota in curru iustorum 4. libr. cap. 17.
Abstinentia digna mercede, quae est 4. li. ca. 17.
Abstinentia dicitur lorica animae, & qualis debet esse. 4. li. ca. 89.
Abstinentia frangi potest propter obedientiam. 4. li. 26. & 106. item 6. li. 49. item extra 61.
Abstinentiae indiscreta, quae sunt 4. li. 107.
Abstinentiam moderatam habuerunt Christus Mater Christi Io. Baptista, & Magdalena 4. l. c. 108.
Abstinentia dicitur vas ad portandum terram. 6. lib. cap. 33.
Abstinentia Mariae discreta commendatur, sermo ang. cap. 13.
Abstinentia moderata vtilis est homini, extra capitulo 56.

Absti-

Abstinentia etiam minima est meritoria apud Deum, extra cap. 65.
Abstinere debet homo in omnibus membris, 1. libro, cap. 9.
Abstinere a verbis quomodo debet homo, 4. libro, cap. 47.
Abstinere a licitis etiam quandoque meritorium est, 6. lib. cap. 66.
Abusiones religiosorum describuntur, 4. libro, capitulo 30.
Abutens donis Dei quali indicio dignus est, 8. libro, cap. 55.
Abutitur homo omnibus creaturis, 1. lib. cap. 30.
Abuti libero arbitrio malum est, 4. lib. cap. 67. item serm. ange. cap. 4.
Abuti voluntate sua, quam malum est, 6. lib. 115.
Acceptio personarum graue peccatum est, 1. libro, cap. 13.
Accidia dicitur liber diaboli, 5. lib. cap. 39.
Accidiam causat superfluitas, 7. lib. cap. 5.
Accidia qualem meretur pœnam, extr. 75.
Actio hominis, omnis sit rationabilis, 4. lib. cap. 114.
Accommodare proximo pecuniam bonum est, & quo modo repetatur, extra cap. 88.
Acies duæ gladij spiritualis, quæ sunt, 4. lib. ca. 74.
Acquirere potest homo spiritualia cum temporalibus, extra. cap. 88.
Acquisita male nociua sunt, & quomodo aut quibus reddantur patet. 1. li. ca. 18. item 4. libro, cap. 45. item 6. lib. cap. 24.
Acquisita male quibus prosunt erogata. 4. lib. cap. 8. & 13.
Acquisitum omne iniuste debet reddi. 6. lib. cap. 41. item 7. lib. cap. 11.
Acquisita iniuste obtenta nocent, & reddita prosunt 6. libr. cap. 85.
Acquisita iniuste quam nociua sunt animæ. 8. libro, cap. 48.
Actus conformes dæmonibus habent animæ damnatæ. 6. lib. cap. 31.
Aculeus latet in lætitia mundi. 2. lib. 29.
Aculeus venenosus dicitur delectatio peccati. 4. lib. cap. 52.
Aculeo Apis assimilatur tribulatio iustorum, 4. libr. cap. 86.
Aculeo Apis similatur iustitia Dei. 6. li. ca. 12.
Adam, & Eua quales fuerunt creati. 1. li. cap. 26. & quomodo peccauerunt, & peccati eorum pœna. & qualẽ obtinuerunt misericordiam, & eorũ pœnitentia ibid. item 8. li. ca. 48. item ser. ang. ca. 7. & 8.
Adam sicut de sua miseria quã per Euam incurrerat multum dolebat ita de Christo, & Maria quos ex sua generatione nascituros præsciuit maxime gaudebat. serm. ange. 7. per totum.
Adam, & Eua in quo peccauerunt. 5. libro. inter. 12. respon. 1.
Addiscunt propter quid homines scientias, 1. libro, cap. 33.
Adinuentiones prauæ perdunt regnum, extr. 71.
Adipi assimilantur verba Christi, 1. li. ca. 92.
Adiutorium promittit Maria laborantibus pro ecclesia Christi 3. lib cap. 10. item 4 li. ca. 78.
Adiutoria hominum sunt animalia. 8. li. cap. 48.
Adiutorium Mariæ obtinetur per Salutationem Angelicam, serm. ang. 21.
Admonere peccatores ad bonum debet homo. 6. libr. cap. 8.
Adolescentia Christi pulchre describitur. 6. libro, cap. 58.
Adonias filius Dauid significat malos Christianos. 2. li. cap. 5.
Adorari idola cur permittit Deus. 5. li. interrog. 8. respons. 1.
Adorarunt Iesum natum Maria, & Ioseph, 7. libr. cap. 21.
Adorauerunt Christum pastores. 7. lib. 23.
Adorauerunt Christum tres Magi 7. li. 24.
Aduentus Christi in carnem præparauit viam ad vitam 1. li. ca. 15. item 2 li. ca. 15.
Aduentus Dei in animam est sicut Regis in ciuitate, 2. li. ca. 13. item 8 li. ca. 1.
Aduentus Dei in anima facit septem bona, 4. libro, cap. 23.
Aduentus Dei in cor duo bona affert, 4. li. ca. 78.
Aduentus Spiritus sancti quomodo discernatur a spiritu malo. 4. li. cap 110.
Aduentus Christi in Mariam fuit, sicut Apis in aluearium, 6 li. ca. 12.
Aduentus Christi mirabilis in Mariam describitur, 6. lib cap. 88.
Aduentus Christi in cor sanctæ Brigittæ, 6. libro, cap. 88.
Aduersa cur aduenient hominibus, & animalibus, 5. li. interr. 14. resp. 1.
Aduersitas mundi dicitur via arcta, & spinosa, & quid ei opponetur. 3. li. cap. 1. item 4. li. 126.
Aduersitas mundi vtilis est, 5. li. interr. 7. respo. 1.
Adulator assimilatur aucupi, 1. li. ca. 17.
Adulatores fugiendi sunt 6. libro. 51. item 8. libro.
Adulter dicitur episcopus mundanus. 1. li 6.
Adultera facta est sponsa Christi, idest, anima. 6. li. cap. 33.
Adulteræ similantur mali christiani. extr. 85.
Aer lenis dicitur misericordia Dei. 2. li. ca. 19.
Aer dicitur opprobrium, & despectio. 2. li. 13.
Aer competens confert ad sanitatem, 3. li. cap. 31.
Affectionibus prauis non resistere malum est. 1. li. cap. 15.
Affectio assimilatur pedibus. 1. li. ca. 23.
Affectio omnis praua punietur. 6. li. ca. 5.
Affectionem hominis nititur diabolus vitiare. 6. li. cap. 30.
Affectio terrena remouetur ab animo. 6. li. 106.
Affectio terrena dicitur cinis diaboli, extr. 54.
Affectus ad Deum dicitur armatura pectoris, 6. lib. cap. 43.
Affectus tres malignantium describuntur. 8. libro, cap. 18.

Affligit qui carnem suam verus miles Christi est. 1.lib.cap.6.
Affligit diabolus christianos, sicut Pharao populum Israel. 2.lib.cap.10.
Affliguntur animalia propter peccata hominum, 5. lib interr.14.resp.1.& 2.
Affligebatur quedam anima damnata tripliciter. 6. lib.cap.52.
Afflictis appropinquat misericordia Dei, 5.lib.interr. 4. respon.3.
Ager centum pedum dicitur Roma. 3.lib.cap.27.
Ager infructuosus dicitur mala voluntas, bona autem fructuosus, 5.lib.interr.13. respon.5.
Agro quinque pedum assimilatur homo.6.libr.21.
S. Agnes commendat Virginem Mariam, & rogat pro S. Brigitta. 4.lib.cap.11.
S. Agnes imposuit sanctæ Brigittæ coronam de septem lapidibus preciosis.4.lib. cap.124.
Agnus, & leo mirabilis dicitur Christus.4.libr.39. item 5.lib.reuel.2. post interr.16.
Agnus viuus apparuit in manibus celebrantis.8.lib. cap.56.
Alæ duæ humanitatis Christi describuntur, 2. libro, cap.29.
Alas habere sicut brucus spiritualiter quid est, 3.libro, cap.15.
Alas duas habeat anima deuota.4.lib.cap.86.
Alapam dedit Christus monacho loquaci.6.lib.90.
Alapam dedit Christus volenti scribere istas reuel. extrau.48.
Alimenta qualiter sunt sumenda.6.libr.ca.66.
Allicit Deus animas ad se, sicut pica pullos suos ad volandum. 1.libr.cap.19.
Allicit Deus sibi homines, sicut pastor oues, 4.libro, cap.12.
Alliciunt Angeli homines ad Deum.6.lib.ca.14.
Altare significat cœlestem gloriam.6.lib.ca.9.
Altare construatur ad honorem Dei. 6.li.ca.24.
Alueario simile erat corpus Mariæ.6.lib.ca.12.
Aluearium apum Christi dicitur sancta ecclesia. 2. libro,19.
Amare mundum est colere idola.1.li.ca.53.
Amare Deum, & proximum quomodo debet homo, 7.lib.cap.5.
Amaritudo proficua est.5.lib.reuel.post interr.5.& & interr.7.respon.1.
Amaritudo Christi magna fuit in cruce 7.li.cap.15.
Amarus est spiritus malus,1.lib.cap.54.
Amarus, amarior, amarissimus quibus est Christus. 1.lib.cap.58.
Amara ad quid sunt vtilia, 5. libro, interrog. 13. respon.5.
Amara est Deo luxuria,6.lib. cap.36.
Amatores Dei, & mundi differunt, 1.li.ca.22.
Amatores mundi dicuntur virgæ filiorum Dei, & libro 4. cap.64.
Ambitio dicitur auis cupida, 2.libr.cap.29.
Ambrosius conqueritur super potentes in mundo. 3. lib.cap.5.& 6.per totum.
Ambrosium commendat Virgo Maria. 4.lib.cap.2.
Ambulare per viam diaboli quid est,1.li ca.16.
Amicitia carnalis dicitur frigus vrens, 2.li.cap.23.
Amicitia mundi dicitur auis tincta pice, 2.libro, capitulo 29.
Amicitiam Christi recuperare volens faciat tria. 7. lib.cap.17.
Amicos Dei quomodo potest diabolus turbare,1.lib. cap.4.& 9.
Amici Dei ab hominibus vexantur, & a Deo remunerantur.1.li.ca.5.per totum.
Amici Dei quidam vertunt onus, alij leuant pondera,tertij sedent quieti, quid est.1.lib.ca.15.
Amicos suos ducit Maria per mundum, & consolatur in morte.1.lib.cap.29.
Amici Christi aliqui sunt quasi eius scolares,1.libro, cap.33.
Amici Christi quid sitiunt.1.lib.cap.38.
Amicos suos confortat Christus. 1.lib.cap.41.
Amici Dei quam libenter suscipiunt Christum. 2.lib. cap.3.
Amici Dei succurrere possunt tribus generibus hominum.2.libr.cap.24.
Amici Dei quid cauebunt, vide in Cauere.
Amici Dei caueant sibi pro tribus malis. 2.li. ca.19.
Amici Dei clamant tunc sicut olim filij Israel.3.libr. cap.5.
Amici Dei, qui sunt,& qui non.3.lib.ca.19.item 4. lib.cap.76.
Amici mundi dicuntur ignis sub olla.4.libr.9.
Amici Dei nunc tribulantur, nunc consolantur.4.libro,cap.12.item extra 33.
Amicos suos allicit Deus,sicut pastor oues,4.li.c.12.
Amici Dei cur non mittuntur vbique ad monendum homines.4.lib.cap.37.
Amicos Dei impedire vult diabolus 4.lib.ca.75.
Amici Mariæ comparantur apibus,4.libr.86.
Amici Dei sunt vniti Christo,& habent ipse Deum & Mariam cum toto cœlesti exercitu.4.li.ca.90. & 91.
Amicis suis quomodo occurrit Deus.4.lib.cap.116.
Amici falsi sunt corpus,mundus,& diabolus,4.libr. cap.135.
Amicos suos cur Deus non semper exaudit orantes. 5.lib.interr.15. resp.3.
Amicos suos qualiter captiuat Deus.6.lib.cap.14.
Amicos Dei circundant Angeli.6.lib.cap.18.
Amicos suos quomodo satiabit Deus.6.lib.cap.29.
Amici, quando dicuntur venire ad domum animæ. 6.lib.cap.66.
Amicis suis presidit Deus. 6.libr.cap.107.
Amici hominis falsi,qui dicuntur.7.libr.c.16.
Amicorum Dei preces quantum valent coram eo.7. li.cap.19.& 27.
Amici Dei sunt extra murum mundi.7.li. ca.18.
Amici Dei pauci inueniuntur, extra li.
Amicos Dei tres habuit Christus olim in mundo, 1. tres status hominum,extra.83.
Amouere quid debet Rex in regno suo,8.li. ca.6.

Amor Dei, & mundi dicuntur duo gazophilacia. 1. libro, cap. 15.
Amor Dei incipit cum labore, & finit cum gaudio. 1. libr. cap. 15.
Amor mundi incipit cum delectatione, & finit cum amaritudine. 1. lib. cap. 15.
Amor Deus quomodo acquiratur. 1. lib. 15.
Amor proprius dicitur rota in curru peccati. 4. libr. cap. 17.
Amor mundi dicitur fumus nociuus. 5. libr. reuelat. post interrog. 13.
Amor mundi dicitur calor nimius. 6. lib. cap. 30.
Amor mundi dicitur puteus turbidus. 6. li. 54.
Amor S. Brigittæ maximus ad Mariam describitur. 7. lib. cap. 31.
Amorem carnalem auget diabolus. 7. lib. cap. 5. item extra 95.
Anchora dicitur voluntas seruiendi Deo. 4. lib. c. 88.
Anchora capitalis dicitur disciplina religionis. 4. lib. cap. 88.
Ancilla animæ dicitur corpus. 1. lib. cap. 20.
Ancillæ similatur mundus, & mistice quid sit spiritualiter plus diligere ancillã, quam vxorem. 3. l. 6.
Ancillas quinq; habere debet anima deuota. 6. li. 66.
Ancillam diligere, & spernere dominam spiritualiter quid est. 6. libr. ca. 70.
Andreas Apostolus commendatur, & quã salubre est ipsum venerari 6. li. ca. 107. Itẽ extra. 34.
Angeli boni dantur hominibus ad custodiam, & assistunt mali ad probationem 1. lib. ca. 9. & 33.
Angeli orant pro Ecclesia christiana. 1. libr. 24.
Angelorum creatio casus, & ruina describitur primo libro. 34. Item 2. libro. 17. Item 4. libro, c. 7. & 43. & 98. & 106. & 134. item 5. li. inter. 9. respon. 2. item 7. li. c. 11. item 8. li. ca. 2. et 48. & 56. item ser. ang. 4. & 6. item extra 9. & 50.
Angelorum bonorum, & malorum differentia. 1. libro, cap. 54.
Angelorum pulchritudinem non potest homo videre hac vita. 2. li. ca. 18.
Angeli quare videntur in similitudine hominum. 2. libr. cap. 18.
Angelus domini dicitur episcopus, vel sacerdos. 3. li. cap. 1. item 4. lib. 59. & 126.
Angelus dicitur auriga hominis iusti. 4. lib. 17.
Angeli a quibus se elongant. 4. lib. 35.
Angeli vocant homines ad iudicium. 4. lib. 50.
Angeli respondent pro animabus in iudicio. 4. lib. cap. 51.
Angeli consolantur tentatos, 4. li. 61.
Angeli præsentant Deo bona opera, 4. li. ca. 74.
Angeli rogandi sunt pro obtinenda puritate, 4. lib. 74.
Angeli quomodo mittuntur ad homines, & custodium eos, 4. li. 107. & 131.
Angeli custodiunt reliquias Sanctorum in terris, 4. li. ca. 107.
Angeli quomodo dicuntur turbati in morte Christi, 6. li. cap. 12.
Angeli alliciunt homines ad Deum. 6. li. 14.
Angeli protegunt amicos Dei, 6. li. ca. 18.
Angelus est cum homine a coniunctione corporis, & animæ, 6. li. ca. 39.
Angelus orauit pro quadam anima purganda, 6. li. cap. 29.
Angelus certabat in iudicio cum diabolo, de anima cuiusdam regis damnandi, 8. li. ca. 48.
Angelus respondit pro quadam anima in iudicio, 1. li. ca. cap. 8.
Angeli consolantur animas in purgatorio, & mitigant pœnas. 8. lib cap. 48.
Angelus apparens Tobie notat hominem iustum, 8. lib. cap. 54.
Angeli quantum diligunt Deum, serm. ang. 4. & 6.
Angelorum creatio erat prima corona Dei, sermon. angel. 6.
Angeli, quam obedientes sunt Mariæ. serm. ange. 20.
Angeli desiderabant natiuitatem Christi. sermo. angelico 21.
Angustia Christi in sudore sanguineo. 4. libr. 126.
Angustia Christi magna fuit in cruce. 7. libr. cap. 15.
Angustiari de quo debet homo. 4. li. cap. 12.
Animas hominum quantum diligit Deus. 1. li. ca. 1. & 11. & 15. & 30. & 32. & 34. & 53. & 58. & 59. item 2. lib. ca. 15. item 7. lib. cap. 19.
Anima deuota debet habere camisiam, tunicam calceos monile, & pallium. 1. lib. ca. 7. per totum.
Animam non semper vexat diabolus dum vexat corpus. 1. lib. cap. 32.
Animas occidere vendere, & crucifigere quid est. 1. lib. ca. 41.
Animæ cuiusdam sacerdotis graue iudicium. 2. li. cap. per totum.
Anima fidelis notatur per reginam, quæ venit ad Salomonem. 2. l. cap. 4.
Animæ descendunt ad infernum, sicut arenea. 2. libr, cap. 6.
Anima primi boni militis gloriosa recepta fuit in cælum. 2. lib. cap. 11. per totum.
Animarum pulchritudo non potest videri in hac vita, sicut est. 2. libro, cap. 18. item 5. libro. interro. 15. respon. 2.
Animæ quare apparent in similitudine hominum. 2. lib. cap. 18.
Animæ descendunt in abyssum, sicut nix, 2. lib. ca. 20. item 4. lib. cap. 103.
Anima fidelis tenetur habere in tria, 2. lib. cap. 21.
Anima quare coniungitur corpori. 2. lib. cap. 29.
Animæ constantia vnde venit. 2. lib. cap. 29.
Animæ peccatrix, quam longe est a Deo. 3. lib. c. 13.
Animam suam non debet homo contemnere, 3. libro, cap. 13.
Anima cuiusdam tunc viuentis iudicata fuit ad graue purgatorium precibus Mariæ, & sanctarum, 4. libro, cap. 7.
Anima in purgatorio participãt bonis, quæ fiunt à viuis in mundo. 4. lib. 7. & 9. item 6. libr. cap. 52. item 7. lib. cap. 14.

Anima

Digitized by Google

INDEX.

Animæ in purgatorio orant pro adiutoribus suis vivis. 4. lib. cap. 7.

Animarum pro salute laborare quam salubre est, & necessarium. 4. li. ca. 71. & 31. item. 6. li. cap. 47.

Animas hominum diligere iubet Deus. 4. lib. ca. 48. item 8. lib. ca. 7.

Animæ cuiusdam iudicium, & graue purgatorium. 4. li. ca. 51. per totum.

Animarum duarum damnandarum horribilis visio. 4. lib. ca. 52. per totum.

Animabus dupliciter prosunt boni sacerdotes. 4. libr. cap. 62.

Animæ præcognitæ sunt Deo quales futuræ erunt. 4. lib. cap. 67.

Anima peccatrix sicut Lazarus quadriduanus in sepulchro suscitabitur. 4. lib cap. 72.

Anima hominis quã nobilis, & digna est. 4. li. c. 74. item 5. lib. cap. 15. resp. 2. & inter 16. resp. 5.

Anima per tria copulatur cum Deo, sicut cum sponsa sponso, sed diabolus nititur eos separare. 4. libr. cap. 75.

Anima deuota habeat os aures, oculos, & cor. 4. lib. cap. 81.

Anima quasi fenix ex charitate renouatur. 4. l. c. 87.

Animas quam astute quærit diabolus. 4. libr. cap. 65.

Animæ cuiusdam religiosi terribile iudicium, 4. libr. cap. 102.

Anima sancta tria tenetur habere. 4. lib. cap. 17. item extra. 83.

Anima quando sciatur esse sana, aut infirma. 4. libr. cap. 115.

Anima habeat tria quibus se promoueat. 4. li. c. 115.

Animarum zelator est, sicut animal timens umbram suam. 4. libr. cap. 125. & 130.

Anima dicitur cor animalis, & quam dilecta est Deo. 4. lib. cap. 129.

Animæ iustæ, & iniustæ, quam dissimiles sunt. 5. libr. inter. 5. resp. 1.

Animæ morientium in vtero Matris, vbi manent. 5. lib. inter. 6. resp. 1.

Anima Mariæ quam pulchra erat coram Deo. 5. libro reuela. 2. post interr. 16.

Animæ cuiusdam propter tria mala damnatio. 6. lib. cap. 28. per totum.

Animæ cuiusdam horribilis visio iudicium, & damnatio. 6. lib. ca. 31. per totum.

Anima peccando fit similis diabolis. 6. li. c. 31. et 51.

Animas sanctas, quam dulciter suscipit Deus. 6. libr. cap. 31.

Animæ cuiusdam militis strictum iudicium, & grauis purgatio. 6. libr. cap. 39. per totum.

Animæ cuiusdam grauis purgatio describitur. 6. lib. cap. 52.

Anima Mariæ, quam honorifice suscepta est in cœlis, vide in Assumptio, &c.

Anima per quæ fit pulchra, & per quæ deformis. 6. libro, capitulo 64.

Animæ in purgat. per quæ possunt iuuari. 6. li. cap. 66.

Anima beatæ vident faciem Dei. 6. libro, capitulo 5.

Animas possidere quo incipit diabolus. 6. lib. ca. 78.

Animæ beatæ, vbi erant a resurrectione Christi, vsque ad eius Ascensionem. 6. lib. ca. 94.

Animas iuuat Maria in morte, sicut mulier parientem. 7. lib. cap. 13.

Animæ domini Caroli filij sanctæ Brigittæ iudicium, & saluatio, & describitur. 7. libr. 13.

Anima semel intrans infernum nunquam liberatur. 7. libr. cap. 19.

Animam certant obtinere Angelus, & dæmon. 3. libro, cap. 43.

Animam Regis purgandam non valuit Angelus tangere, nec dæmon videre. 8. lib. cap. 48.

Animas iuuant Angeli in iudicio Dei. 8. libr. cap. 48.

Animas consolantur Angeli in purgatorio, & mitigant pœnas. 8. lib. cap. 48.

Anima Mariæ qualiter, & quantum erat diuina charitate inflammata, & ornata virtutibus, ser. an. 13.

Anima Mariæ dignissima fuit summis meritis, sermone ang. 21.

Animal ferox dicitur cupiditas mundi, & delectatio. 2. lib. cap. 29.

Animal in statera dicuntur christiani non imitantes verba euangelica, & quomodo tales debeant conuerti. 4. lib. 2. & 129.

Animalia septem signantia septem episcopos. 4. libro, cap. 125. per totum.

Animalia cur non habent intellectum rationalem. 5. lib. interrog. 9. respon. 3.

Animalia cur patiuntur infirmitates. 5. lib. interrog. 14. respon. 1.

Animalia cur pariunt cum dolore. 5. li. interrog. 14. respon. 2.

Animali famelico assimilatur diabolus. 6. lib. cap. 39.

Animalia indomita dicuntur aliqui homines. 8. libro, cap. 18.

Animalibus facit Deum misericordiam, & iustitiam. 8. lib. cap. 48.

Animalia sunt adiutoria hominum. 8. lib. cap. 48.

Animal quasi indomitũ est corpus hominis extr. 51.

Animus bonus vnde occiditur. 1. lib. cap. 3.

Animus incostans quam nociuus est, 6. lib. ca. 52.

Annæ, & Ioachim coniugium castissimum fuit. 1. lib. cap. 9. item serm. ange. 10.

Anna est mater, & domina coniugatorum. 6. li. 104

Anna dotes offere pro coniugatis. 6. lib. cap. 104.

Anna dicitur Dei gazophilacium, serm. ang. 10.

Anni mille sunt apud Deum quasi vna hora. 3. libro cap. 4.

Annulus animæ est fides vera. 3. libr. cap. 24.

Annulus digiti Dei nimis strictus dicitur animæ. & quomodo debet extendi. 3. lib. cap. 34.

Annunciatio Virginis Mariæ, & Christi gloriosa conceptio pulchre describuntur. 1. libro, cap. 10. & 45. item 2. libro, cap. 13. item 3. libro, cap. 8. item 6. libro, cap. 59. & 88. item 8. libro. cap. 1. item sermon. angel. 14. item 1. oratione.

Ansoni comparatur dispositio ecclesiæ. 4. lib. 16.

Antidotum animarum dicitur corpus Christi. 6. libr. cap. 66.

Antipendium animæ dicitur corpus. 4. lib. 25.

e 3 *Anti-*

Antichristus, quando, & vnde nascetur 6. lib. 67.
Antichristi multi sunt in mundo. 6. lib. 89.
Anxiari de quo debet homo, & de quanto. 8. li. c. 48.
Aperiuntur malis militibus lux operture. 2. lib. 9.
Aperitur homini cælum in baptismo. 5. lib. interrog. 10. respons. 6.
Apes maiores significant peccatores. 1. li. ca. 44.
Apes qualiter fructificant. 2. lib. cap. 19.
Apes bona regi sub, sic boni christiani Christo faciunt triplicem reuerentiam. 2. li. 19.
Apes infirmæ ex tribus cognoscuntur sic mali christiani. 2. lib. cap. 19.
Apes sanæ ex tribus cognosci possunt sic, & boni christiani. 2. li. cap. 19.
Apum malarum triplex cauenda est malicia sic, & malorum christianorum. 2. li. cap. 19.
Apibus comparantur amici Mariæ Virginis, 4. libr. cap. 86.
Apis benedicta dicitur Christus. 6. li. ca. 11.
Api bonæ assimilat se Christus. 6. li. cap. 44.
Apis, vt ad florem in folliculo habuit se Deus ad Mariam in matris vtero serm. ange. 11.
Apiario simile erat corpus Mariæ. 6 li. ca. 11.
Apocalypsim reuelauit Deus S. Ioanni, 1. lib. c. 46.
Apocalypsim cur ostendit Deus sub obscuritate. 6. lib. cap 110.
Apostata fit, qui relinquit suum monasterium. 6. libr. cap. 68.
Apostatauit quomodo, & quando primus homo, sermone angelico 8.
Apostoli electi cur non fuerunt Reges, & Duces, 4. lib. cap. 75.
Apostoli obtulerunt Deo nuces, quasi semiplenas, 4. libr. cap. 109.
Apostoli cur facti sunt piscatores, & non doctores, 4. li. ca. 113.
Apostoli quantum laborabant pro animabus, 6. libro, cap. 7.
Apostoli tripliciter acceperunt Spiritum sanctum. 6. li. ca. 36.
Apostolorum magistra fuit Maria. serm. ang. 19.
Apostoli alijs cur prætulit Christus Petrum extra. 36.
Apparuit Christus primo Matri suæ, cum resurrexit. 6. li. ca. 94.
Appropinquare Deo quam salubre est 4. lib. 172.
Appropinquare Deo quid est. 4. li. ca. 172.
Appropinquat Deus desiderantibus se. 4. li. c. 172.
Aqua in naui dicitur voluptas in carne. 1. li. 150.
Aquam bibere cum pane spiritualiter quid est. 3. li. ca. 11. Item 4. li. ca. 120.
Aquæ superiores, & inferiores dicuntur cogitationes bonæ, & malæ 4. li. ca. 66.
Aqua fontis quomodo scitur esse bona, vel non, & quid significet. 4. li. ca. 74.
Aquis comparantur lacrymæ hominis [illegible]. 4. li. ca. 81.
Aquis lacrymarum [illegible]. 4. lib. [illegible]
Aqua mobili dicitur vita ista. 4. li. ca. [illegible]
Aqua lacrymarum delet peccata. 7. li. ca. 135.
Aqua lacrymarum quam odiosa est diabolo. 7. lib. ca. 13.
Aquila significat homines superbos, 1. li. ca. 17.
Aratri more ordinentur sensus hominis ad vtilitatem proximi. 2. lib. ca. 27.
Aratro comparat se Petrus Apostolus. 4. li. ca. 5.
Aratro suo veniet Deus super mundum. 4. li. ca. 30.
Arbor virtutum quid est, & qualiter crescit. 1. libro, cap. 43.
Arbores in luco dicuntur Sacramenta in Ecclesia. 2. libro, cap. 5.
Arbori bene radicatæ debet homo similis esse tripliciter. 6. li. ca. 30.
Arbor virtutum dicitur charitas. 6. li. ca. 120.
Arbor bona spiritualiter qualiter fiet homo. 8. libro, capitulo 10.
Arboribus florigeris similiantur opera Mariæ, serm. angelico 5.
Arbor pulcherrima, & præcelsa dicitur Virgo Maria, serm. ang. 8.
Arboribus decoris comparantur deuota coniugia, serm. ange. 16.
Arca testamenti in qua tria erant dicitur Maria. 1. lib. ca. 53.
Arca Noe sicut erat coram eo, antequam fabricaretur, ita Virgo Maria coram Deo antequam crearetur, serm. ang. 2. per totum.
Archiepiscopo cuidam præcepit Christus assumere verba istarum reuelationum, & laborare in eis, extra. lib.
Arcui nubium comparatur Virgo Maria. 3. li. ca. 10 item 4. li. ca. 78.
Ardebat quantum Christus ad patiendum pro homine. 2. li. ca. 15.
Ardor Spiritus sancti, & spiritus maligni differunt. 1. lib. ca. 54.
Arguunt Christum mali christiani, & blasphemant, 1. libr. cap. 30. & 46. & 47. item 4. libro cap. 3. item 4. libr. cap. 90.
Argui quomodo debent peccatores. 7. lib. cap. 7.
Aristis assimilantur peccata. 4. lib. cap. 8.
Arma militum spiritualia, quæ sunt. 2. lib. cap. 6. item 2. lib. cap. 10.
Arma militiæ spiritualis, & qualia sunt. 4. cap. 74.
Arma iniquorum, quæ sunt. 4. lib. cap. 95. & 96.
Arma triplicia necessaria sunt ad pugnam. 6. lib. 43.
Arma historiæ spiritualia, quæ sunt. lib. 43.
Arma pectoris dicitur affectus ad Deum. 6. lib. 43.
Arma brachiorum dicuntur bona opera. 6. lib. ca. 43.
Arma pedum dicitur contritio. 6. lib. 43.
Arma proijciunt a se inimici Dei, 6. lib. 43.
Arma præstat Maria [illegible] extra. 89.
Armatus [illegible] 4. lib. 8.
Arrogantia quid est. 7. lib. 27.
Artes [illegible] 4. lib.
Articuli fidei de humanitate Christi, patent 2. libro, cap. 2.
Ascendit [illegible] populi [illegible] 2. li. ca. 10.

Ascen-

Ascendit qualiter Deus in mentibus hominum, quarto libro. cap. 2.
Ascendit homo per tribulationem mundi, 4. lib. cap. 12. & 25.
Ascendere quando dicitur Spiritus Sanctus in homines, 5 lib. inter. 16. respons. 3.
Ascendendum quomodo est spiritualiter, 6. lib. capit. 119.
Ascenditur ad cor Dei humilitate, extra 93.
Asilus habet ab apibus triplicem reuerentiam, & ipse ab eo triplex bonum. Sic Christus, & boni Christiani, 2. li. cap. 19.
Asino siluis factus est populus christianus, 2. libr. cap. 20.
Aspersorio similantur dantes malum exemplum, 6. li. cap. 52.
Assatura diaboli dicitur conuersatio mundana, 4. lib. cap. 114.
Assumptio animæ Gloriosæ Virginis Mariæ in Cœlum describitur, 1. lib. cap. 8. & 9. & 46. & 50. Item 6. lib. cap. 12. & 62. Item sermo ange. 20. & 21. Item prima oratione.
Assumptio corporis Gloriosæ Virginis Mariæ in Cœlum probatur, 1. li. ca. 8. & 9. & 46. & 51. Itē 6. li. 12. & 62. Item 7. li. 25. & 26. Item serm. ange. 20. & 21. Item prima oratione.
Assumpt. Mar. cur non fuit multis cognita, 6. li. 61.
Attrahit sibi Deus homines sicut pastor oues, 4. libr. cap. 12.
Auaritia mentis quæ est, 5 lib. ca. 39.
Auaritia qualem pœnam meretur, extra 75.
Auarus dicitur habere os papilionis, 3. li. ca. 14.
Auarus homo assimilatur fornace, 4. li. 4. & 68.
Auarus similis est lupo, & vulturi. 4. lib. 52.
Auarus dicitur vas pessimum, 6. lib. 56.
Audiri a Deo, qui non merentur, 1. li. 39.
Audire quid debet homo, & quid non, 2. lib. 14. Item 6. lib. 17.
Audire tantum vna cum aure spiritualiter, quid est, 4. lib. 98.
Audire quæ debet homo, 5. lib. inter. 1. respons. 3. Itē 7. lib. cap. 5.
Audire vocem Christi, quam salubre est, 6. li. ca. 15.
Audire volens verba Dei male habebit, 2. li. ca. 28. & 52.
Audire mundialia nociuum est, 6. li. 39.
Audire quomodo potest homo eos, qui sunt in cœlo, in purgatorio, aut in inferno, 6. li. ca. 52.
Auditum animæ nititur diabolus impedire, & obstruere, primo li. ca. 34. Item 3. li. cap. 2. Item 4. lib. cap. 120.
Auditus spiritualis præponderare debet corporali, 2. lib. cap. 14.
Auditus mundialis frigefacit animam, 2. li. ca. 23.
Auditus dicitur ostiarius animæ, 6. li. ca. 5.
Aue Maria legat homo pro subita ira, vel offensa, extra. 65.
Auferre homini quid vult diabolus, 6. li. ca. 43.
Augustinus regulariter vixit ante Episcopatum, & post, 3. li. ca. 28.
Auis cupida dicitur superbia, & ambitio, 2. li. c. 29.
Auis tincta pice dicitur amicitia mundi, 2. li. ca. 19.
Auis rapax dicitur diabolus, 4. li. ca. 95.
Auibus predacibus similantur dæmones, 6. li. ca. 21.
Auis volens comedere recens cor. dicitur Christus, extra 40.
Aures habere in fronte quid est, 1. li. ca. 23.
Aures caninas habere spiritualiter quid est, 3. li. 52.
Aures habere abscisas spiritualiter quid est, 4. li. 52.
Aures habere mundas quid est. 4. li. ca 82.
Aure altera surdum esse quid est. 4. li. 58.
Aures quare datæ sunt homini, 5. li. inter. 1. resp. 3.
Aures similes habent dæmones, & peccatores, 6. lib. 11.
Aures Mariæ quomodo laudentur, 4. orat.
Aurifabro, qui mittit aurum suum venale comparat se Christus, 2. lib. cap. 14.
Aurifabro assimilatur Virgo Maria. 4. li. cap. 19. & 74.
Aurifici similis fuit voluntas Mariæ, sermo ang. 20.
Auriga istorum dicitur bonus Angelus, 4. li. ca. 17.
Auriga malorum est diabolus, 4. li. ca. 17.
Aurora significat Virginem Mariam, 1. li. ca. 50. Itē 4. li. ca. 9. Itē extra 50.
Auro in incude assimilatur Maria, 1. li. ca. 20.
Aurum preciosum dicitur anima hominis, 1. libr. cap. 31. Item 2. li. ca. 7. Item 6. li. ca. 21.
Auro comparatur passio Christi, 4. li ca. 114.
Aurum quasi fulgens fuit caput Mariæ, 5. lib. reuelationum post inter. 9.
Aurum dicitur sapientia diuina, 4. li. ca. 4.
Aurum tanquam in fornace purgabitur anima, 6. li. cap. 31.
Auctoritas Papæ notatur in auro, in regula. 31.
Auctoritas prælatorum magna est coram Deo, extra. 37.
Auxilium præstant sibi inuicem boni, & mali Christiani sicut apes 2. li. 19.
Auxilium fert Maria volenti resurgere, 4. li. 19.
Auxilium dans peccatori non erit immunis a pœna 5. lib. in reuel. post inter. 8.
Auxilium infirmorum est corpus Christi, li. 6. ca. 23. & 29.
Auxilijs humanis, quandoq; agendum est. 8. li. 53.
Auxilium dat Deus laborantibus pro se. extrauag. 79.

DE LITTERA B.

Baculis similia erunt crura peccatorum, sexto lib. 52.
Balaam habuit scientiam sine fructu suo. 5 lib. inter. 13. resp. 4.
Balnea prohiberi non debent etiam sanis extra
Balneis vti possunt amici Dei, extra 60.
Baptismi carentia impedit visionem Dei, 3. lib. 26. & 28.

Bap-

Digitized by Google

Baptismus triplex describitur, 3. li. 26.

Baptismus vnde habet effectum, & ad quid valet, 4. lib. 74.

Baptismus ad quid est institutus, 4. li. 116. Item 5. lib. inter. 14. respons. 3.

Baptismus quam necessarius est homini, 5. lib. inter. 6. respons. 1.

Baptismo hominis adest Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, 5. li. inter. 10. respons. 6.

Baptismus est via facilis ad cœlum, 5. lib. inter. 10. respon. 6.

Baptismus restituit homini innocentiam, 5. lib. interr. 14. resp. 4.

Baptismus contemptus quomodo punietur, 8. li. 48. 3

Baptizari cur voluit Christus 5. li. interrog. 10. respon. 6.

Bartholomæus Apostolus commendatur, extra. 34.

Beati erunt sequentes verba istarum reuelationum, & complent opere &c. vide in Falix.

Bellare cum diabolo quomodo debet homo, 4. libro cap. 106.

Bellare cur permittit Deus homines iratos, 5. li. inter. 6. respons. 5.

Bellare volens contra paganos spem ponat in Deo, 6. li. 41.

Bellum mirabile duorum spirituum in corde cuiusdã Reginæ describitur, 4. li. 4. per totum.

Bellum mouet diabolus contra Deum, 7. li. 11.

Benedicit, laudat, & commendat Christus pulchre Virginem Mariam, 1. lib. 5. & 16. & 20. & 46. & 50. & 51. per totum, & 52. & 53. & 58. Item 2. lib. 20. & 30. Item 4. lib. 58. Item 6. lib. 21. & 23. & 24. & 34. & 54. Item extra. 50.

Benedicit, commendat, & quam pulchre laudat Virgo Maria Christum, 1. lib. 5. & 19. & 20. & 37. & 46. & 50. & 51. & 52. & 53. & 58. Item 4. lib. 58. & 126. Item 6. lib. 21. & 23. & 42. & 54. Item extra. 50.

Benedicit Christus credentes se esse sub forma panis, 6. lib. 86.

Benedici quomodo debeant personæ ordinis Sancti Saluatoris, in regula 10. & 11. per totum.

Benedici quomodo debeat abbatissa, ordinis sancti Saluatoris, extra. 22.

Benedictiones vberrimas imprecatur Maria ordini, et personis Sancti Saluatoris, extra. 39.

Benedictus Abbas habuit quintuplicem vestem, 4. li. 127.

Beneficia Dei ducunt nos in eius cognitionem, 1. lib. cap. 15.

Beneficia aliqua facta iudæis ostenduntur, 1. libro, cap. 41.

Beneficia cur ostendit Deus hominibus, 4. li. ca. 15.

Beneficia viuorum iuuant animas defunctorum, 4. li. cap. 7. & 8. & 9. Item 6. lib. cap. 51. & 52. Item 7. libro cap. 14.

Beneficia dare indignis clericis peccatum est, 8. lib. cap. 52.

Bestiæ quasi feroces sunt inimici Christi, 1. li. ca. 6.

Bestiæ aperto ore dicuntur homines cupidi, 4. libro, cap. 104.

Bestiæ quæ priuantur vellere dicuntur homines simplices, 4. lib. cap. 104.

Bestias feroces cur creauit Deus, & quare nocent, 5. lib. interr. 3. resp. 2.

Bestiæ indomitæ dicuntur mali homines, 8. libro, cap. 18.

Biblia vocatur aurea scriptura, 4. lib. cap. 1. Item extra. 3.

Biblia quodlibet verbum emanauit a Deo, extra. 91.

Brigitta in vtero iacente Mater eius a naufragio saluata est. In vita eiusdem.

Brigitta miraculose loqui cepit ex Bonifatio nono In Bulla canonizationis.

Brigitta septennis per Mariam coronata fuit. In vita eiusdem.

Brigittam matertera sua volente verberare virga in frusta comminuta est. In vita eiusdem.

Brigitta vidit diabolum quasi habentem centum manus, & pedes. In vita.

Brigittam periclitantem in partu visitauit Virgo Maria. In vita.

Brigittæ petit Angelus a Deo misericordiam cum virga, 1. lib. cap. 12.

Brigitta expulit dæmonem a quadam muliere, 1. lib. cap. 16.

Brigittæ præcepit Christus esse paratam credulam obedientem, & humilem, 1. li. ca. 20.

Brigitta liberauit quendam obsessum monachum, 1. li. cap. 32.

Brigittæ charitatem ad Deum fatetur diabolus, lib. 1. cap. 34.

Brigittam quare tantum dilexit Christus, 1. libro, cap. 34.

Brigittam assignauit Deus Pater, Christo tanquam ouem regendam 1. lib. cap. 38.

Brigittæ promisit Christus ostendere effigiem corporis sui, secundo lib. ca. 10.

Brigitta quam firma fuit in fide, 2. li. ca. 17. Item 3. li. cap. 11. Item 4. li. cap. 78.

Brigittam quare, & quomodo vocauit Deus in spiritum suum, 2. li. ca. 18. & 19. Item 3. li. ca. 5.

Brigittæ facit Christus tria mirabilia, 2. li. ca. 18.

Brigitta reputabat se peccatricem, & indignam visitatione Dei, 2. li. ca. 18. Item 4. li. ca. 60. & 67. Item 6. li. ca. 52.

Brigitta tangente latus cuiusdam Episcopi sanatus est a costifragio, 3. l. ca. 12.

Brigitta erat sicut vas quod impletur, & euacuatur, 3. l. cap. 14.

Brigitta fuit canalis Spiritus sancti, 3. l. ca. 30. Item extra. 47.

Brigitta fuit vt pauper mulier habitans circa montem diuitis domini, 4. l. ca. 31.

Brigitta fuit quasi agnus, 4. l. ca. 39.

Brigittæ quam dulcia fuerunt verba Christi, 4. l. c. 77. Item 6. l. ca. 52.

Bri-

Brigittam dilexit Christus, vt dominus seruum, pater filium, & vir vxorem, 4. lib. cap. 83.
Brigittæ quidam fingens se ebrium contumeliose loquebatur, & eius patientia. 4. lib. cap. 123.
Brigittæ corona ex septem pretiosis lapidibus describitur 4. lib. cap. 124. per totum.
Brigittam allexit Angelus ad Christum cui iterum assignauit eam custodiendam 6. lib cap. 14.
Brigittam quasi captiuauit Christus. 6. libr. 14.
Brigittam docuit Maria resistere tentationibus. 6. lib. ca. 17. & 94. item extraua. 57.
Brigitta visa est impleri igne cælesti. 6. lib. ca. 30.
Brigitta visa est habere 7. coronas. 6. libr. cap. 36.
Brigitta fuit vas vini Christi. 6. lib. cap. 52.
Brigitta oratione liberauit mulierem a dæmone incubo. 6. lib. cap. 80.
Brigitta sensit mirabilem motum cordis in natali Domini. 6. lib. cap. 88.
Brigittam vocat Maria nurum filij sui. 6. lib. ca. 88.
Brigittæ sanctitati detrahere periculosum est. 6. libro. item post vitam eius miraculis. 6. 7. & 8.
Brigitta quantum dilexit Virginem Mariam. 7. libro, cap. 1. item extrauag. 63.
Brigittæ prædixit Maria, quod iret in Hierusalem. 7. libro, cap. 1.
Brigitta miraculose obtinuit reliquias sancti Thomæ. 7. li. cap. 4.
Brigittæ præcepit Christus se parare ad iter Hierusalem. 7. lib. cap. 6. & 9.
Brigitta qualiter succurrit animæ filij sui Caroli. 7. li. cap. 13.
Brigittæ prohibuit Christus mutare vestes, & faciem. 7. lib. cap. 16.
Brigittæ fœlix obitus, & translatio a Christo prædicitur. 7. lib. cap. 31.
Brigitta commendatur de progenie sua. 8. lib. in prologo. cap. 3. Et de paupertate, & de peregrinatione ibidem. De virtuosis confessoribus. s. De humilitate obedientia, & patientia. & charitate ibidem, & declaratur bene disposita ad obtinendum diuinas reuelationes.
Brigittam docuit Christus quid fugere debuit, & quid facere ante regulam reuel. 3.
Brigitta quam mirabiliter obtinuit regulam S. Saluatoris, in regula, cap. 1. & 19.
Brigitta habuit veram fidem charitatem, & humilitatem, in regula ca. 30.
Brigitta petit auxilium Mariæ ad regendum corpus s. extra. 52.
Brigitta vidit ollam ignem, & puerum sufflantem, extrau. 54. & 95.
Brigitta apparuit eleuata in aerem, extr. 55.
Brigitta quam obediens fuit Deo, extra 62.
Brigittæ præcepit Maria obedire sanctæ Agneti, extrauag. 63.
Brigittæ promisit Maria ostendere Christum, & eius passionem, extr. 66.
Brigittam consolata est Maria paulo ante mortem, extrau. 67. & 68.
Brigittæ magna pietas erga pauperes patet, extra. 70.
Brigitta fœtore, & sapore sensit præsentiam malorum hominum, extrau. 81.
Brigittæ protector erat s. Dionysius, extr. 92.
Blasphemant qualiter aliqui homines Christum. 1. lib. ca. 5. & 46. & 58. item 2. libr. cap. 3.
Blasphemabant Christum iudæi in sua passione. 1. libr. cap. 10. & 27. & 30. item 4. lib. cap. 20.
Blasphemari cur permittit se Christus a malis, 5. inter rog. 12. respon. 5.
Blasphemans Christum dicitur accipere eum per crines. 1. lib. cap. 18.
Bona Ecclesiæ quare permissa sunt clericis. 2. libr. cap. 7. item 8. lib. cap. 1.
Bona temporalia ad quid sunt creata, & quomodo dispentur. 2. lib. ca. 14.
Bona Episcopalia sunt bona animarum, 3. lib. ca. 3.
Bona tria constituit sanctus Dominicus, 3. lib. cap. 17.
Bona minus bene acquisita quibus proficiunt erogata. 4. lib. cap. 8. & 13.
Bona temporalia discrete possessa non nocent. 4. libr. cap. 66.
Bona temporalia quare data sunt ecclesiæ. 4. li. ca. 76.
Bona ecclesiastica sunt propria Christi. 4. lib. c. 142. item extrau. 111.
Bona temporalia cur concessa sunt homini, 5. li. inter. 2, respon. 2.
Bonus nullus est ex se, nisi Deus, 5. libro. interrog. 7. respon. 4.
Bona temporalia cur dantur bonis, & malis. 5. libro, interr. 13. respon. 6.
Bona temporalia quomodo disponet homo vtiliter, 5. lib. interr. 16. respon. 6. item 6. li ca. 46.
Bona clericorum vltra necessitatem sunt pauperum, 6. lib. cap. 15.
Bonum omne habere quid est. 6. libr cap. 38.
Bona naufragorum rapere prohibet Christus. 8. libro. cap. 6.
Bona spiritualia quomodo acquirantur per temporalia, extrau. 88.
Bonitas ipsa est Deus. 3. lib. cap. 26.
Bos iratus significat hominem iracundum, 4. libro. cap. 52.
Brachium Christi est forte, rigidum, & dulce, 1. lib. cap. 3.
Brachijs assimilatur malitia. 1. lib. cap. 23.
Brachia duo dicuntur duæ operationes, 3. libr. cap. 3. item 4. lib. 126.
Brachia mundi, quæ dicuntur esse, 3. lib. cap. 6.
Brachio similantur amici Dei propter quinque, 4. lib. cap. 90. & 91.
Brachia cuiusdam damnati erant quasi manubria, 6. lib. cap. 52.
Brachia duo extendit Christus super homines. 6 lib. c.
Brinulphus Episcopus Scaren. commendatur de virtutibus, & sanctitate, 3. lib. cap. 30. per totum. item extrau. 108.
Bruci significant homines infideles. 2. lib. cap. 19.
Brucus describitur, & significat malos præl. 3. l. c. 15.

Digitized by Google

Brutis cur contingunt aduersa. 5. libr. interrog. 15. respon. 7.
Bubons similes sunt aliqui homines. 6. lib. cap. 45.
Bucella panis dicitur Dei dilectio, 3. libr. cap. 1. item 4. libr. cap. 116.

DE LITTERA C.

Cadit in chaos, qui vult sedere cum domina superbia 1. lib. cap. 29.
Cadunt aliquando electi Dei, & resurgunt. 1. lib. cap. 54. item 2. lib. cap. 14.
Cadunt cur honorabiles ad opera turpia. 4. li. cap. 20.
Cadit diffidens de bonitate Dei, 4. li. ca. 89.
Cadit in maiora, qui non attendit minima. 6. li. c. 114.
Calcare Christum quomodo dicitur homo. 1. li. ca. 18.
Calcare dorsum Christi qualiter dicitur homo. 4. lib. cap. 99.
Calcei animæ describuntur, 1. li. cap. 7.
Calefaciunt animam diuersimode, spiritus bonus, & malus, 1. lib. ca. 54.
Calefacit animam meditatio passionis Christi. 6. libro, cap. 20
Calibis lamina dicitur charitas diuina. 4. li. ca. 129.
Calibs fortissimus fuit Christus. 4. lib. ca. 129.
Calor nimius dicitur amor mundi. 6. li. ca. 30.
Calor Spiritus sancti dicitur ignis pro hospitibus habendus. 6 li. ca. 65.
Calorem animæ, & corporis habet, qui confidit in Deo. 6 lib. ca. 84.
Caluarie locus commendatur. 5. libr. reuelat. 2. post interrog. 16.
Camera sancti sancti Francisci erat obedientia. 7. lib. capit. 3.
Camera salutis dicitur tugurium, extr. 97.
Camisia animæ dicitur vera contritio. 1. li. ca. 7.
Candidatrix bona dicitur contritio. 4. lib. ca. 39.
Canibus venaticis assimilantur peccatores. 4. lib. cap. 22. item 8 li ca. 18.
Caninas habere aures spiritualiter quid est. 4. libro, cap. 52.
Canonici non debent fieri laici. 4. li. ca. 33.
Canonicum quendam docuit S. Brigitta salubrem modum viuendi. 4. ca. 80. per totum.
Cantabunt adhuc gentiles gloria patri 6. li. cap 83.
Cantus sororum S. Saluatoris commendatur. 4. lib. ca. 32. item extr. 5. 6 & 7 & 113. & 114.
Cantus dum fit in ecclesia non debet homo girouagari. 4. lib. ca. 80.
Cantus sororum ordinis sancti Saluatoris qualis sit, extrauag. 4.
Cantus factus propter ostentationem displicet Deo, extrauag. 4.
Cantus Carthusiensium commendatur, extrau. 4.
Capillos habere, sicut vepres spiritualiter est. 4. libr. cap. 52.
Capilli cur tondentur ordinandi. 4. li. ca. 58.
Capillos Mariæ quomodo obtinuit sancta Brigitta, extrauag. 94.
Captiui dicuntur homines in triplici differentia, 4. libro, cap. 95.
Captiui diaboli dicuntur christiani, extr. 48.
Capulus gladij spiritualis quid est. 1. li ca. 89.
Caput animæ, seu ecclesiæ est corpus Christi, 3. libro, cap 24.
Caput hominis tria habet a pulchritudine Mariæ. 4. lib. cap. 19.
Caput ponere in os leonis spiritualiter quid est. 4. libro, cap. 39.
Caput animæ dicitur diuina charitas. 4 lib. cap. 115.
Caput hominis dicitur intentio, & voluntas, 6. libro, cap. 5.
Carbonibus similia sunt opera sine charitate. 4. libro, cap. 81.
Carbunculus quam habet virtutem, & quid significat. 4. lib. 124.
Cardinalis cuiusdam grave iudicium. 3. lib. cap. 11.
Cardinalis cuiusdam horribilis damnatio. 6. li. cap. 90.
Carina nauis dicitur delectatio corporis 1. lib. ca. 13.
Charitas Dei ad homines prædulcis, & per maxima describitur. 1. li. ca. 1. & 11 & 15. & 30. & 32. & 34 & 39. & cap 53. & 58. & ca. 59 item 2. li. ca. 2. & 15. item 3. li. 13. & 19. 30. item 4. lib. cap. 101. item 7. li. ca. 19.
Charitas Mariæ quanta erat ad Deum. 1. li. ca. 8 & 10. item serm. ang. 5 & 9 & 15.
Charitas Dei ad Virginem Mariam, quæ est. 1. libro, cap. 28.
Charitas Mariæ traxit Deum in ventrem eius. & fecit eam matrem Dei. 1. libr. cap. 50. item 5. libro, interr. 9. respon. 1. & in reuel. post interr. 9. & interrog. 10. respon. 1.
Charitas ad Deum interficit diabolum. 1. li. cap. 54.
Charitas Christi quanta est ad iudaos. 2. li. ca. 5.
Charitatem veram, qui dicuntur non habere, 2. libr. cap. 19.
Charitas vera quæ est. 3. lib. ca. 2.
Charitas Dei non firmatur in superbo corde, 3. libro, cap. 8.
Charitas diuina per quæ potest obtineri, 3 li. cap. 12. item 4. libr. cap. 81. & 107. & 126. item 1. extrauag. 50.
Charitas ordinata perfecta munda, & vera, quæ est, 3. li. cap. 28.
Charitas diuina fugat diabolum. 4. li. ca. 14.
Charitas vertit pœnas debitas in honorem. 4. li. ca. 34.
Charitas Dei est opertura armorum animæ, 4. libro, cap. 74.
Charitas coniungit animam Deo quam diabolus quadrupliciter impedit 4 lib. cap. 75.
Charitas diuina dicitur lapis sub cornu vnicornis, 4. lib. cap. 76.
Charitas Dei operta dicitur frigore, 4. li. ca. 79.
Charitate renouatur anima, sicut Fœnix igne, 4. libro, cap. 87.
Charitas diuina quomodo agnoscitur, 4. lib. c. 128
Charitas Dei significatur per tectum, 4. li. ca. 144.

Digitized by Google

Charitas Mariæ vicit seueritatem Dei. 5 lib. inte. 10. respon. 1.

Charitas Dei quomodo est ad omnes. 6. li. ca. 71.

Charitas diuina delet scripturam diaboli. 6 lib. c. 39.

Charitas diuina quam necessaria est homini, 6. lib. cap. 47.

Charitas Dei dicitur dominus honorandus. 6. lib. cap. 32.

Charitas quanta operatur. 6. lib. ca. 102.

Charitas Dei per quæ diminuatur in corde. 7. libro, cap. 11.

Charitas Christi maxima narratur. 7. li. ca. 19.

Charitatem habere ad animas præcipit Christus 7. libro, cap. 7.

Charitatem Dei attrahit homini timor. 8. li. ca. 48.

Charitas Dei significatur per oleum serm. ange. 3.

Charitas stabilus Angelos in cœlo. serm. ang. 4.

Charitatem magnam ostendit Deus populo Israel, sermone ang. 9.

Charitas diuina quomodo ornauit Mariam in anima, & corpore glorificauit, sermone angelico. 13. per totum.

Charitas Dei maxima ad homines ostenditur tribus exemplis, serm. ang. 15.

Charitas perfecta ad proximum, quæ est, extra. cap. 34.

Charitas diuina dicitur ignis sub olla. extr. 54.

Charitas diuina oratione impetratur, extr. 69.

Carnem suam affligens est verus miles Christi. 1 libro, cap. 6.

Carnales similantur principi coquorum, 6. lib. c. 76.

Carnis voluptas similantur gazophylatio. 1 lib. c. 15.

Carnis voluptas grauiter punitur. li. ca. 53.

Carnem suam quomodo refrenabit homo discrete. 4. libr. cap. 17.

Caro spiritualis dicitur patientia. 4. libr. cap. 90.

Carpentario assimilat se Christus, extrau. 49.

Castigari quomodo debent delinquentes. 6. li. ca. 22.

Castitate superbiens similis est vnicorni. 4. li. ca. 125.

Castitas triplex commendatur. 6 li. cap. 115. & 119.

Castra assimilatur ecclesiæ militans. 1. li. ca. 5 per totum. item 4. li. ca. 95.

Castrum corporis Christi dicitur eius Deitas. 3. lib. cap. 13.

Casus Angelorum differt a casu hominis, et in quibus. 8. lib. cap. 48.

Caudam serpentis sugere quid est. 6 lib. 35.

Caude vaccæ assimilantur superbi. 6. li. cap. 52.

Cauere sibi pro quibus debet homo. 2 libr. cap. 1. & 29. item 4. lib cap. 42. & 38. & 74. item 5. lib. inte. 7. respon. 1. item 6. li. ca. 65. & 99. item 8. libro, cap. 49.

Cauterium pudoris imponitur malis hominibus. 6. libro, cap. 52.

Cæcus quare vnus efficitur, & alter claudus. 2. lib, cap. 1.

Cæcus dicitur habens scientiam sine bono opere, 2. libro, capitulo 14.

Cæcus spiritualiter vade fit homo. 3. li. ca. 2. item 4. li. ca. 126. item 6. li. ca. 52.

Cæcus ad Deum, & spiritualiter quis esse dicitur. 5. lib. interr. 4. respon. 1 item 6. lib. cap. 45.

Cæci fiunt qui damnantur. 8. li. ca. 48.

Celebrare missam ex præsumptione periculosum est, 4. lib. cap. 102.

Celestia discrete desiderare qui l e ? 4 lib 71.

Cœlum datur baptizatis, qui moriuntur infra annis discretionis. 2. li. ca. 1.

Cœli gloria partim describitur. 1. li. ca. 15.

Cœli ingredi possunt diues, & pauper. 3. li. ca. 11.

Cœlo omnes insunt perfecti. 3. li. cap. 28.

Cœlum dicitur ciuitas gloriæ. 3. li. ca. 28. item 4. libro, cap. 15.

Cœlum qualiter aperit Deus peccatoribus. 1. li. c. 10.

Cœli ingressus per quid obtineatur. 5. li. interr. respo. 1. & resp. 2. item 6. li. 48. & 69.

Cœlum aperitur in baptismo. 5. lib. interr. 10. resp. 6.

Cœlum intraturus quam mundus sit. 5. li. ca. 19.

Cœli requies qualis est. 6. li. ca. 40.

Cerebrum nudum apparere spiritualiter quid est. 1. lib cap. 23.

Cerebrum fortificatur ex odore fumi. 4. lib. ca. 52.

Cerebrum prædictorum quale erit in pœna. 6. libro, cap. 52.

Certamen Christi in mundo, quam forte fuit. 3. libro, 13. item 4. li. ca. 58.

Certat Deus conscientia hominis. 4. li. ca. 109.

Certant Christus, & diabolus de homine 7. li. ca 11.

Choreæ assimilatur iste mundus. 1. li. ca. 17.

Chorizare in mundo spiritualiter quid est. 3. libro, cap. 2.

Cibaria superflua nociua sunt animæ. 6. li. ca. 70.

Cibus nouus dicitur abstinentia a tribus. 1. li. cap. 34.

Cibum qualem dat Deus animæ. 2. li. ca. 39.

Cibus optimus sapiunt Deo homines sancti. 2. Libro, cap. 30.

Cibus optimus in olla dicuntur iusti. 4. li. 11.

Cibus animæ dulcissimus est in fide Christi. 4 l. c. 18.

Cibus animæ sunt Charitas Christi. 4. li. ca. 63.

Cibus cur dedit Deus homini, 5. li interr. 3. respo. 2.

Cibus animæ sunt verba Dei. 5. lib. inter. 15. respon.

Cibus corporis differt a cibo animæ per tria. 6. libro, cap. 19.

Cibus animæ est corpus Christi. 6. lib. cap. 9. & 42.

Cibus hospitum animæ dicitur bona voluntas, 6. libr. cap. 65.

Cibus animæ quis, aut qualis debet esse 6. li. ca 66.

Cibus spiritualis sancti Francisci quis erat. 7. li. ca. 3.

Cibus ignitus incentiuus est luxuriæ. extr. 35.

Cibus desiderabilis dicuntur verba Christi. extr. 54.

Cineres dicuntur affectiones terrenæ, extr. 54.

Cingulum animæ describitur. 1. li. ca. 1.

Cingulum dicitur continentia 3. li. ca. 24.

Circuncidi cur voluit Christus, 5. libro. interr. 10. resp. 5.

Circuncisio cur cessit, & baptismus successit. 5. libro, inter. 10. respo. 6.

Cyrothecæ signant spem vanam. 6 li. ca. 2.

Ciuitas edificata a Deo dicitur mundus. 1.li.c.55.
Ciuitas probationis dicitur mundus. 4.li. c.28.
Ciuitas purgationis dicitur locus purgatorij. 3.libro, cap.28.
Ciuitas doloris dicitur infernus. 1.lib 28.
Ciuitas gloriæ dicitur cælum. 4.libr. cap.28. item 4. lib.cap.15.
Clamant qualiter damnati adinuicem. 4.li ca.113.
Clamat Deus ad homines multis modis, extra 82. vide in vindicta.
Clamorem facit diabolus ne anima loquatur cū Deo, 4.lib cap.75.
Clamor hominum carnalium coram Deo, est vt sonus lapidum collisorum. 5.lib. 2.reuel.post interr.12. item 6.li.ca.19.
Clamor laicorum clericorum, & claustralium qualis fuit olim, & qualis nunc est extra. 83.
Claritas sanctorum quam magna in cælis sit. 1.libro, cap.20.
Claritas Virginis Mariæ quinta est. 1.li.cap.31.
Claudit peccator labia à confessione sicut serpens dentes. 4.lib.ca.52.
Claudum esse alio pede spiritualiter quid est. 4.libr. cap 98.
Claues cœli dedit Christus Petro Apostolo. 2.li.cap. 7.item 8.li.ca.1.
Clauis domus animæ est desiderium Dei. 2.li. ca.27.
Claues cur traduntur clericis quando ordinantur. 4. lib.cap.58.
Clauis cordis est Spiritus sanctus. 4.li.
Clauis aurea dicitur contritio. 4.li.ca.107.
Claui crucis Christi, quam longi erant. 1.li.ca 27.
Clauis quatuor crucifixus erat Christus. 4.li. cap 70. item, extrau. 51.
Claustrales quomodo absque culpa possunt fieri prælati. 2.li.ca.7.item 4.li cap.26.
Claustrales quondam quam boni erant, sed modo ingrati, extrau. 83.
Clausula verborum Mariæ ad homines, quæ est. 3.li. cap.12.
Clausula finalis in locutione Dei ad homines, 3.libro, cap.12.
Clericorum malorum, & Papæ terribile erit iudiciū. 1.li.cap.41.
Clerici sunt iudices ciuitatis Dei, & differunt ab his qui olim erant. 1.li.ca.55.& 56.
Clericorum status notatur in Petro Apostolo. 2.lib. cap.7.
Clerici facti sunt leprosi, & muti. 3.li cap.20.
Clerici possunt habere familiam, & necessaria, 3 libr. cap.4.
Clerici cur ordinantur, & ad quid. 4.libr. cap.33. & 58.& 59.
Clerici quales deberent esse, & quales nunc sunt. 4. libr.cap.33.
Clerici dicuntur pauimentum effosum. 4.li. ca.49.
Clerici quales debent fieri, & eorum mores. 4.libro, cap.69.
Clericus in quibus corrigendus est. 4.li.ca.130.
Clericus non potest esse aduocatus in temporalibus. 6.lib.cap.9.
Clericorum bona vltra necessitatem sunt pauperum. 6.li.cap.15.& 70.
Clerici dicuntur vasa portata in Babylonem. 6. li. cap.26.
Clericis cur permissa sunt bona ecclesiæ. 8.li. ca.1.
Clericos indignos promouere peccatum est. 8. libro. cap.52.
Clerici plus olim dilexerunt Deum quam nunc. extrau.g.83.
Clypeus ad quid detur militi. 2.li. cap.13.
Clypeus animæ est consideratio passionis Christi. 4. li.cap.74.
Clypeus malorum est perfidia. 4.li. ca.95.
Cogitare quid debet homo vt placeat Deo, 1.li.cap. 2. & 39.item 2.lib.cap. 16.& 21.23. & 25. & 26.item 3.lib.cap.1.item 4.lib. cap.22. item 7. li.cap.5
Cogitare quid debet homo quando timet peccata sua. 1.li.cap.2.
Cogitabit quid homo cum accedit ad mensam, 3.l.cap. 1.item 4.li.cap.94.& 126.
Cogitare quid debent coniugati, & quid religiosi. 4. li.ca.18.item 6.li.ca.27.
Cogitare quid debent diuites, & honorati. 4.libr.ca. 17.item 6.li cap.17.
Cogitare quid suadet diabolus pœnitenti. 4.li.ca.25.
Cogitabit quid homo in refectione corporis, & vsu temporalium. 4 li.ca.129.
Cogitare quid debet homo de Deo, 6.li.ca.13.
Cogitabit quid homo, vt veniat ad Deum. 6.libro, cap.44.
Cogitare quid debet homo contra vitia 6 li.ca.65.
Cogitare diuersa suadens homini spiritus bonus, & malignus, &c. vide in Spiritus.
Cogitatio passionis Christi dicitur monile animæ, 1. li.ca.7.& 54.
Cogitationes male qualiter puniuntur. 1.li. ca.13.
Cogitatio Angeli qualis erat quando cecidit, 1.libr. ca.35.
Cogitatio suffocans spiritum in anima, quæ est. 1.lib. cap.47.
Cogitatio contra superbiam cupiditatem, & luxuriā. 2.li.cap.25.
Cogitatio quare venit homini contra velle suum. 3. li.cap.16.
Cogitatio insensata, quæ est, & audax. 3.l. ca.28.
Cogitatio retrahens hominem a Deo, quæ est. 4.l. cap.21.
Cogitationes circa suas sit homo sollicitus, 4.l.c.23.
Cogitatio cum homo primo euigilat in nocte. 4.lib. cap.126.
Cogitatio triplex hominum mundanorum. 6.l.cap.12
Cogitatio passionis Christi calefacit animam. 6. libro cap.20.
Cogitatio minima punitur, aut remuneratur, 6.libro cap.39.
Cogitationes spirituales fugere malum est, 6.li.c.39.

Colli-

Colligere Christum cum Martha, & Maria quid sit. 4. lib. ca. 71.
Colloquium animæ cum Deo est pœnitentia, & quomodo per diabolum impeditur. 4. li. ca. 75.
Colores tres quibus palliantur mala hypocritarum. 3. lib. cap. 14.
Color proprius clerici est humilitas. 4. li. cap. 69.
Color diaboli dicitur superbia 4. lib. cap. 69.
Colores duo in clypeo spirituali. 4. li. c. 74.
Colores habent homines superbi, sicut papilio. 4. l. c. 112
Coloribus diuersis simulantur verba Christi, 5. li. reuel. 1. post inter. 6 item 8 li. ca. 21.
Colores aureus albus, & rubeus significat sanctam Trinitatem 8. lib. cap. 48.
Columnæ tres sunt in libro superbiæ. 6. lib. ca. 39.
Columnæ sex sunt in libris cupiditatis, & inuidiæ. 6. lib. cap. 39.
Columnæ tres sunt in libro auaritiæ. 6. li. ca. 39.
Columnæ sex in libris accidiæ, & iræ, 6. li. c. 39.
Columnæ tres sunt in libro voluptatis. 6. li. cap. 39.
Comedunt corpus Christi boni, & mali, sed differenter. 2. li. cap. 2.
Comedere panem, & aquam spiritualiter quid est. 3. lib. cap. 1. item 4. li. ca. 126.
Comedere propter obedientiam, præualet ieiunio voluntario. 4. li. ca. 106. item 6. libr. cap. 49. & 111. item extra. 61.
Comedere quamdiu sedebis in mensa, extra. 65.
Comes itineris iustorum est Christus. 3. lib. cap 33.
Commisceri non audebant protoplasti ante Dei promissionem. 1. lib. ca. 26.
Commisceri non debent homines viuificato partu, extrauag. 56.
Commodum triplex habent bonæ apes a malis, sic, & christiani boni a malis, 1. lib. ca. 19.
Communitas populi dicitur laborator in ciuitate Dei. 3. lib. cap. 53.
Comminitas populi assimilatur tauro. 1. li. ca. 56.
Communitatem onerare non debent domini. 7 li. cap. 11.
Compassio dicitur vestis habenda pro hospitibus. 6. libr. cap. 65.
Compatitur Christus iudæis, sicut Dauid fecit Absalon, 2 lib. cap. 5.
Compatitur Deus afflictis hominibus, & miseriæ eorum, 6 li. ca. 2. & 52.
Compendium viæ dicuntur contritio, & confessio, 3. lib ca. 2.
Conceptio Christi ineffabilis, & honestissima in Maria pulchre describitur. 1. li. ca. 1. & 10. & 35. & 50. item 3. li. ca. 10. item 6. li. ca. 12. & 59. & 88. item 8. li. ca. … item serm. ang. 15. item oratione 1. plura vide in vocabulo, Annunciatio &c.
Conceptio hominis esset sine voluptate carnis si non peccasset. 1. li. ca. 26.
Conceptio Mariæ fuit aurea hora, & cur non erat omnibus nota 6 li. ca. 55.
Conceptionis Mariæ dies habenda est in reuerentia, ser. ang. 10.
Concepta fuit Maria sine peccato originali, 1. lib. cap. 9. item 5. lib. reue. 2. post interr. 16 item 6 lib. 49. item serm. ang. 10. item prima oratione.
Concordia cum Deo, & proximo dicitur vestis linea, 2. li. ca. 26.
Concupiscentia visus dicitur pluuia maculans animam, 2. li. ca. 23.
Concupiscentiam propter carnis diluuium venit super mundum, serm. ang. 8.
Confector vt vini ardentis est Deus. 8. l. ca. 44.
Confessio vera peccatorum, & frequens quantum prodest homini, & falsa nocet. 1. li. ca. 54. item 4. li. ca. 51. & 93. item 6. li. ca. 20. item 7. li. cap. 13. item 8. li. ca. 48. item extrau. 56.
Confessio reuiuificat bona opera peccatis mortificata. 2. li. ca. 27.
Confessio necessaria est sicut foramen in domo. 5. libr. reuel. 1 post. interr 12.
Confessione saluata est mulier a dæmone incubo. 6. libr. cap. 80. & 81.
Confessio non sufficit sine absolutione, 6. li. cap. 114.
Confessio reconciliat hominem Deo. 7. li. ca. 27.
Confessorum status qualis fuit olim. 3. lib. ca. 21.
Confessores Sanctus dicitur I lia. 3. li. ca. 27.
Confessor assimulatur ostiario, 4. lib. ca. 41.
Confessor quid debet cauere, 6. li ca. 71.
Confessores falsi qui dicuntur. 7. li. ca. 16.
Confessorem qualem quis debeat eligere. 7. libro, capitulo 16.
Confessorum doctrix fuit Virgo Maria, sermone angelica 19.
Confidentia in Deum dicitur gladius animæ, 4. li. c. 74.
Confidere nimium non habet homo, 3 li. ca. 19.
Confidere de misericordia Dei debet homo. 4 lib. ca 89.
Confidere non debet homo in aliqua sua virtute. 6. libro. cap. 109.
Confortatrix martyrum fuit Virgo Maria, ser. ang. 19.
Congregare quid debet homo in domum animæ. 1. li. ca. 32. item 2. li. ca. 24. & 25. & 26 & 27 per totum.
Coniugati quomodo cogitare debent, & viuere. 4. li. ca. 17. item 6 li cap. 27.
Coniugata potest esse qualis meriti cum virgine. 4. l. 71
Coniugatorum Mater est sancta Anna. 6. lib. ca. 104.
Coniugatorum monitrix fuit Virgo Maria. ser. ang. 19.
Coniugium parentum Mariæ castissimum fuit super omnia coniugia, 1. li. ca. 9. item 6. li. ca. 49. & 55. item serm. ang. 10.
Coniugia veteris, & noui testamenti differunt. 1. l. c. 26
Coniugij mali conditiones quæ sunt. 1. li ca. 26.
Coniugium bonum spirituale, habet 7. bona. 1. li. ca. 26.
Coniugium carnale in quibus differt a spirituali. 1. libr. cap. 26.
Coniugium contra statuta ecclesiæ fieri non debet. 4. li. ca. 9. & 51. & 125 item 7 li. ca. 4.
Coniugium habere debet duo bona. 4. li. ca. 83.
Coniugium non licet fieri partibus inuitis. 4 li. ca 107.
Coniugium quomodo differt a virginitate, 5. lib. interr. 12 resp. 1.
Coniugium superborum simile est commixtioni serpentum. 6. li. ca. 31.

Digitized by Google

Coniugium Christianorum duo requirit, 8.li.ca.9.

Conqueritur Christus, quod milites auersi sunt, 2.libr. ca 12. & 13.

Conqueritur Maria, quod homo non considerat dolorem suum. 3.li.ca.24.

Conqueritur Ambrosius super potentes mundi. 3.libr ca. 5. & 6. per totum.

Conqueritur Maria super malos sacerdotes, 3.libr.cap. 0. item 4.li. ca.78.

Conqueritur Maria quod homo negligit Christum, & sua verba, & opera, 3.lib.ca.13. & 25.

Conqueritur Maria super populum principes, & clerum. 4.li.ca.76.

Conscientia intelligit suggestionem diaboli, & dicit homini eligenda. 1.li.ca.54.

Conscientia hominis erit index sui. 2.li.ca.11 item. 4. li.ca.46. & 51 & 134. item 5.li.interr.16. resp.3. item 6.li.ca.31. & 6.

Conscientiam habere quid est. 2.li.ca.14.

Conscientia vnde deprauatur, & deprauata quid facit, 5.li.interr.16.resp.3.

Conscientia iustorum vtitur Deus ad honorem suum. 6. lib. ca.52.

Conscientiae recte non obedire quam malum est. 6.l. 52

Conscientia cuiusdam Regis apparuit quasi rota habens quatuor lineas. 8.li.48.

Conscientiam perforari cum ferro quid est. 8.li. 48.

Conscientia dicitur custos, in regula 28.

Considerare quid debet homo 6.li ca.6. & 14. & 26. Item 4.lib.29. & 20. & 22. & 52. & 74. & 85. & 89. item 6.l 20. & 27. item 7.l.16.

Considerare debet homo Christum septem modis, extra.ca.82.

Consideratio futurorum dicitur foramen galeae. 2.li.6.

Consideratio passionis Christi dicitur clyppeus animae. 4.li.74.

Consilia tria dat Maria volenti ire per arctam viam, 3.lib.2.

Consilia tria dat Deus hominibus. 4.li.ca. 4.

Consilia mala augent poenam. 4.li.ca.13.

Consilia decem danda homini conuerso. 4.li. 129.

Consilia fugienda, vel sequenda, quae sunt. 4.li. 142.

Consilia euangelica seruanda recitantur. 6.li.ca.46.

Consilia tria fugienda docentur. 6.li. ca.57.

Consilia euangelica seruantur per dilectionem. li. 116.

Consilia quatuordecim misit Christus cuidam Reginae. 6 li. 11.

Consilia nouem dedit Christus Reginae Cypri. 7.lib.16.

Consilia sex missa Regi Cypri. 7.libr.ca.18.

Consilia decem dedit Christus Regi Sueciae. 8.lib. ca.2. per totum.

Consilia salubria decem dat Christus Regibus. 8. libro, 4. per totum.

Consilia diuersa inspirant homini spiritus bonus, & malus, &c. vide in Spiritus.

Consilijs humanis quandoque agendum est. 8.li.53. &c. vide in remedium.

Consiliarios quales habere debent domini. 7.li. 6. item 8.lib. 2

Consiliarij iniqui, & adolatores fugiendi sunt. 8.lib. 16. & 17. 18. & 19.

Consolatione Spiritus sancti, qui digni sunt. 2.lib.22.

Consolatio spiritualis quid est. 4.li.12.

Consolatio datur post tribulationem. 4.li.ca.12.

Consolatio diuina dicitur cutis animae. 4.lib.115.

Consolatio maxima Adae erat, quod Christum, & Mariam ex sua generatione nascituros praesciebat. ser. ang.7.

Consolari volens turbatos peccat. 6.lib.39.

Consolantur Angeli animas in purgatorio. 8. li.48.

Consolatrix viduarum fuit Maria, ser. ang.19.

Consuetudo praua est contemnenda. 4.li.c.116. & lib. 8.ca.7.

Consuetudo mulierum deponenda. 6.li.16.

Consuetudo noua non introducatur. 8.li. ca.2.

Consuetudo bona mutari potest propter obedientiam, extra.61.

Consulit quid Deus homini, & quid diabolus: vide in Spiritus.

Consumere male laborem Christi, quid est. 1. li.40.

Contemplari semper non potest homo sicut, nec pugnans semper claudi, 4.li.12.

Contemplatio labore acquiratur, sicut Iacob obtinuit Rachel. 6.li.reuel.post inter.11.

Contemplatiuae vitae an praeponatur actiua. 4.lib. 118.

Contemplatiuam vitam quae significatur per Magdalenam tenere volens quibus habet necesse, & quomodo se habet. 6.li.65.

Contemnere quid debet homo. 4.li.18.

Contemptus religionis grauiter punitur. 6.li.95.

Contemptus pauperum grauiter punietur extr.75.

Continentia dicitur cingulum animae. 3.li.24.

Continentia vera, vel falsa, quae est, 4.li.22.

Continentia quantum placet Deo. 4.li. 94.

Continentia Iudith liberatus fuit populus, 4.li.99.

Continentiam vouere virum, & quomodo debent coniugati. 8.li.11.

Contradicunt Christo solum homines ex omnibus creaturis. 2.lib.45. & 46.

Contraria cur accidunt homini iusto. 5.li.interr.resp.1.

Contraria volens pati non est mutus 5.lib interrog.6. respon.2.

Contritionem obtinere quomodo potest homo. 1.lib.53.

Contritio perfecta, & stabilis liberat animam a poena, & culpa. 3.li.26. item 8.li.48.

Contritionem veram habere quam necessarium est, & quanta gratia. 4.li.7. & 9.

Contritio vera in vltimo puncto saluat. 4.li.51. item 8. lib.48.

Contritio dicitur colloquium animae cum Deo. 4.li.75.

Contritio est via ad cor Dei. 4.li.ca.101.

Contritio, & charitas omnia supplent. 4.li.109.

Contritio debet correspondere delectationi peccati. 6. li.102.

Contumelia quae imagini fit & ei cuius est imago. 1.l.37

Conuersatio mundi dicitur assutura diaboli. 4.l.114.

Conuersatio mundi dicitur soror peccatorum. 4.l.c.123

Conuersatio malorum foetet coram Deo. 6.lib.15.

Con-

Conuersatio Christi in mundo qualis erat.extrau.35.
Conuersio S.Pauli habetur.4.li.ca.6.
Conuersionem peccatorum expectat Deus vsque ad vltimum punctum,quod patet.6.li.97.
Conuersi quomodo sunt tractandi.4.lib.129.
Conuersis ad Deum decem sunt necessaria.5.l.ca.129.
Conuersi ad religionem diuersimode tentantur.5.lib.reuela.post inter.11.
Conuertere volens malos Christianos quomodo se habeat.4.li.2.& 129.
Conuertere volens paganos quid faciet.4.lib.126.item 6.li.41.item 8.li.43.& 46.& 47.
Conuertit Philippus Apostolus eunuchum.4.li.ca.21.
Conuertuntur multi doctrina bonorum.4.li.ca.21.
Conuerti possunt aliquando homines indurati.4.l.76.
Cooperari debet homo vt saluetur.4.lib.16.
Cooperari debet homo ad fugam peccati.4.l.c.126.
Cor Mariæ quam dolorosum erat ante, & post, & in passione Christi.1.lib.ca.10.& 20.& 25.58.item 2.li.21.& 24.item serm.ang.17.& 18.per totum.
Cor Christi qualiter fuit lancea perforatum.1.li.10.itẽ 2.li.21.item.4.lib.70.item 7.li.ca.15.
Cor Mariæ affixum fuit quinque lanceis in morte Christi.1.li.27.
Cor vnde spiritualiter infrigidatur.1.li.47.
Cor hominis sit quasi locus bonæ apis.2.lib.19.
Cor vacuum debet homo offerre Deo.3.lib.3.item 4.li.126.
Cor quomodo potest intelligere spiritualia.3.li.ca.6.
Corde superbo charitas Dei non firmatur.3.li.ca.8.
Corda iustorum quare aliquando indurantur.3.l.c.32.
Cordi hominis dat pulchritudo Mariæ tria bona.4.l.19.
Corda hominum defendit Deus sicut Aquila pullos.4.li.20.
Cor nimis durum quod esse dicitur.4.l.4.77.& 81.
Cordibus amicorum suorum vtitur Deus diuersimode.4.li.78.
Cor hominis ponit diabolus in vinculo.4.li.ca.107.
Cor hominis quomodo crescit in bono.4.li.112.
Cor nullam pati potest maculam.4.li.115.
Cor animæ dicitur desiderium diuinum.4.li.115.
Cor animalis præsentandum Deo dicitur animus hominis.4.li.129.
Cor quare dedit Deus homini.5.lib.inter.3.respo.5.
Cor cadere supra montem sulphureum,quid est.5.lib.reuel.post interr.15.
Cor hominis dicitur domus eius spiritualis.6.lib.65.
Cornua duo habere sicut papilio spiritualiter quid est.3.li.14.
Cornu vnicornij dicitur cor virile.4.li.ca.76.
Corona animæ dicitur castus affectus.1.li.7.
Corona Mariæ cum septem liliis, & septem lapidibus pretiosis describitur.1.li.31.per totum.
Corona humanitatis Christi est eius deitas.2.li.7.item 8.lib.1.
Corona pendens ante fores signat regnum cælorum.3.lib.4.
Coronam ponere sub pedibus quid est.3.li.ca.16.
Coronas electorum abscondit Deus in præsenti.4.li.22.
Corona animæ dicitur charitas.3.li.24.
Corona Regni quid est.4.li.2.
Coronã præparat homini tribulatio.3.l.15.31.et 124.
Coronam aufert impatientia.4.li.47.
Corona duplicatur in qualibet resistentia tentationum.4.l.61.item 6 li.17.& 93.
Corona dicitur obedientia.4.li.197.
Corona duplicatur volenti,& non potenti benefacere.5.lib.14.
Corona S.Brigittæ ex septem lapidibus præciosis describitur.4.li.124.per totum.
Corona dicitur Deus quæ nulli debuit imponi,nisi Mariæ.5.l.reu.post inter.9.
Corona sacerdotis est signum gloriæ.6.li.ca.35.
Coronam duplicat obedientia.6.li.65.& 121.
Corona duplex dabitur bono prælato.6.li.cap.65.
Coronam quibus diebus portabit Rex.8.li.ca.3.
Corona fulgida appellari potest quælibet virtus.ser.a.6.
Coronæ Dei dici possunt omnes virtutes eius præcipue tamen creatio Angelorũ hominis,& Mariæ.se.a.6.
Coronari volens in ciuitate debet probari in suburbio.& 4.li.15.
Coronatio Christi spinea, & amarissima describitur.1.li.10.& 27.item 4.li.70.item 7.li.15.
Corpus Christi quam nobile fuit in mundo, & pulchrũ.1.li.10.& 37.item 6.li.ca.1.& 58.
Corpus Mariæ quale iam est in cælo.1.li.42.
Corpus Christi consecrat etiam pessimus sacerdos.1.lib.47.item 4.li.61.
Corpus Christi verum sumunt boni,& mali,sed differenter.2.lib cap.2.item 4.lib.61.& 63.
Corpus suum cur permittit Deus contingi ab indignis.2.li.2.item 4.li.61.& 62.
Corpus quomodo decipit animam patet in milite damnato.2.li.8.
Corpus Christi qualiter depositum fuit de cruce.2.l.21
Corporis Christi sumptionem quatuor impediunt.3.l.ca.13.
Corpus Christi iuuat contra tentationes.4.li.10.
Corpus suum quomodo refrenabit homo discrete, & salubriter regat tractet & foueat.4.li.20.et 25.& 68 item 6.l.66.item in regul.24.item extr.57.
Corpus Christi oblatum confert triplex bonum.4.li.58.
Corporis Christi oblatio fugat dæmones.4.li.58.item 6.li.39.
Corpus Christi quare non videtur in propria forma.4.lib.61.
Corporis Christi veritas in similitudine panis probatur.4.li.63.
Corpus Christi sumens sumit deitatem, & humanitatem.
Corpus hominis sit,sicut vas vacuum,& moderatum.4.lib.63.
Corpus Christi mysticum describitur.4.li.84.
Corpora sanctorum custodiunt Angeli.4.li.19.
Corpus suum qualiter moderabantur Christus Io.Baptista,& Magdalena.4.li.8.
Corpus hominis habere debet quatuor.4.li.ca.115.
Corporis membra quare data sunt animæ.5.libro,

 interr.

interrog. 2. respons. 3.
Corpori cur aduenit infirmitas. 5. l. inter. 5. resp. 3.
Corpus cur patitur pœnam in morte. 5. libr. interrog. 5. respon. 5.
Corpus quare datum est homini, & non Angelis. 5. l. interr. 9. respon. 2.
Corpus Christi cur creuit per numerum annorum, & non in vno puncto. 5. l. inter. 10. respon. 4. & interr. 11. respon. 4.
Corpus simile Adæ cur assumpsit Christus. interro. 11. respon. 4. item 7. l. 12.
Corpus Christi consecrat, & sumit malus sacerdos sibi in malum. 6. l. 9.
Corpus Christi consecratur in altari vnde honorantur Deus, & Maria, aderant Angeli, gratias agunt iusti, 6. lib. 10.
Corpus Mariæ fuit quasi aluearium. 6. libr. 12.
Corpus Christi figuratum fuit in farina, & manna. 6. lib. 29.
Corpus Christi oblatio minuit purgatorium. 6. libro. cap. 39.
Corpus hominis cur debet esse vestitum. 6. lib. 46.
Corpus suum indiscrete affligere nociuum est. 6. lib. 91. & 121.
Corpora resurgentium cum Christo vbi manserunt. 6. libr. 94.
Corpus humanum cur assumpsit Christus. 7. l. c. 12.
Corpus Mariæ creatum est de purissimis elementis. serm. ang. 1.
Corpus Mariæ ornatum virtutibus, & fortificatum ostenditur, serm. ang. 2. & 13.
Corpus suum totum sumpsit Christus ex corpore Mariæ, serm. ang. 2. & 15.
Corpus hominis habere debet tria, extr. 85.
Corrigi qualiter debent peccatores. 4. lib. 74. item 6. li. 2. item 7. li. 18.
Corrigant prælati se, & subditos suos. 7. l. ca. 18.
Corrigere se quomodo debet homo. 8. li. 58.
Corripit Deus amicos suos, vt Mater filios. 5. lib. inter. 6. respon. 2.
Costæ animæ dicuntur parentes spirituales. 4. li. ca. 87.
Creauit Deus cur vermes, & feroces bestias. 5. li. inter. 5. respons. 1. & 2.
Creauit cur Deus Angelos, & hominem, 8. l. 48. et. 56.
Creauit Deus omnia ex charitate. serm. ang. 1. ca. & 4.
Creatio hominis, Angelorum describitur. 5. li. inter. 9. respon. 2. item serm. ang. 4. & 6.
Creatio Angelorum hominis, & Mariæ erant summa corona Dei. serm. ang. 11.
Creaturæ ducunt nos in cognitionem Dei. 1. li. 25. item 6. lib. 45. 50.
Creaturis omnibus abutitur homo. 1. li. 30.
Creatura nobilior omnibus sub cœlo, & dignior est homo. 1. lib. 26. item 4. li. 74. item 5. libr. interrog. 17. respon. 1. & inter. 16. resp. 5. item ante regulam. c. 3.
Creatura Deo charissima dignissima, & pulcherrima est Maria. 5. l. interr. 9. resp. 1. item serm. ang. 4. & 14. & 22.
Creaturæ quandoque ostendunt signa futurorum. 6. l. 96.
Creatura humana comparatur vrbi obsessæ, ext. 3.
Creatum nihil est sine vtilitate, & causa. 5. l. interro. 4. respon. 1. & interr. 15. resp. 1.
Crines Christi trahere quid est. 1. lib. 18.
Crines significant hominis voluntatem. 4. l. ca. 52.
Christallus seccat animam frigidam. 3. l. c. 21.
Crucis Christi dispositio discribitur. 4. lib. 70.
Cruce descendere cur noluit Christus. 4. libr. interrog. 11. respon. 5.
Crucis Christi vere lignum obtinuit S. Brigitta, ext. 106.
Crux Christi, quæ nunc contemnitur terribilis apparebit, extr. 106.
Crucifigi paratus esset Christus iterum pro peccatoribus si possibile esset. 1. l. c. 1. et 58. & 59. itē. 2. l. 12.
Crucifigere membra sua cum Christo quomodo debet homo. 1. li. 11.
Crucifixores Christi fecerunt ei quatuor genera pœnarum. 1. li. 37.
Crucifixus qualiter fuit Christus. 1. li. 10. item 4. l. 70. item 7. li. 15.
Crucifixus fuit Christus propter inuidiā iudæorū. 1. l. 39
Culpa Dei non est, quod homo sit malus. 1. l. c. 58.
Cupiditas quomodo aboleri possit. 4. l. 9.
Cupiditas clericorum est insatiabilis. 4. li. cap. 49.
Cupiditas dicitur aqua lutosa. 4. l. 69.
Cupiditas diaboli quanta est ad perdendum animas. 6. lib. 31. & 38.
Cupiditatis dæmon apparuit in forma monialis. 6. l. 99.
Cupiditas qualiter remuneratur. 7. l. 27. & 30.
Cupido mundana quam odiosa est Deo. serm. ang. 2.
Cupidi similem ventrem habebunt dæmonibus. 6. l. c. 31
Cuprum dare pro auro spiritualiter, quod est. 8. l. c. 48.
Cura mundialis dicitur loquens prædam. 5. l. 2.
Cura mundi dicitur mater peccatorum. 4. l. 125.
Curiales quales erant olim, & quales nunc sunt. 1. lib. 55. & 56.
Currus iustorum describitur. 4. l. 17.
Currus malorum quis, & qualis est. 4. li. 17.
Cuspis gladij dicitur suggestio diaboli. 4. li. 20.
Cuspis gladij dicitur contritio. 4. li. 89.
Custodes apud Christum dicuntur prælati, et principes, 2. lib. 19.
Custodes templi Dei sunt clerici. 4. li. 58.
Custodes ouium Christi veri, vel falsi, qui sunt. 8. l. 18.
Custodia sensuum dicitur fera animæ. 4. li.
Custodie tres in domo lictoris quid notant spiritualiter. 4. lib. 125.
Custodit Deus amicos suos in hac vita. 3. lib. 30. item 4. lib. 72.
Custodit Maria animam in morte, sicut mulier partum, 7. lib. 13.
Cutis animæ dicitur proximus. 4. l. 87.
Cutis Christi dicuntur homines sancti. 4. lib. 92.

DE LITTERA D.

DActilo assimilatur Spiritus sanctus. 4. libro, cap. 67.

Dam-

Damnandis abbreuiat Maria pœnam, & vitam corporalem, extra. 89.
Damnat nullum subitus finis, sed opera. 1. l. 1.
Damnantur aliquando hi quos homo putat esse saluandos, & e conuerso. 3. l. 31.
Damnatio contradicentium Christo grauis erit, 1. lib. cap. 47.
Damnatio mundanorum, & carnalium. 2. l. 93.
Damnatio malorum iudicium militum, & populi. 1. lib. 16.
Damnatio, & horribile iudicium cuiusdam animæ. 6. lib. 31.
Damnatio terribilis animæ cuiusdam Cardinalis. 6. libro, 70.
Damnatio Regis cuiusdam horribilis describitur. 8. lib. 48.
damnatio plura de hac vide in vocabulo. Pœna.
damnatis facit Deus misericordiam. 2. lib. 1 et 14. item 8. lib. 48.
damnati puniuntur differenter iuxta demerita sua. 3. l. 28 item 4. l. 7.
damnati cuiusdam matrimonij deformitas horribilis, patet. 4. l. 52 per totum.
damnatorum miseria, & malicia magna est. 4. l. 113.
damnatorum pœna non habet finem. 6. l. cap. 28.
damnati similes sunt dæmonibus. 6. libr. 31 per totum, & 52.
damnati odiunt Deum 6. l. 31. & 52. item 8. l. 56.
damnatos tria affligunt. 6. lib. 52.
damnati cur non apparent, ita deformes, vt sunt. 6. l. 52.
damnati ab inferno nunquam liberantur. 7. l. 19.
damnum corporale significatur per adamantem. 4. libro. 124.
dare debent diuites pauperibus. 2. l. 14.
dare Deo debet homo, quod habet charius. 4. l. 77.
dare paratus est Deus potum suum, idest, Spiritum sanctum. 6. lib. 18.
datur quomodo, & quibus tribulatio, 1. l. 36.
dat Deus omnia bona. 4. l. 20.
dat Deus bona sua bonis, & malis, 5. libro. interrog. 15. respons. 6.
Dauid assimilatur monti. 1. l. 51.
Dauid diligens tres vitas notat Christum. 4. l. 53.
Dauid commendatur de stabilitate. 4. l. 106.
Dauid commendatur de pœnitentia sua, & humanitate, 5. l. interr. 13. respons. 1.
Dauid quomodo sic potuit prosternere gigantem. 6. libro, 4.
Dauid quare fuit tribulatus. 7. l. 4.
Debitis non solutis non placent Deo eleemosynæ, et donatiuis. 4. l. 80. item 7. lib. 11. et 16.
Debita defunctorum non soluentes portabunt peccata eorum. 6. l. 10.
Decimas non soluens spoliat Deum, extra. 83.
Decipit diabolus homines tribus vicijs. 1. lib. 16.
Decipit quomodo diabolus primum hominem, et plures conatur decipere. 1. lib. 17.
Decipere hominem in fine laborat diabolus. 3. li. 19.
Decipere quos potest diabolus, et quos non, et quomodo 4. lib. 14. et 38. item 6. lib. 8. et 91.
Decepit diabolus quendam monachum. 6. li. 68.
Decipere hominem quomodo nititur inimicus, extr. 64.
Decepit diabolus quendam Episcopum, sicut decipitur canis, extr. 102.
Defectus scientiæ patienter sustinendos. 6. lib. cap. 30.
Defectus subditorum attendere debet prælatus. 6. li. 53.
Defectus corporis impedit bonum animæ. 6. l. 91. et 121.
Defendit Deus filios, et amicos suos, et confidentes in se. 2. lib. 9. item 4. li. 47. et cap. 72.
Defendit mantellus Mariæ portantes eum ab aere corrupto, et frigore vrente, et imbribus, et quid ista significant. 2. lib. 23. per totum.
Defendunt animam contra frigus opera misericordiæ. 2. lib. 26.
Defensores Ecclesiæ Christi quales fuerunt olim, et quales nunc sunt. lib. 55 et 56 item 2. lib. 7. et 20.
Defensores ecclesiæ infideles qualem habebunt pœnam. 1. lib. 56.
Deformis fit anima si consentit corpori. 6. lib. 66.
Deformitas membrorum fit etiam propter peccatum. 2. lib. cap. 2.
Degradatur coram Deo malus Episcopus. 3. lib. 4.
Deitas Christi habet in se tria mirabilia. 1. l. 50.
Deitas Christi dicitur verus sol. 1. l. 30. & 51.
Deitas est corona humanitatis Christi. 2. libro, 7. item 8. libro. 6.
Deitas quomodo ostendit suam maximam virtutem. 2. libro. 17.
Deitas Christi dicitur castrum munitissimum. 3. l. 13.
Deitas Christi est corona nulli debita, nisi Mariæ. 5. l. reuel. post interr. 9.
Deitas Christi dicitur vas plena 5. interr. 10 respon 1.
Deitas Christi quomodo includit in se omnia. 5. l. inter. 10. respon. 2.
Deitatem suam cur non ostendit Christus, sicut humanitatem. 5. li. inter. 11. resp. 1.
Deitatis suæ potentiam cur nō ostendit Christus in morte 5. l. interr. 11. resp. 4.
Deitas significatur per pulpitum quo iacet liber vitæ. 8. lib. 8.
Delectatio carnis dicitur carina nauis. 1. lib. cap. 13.
Delectatio carnis dicitur poculum mali li. 1. l. 15.
Delectatio carnis est, sicut ventus in flabello. 3. li. 7.
Delectio mundi dicitur fossa. 1. l. c. 13.
Delectatio peccati dicitur aculeus venenosus. 4. l. 52.
Delectatio odiosa Deo, quæ est. 5. l. 75.
Delectatio carnalis, quæ est spiritualis. 4. l. 120.
Delectatio mundi dicitur mons sulphureus. 5. l. reu. post interr. 15.
Delectationes cœlestes quatuor desiderandæ describuntur. 7. l. 5.
Deliciæ carnis quid sunt. 4. l. 17.
Delicias ventris quærere malum est. 4. l. 51.
Dæmon sedet in genitalibus, sicut nauta in naui. 1. l. 13.
Dæmon sedet in corde, sicut vermis pomo. 1. l. 13.
Dæmon sedet in ore, sicut sagittarius in fenestra. 1. l. 13.
Dæmones quomodo vident iustitiam Dei. 1. l. c. 4.
Dæmones contremiscunt in luce Mariæ. 1. l. 47.

Dæmones quare videntur in forma, quæ est ad mortē. 2.lib.18.
Dæmonia fugat myrrha. 3.li.21.
Dæmones fugat oblatio corporis Christi. 4.li.58.item 6. li.39.
Dæmon ligatur resistentia tentationum. 6.l. cap.3.
Dæmonū tria genera describūtur hominē obsidentia. 8. li 80.item extr.51.
Dæmones non appropinquant diligentibus Mariam. 6. lib.13.
Dæmones quomodo dicuntur lætari. 8 li.cap.48.
Dentes Christi percutere quid est. 4 lib.99.
Dentes gulosorum collidentur in pœnis. 6.li.ca.52.
Derisores cur supportat Christus 8 lib.2.
Descenditur in miseriam sicut in vallem floridam. 2. lib.22.
Descendit qualiter Deus ad hominem. 4.lib.2.item 5.l. interr.16.resp.3.
Descendens dicitur prosperitas mundi. 4.l.15.
Desertum probationis dicitur mundus. 1.l.53.
Desiderari quomodo debent bona æterna. 1.l.ca.2.
Desiderare quid debet homo. 4.l.c.32.& 93.& 126. item 7.l.5.
Desiderare superflua nocivum est. 6.li.25.& 39.
Desiderant diversimode animas Deus, & diabolus. 7.l. cap.11.
Desiderari debet Deus super omnia 8.l.48.
Desiderium Dei dicitur galea militis Christi. 2.l.11.
Desiderium Dei dicitur clavis animæ. 2.l.27.
Desiderium Dei significat sanctum sanctorum. 3.libro, cap.27.
Desiderium malum dicitur scopulus. 4.l.c.44.
Desiderium divinum dicitur cor animæ, 4.l.c.115.
Desiderium imperfectum purgabitur. 4.l.127.
Desideria hominis sunt, sicut interstitia maris. 4.l.129.
Desiderium Dei est sicut pani, & vini. 6.l.14.
Desiderium dicitur pes animæ. 6.l.23.
Desidia corporalis, & spiritualis describitur. 2.l.c.14.
Despectio hominum dicitur aer tempestuosus. 1. libro, cap.21.
Detractionem audire cum patientia bonum est. 6. libro 47.
Detrahere, & detrahentem audire malum est. 6.l.61.
Devotio per quæ excitari potest in homine. 1.l.53.
Devotio augetur ex obedientia. 6 l.122.
Devotio in veteri lege per multa excitabatur. extra. 10.
Devotus fictus qualis est coram Deo. 4.l.17.
Deus quam misericors est ad homines pœnitentes, & se emendare volentes declaratur in prologo. item 1. l. cap.1.& 13.& 7.& 18. & 21.& 22.& 23. & 26.& 34.& 45.& 53.& 57.item 2.l.c.12.& 15.item 3.l 10.& 26. item 4.l.ca.6.& 10.& 22. & 23.& cap.34.& 50.& 80.& 101.& cap.104. 142.item 6.l.2.& 3.& 7.& 9.& 20.& 21.& & 52.& 65.& 77.& 79.& 116. item 7.l.7.& 8.& 10.& 12.& 19.& 27.& 28.& 30.item 8. l.48.& 56.
Deus est misericors, & iustus. 1.l.1.& 2.& 5.& 37.item 3.l.30.item 4.l.cap.98.
Deus quid requirit ab homine. 1.l.cap.13.
Deum laudant Angeli triplici de causa. 1.l.c.17.
Deum videns vides, & Mariam, & e converso, 1.libro, cap.42.
Deus est intra extra, & supra omnia. 1.l.47.item 2.l.3. item 5.l.interr.10.resp.2.item 6.l.27.& 40.
Deus videt hominem tripliciter sicut avis piscem. 2.lib. cap.1.
Deum habet in se, qui diligit corpus, & passionem Christi. 3.lib.13.
Deus est sicut homo tenens aliquid clausum in pugno. 3.lib.22.
Deus utitur malitia hominum ad suum honorem, 3.lib. cap.24.
Deus dat omnia bona, & eis debetur omnis honor. 4. l.22.item 5.l.interr.7.resp.4.
Deus cum quo gaudenter moratur. 4. l.44.
Deus omnia præscit qualia futura erunt. 4.l.ca.67.
Deus, & anima per tria conveniunt. 4. l.75.
Deus eripit bonos a laqueis diaboli. 4.l.75.
Deus trinus adest in baptismo hominis. 5.libr.interrog. 10.respon.6.
Deus similis est homini, qui possidet agrum fructuosum, & infructuosum. 5.l.interr.13.respon.5.
Deus nihil facit sine causa. 5.interr.15. resp.1.
Deus omnia rationabiliter ordinavit. 5.libro, interrog. 15.respon.1.
Deus cur non semper exaudit amicos suos. 5.lib.interr. 15. respon.3.
Deus est sicut, qui captivat amicos, 6.l.c.14.
Deum unum esse, & creatorem omnium scire potest homo diversimode. 6.l.ca.45.
Deus quomodo intelligatur esse in domo animæ. 6. lib. cap. 69.
Deus desiderari debet super omnia. 8.l.48.
Deus pater in colore aureo, filius in albo, & Spiritus sanctus in rubeo designatur. 8.l.48.
Deus timore, & dilectione obtinetur. 8.l.48.
Deus quid quærat in homine aut desideratur. 8.l.54.
Deus maxime gaudebat de futura creatione Mariæ antequam crearetur, serm. ang.1. & sicut Noe de fabricatione arcæ suæ, 2. per totum. & sicut Abraham de filio suo nascituro, 3.per totum.
Deus pater comparatur oleo, filius frumento, Spiritus sanctus vino, ser. ang.3.
Deus tot fulget coronis quot sunt opera eius præcipue tribus, serm ang.6.
Deus dicitur dominus vineæ, serm.ang.8.
Deus elegit parentes Mariæ sicut Aquila arborem in qua nidum construat, ser.ang.10.
Deus habuit se ad Mariam in Matris utero, sicut apis ad florem in folliculo, ser.ang.11.
Deus quamdiu, & quare moratus fuit in Virgine, ser. angel.15.
Dexteram Christi crucifigunt homines mali. 1.l.c.37.
Dextera manus animæ dicitur opus iustitiæ. 4. libro cap.74.
Dextera Dei quomodo intelligatur. 5.lib.interrog.16. respons.1.

Diabolus nulli potest appropinquare sine permissione Dei. 1.l.c.4.
Diabolus a quibus obsessis libenter exit, & a quibus non. 1.li.32.
Diabolus non dicit veritatē, nisi coactus. 1.lib.45.item 4.lib.61.
Diabolus quomodo eicietur ab anima. 1.li. 54.
Diabolus moueret montes, nisi refrenaretur. 1.l.60.
Diabolus sicut Pharao tripliciter affligit populum Dei. 2.lib.20.
Diabolus diuersimode instigat homines ad malum. 2. libro, 17.
Diabolus nunquam dat homini verba vitæ. 4.libr.14.
Diabolus diuersimode impugnat homines, 4. libr. 29. & 38.
Diabolus quibus appropinquat. 4.l.c.35.item 7.l.27.
Diabolus sine permissione Dei nihil potest. 4.l.38.
Diabolus nititur decipere nouiter conuersos. 4.l. 79.
Diabolus quomodo stat contra Christum. 4.l.95.
Diabolus est sicut auis rapax. 4.l.ca.95.
Diabolus non audet tangere animam sine Dei iudicio, 4.li.102.
Diabolum repercutere quid est. 4.l.ca.106.
Diabolo quid respondeat homo. 6. lib cap.17.
Diabolus disputauit cum Maria de iustitia. 6.li.39.
Diabolus dans sponsa de fornace fugatur. 6.li.78.
Diabolus incubus quomodo luxuriatur cum mulieribus, & quomodo expellitur. 6.l. 80.81.
Diabolum introducunt inimici Christi. 7.lib.
Diabolus non potuit videre quandam animam purgandam. 8.l.48.
Diaboli malicia contra animam purgandam. 8.l.48.
Diabolus sufflat cineres in ollam, idest in cor hominis, extra.54.
Diabolus abrenunciat Christo, extra.57.
Diabolus vellet, quod mali diu viuerent in mundo, extra.89.
Diaboli ius super malos homines, extr.89.
Diaconi quidam quales sunt. 4.l. cap.33.
Diaconi ad quid instituuntur. 4.l.ca.58.
Dictauerat diabolus mulieribus ornatum. 8.lib cap.57.
Dies quare factus est, & cur non est semper, 5.li.inter. 9.respon.5.
Diem iudicij nulla creatura scit, 5.li.interr.16.resp.2.
Dies conceptionis Mariæ digna est haberi in reuerentia, serm.ange.10.
Dieta salutis dicitur vita contemplatiua. 6.li. ca.65.
Difficile quomodo fiet facile. 2.lib. ca.22.
Difficilia tria occurrunt in via Dei. 3. libro, cap.2. per totum.
Difficile nihil est amanti. 5.lib.reuel.post.interr.11.
Digiti opponendi spinis dicuntur præcepta Dei, 3.libr, cap.2. item 4.li.cap.126.
Digiti significant mores hominum. 3.li. cap.11.
Digiti decem debent esse in manibus animæ. 4.l. ca.74.
Dignitatem ambire malum est. 1.li.cap.33.
Dignitatem triplicem habet Papa. 1. li.ca.41
Dignitas sacerdotum quam excellens est, 1.li.ca.47.& 49.item 4.li.c.58.& 59.& 132.et 133.& 6.134.
Dignitas Episcopalis ad quid debet ministrari, & desiderari. 3.li.ca.3.& 4.& 18.item 4.li.ca.126.
Dignitas Episcopalis qualis erit fructus. 3.li. ca.3.
Dignitas datur bonis, & malis sicut Iudæ, 3.li. ca.19.
Dignitas quomodo, & ad quid debet suscipi. 6. libro cap.95.item 7.li.ca.15.
Diligit Deus quomodo, & quantum homines, & quomodo vult diligi ab eis. 1.lib.cap.1.& 11. item 4.lib. lib.ca.83.&c.vide in Charitas.
Diligere Deum super omnia quam salubre est, & quomodo diligatur. 1.lib.cap.2.& 3. item 4.li.ca 9.& 48.& 74.& 87.item 6.lib.cap.50.per totum. item 7.lib.cap.5.
Diligere mundum quam nociuum est. 1.li.ca.3. & 14.
Diligit Christus Mariam super omnes sanctos. 1. libro, cap.46.
Diligit homo omnia, quæ habet præter Christum. 1.lib. cap.46.
Dilexit Deus hominem ab initio. 2.li. ca.12.
Diligere debet homo spiritualem sapientiam. 2. li. ca. cap.22.
Diligere Christum, & eius passionem dicitur comedere panem cum aqua. 3.li.cap.1.item 4.li. ca.126.
diligere plus ancillam, quam vxorem quid est. 3.lib. cap.6.
diligere sapienter quid est, 4.lib. cap.17.
diligere Christum quam bonum est, 4.li.ca 74.& 111.
diligere proximum quomodo debet homo, & quam bonum est, 4.li.cap.51.& 74. item 6.libr. cap.116. item extra.70.
diligere lædentem se similatur Topatio, 4.l.ca.124.
diligere Deum ordinate perfecte pure, & veraciter, 4. lib.cap.126.
diligere mundialia, & carnalia, quam nociuum est, 6. lib.ca.52.& 70.item 8.li.ca.48.
diligere quid debet homo. 8.li.ca.56.
diligebat Deus Mariam antequam crearetur, &c. vide in Deus.
diligebant quantum Angeli Deum, & Mariam mox, vt fuerunt creati. serm.ang. 4.
dilectio inordinata est in mundo, 3.lib.cap.28.
dilectio omnis mali est in inferno. 3.lib.cap.28.
dilectio perfecta ordinata munda, & vera, quæ est. 3. lib.cap.28.
dilectio dicitur rota in curru, 4.li.ca.17.
dilectio dicitur pellis animæ. 4.li.ca.90.
dilectio hominis apparuit per legem naturalem. 5.libr. interr.16.resp.4.
dilectionis præceptum pauci implent, 6.li.ca.47.
dilectio Dei meretur remunerationem. 6.li.ca.50.
dilectione seruantur omnia mandata, & consilia, 6.lib. cap.16.
dilectio figit Deum in anima. 8.li.ca.48.
diluuium quare venit per mundum, serm.angel.cap.8.
Dionysium conuertit Apostolus Paulus, 4.li. ca.21.
Dionysius est patronus Regni Franciæ, 4. libro, cap. 103.& 104.
Dionysius fuit protector S. Brigittæ, extra.92.
Dyplois animæ dicitur diuina charitas. 4.li. cap.74.

Digitized by Google

discerni quomodo possunt boni a malis, 1.li.cap.15.
discordes quomodo reuocentur ad concordiam.6.libro, cap.34.
Discretio assimilatur naso,1.lib.cap.23.
discretio dicitur securis animæ.2.lib.ca.27.
discretio quæ & quam necessaria est ad bene viuendum in afflictione corporis,& regimine,4.lib.cap.17.& 20.& 74.& 80.item 6.li.cap.121.item extra.59.& 85.
discretio dicitur stomachus animæ.4.li.cap.115.
dispensatio grata Deo,quæ est,4.li.ca.127.
dispensatio facta propter carnalem amorem peccatum est.4.li.ca.144.
dispensator quasi sit odoratus hominis.6.lib. cap.66.
displicent Deo tris in mundo.3.lib.cap.17.
displicet Deo color extraneus in facie hominis.7.libro, cap.11.& 27.
disponit Deus omnia in numero, & mensura. 3. libro, cap.28.
dispon ut qualiter se religionem ingressuri,extr.17.
disposi onem certam tenent omnia præter hominem.4. lib.cap.87.
dispositio omnium rerum præuisa est a Deo,6.lib.c.47.
dissimulare peccata quam malum est,8.l.ca.18.& 21.
ditari volentem contra Deum decipit diabolus.6.libro, cap.78.& 82.
diues cœlum ingressurus quomodo sit dispositus, 3.libr. cap.11.
diues homo quomodo refrenabit carnem suam. 4.libro, cap. 17.
diuites spirituales sunt amici Dei, 4.li.ca.91.
diuites quomodo possunt placere Deo . 6.libro, cap 27. & 46.
diuites spiritu,& diuites rebus differunt, extr.3.
diuitiæ dicuntur siliquæ porcorum 4.l.cap.1.& 125.
diuitiæ non sunt malæ,sed earum abusus.4.l.ca.76.
diuitiæ spirituales obtinentur quadrupliciter. 4. libro, cap.101.
diuitijs spiritualibus quis est dignus.4.l.ca.111.
diuitijs cur non est superbiendum, 5.libro. interrog.7. respons.3.
diuitiarum sollicitudo, & amissio dicuntur serui mundi & quid eis respondeatur. 5. libro. reuelation. post interrogat.10.
diuitias non seruabant Maria,& Ioseph.6.l. ca.25.
diuitiæ mundanæ dicuntur fimus,serm. ang.8.
diuinatores,& eorum fautores sunt maledicti. 7. libro, cap.28.
docere bonos,& malos verba Christi vtile est, 2.libr, cap.14.
docet Deus animas volare ad se,sicut pica pullos suos, 2 lib.cap.19.
doctorum status qualis fuit olim.3.li cap.21.
doctores cur non elegit Deus ad Euangelium prædicandum.4 lib.cap.113.
doctores iudæorum,& gentilium quid docebant.6.libr. cap.54.
doctores quomodo regit Spiritus sanctus.ext.49.
doctrina bona dicitur vnguentum sanatiuum. 3. libro. capitulo. 16.
doctrina bonorum multos eleuat ad cælum,4.lib.c.21.
doctrina sua præsentabat Maria animas Deo , sermone angelico 19.
dolere quid et de quo debet homo,2.libr. cap. 24. item 3.lib.cap.13.& 30.item 4.lib. cap. 74. & 93. & 104.item 6.lib.cap.65.item 8.lib.cap.48.
dolere est remedium contra peccatum,3.lib.cap.19.
dolere pro peccatis in præsenti bonum est,4.li.cap.91.
doleant qui non patiuntur aduersa in præsenti. 5. libr. interr.13.respon.3.
dolere de quo non debet homo, 6.lib.30.& cap.55.
dolium vini notat impatiens cor.4.lib.cap.24.
dolor Mariæ Virginis permaximus ex passione Christi quem habuit ante,& post Christi conceptionem, & passionem describitur.1.lib ca.10. & 20. & 27. per totum,& 35.item 4 lib cap.23.& 70. item 6.libr. cap.11,& 57 & 61.item 7 lib.cap.15. item serm. ange.16.& 17. item extra. 51. vide in tribulatio, in tristitia, & in turbata.
dolor Christi maior fuit ex dolore Matris,& amicorum suorum quam ex propria passione. 1.lib. cap. 10. et 35.item 4 li.cap.70.item 5 lib.reuel.2.post.interr. 12.item 6 lib.cap.19.item 7.lib. cap.15.
doloris gladius quomodo pertransiuit cor Mariæ, 3 .lib. cap.30 item serm.ang.17.et 18.per totum.
dolor charitatis notatur per Margaritam , et introducit Deum in cor.4.lib.cap.124.
dolores attulit homini peccatum, 5 libro interrogat.4. respons.2.
dolores corporis purgant animam, 6 li.ca.35.
dolor Mariæ a die purificationis fuit sextuplex, 6.lib. cap.57.
dolor Mariæ mixtus erat cum gaudio.6.li.cap.57.item serm.ang.16.
dolor Mariæ quando fugit in Ægypto 6.l.c.58.
dolor omnium membrorum sequitur post risum mundanorum, extra.86.
dolor damnatorum dicitur laqueus, qui aggrauatur ex longa vita, extra 89.
domina in sublimi,& arcta sede dicitur superbia. 1.lib. cap.29.
domina familiarissima Regi dicitur Virgo Maria. 6. l. cap.34.et.45.
domina domus corporis dicitur anima , quæ habebit quinque seruos,quinque pedisequas, et cibum. 6. l. cap.66.
dominari non potest diabolus in animas iustorum. 1.li. cap.4.
dominatur diabolus hominibus diuersimode , 3. libro, cap.31.
dominatur cur vnus homo alteri.6.l.c.53.
Dominicus quomodo dilexit Christum , et Mariam,& quid docuit fratres suos, 3.l.ca.17.
Dominicus dictauit regulam suam de Spiritu sancto. 3. l.cap.17.et 18.
Dominicus moriturus commendauit fratres suos sub mantello Mariæ. 3.l.cap.16.
Dominici fratribus malis comminatur Maria 3.l. c.18.

minus habens multos seruos dicitur Christus. 1.lib. cap.13.
Dominus despicitur, & seruus honoratur spiritualiter quid est. 1.lib.cap.40.
Dominus verus solus est Christus, 1.lib.cap.8. item 8. lib.cap.1.
Domino habenti plures vineas comparat se Deus. 2.lib. cap.16.
Domino peregrinanti, qui tradidit seruis suis preciosum thesaurum similis est Christus. 4.li.ca.58.
Domini quid debeant cogitare, & facere. 4.l.ca.76.
Domino habenti captiuos in tribus custodijs similat se Christus. 4.li.ca.115.
Domini mundi inceperant nouam legem contra Christum. 6.li cap.27.
Domini quomodo possunt placere Deo. 6.lib.cap.27.
Dominus regnaturus in homine est charitas, 6. libro, cap.52.
Domino similis est Christus, qui duxit vxorem edificans ei domum, dansque ei seruos pedisequas, & cibum. 6.li cap.88.
Domini quomodo se habere debent ad clerum, & subditos. 7.lib.cap.28.
Dominus quidam assimilatus est vulpi. 8.li.17.
Domino, qui habet siluam vallatam muro similis est Christus. 8.li.cap.18.
Dominus vinea electa dicitur Deus, serm.ang.8.
Dominus pœnarum est diabolus. ext. 24.
Domus Dei dicitur religio. 1.li.ca.18.
Domus animæ quomodo præparabitur Christo. 2. lib. cap.2.
Domus quinque dicuntur esse in mundo, & quinque status hominum earum inhabitatores. 2. lib. cap.3. per totum.
Domus tres habebit anima fidelis, & in qualibet domo tria instrumenta. 2.lib.cap.24. & 25. & 26. & 27. per totum.
Domus Dei, scilicet ecclesia cur instituta est, 4. libro, cap.58.
Domus pauper est mundus iste habens in se tria. 5.lib. reuel.post inte.13.
Domus hominis dicitur cor eius. 6.li.cap.65.
Domum Marthæ, & Mariæ, qando dicitur Deus ingredi spiritualiter. 6.lib.ca.65.
Domus animæ dicitur corpus quatuor habens proprietates. 6.l.ca.86. item 7.li.ca.5.
Domus Mariæ æternalis est Deus, serm.ang.5.
Dona volens offerre Deo quomodo sit dispositus. 1. lib. cap.18.
Dona Spiritus sancti dicuntur talenta. 3.li.cap.20.
Dona Spiritus sancti dantur homini in baptismo, 4.lib. cap.74.
Dona non placent Deo, nisi debito primo soluantur. 4.l. ca.80. item 7.li.cap.11. & 16.
Dona dantur quadrupliciter sicut est, & spiritualiter. 4. lib.cap.121.
Dona gratiæ cur aliquibus auferuntur. 5.lib. inte. 15. respon. 1. & 2.
Dona gratiæ cur non dantur hominibus æqualiter, 5. lib.inte. 15. respon. 5.
Dona sua quomodo dare debet homo, 7. lib cap.11. item 8.lib.ca.53.
Dona sua discrete distribuant domini 8 li.ca.2.
Dormire inter brachia mundi, quid est. 1.l.ca.6.
Dormiens videtur Christus aliquibus. 6 li.ca.31.
Dorso assimilantur opera hominis. 1.li.c.23.
Dorsum Christi calcare quid est, 4.li. ca.99.
Dorsum significat operationem bonam. 4.li. c.129.
Ducis quid hominem ad amorem Dei, & quid ad amorem mundi. 1.l.c.15.
Duci ad tenebras spiritualiter quid est. 4.li.ca.107.
Ductor sponsæ Christi habere debet duo, 2.li.ca.21.
Dulcedo Mariæ quanta est. 1.lib.cap.31. & 51. item 4. lib.cap.86.
Dulcedo Spiritus sancti incomparabilis est, 1.l. c.54.
Dulcedinem Mariæ recipere, & reijcere malum est. 1.lib.cap.58.
Dulcedo spiritualis vnde debet trahi, 2.lib. ca.19. item 4.lib.cap.74.
Dulcedinem Mariæ fruitur omnis, qui petit, 3. libro, cap.30.
Dulcedinem appetens non refugiat amara. 5.lib.reuela. post inte. 5.
Dulcescit cui Deus et terrena vilescunt. 6.li c.106.
Dulcis quam fuit Maria Deo, 1. libro. cap. 51.
Duricia cordis dicitur galea malorum. 4.li.cap.95.
Duricia cordis per quid admonetur. 4.li. 101.
Dux verus quis esse dicitur. 4.li.cap.76.

DE LITTERA E.

EBriosis dominatur dæmon igneus. 7.lib.cap.80.
Ecclesia militans assimilatur castro, 1.lib. ca.5. per totum.
Ecclesia militans dicitur filia Dei tradita viro eam affligenti. 1.lib.cap.24.
Ecclesia dicitur palatium Christi. 1.li.ca.55.
Ecclesia dicitur alueolus Christi. 2.li.ca.19.
Ecclesia dicitur vxor episcopi legitima, 3.li.6.
Ecclesia stat nimis periculose propter quatuor, 3. li. 10. item 4.lib.cap.78.
Ecclesia dicitur Virgo habens nouem fratres. 3. libro, cap.24.
Ecclesia sancta quid esse dicitur. 3.lib. ca.24.
Ecclesiæ dispositio assimilatur anseri, 4.lib.ca.16.
Ecclesiæ multæ Romæ desolatæ sunt. 4.li.33.
Ecclesiæ bona non dabuntur laicis. 4.li.ca.33.
Ecclesiæ constitutiones, quæ fuerunt olim pro quibus nunc assumptæ sunt abusiones, 4.libro. cap.33. per totum.
Ecclesiæ dispositio qualis est nunc coram Deo. 4.libro, cap.49.
Ecclesia est domus Dei, & quare instituta est, 4. libro. cap.58.
Ecclesia sancta dicitur castrum obsessum. 4.libr.cap.65.
Ecclesia Christi vnde primo incepit, 4. libro, cap.76. & 119.

Digitized by Google

Ecclesiæ cur data sunt bona temporalia. 4. li. c. 76. item 6 lib. cap. 70.
Ecclesiæ bona sunt proprium Christi, 4. li. ca. 142.
Ecclesia Christi quam longe recesserat ab eo, 6. libro, cap. 26.
Ecclesia dicitur thalamus Christi. 6. li. ca. 33.
Ecclesiæ pericula signantur in 7. tonitruis. 6. libro, cap. 110.
Ecclesia sancta dicitur terra pinguis, extr. 85.
Edificari debet domus Dei de bene acquisitis. 1. lib. cap. 18 item 4. li ca. 130.
Edificant episcopi, & milites diabolo duas vrbes, sicut filij Israel Pharaoni. 2. li. ca. 10.
Edificare debet homo proximum per verba Christi. 2. lib. cap. 14.
Edificari quomodo, & quales debent ecclesiæ, 3. libr. cap. 18.
Edulium animæ dicitur diuina sapientia. 2. li. 25.
Electi dicuntur flores in horto. 1. lib. cap. 52.
Electi cadunt, & resurgunt 2. li. ca. 14.
Electores alicuius tria debent cauere. 4. lib. ca. 3.
Electi cur tribulantur in mundo. 5. lib. interrog. 6. respon. 2.
Electis quam benignus est Deus. 6. li. ca. 101.
Electos dimittit Deus quandoque sibiipsis, extr. 49.
Elegit Deus tres viros, i. tres status ab initio, qui iam vilueruut. 2. li. c. 20.
Eligit Deus pauperes loco dominorum mundi. 3. libr. cap. 4.
Eligi in Abbatissam S. Saluatoris non debet illegitima, extra. 10.
Elementa pugnant Deo. 4. li. ca. 96.
Elementa purissima sunt in corpore Mariæ, sermone angelico 1.
Eleemosyna quæ fit de iniuste acquisitis, & non solutis debitis Deo non placet, & quibus prodest fulta. 4. lib. ca. 9. & 82. & 80.
Eleemosyna inducit charitatem in animam. 4. libro, cap 126.
Eleemosyna minuit pœnam purgatorij. 6. libro, capitulo 39.
Eleemosyna viuorum iuuat defunctos, extr. 56.
Elephas quomodo capitur, & quos homines significat. 4. lib. cap. 7. & 30.
Elisabeth excessit Sancta Brigitta in gratia Dei, 1. libr. cap. 20.
Elisabeth cur, & quomodo visitauit Maria, 6. libro, cap. 59.
Emendatio peccatorum fugat diabolum. 6. lib. ca. 98.
Emit Christus homini iterum hæreditatem quam vendidit, & perdidit. 1. lib. cap. 2. & 58. item 2. lib. cap. 13. item 4. lib. cap. 111.
Episcopatus quomodo, & qua intentione debet affectari, 3. lib. cap. 3. & 4. & 18. item 4. lib. cap. 126.
Episcopus quidam hypocrita quam deformis erat coram Deo in omnibus membris. 1. libro. cap. 25. per totum.
Episcopi edificant diabolo duas vrbes. 2. li. ca. 10.
Episcopus dicitur Angelus Domini. 3. lib. cap. 1. item 4. lib. cap. 126.
Episcopus cum induit se vestibus quid orabit. 3. l. ca. 1. item 4. lib. cap. 126.
Episcopus quomodo dicat horas suas accedensque ad mensam, & in mensa sedens quomodo se habeat. 3. lib. cap. 1. item 4. lib. cap. 126.
Episcopus quomodo se habeat post refectionẽ, & pergens ad lectum, 4. li. ca. 1. item. 4. li. ca. 126.
Episcopus habeat infulam sub brachijs suis non vendat eam, non concedat eam alteri, nec perdet, & quid ista significant spiritualiter. 3. libro. cap. 3. item 4. lib. cap. 126.
Episcopus bonus qualem honorem, & gloriam habebit. 3. lib. cap. 3. item 4. li. cap. 126.
Episcopus malus qualem pœnam, & confusionem habebit. 3. lib. cap. 3. & 4. & 6. item 4. li. cap. 126.
Episcopus habeat fasciculum florum sub brachijs, idest, prædicationem Dei. 3. lib. cap. 3. item 4. lib. cap. 126.
Episcopus habeat vas vacuum præsentandum Deo. 3. li. ca. 3.
Episcopus quidam sapiens pulcher, & diues in mundo, mortuus iudicatus fuit vt fur, eius locum habitum, & honorem accepit in cælo quidam canonicus. 3. lib. cap. 4.
Episcopus mundanus dicitur adulter nocem horis morans cum ancilla, & decima cum vxore. 3. li. 6.
Episcopus mundanus flabello comparatur, & testudini. 3. li ca. 7.
Episcopus similis simeæ propter quatuor. 3. li. ca. 11.
Episcopus fractis duabus costis ad lectum S. Brigittæ sanatus est. 3 lib. ca. 13.
Episcopus quomodo se habet in cura animarum. 3. libr. cap. 13.
Episcopus similis papilioni. 3. li. ca. 14.
Episcopus similis bruco. 3. lib. ca. 15.
Episcopi quidam dicuntur pauimentum effossum, 4. lib. cap. 49.
Episcopus dicuntur speculator Dei. 4. l. ca. 126.
Episcopi quomodo se habeant ad ordinandos. 7. libro, cap. 12.
Episcopus quomodo se habeat ad clericos. 7. li. ca. 12.
Episcopi quomodo se habeant erga familiam. 7. libro, cap. 12.
Episcopi quomodo se gerant in victu, & vestitu, 7. lib. cap. 12.
Episcopum Aboensem misit Christus ad Papam, extra. 52.
Episcopis dat Christus doctrinam procedendi in Dei, extra. 78. per totum.
Episcopi Aboensis sciuit Sancta Brigitta cogitationes, extra. 104.
Equus militis Christi dicitur humilitas, 2. lib. ca. 11.
Equus animæ dicitur confessio peccatorum, 2. libro, cap. 27.
Equi trahentes currum superbiæ, qui sunt, 4. li. ca. 17.
Equinas nares habere spiritualiter quid est, 4. li. ca. 52.
Equus animæ dicitur baptisma. 4. li. ca. 74.
Equus animæ dicitur obedientia. 6. li. c. 43.
Eroganda debent pauperibus superflua. 4. li. 49.

Era-

Erubescentia vnde prouenit homini, 5. lib. interrog. 12. respon. 1.
Estas quare facta est. 5. li. interr. 9. res. 5.
Etates spirituales sex describuntur. 4. li. ca. 9.
Etates tres mundi notantur per tres partes nauis. 6. lib. ca. 67.
Eua figurauit Mariam. 5. li. interr. 12. res. 2.
Euæ creatio, & præuaricatio describitur. 8. li. ca. 48.
Eua fuit Adæ occasio ruinæ, ser. ang. 2.
Eua consolationem habuit de futura natiuitate Mariæ, serm. ang. 7.
Euangelium Christi dicitur portus cœlestis, 3. libro; ca. 5.
Euangelium Christi quando, & qualiter scripsit S. Matheus, 4. lib. ca. 129.
Euangelia Christi cur videntur dissonare. 5. li. interro. 16. resp. 3.
Euangelia Christi quomodo, & a quo spiritu sunt conscripta, extra. 49.
Euangelistæ qui sunt recipiendi in ecclesia. 5. li. interr. 16. res. 3.
Exactiones iniustas debent Reges deponere, 4. libro, cap. 105.
Exaltat hominem ad vitam tribulatio mundi, 4. lib. ca. 12. & 15.
Exaltat Deus electos in cœlo, & in terra. 6. lib. 103.
Examinare quomodo debet homo opera sua, & facere, 2. lib. ca. 27.
Examinari debent promouendi ad ordines. 7. libro, cap. 12.
Examinare quam directe vult Deus hominem, 8. libr. ca. 48.
Exasperare nimium subditos periculosum est. 7. libro, ca. 28.
Exclusi vt iudas à Christo sunt heretici. 7. li. ca. 8.
Excolere proximum debet homo per sensus suos. 2. lib. ca. 27.
Excommunicatio quam nociua est homini. 4. li. ca. 99. item 6. li. ca. 68. & 87.
Excommunicatus sepeliri non debet in loco sacro, 1. lib. ca. 13.
Excommunicatis negetur conuersatio ingressus ecclesiæ & sepultura. 4. li. ca. 33.
Excommunicatis qualem se exhibeat Rex. 8. li. ca. 4.
Excusabit se Christus coram omnibus sanctis pro tribus. 1. lib. ca. 46. & 48.
Exempla mala dantes proximo quam miseri erunt, 1. li. ca. 17. item 2. li. c. 9. item 4. li. ca. 51. & 103. item 6. lib. ca. 52.
Exempla bonæ vitæ notantur in oleo, 4. li. 59.
Exempla sanctorum nolle sequi malum est, 4. li. ca. 103. & 107.
Exempla plus proficiunt quam verba. 4. libr. ca. 126. & 129.
Exemplum dicitur manus animæ. 4. lia. ca. 129.
Exercitium pugilum Christi est in hoc mundo. 4. libr. ca. 15.
Exercitus magnus pugnantibus nocet, paruus autem cum humilitate prodest. 6. lib. ca. 41. item 8. libro, capitulo 44.
Exire docet Deus animam, sicut pica pullos suos, 2. li. cap. 29.
Exire monasterium, quando, & pro quibus possunt religiosi S. Saluatoris, extr. 11.
Exorcistæ quomodo, & ad quid instituuntur. 4. li. 58.
Expectat Deus conuersionem peccatoris, vsque ad vltimum, 6. lib. cap. 97. item in vocabulis supportat, & tolerat,
Explorator inuidus dicitur diabolus. 4. li. 63. item 6. lib. cap. 92.
Expulsus fuit Adam ex iustitia, ser. ang. 21.
Extendit Christus duo brachia super homines, 6. libr. cap. 100.
Extinguit potus sitim sic meditatio diuina tentationem, 2. li. ca. 15.
Extrahit vt panis a corpore putredinem. sic bona voluntas ab anima. 2. li. cap. 25.
Exultatio Angelis, homini, & patriarchis erat nascitura Maria, ser. ange. 8.

DE LITTERA F.

Faber optimus dicitur Deus. 3. lib. ca. 30.
Facere quid, & quomodo debet homo, vt Deo placeat in operibus suis. 1. li. ca. 3. item 2. li. cap. 25. & 27. item 5. lib. interr. 1. resp. 4. & interr. 7. resp. 6. item 7. li. ca. 27. item ante regulam ca. 3.
Faciat homo nihil sine diuina præmeditatione. 2. libr. cap. 25.
Facere quod per se potest homo fructuosius non committat hoc alijs. 3. li. ca. 3.
Facere volens bona, & valens dupliciter meretur. 4. lib. ca. 24.
Facit quid Deus homini iusto, 4. li. ca. 90.
Facere debet homo bona, quæ docet alios. 4. li. ca. 129.
Facere mala cur aliqui non permittuntur. 5. li. inter. 15. respon. 4.
Facere prius cæpit Iesus quam docere. 6. lib. 53.
Facit Deus omnia ex charitate. 7. li. ca. 19.
Fecit Deus tria egregia. 8. li. ca. 48.
Facere nihil potest diabolus sine permissione Dei, 8. li. ca. 56.
Facere debet homo non quantum vult, sed quantum expedit, extr. 13.
Faciem Dei, qui nunquam videbunt. 1. li. ca. 15. & 16. & 41. & 58. & 112. item 5. lib. interr. 6. respon. 1. item 6. li. 9. item 7. li. ca. 27. & 30. item 8. li. ca. 48.
Facie similis erat Christus Matri suæ. 1. li. 51.
Faciem quando vertit Christus ad hominem, 4. libro, cap. 107.
Faciem non debet homo decolorare. 7. lib. ca. 16.
Factum est nihil a Deo sine causa, & vtilitate hominis, 1. li. ca. 19. item 5. li. interr. 15. respon. 1.
Facultatem non solum attendit Deus, sed voluntatem, 2. li. ca. 3.
Fallacia similis est scorpioni. 1. li. 13.
Famægusta similis erat Gomorre. 7. li. ca. 16.

Fames

Fames cur venit homini. 5. lib. interr. 6. respon. 3.
Famem sicut pulli aquilæ habebunt mali, 6. li. ca. 9.
Familiam suam non corrigere nocivum est. 7. libro, cap. 76.
Familiam moderatam habeant prælati, 7. li. ca. 12.
Familiam necessariam habeant domini. 8 li. ca. 53.
Familiares qualiter ad timorem Dei trahantur. 3. libr. cap. 1. item 4. li. ca. 126.
Familiares incorrigibiles removendi sunt, 3. l. ca. 1. item 4. li. cap. 126.
Famulos duos habet Christus, idest clericos, & laicos, 2. lib. cap. 7.
Famulos suos iuvat Maria, & animas præsentat Deo, 3. lib. cap. 13.
Famulos necessarios habere potest Papa. 4. li. ca. 49.
Famulos devotos habere debent domini. 7. li. ca. 43.
Fatum, seu Fortuna nihil est, 6. li. ca. 45.
Fato credens quidem male mortuus est. 6. li. ca. 76.
Favus dulcissimus præparatus erat in Maria. 6. li. c. 12
Fel dare Christo, habere spiritualiter quid est. 1. libro, cap. 37.
Fælix quam erit, qui credit verbis istis Christi & sequitur ea. 1. li. ca. 1. item 2. li. ca. 10. 12. 16. & 19. item 6. libr. cap. 24. & 54. & 49. & 67. item 8. libro, cap. 48.
Fœminæ quedam peiores sunt iumentis, & eorum iudicium, 6. li. ca. 46. resp. plus in mulier.
Fænix ut igne sic renovatur homo charitate Dei, 4 li. cap. 87.
Fercula superflua nociva sunt homini. 6. l. 39. ite 7. l. 3
Ferro perforare conscientia quid est. 4 li. ca. 48.
Ferrum acutum dicitur voluntas emendandi se, 8. lib. cap 48.
Fœtent coram Deo mali litterati 6 l. ca 15.
Fœtent quantum cupidi, & ambitiosi 6 li. ca. 36.
Fœtor nocivior aliis quis est, 6. l. c. 87.
Fœtorem sensit sponsa a peccatoribus extr. 81.
Fex ut conservat vinum sic mali prosunt bonis. 1. libr. cap. 22.
Fides recta quid est, 1. li. ca. 4.
Fides recta est fundamentum ecclesiæ. 1. li. ca. 5.
Fides recta dicitur pallium animæ. 1. li. cap. 7. & 47.
Fides ecclesiæ dicitur esse nuda. 1 li. c. 38.
Fides firma, qua esse dicitur, 1. li. ca. 39.
Fides paganorum notatur in Bersabee, 2. li. ca. 5.
Fides recta dicitur clypeus militis Christi. 2. li. ca. 9.
Fidem rectam imitantes sunt filij Dei, 3. li. ca. 23.
Fides dicitur annulus in manu animæ. 3. li. ca. 31.
Fides vera sursum trahit animas. 3. li. ca. 31.
Fides notatur in Petro Apostolo. 4. li. ca. 18.
Fidem christianorum impugnat diabolus. 4. lib. cap. 41. & 42.
Fides est manus animæ, & sustentamentum virtutum. 4. lib. cap. 115.
Fides Christi assimilatur sanctis. 6. li. 52.
Fides quantum prodest homini. 6. li. ca. 79.
Fides Mariæ similantur iubari lunæ, serm. ang. 5.
Fides Christi erat heredes Isaac, Iacob, & Iudæ, serm. ang. 8.
Figulus, ut ad imagines habet se Deus ad homines. 2. lib. cap. 4. item extra 84.
Filia Christi electa erat S. Brigitta. 1. li. ca. 1. item 3. lib. cap. 23. item 6. li. ca. 14.
Filia Dei tradita viro crudeli dicitur sancta Ecclesia, 1. lib. cap. 24.
Filiæ Regis quatuor dicuntur virtutes, 4. l. 45.
Filiæ illegitimæ 4. dicuntur vicia. 4. li. ca. 45.
Filia Regis dicitur anima hominis. 7. li. ca. 5.
Filios multos generare voluit Christus per sanctam Brigittam. 1. li. ca. 20.
Filios peccantes si peniteant recipit Deus. 1. li. 22.
Filij quomodo nascerentur si homo non peccasset. 1. lib. cap. 26.
Filij mali frequentius nascuntur de malis parentibus, 1. lib. ca. 26.
Filius Mariæ habuit in se tria bona, 1. li. ca. 37.
Filius Dei, & Mariæ est Christus, 1. li. ca. 43. item 3. l. ca. 8. & 10. & 11. & 19. item 4. li. ca. 8. item serm. angel. 14.
Filius Mariæ est verus sol iustitiæ. 1. lib. cap. 50. & 51, item 2. li. ca. 2.
Filius Mariæ est quasi semen non seminatum, 1. libro, cap. 20.
Filius Mariæ dicitur virga in arca testamenti faciens tria mirabilia, 1. li. ca. 53.
Filium Mariæ figurabant manna, & tabula in arca. 1. li. cap 53.
Filius Mariæ aperit cœlum, & infernum. 1. li. 54.
Filius Mariæ quibus est amarus amarior, & amarissimus. 1. l. cap. 58.
Filius Mariæ delectatur esse cum homine mundo, 2. l. cap. 2.
Filius Mariæ in figura fuit verus Salomon. 2. li. ca. 4. item 3. lib. cap. 29.
Filij nolunt habere hæreditatem, ideo extranei accipient, 2. li. ca. 4.
Filios suos vocat Christus iudæos, 2. li. cap. 5.
Filios suos quomodo fovet Christus, 2. l. 9.
Filij Dei esse probantur boni christiani sextuplici testimonio. 3. li. ca. 13.
Filios quasi tres habet sancta mater ecclesia, 3. libr. cap. 24.
Filius Dei quis merito appellatur. 3. l. c. 24.
Filius non luit peccata patris. 4. l. ca. 3.
Filius unus natus in tugurio, & alter in carcere quid significant, 4. l. cap 15.
Filij Dei flagellantur in hoc mundo, 4. l. ca. 64.
Filius Mariæ habuit septem bona, et pertulit septem mala. 4. l. ca. 109.
Filius Mariæ dicitur bonus Papa, 4. l. cap. 138.
Filius Dei dicitur corona soli Mariæ debita. 5. l. revel. post inter. 9.
Filius Dei dicitur vinum patris, 5. libr. interrogat. 10. respon. 1.
Filius quomodo dicitur portare peccata patris. 5. l. inter. 14. resp. 3.
Filij Mariæ dicuntur contritio, & emendatio, 6. libro, cap. 10.

Filios

Digitized by Google

Filios instruere ad mala, sicut serpentes ad pungendum quid est. 6.l.ca.32 per totum.
Filios nutriens ad peccata quam miser erit. 6. libro, cap.52.
Filios diligere carnaliter malum est. 6.l.c.54.
Filius Mariæ quomodo se habuit ab infantia, usque ad passionem. 6.l.cap.58.
Filij fascinati dicuntur gentiles. 6.l.cap.102.
Filios suos qualiter enutrient principes. 7. libro, capitulo 16.
Filius Dei est refectio Angelorum, & hominum, serm. angel. 3.
Filium Dei nasciturum de Virgine præsciuerunt angel. serm.ang.4. Et Adam 7. Et Abraham 8. Deinde Prophetæ 9. vnde omnes gaudebant.
Filius Dei dicitur medulla Virgæ iesse, ser.ange.11.
Filius Dei solus assumpsit carnem, ser.ang.15.
Filium immolare cur præcepit Deus Abrae, extr.32.
Filij Christi captiui dicuntur christiani, extr.48.
Filios infirmos parit mulier infirma, ext.67.
Finis huius vitæ similatur fossis, 2.li.ca.1.
Finis subitus non damnat, sed opera, 2.l.ca.2.
Finis perfectionis est timor Dei, 4.l.c.125.
Finem non habet pœna damnatorum. 6.l. cap.23.
Finis non inuenitur in Deo, 8.l.cap.48.
Flabellum dicuntur homines voluptuosi, 3.l.ca.7.
Flagellis cur mali sunt liberi, 5.l.inte.respon.2. & inte. 13. respon.3.
Flagella fugare diabolum quid est. 6.l.c.51.
Flagellantur filij Dei, & amici in hoc mundo, & quare 4.l.cap.64. item 5.l.inter.13.respon.3. & inter. 14.respon.5.
Flagellatus Iob gessit typum iustorum. 5.lib. inte. 15. respon. 5.
Flamma lucens dicitur Virgo Maria. 1.l. cap.50.
Flammas duas emittere debet contemplatiuus. 6.l.65.
Flamma tres charitatis Dei venerunt per Mariam, ser. angel. 12.
Flammæ radiantes dicuntur virginitas, & humanitas, & obedientia Mariæ, ser.ang.c.12.
Flos crescens super quinque montes, & super choros Angelorum dicitur Virgo Maria. 1.l.c.52.
Flores in horto Dei sunt Maria, & electi. 1.l.ca.52.
Flores bonæ arboris sunt Verba Christi. 2.l.c.24.
Florum fasciculus dicitur diuina prædicatio. 3.l.cap. 3. item 4.l.c.126.
Flori gladiolo similatur Maria. 3.l.ca.30.
Flori assimilatur Deus. 4.l.ca.21.
Floribus comparantur verba, & opera virtuosa. 4.l.c. 26. & 126.
Flori dulcissimo comparatur Maria. 4.l.ca.86.
Flores portare spiritualiter quid est. 8.l.c.10.
Floribus tribus lilij ornata erat Maria. ferm. ang. 13.
Folia quinque floris notant quinque virtutes Mariæ. 1.l cap.31.
Folia misericordiæ, & iustitiæ Dei. 4.l.ca.85.
Folia portare spiritualiter quid est. 8.l. 10.
Fons misericordiæ dicitur Maria. 1.l.c.50.
Fontis aqua quomodo sciatur esse bona, & quid significat. 4. lib cap.69.
Fons totius boni est cor Christi. 4.lib.ca.101.
Foramina cardinum notant humilitatem. 4.l.ca.49.
Foramine galeæ malorum, quæ sunt. 4.li.95.
Fores thalami dicitur voluntas. 6.l.ca.33.
Formicæ similantur mundani. 4.l.41. & 68.
Formidare habent quibus bene succedit. 5.lib.inter.13. respon. 3.
Fornax ardens dicitur infernus. 4.l. c.7.
Fortitudo Mariæ quanta est. 1.l.ca.31.
Fortitudo dicitur currus securus. 4.l.c.17.
Fortitudo corporis venit ex semine parentum. 5. lib. inte. 6. respon.1.
Fortitudine corporali, & spirituali opus est homini. 6. lib.cap.65.
Fortitudo triplex erat in corpore Mariæ, ser. ang.13.
Fossis assimilatur finis huius vitæ 2.l.ca.1.
Fossæ dicuntur delectatio, & pulchritudo mundi. 3.lib. cap. 13.
Fossæ spiritualiter transiliendæ, quæ sunt. ext. ca.79.
Foueam fodere in via Dei, quid est. 4.l.cap.10.
Fouea Dei ante malos dicitur infernus. 4.l.c.10.
Fouet qualiter Christus filios suos. 1.l.c.9.
Francisci conuersio describitur. 7.l.c.20.
Francisci regula est ex Spiritu sancto. 7.l.ca.20.
Franciscus commendatur, ext. 67. & 70.
Francisco dedit Christus quod Assisij sit peccatorum remissio. ext. 90.
Frater hominis dicitur Christus per humanitatem. 2.l. cap.11. & 12.
Fratres suos commendauit S. Dominicus sub mantello Mariæ. 3.l.c.17.
Fratres animæ dicuntur Angeli, & quantum eam diligunt. 3.l.c.24.
Frater quidam Cisterciensis post 18. annos apostasiæ saluatus est. 4.l. 3.
Frater hominis mortuus dicitur anima peccatrix. 4.lib. cap.72.
Frater quidam occultans quoddam peccatum non potuit mori. 4.l.ca.98.
Frater hominis dicitur sua voluntas. 4.l.c.123.
Frater quidam tentatus 12. annis precibus sponsæ liberatus est. 6.l.c.3.
Frater verus quis est. 6.l.cap.30.
Frater Mariæ, & Marthæ mortuus quid significat spiritualiter. 6.l.c.65.
Frenum diaboli dicitur pudor confessionis. 4.l.c.17.
Frigus feruens dicitur amicitia carnalis, & auditus mundus. 2.l.23.
Frigus animæ dicitur obduratio. 2.l.c.26.
Frigus cooperiens dicitur peccatum. 4.l.c.79.
Frigus patitur qui diffidit de Deo. 6.l ca.84.
Fons superborum qualis erit in pœna. 6.l.c.32.
Fructifera nascentia terræ, vt vos facit lacrymæ animam. 4.l.ca.81.
Fructifera quam erant opera Mariæ. ferm. ang. 5.
Fructificare spiritualiter quid est, 2.l.c.19.
Fructui spinæ assimilantur mali sacerdotes. primo lib. cap.48.

Digitized by Google

Fructus Episcopalis dignitatis qualis erit.3.l.ca.3.item 4.l b.126.
Fructum modicum cur faciunt prædicatores.4.l.c.72.
Fructus qualem portabit homo spiritualiter.8.lib.10.
Fructus ligni vitæ est corpus Christi ser.ang.21.
Fugari per quid potest diabolus.2.l.ca.21.item 4.l.14. item 6.l.ca.51.& 78.
Fugere peccatum tria inducunt hominem.3.l.c.12.
Fugere quid debet homo. 4. libro. cap..107.item ante regul.cap.3.
Fugere potest homo peccatum per tria. 4.l.cap.126.
Fugiunt dæmones ab anima propter Mariam. 6.l.21.
Fuligo in domo dicitur voluptas carnis. 5.l.reuel. post interr.13.
Fumus procedit de mala vita clericorum.4. l.49.
Fumus nocens dicitur amor mundi.5.libr.reuelat.post inter.13.
Fundamentum Ecclesiæ est fides Christi.1.l.5.
Fundamentum domus animæ est voluntas . 7.l.c.5.
Funis patibuli inferni est ignis.1.l.56.
Funis contra hostem dicitur charitas. 6.li.51.
Fur ouium Christi dicitur diabolus. 3.l.c.17.
Fur pessimus quis est, 4.l. c.1.
Futura , quæ prædicunt Phytones cur aliquando eueniunt.6.l.c.82.

DE LITTERA G.

GAlea animæ est desiderium Dei. 1.lib. 11. item bona voluntas,4.l 74.& spes perfecta.cap.89. item sapientia diuina.6.l.c.43.
Galea malorum est duricia cordis.4.l.95.
Gaudent Angeli , & animæ in purgatorio de nomine Mariæ. 1.li.cap.9.
Gaudent Angeli, & omnes sancti de pulchritudine,& puritate Mariæ.1.l.31.& 46 item 4.l.c.138.
Gaudebant sancti de natiuitate Mariæ.6.l.c.56.
Gaudebat Abraam , quod Maria ex sua progenie nasci debebat,& de ea Christus.ser.ang.8.
Gaudium cœleste significatur per altare.6.l.c.9.
Gaudium est vbicunque fuerit Christus. 6.l c.94.
Gaudium spiritus dicitur thesaurus Dei.7.l.ca.4.
Gaudium Mariæ semper mixtum fuit dolore. sermon. angel.7.
Gazophilacia duo dicuntur amor Dei,et mundi.1.l.15
Gazophilacium Dei fuit Anna.ser. ang.10.
Genæ significant verecundiam.1.li.23.
Generibus tribus hominum succurrere possunt amici Dei.2.l.ca.14.
Genera quatuor hominum seruiunt Mariæ.6.l.57.
Genera tria armorum homini necessaria.6.l.c.43.
Genera tria dæmonum describuntur.6.l.ca.80.
Generatio carnalis,& spiritualis.4.l.ca.13.
Generatione non debet homo superbire.6.l.c.32.
Gentiles dicuntur oues mortuæ.6.l.ca.59.
Gentiles quomodo iudicabuntur , & an aliqui saluantur.3.l.c.26.
Gentiles conuertere volens quid faciet , & conuersos quomodo tractabit.4 li.2.& cap.129.
Gentibus aliquibus qualem misericordiam facit Deus, 6.li.c.77.
Gentiles dicuntur filij fascinati.6 l.101.
Genua animæ quæ sunt.4.l.c.74.
Georgius fuit verus miles Christi.2.li.7.item 4.l.c.74 item 8.l 32.
Gestus suos moderari debet homo. 6.li.c.122.
Gygas fortis Dauid erat,sed Christus optimus.4.l.129.
Gygantem quomodo potuit Dauid prosternere.6.libro, cap.41.
Gladius Ecclesiæ abiectus est, 1.l.55. & 56.
Gladius animæ dicitur timor Dei , & obedientia , & confidentia, 2.l.ca.9.& 11.item 4.l.ca.74. item 6. lib.cap.41.
Gladius ad quid datur militibus.2.l.c.13.
Gladius iustitiæ qualis sit,& quomodo teneatur,& vibretur.4.l.74.
Gladius spiritualis describitur notans confessionem , & quomodo teneatur.4.l.c.89.
Gladius malorum quis esse dicitur.4.l. cap.95. & 96. & 129.
Gladium habere in manibus spiritualiter quid est . 6. l.cap.22.
Gladius tricuspis dicitur mors,9.li ca.48.
Gloria cœlestis qualis est. 2.l.ca.15.
Gloria veri militis Christi,quæ est.4.l ca.55.
Gloria est vbicunque fuerit Christus. 6.l.c.94.
Gloriæ sanctorum congaudere salubre est. 6.l.ca.108.
Gloriam introducit obedientia.6.l 111.item extra.96.
Gloriari de inflatis saccis quid est.3.l.cap.11.
Gloriari vnde debet homo.4 l.55.
Gratia Dei similatur surculo.1.l.ca.20.
Gratiam Dei vertit sibi homo in iram.1.l.ca.27.
Gratia Dei venit in animam,sicut Rex in ciuitatem . 2. lib.cap.13.
Gratia Dei non debet occultari sed diffundi in alios.2. li.14.item 4.l. 128.
Gratia sua visitat Deus omnes.4.l.c.2 & 16.
Gratia Dei non ingreditur superbos. 4.l. 112.
Gratia nullus æquatur Mariæ.5.l.inte.9.respo.1.
Gratia cur aliquibus habita subtrahitur. 5.lib.inte..13 respons.1.
Gratia cur non datur omnibus æqualis. 5.lib.inter.13. respon.5.
Gratia cur datur vni in principio vitæ , & alteri circa finem.5.l.inte.13.respo.7.
Gratiam dat Deus diligentibus se 6.l.ca.50.per totum,
Gratiam inuenit Iudith per continentiam. 6.li.119.
Gratia contritionis qualiter obtineatur. 7.l.13.
Gratiam Dei recuperare volens quid faciet.7.l.27.
Gratia Spiritus sancti denotatur per vinum , sermo angel.3.
Gratiam suam exhibet Maria omnibus extra.80
Gratia pœnitentiæ non aufertur homini quamdiu viuit. extra. 89.
Gradibus septem honorauit Deus sacerdotes. 4.lib.58. & 133.
Grando nocens dicitur voluptas carnis.2.l.ca.23.

Grando

Digitized by Google

Grando vnde venit, & notat lacrymas peccatorum. 4. l.cap. 81.
Grauare populum, & subditos malum est. 4.l.13. item 7.l.11.extr.73.
Grauia in seruitio Dei quomodo alleuientur. 1.l.c.15.
S.Gregorius eleuauit Cæsarem a pœnis. 4.l.c.13.
Gubernatores iniqui dicuntur potentes mundi. 3.l.5.
Gubernaculum nauis iustorum est Christus. 4.l.88.
Gubernatori nauis similatur bonus prælatus. 6.l.65.
Gula dicitur fossa profundissima. 4.l.102.
Gulæ peccatum, & eius purgatorium quomodo deleatur. 6.l.ca.10.
Gustus spiritualis præponderabit gustui corporali. 2. l.cap.14.
Gustus dicitur quasi medicus animæ. 6.l.66.

DE LITTERA H.

HAbere omne bonum quid est aut omne malum. 6.lib.cap.38.
Habere vtiliter bona temporalia quomodo debet homo. 6.lib.146.
Habitaculum Dei est cor iusti in quo sint tria. 1.l.30. item 2.l.3.
Habitatio Papæ, & Cardinalium, vbi erit in futurum, & quando. 6.l.74.
Habitat qualiter diabolus in peccatoribus. 1.l.cap.13. per totum.
Habitare vbi vult Christus. 1.l.49.
Habitat in quo Spiritus sanctus. 4.l.67.item 5.l.inter. 15.resp.6.
Habitatrix corporis est anima. 6.l.66.
Habitus clericalis qualis, & quantus sit. 4.l.80.
Habitus monachi spiritualis quis est. 4.l.c.121.
Habitus sponsæ Christi qualis sit. 7.l.42.
Habitum austerum habere suadetur. 6.l.93.
Hedus ad sinistram Dei quid significat. 5.l.interro.16. respon. 1.
Hely sacerdos arguitur. 6.l.53.
Helias Propheta comparatur monti. 1.l.51.
Helias comedit panem, & aquam, & quid significat. 3.l.1.item 4.l.ca.126.
Herbis similātur dona Spiritus sancti. 4.l.ca.114.
Hæredes tenentur satisfacere pro defunctis. 7.l.ca.13.
Hæreditatem quam homo vendidit, & perdidit redemit ei Christus. 1.l.c.2.& 58.item 2.l.cap.13.item 4.l.cap.111.
Hæreditatem quam filij spernūt accipiunt extranei. 2. lib.ca.4.
Hæreditas Isaac, Iacob, & Iudæ fides erat Christi. serm.ang.8.
Hæremitarum status qualis fuit olim. 3.l.21.
Hæremitæ antiquitus cur tantam habuerunt abstinentiam. 4.l.108.
Hæremus habens in se feroces bestias dicitur mundus. 8.l.ca.18.
Hester commendatur de humilitate. 8.l.12.
Heu est nomen diaboli. 8.l.48.
Homo quid nam amisit per originale peccatum. 1.l.26.
Homines omnes in mundo significantur per quinque viros. 1.l.41.
Homo per modicum malum descendit ad summum. 1. l.cap.43.
Homo peccator assimilatur api maiori. 1.l.44.
Homo solummodo contradicit Christo. 1.l.45.& 46.
Homo peccat contra Deum tripliciter, sicut fecit Israel in deserto. 1.l.35.
Homines iusti dicuntur vinea Christi. 2.l.16.
Homini dedit Deus duo bona in eius creatione, & quomodo, ac quando fuit victus, & deceptus. 2.l.17.
Homini lapso dedit Deus plura remedia contra malitiam diaboli. 2.l.17.
Homo quomodo potest renouari a peccatis suis. 2.libr. cap.18.
Homo cooperari debet, vt obtineat charitatem. 3. li.cap.12.
Homo ad quid positus est in mundo. 3.l.cap.28.
Homo sponte currit in rete diaboli. 4.l.c.22.
Homo sit sicut sponsa, mater, arbor, & vas mundum. 4.l.cap.26.
Homines in mundo similantur tribus nauibus. 4.l.14.
Hominis lapsus, & liberatio describitur. 5.l.interro.10. respon.1.item 8.l.48.item serm.ang.6.
Hominem quare creauit Deus. 5.l.interr.9. resp.
Homo cur habet corpus, & non Angelus. 5.l.inter. 9.respon.2.
Homo cur habet flebilem ingressum, & egressum, & vitam laboriosam. 6.l.inter.9.respon.2.& inter.12. respon.2.
Homo ante peccatum nihil habuit deforme. 5.l.inter. 12.respon.1.
Homo cur non potuit redimi per alium quam per Christum. 5.l.inter.12.resp.4.
Homo peccando sibi, & alijs male promeruit. 5.l.inter. 14.resp.1.& resp.2.
Homo vincitur a minimis creaturis. 5.lib.interrog.15. respon.1.
Homo assimilatur agro quinque pedum. 6.l.21.
Homo sit vt arbor bene radicata. 6.l.30.
Homo mundanus similis est huboni. 6.l.cap.45.
Homines aliqui similes sunt meretricibus. 7.l.c.27.
Homines quidam dicuntur animalia indomita. 8.l.18.
Hominis adiutoria sunt animalia. 8.l.48.
Hominum iustum notat Angelus apparens Tobiæ. 8. l.cap.54.
Hominis creatio erat secunda corona Dei. serm.ange.6.
Homines quomodo vixerunt ante legem Moysi. serm. angel.10.
Homines omnium statuum culpabiles sunt coram Deo. extrau.5.
Honestas Mariæ quanta fuit in mundo. 1.l.ca.51.
Honorem qualem amisit homo per originale peccatum. 6.l.26.
Honorem qualem habet iam Maria pro sua humilitate, & obedientia. 1.l.42.
Honorem paratum dominis quandoque accipiunt pauperes. 3.l.4.

Digitized by Google

Honorem habere sine onere periculum est.3.l.9.
Honores mundi dicuntur siliquæ porcorum. 4.l. cap.1.
Honor hominis debetur Deo, 4.lib.20.item 5.lib.inter. 7.respon.4.
Honor mundi quid esse dicitur. 4.l.15.
Honorem proprium libenter audire malum est. 4.libr. cap.52.
Honor spiritualis quadrupliciter potest obtineri.4.libr. cap.111.
Honore spirituali quis est dignus.4.l.c.111.
Honor Dei ab hominibus est neglectus. 6.l.ca.45.
Honor mundi dicitur puteus turbidus. 6.l.c.54.
Honoribus quantis glorificata est anima Mariæ in cælis,serm.ang.20.per totum.
Honorem suum, & non Dei quærunt laici clerici, & claustrales. extr.83.
Honoratur Deus etiam ex malitia peccatorum. 3. libr. cap.24.
Honorauit Deus sacerdotes septemplici honore.4.l.58.
Honorare Christum quomodo debet Rex 8.l.ca.7.
Honorari quis est dignus.8.l.c.56.
Horæ cum cantantur non vagetur homo in ecclesia. 4.l.cap.80.
Horas dicendo quomodo se habeant clerici. 4.l.c.80.
Hora mortis cur est incerta.5.l.inter. 6.resp.4.
Horas Mariæ legere quam salubre est.6 l.cap. 21. & 59.item 8.l.c.2.
Hora aurea erat Conceptio Mariæ.6 l.c.55.
Horæ Beatæ Virginis dici possunt ante horas de tempore, extr.3.
Horas dici quomodo disponet homo vtiliter.extr.65.
Hospes expulsus ab hominibus dicitur Christus.1.l.49.
Hospites hominis spirituales,qui sunt,& quomodo tractantur.6.lib.65.
Hospitando non grauare pauperes bonum est, extrauag.56.
Hostes tres sunt in via Dei primus vult obstruere auditum, secundus pungere oculos, tertius illaqueare pedes,3.l.c.2.item 4.l.126.
Hostes spirituales diuersimode impugnant homines. 4. l.cap.29.
Hostis hominis est diabolus.4.l.c.47.
Hostem repercutere spiritualiter quid est. 4.l.c.106.
Hostem vicerunt differenter Christus,& Dauid. 4.lib. cap.126.
Hostes quando venire dicuntur ad domum animæ. 6. l.cap. 67.
Hostis conatur suffodere fundamentum, & saltare super murum, transfodere parietes, & venire in domum animæ duabus vijs, per portas domus.7.libr. cap.5.vide plus in Inimicus.
hostiario similatur confessio peccatorum.4.l.c.41.
hostiarius animæ dicitur auditus.6.l.66.
hostium domus animæ dicitur spes.2.l.c.27.
humanitatem suam vocat Christus seruum.1.l.40.
humanitas Christi habuit quasi duas alas.2.l.c.29.
humanitatis Christi veritas probatur. 5.li.interrog.10. respon. 4.
humanitatem suam cur Christus ostendit aperte,& non deitatem. 5.lib.inter. 11.respon.1.
humeri Christi spiritualiter, qui sunt.7.li.19.
humiliare se seniori spirituali dicitur medicina optima. 4.l.cap.79.
humiliare se debet homo quadrupliciter. 4.lib.91.
humiliare se Deo non vult diabolus.4.l.95.
humilis verus quis est.6.l.c.69.
humilitas vera, quid, & quæ est.1.l.3. item 4. libro, cap.97.
humilitas similatur auribus.1.l.23.
humilitas dicitur domina in sede speciosa, & notat Mariam Virginem.1.l.29.
humilitas dicitur vestis animæ.1.l.34.
Humilitas Mariæ qualis, & quanta fuit, & quid, & quanta promeruit. 1.l.42.item 2.l.23.item 3.l.30 item 6.l.53.item serm.ang.7.& 12.& 20.
Humilitas dicitur equus militis Christi.2.l.11.
Humilitatem vocat Maria mantellum suum, & defendit homines ab aere corrupto,frigore vrente,& imbre nubium.2.l.23.
Humilitas quomodo apprehendatur. 2.l.ca.23.
Humilitas dicitur ala animæ.3.l.c.14.
Humilitas dicitur rota in curru iustorum. 4.l. ca.17. & 97.
Humilitas similatur foramini cardinis,4.l.c.49.
Humilitas quam vtilis, & necessaria est homini.4.lib. ca.58. item 5.li.inter.2.respon.1.item 7.l.21. item extra.77.& 73.
Humilitas hominum quandoque est superbia. 4.libro, cap.68.
humilitas meretur hominibus pacem. 4.l.105.
humilitas dicitur scopa Christi.6.l.35.
humilitas est homini necessaria.6.l.42.
humilitas Christi dicitur vestis habenda pro hospitibus. 6.lib.ca.65.
humilitas vera in veste,quæ est,& quando est.6.l.65.
humilitas inducit Deum in cor.5.l.c.116.
humilitas promouit Hester.8 l.c.12.
humilitas est principium virtutum.ext.1.
humor triplex procedit de nube, & significat lacrymas hominum.4.l.c.81.

DE LITTERA I.

IAcere totus in terra spiritualiter. quid est, 4.libro, cap.98.
Iacob hæreditas fuit fides Christi.serm.ang.8.
Iacobum Apostolum commendat Christus, extrauag.34.
Iacula emisit homo quoties nominat diabolum. 1.lib. cap.13.
Ianua thalami Christi est voluntas bona.6.l.33.
Iaspis quas virtutes habet,& quid significat.4.l.164.
Ictus frangens feras vitiorum est zelus animarum. 3. l.ca.30.
Idiotis dat Deus sapientiam.4.l.22.
Idolum faciunt mali sacerdotes de Christo, sicut gentiles beelzebub. 1.l.48.item.4.l.c.131.

Digitized by Google

Idolum colit, qui amat mundum. 1.l.51.
Idola ruerunt veniente Christo in Aegiptum. 6.l.58.
Idola coluerunt aliqui de populo Israel.ser.ange.9.
Idolatria quando incepit. ser.ang.8.
Iejunare discrete debet homo, & quomodo.6.l.ca.17.
& 65.item 8.l.cap.2.
Ieiunare volens, & non potens meretur.6.l.65.
Ieiunare insipienter manuet, & irrationabiliter quid
est, extrau.53.
Ieiunio voluntario praeualet obedientialis comestio. 4.
lib.26.item 6.lib.49.& 65.item extra. 61.
Ieiunia indiscreta non placent Deo.6.l.69.& 91. item
extra.13.& 57.
Ieiunia sua quomodo temperauit Christus.6. l.121.
Iezabel cur fuit deiecta.8.l.& 14.
Igni ardentissimo similis est potentia Christi.1.li.c.50.
Ignis Spiritus sancti quomodo differt ab igne diaboli.12
lib.ca.54.
Ignis dicitur furis patibuli inferni.4.l.36.
Ignem habere in myrrha in arido, & in oliua spiritua-
liter quid est, 3.l.21.
Ignis infernalis describitur.4.l.ca.7.
Ignis sub olla dicuntur amici mundi.4.l.cap.11.
Ignis amoris diuini quomodo fixit se in Maria. 5.l.in-
terr.9.respon.1. item ser.ang.11.
Ignis in lampade dicitur Spiritus sanctus in corde.5.l.
reuel.2.post interr.16.
Ignis purgatorij quomodo potest extingui. 6. l. 10. per
totum.& 39.
Ignis habendus pro hospitibus dicitur Spiritus sanctus.
6.lib.65.
Ignis Spiritus sancti quomodo obtinebitur, & custodie-
tur.6.l.65.
Ignis sub olla dicitur diuina charitas.extra.94.
Ignis sub olla dicitur amor superfluus.extra.95.
Ignorantia triplex describitur.3.l.26.
Illuserunt qualiter Christum inimici eius. 1.l.10. item
4.l.70.
Illudit qualiter diabolus volentes poenitere.4.li.73.
Illusit quantum diabolus quendam monachum. 6.libr.
cap.68.
Imagini faciens contumeliam facit, & ei cuius est ima-
go.1.l.37.
Imitari non debet homo perfectiores supra vires suas.
4.l.20.
Imitari debet homo Mariam, Dauid, & Abraam. 4.li.
cap.106.
Imitantur Christum homines diuersimode. 5. l.interrog.
16.respon.3.
Immunditia similatur procella maris.3.l.c.5.
Impatientia dicitur currus malorum. 4.l. 17.
Impoenitentia in corde est, sicut vinum in dolio. 3.libro,
cap.23.
Impatientia tollit coronam.4.l.47.
Impatiens dicitur fugere sanguinem leonis. 4.libro,
cap.39.
Impedit diabolus bonos ne loquantur.4.l.ca.21.
Impedit animam nimia afflictio.6.l.91.
Imperatori mandat Christus exaltare quatuor filia
Regis caelestis. 4.lib.45.
Imperatrix omnium Reginarum est Maria.5.l.reuel.
post interr.9.
Imperator summus est Christus. 8.l.1.
Impij quare prosperantur in mundo.5.l.interr.6.respo.
2.& interr.13.resp.6.
Incantationi credens quidam subito mortuus est. 6.lib.
cap.76.
Incantationes fiunt diuersimode, & male.7.l.28.
Incantatrix quedam horribiliter obiit.6.l.ca.3.
Incarnatio Christi honestissima describitur, serm.ange.
1.& 3. &c. Vide in Annunciatio, & in concep-
tio Christi.
Incarnari cur maluit Deus ex Maria Virgine quam
de alia foemina.1.l.cap.28.& 50. item 3.l. 8. item
5.libro.interrogat.9.respon.1.& reuel. post interr.
9.& interrog.10.respon.1.& interrog.12.respo.1.
& reuel.2.post interrog.16.item 6.l.cap.12.item 8.
libr.47.
Incarnari cur tam diu distulit Deus. 5. lib. interr.16.
respon.4.
Incarnari cur voluit Deus.serm.angel.3. item extrau.
50.& 51.
Inconstantia quam nociua est homini. 8.l. ca.48.
Incontinentia expellit Spiritum sanctum.1.l. 59.
Incontinentia quam abominabilis est Deo.4.l. 94.
Incontinens notatur per hedum.3.l.interr.10.resp.1.
Incubus quomodo fugabatur a duabus mulieribus. 6.l.
80.& 81.
Indicium magnae dilectionis Dei, quod est. 5.lib.interr.
15.respon.3.
Indignatio Dei dicitur virga iustitiae.4.l.139.
Indulgentias ecclesiae S. Petri ad vincula dedit Christus
monasterio S.Brigittae.4.l.c.137.
Indulgentias mereri salubre est.7.l.ca.13.
Indulgentia plenaria est in Hierusalem.7.l.14.
Indulgere libenter offensas debet homo.4.l.8. item 7.
lib.ca.18.
Induratio hominis quid est.5.l.inter.13. resp.5.
Indurantur cur aliqui homines. 5.libr. interrogat. 13.
respon.5.
Induratur cur aliquando cor hominis iusti.3.l.cap.30.
Induratus cur fuit Pharao.5.l.interr.13.resp.5.
Infantia Christi describitur, & quid egit vsque ad pas-
sionem suam.6.l.58.
Infantia Mariae commendatur, & cui etas similis. ser.
ang.5.& 12.
Infans quam perfectus nasceretur si homo non peccas-
set.1.lib.16.
Infans diaboli, & anima viciosa dicitur peccatum. 1.l.
cap.43.
Infans cur aliquando moritur intra viscera matris, &
vbi manet.5.l.inter.6.resp.1.
Infantes cur fuerunt occisi ab Herode.5.lib.interr.12.
respon.4.
Infantes cur aliquando vexat diabolus. 5.lib.interrog.
15.respon.7.
Infernum adducit voluntas peccandi.1.l.ca.16.
Infernus quare, & ad quid factus est.1.l.c.34.& 58.

Digitized by Google

Inferni miseriæ, quæ sunt, 2. l. cap. 15.
Infernus non punit omnes æqualiter, 3. l. cap. 18.
Inferni pœnæ cur non videntur, inter. 8. resp. 4.
Inferni vera via, quæ est, 6. l. cap. 51.
Infernum, qui semel intrat nunquam inde liberatur. 7. lib. cap. 19.
Infirmitatem suam qualiter considerabit homo, 2. l. cap. 26 & 27.
Infirmitas mentis vnde venit. 4. l. cap. 24.
Infirmitas meritoria est, & prodest electis, 4. l. ca. 12. & 40. & 91. item 5. l. interr. 4. respon. 3. item 6. lib. cap. 35 & 93. & 102.
Infirmitas animæ quid est, 4. li. ca. 115.
Infirmitas cur aduenit corpori, 5. l. inter. 5. respo. 3.
Infirmitatem addere vulneribus Christi quid est. 6. lib. cap. 19.
Infirmitas patienter est sustinenda, 6. lib. cap. 30. item extrau. 67.
Infirmitas dicitur excommunicatio. 6. li. ca. 87.
Infirmus reficitur bono odore, & cibo. 4. l. cap. 107.
Infirmus spiritualiter tractari debet, vt infirmus corporaliter: 5. li. reuel. post inter. 8.
Infirmorum auxilium est Christus, 6. l. cap. 13. & 39. & 90.
Infirmus videns, & non petens iuuamen meretur. 6. li. ca. 65.
Infirma fœmina infirmos parit pueros, extr. 67.
Infula episcopalis quid significat, 3. lib. cap. 3. item 4. lib. cap. 126.
Ingenium magnum habens timeat, & non habens gaudeat. 5. l. interr. 13. resp. 4.
Ingratitudo quam nociua est homini. 3. lib. cap. 30. item 4. lib. cap. 39. & 59. item 5. libr. interr. 13. respon. 1. & respon. 2. & resp. 7. & reuel. post inter. 14.
Ingratitudo hominum maxima ad Deum patet. 4 libr. cap. 61.
Ingressus in cælum per quid obtinetur, 5. lib. 8. resp. 1. respon. 2.
Inimici Christi sunt quasi bestiæ ferocissimæ, 1. lib. c. 4.
Inimicus quidam Christi similis erat aquilæ aucupi, & pugili. 1. lib. cap. 17.
Inimici Dei tolerandi sunt propter tria. 1. li. cap. 12.
Inimicos suos tolerant Deus propter amicos. 1. l. c. 52.
Inimicus Dei quomodo potest fieri eius amicus, 3. l. cap. 19.
Inimici Christi appropinquant iudicio, 4. l. c. 95. & 96.
Inimicum repercutere quid est, 4 l. c. 106.
Inimico quid respondeat homo, 6. l. c. 17.
Inimici Dei proiiciunt arma, 6. l. c. 43.
Inimicus nititur suffodere domum animæ, & quomodo ei resistatur, 7. l. c. 5.
Inimicis suis facit Deus sicut Piscator, 7. l. c. 27.
Inimici quinque stant in qualibet via hominis in hac vita, extr. 65.
Iniquitas assimilatur serpenti, 1. l. c. 23.
Iniquitas nunc magis abundat quam tempore diluuij, 1. l. c. 45.
Iniustitia comparatur Scorpioni, 1. l. c. 23.
Innocentiam abstulit inobedientia, quæ redditur homini in baptismo, 5. l. inter. 14. resp. 3.
Innocentes pueri cur occisi fuerunt, 5. l. inter. 12. responsi. 4.
Inobedientia priuauit hominem multis bonis, 1. l. c. 26.
Inobedientia eiecit Angelos de cœlo, & hominem de paradiso, 2. l. c. 17. item serm. ang. 21.
Inobedientia dicitur rota in curru malorum, 4. l. c. 17.
Inobedientia quanta mala intulit homini, 5. l. inter. 14. resp. 1.
Inobedientia dicitur liber diaboli, 6. l. ca. 39.
Insensibilia cur non habent vitam, 5. l. int. 9. resp. 4.
Insignia veræ militiæ quæ sunt, 2. l. c. 13.
Instrumenta tria sunt proditionis pessimæ, 1. l. c. 47.
Instrumenta necessaria quæ sunt ad ædificandum, reparandum, & colendum terram corporis, & animæ, 2. l. c. 27.
Instrumenta corpori, & animæ necessaria ad se promouendum, & vehendum. 2. l. c. 27.
Instrumenta ad punitionem animæ, 4. l. c. 34. & 52.
Instrumenta virtutum sunt iusti, 4. l. c. 64.
Instrumentum diaboli est homo malus, 5. l. int. 6. resp. 5. item 8. l. c. 47.
Instrumenta asportata dicuntur clerici, & religiosi, 6. l. cap. 26.
Instrumenta Christi sunt prædicatio, abstinentia, & paupertas, quæ a quibusdam proiiciuntur, 6. l. c. 35.
Intellectum rationalem cur non habent animalia, 5. l. inter. 9. resp. 3.
Intelligentiam cur dedit Deus homini, 5. l. inter. 3. respon. 1.
Intentionem hominis accepit Deus pro opere, 2. l. c. 3. item 6. l. c. 24.
Intentio hominem iudicabit, 4. l. c. 67.
Intentio bona facit odorem in vestibus, 6. l. c. 18.
Interstitio narium similatur desiderium, 4. l. c. 129.
Inuidia dicitur scintilla inferni, 2. l. c. 17.
Inuidia dicitur fera excludens, 3. l. c. 13.
Inuidia dicitur liber diaboli, 6. l. c. 39.
Inuidia qualem meretur pœnam, extr. 75.
Ioab quare cecidit, 4. l. c. 130.
Ioachim placuit Deo super omnes coniugatos, sermo angel. 10.
Iob punitus fuit ex misericordia Dei, 1. l. 36.
Iob flagellatus gerit typum iustorum, 5. l. interr. 15. respon. 5.
Ioculator describitur cui similantur quidam clerici, 4. l. c. 62.
Ioannes Baptista vocatur Angelus, & Virgo, 1. l. c. 26.
Ioannis Euangelistæ mors, & gloria describitur, 4. l. c. 1. & 23.
Ioannem Baptistam commendat Maria, 4. l. c. 18.
Ioannes Baptista quam virtuosus erat a pueritia, 4. l. c. 74. & 109.
Io: Euangelista scripsit Apocalypsim, 6. l. c. 89.
Ioannis Euangelistæ virginitas commendatur, 6. l. cap. 119
Iordanem transire spiritualiter quid est, 6. l. c. 106.
Ioseph fuit testis, & custos virginitatis Mariæ, 5. l. inter. 12. resp. 2. item 6. l. c. 59.

Io-

Ioseph quam virtuosus erat coram Virgine, 6. libro, cap. 59.
Ioseph qua intentione desponsauit Virginem, 7. libro, cap. 25.
Iram Dei prouocat homo tripliciter, 1.l.cap.53.
Ira charitate fugatur, 3.l.cap.2.
Ira dicitur sera excludens a Deo, 3.l.cap.13.
Ira Dei contra peccatores quomodo possit mitigari, 4.l.cap.7.item 8.l.cap.57.item extrauag.74.
Ira peccat homo quadrupliciter, & quomodo se ab ea temperabit. 6.lib.cap.6.& 65.
Ira dicitur liber diaboli. 6.l.cap.91.
Iram Dei prouocat lasciuia prælatorum. 6.l.cap.53.
Ira subita quomodo emendetur, extra. 65.
Ysahac hæreditas fuit fides Christi, ser.ang.8.
Israel quasi scholaris probatus fuit in deserto. 8.libro, cap. 49.
Iudas credidit se indignum viuere. 1.cap.37. Iudas vtr fuit vocatus ad Apostolatum. 3.l.cap.19.
Iudæ proditio tria bona ostendit in Christo, 4. libro, cap. 58.
Iudæ qui sunt similes, 4.l.cap.98.
Iudas fuit breuis staturæ. 4.l.cap.99.
Iudas non habuit stabilitatem. 4.l.cap.106.
Iudæi quomodo, & quare crucifixerunt Christum, 1.l.cap.37.
Iudæi quam ingrati sunt, & increduli, & eorum iudicium. 1.l.ca.41.
Iudæi dicuntur omnes stantes in latebris. 1.l.ca.59.
Iudæis compatitur Christus, sicut David Absalon, 2.lib.cap.5.
Iudæi an aliqui saluantur. 3.l.ca. 26.
Iudæi quærentes interficere Lazarum quos significant. 4.l.cap.72.
Iudex iniquus describitur, 1.l.ca.5.
Iudices mundi, idest, sacerdotes quales erant olim, & & quales nunc sunt, 1.l.cap.55.& 56.
Iudici similatur Christus cuius frater venit iudicandus, 2.l.ca.12.
Iudex hominis erit sua conscientia, intentio, & voluntas, 2.lib.cap.12.item 4.lib.cap.46. & 51. & 67. & 134. item 5.lib.interrog.16.respon.3.item 6.li.cap.31.116.
Iudex iustus nouem bona debet habere. 4.lib.c.102.
Iudices iniquos quare tolerat Deus. 6.lib.interrog.5. respon. 4.
Iudicare Christum spiritualiter quid est, 2.li.cap.37.
Iudicat Deus secundum cor, & homo secundum faciem, 3.libr.cap.19.
Iudicare de quibus potest homo. 4.lib.cap.76.
Iudicant quandoque creaturæ pro Deo, 6.li.ca.96.
Iudicium horribile animæ cuiusdam nobilis, quæ non obtinuit locum in cælis, nec in purgat.&c. 1.l.28.
Iudicium mali Papæ, & malorum clericorum describitur. 1.lib.ca.41.
Iudicium iudæorum gentilium, & malorum christianorum laicorum grauissimum erit. 1.l. ca.41.
Iudicium contradicentium Christo. 1.l. ca 45.
Iudicio quali dignus est mundus. 1.libr.cap.45. item 4.libr.cap.37.
Iudicium malorum sacerdotum. 1.lib.cap.47.& 48.
Iudicium incipiet Deus in clero. 1.lib. ca.48.
Iudicium iniqui populi quale erit. 1.lib.ca.56.
Iudicium Dei est immutabile. 2.l.ca.12.
Iudicium horribile cuiusdam animæ episcopi damnatæ cuius locum in cælo accepit canonicus suus, 3.libr. cap. 4.
Iudicium graue animæ purgandæ cuiusdam Cardinalis. 3.l.cap.11.
Iudicium damnatorum, & saluandorum, 3.l.ca.26.
Iudicia Dei occulta quærere timeat homo, 3.li.cap.30. item 4.l.cap.61.
Iudicium iniquorum dominorum. 4.l.c.43.
Iudicium mitigat Deus propter pœnitentiam. 4. libro, cap. 50.
Iudicium graue cuiusdam animæ purgandæ. 4. libro, cap. 51.
Iudicium iustum qualiter faciet homo, 4.l.ca.74.
Iudicium horribile cuiusdam damnati religiosi, 4.libr. cap.102.
Iudicium de peccatoribus cur differt Deus, 4. libro, cap.115.
iudicium Dei dicitur gladius, & quale erit malis religiosis. 6.l.ca.5.& 8.
iudicij iniqui purgatorium quomodo deleatur, 6. libr. cap.10.
Iudicium mirabile animæ cuiusdam militis purgandæ. 6.l.c.39.per totum.
iudicium incurrit, qui non corrigit quos potest, 6. lib. cap.77.
iudicia sua quomodo discutiat homo, 8.l.ca.4.
iudicium horribile, & stupendum animæ cuiusdam Regis damnandæ. 8.l.ca.48.
iudicium horribile animæ cuiusdam Regis, tunc adhuc viuentis in corpore, qui fuerat Deo inobediens pater. 8.li.ca.56.
Iugum Domini quomodo fiet homini suaue in seruitio Dei. 1.l.ca.15.
iugum diaboli portant peccatores, 7.l.ca.30.
iuramentum quod facere tenentur milites, & curiales habetur. 2.l.ca.7.& 13.
iure triplici iure quædam anima similis dæmoni. 6.lib. cap.31.
iuribus nouem possedit diabolus animam cuiusdam monachi. 6.l.ca.35.
iuribus nouem possedit diabolus quandam animam purgandam. 6.l.ca.66.
iura omnia seruantur per dilectionem. 6.l.cap.116.
ius quale habet diabolus super peccatores. extra.89.
Iustitia Dei quanta est. 1.lib.cap.1.item 4.lib. cap.7. & 95.
iustitiam mitigat Deus propter bonam voluntatem. 5. 1.l.cap.2.
iustitia, & misericordia manifestant Deum esse verum. 1.li.cap.15.
iustitia Dei semper fuit, & est immutabilis, & quomodo ostenditur. 2.l.cap.51.item 3.l.cap.30.item 6.l.ca.28.item 8.li.ca.2.

Digitized by Google

Iustitiam suam quando, & quomodo ostendit Deus, 2.lib.cap.17.item 3.lib.cap.30. item serm.ang.21. item extrau.50.
iustitia Dei quam seuera est.1.l.cap.19.
iustitiam cum misericordia ostendit Deus hominibus.3.l.ca.30.item 8.l.ca.48.
iustitia Dei similatur magistro auri, 4.l.c.7.
iustitia dicitur lancea Dei,4.l.ca.10.
iustitiæ opus dicitur manus animæ, & quomodo exerceatur.4.l.ca.74.
iustitiæ gladius quis est, 4.l.ca.74.
iustitiam seueram mittet Deus malis prælatis. 4.libro, cap.97.
iustitiæ simulatio dicitur pellis dura, vt silex. 4.libro, cap.129.
iustitia quare instituta est, 5.l.inter.resp.4.
iustitia Dei similatur aculeo apis, 6.l. ca.12.
iustitia Dei intelligi potest ex iustitia mundi. 6. libro, cap.45.
iustitiam exercere quomodo debet homo, 7.lib. ca.11. item 8 l.cap.4.item extr.79.
iustitia Dei notatur per venatorem,8.l.ca.18.
iustitiam cum misericordia habet Deus in Angelis, hominibus, & animalibus.8.l.ca.48.
iustitia Dei ad Angelos, & homines, quæ est, 8. libr. cap.56.
iustitia Dei per tria potest mitigari,extra.74.
iustus nullus est sine gratia Dei, 5.libr.interrogat. 15. respon.5.
iuuare animas defunctorum quomodo possunt viui,4 li. ca.7.& 8. item 6.l.c.66.
iuuat Maria homines in tentationibus.6.l.ca.17. item 7.l.ca.28.extr.57.& 89.

DE LITTERA K.

KAroli filij Sanctæ Brigittæ militaris creatio, & spiritualis inuestitura. 2.lib.cap.13.item 4.lib. cap.74.per totum, eiusque fœlix obitus mirabile iudicium,& saluatio, 7.lib.cap.13. & 14. per totum. item in vita S.Brigittæ.
Katherina filia Sanctæ Brigittæ quam grata erat Deo, & Virgini Mariæ,& hominibus vilis, & exemplaris,patet.6.lib.cap.118.& 120.item.8.lib. in prologo, cap.3.item extrau.69.& 110.item in vita S. Brigittæ.

DE LITTERA L.

LAbia animæ duo describuntur, 4. libro. cap.82. & 87.
Labia vaniloqua qualia erunt in pœnis.6.libr.cap.52.
Laborem Christi male consumere quid est, 1. libro, cap 40.
Labor charitatis quantum valet.3.lib.ca.12.
Labor corporalis trahit animam in cœlum, 4. libro, cap.108.
Labor charitatis redimit tempora vacua.4.li.cap.109.
labor est industriuus charitas, 4. l. cap.126.
labor hominis sit cum timore, & discretione, 4. libro, cap. 129.
labor charitatis parat ingressum cœli, 4.l.interrogat.9. respon. 2.
Laborem attulit homini peccatum, 5.libr.interrogat. 14. respon.2.
labor spiritualis præseruatur corporali.6.l.ca.46.
labor bonus abolet peccata.7.l.ca.13.
laborantibus pro Ecclesia Christi promittit Maria adiutorium.3.l.ca.10.item 4.li.ca.78.
laborans pro animabus cum bona voluntate, licet, non sequatur effectus meretur.4.lib.cap.21. & 31.
laborat Christus cum proficientibus.1.lib.c.15.
laborauit Christus quandiu fuit in mundo, 1.l.cap.40. item 2.l cap.15.
laborare quomodo,& pro quo debet homo.2.l.cap.25. item 6.lib.cap.66.
laborare debet homo, vt animæ saluentur.4.lib.cap.21. & 22.item 6.lib.cap.47.
laborare non debent christiani in festis diebus, 4. libro. cap.33.
Laborare cur, & ad quid debet homo.5.lib. interr.9. & respon.2.& 9.
laborare debet homo pro cœlo, sicut Iacob fecit pro Rachel.5.l.reue.post interr.11.
laborare debet homo cum Christo volens sedere cum eo, 6.l.cap.23.
laborauit Christus manibus suis.6.l.ca.58.
laborare manibus possunt aliquando contemplatiui.6.l. cap.65.
laborare pro quo debent amici Dei, 8.lib. cap.18.
laborant diuersimode pro animabus Angelus, & diabolus.8.l.cap.48.
laborant sibi, & non Deo homines, extra.83.
laborator animæ est sensus tactus. 6.l. cap.66.
lacrymas deuotionis,& compunctionis quomodo obtinebit homo. 1.li.cap.53.
lacrymæ hominum triplices describuntur. 4. l. cap.13. & 81.
lacrymæ similes roritrahentes animam in cœlum. 4. l. cap.13.& 81.
lacrimæ similes aquæ grandini, & niui.4.l.cap.81.
lacrymæ iustorum quantum valent apud Deum.4.l.ca. 119.item 7.l.cap.13.
lacrymæ viuorum iuuant purgandos. 6.l.ca.40.
lacrymas iustorum quantum odit diabolus. 7.li. ca.13.
Lacte fouet Maria homines.4.l.c.139.
Laicorum status bene erat dispositus ad tempus.2.l.ca. 7.item 8.l.cap.22.
Laici quomodo olim dilexerunt Deum.extra.83.
Lamina calibis dicitur charitas Dei,4.l.ca.129.
Lancea quomodo perforatum fuit corpus,& cor Christi.1.libr.cap.10.item 2.lib.cap.21.item 4.li.c.70. item 7.l.ca.15.
lanceis quasi quinque affixum fuit cor Mariæ. 1. lib. cap.27.
lancea Dei dicitur iustitia.4.lib.cap.10.

Lane assimilantur verba Christi. primo libro, capitulo 38.
Lapides septem preciosi in corona Mariæ describūtur. 1.lib.cap.31.
Lapis dactyli quid spiritualiter significat. 1. libro.capitulo 43.
Lapis in annulo dicitur spes. 3.l.cap.24.
Lapidi magneti similatur Maria. 3. libro. capitulo 32.
Lapidem suspendere in via Dei quid est. 4. libro, cap.10.
Lapis in via peccatoris dicitur mors subita, 4. libro, cap.10.
Lapis sub cornu unicornis dicitur diuina charitas, 4. lib.cap.76.
lapides septem preciosi, eorumque virtutes, & significata describuntur. quarto libro, capitulo 124. per totum.
lapides habent suas naturales virtutes, extrauagant. 91.
laqueus quo capitur anima quis, & qualis est.3.l.ca. 2.item 4.li.cap.120.
laquei hostis quomodo, & quando franguntur. 4.libro, cap.75.
laqueum imponi linguę spiritualiter quid est, 8. libro, cap.48.
laqueus dicitur tribulatio, extr. 63.
laqueus dicitur dolor damnatorum.extra.89.
lasciuia prælatorum prouocat iram Dei, 6. libro, cap.53.
lascinos significat hedus, quinto libro. interrogat. 16. respon.1.
latro ouium dicitur diabolus. tertio libro. capitulo 18.
latrocinium facere in Angelos, in corpora, & in res hominum quid est.6.li.ca.23.
latus Christi pungere spiritualiter quid est. 1.libro.capitulo 37.
laudatur pulchre Maria assimilaturque templo Salomonis.3.li.ca.29.
laudant Mariam quatuor genera hominum. 6. libro, cap.37.
laudari qualiter debeat Virgo Maria pro sua conceptione, infantia, discretione, & virginitate, prima oratione. item de sua Annunciatione, Christi conceptione, natiuitate, & infantia. item pro fuga in Aegyptum, Christi profectu miraculis doctrina, & passione. item pro Christi depositione sepultura, Resurrectione, & Ascensione, item pro Spiritus sancti missione sua post Christum victione, & ad ipsum veniendi desiderio, pro sua Assumptione, potestate, dignitate, gaudio, pietate.
laudare quomodo debet homo Deum pro sua dignissima æternitate, Incarnatione, Natiuitate, Circuncisione, Baptismo, Prædicatione, manifestatione, ieiunio, & tentatione. item pro Eucharistiæ institutione sanguineo sudore, captiuatione, præsentatione ante Cayphum, Pilatum, & Herodem. item quia fuit illusus, coronatus, flagellatus, iudicatus, & crucifixus. item pro omnibus quæ passus fuit in anima, & corpore, & omnibus membris, & matris compassione, pro morte, depositione sepultura, Resurrectione, Ascensione, Spiritus sancti missione, gloria, & honore, & aduentu ad iudicium, orat. 2. B.Brigittæ diuinitus reuelata p.
laudari quomodo debent omnia, & singula lineamenta, & membra sanctissimi corporis Virginis Mariæ, primo scilicet corpus, deinde cæsaries, crines, facies, oculi, maxillæ, aures, & nares, item lingua, os, collum, brachia, vbera, pectus, item cor, venter, pedes, & totum corpus. orat. 4.
S.Laurentius tria bona habuit. primo libro, capitulo 23.
Laurentius quid cogitauit, & quid assatus orauit, 2. l. cap.26.
Laudem triplicem dedit Maria Christo. 1.libro, capitulo 46.
Laus propria non est quærenda, sed Dei. 4. libro. cap. 135. item 5. libro, interrog. 7. respon. 4.item... cap.39.
Laus pulchra ad corpus Christi, &c. 7. libro, capitulo 10.
Lazarus fuit propter quatuor resuscitatus, & significat animam peccatoris. quarto libro, capitulo 72.
Lazarum resuscitatum, vt iudei interficere volunt, ... mali pœnitentes. 4.l.ca.72.
Lazarus resuscitatus quid spiritualiter significat.6 cap.65.
Lectus Christi debet esse in corde hominis, 1. libro cap.30.
Lectum intrans, & resurgens quomodo se habeat homo, & quid orabit maxime prælati. 3.l.ca.1.item 4 li.cap. 94. & 126.
Lædere quos non potest inimicus. 4. libro, capitulo 129.
Legem Christi sperata, quam malum est. 1.libro, capitulo.58.
legem quam instituit Christus impleuit. 5.lib.inter. respon. 5.
Leges omnes seruantur per dilectionem. 6. libro, capitulo 16.
Legere sine attentione modicum prodest. 6. libro, capitulo 116.
Legere debet homo exempla sanctorum. 8. libro, capitulo 5.
Legere multa etiam suadet diabolus. 8. libro, capitulo 56.
Legiones quinque Angelorum occurrebant animæ cuiusdam militis, 2.lib.cap.11.
Lenones diaboli sunt quidam clerici, 4. libro, capitulo 33.
Leo dicitur diabolus. quarto libro, capitulo decimoquarto.
Leo, & Agnus dicitur Christus. 4.lib.cap. 39. item 5. lib.reuelat. 2.post inte.16.

Digitized by Google

Le e cur occidis prophetam iustum. 5. libr. interrog. 14. respon. 5.
Læsio facta imagini fit, & ei cuius est imago. 1. libro, cap. 47.
Lætari de quo debet homo. 5. l. interr. 4. resp. 3.
Lætitia Mariæ semper fuit mixta cum dolore. 1. libr. cap. 10.
Lætitia mundi dicitur præda in qua est laqueus. 2. lib. cap. 19.
Lætitia iustorum qualis erit in gloria. 3. l. cap. 12.
Lætitiam moderatam habere potest homo. 4. l. 126.
Lætitia mundanorum conuertetur in luctum. extrauag. 86.
Lætissima omnium matrum erat Maria, ser. ang. 17.
Lex vetus differt a noua lege. 1. l. cap. 26.
Lex Dei dicitur vestis Christi a multis contempta. 1. l. cap. 47.
Lex Christi habens duo bona tripliciter contemnitur. 1. l. cap. 47.
Lex bona ad quid debet ordinari. 4. l. cap. 111.
Lex spiritualis, quæ est, & quomodo differt a lege temporali quomodo tenetur. 4. l. ca. 111. per totum.
Lex noua, & vetus dicuntur duo muri. 4. l. ca. 133.
Lex quare instituta est. 5. l. inter. 2. resp. 4. item 9. l. ca. 55 item 7. l. ca. 10.
Lex naturalis ad quid valuit, & ad quid scripta. 5. libr. inter. 16. resp. 4 item 6. l. 55.
Liber cur traditur clericis. 4. l. c. 58.
Librum tenetur habere sacerdos. 4. l. cap. 59. item 6. li. cap. 46.
Liber diaboli dicitur inobedientia, superbia, cupiditas, inuidia, auaritia, accidia, ira, & voluptas. 6. libr. cap 39.
Liber Angeli dicitur obedientia. 6. l. cap. 36.
Libros tot cur reuoluit homo. 7. l. cap. 126.
Liberum arbitrium ad quid datum est homini. 1. l. cap. 58. item 5. l. inter. 3. resp. 3. item ser. ang. 6.
Libero arbitrio abuti quam malum est, 4. l. cap. 67. item serm. ang. 4.
Liberum arbitrium quare dedit Deus Angelis. sermo. angel. 6.
Lichinus in lampade dicitur corpus Christi, sermone angelico 3.
Lictor Dei dicitur diabolus, 4. l. c. 52. & 77. & 115. item 5. lib. inter. 15. respo. 7. item 6. l. cap. 21. & 52. item extra. 24.
Ligare se spiritualiter, & alios soluere quid est. 3. libr. cap. 16.
Ligare vult diabolus homini, manus, pedes, cor, os, & oculos, 4. lib. ca. 107.
Ligatur vnde dæmon, 6. li. cap. 3.
Ligno cuidam simile fit cor hominis. 2. l. cap. 18.
Lignum infructuosum dicitur anima mundana, 3. libr. cap. 21.
Lignum aluearij fuit corpus Mariæ. 6. l. ca. 12.
Lignum vitæ dicitur corpus Mariæ. serm. ang. 21.
Lignum verum crucis Christi habuit S. Brigitta, quod modo contemptum terribile apparebit. extr. 106.
Lilia septem posuit Deus in corona Mariæ. 1. l. c. 31.
Lilia dicuntur sancti Confessores. 3. l. ca. 27.
Lymbus Patrum qualis erat. 2. l. c. 15.
Lineum vestimentum habet duo bona, & notat pacem cum proximo. 2. l. c. 6
Linguam ponere inter dentes leonis quid est. 4. lib. cap. 14.
Lingua animæ quæ est. 4. l. ca. 82.
Lingua a quo debet cohiberi. 6. l. ca. 65. & 109.
linguam præbere diabolo quid est. 8. l. ca. 48.
Liquor dulcis, & fluidus notat bonam cogitationem. 2. l. cap. 27.
liquor spissus, & amarus signat cogitationes malas. 2. l. cap. 27.
Litteræ Dei ad homines dicuntur verba ista Christi. 1. l. cap. 56.
litteræ animæ ad Deum quas diabolus vult impedire, quæ sunt. 4. l. ca. 75.
Litterati quidam comparantur meretrici. 6. l. ca. 15.
Loca natiuitatis Mariæ, & passionis visitare salubre est, 5. l. reuel. 2. post inter. 16.
loca sanctorum visitare salubre est. 7. l. ca. 4.
loca virtutum vacua replet diabolus. 7. l. ca. 47.
lotio carnis non obest animæ, nec prodest sed intentio. extr. 15. & 60.
locutio non procedens ex charitate Dei, quæ est. 3. libr. cap. 30.
locutio similatur flatere. 4. l. cap. 126.
loquela noua dicitur abstinentia verborum. 1. libro, cap. 34.
loquela falsa fit ministerio diaboli, 8. l. ca. 17.
loqui veritatem de se monet Christus. 1. l. ca. 34.
loquebatur anima cuiusdam militis damnati ad corpus suum. 2. l. ca. 8.
loqui cur voluit Christus magis cum S. Brigitta quam cum alijs. 2. l. ca. 16 item extr. 46. & 47.
loquitur Deus homini per scripturam, & flagella. 2. li. cap. 19.
loquebatur cur Maria cum Sancta Brigitta. 2. libr. cap. 23.
loqui, quæ, & qualia debent domini in mensa. 6. l. cap. 1. item 4. l. cap. 126.
loquitur quandoque spiritus Dei in malis prædicatoribus, 3. l. cap. 15.
loqui sublimia, & non facere malum est. 4. l. ca. 72.
loquitur qualiter Deus homini interius. 6. l. cap. 18.
loqui ad inuicem quomodo dicuntur, qui sunt in cœlo, in mundo, in purgatorio, & in inferno. 6. libro, cap. 52.
loquitur quid Christus malis christianis. 7 l. cap. 19.
loquitur quid Christus omnibus inimicis suis in mundo, 7. l. cap. 30.
loquitur cum Deus cum hominibus vbi tunc est. 8. lib. cap. 1.
loqui quæ debet homo, & quæ non. 8. l. cap. 10.
loquitur Deus cur obscure, & diuersimode. 8. libro, cap. 48.
loqui cum secularibus quomodo possunt personæ ordinis S. Saluatoris, extra. 11.
lorica describitur, & notat charitatem diuinam 4. lib. cap.

Digitized by Google

cap.74.item 6.lib.cap.43.
Lorica animæ dicitur abstinentia, 4.l.cap.89.
Lotrix anima dicitur pœnitentia, 2.l.cap.26.item 4.l. cap. 39.
Lotrici optime assimilatur Deus, 3.lib.cap.30.
Lotrix optima dicitur confessio peccatorum. 6.libro, cap. 16.
Lucet Christus, sicut sol.1.lib.cap.50.
Lucernæ non accensæ similis erat Mariæ infantia, ser. angel.12.
Luciferi casus quare est irreparabilis, 4.l.ca.106.
Lucifer unde factus fuit malus.9.l.ca.115.
Luctus sequitur risum mundanorum, extr.86.
Lugere quare debet bono.5.li.inte.4.resp.2.
Lumen in habitaculo Christi est fides in corde iusti. 1. l.cap 32.
Lumen solis significat virtutem Christi, 1.l.cap.50.
Luminaria duo creauit Deus in Maria, ser.ang.5.
Luna cadens notabat quandam reginam, 8.l.ca.31.
Lunæ assimilatur fides Mariæ, ser.ange.5.
Lupis assimilantur aliqui homines, 2.l.ca.30.
Lupus vorax signat homines auaros, 4.l.c.52.
Lux sanctorum differt a luce mundi.1.li.ca.20.
Lux Mariæ fugat tenebras terræ.1.l.ca.50.
Lux cur facta est, & cur non est semper. 5.lib.inter.9. respon. 5.
Lux iustorum est Virgo Maria. 6.l.ca.56.
Lux luminans omnia est Christus.8.l.c.51.
Luxuria dicitur mors æterna, 4.l.c.79.
Luxuria quam abominabilis est Deo, 4.l.cap.94. item 6 l.cap.56.
Luxuria peccatum grauiter punitur, 7.l.ca.27.& 30. item 8.l.c.48 item extr.75.

DE LITTERA M.

MAculam nullam contraxit Maria, 6.l.cap.56. & 57.
Macula duæ sunt in ecclesia.6.l.c.72.
Magdalena quomodo satisfecit Deo pro peccatis.4.l.c. 16.& 109.
Magdalena quantum placuit Deo, & displicuit dæmonibus.4.l.73.& 108.
Magdalena gerebat typum contemplatiuorum. 6.lib. cap. 65.
Magistri veri, & falsi coram Deo, qui sunt.3.l.ca.8.
magistro auri assimilatur iustitia Dei.4.l.c.7.
magistri legis Christi quales sunt. 6.l.c.15.
magistri iudæorum, & gentilium quid docebant.6.libr. cap.54.
magneti comparat se Virgo Maria.3.l.ca.32.
magus habens aurum praciosum dicitur diabolus habens animam hominis.1.l.21.
maledictio diaboli quid est.7.l.c.13.
mali homines diligunt diabolum, & odiunt Christum, 1. lib. cap. 3.
malos homines cur permittit Deus viuere, & tam patienter tolerat.1.l.c.12.& 25.& 56.item 2.l.ca. 1.& 19.item 4.l.62.item 5.l.inter.5.respons.4.& inte.12.resp.5.& inter. 13.resp.1.& reuel.1. post inter 16 item 6.l.ca.30.
mali apparentes boni describuntur.4.l ca.129.
mali plus quam boni prosperantur in mundo. 5.l.inter. 6.respon.2.& inter.13.resp.6.
mali cur moriuntur bona morte.5.l inter.14.respo.5.
malos cur Deus non permittit semper malefacere.5.lib. inte.15 reson.4.
mali homines prosunt iustis.8.l.18.
malicia assimilatur serpenti.1.l.23.
Malitia triplex cauenda docetur.2.l.c.19.
malitia hominum dicitur via arcta. 3.l.cap.2. item 4. li.cap 126.
malitia hominum vtitur Deus ad suum honorem.3.lib. cap.24.
malitia impiorum prodest bonis.4.l.ca.64.
malitia hominum similatur Saphyro.4.l.c.124.
malitia hominum assimilatur squamis piscium. 4.libro, cap.129.
malitiam diaboli in puniendo refrenat Angelus. 8.lib. cap.48.
malum quid est.1.li.ca.58.
malum omne habere quid est.6.l.c.38.
malleus significat contritionem.8.l.c.48.
mandati Dei præuaricatio quantum nocuit homini.5.l. inter.12.respon.1.& resp.4.
mandata Christi neglecta sunt. 6.l.cap.26.
mandata omnia seruantur per dilectionem. 6.lib.capitulo 116.
mandata cur dedit Deus homini.7.l.ca.27.
manna figurauit corpus Christi. 1.l.cap.53.item 6.lib. cap.29.
mantellus Mariæ dicitur eius humilitas defendens homines ab aere, frigore, & imbribus, & quomodo apprehendatur.2.l.c.23.per totum.
mantellus Mariæ dicitur eius misericordia.4.l.c.17.
manus habere, sicut pedes bonis quid est, 4. libro, capitulo 52.
manus habere quasi caudas vulpium quid est. 4. libro, cap.52.
manus habere sanguinolentas quid est. 4.l.c.62.
manus leprosa aliquando est vtilis.4.l.ca.69.
manus Christi quomodo fuerunt perforatæ.4.l.70.
manus duæ spirituales describuntur. 4. libro, cap.74 & 129.
manus animæ dicitur fides.4.l.ca.115.
Manus sacerdotis sint mundæ.4.l.c.134.
manum porrigere ad Deum quid est. 5.l.ca.22.
manus diaboli ligatæ sunt. 6.lib.75.
manus videbantur quasi plumbea. 6.l.98.
manus inclinare sub vase diaboli quid est.8.l. 48.
manus Moysi orantes cur alij sustenabant, extrauag. 33.
mari rubro assimilatur mundus.extra. 4.
Margarita ad quid valet, & quid significat. 4. libro, cap.124.
Maria cum sanctis impetrat peccatoribus misericordiã Dei. 1.li.ca.5.

Maria

Digitized by Google

Maria quam dilecta fuit Deo. 1 l c 8 & 9.

Mariæ maxima compassio ex passione Christi describitur. 1 l ca. 10. item 2. l. 21. & 24. item 6. l. 58. item 7. lib. ca. 8. item serm. ang. 18. per totum, &c. vide in Dolor Mariæ.

Maria dominatur in cœlo, in mundo, in purgatorio, & in inferno. 1. l. ca. 13. item 7. l. ca. 13. item serm. ang. 20. per totum.

Maria stabat vicinius cruci Christi. 1. l. 35.

Maria fuit plus quam martyr, confessor, aut Angelus. 1. l. c. 52.

Mariæ dulcedinem gustare, & reijcere quam malum est. 1. l. 53.

Maria clamat, vt homines quærant misericordiam Dei. 2. l. cap. 19.

Maria recipit pœnitentes quantumcunque peccauerint. 2. l. ca. 23. item 6. l. 117.

Maria ab æterno fuit in charitate Dei ab infantia plena Spiritu sancto, & nunquam peccauit. 3. l. c. 8. item 4. l. c. 109.

Maria quantam à Christo adepta est sapientiam. 3. lib. cap. 8.

Maria pulchre laudatur, & assimilatur templo Salomonis. 3. l. c. 29.

Maria dicitur mater Salomonis, & Melchisedech. 3. li. ca. 29.

Maria obtinuit cuidam animæ purgatorium. 4. libro, cap. 7.

Maria dicitur Mater Virgo, & vxor. 4. l. c. 11.

Mariam pulchre commendat Sancta Brigitta. 4. l. cap. 18 19. & 78.

Maria quomodo, & quamdiu vixit post Christum obitusque eius, & sepultura patent. 4. l. ca. 23. item 6. l. c. 61. & 72. item 7. l. ca. 26.

Maria iuuat coniugatas viduas, & virgines. 4. libro, cap. 53.

Maria extraxit quendam peccatorem de potestate diaboli. 4. l. ca. 54.

Maria præcellit omnes virtute. 4. li. 92.

Maria respondet pro amicis suis in iudicio Dei. 4. libro, cap. 102.

Maria quantum placuit Deo, & displicuit dæmonibus. 4. l. cap. 108.

Maria docuit quomodo quædam anima potuit liberari a septem plagis purgatorij. 6. l. c. 10. per totum.

Maria disputando cum diabolo de iustitia pro quadam anima vicit eum. 6 l. cap. 33. & 40. item 7. lib. cap. 13. & infra.

Maria obtinuit cuidam animæ diminutionem in tribus pœnis purgatorij. 6. l ca. 39.

Maria esse desiderans sit prius Martha. 6. l. c. 65.

Mariæ Virgini primo apparuit Christus resurgendo. 6. l. c. 94. item ser. ang. 19.

Maria docuit sponsam resistere tentationibus. 6. libro, cap. 94.

Maria quomodo se habuit in pariendo Christum. 7. lib. ca. 21. & 25.

Maria quare fuit desponsata Ioseph. 7. l. ca. 25.

Maria tempus suum distinxit tripliciter, in regul. 23.

Maria ab æterno fuit Deo charissima super omnia. ser. angel. 1.

Mariæ bona voluntas, pietas, & virginitas commendatur. serm. ang. 2.

Mariam nullum peccatum obfuscauit. ser. ang. 1. & 2.

Mariam dilexit Deus antequam aliquid crearetur sicut Abraham filium suum Isaac prouidendo sibi necessaria antequam conciperetur. serm. ang. 3. per totum.

Mariæ præparata erat sedes Deo proxima, & corona ab initio. serm. ang. 4.

Maria pulchre dicitur minor mundus de qua Deo maior gloria, & Angelis lætitia, hominique vtilitas est quam de toto mundo. ser. ang. 5. per totum.

Mariæ obedientia quasi radij solis erat, & fides vt iubar lunæ, cogitationes stellis nitidiores, & verba vt lucrum concentibus dulcisoniora. serm. ang. 5.

Maria in vtero matris fuit, vt flos in folliculo, serm. angel. 11.

Maria placuit Deo patri per virginitatem, filio per humilitatem, Spiritui sancto per obedientiam, serm. angel. 12.

Maria quomodo se habuit postquam Dei notitiam habuit, & qualiter corpus suum moderabatur, & qualiter, & quantum diuinæ charitate virtutibusque ornata erat in anima, & quam grata, & pulchra in corpore. serm. angel. 13. per totum. & 14. item extrauag. 13.

Mariæ triplex fortitudo describitur. ser. ange. 12.

Maria cur expauit in aspectu Angeli, ser. ang. 16.

Maria habuit maximum timorem, & tremorem, & quare ser. ange. 16.

Maria dicta prophetarum de Christo perfectius ipsis prophetis intellexit ser. ang. 17.

Maria præsciuit qualia, & quanta Christus pati voluit vnde, & multum doluit cuius etiam modus recitatur, serm. ang. 17.

Mariæ cor quam grauissime, & quoties torquebatur doloris gladio de passione Christi. serm. ange. 17. & 18. per totum.

Maria post Christi Ascensionem quomodo vixit, & quomodo quantum ve profuit Apostolis, martyribus, confessoribus, virginibus, viduis, & coniugatis, patet. ser. angel. 19. & 1. oratione.

Maria vocatur mater Dei, & filia, ext. 37.

Maria quam dulcis erat, munda, & charitatiua. extrauag. 50.

Maria quomodo rogetur pro obtinenda charitate, extrauag. 69.

Maria gratiam suam omnibus exhibet, extra. 80.

Maria iuuare vult Regnum Sueciæ contra inimicos. extrau. 80.

Maria abreuiat damnandis vitam, & pœnam corporalem, extr. 89.

Mariæ capillos qualiter obtinuit Sancta Brigitta. extrau. 94.

Martha quam perfecte vixit, & quomodo in vita actiua est imitanda. 6. l. 65.

Martyrum status qualis fuit olim. 3. li. 21.

Martyres dicuntur rosæ. 3. l. cap. 27.

Mar-

Martyrum confortatrix fuit Maria, se. an. 19.
Mater vera coram Deo, quæ esse dicitur, & quæ nouerca, 4. l. c. 13. item ext. 98.
Matri similatur Deus, qui vnum filium natum habet in carcere, & alterum in tugurio, 4. l. c. 15.
Mater peccatorum dicitur cura mundi, 4. l. c. 123. item 3. l. ca. 47.
Mater omnium eorum est Maria, qui sunt in cælo, in purgatorio, & in mundo pœnitentium, 4. lib. capitulo 138.
Matrem suam esse Virginem cur Christus non aperte ostendit, 5. l. inte. 12. respon. 2.
Mater vt ad filios se habet Deus ad homines, 5. l. inte. 13. respon. 7. & inte. 15. respon. 3.
Mattheus Apostolus quid reliquit, & quid inuenit, 3. l. c. 1. item 4 l. c. 126.
Mattheus Apostolus qualis erat ante conuersionem, & in descriptione Euangelij, & qualis nunc est in remuneratione, 4. l. c. 129.
Matrimonium nullo modo contrahere possunt sacerdotes, 7. l. ca. 10.
Medicus de terra delectationis dicitur Christus, 3. lib. cap. 31.
Medicus vt sapiens habet se Christus ad homines, 4. l. c. 90. & 92.
Medicus vt ad infirmos habet se homo ad peccatores, 5. l. reuel. post inte. 8 per totum.
Medico consolatori assimilat se Christus, 6. l. c. 48.
Medicus animæ dicitur sensus gustus, 6. l. c. 66.
Medulla virgæ Iesse dicitur Christus, se. ang. 11.
Mel sugere de cauda serpentis quid est, 4. l. c. 14.
Membra sua crucifigere cum Christo qualiter debet homo, 1. l. ca. 11.
Membra conformia habuerunt Christus, & Maria, 1. lib. ca. 31.
Membrum Christi dicitur bonus christianus, & e conuerso, 1. l. c. 59.
Membrorum deformitatem facit peccatum, 2. l. c. 1.
Membra corporis instrumenta sunt animæ, 5. l. inte. 1. respon. 3.
Membrana in oculo animæ, quæ est, 5. l. ca. 160.
Membrana præputij Christi, vbi mansit, 6. l. c. 112.
Memoria diaboli dicitur venter eius, 6. l. c. 49.
Memoriale dignissimum est corpus Christi, 4. l. capitulo 58.
Mendacium similatur smaragdo, 4. l. c. 124.
Mens hominis dicitur os animæ, 4. l. c. 82.
Mens Deo placita quæ, & qualis est, 5. lib. inte. 13. respon. 5.
Mensa cælestis significatur per altare, 6. l. c. 9.
Mensa nimis festiua nocet homini, 6. l. c. 39.
Mercedem qualem dat Deus diligentibus se, 1. l. ca. 1.
Merces qualis datur contemnentibus omnia propter Deum, 1. l. c. 2. & 32.
Merces magna quandoque oritur ex paruo bono, 1. li. cap. 43.
Merces minor datur vbi minor est pugna, 2. l. c. 19.
Merces obedientiæ maxima erit, 4. l. c. 26. item 6. l. ca. 43. 49. & 65.
Mercedem duplicem habebit bonus prælatus, 6. lib. cap. 65.
Merentur quid homines mundani, 6. l. ca. 15.
Meretur perfecta humilitas omnia bona, ext. 21. & abstinentia 65.
Merita singulorum remunerat Deus, 3. l. ca. 26.
Meretrix quædam saluata fuit per Mariam. 1. l. c. 16.
Miles Christi verus est, qui affligit carnem suam, 1. l. cap. 6.
Miles Christi, quæ & qualia habebit arma spiritualia, 1. l. c. 6. item 2. l. c. 12.
Miles quidam similis aquilæ aucupi, & pugili, & eius pœna amarissima describitur, 1. l. c. 17.
Militum iniquorum, & curialium iudicium graue erit, & pœna, patet, 1. l. ca. 17. & 56. item 2. l. c. 7. 8. & 9. item 4. l. c. 36.
Milites quales erant olim, & quales nūc sunt, & eorum diuersa merita, 1. l. c. 55. & 76. item 4. l. c. 36.
Miles ad quid quomodo vere, & deuote debet creari, & qualis tenetur esse, 2. l. c. 7. & 13. item 8. l. ca. 32.
Milites quomodo auersi sunt a Deo, patet, 2. l. ca. 7. & 13. item 6. l. c. 26. item 8. l. c. 32.
Miles verus debet habere tria, 2. l. c. 8.
Miles reuertens ad Christum habebit quinque bona, 2. l. cap. 12.
Milites quantum viluerunt coram Deo, 2. l. c. 10.
Miles egregius fuit Christus, 3. l. ca. 13.
Miles Dei quis est, 4 l. ca. 55.
Miles quid debet cogitare, & facere, 4. l. c. 76.
Militiæ vera institutio, acceptio, professio, & cellatio, 2. l. c. 7. & 13. item 8. l. ca. 32.
Militia vera quomodo fuit primo abiecta, 2. l. c. 7. & 9.
Militia falsa, quæ & qualis est, 2. l. c. 8.
Militia Christiana propter quid fuit incepta, 3. l. c. 27.
Miracula cur ostendit Deus hominibus, 4. l. c. 15.
Myrrha assimilatur Virgo Maria, 1. l. c. 46.
Myrrhæ virtus quæ est, & notat abstinentiam, 3. l. 21.
Miseria populi ascendit in aures Dei, 2. l. c. 10.
Misericordia Dei significatur per sibilum auræ tenuis In prologo Matthiæ.
Misericordiam sine iustitia nō facit Deus, & e conuerso, 1. l. c. 7. 11. & 45. item 2. l. c. 12. item 8. l. 43. item ext. 75.
Misericordia, & iustitia manifestant Deum. 1. l. ca. 15.
Misericordia Dei tripliciter parcit malis, 1. l. c. 25.
Misericordiam triplicem ostendit Deus primo homini post lapsum, 1. l. ca. 26.
Misericordia Dei triplex est ad homines in mundo, 1. l. ca. 36.
Misericordia procedit per Mariam, vt calor a sole, 1. l. cap. 50.
Misericordiam triplicem impetrat Maria his qui in purgatorio, & in mundo sunt, 1. l. c. 50.
Misericordiam quantam habuit Maria in mundo, 1. l. c. 51.
Misericordiam qualem facit Deus infantibus paganorum, 2. l. c. 1.
Misericordiam suam quomodo ostendit Deus hominibus, 2. l. 19. item 3. l. 30. item se. ang. 21. item ext. 50.

Digitized by Google

Misericordia Mariæ quanta est ad homines, patet, 2. l. c. 23. item 3. l. c. 30. item 4. l. c. 32. 138. & 139. it. 6. l. c. 10. 21. 52. & 117. item 8. l. c. 47.

Misericordia dicitur mantellus Mariæ. 3. l. c. 17.

Misericordiam qualem facit Deus gentilibus, & iudæis, & omni creaturæ, 3. l. c. 26. item 6. l. c. 77.

Misericordia hominum quandoque est vitium, 4. lib. cap. 78.

Misericordiam obtinere volens quid faciet, 6. l. cap. 21. item 7. l. cap. 27.

Misericordiam suam a quibus aufert Deus, 6. l. c. 27.

Misericordiam facit Deus in purgatorio, & inferno, 8. l. cap. 48.

Misericordia remunerat obedientes dupliciter, 8. lib. cap. 55.

Misericordiam omnes inueniunt per Mariam, ext. 50.

Misericors est Deus etiam in damnatos, & in dæmones, 2. l. c. 12. & 14. item 6. l. ca. 31.

Misericorditer clamat Deus ad homines, ext. 81.

Missam celebrare ex præsumptione periculosum est, 4. l. ca. 102.

Missa dicenda pro peccato accidiæ, 6. l. ca. 10.

Missa non debet dici sine mundis ornamentis, 6. lib. cap. 46.

Missam celebrauit quidam non sacerdos, & combustus saluatus fuit. 6. l. ca. 79.

Missæ virtus, & dignitas, patet, 8. l. c. 56.

Missa ad mitigandum iram Dei, 8. l. ca. 57.

Missa deuota lætificat eos, qui in cælo sunt, & in purgatorio, ext. 5.

Missæ iuuant defunctos, ext. 56.

Mitigari quomodo potest ira Dei, 8. l. c. 57.

Moderari debet homo gestus suos, 6. l. c. 121.

Modum ad bene, & deuote viuendum cum sua familia dedit Christus Sanctæ Brigittæ, extrauag. 65. per totum.

Moyses oratione placauit Deum iratum populo Israel, 1. l. ca. 48.

Moyses educens populum ex Egypto figurauit Christũ, 1. l. c. 48. & 49. item 4. l. c. 133.

Moyses assimilatur alto monti, 1. l. c. 51.

Moyses cur petijt signum a Deo ad populum Israel, 1. l. cap. 60.

Moyses videns rubum inflammatum timuit, quid significat, 2. l. c. 10.

Moysi dedit Deus signa ad populum triplici de causa, 2. l. cap. 10.

Moyse misso ad Pharaonem cur non statim sequebantur signa, 2. l. ca. 28.

Moyses vnde habuit virtutem faciendi miracula, 4. l. cap. 62.

Moyses cur, & quomodo fuit probatus in deserto, 8. l. cap. 49.

Moyse orante cur alij sustentabant manus eius, extrauag. 33.

Molestias semper refugit caro infirma, 1. l. c. 19.

Monachus obsessus saluatus fuit per Sanctam Brigittam, 1. l. cap. 32.

Monachus moriens in voluntate propria, qualem meretur pœnam, 2. l. c. 7. item 4. l. c. 28.

Monachus occultans quoddam peccatum non potuit mori, 4. lib. cap. 93. & eius grauissimum purgatorium, ibidem.

Monachi nomen quid est, 4. l. c. 102.

Monachus verus quis est, 4. l. c. 121.

Monachi cuiusdam dissoluti damnatio describitur, 6. l. cap. 19.

Monachi anima apparuit ascendens quasi stella, 6. lib. ca. 35.

Monasteria ad quid constructa sunt, 4. l. c. 33.

Monasterium suum relinquere periculosum est, 6. lib. cap. 68.

Monasteria ordinis Sancti Saluatoris quomodo fundentur, & quot habebunt redditus. In regula 25. & 26.

Monasterium V vatzstena assimilatur Iericho, ext. 25. & 26.

Monasteria S. Saluatoris qualiter edificabuntur, ext. 28. 29. 30. & 31. & ca. 32.

Monasteria S. Saluatoris, habere debent in se portas reconciliationis, & gratiæ, ext. 31.

Moneta Dei dicitur anima iusti, iniusta autem diaboli, & in quibus differunt, 4. l. ca. 23.

Moneta summæ placens Deo dicitur cor iusti. 4. l. c. 77. item 6. l. ca. 52.

Monetarius dicitur diabolus, 4. l. c. 23.

Monile sponsæ Christi spirituale est cogitatio passionis Christi, 1. l. c. 7. & 54. item 2. l. ca. 26.

Montes dicuntur, Moyses, Helias, Sampson, Dauid, & Salomon, 1. l. c. 51.

Mons sulphureus significat duo vitia, 5. lib. reuel. post inte. 15.

Mons oliueti commendatur, 5. l. reuel. 2. post inte. 16.

Mordere sicut brucus spiritualiter quid est, 3. lib. cap. 15.

Mores hominis dicuntur digiti animæ, 3. l. c. 21.

Mores habere quasi loculator quid est, 4. l. c. 62.

Mores clericorum quales sint, 4. l. ca. 69.

Mores non corrigens cum potest peccat, 6. l. c. 76.

Moritur quomodo homo spiritualiter. 1. l. c. 43.

Moriuntur cur quandoque boni, & mali ante naturalem dispositionem, 2. l. c. 1.

Moritur cur aliquando infans in vtero matris, & vbi manet, 5. l. inte. 6. resp. 1.

Moritur cur homo nudus, & pauper, 5. lib. inte. 14. respon. 2.

Moritur cur malus bona morte, sicut iustus, & e conuerso, 5. lib. inte. 14. respon. 4.

Mori paratus esset Christus toties quot sunt animæ, & dæmones in inferno si possibile esset, 6. l. ca. 31. item 7. lib. cap. 19.

Mori veraciter quid est, ext. 68.

Morientibus baptizatis infra discretionem datur cælum, 2. lib. cap. 1.

Mors Christi quam amara fuit ei, 1. l. c. 10. item 4. lib. cap. 70. item 7. lib. cap. 15.

Mors contemptibilis non coronat, nec damnat, 3. lib. cap. 19.

Mors

Mors amara utilis est iustis. 4.l.c.40.
Mors aeterna sunt cupiditas superbia, & luxuria. 4 lib. cap.79.
Mors cur venit subita. 5.l.inte. 6. resp.4.
Mors contemptibilis prodest homini iusto. 5.li.inte.14. respon. 5.
Mortua est anima sine charitate. 4.l.c.115.
Motus inordinatus vnde prouenit homini. 5. l. int.12. 1 respon.1.
Mulier fidelis saluat virum suum. 4.l.c.81.
Mulieres tenentes viam inferni quae sunt. 6.l.c.52.
Mulieres duae vexatae a daemone incubo quomodo liberate sunt. 6.l.c.80.& 81.
Mulieris cuiusdam mirabilis apparitio describitur. 7.li. cap.11.
Mulieres fugere debent viri. 7.l.c.11.
Mulier bona qualiter est tractanda. 8 l.ca.12.
Mulieribus dictauerat diabolus ornamenta. 8.l.ca.57.
Mundani homines similantur lupis. 2.l.ca.30.
Mundani homines comparantur vrso. 4.l.c.114.
Mundana conuersatio dicitur soror malorum. 4. lib. cap.123.
Mundanorum hominum vox, & oratio quomodo sonat in aure Dei, patet, 5.l.reu.2.post int.12.item.6.l.c.19.
Mundani quidam more serpentum enutriũt filios suos. 6.l.c.32.per totum.
Mundari spiritualiter quomodo potest homo. 1.l.c.2.
Mundialia bona sunt quasi siliquae. 4.l. c.1.& 125.
Mundialia similantur rubigini. 4.l.c.49.
Mundalis conuersatio dicitur assatura diaboli. 4. lib. cap. 114.
Mundicia sacerdotum quanta sit. 4.l.ca.58.
Mundicia est primus locus ad Deum. 4.l.c.58.
Mundicia inter omnia tenet primatum, ext.21.
Mundum diligens displicet Deo. 1.l.c.3.55.
Mundus assimilatur gazophylacio. 1.l.c.15.
Mundus assimilatur choreae. 1.l c.27.
Mundus dicitur murus. 1.l.29.
Mundi amor habet quatuor pedes. 1.l.c.48.
Mundum amare est colere idolum. 1.l. c. 53.
Mundus dicitur desertum probationis. 1.l.ca.53.
Mundus dicitur ciuitas aedificata a Deo. 1.l.c.55.
Mundi iudicium graue erit. 1.l.c.56.
Mundi sapientia ducit in vallem miseriae. 2.l.c.22.
Mundi delectatio, & cupiditas dicuntur animalia ferocia. 2.l.c.29.
Mundi laetitia est praeda in qua est laqueus, 2.l.ca.29.
Mundi amicitia dicitur auis tincta pice. 2.l.c.29.
Mundus assimilatur ancillae. 3.l.c.6.
Mundus dicitur ciuitas probationis. 3.l. cap. 28. item 4.li.ca.15.
Mundus dicitur olla posita super ignem. 4.l.c.11.
Mundi tribulatio prodest bonis, & eius prosperitas nocet malis. 4.l.c.11.& 15.
Mundi amator similatur formicae. 4.l.c.41.& 68.
Mundi amatores dicuntur virga filiorum comburenda. 4.l c.64.
Mundus dicitur terra operta cum niue. 4.l.ca.79.
Mundus ad quid est factus. 5.l.inte.7.resp.3.
Mundus mittit homini quatuor seruos deceptores. 5.l. reuel.post.inter.10.
Mundus dicitur pauper domus habens in se tria. 5.l. reuel.post inter.13.
Mundus assimilatur naui tripartitae. 6.l.ca.67.
Mundus dicitur flumius Iordanis. 6.l.ca.106.
Mundus dicitur silua animarum ferocium. 8.l.c.18.
Mundus dicitur domus tenebrosa in qua stant multi amici, extrau. 64.
Murus dicitur mors. 1.l.29.
Murus Hierusalem destructus sunt christiani. 6.libro, cap.26.
Murus dicitur bona voluntas. 6.l.51.
Murus animae est charitas diuina. 7.l.ca.5.
Muri Hiericho quare corruerunt, extrau.25.
Mutuare proximo quomodo, & qua mercede debet homo, & quomodo repetat, extrau.88.
Mutum facit diabolus hominem. 4.l.c.107.
Mutuum accipere quomodo debet homo, 6.l.ca.46.

DE LITTERA N.

Nares habere abscissas spiritualiter quid est. 1. l. cap.23.
Nares aquinas habere quid est. 4.l.c.52.
Nares habere plenas putredine quid est, 4.l.ca.52.
Naris interstitium notat desiderium. 4.l.c.129.
Nares peccatorum praescinduntur in poenis, 6.l.ca.52.
Nascitur qualiter homo corporaliter, & spiritualiter. 4. l.cap.54.
Nasci cur magis voluit Deus de virgine, quam de non virgine. 5.l.inter.12.respon.1.
Nascuntur cur omnia cum dolore. 5.l.inter.14.resp.2.
Nasci dicitur anima de carne in morte. 8.l.c.48.
Nasci ad vitam caelestem quid est. 8.l.ca.48.
Natiuitatis Christi ineffabilis modus, & honestissimus ex virgine pulchre declaratur, 1.l.c.1.10.26.35.& 45.item 3.l.c.10.item 4.l.c.13.& cap.78.item 5. lib.inter.12.respon.2.item 6.l.c.56.& 88. item 7. l.21.22.& 23.itẽ 8.l.47.item ser.an.15.itẽ 1.orat.
Natiuitas Mariae fuit hominibus, & Angelis laetitia, sed timor, & tremor daemonibus, 4.lib.ca.108.item 6.l.cap.56.
Natiuitatem suam cur abscondit Christus. 5.l.inter.12. respon.3.
Natiuitas hominis quam vilis est. 6 l.ca.52.
Natiuitatem Christi desiderabant Angeli. serm.an.21.
Naturae dispositionem cur quandoque praeuenit mors, 2.l.cap.1.
Nati serpentini dicuntur filij mundanorum, 6.libro, cap.32.
Naufragos spoliare prohibet Christus. 8.l.ca.6.
Naui assimilatur corpus hominis. 2.l.13.item 4.l.44.
Naui comparatur homo cui adheret Christus per tria. 4. l. cap.88.
Nauis saluans dicitur poenitentia. 4.l.c.123.
Naui tripartitae assimilatur mundus, 6.l c.67.
Nautae fallaci similatur diabolus. 1.l.c.13.

Necessaria quæ sunt ad nutriendum corpus, & animam. 2.li.ca.23.
Necessaria ad promouendum se, & sua describuntur. 2 lib cap.27.
Necessaria moderata dabit homo corpori suo, 4.lib.cap. 25. item 6.lib.ca.69. & 91. item in reg. 24. item extrau 65.
Necessaria corporis cur dedit Deus. 5.li inte.3.resp.1.
Necessaria contemplatiuis sunt spiritualiter domus, vestis, cibus, ignis, & medicina, 6.l.ca.65.
Necessaria prouidet Deus amicis suis, 6.l.c.107. item 7.lib.ca 9.
Negligentias omnes extinguit obedientia.6.li.ca.121.
Negligit homo passionem, & charitatem Christi.5 lib. reuel.2.post inte.12.item 6.l.ca.19.
Nerui duo oculorum quid notant spiritualiter.4.libro, cap.52.
Nicolaus Sanctus qualis erit in hac vita. 6. libro, cap. 103.
Nix spiritualis dicitur auditus mundialis, 2. libro, capitulo 23.
Nix significat lacrymas peccatorum, & vnde venit, 4.lib cap.81.
Nobilis non glorietur de progenie, sed timeat.5.l.inte. 7.respon 2.& respon.3.
Nobile, & ignobile dicitur corpus hominis, 6. libro, cap. 66.
Nocens animæ putredo, quæ est 2.l. ca. 25.
Nocere hominibus quantum cupiunt dæmones, 4. libr. cap.19.
Nocere quærunt pœnitentibus dæmones, & quomodo eis resistatur, 4.l. ca.79.
Nocere non possunt vermes sine permissione Dei. 5.lib. inter.5.respon.1.
Nocere volens proximo suo, est membrum diaboli 5.l. inter.6.respon.5.
Nociua quinque enumerantur.ext.56.
Noctem mutare in lucem quid est, 2.lib.ca.19.
Nox cur facta est, 5.l.inter.9.respon.5.
Nomen Mariæ lætificat Angelos, saluat homines, & terret dæmones. 1.li.ca 9.
Nomen Mariæ inuocantibus datur tria bona, 1. lib. cap.50.
Nominis proprij honorem quærere malum est, 4. lib. ca.52.& 76.& 113.
Nomen sacerdotis magnum est.4.lib cap.59.
Nubes vnde procedit, & producit ex se triplicem humorem significans peccatores, 2.l.ca.23.item 4.lib. cap.81.
Nubes teterrima dicuntur peccata clericorum. 3. lib. ca.10.item 4.l.ca.78.
Nucleo pomi assimilatur voluntas, 1.lib.cap.13.
Nucleo similantur ista verba Christi.5.l.reuel.1. post inter.6 item extr.85.
Nudatio Christi opprobriosa describitur. 1.l.ca.10. & 27.item 4.l.ca.70.
Nudatio primi hominis per præmium, patet, 1. libro. cap.26.
Nudum venire ad Deum quid est, 6.l.ca.22.
Nudus aliquibus videtur Christus.6.l.ca.53.
Nuncios quatuor deceptores mittit mundus homini. 5. lib.reuel.post inter.10.
Nuptiæ inter Deum, & animam quatuor requirunt conditiones. 1 lib ca.20.
Nuptiæ Christi factæ sunt in Maria.4.l.c.51.
Nuptiales vestes animæ, quæ sunt.extra.17.
Nuptias quando incipiunt religiosi, extra.17.
Nutrimenta, quæ sunt necessaria tam corpori quam animæ .2.lib.ca.25.
Nutrimentum pauperum est filius Mariæ, sermone angelico 3.& 5.
Nutriunt quidam filios suos more serpentum.6.lib. ca. 32. per totum.
Nutrire filios suos quomodo debent nobiles. 7. lib. cap.26.

DE LITTERA O.

OBduratio dicitur frigus animæ. 2.lib.cap.26.
Obedientia præualet voluntati propriæ licet bonæ. 1.lib.cap.20.
Obedientia fugat diabolum, 4.l.ca.14.
Obedientia notatur in Io.Baptista. 4.li ca.18.
Obedientia comedere melius est quam voluntarie ieiunare, 4.lib.cap.26.& 106.item 6.lib cap.49. item extrau.61.
Obedientia est via ad Deum, 4. l.ca.107.
Obedientia facit hominem similem agro fructuoso. 5. li.inter.13.respon.5.
Obedientis voluntas præmiatur.6.l.ca.43.
Obedientia Christi quanta erat, 6.li.ca.58. & 121.
Obedientia tenet principatum inter omnes virtutes, & quantum placet Deo, 6. libr. cap. 65. & cap.111. 120.& 131. item ext.48.60.61.58.& 96.
Obedientes quam sunt Mariæ Angeli Dei ser.ang.20.
Obedire principi debent milites,& curiales. 2 lib.cap. 2.& 13.
Obedire seniori spirituali est medicina optima. 4. libro, cap.79.
Obedire cur debet vnus homo alteri homini. 4.li c.91. item 5.l inter.4 resp.5.
Obedire amicis Dei quantum debet homo,4.l.c.129.
Obedire solum in his quæ delectant non prodest homini. 6.l.ca.36.
Obediuit Christus nutritio suo Ioseph, 6.libro, capitulo 58.
Obedire amicis Dei consulit Maria 6.l.ca.93.
Obediat homo confessori suo.7.lib.cap.16.
Obedire consilijs mundanorum contrarium est saluti,8. lib.cap.47.
Oblatio corporis Christi confert homini triplex bonum, 4.li.ca.58.
Oblatio fiet pro peccato accidiæ.6.l.ca.10.
Opprobrium dicitur aer tempestuosus. 2.libro, capitulo 23.
Opprobrio quid respondebit homo, 5. lib. reuelat.post interrog.10.

Obtineri

Obtineri potest aliquid quadrupliciter sic & honor spiritualis, 4.lib.cap.111.

Occasionem peccati dare aliis malum est. 4.l.ca.51.

Occasionem mali dans similatur aspersorio, 6. libro, capitulo 52.

Occasionem peccati dans quam miser erit, 6.l.ca.52.

Occiditur vnde bonus animus, 1.lib.ca.3.

Occiput vertere ad Deum spiritualiter quid est, 4.libr. cap.107.

Occisi cur fuerunt innocentes, 5.lib.inte.12.resp.4.

Occultauit Deus olim misericordiam, nunc vero iustitiam, 2.l.ca.12.

Occurrit Deus poenitentibus, sicut pater, & mater erranti filio, 2.li.ca.15.item 4.lib. 107. & 123. item 6.lib.cap.15.

Occurrunt tria difficilia volenti ire per arctam viam Christi, 3.l.ca.2.per totum.item 4.l.c.120.& 6.

Occurrit Deus amicis suis, sicut pater, & mater. 4. lib. cap.117.

Oculos habere in occipite spiritualiter quid est, 1.li.ca. 19.& 23.item 4.l.ca.51.

Oculi ad quid sunt aperiendi, vel claudendi, 2. libro, cap 14.

Oculos habere erutos spiritualiter quid est, 4. libro, cap.51.

Oculus animae dicitur cogitatio hominis, 4.l.ca.82.

Oculi spirituales hominis iusti, qui sunt.4.l c.129.

Oculi peccatorum spirituales qui sunt. 4.lib.ca.129.

Oculus humanus differt a spirituali. 4.lib.ca.129.

Oculi peccatorum quales erunt in poenis, 6.lib.cap.31. 32. & 98.

Odit Deus peccatum super omnia, 3.li.ca.19.

Odium duplex incurrunt poenitentes, sicut Lazarus resuscitatus.4.l.ca.71.& 79.

Odor suauis fortificat cerebrum, 4.l.ca.52.

Odor talis sentitur in vestibus qualis est intentio cordis.6.li.ca.18.

Odoratus dicitur dispensator animae, 6.li.ca.66.

Offerre debet homo Deo cor suum vacuum.3.li.cap.3. item 4.li.ca.126.

Offerre Deo se, & sua quomodo debet homo.4.lib.cap. 11.& 87.

Officium suum quomodo exercebit episcopus, 3.lib.cap. 1. & 3.

Officium Episcopi non est quietis, sed laboris.3.li.ca.3. item 4 l ca. 126.

Oleo assimilantur verba istarum reuelationum.6.l.100

Oleum denotat charitatem Dei, ser.ang. 3.

Oliua significat verba euangelica, 5. libro reuelation. post interr.18.

Olla super quam posita notat cor hominis, extrau. 54. & 95.

Onus seruitii Christi quomodo fiet leue, 1.lib. c.15.

Onus habeat homo cum honore, 3.l.ca.19.

Onus mundi temperauerat Deus, 5.li.inter.9.respo.5.

Opera Christi, & sanctorum probant ipsum esse Deum. 1. lib. ca. 15.

Operibus credant, qui nolunt credere verbis Christi. 1. lib.ca.56.

Opera bona significantur per seruos Dauid, 2. libro, cap. 5.

Opera bona malorum, & quae fiunt in peccato mortali, quomodo, & quibus prosunt, 2.lib.ca.14.& 27. item 5.lib inter.14.respon.5.& inter.15. respo.4. item 6.li.ca.31.& 52.

Opera charitatis quam dulcia sunt coram Deo, 2.libro, cap.19.

Opera bona quomodo fiant, vt Deo placeant, 2. libro, cap. 22.

Opera bona peccatis mortificata confessione reuiuiscunt, 2.lib. cap.27.

Opera cur non statim sequuntur post verba Christi, 2. lib.cap.28.

Opera bona debent fieri in publico, & in priuato, 3.lib. ca.3.item 4.li.ca.128.

Opera Christi sunt thesaurus optimus, sed neglectus. 3. lib ca.13.

Opera bona facta ante mortem quantum valent homini, 4.lib.ca.7.& 8. item 6.li.cap.39.

Opera bona viuorum iuuant animas defunctorum, 4. libro cap.7.& 8. & 9. item 6. libro, cap. 39. & 40. & 52.

Opera carnalia dicuntur manus sanguinolentae, 4.libro, cap.62.

Opera charitatis, quae sunt, 4. li.ca.74.

Opera spiritualia dicuntur nuces praesentandae Deo, 4. lib ca. 109.

Opera humilitatis quantum valent, 4 lib.ca.111.

Opera malorum clamant super eos in inferno.4. libro, cap.113.

Opera hominum assimilantur flateris, 4.l c.126.

Opera quibus impetratur pax a Deo.4.li ca.140.

Operibus malis persequitur homo Christum, 5.lib.inter. 12.respon.5.

Opera bona vnde maculantur, 4.li.114. & 129. item 5.li.reuel.post inter.13

Opera Dei nulla sunt sine causa, 5.libro, interrogat.15. respon.1.

Opera bona sunt vestes animae.6 lib.ca.22.

Opera Christi consideranda sunt, & non mundana. 6.lib.ca.27.

Opera tria fugienda docentur, 6.li ca 52.

Opera pietatis delectatur Spiritus sanctus, 6.l.ca.65.

Opera sua quomodo ordinabit homo spiritualis, 6. lib. cap.65.

Opera misericordiae qualiter debent perfici, 6. libro, cap.65.

Opera misericordiae quantum iuuant animas, 7. libro, cap. 13.

Opera sua qualiter disponet princeps, 8. li.ca.4.

Opera peccati notantur in cupro.8.li.ca.48.

Opera voluntaria requirit Deus ab homine, ser.ang. 6.

Opera Dei omnia sunt eius virtutes, & corona, & specialiter tria, serm.ange.6.

Operari ante prandium quid debent clerici, 4.li.ca.80.

Operari quando delectat hominem quid cogitabit, 6. lib.ca.94.

Operarii Christi sunt religiosi propter tria 6.lib.ca.39.

Digitized by Google

Operatio dicitur manus animæ. 4.l.c.129.

Operatio imperfecta notatur per Lazarum, & debet, sicut ipse resuscitari. 6.l.c.65.

Operatus est Christus in tota vita sua salutem hominis, 1.l.c 40 item 2.l.c.15.

Opus charitatis dicitur votum faciendum Deo, 2. libro, cap. 9.

Opus animæ præcedat meditatio diuina. 2.l.c.25.

Opus iustitiæ dicitur dextera manus animæ. 4. libro, cap. 74.

Opus aliquid facere volens, debet habere tria, extrauag. 51.

Orat Maria pro peccatoribus viuis, & defunctis, & impetrat eis misericordiam Dei, 1.l.c.30. & 50. item 6.l.cap. 11.23.35.39.& 45.

Orant Maria, & sancti pro amicis suis. 4.l.c.7.

Orant animæ in purgatorio pro se iuuantibus in mundo. 4.l.ca 7.

Orauit Maria pro regno Franciæ, & duobus Regibus, 4.l ca. 104.

Orari quomodo debet pro coniugatis. 6.l.c.104.

Orat Maria pro dominis terræ. 8.l.c.56.

Oratio Mariæ quomodo, & per quos impeditur, 1.lib. ca.24. item 3.l.ca.10. item 4 l.c.78.

Oratione Mariæ, & iustorum placatur Deus. 1.l.ca.5. item 4 li.cap.7.

Oratio ad Deum quomodo debet concludi, 1. libro, cap. 14.

Oratio Mariæ comparatur nubi. 1.l.ca.23.

Oratio ad Deum pro obtinenda venia, 1.l.ca.57.

Oratio Episcopi, vel prælati cum se induit vestibus, 3. lib.ca.1. item 4.l.ca 126.

Orationes quando homo accedit ad mensam. 3.l.cap.1. item 4.l.ca.94.& 120. & 126.

Oratio quando homo intrat lectum. 3.l.c.1. item 4.li.c. 94.& 126.

Oratio iustorum quantum valet apud Deum, 3.l.ca.12. item 3.l.ca.113.

Oratio iustorum quibus proficit, 4.libro.cap.6. item 6. lib. ca.18.

Oratio charitatis significatur per oleum, 4.l.ca.59.

Oratio diuina dicitur sinistra manus animæ. 4. libro. cap. 74.

Orationes ad petendam veniam peccatorum, & gratiam proficiendi in bono. 3.l.ca.74.

Oratio ad Christum, & Mariam simul, 4.l.c.75.

Oratio est littera animæ ad Deum quam diabolus nititur impedire, 4.l.ca.75. item 6.l.ca.94.

Oratio ad perseuerandum in bono. 4 l.ca.89.

Oratio ad calciandum pedes. 4 l.ca.94.

Oratio ad Spiritum sanctum. 4.l.ca.110.

Oratio ad bene vtendum temporalibus. 4.l.ca.120.

Oratione saturat Maria homines, 4.ca.139.

Oratio legenda in tribulatione. 5 libro reuelation. post interrog. 10.

Oratio carnalium hominum est in aure Dei quasi sonus lapidum collisorum. 5.l.reuel. post inter. 12. item 6. lib. ca.19.

Oratio pro obtinenda misericordia Dei, 6.l.ca.9.

Oratio ad lauandum pedes pauperum, 6.l.ca.10.

Oratio super vexatos a dæmone. 6.l.ca.14.

Oratio pro obtinenda dilectione Dei, 6 lib. ca.46. item extrau. 69.

Oratio contra dæmonem incubum, 6 l.ca.81.

Oratio non dimittatur quacunque tentatione vrgente, 6 lib.ca.94.

Oratio ad S. Stephanum. 6.l.ca.108.

Oratio in eleuatione corporis Christi, 7.li.c.10.

Oratio ad Mariam pro bono regimine corporis, & voluntatis, extr.52.

Ordinat Deus omnia rationabiliter. 6.lib. interrog. 15. respon. 1.

Ordo bonorum militum summe placet Deo, 2. libro, cap. 10.

Ordo Episcopalis preciosus est coram Deo, 3. libro, cap. 11.

Ordines sacri quomodo, & ad quid dantur clericis, 4. lib.ca.33.& 58.

Ordines sacros accepturi debent examinari, 7.l.ca.12.

Ordinem S. Saluatoris ingredientur personæ secundum tres qualitates. extra. 39.& 40.

Ordini S. Saluatoris, imprecatur Maria largissimas Dei benedictiones. extra. 39.

Ornamenta militis spiritualis, quæ sunt, 4.l.ca.74.

Ornamenta tabernaculi notant deuotiones iustorum, extra. 18.

Ornatur vnde homo spiritualiter, 6.l.c.47.

Ornata quomodo tenetur esse sponsa Christi. 1.li.c.7.

Ornatus Mariæ pulcherrimus significans eius virtutes describitur, 1.l.c.21. per totum.

Ornatum qualem habebis anima deuota. 6.li.ca.66.

Ornata qualiter erat Virgo Maria diuina charitate, & virtutibus anima, & corpore, sermone angelico 13 per totum.

Os Christi contundere spiritualiter, quid est, 1. libro, cap. 46.

Os habent cupidi sicut papilio, 3.li.ca. 14.

Os animæ dicitur intellectus siue mens. 4.libro. cap.18. & 82.

Oris peccata quomodo puniuntur, 4.l.c.51. item 6. lib. ca.3 . 52.& 98.

Os habere sicut lupus. quid est, 4.l.ca.52.

Os quare dedit Deus homini, 5.l.inte.1.resp.1.

Os quando, & vbi aperiri debet ad prædicandum, 6. lib.ca.65.

Os suum quomodo regat homo salubriter, 6. libro, cap. 65.

Ostendit cur Deus hominibus sua beneficia, & miracula, &c. 4.l.cap.15.

Ostendit cur Deus se sub aliena forma in Sacramento. 4.l.c.61.

Ostendere rogat Maria Christum iustitiam suam, & misericordiam. 6.li.cap.45.

Ostendit Christus homini septemplicem viam. 6. libro, cap. 54.

Ostium domus animæ dicitur spes. 2.l.c.27.

Ouile vnum fiet, 6.li.ca.77.

Ouis dicitur Christus, 1.l.c.49.

Oues

Digitized by Google

Oues dicuntur animæ electorum, & corpus Christi. 1. l. cap. 59.
Oues deuoratæ dicuntur damnati. 1. l. ca. 59.
Oues mortuæ, & incommestæ dicuntur quidam homines. 1. l. ca. 59.
Oues similes mortuis dicuntur gentiles. 1. l. ca. 59.
Oues stantes in latebris dicuntur iudæi. 1. l. ca. 59.
Oues iacentes in luto dicuntur mali christiani. 1. libro, cap. 59.
Oues sibi commissas propter maius dominium dimittentes comparantur porcis, 7. li. ca. 29.
Ouium Christi, qui sunt veri custodes, & qui falsi, 8. lib. cap. 18.

DE LITTERA P.

PAcificare nolens discordes peccat, 6 lib. ca. 39.
Paganorum infantibus facit Deus misericordiam, 2. lib. ca. 1.
Pagani notantur per Salomonem, 2. l. ca. 5.
Paganis prædicari præcipit Christus promittens auxilium, & c. 2. l. c. 6.
Pagani qua intentione emantur a christianis. 1. libr. cap. 28.
Paganis victis instituatur ibi ecclesia, 8. lib. ca. 46.
Paganorum conuersionem qualiter impedit diabolus, 8. lib. ca. 47.
Palatium Christi dicitur ecclesia. 1. l. ca. 55.
Palatum animæ duplex describitur, 4. l. ca. 82.
Palinurus diaboli sunt cogitationes malæ, 6. l. ca. 17. item extrau. 57.
Palliant hypocritæ mala sua tribus coloribus, 3. libro, cap. 14.
Pallium animæ dicitur fides recta, 1. l. ca. 7. & 47.
Palpebris cææ similantur spes, & fides, 4. l. ca. 129.
Panis animæ dicitur diuina sapientia, 1. l. ca. 33.
Panis Angelorum, & hominum verus est Christus. 1. l. ca. 47. & 59.
Panis quem desiderat Deus ab homine quis est, 6. lib. cap. 19.
Pannus immundus dicitur corpus hominis. 3. l. c. 34.
Papam Vrbanum Quintum tangunt istæ reuelationes, scilicet, 4. lib. cap. 49. de reparatione ecclesiæ, & 137. Super confirmatione regulæ S. Saluatoris, & indulgentijs Sancti Petri ad vincula. Et 138. Quomodo beata Virgo sine periculo duxit ipsum ab Auinione Romam.
Papa quomodo debeat regere se, & Cardinales, Episcopos, Clericos, & familiares suos iuxta Dei voluntatem, 4. l. ca. 49.
Papa habere potest necessarios famulos. 4. li. c. 49.
Papam Gregorium vndecimum denotant istæ reuelat. in 4. libro, scilicet, 139. & 140. & 41. 142. & & 143.
Papæ Gregorio comminabitur Christus, 4. l. c. 142.
Papæ cuiusdam graue purgatorium, patet, 4. libro, cap. 144.
Papæ Clementi V. misit Christus reuel. quod pacificaret reges Angliæ, & Franciæ, & quod veniret in Italiam nunciando annum Iubilæum, 6. lib. ca. 63. per totum.
Papa vere diligens ecclesiam, vbi habitabit cum Cardinalibus suis, 6. lib. ca. 74.
Papa permittens sacerdotibus matrimonium damnabitur, 7. libr. ca. 10.
Papæ misit Christus regulam suam confirmandam. In regula 30. & 31.
Papilio describitur significans malos prælatos, 3. lib. ca. 14. per totum.
Papilio denotans homines superbos describitur, 4. lib. cap. 112.
Paralysis vnde generatur, 4. l. ca. 141.
Parcit misericordia Dei malis hominibus tripliciter, 1. lib. cap. 25.
Parentes spirituales diliget homo plus quam carnales, 4. lib. ca. 87.
Parere debet anima deuota auxilio Dei, 4. l. ca. 67.
Parit infirma mulier pueros infirmos. extr. 57.
Parietes quatuor domus animæ describuntur, 7. libro, cap. 5.
Passionis Christi verus modus, & processus amaritudo crucifixio, mors, depositio, sepultura, & eius vtilitas edocetur, 1. lib. ca. 10. & 11. & 27. per totum, & 30. & 35. & 39. & 45. ca. 59. item 4. li. ca. 70. per totum, 99. & 111. & 133. item 5 lib. reuelat. 2. post interr. 11. item 6. lib. ca. 100. & 19. & 20. & 42. item 7. lib. cap. 15. & 27. & 30. item sermone angelico 17. & 18. item oratione 1. & oratione 2. item extrau. 51.
Passionem tam amaram quare assumpsit sibi Christus. 1. lib. ca. 28.
Passionis suæ opprobria recitat Christus, 1. lib. ca. 59.
Passionis Christi cogitatio dicitur aqua potabilis; 3. lib. ca. 1. item 4. l. ca. 126.
Passio Christi grauabatur ex dolore Mariæ, & amicorum suorum, 4. lib. cap. 70. item 5. lib. reuel. 2. post inte. 12. item 6. lib. ca. 19. item 7. lib. ca. 15.
Passus corporalis describitur, & spiritualis, 3. libro, cap. 13.
Pastores monet Christus iuuare oues suas, 1. libro, cap. 59.
Pastor malus est sicut vermis rodens radices, & eius iudicium, patet, 4. l. cap. 43.
Pastores quomodo adorauerunt Christum natum, 7. lib. cap. 24.
Pater peccati dicitur diabolus, 1. l. ca. 43.
Pater mendacij est diabolus, 4. l. ca. 38. & 61. & 63. & 75.
Patres antiqui quomodo obtinuerunt tantam abstinentiam, 4. li. ca. 108.
Pater hominis dicitur voluptas carnis, 4. l. ca. 123.
Pater noster legere valet pro obtinenda charitate, 4. lib. cap. 126.
Pater omnium est Christus, sed specialiter humilium, extrau. 37.
Patibulum paratum cuidam animæ iudicandæ, patet, 4. li. cap. 34.

Pati

Digitized by Google

Pati tam dura cur voluerunt Christus, & sancti eius, 2 lib ca. 16. item 3. lib. ca. 13. item 4. li. ca. 9. & 40.
Patientia est clypeus animæ, 2. l. ca. 11. item 4. libro, cap. 89.
Patientia vnde oritur, & quomodo nigrata lauetur, 2. lib cap. 26.
Patientia dicitur vestis animæ, 3. l. ca. 2.
Patientia dicitur currus animæ securus. 4. lib. ca. 17.
Patientia notatur in Paulo Apostolo, 4. lib. ca. 18.
Patientia quanta virtus est, 4. lib. ca. 24.
Patientiam habere debent amici Dei, 4. l. cap. 47. item 6. lib. cap. 6.
Patientia dicitur caro spiritualis. 4. l. c. 90.
Patientia Dei magna est ad peccatores, 4. lib. cap. 95. item 6. l. ca. 18.
Patientia est via ad abstinentiam, 4. li. ca. 107.
Patientia S. Brigittæ probatur, 4. li. ca. 113. & 122.
Patientia in tribulatione similatur iaspidi. 4. l. ca. 124.
Patientia in malitia hominum similatur saphyro. 4. lib. cap. 124.
Patientia contra mendacia similatur smaragdo. 4. lib. cap. 124.
Patientia in vituperio similis est Margaritæ. 4. libro, cap. 124.
Patientia contra se ledentem similatur topasio. 4. lib. cap. 124.
Patientia contra damnum corporale similatur adamanti. 4. li. ca. 124.
Patientia in amissione charæ rei similatur carbunculo, 4. li. ca. 124.
Patienter suffert Deus homines, vsque ad nouissimum. 1 li ca. 56.
Patrimonium Christi est Ecclesia. 4. li. ca. 45.
Panimento effosso similantur quidam Episcopi. 4. lib. cap. 49.
Paulus commendatur, & qualem ei Deus fecit charitatem, 2. l. ca. 7. item 4. lib. ca. 18. item 8. l. ca. 1. item extrau. 34.
Paulus significat statum laicorum. 2. l. ca. 7.
Paulus mortuus est leuius Petro. 3. li. ca. 19.
Paulus conuertit Dionysium, 7. li. ca. 21.
Paulus, & Petrus cur tam diu iacuerunt in cathacumbis, 4. li. ca. 107.
Pauper homo quid debet considerare, 1. lib. ca. 2.
Pauperum altrix est Maria, nutrimentum Christus, serm. ang. 3.
Pauperes veri differunt à pauperibus fictis, ext. 3.
Paupertas voluntaria commendatur, & est ingressus in cœlum. 4. l. ca. 76.
Paupertas dicitur scopa Christi. 6. li ca. 35.
Paupertas voluntaria quam grata est Deo, 6. l. ca. 99. item 7. l ca. 20.
Pax vnde oritur, & denigrata quomodo lauetur. 2. lib. cap. 26.
Pax quomodo potest obtineri, 4 l. ca. 105. & 140.
Peccans scienter quæ mala incurrit, 4. li. ca. 125 item 8. li. ca. 48.
Peccant quidam tripliciter sicut Israel in deserto. 1. li. cap. 53.
Peccare velle diu, & in fine pœnitere periculosum est; 3 l. ca. 12.
Peccare non debet homo ex confidentia meritorum, 3. l. cap. 19.
Peccare quamdiu vult homo, tamdiu punietur, 4. li c. 134. item 6. l. c. 75. item ext. 80.
Peccator quidam similis erat aquilæ, pugili, & aucupi. 1. l. c. 17. per totum.
Peccator quomodo debet moneri, corrigi, & corripi. 1. li. c. 21. item 3. l. c. 3. & 13. item 4. l. c. 72. & 74. item 6. l. ca. 8. & 22. item ext. 79.
Peccatorem recipit Deus gratanter si pœnitet. 1. li. ca. 22. item 7. l. c. 7.
Peccator quomodo spiritualiter moritur, & sepelitur. 1. l. ca. 43.
Peccator comparatur api maiori, 1. l. ca. 94.
Peccatores suffert Deus vsque ad vltimum punctum, 1. li. ca. 56. item 3. l ca. 19.
Peccator incorrigibilis vitandus est. 3. l. c. 1. item 4. lib. cap. 126.
Peccatoris anima quam longe est à Deo, 4. l. c. 13.
Peccator quomodo petere debet à Deo veniam 4. lib. cap. 60.
Peccator propter tria comparatur nubi tenebrosæ, 4. li. cap. 81.
Peccator quatuor iaculis debet sagittari. 4. l. c. 98.
Peccatorem conuertens qualem habebit mercedem. 4. l cap. 129.
Peccator conuersus quomodo debet tractari, 4. libro, cap. 129.
Peccator debet sicut infirmus tractari, vt sanetur. 5. l. reuel. post inte. 8. per totum.
Peccatores dicuntur vasa pessima. 6. l. ca. 35.
Peccatores eiiciunt a se Deum, & infusionem Spiritus sancti, sicut meretrix impregnata procurat sibi abortiuum. 7. l. c. 27.
Peccatoribus faciet Deus sicut piscator piscibus, 7. lib. cap 27.
Peccatum nullum est tam graue quin pœnitentia deleri possit. 1. l c. 26. item 3 l c. 24. item 4. l. c. 63. item 7. l. c. 7. item 8. l ca. 48.
Peccatum dicitur infans diaboli, & animæ vitiosæ. 1. li. cap. 43.
Peccatum consumit corpus hominis, 1. l. c. 47.
Peccatum adducit deformitatem membrorum. 2. lib. cap. 1.
Peccata clericorum dicuntur nubes teterrimæ. 3. l. ca. 10 item 4. l c 78.
Peccatum fugere inducunt hominem tria. 3 lib. cap. 18. item 4. lib. ca. 126.
Peccata quatuor dicuntur feræ excludentes Deum, 3. lib. cap. 13.
Peccatum non relaxatur, nisi petenti veniam. 3. lib. cap. 19.
Peccatorum remissionem quibus dat Deus, 4. libro, cap. 16.
Peccati delectatio dicitur aculeus. 4 l. ca. 52.
Peccatum dicitur frigus arefaciens animam. 4. libro, cap. 79.

Digitized by Google

Peccata assimilantur aristis, 4.li.c.81.
Peccata dimittit Deus quoties vere humiliamur, 4.lib. cap.104.
Peccata inhabitantium destruunt ciuitates, 4.l.ca.114.
Peccata præterita habere in memoria vtile est. 4. lib. cap.111.
Peccata hominum impediunt nuncios salutis, 5.li.inte. 16.respons.5.
Peccatum facit hominem similem diabolo. 6. lib. cap. 31.& 52.
Peccata, visus, auditus, & tactus, quomodo punientur, 6.li.ca.39.
Peccatum dicitur venenum diaboli. 6.li.ca.51.
Peccata omnium sensuum interiorum, & exteriorum quomodo puniuntur in damnatis. 6.li ca.52.
Peccata septem viæ dicuntur ad puteum. 6.l.ca.54.
Peccata hominum quam diligenter obseruat diabolus. 7.l.ca.13.
Peccata per quid abolentur a scriptura diaboli. 7. lib. cap.13.
Peccata duo secum trahentia alia patent. 7.l.ca.27.
Peccati opera significantur per cuprum, 8.l. c.48.
Peccatorum remissio, quomodo obtineatur. 8.lib. ca. 48.& 54.
Peccata separabant Regem a Regno, extra. 80.
Peccatum facit hominem fetere extra 81.
Pecunia a reis, & peccatoribus, quomodo accipiatur, & expendatur, 6 l. c.21.
Pedes quibus Deus vadit ad homines, qui sunt. 2. lib. cap. 9.
Pedes spirituales qui sunt, & quomodo regantur, tertio lib. cap. 2. Item 4. lib. ca.74. & 86. & 115. & 116.
Pedes animæ nititur hostis illaqueare, 3.l.c.2.
Pedes habere sicut vultur spiritualiter, quid est. 4. li. ca. 52.
Pedes habere sicut scorpio spiritualiter, quid est. 4.li. cap. 52.
Pedes duo qui sunt, quibus mali distant a Deo, 4. lib. cap. 96.
Pede non claudicare spiritualiter quid est, 4.l.ca.98.
Pedes animæ qualiter ligat diabolus 4.l.ca.107.
Pedes animæ dicitur spes, 4.li.ca.115.
Pedes cur dedit Deus homini, 5. lib. interreg. 1. respons. quinta.
Pede vno stare in duobus vestigijs spiritualiter, quid est, 6.l. cap. 23.
Pedes peccatorum quales erunt in pœnis, 6.l. c.31.& 52. & 98.
Pedem sinistrum non præponere dextro, & alium non leuare, nisi alter stat. quid significat, extr.79.
Pedissequas quinque habere debet anima deuota, 6.lib. cap.66.
Pellicium valet ad duo bona, & significat opera misericordiæ, 2.l c.26.
Pellis animæ dicitur proximus, 4.li. c 82.
Pellis animæ dicitur Dei dilectio, 4.l.c.90.
Pellis dura vt silex dicitur simulatio iustitiæ, 4. libro cap. 129.
Pellis spiritualiter dicitur hyppocrisis. 6.l. c.5.
Pœnam minimam videt diabolus ad quod peccatum pertinet, 1.li.ca.34.
Pœnam grauissimam sustinebunt superbi, cupidi, & voluptuosi, gulosi, & luxuriosi, 1.li. c. 53. Item 4. l. c.52.& 113. Item 6.l.c.7.& 23. Item 7.l.ca.27. & 30. Item extra 75.
Pœnæ diuersæ sunt in purgatorio, 4. li. cap. 7.& 8.
Pœna maxima purgatorij quæ, & vbi est, 4.l.c.7. et 8. Item 6.li.ca.39.
Pœna purgatorij per quæ potest minui. 4.l.c.7.8.& 9.
Pœna malorum sacerdotum grandis erit, 4.l.c.134. & 135. Item 6. li. c.33.
Pœnam inferni adducit propria voluntas, 5.lib. interrog. 4. respons. 5. & reuelat.2. post inter.12.Item 6.lib. cap. 19.
Pœnam cur patitur homo in morte, 5.l.interr.5.
Pœnæ inferni cur non videntur, 5.l inter. 8.resp.4.
Pœna malorum religiosorum erit horribilis, 6.li.cap.8. & 35.
Pœna cupidorum inobedientium, & gulosorum qualis erit, 6.li cap 35.
Pœna malorum prælatorum liquet, 7 l. c.12.
Pœnas inferni qui sentient, 7.l c.19.
Pœnæ horribiles animæ cuiusdam regis damnati describuntur, 8.li ca 48.
Pœna animæ cuiusdam regis purgandæ, 8 l. ca.48.
Pœnas purgatorij mitigat Angelus, 8.l.c.48.
Pœnitentiam Adæ, & Euæ post lapsum describitur, 1. li c.126.Item ser Ang 7.per totum & 8.
Pœnitentia vera delet omne peccatum &c. vide Peccatum.
Pœnitentia vera quantum valet apud Deum, 1. libro ca.36. Item 6. lib. ca.15. & 20. & 30. & 39.& 115. Item 7.li ca 7.
Pœnitentia dicitur lotrix animæ, 2.li.ca.26. Item 4.l. ca.39. Item 6.li. ca 16.
Pœnitentia vertit pœnas debitas animæ ad honorem, 4. li. ca.34.
Pœnitentia dicitur colloquium animæ cum Deo, 4 libro cap.75.
Pœnitentia dicitur nauis saluans animas, 4 l. c.122.
Pœnitentia saluat hominem etiam in morte. 6.l.c.51.
Pœnitentia reconciliat hominem Deo, 7.l. c.27 & 30.
Pœnitentia restituit homini odorem pro fœtore. ext.81.
Pœnitentiarius quidam similis fuit milno, 6.l c.73.
Pœnitentes duplex incurrunt odium sicut Lazarus resuscitatus, 4 li. ca.71. & 79.
Pœnitentes nititur diabolus impedire, 4.l. c.75.
Pœnitere volens fructuose quid faciet. 6.l c.22.
Pennis gallinæ similatur misericordia Dei, 4. l.c.44.
Percutere Christum in dentes spiritualiter quid est, 4. li.ca.99.
Peregrinari pro Deo perutile est, 7.li. c.13.
Peregrinatio liberat animas a purgatorio, 7.l. c.14.
Peregrino qui pulsat ad quinque domos, vt suscipiatur comparat se Christus, 2.li.ca.3. per totum.
Perfectio virtutum quæ est, 4.li c.76.
Perfectionis principiũ, & finis est timor Dei. 4.l.c.125

Per-

Digitized by Google

Perfidia dicitur clypeus malorum. 4. l.c. 95.
Perstillatur in quibus anima hominis. 4.l.c.44.
Persequutio quandoque est declinanda, 5.l. inter. 12. respon. 4. item 6.l.c.65.
Perseuerantia in bono alleuiat onus, 1.l.c.15.
Persona filij Dei dicitur medulla Virgæ Moysi, sermo. angel. 11.
Petere debet homo magis contraria quam prospera, 5. l. inte. 6. respon. 2.
Petitio omnis Mariæ semper exauditur a Deo. vi. 24. & 50. item 6.l.c.23.39. & 49. item extr. 50.
Petrus Apostolus commendat Christum, 3.l.c.41.
Petrum, & Paulum commendat Christus, & quid dedit eis, 2.l.c.7. item 8.l.c.1. item ext. 34.
Petrus mortuus fuit amarius Paulo, & quare, 3. libr. cap. 19.
Petrus Apostolus ferueus erat ad prædicandum, 3. lib. cap. 27.
Petrus Apostolus comparatur aratro, 4. l.c.5.
Petrus Apostolus quam obliuiosus erat, & cur negauit Christum, 4.l.c. 5. item 5.l. inte. 13. resp. 4.
Petrus Apostolus significat fidem ecclesiæ. 4.l.c.18.
Petrus Apostolus conuertit Cornelium, 4 l.c. 31.
Petrus Apostolus habuit in se tria bona, 4.l.ca. 76.
Petrus Apostolus cur tamdiu iacuit in catacumbis, 4. l.cap. 107.
Petrus Apostolus vxoratus fuit, 6.l.c. 119.
Petrum cur prætulit Christus alijs Apostolis in dignitate, extrau. 24.
Pharao qui tripliciter afflixit populum Israel, significat diabolum, 2. 10.
Pharao damnatus esset etiam si Moyses non venisset, 2.l.ca. 18.
Pharao quare fuit induratus. 5 l.inte. 13. resp. 5.
Pharisei, qui vocabantur in lege, & quis fuit ritus eorum, extrau. 60.
Phytones consulere damnosum est, 5. l. inte 13. respo. 1. item 6 l. ca. 81.
Pica auis significat Deum propter tria 2.l.c.29.
Pietas Mariæ ad homines commendatur, 3.l c.30. item ferm. ange. 2.
Pietatem suam ostendit Deus omni hora. 3.l.c.30.
Piscatores cur elegit Deus ad Euangelium. 4.c. 113.
Pius esse volens spiritualiter habeat domum, vestes, cibum, ignem, & medicinam, 6.l c.65.
Placatur Deus precibus Mariæ, & sanctorum, & lacrymis, & oratione iustorum in mundo. 1. libr. ca. 5. item 4.l. cap.7.
Placare Deum Angelos, & sanctos quomodo debent tyranni, 6.l.ca.24.
Placent qualiter Deo dilectiores mundi. 1.l.c.3.
Placere volens Deo in donis suis quid faciet. 1. libro, cap. 18.
Placere qui vult Mariæ quid faciet, 3.l. ca. 13. item 6.lib. ca. 109.
Placere Deo quomodo possunt homines honorati, & diuites, & coniugati. 6.l.c.27.
placet quantum Deo hominis simplicitas, patet, 6. libr. cap. 116.
Plaga peccati originalis, quid est, 3.li. 18.
Plagæ septem venient nolentibus audire ista verba Christi. 4.l.c. 58.
Plagæ septem venient malis sacerdotibus, 4. libr. cap. 62. & 132.
Plagæ septem debitæ pro luxuria, gula, superbia, accidia, vanagloria pro debitis non solutis, & pro iniquo iudicio quomodo possunt aboleri, 6 libro, cap. 10. per totum.
Plagantur animalia propter peccata hominum. 5.l. inte. 14. resp. 1. & resp. 2.
Plagauit cur Deus populum Israel in deserto. 8. libro, cap. 49.
Plateæ Romæ stratæ sunt sanguine sanctorum, 4.l. 127. item 6.l.c.63.
Plorare cur debet homo, 5.l. inte. 4. resp. 1.
pluuiam futuram, idest, iustitiam Dei notant verba istarum reuelationum, 2.l.ca. 19.
Pluuia matutina dicitur concupiscentia vitæ mundialis. 2.l.cap. 23.
Poculum mundi dicitur delectatio. 1. li. c. 9.
Pomo assimilatur mater charitas, 8 l. ca. 14.
Pondus onerans dicitur cupiditas, 3 lib. cap. 1. item 4. l.ca. 126.
Ponti assimilatur vita hominis in præsenti, 4.l.c. 121.
Populum diligere quomodo debet Rex. 8.l.c.6.
Populus Israel erat in triplici genere quem Deus, vt scholares probauit in deserto, 8.l.c.49.
Portam cæli, & inferni aperuit Christus. 2.l.c.54.
Portæ gloriæ quis potest appropinquare aut non, 4. lib. cap. 61.
Portæ domus animæ dicuntur corporis necessaria. 7. lib. ca. 5.
Portus cælestis dicitur Euangelium Christi. 3.l.c.5.
Portus bonus dicitur religio, 4.l.c. 102.
Possessa discrete bona temporalia non nocent, 4. libro, cap. 66.
Possessio superflua nocet religiosis. 6.l ca. 99.
Possessorem apum vocat se Christus, idest, Christianorum, 2.l.ca. 19.
Possidere dicitur diabolus homines diuersimode, 3. lib. cap. 31.
Possidere aliquid iuste quid est, 4.l.ca. 81.
Possidere animas quomodo incipit diabolus, 6. libro, cap. 78.
Possessores domus dicuntur amici Dei, & quid faciunt, 4. lib. ca. 42.
Postibus similatur Papa, 4.l.c.49.
Potentia Christi est quasi ignis ardentissimus. 2. libro, cap. 51.
Potentiam suam quando ostendit Christus, 4. l. ca. 58. item extr. 50.
Potentiam Christi fatetur diabolus, 4.l.c.63.
Potentes sæculi nimis peccant contra Deum, 1. libro, cap. 19.
Potestatem quomodo accipit diabolus in seruos Dei, 1. lib. ca. 4. & 9. item 2.l.c.8. & 25. item 3.l.c.26.
Potestas diaboli per quid augetur in homine, 1. libro, cap. 32.

Pote-

I N D E X.

Potestas Mariæ quanta est, 1. lib. cap. 42. item 3. libr. cap. 30.
Potestas Episcopalis ad quid debet desiderari, 3. l. ca. 3. & 4. item 4. l. c. 126.
Potestatem habentes dicuntur gubernatores iniqui, 3. l. cap. 5.
Potestatem non habet diabolus in diligentes Deum, 6. lib. ca. 17.
Potestas diaboli sine permissione Dei, nulla est, 6. libro, cap. 75 & 78.
Potestas diaboli per quid augetur, 7. l. ca. 27.
Potestatem habent Angeli super diabolum, 8. li. ca. 48.
Potestatis summæ est Papa, 8. l. c. 52.
Potestatem ligandi, & soluendi habet Papa. in reg. 30. item extr. 90.
Potus corporalis in se tria bona habet, & significat diuinam præmeditationem in agendis, 2. l. ca. 25.
Potum reijcere in faciem dantis spiritualiter, quid est? 6. l. ca. 18.
Potus optimus dicitur Spiritus sanctus, & qui sunt eo apti. 6. l. ca. 48.
Præcepta Dei dicuntur digiti, 3. lib. cap. 2. item 4. lib. cap. 126.
Præcepta Dei fastidire quam malum est, 6. l. ca. 52.
Preces per duo fiunt exaudibiles, 3. l. c. 29.
Preces Mariæ quibus proficiunt, 3. l. c. 29.
Preces viuorum iuuant animas defunctorum. 3. l. ca. 7. 8. & 9.
Preces humilium quantum placent Deo. 4. l. ca. 13.
Preces Mariæ, nisi essent non esset spes misericordiæ, 6. lib. ca. 26.
Preces iustorum quantum prosunt homini, 7. lib. ca. 13. 19. & 27.
Præcinctus quomodo debet homo esse spiritualiter ad ambulandum, 3. l. 1. item 4. l. ca. 126.
Præcipit quid regula suis religiosis, in regul. 28.
Præco Christi dicitur eius prædicator, 4. l. ca. 65.
Præda in qua est laqueus dicitur lætitia mundi, 2. lib. cap. 29.
Præda dicitur voluptas carnis, 4. l. c. 114.
Prædicandi auctoritas dicitur fossorium Christi. 6. lib. cap. 35.
Prædicari debent ista verba Christi etiam nolentibus audire. 6. l. ca. 4. & 47.
Prædicare vbi quibus, & quando debet prædicator, 6. lib. ca. 65.
Prædicatio diuina dicitur fasciculus florum, 3. lib. ca. 3. item 4. l. ca. 126.
Prædicatio verbi Dei assimilatur reti, & qualis debet esse, 4. l. c. 2. & 129.
Prædicationes impedire nititur diabolus, 4. l. c. 21.
Prædicationes quidam more malorum iudæorum audiunt, 6. lib. cap. 28.
Prædicatores quam feruentes erant olim, 3. l. ca. 17.
Prædicator quomodo se habebit ad paganos, & alios peccatores, 4. l. c. 2. & 129.
Prædicator Christi qualia verba debet habere, 4. l. c. 72. item ext. 23.
Prædicator meretur quamuis pauci conuertantur, 6. lib. cap. 8.
Prædo pessimus dicitur diabolus, 1. l. c. 1. & 16.
Prædo pessimus quis homo dicatur, 4. l. ca. 1.
Prælati dicuntur custodes apum Christi, 2. l. ca. 19.
Prælatus quidam similis erat rotæ molendini, 4. libro, cap. 97.
Prælati, qualem Deo reddent rationem, 4. l. c. 97.
Prælati quidam quales sunt, & quales deberent esse, 6. l. c. 25. item 7. l. ca. 16.
Prælatus similatur gubernatori Nauis, & bonus duplicem mercedem habebit, malus autem duplicem confusionem, 6. l. ca. 65.
Prælati quomodo se habent ad clerum, 7. l. ca. 12.
Prælatus qualem se exhibeat familiæ suæ. 7. l. c. 12.
Prælatus qualia, & quot habere debet indumenta, lectisternia, vasa, & equos, 6. l. ca. 12.
Prælatus dimittens ecclesiam suam propter malos dominium similatur porcis, 7. l. ca. 29.
Præmeditatio diuina necessaria est in agendis, 2. libr. cap. 25.
Præmium bonorum militum quam gloriosum, patet, 2. l. c. 11. per totum, & 12.
Præmium iustorum erit ipse Deus, 4. l. c. 22. item 5. li. inter. 10. resp. 1.
Præmia æterna dat Deus visitantibus loca sanctorum, 7. lib. ca. 4.
Præmijs summis dignissima fuit Maria, ser. angel. 21.
Præputium Christi circuncisi vbi mansit, 6. l. c. 112.
Præsentare Deo rem preciosissimam quid est. 3. libro, cap. 13.
Præsentare volens Deo animas quid faciet, extrau. 79.
Præsumptio dicitur lapis in via Dei, 4. l. c. 10.
Præuaricatio mandati Dei quam nociua erat, 5. l. inter. 12. respon. 1.
Præuaricatio mandati Dei fecit binium, 4. l. interrog. 12. respon.
Præuaricatus cur, & qualiter fuit homo præceptum Dei, 7. l. c. 11. item 8. l. c. 48.
Principes terræ dicuntur custodes apum Christi, 2. lib. cap. 19.
Princeps quidam apparuit, sicut sol obscuratus, 6. lib. cap. 36.
Principes mundani similes sunt puero 6. l. ca. 43.
Principi coquorum similantur carnales homines, 6. l. cap. 76.
Principes quomodo se salubriter regant, 7. lib. 11. & infra.
Principium non inuenitur in Deo, 8. l. c. 48.
Probari debent boni homines inter malos, 1. l. c. 22.
Probatur homo in mundo quomodo diligit Deum, 1. lib. cap. 53.
Probantur boni ex malitia iniquorum, 2. l. c. 19.
Probari cur permittit Deus homines iustos, 5. lib. inter. 15. respon. 3.
Probauit Deus Moysen, & populum in deserto, quasi scholares, 8. l. c. 49.
Probationis annus abbreuiari potest aliquando in ordine S. Saluatoris, ext. 16.
Procedere spiritualiter quomodo debet homo, patet, 6. lib.

Digitized by Google

6.lib. cap.14 item ext.17.
Procella mundi, quæ sunt, 7.l. ca.15.
Processus cur non datur omnibus equalis in mundo,5. l.inte.13.respon.5.
Prodigalitas vitiosa est,6.l.c.59. item 8.l.ca.2.
Proditores Christi sunt mali sacerdotes, 1.l.ca.47. item 7.l.c.132.& 133.
Proditor pessimus quis esse dicitur,4.l.ca.1.
Proficiunt amici Dei tribus generibus hominum, 1.lib. cap. 14.
Progenies Abrae dicitur vinea electa,se.ang 8.
Promissio Dei cur aliquibus subtrahitur, 2.l.c.28.
Promoueri non debent qui sunt malæ vitæ,3.l.c.3 item 8.l ca 52.
Prophetarum dicta completa sunt in Christo,5.lib.inte. 10.respon.4.& inte.11.respon.4.& 5.& inte. 12. respon.2.& 4.
Propheta Dei cur occisus fuit a leone, 5. l.inte.14. respon.5.
Prophetas in Israel quando, & quare primo suscitauit Deus,se.ange.9.
Prophetis vt torrens illabebatur Spiritus sanctus vnde præsciuerant nasciturus Christum,et Mariam de quo gaudebant,se.ang 9.
Prophetarum eloquia de Christo perfectius intellexit Maria,se.ange.17.
Proprietarij religiosi quomodo puniuntur in inferno, l.cap.35.
Pr...rium monachi est paupertas, 6.l.c.125.
P...prium habentes religiosi displicent Deo, 7.lib. cap. 20.
Prore Nauis comparatur prima ætas mundi, 6. lib. cap. 67.
Prosperitas mundi datur diligentibus ipsum, 1. libro, cap. 14.
Prosperitas mundi est descensus ad infernum, 4.lib. cap. 15.
Prosperitas mundi est seducens suauitas, 5. lib. inte.7. respon. 1.
Prouisores quidam ecclesiæ exercent tria mala,3.l.10. item 4.l.c.78.
Prouocat homo Deum per tria sicut Israel in deserto, 1.l.c.53.
Prouocat iram Dei lasciuia prælatorum, 6.l.c.53.
Proximum suum diligere quomodo debet homo, 3.l.74.
Proximus dicitur pellis animæ, 4.l.c.87.
Psalmodia claustralium qualis sit,ext.4.
Pudor confitendi dicitur frenum diaboli, 4.l.c.17.
Pudor corporalis, & spiritualis describitur, 8. lib. cap. 19.
Puellæ Mariæ dicuntur moniales ordinis sancti Saluatoris, ext.35.
Puero nutrito in carcere assimilatur homo,5.l.inte.15. respon.1.
Puer dicebatur quidam Rex propter duo, 6. libro, cap. 41.
Pugil fortis fuit Christus, 3.l c.29.item 4.l.c.126.
Pugiles Christi exercitantur in mundo,4.l.c.15.
Pugnare volens spiritualiter, quid faciet, 4.l.c.89.
Pugnare cum diabolo quomodo debet homo, 4. lib. cap. 106.
Pulchritudo Mariæ gaudium est Angelis, & sanctis, 1.l.c.31.& 46.item 4.l c.138.
Pulchritudo Mariæ erat, & super omnia creata, 1.l. ca.51.
Pulchritudinem Angelorum, & animarum non potest homo videre,sicut est in præsenti,2.l.c.18.item 5.l inte.15.respon.2.
Pulchritudo mundi dicitur fossa animæ, 3.l.c.13.
Pulchritudo Mariæ tria bona dat capiti hominis,& tria cordi,4.l.ca.19.
Pulchritudo terrena assimilatur vitro, 4.l.c.44.
Pulchritudo mundi ducit ad infernum, 5. lib. inte. 7. respon. 1.
Pulchritudine corporis gloriari quam malum est,6 lib. cap. 82.
Pulsat Christus ad quinque status hominum, vt peregrinus ad quinque domos, vt recipiatur, 2.l.cap.3. per totum.
Pulsat diabolus ad ostium animæ,4.l.cap.47.
Pungunt latus Christi peccatores, 1.l.ca.37.
Pungunt Christum mali sacerdotes, 1.l.ca.47.
Pungit qualiter hostis oculos animæ, 3.l.cap.2.item 4. l.cap.126.
Punietur qualiter mala voluptas, voluntas cogitatio, & verba,patet,1.lib.cap.13.
Puniuntur stricte negligentiæ religiosorum,4.l ca.93.
Punitur homo iuxta voluntatem peccandi. 6. lib. cap. 75.
Punire nullum debet homo, nisi præcognita veritate, ext.89.
Purgandi iuuantur deuotione iustorum;7.l.c.14.
Purgari quomodo debet homo ante ingressum cæli,1.li. cap.53.item 6 li.cap.21 & 39.
Purgat animam cogitatio mala sine consensu, 2.li.cap. 27.item 3.lib.ca.19.item 6 lib.ca.30.& 35.
Purgantur aliqui in hac vita, 3.l.c.30.& 31.
Purgat hominem tribulatio, 3.l.cap.30. item 4.l.cap. 22.& 93.
Purgant iustos bestiæ, & homines mali, 5. lib. inte.3. respon.2.& 4.
Purgat infirmitas electos, 6 lib.cap.35.93. 101.
Purgatio quibus debetur, 3.c.24.
Purgationis ciuitas describitur, 3.l.c.28.
Purgatorium grauissimum, quod, & vbi est,4.l.ca.7. & 8.item 7.lib.ca.39.
Purgatorij pœnæ mitigantur precibus Mariæ,4.li.cap. 138. item 6.lib.cap.10.& 21.
Purgatorium animæ cuiusdam summi Pontificis,patet, 4.l.ca.144 per totum.
Purgatorium debitum pro peccatis luxuriæ, gulæ, superbiæ, accidiæ, gloriæ inanis, & letitiæ, auaritiæ, & iniqui iudicij quomodo potest mitigari, 6.lib.cap. 10 per totum.
Purgatorium per quæ potest abbreuiari, 6 lib.cap. 39. 40. & 83.
Purificationem accipere cur voluit Maria. 6. libro, cap. 57.

Pu-

Digitized by Google

Purificationis Mariæ modus, patet, 7.l.ca.2.
Puteus turbidus dicuntur amor, & honor mundi, 6.l. cap. 54.
Putrida dicitur anima peccatrix, 4.li.ca.81.

DE LITTERA Q.

QVærit qui aliquid ab incantatore maledictus est cum ipso, 7.lib.cap.28.
Quærit quid Deus in homine, 7.l.ca.30.
Quærere consilia a quinque famulis non debet Rex, 8.l. cap. 20.
Quærit Deus pulchra in hominibus, 8.l.ca.54.
Quies iustorum malis est spinosa, 1.l.ca.15.
Quies maxima, quæ esse dicitur, 2.l.ca.26.
Quietem corporis cur dedit Deus homini, 5.lib.inter. 2. respon.5.& inter.9.respon.5.
Quietem attingere volens laboret, sicut Iacob pro Rachele, 5.l.reuel.post inte.11.
Quies sanctorum qualis erit in patria, 6.l.ca.40.
Quies carnis inordinata nocet homini, 6.l.c.52.Item 8. lib.ca.29.
Quiescunt iusti in sede pungitiua, 7.l.ca.15.
Quiescere in mundo spiritualiter quid est, 3. libro, capitulo 12.
Quiescere quiete quis dicatur, 4.lib.ca.44.
Quiescit vbi libenter Deus, 4.l.ca.87.
Quiescere cur voluit Deus in virgine, 5.lib. inter. 12. respon.1.
Quiescit Deus in electis suis, 6.l.ca.28.

DE LITTERA R.

RAdix dicitur voluntas hominis quam talpa, idest diabolus nititur fodere, 6.lib.cap.30.
Ramis arborum similantur virtutes, 6.l.ca.120.
Ramusculo bono vitis similis erat Isaac, sermone angelico 8.
Ranæ assimilatur anima peccatrix, 1.l.ca.21.
Rationem quam & de quibus reddet homo Deo in die iudicij, 4.lib.cap.4.8.c.92.102.& 138.item 5.lib. inter.7. respon.2.& 3. Item 6.lib. cap.70. & 98. Item 8.l.ca.48.
Ratione abuti quam malum est, 4.l.ca.67.
Ratio in homine est, sicut custos in domo, 7.libro, cap. 5.
Receptacula tria habere debet homo, 6.l. ca.36.
Redemptione sua abutens punietur homo, 8.l. ca.48.
Redempti sunt vno pretio boni, & mali, 6.l.ca.28.
Redimere hominem cur non potuit alius quam Christus, 5.l.inter.12.respon.4.
Redemit Christus hominem quanta equitate, & passione, extrau.51.
Refectio Mariæ Angelorum, & hominum est filius Dei, serm.ang.3.
Refectionem qualem desiderat Christus, extr.50.
Refrenare discrete debet homo corpus suum, 4.lib. ca. 17.& 25.
Refrenat Angelus malitiam diaboli in pœnis, 8.libro, cap. 48.
Refrenauit qualiter Maria sensus suos, serm.ang.14.
Regi comparat se Christus propter quatuor, 1. libro, cap. 15.
Reges arguit Virgo Maria, 3.l.ca.29.
Reges duo Franciæ, & Angliæ similes erant bestijs, 4. l.cap.104.
Reges quid debent facere, vt Deo placeant, 4.l.ca.105.
Regi similis est Christus, qui habet ciuitatem, et 60.principes, 6.l.ca.34.
Reges quales esse deberent, & quales nunc sunt, 7.lib. cap. 16.
Regi Cypri misit Christus sex consilia, 7.li.ca.18.
Regi Suetiæ dedit Christus decem facienda pro bono regimine, 8.l.ca.2.per totum.
Regi cuidam dedit Christus decem consilia, 8. libro, cap. 4.
Regem qualem conuenit esse, 8.lib ca.4.
Regis cuiusdam horribile iudicium describitur, & damnatio, 8.l.ca.48.
Regem quendam reprehendit Christus, 8.l.ca.49.
Regi cuidam consuluit Christus adire Papam pro absolutione peccatorum, 8.l.ca.52.
Regis cuiusdam graue iudicium patet, extr. 27.
Regi Suetiæ præcepit Christus ire contra paganos, extrauag.51.
Reges quinque similes erant brutis animalibus, extrauag.78.
Regem quendam monuit Maria emendare vitam suam, terrasque alienatas reuincere sub pœna priuationis Regni in tota generatione sua, extrauagant.80. per totum.
Regimen optimum Episcoporum quo ad seipsos ad clericos, familiares, & alios subiectos describitur, 7.lib. cap.12.per totum.
Regimen salubre dat Christus regibus, 8. lib.cap.1.per totum.
Regimina quibus committere debet principes, 8. libro, cap. 4.
Regina Saba significat animas infideles, 2.l.ca.4.
Regina quedam apparuit in curru superbiæ, 4. libro, cap. 17.
Regina misericordiæ est Virgo Maria, 4.l.ca.103.
Regina Reginarum est Maria, 5.libr. reuelat. post interrog.9.
Regina cuiusdam visio mirabilis habetur, 7. libro, capitulo 11.
Regina Cypri misit Christus nouem consilia, 7.libro, cap. 16.
Regina qualis tenetur esse, 8.lib. ca.12.
Regina quid debet considerare, 8.lib cap.14.
Regina austri, quæ venit ad Salomonem similatur Mariæ, sermone angel.19.

Digitized by Google

Regnum cælorum datur baptizatis morientibus infra discretionem, 2.l.ca.1.
Regnum cælorum est sicut corona aurea ante fores, 3. lib.ca.4.
Regnum Suetiæ, qui primo inhabitant, 4. libro, cap. 3.
Regnum quid est, 4.l.ca.3.
Regnum Suetiæ cum magno peccato commixtum fuit, 5.l.reuel.1.post inte.16.& in rubrica.
Regno Cypri grauissime comminatur Christus, 7. lib. cap.19.
Regnum Græcorum non habebit pacem, nisi se subdant Ecclesiæ Romanæ, 7.l.ca.19.
Regno Suetiæ comminabatur Christus, ext. 27. 24. & 77.
Regna charitate saluantur, & grauamine perduntur, ext.73.
Regnum Suetiæ iuuat Maria contra inimicos, extra. cap. 80.
Regratiari Deo pro quo debet homo, 6.l.ca.65.
Regulam Sancti Dominici commendat Maria, 3.l.c.17. & 18.
Regulam S.Dominici quid est, 3.l.c.17.
Regulam Sancti Dominici contemnens male habebit, 3. l.ca.18.
Regula S.Benedicti commendatur, 3.l.ca.20. Item 4. 4.l.ca.127.
Regulæ monachorum qualiter, & ad quid ordinatæ sunt, 4.l.ca.23.
Regula S.Benedicti quid præcipit suis professoribus, 6. l.ca 98.
Regulæ Sancti Francisci, & aliæ sunt a Spiritu sancto inspirante, 7. lib. cap. 20. Item in regula, cap. 30.
Regulæ quæ non seruantur dicuntur vineæ dissipatæ ante regulam, ca.2.& 3.& in regula 28.
Regula S.Saluatoris funditur super tribus. In regula cap.2.
Regulam suam quomodo, & in quibus tenere debent religiosi, quos iuuare vult Christus. In regula 28.
Regula S.Saluatoris quomodo, & vbi inchoata fuit. In regula 30.
Regula S.Saluatoris cur Christus non prius dedit. In regula 31.
Regulam S. Saluatoris intrantes seruare vult Christus. In regula 31.
Regula Sancti Saluatoris habet in se tres fructus, ext. 39.& 40.
Regula S.Saluatoris procedit, quasi lumen, & lucerna, extrau.41.
Regulæ S.Saluatoris non potuit S. Brigitta aliquid addere aut minuere, extr.45.& 46.
Religio dicitur domus Dei, 1.l.ca.18.
Religionis disciplina dicitur anchora capitalis, 4. libi cap. 88.
Religio dicitur bonus portus, 4.l. ca.102.
Religionis perfectio, quæ est, 4.l. ca.102.
Religio Sancti Saluatoris dicitur noua vinea ante regulam, cap.3.
Religiones quæ non tenentur dicuntur vineæ dissipatæ, ante regulam, ca.2.& 3. Et in regula 28.
Religionem ingredi volens quomodo se prædisponet, extrau.17.
Religionem S. Saluatoris ingressuri præordinati sunt a Christo, ext.19.
Religiosi boni quomodo differunt ab iniquis, 2.li.cap.7. Item 4.l.ca.33.& 36.Item 6.l.ca.5.
Regiosis bonis seruantur quatuor bona, 3. libro, cap. 18.
Religiosi qui obtinent Episcopatum an excluduntur a regula, 3.l.ca.18.
Religiosorum status qualis fuit olim, 3.l.ca.21.
Religiosis hypocritis comminatur Christus, 6. libro, cap. 5.
Religiosi similes furibus, & eorum pœna, 6. libro, cap. 8.
Religiosi hypocritæ similantur leoni, & serpenti, 6.lib. cap.14.
Religiosi quidam sunt, sicut qui reijcit potum in faciem dantis, 6.l.ca. 18.
Religiosi dicuntur vasa asportata in Babylonem, 6.lib. cap. 21.
Religiosi dicuntur operarij Christi, 6.l. ca.55.
Religiosi boni quomodo debent esse dispositi, 6.lib. cap. 65.Item extrauag.17.
Religiosi manere debent in simplicitate, 6.l.ca.77.
Religioso loquaci dedit Christus alapam, 6. libro, cap. 90.
Religiosis quid suades diabolus, patet, 6.l. ca. 99.
Religiosis nocent possessiones superfluæ, 6.l.c.99.
Religiosi proprietarij odiosi sunt Deo, 7.l.ca.20.
Religiosi ordinis Sancti Saluatoris nullum habeant proprium. In regula, ca.2.
Religiosi ordinis Sancti Saluatoris, quæ habebunt exercitia, extrauag.10. & quid facient in diebus festis, ibidem 12.
Relinquere perfecte temporalia quid est, 4. libro, cap.17.
Reliquiæ sanctorum sunt thesaurus Dei in terris, 4.lib. cap.114.Item 7.li.cap.4.Item extr.59.
Reliquias Sanctæ Annæ obtinuit sponsa Christi, 6.lib. cap. 104.
Reliquias sanctorum visitare quam salubre est, 7. libr. cap. 4.
Reliquias S.Thomæ Apostoli obtinuit sponsa Christi miraculose, 7.l.ca.4.
Reliquiæ sanctorum quam reuerenter sunt tractandæ, patet, extrau.59.
Remedia contra tentationes diaboli, 2.lib.ca.1.Item 4. lib.ca.14.Item 6.l.ca.94.
Remedia quæ Deus dedit homini post lapsum contra diaboli suggestiones, 2.l.ca.17.
Remedia contra superbiam, cupiditatem, & concupiscentiam, 2.lib.cap.23.Item 3.lib.cap.17. Item 8. lib.cap.57.
Remedium contra peccatum est dolere, 3.li.cap.19.
Remedia dantur contra impatientiam, 4.l.ca.24.

Digitized by Google

Remedia contra malitiam diaboli, 4.l.ca.29.

Remedium contra tentationes de corpore Christi, 4. l. cap.61.

Remedia dantur pœnitentibus contra deceptionem hominum, & dæmonum, 4.l.ca.79.

Remedia contra tentationes cordis, oris, & operis, 6.l. cap 91.

Remunerat Deus malos in præsenti pro minimo operæ bono, 1.l.cap.14.& 25.& cap.36.& 37. Item 5 lib.inter.14.respon.5.Item 6.lib.cap.37.Item 8. li. cap 48.

Remunerat etiam Deus minimam cogitationem verbum & opus, 3.l.c.26. Item 6.l.ca.39.

Remunerat qualiter Deus hominem pro vera fide, 6. l ca.79.

Remunerat qualiter diabolus amicos suos, 8. libro, cap. 56.

Remuneratio gloriosa primi boni militis, patet. 2.l. cap. 11.per totum, & 12.

Remuneratio temporalis cur non est quærenda, &c. 5. l.inte.7.respon.6.

Remuneratio malorum qualis erit, 6.l. ca. 28.

Remuneratio datur iuxta, quod homo diligit, 6. libro, cap.50.

Renouatur homo a peccatis, sicut Fenix mortua, 2. lib. cap. 18.

Requies æterna datur homini pro voluntaria tribulatione, 1.l.ca.46.

Requies beatorum qualis erit, 6.l.ca.40.

Requiem cœli non intrabit, qui habet male acquisita, 6.l.ca.85.

Requirit quid Deus ab anima, 4.l.ca.107.

Res preciosissima est humanitas Christi, 3.l.c.13.

Res preciosissima Deo præsentanda, quæ est, 3. libro, cap.13.

Res preciosissima perdita, et reinuenta dicitur Christus, 4.l.ca.71.

Resistere tentationi est diabolum repercutere, 4. libro, cap. 106.

Resistere tentationibus ligat diabolum, 6.l.ca.3.

Respondere Deo unum pro mille non potest homo, 4.l. cap. 20.

Respondet Maria pro amicis suis in iudicio Dei, 4. lib. cap. 101.

Respondere quid debet homo Spiritui sancto quid ve spiritui maligno, 4.l.ca.110.

Respondere quid debet homo quatuor deceptoribus mundi, 5.l.reuel.post.inte.10.

Respondebit quid homo carni, mundo, & diabolo. 6. l. cap. 17.

Respondet quid Deus hominibus mundanis, 6. libro, cap. 19.

Respondebit quid homo malis consiliarijs, & hostibus spiritualibus 6.l.ca.51.

Respondebit quid homo suadentibus carnalia, 7. libro, cap. 5.

Respondere quid debet homo tentationi auditus, 7. lib. cap. 5.

Restitui quomodo, & quibus debent ablata, 1.l.ca.18. Item 6.l.ca.24.

Restitui debent male acquisita si homo vult saluari, 4.l. ca.46.Item 6 l.ca.41.& 85.Item 7.l.ca.11

Resurgentium cum Christo corpora, & animæ, vbi sunt, 6.l ca.94.

Resurgens Christus primo apparuit Matri suæ, 6.l. ca. 94.Item se.ang.19.Item 1.orat.

Reti assimilatur diuina prædicatio, 4.l.ca.129.

Retributio hominis erit secundum eius opera, sermone angel.10.

Retrocedere spiritualiter quid est, 4.l.ca.20.

Retrocedere non debet homo in bono incepto, 4. libro, cap. 107.

Reuelationes istæ comparantur sibilo tenuis auræ. In prologo Matthiæ.

Reuelationes istæ sunt a Spiritu sancto, & non a spiritu maligno. In prologo Ioannis de Turre, & in prologo Matthiæ.Item 5.l.reuel.inte.16.Item in prologo 8.l.ca 6 per totum.Item ext.49.

Reuelationes istas quare, quomodo, & quando audiuit, vidit, & obtinuit Sancta Brigitta, & misit Deus in mundum, 1.l.cap.2.& 5. Item 2.l. cap. 13. 15. 16. 17.& 19. Item 3.l.cap.5.30.& 31.Item 4. lib. cap.143.Item 5.l.reuel post inte.15.Item 6. l.cap. 52.Item 8.l.in prologo,cap.4.Item 8.l. cap. 1. 47. 66. Item ante regulam, cap. 1. Item ext. 46. 47. 48.& 51.

Reuelatio tangens Papam Innocentium Sextum, 4.lib. cap. 136.

Reuelatio quod Indulgentiæ Ecclesiæ Sancti Petri ad Vincula datæ sunt ordini Sancti Saluatoris, 4 lib. cap. 137.

Reuelationes istas dicere non esse a Deo periculosum est, 6.l ca.90.& 92.

Reuelatio facta pro Regina Neapoli, 7.l.ca.11.

Reuelatio Missa Domino Bernardo Archiepiscopo Neapolitano, 7.l.ca.12.

Reuelatio super statu Regni Cypri, 7 l ca.19.

Reuelatio ad inhabitatores Neapolitanenses, 7.l.ca.27. & 28.

Reuelationes quomodo debeant examinari, & personæ obtinentes eas, 8.l.in prologo ca.1.& 2.

Reuelationes istæ sub qua specie visionum continentur, 8.l.in prologo,ca 5.

Reuelationes quæ sunt recipiendæ, credendæ, & exequendæ, 8 lib. In prologo, ca 7.

Reuelationes istæ conscriptæ sunt de ore Christi, &c. 8.l.cap.51.

Reuelationes istæ quomodo, & per quos primo fuerunt examinatæ, patet, in prologo Ioannis de Turre, 1.ca. Item ante regulam, ca.1.

Reuelationes istæ a quo, & quali modo sunt conscriptæ, & translatæ, ext.48.per totum.

Reuelationes mittit Deus malis christianis, extrauag. 85.

Rex tenetur habere quatuor, 1 l.ca. 15.

Rex stans inter amicos, & inimicos dicitur Christus, 2.l.cap.6.

Rex corona, & potens dicitur Christus, 2.libro.cap.7. Item

Digitized by Google

Item 8.l.cap.1.
Rex quomodo vere, & deuote creabit milites,2.l.ca.7. & 13. Item 8.l.ca.32.
Rex verus est solus Christus, 2. h ca. 12. Item 8.lib. cap.2.
Rex qualiter debet eligi,& coronari, 7.l. ca.16.
Rex Achab perijt pro vinea vsurpata,4.l.c.46.
Rex quomodo honorabit Deum, 4.l.ca.48.
Rex verus qualis tenetur esse, 4.l.ca.76.
Rex quasi prouocatus ad pugnam stat Christus, 4. lib. cap 95.
Rex coronatus est Christus,5.l.reuel.post inte.9.
Rex quidam propter duo dicebatur puer, 6.l.c.41.
Rex ad quid constituitur, & quod habere potest habitum honorabilem, & quibus diebus portabit coronam,patet,8.l.ca.3.
Rex quomodo se debet habere in mensa, & post mensam,in iudicijs suis,& regimine ad excommunicatos & ad populum,8.l.c.4.per totum,& 56.
Rex legere debet exempla sanctorum,8.l.ca.5.
Rex quomodo diliget Christum,8 l.ca.7.
Rex pro quo debet laborare,8.l.c.18.& 19.
Rex corripiet derisores Christi,8.l.ca.21.
Rex volens ire contra paganos quomodo sit dispositus, 8.l.ca.43.
Rex quare vngitur,coronatur, & consecratur, 8. lib. cap. 48.
Rex quomodo, & cum quibus debet peregrinari, 8.lib. cap. 53.
Rex quidam quam graue sustinuit purgatorium pro iniuste ablatis,& quia non fuerat virtuosus,sed immisericors,8.l.ca.48.
Rex quomodo se habeat iuxta velle Dei, ext.73.
Risum immoderatum sequitur tristitia, 2.l.ca.29.
Risum mundanum sequitur dolor omnium membrorum, extrauag.86.
Roboratrix omnium fidelium erat Maria, sermone angelico 19.
Rodit diabolus voluntatem hominis, sicut talpa radices, 6. l. ca.30.
Rodent vermes pectora peccatorum, 6.l. ca.52.
Rogari vult Deus in adiutorium,4.l.ca.126.Item 5.l. inter.4.respon. 2. Item 8.l.ca.48.
Rogare quid debet homo pro viuis in mundo, 6. libro, cap. 65.
Romæ quam multi sunt martyres, & confessores,3.lib. cap.27.
Roma comparatur agro centum pedum,& est locus electus,3.l. ca.27.
Roma non est sine amicis Dei, 3.l.ca.27.
Roma debet purgari ferro igne,& aratro,4.l.ca.57.
Romæ plateæ strate sunt sanguine sanctorum,4.l.127. Item 6.l.ca.63.
Romanis veniet Christus vijs incognitis, 4.l.ca.10.
Romanæ Ecclesiæ,qui nolunt subijci quomodo punientur,7.l.ca.19.
Romulus primo fundauit Romam, 3.l.ca.27.
Ros vnde procedit, & significat deuotas lachrymas, 4. l.ca.81.
Rosis assimilantur sancti martyres, 3.l.c.27.
Rosa florens in hiericho dicitur Maria,ser.ange. 16.
Rotæ quatuor in curru iustorum describuntur, 4. lib. cap.17.
Rota quatuor currus malorum,qui sunt, 4.l.ca.17.
Rota molendini comparatur hominis voluntas, 4. libro, cap.97.
Rubus ardens,& incombustus significat Mariam, 2. l. ca.10.Item serm. angel.15.
Rustico contemptibili assimilat se Christus, 4. libro, cap.59.
Ruth quid per obedientiam suam promeruit, 8. libro, cap. 120.

DE LITTERA S.

SAbbatum obseruare cur præcepit Deus hominibus, 5.lib.inter.14.respon.1.
Saccus sine fundo dicitur cupiditas,1.l.ca.55.& 56.
Saccus diaboli dicitur segnicies, 3.l.ca.13.
Sacerdos etiam pessimus consecrat verū corpus Christi, 1.lib.ca.47.
Sacerdos malus est in eodem peccato quo cecidit Lucifer, & eius iudicium quale erit,1.l.ca.47.
Sacerdotes abutuntur quinque bonis datis sibi a Deo, 1.l.ca.59.item 4.l.ca.132.& 133.
Sacerdos quidam incontinens a fulgore primatus suis verendis,& vita corpore illeso,2.l.ca.2.
Sacerdotibus malis parcit Deus propter tria, 4. libro, cap. 58.
Sacerdos bonus dupliciter proficit animabus, 4. libro, cap. 61.
Sacerdotes malæ vitæ perdunt se,& alios,4.l.ca.132. & 133.
Sacerdotes quidam comparantur lupis, lapidi, furi, asino, meretrici, pici, vomitui, & proditori, 4. libro, cap. 133.
Sacerdotes aliqui deteriores sunt diabolo, 4. libro, cap.135.
Satiabit qualiter Christus amicos suos,6.l.ca.27.
Sacramenta tractare propter honorem mundi malum est,3.l.ca.16.
Sacramenta veraciter conficiunt, & ministrant etiam mali sacerdotes,4.l.ca.61.Item 7.l.ca.7.
Sacramenta Ecclesiæ dicuntur vasa purificationis, & quomodo debent custodiri, dari, & recipi, 4. libro, cap. 116.
Sacrificium malorum sacerdotum displicet Deo, 1. lib. cap.48.
Sagitari debent peccatores quatuor telis, 4. libro, cap.98.
Salomon comparatur monti, 1.l.ca.51.
Salomon verus erat Christus,2.lib.ca.4. Item 3.libro, cap. 29.
Salomon significat paganos,2.l.ca.5.
Salomoni non profuit edificasse sumptuosa, 3. libro, cap.18.
Salomon excessit a bonitate,3.l.ca.19.

Digitized by Google

I N D E X.

Salsamentum pretiosum dicitur tribulatio, 4. libro, cap. 81.
Saltus spiritualis quid est, 3.l.ca.13.
Saluari cur non potuit homo, nisi per Christum, 5.l.inte. 12.respon.4.
Saluari potest omnis volens redire ad Christum, 6. lib cap.15.
Saluari per quæ possunt animæ a purgatorio, 6. libro, cap. 69.
Saluari non potest homo sine mandatis Dei, 6. libro, cap. 116.
Salutem hominis operabatur Christus in tota vita sua, 1.l.c.40.Item 2.l.c. 15.
Sanctitatis veræ quæ sunt signa in hac vita, 2. libro, cap. 30.
Sanctitatis falsæ tria sunt signa, 2.l.c.30.
Sancti Dei sunt quasi stellæ innumerabiles, 1. libro, cap. 20.
Sancti cur non videntur sicut sunt ab hominibus, 1.l. c. 20.Item 5.l.inte.8,respon.3.
Sanctus Brinulphus scarensis similis erat cibo optimo saphyro in annulo, & lumini in candelabro, 2.libro, cap. 30.
Sanctorum lætitia magna est, 3.l. ca. 12.
Sancta sanctorum significat desiderium Dei, 3. libro, cap. 27.
Sancti rogari debent pro obtinenda bona voluntate, 4.l. cap. 74.
Sancti dicuntur cutis Christi, 4.l.ca. 92.
Sanctorum corpora honorant Angeli, & custodiunt, 4. l.ca. 107.
Sancti tres præcæteris placuerunt Christo, 4. libro, cap. 108.
Sanctorum exercitium quod est in cœlis, 6.l.ca. 12.
Sanctorum requies qualis erit, 6.l.c.40.
Sandalia significant fidem Christi, 6.l.ca. 52.
Sanguis consumitur ex infirmitate, 1.l.ca. 39. & ex timore, 4.l ca. 126.
Sanguis Christi perhibet iustis testimonium in terris, 3. l. ca 23.
Sanguis cordis Dei dicitur Maria, 4 l.cap 19.
Sanguinem leonis sugere spiritualiter quid est, 4. libro, cap. 39.
Sanguis animæ dicitur voluntas, 4.l.ca.90.
Sanguini corrupto similatur superbia, 6.l.ca. 36.
Sanguis vulnerum Christi vbi mansit, 6.l.c. 112.
Sani esse in anima, qui dicuntur, 4.l.ca. 115. Item 6.l. cap. 48.
Saphyrus membra conseruat, & corroborat, & quid significat, 2.l.c. 30 Item 4.l 124.
Sapientes veraciter, qui dicuntur, & qui non, 2. libro, cap. 2[illegible].
Sapiens ad mundum cæcus est ad Deum, 5. l. inte. 4. respon. 1.
Sapientia diuina panis dicitur, & mundana stramen, 1.l.ca.33. Item 3.l.ca.8.
Sapientia Christi est mare inexhauribile, 1.l.c. 50.
Sapientia diuina mutata est in humanam, 1. l.cap.55. 56. & 69.
Sapientia diuina, & spiritualis, quæ est, 2.l.c.22.
Sapientia diuina dicitur edulium animæ, & in quo consistit, 2.l.ca.25.
Sapientiam quantam obtinuit Maria a Christo, 3. lib. cap. 8.
Sapientia ipsa est Deus, 3 l.c.26.
Sapientiam quibus dat Deus, 4.l.c. 22.
Sapientiæ principium est timor Dei, 4.l.c.125.
Sapientia diuina, & mundana differunt, & dicuntur oculi animæ, 4.l.ca. 129.
Sapientia diuina quomodo acquiratur, 5. lib. inte. 4. respon. 1.
Sapientia diuina dicitur aurum Dei, 6.l.ca.4.
Sapientia vera, quæ est, & in quo consistit, 6.l.c.92, & 96 Item ext. 3.
Sapientiam suam ostendit Deus in dispositione mundi, ext. 50.
Sapiunt Deo boni prælati, vt optimus cibus, 2.l.c.30.
Satisfecit qualiter Christus pro peccatis hominum, 1. l. cap. 45.
Satisfacere Deo pro excessibus suis non potest homo, 4. l.cap. 20.
Satisfacere pro peccatis suis quomodo debet homo; extrauag 75.
Satisfactio quomodo fiet Deo Angelis, & sanctis, &c. 6.l. cap. 24.
Saturari lacte Mariæ perfecte spiritualiter quid est, 4. l.cap. 139.
Saul peccauit consulendo phitonissam, 5. lib. inter. 13. respon. 1.
Scalæ tres erant circa crucem Christi, 2.l.ca.21.
Scala ad cor Dei dicitur humilitas ext. 93.
Scapulare monachorum quid significat, 3.l.c.17.
Scientia sine charitate dicitur stramen vacuum, 3. lib. cap. 8.
Scientia spiritualis quid est, 4.l.ca.59.
Scientiam non amisit Angelus cadens, 5. l. inter. 12. respon. 3.
Scientiæ ad quid sunt acquirendæ, 7.l.ca.5.
Scintillæ extractæ de crystallo, silice, & ligno spiritualiter quid significat, 3.l.ca.21.
Scintilla calefaciens dicitur cogitatio passionis Christi, 6.l.ca.20.
Scire potest diabolus multa futura, 6.l.c.82.
Sciunt sancti diuersimode mysteria Dei, 8 l.c. 56.
Scopa animæ dicuntur humilitas, & paupertas, 6. lib. cap. 35.
Scopulo similatur desiderium malum, 4.l. ca.44.
Scorpio pessimus dicitur fallacia, & iniustitia, 1. libro, cap. 23.
Scrinium animæ pendens super quatuor dicitur corpus hominis, 1.l. ca. 21.
Securis animæ dicitur discretio, 2.l.ca.27.
Sedere ad honorem Dei quid est, 6.l ca.13.
Sedes Christi dicitur voluntas hominis ad ipsum, 1. l. cap. 30.
Sedes Mariæ ab æterno proxima fuit Deo constituta, se.ang. 4. & 20.
Segnis esse in volatu spiritualiter quid est, 2.l.c.19.

e 3 se-

Segnicies dicitur saccus peccatorum, 7.l.ca. 13.
Semen virtutum quod est, & qualiter crescit, 2. lib. cap. 43.
Semen non seminatum dicitur Christus, 1.l.ca 50.
Semen commixtionis cur datum est homini, 5.l.inte.3. respon. 4.
Semen animæ suffocatur per indiscretionem, 6. lib. cap. 121.
Semita in cælum dicitur virginitas, 5. lib. inte. 12. respon. 1.
Sensuum custodia dicitur sera animæ, 4.l.c.100.
Sensus quinque sunt in capite, 4.l.c.115.
Sensum cur dedit Deus homini, 5.l.inte.3.respon.1.
Sensus corporis dicuntur serui animæ, 6.l.c.60.
Sensus suos quomodo refrenauit Maria, se.ang 14.
Sentinæ similatur mundana cupido, se.ang.2.
Sepulchrum Christi, sicut iudæi custodiunt aliqui, 6.l. cap. 28.
Sepultura spiritualis peccatorum horrida erit, 1. lib. cap. 45.
Sequi volens alterius voluntatem habere debet tria, 1.l.cap.38.
Sequi volens præcedentem debet habere tria, 2. lib. cap. 21.
Sequi Christum qualiter debet anima hominis, 2. lib. cap. 29.
Sequi Deum aut diabolum est in arbitrio hominis, 7. lib cap.11.
Sera in domo animæ dicitur diuina charitas, 2.l.ca.27.
Seræ inter Deum, & animam dicuntur quatuor peccata, 3 l.cap.13.
Sera animæ dicitur custodia sensuum, 4.l.c.100.
Serpens æneus in deserto vnde habuit virtutem sanctiuam, 4.l.ca 61.
Serpenti assimilatur anima peccatoris, 4.l.c.107.
Seruitio Christi gratitas quomodo potest allegiari, 1. lib.cap.15.
Seruiunt Deo tria genera hominum, & eorum remuneratio, 1.l.ca.14.
Seruire non bene potest homo duobus dominis, 1. lib. cap. 15.
Seruire Deo quomodo tenetur homo, 6.l. ca.50.
Seruiebant sibi mutuo Maria, & Ioseph, 6.l.c.59.
Seruitores aliqui sunt hostes domini sui, 6.l.c.51.
Seruum honorare, & dominum contemnere spiritualiter quid est, 1.l.c.40.
Serui Dauid significant opera bona, 2.l.ca.5.
Serui Dei habere possunt vestes competentes, 4. lib. cap. 30.
Seruum vestire, & honorare pro domino quid est spiritualiter, 6.l.ca.52.
Serui animæ dicuntur sensus corporis, 6.l.ca.66.
Seruos nimis exasperare non debent domini, 7.l.ca.28.
Signa sponsi habere debet sponsa in pectore suo spiritualiter, quid est, 1.l c 2.
Signa charitatis Christi, quæ sunt, . l.c.7.
Signum dedit Deus Moysi ad populum propter tria, 2.l. cap.10.
Signa tria in homine sunt falsæ sanctitatis, 2.l.cap.30.
Signa exterius ostendunt quid sit in corde hominis, 4. l.ca.23.& 114.
Signa diuinæ charitatis in homine, quæ sunt, 4. lib. cap.126.
Silere debet homo prouocatus ad iram, 6.l. ca.6.
Silere non debet habens auctoritatem prædicandi, 6 lib. cap. 7.
Silex significat superbiam hominis, 3.l.c.21.
Siliquas dare Episcopo de ara porcorum spiritualiter, quid est, 3.l.c.16.
Siliquæ porcorum dicuntur ista mundialia, 4. lib. cap. 1.& 125.
Simia habet quatuor conditiones cui similis erat quidam Episcopus, 3.lib ca.11.
Sinapis purgat cerebrum, & significat malas cogitationes, 2.l.ca.27.
Sinistram Christi crucifigere quid est, 1.l.ca.37.
Sinistra dicuntur opera carnis, 4.l.ca.122.
Sinistra Dei quid significat, 5.l.inte.16 respo.1.
Sitire spiritualiter quid debet homo, 1.l.c. 38.
Sitis pessima animæ quæ est, 2.l.c.25.
Smaragdus quas habet virtutes, quæ significat mendacium, 4.l.ca.124.
Societas mundialis dicitur essatura diaboli, 4. libro, cap. 114.
Sol significat virtutem Christi, 1.l.ca.50.
Solis radijs similis fuit obedientia Mariæ, se.ang. 5.
Sollicitari cur, & de quo debet homo, 3.ca. 11.item 5.l. inte.4.respon.2.
Sollicitudo mundana dicitur vermis, 1.l.ca.23.
Soluere alios, & se ligare spiritualiter quid est, 3. lib. cap. 16.
Somnia non debent omnia recipi, nec omnia contemni, 4.l.cap.38.
Somnus dicitur mors iustorum, 4.l.c.40.
Sorores quatuor dicuntur quatuor virtutes, 4. libro, cap.45.
Sorores peccatoris dicitur mundana conuersatio, 4 lib. cap. 123.
Sorores ordinis Sancti Saluatoris sunt puellæ Mariæ, ext. 35.
Speculator animæ dicitur visus, 6.l.ca.66.
Speculum virginum fuit Virgo Maria, se.angel. 19.
Sperare quid debet homo, 8 l. ca.56.
Spes ad Deum dicitur tunica animæ, 1.l.c.7.
Spes vana quid est, 1.l.ca.39.
Spes dicitur ostium domus animæ, 2.l.ca.27.
Spes recta quid est, 2.l.ca.27.
Spes falsa, & periculosa, quæ est, 3.l.ca.12.
Spes dicitur lapis in annulo, 3.l.ca.24.
Spes dicitur galea animæ, 4.l.ca.89.
Spes dicitur pes animæ, 4.l.ca.95.
Spes similatur palpebræ cutæ, 4.l.c.129.
spes assimilatur cyrothecis, 6.l cap.52.
spes dat calorem animæ, & corpori. 6.l.c.84.
spinæ fructui similes sunt quidam sacerdotes, 1. libro, cap.48.
spina diaboli dicitur praua delectatio. 4.l.ca.67.
spiritualia bona quomodo acquirantur pro temporalibus.

Digitized by Google

but. extrauag. 88.
spiritus bonus, & sanctus eiusque infusio per quæ, & quomodo discerni potest a spiritu maligno, & eius suggestione. In prologo domini Ioannis de Turre, per totum.item in prologo matthiæ.item 1.l. cap.4. item 4.lib.ca.4.23.67. & 100.item 6.lib. cap.38. item 7.lib.in prologo,cap.2.& 6.per totum.item 8. lib.cap.48. & 56.
spiritus creati duo sunt, & eorum differentia, 1. lib. cap.54.
spiritus malus fugatur per tria, & obtinetur bonus, 1. lib.cap.54.
Spiritus sanctus a quibus discedit, & a quibus longe est, 1.l.ca.59.
Spiritus sanctus quid operatur in eo in quo habitat, 2. lib.ca.19.item 4.l.ca.67.item 6.l.c.65.
Spiritus sanctus duo bona affert secum in cor hominis, 3.l.ca.10.item 4.l. ca. 78.
Spiritus bonus quandoque loquitur in malo prædicatore,3.lib. ca.15.
Spiritus sanctus dupliciter ingreditur animam, & facit duo, 3.l.ca.20.
Spiritus sanctus quos visitat frequentius,4.l.ca.16.
Spiritus sanctus quomodo, & per quid potest obtineri, 4.lib ca.97.item 6.l.ca.42.
spiritui bono quomodo est respondendum, & quomodo malo,4 lib.ca.110.
Spiritus sancti dulcedinem quærens non fugat amara,5. lib.reuel.post inte. 5.
Spiritus sanctus in quo habitat, & in quo non, 5. lib. inte. 15. respon. 6.
Spiritus Dei quomodo loquitur homini interius, 6.lib. cap. 18.
Spiritus sanctus quomodo descendit in Apostolos, 6. lib.ca.36.& 86.
Spiritus sanctus in quos venit,& in quos non,6.lib.ca. 55.item ext.87.
Spiritum sanctum impetrat Maria hominibus.7.lib.cap. 28.item 8.l.ca.47.
Spiritum sanctum accipiunt sancti diuersimode, 8. lib. cap. 16.
Spiritus sanctus prophetis illabebatur, vt torrens, se.angel. 9.
splendor sanctorum in cælis quam excellens est, 1. lib. cap. 20.
spoliant Deum qui non soluunt decimas, ext 83.
sponsa Christi esse volens quomodo debet esse prædisposita, & ornata, 1.l.ca.2.& 7.item 2.l.21. item 6. l.ca.?1.item ext.17.
sponsa Christi fatigari debet cum sponso, 1.l.c.2.
sponsa Christi dicitur anima, 1.lib.cap.16.
sponsa Christi debet esse parata, credula, obediens, & humilis, 1.lib.ca.22.
sponsa Christi sit patiens, obediens, & libens, 1.lib. cap.38.
sponsa Christi habere debet tres domos, & in qualibet domo tria instrumenta, 2.l.cap.24.25.26.& 27. per totum.
sponsa Christi habere debet quinque bona, 5. l.reuela. post inte. 3.
sponsa Christi esse debet, sicut arbor bene radicata, 6.l.cap.30.
sponsa Christi facta est adultera,6.l ca.33.
sponsa Christi, vt sibi placeat habere debet tria, . lib. cap. 42.
sponsus animæ iustæ est Christus, 1.l.ca.16.item 6.l.c. 33.item ext.17.
sponso assimilat se Christus,4.l.c.123.
squamis assimilatur malitia hominum,4.l.ca.129.
stabilis spiritualiter esse quando dicitur homo, 4. lib. cap.106.
stare ad voluntatem Dei spiritualiter quid est,2.l.c.19. item 1.l.ca.13.
stare inter vias doloris, & gaudij quid est, 3.l.ca.12.
stare in mundo spiritualiter quid est, 3.l.ca.12.
stetit Christus tripliciter in cruce pro homine,5.l.reu. 2.post inte.12.item 6.l. c.19.
stateram in manu habenti assimilatus Spiritus sanctus, 5 l.inte.16.respon.3.
status incipientium, proficientium, & perfectorum describitur.1.l.cap.15.
status hominum tres sunt in mundo,1.l c.36.
status hominum quinque in mundo ad quos venit Christus in habitu peregrino describuntur,2.l.c.3.
statum triplicem elegit Deus ab initio,1.l.ca.10.
status hæremitarum,religiosorum,confessorum, martyrum qualis erat olim,1.l.ca.21.
stellis comparantur Angeli boni,1.l.c.54.
stellis non inest, quod homo sit bonus, vel malus, 6. l. cap.45.
stellis similes fuerunt cogitationes Mariæ,se.ange.5.
Stephanus sanctus quomodo se habuit ad peccatores,4. l.ca.129.
stephanus sanctus quomodo se habuit ad Christum, & Iudæos, & qualis nunc est in gloria,6 l.c.108.
stipendium religiosorum,& militarium describitur, 4. l cap.36.
stipendium nostrum est Christus.4.l.c.75.
stomachus animæ dicitur discretio, 4.l.c.115.
stramen dicitur mundana sapientia,& scientia, 1.l.ca. 33.item 3.l.ca.8.
Stramina masticare spiritualiter quid, 3.l.cap.16. item 6.l.ca.35.
Subditis qualem se exhibebit prælatus,6.l.c.3.
Subditi qualiter sunt tractandi,7.l.ca.12.
suburbium ciuitatis gloriæ dicitur mundus. 4. libro, cap. 15.
Sudor sanguineus quomodo, & quare exiuit de Christo,1.l.c.39.Item 4. l.c.81.& 126.
Suetiæ Regnum, qui primo inhabitabant, quarto libro, cap. 3.
Suetiæ Regnum diu in magno peccato impunitum fuit, 5.l.reuel.2 post inte. 16.& in rubr.
Suetiæ Regno quam fecit Deus misericordiam, 8.libro, cap. 48.
Suffragia viuorum quomodo,& quantum prosunt mortuis,4.l.ca.7.8.& 9.vide in Remedium, in Oratio, & in Iuuare.

Sugere caudam serpentis spiritualiter quid est, 6. lib. cap. 35.
Suggestionem diaboli esse quomodo intelliget homo, 1. l. ca. 54.
Suggestio trahens a via Dei, quæ est, 3. l. ca. 2. Item 4. l. ca. 126.
Suggestio diaboli dicitur spes, & cuspis gladij, 4. l. ca. 20.
Suggestioni diaboli quid respondebit homo, 6. l. ca. 37. & 51.
Suggestioni inimici quomodo resistet homo, 7. l. c. 5.
Suggestio diaboli dicitur talpa, in regula 28.
Superbiæ retributio quam grauis erit homini, 1. l. c. 17. & 33. Item 2. l. ca. 9 Item 4. l. ca. 135. Item 7. l. ca. 16. 35. & 52. Item 7. l. c. 27. & 30. Item ext. 70.
Superbia dicitur domina nullum permittens sedere secum, 1. l. ca. 29.
Superbia dicitur vox diaboli, qua auertit homines a Christo, 2. l. ca. 6.
Superbia dicitur auis cupida, 2. l. ca. 29.
Superbia dicitur sera excludens, 3. l. ca. 13.
Superbia dicitur ala peccatoris, 3. l. c. 14.
Superbia significatur per silicem, 3. l. ca. 21.
Superbiæ vitium quomodo potest emendari, 4. l. ca. 9. Item 6. l. ca. 10.
Superbia dicitur color diaboli, 4. l. c. 69.
Superbia dicitur mors æterna, 4. l. ca. 79.
Superbia dicitur pessimum venenum, 6. l. c. 32.
Superbia est quasi corruptus sanguis, 6. l. ca. 36.
Superbia dicitur liber diaboli, 6. l. ca. 39.
Superbia oculorum quomodo punietur, 6. l. ca. 52.
Superbia excecat animam, 6. l. ca. 52.
Superbiens de castitate similatur vnicorni, 4. l. ca. 125.
Superbire non debet homo de diuitijs, 5. l. interrogat. 7. respon. 3.
Superbus quidam similis erat Aquilæ, 1. l. ca. 17.
Superbi homines comparantur papilioni, 4. l. ca. 112.
Superbus homo similatur animali leproso, 4. l. c. 125.
Superbus homo tractari debet, sicut infirmus, 5. l. reuel. post interr. 8.
Superbi homines assimilantur serpentibus. 6. l. c. 32.
Superbi dicuntur vasa pessima, 6. l. ca. 36.
Superbi similes sunt ardenti aspersorio, 6. l. ca. 52.
Superbi comparantur caudæ vaccæ lutosæ, & eorum pœna, 6. l. ca. 52.
Surculo assimilatur gratia Dei, 1. l. ca. 20.
Surdus quis esse dicitur alia aure, 4. l. c. 98.
Surgere spiritualiter quid est, extrau. 17.
Susannæ saluatio, & glorificatio, patet, 4. l. ca. 71.
Suscitat Deus, ita peccatorem, sicut Lazarum, 4. lib. ca. 72.

DE LITTERA T.

Tabernaculi ornamentis comparantur opera iustorum, extrau. 18.
Tactus spiritualis præponderare debet corporali, 2 libr. ca. 14.
Tactus dicitur laborator animæ, 6. l ca. 66.
Talentum duplicare spiritualiter quid est, 3. l. 20.
Talentum custodiens inutiliter incurrit iudicium, 4. li. ca. 81. Item 5. l. inte. 13. respon. 5.
Talpa rodens radices dicitur diabolus, 6. l. c. 30. Item in regula 28.
Tauris indomitis assimilatur communitas populi, 1. lib. ca. 56.
Tecla virgo commendatur, 4. l. c. 71.
Tectum domus significat charitatem, 1. l. ca. 18. Item 4. l. ca. 144.
Tedium habens in spiritualibus quid faciet, 6. libro, ca. 65.
Templum animæ dicitur corpus hominis, 1. l. ca. 26.
Templum Dei dicitur coniugium castum, 1. l. c. 26.
Templum Dei est anima boni Christiani, 1. l. ca. 57.
Templum Christi sunt corpora humilium, 2. l. c. 9.
Templum diaboli sunt corpora superborum, 2. l. c. 9.
Templum Salomonis describitur cui assimilatur Maria, 3. l. ca. 29.
Templum Dei in homine quale debet esse, 3. l. ca. 29.
Templum peccatoris spirituale est, 3. l. ca. 19.
Templa malorum sacerdotum qualia sunt, 3. l. c. 28.
Templa quedam sanctorum mutata sunt in latrinas, 4. l. ca. 33.
Temporalia bona non satiant hominem, 1. l. ca. 38.
Temporalia bona ad quid sunt creata, & quomodo dispensentur, 2. l. ca. 14.
Temporalia bona ad quid data sunt homini, 5. l. interr. 2. respon. 2.
Temporalia bona cur dantur bonis, & malis, 5. l. interr. 13. respon. 6.
Temporalia dicuntur stercus, 6. l. ca. 36.
Tentationum diaboli tria sunt remedia, 2. l. c. 1. Item 4. l. c. 14. Item 6. l. c. 94
Tentationes iustorum moderatur Deus, 4. l. c. 12.
Tentationes pellit Deus a cordibus hominum, 4. libro, ca. 12.
Tentatio dæmonum triplex, 4. l. c. 29.
Tentationibus pulsat diabolus mentem hominis, 4. libr. ca. 47.
Tentationi quoties resistitur duplicatur homini corona, 4. lib. ca. 61.
Tentationi qui resistit repercutit diabolum. 4. l. ca. 106.
Tentatio probat hominem, purgat, & perficit. 5. l. reuel. post interr. 11. & est occasio salutis ibidem.
Tempus suum qualiter disponet homo salubriter, & maxime prælatus, 1. l. 34. Item 2. l. ca. 14. Item 4. l. ca. 126. Item in reg. 23. Item extr 65.
Tempus iudicij appropinquat, 1. l. c. 34.
Tempus omne quale est apud Deum, 2. l. ca. 9. Item 4. l. 43. & 134.
Tempus laboris spiritualis præponderare debet corporali, 2. l. ca. 14.
Tempus comparatur nucibus, & quomodo vacuum redimatur, 4. l. ca. 109.
Tempora non seruare in agendis malum est, 6. libro, ca. 35.
Tempus contritionis significatur per malleum, 8. l. c. 48.

Tenebræ

Digitized by Google

Tenebræ animæ, quæ sunt, 4.lib.cap.107.
Tenebris similis est hominis infamia, serm. ang.5.
Terebro comparatur timor Dei, 4.l ca.139.
Terra pinguis, vel arida quid significat spiritualiter, 1. lib.cap.43.
Terræ comparantur mali homines, 2.lib.cap.17.
Terra ad quid creata est, 4.l.ca.44.
Terra cooperta vitae dicitur mundus, 4.l.ca.79.
Terra promissa filijs Israel figuranit gloriam cælestem, 6.lib. ca.27.
Terra pinguis dicitur Sancta Ecclesia, ext.85.
Testes quales esse debent in iudicio, 4.l.ca.102.
Testæ comparatur cor hominis, 4.l.ca.107.
Testimonium perhibent dæmones iustitiæ Dei districtæ, 4.lib.ca.7.
Testimonium perhibebant Christo innocentes pueri, 5.lib.inte.12.respon.4.
Testudini similes sunt homines voluptuosi, 3. libro, cap. 7.
Thalamus Christi dicitur Sancta Ecclesia, 6.li.ca.33.
Thalami Christi fores dicitur hominis voluntas, 6. lib. cap. 33.
Thesaurus hominis dicitur mundus, 1.l.ca.53.
Thesaurus dicuntur corpus, verba, & opera Christi, 3. lib.ca.13. Item 4.lib.ca.58.
Thesaurus Christi in terris sunt gaudium, & reliquiæ sanctorum, 4.lib.cap.114. Item 7.lib. ca.4. per totum. Item ext.59.
Thesaurus preciosus fuit corpus Mariæ in vtero matris, se. angel.10. & 11.
Thesaurus Deo charissimus sunt animæ hominum, ext.79.
Thomas Episcopus Angelicus passus fuit pro iustitia, 3.lib.ca.13.
Thomas Apostolus commendatur, & eius reliquiæ sunt ortibona, 7.lib.ca.4.
Timentibus Deum præstat Maria auxilium, ext.89.
Timere quid debet homo, 2.lib.ca.11. Item 4.lib.ca.17. & 129. Item 5 lib.inte.13.respon.2. & inter. 14. respon.2. Item 6.lib.ca.20.
Timere semper bonum est propter duo, 4.lib.ca.81. & 126. Item 6 l. ca.37.
Timeat nobilis quam ignobilis, plus diues, quam pauper 5.lib.inter.7.respon.2.
Timeãt qui non patiuntur aduersa, 5. lib. interrog.13. respon. 3.
Timeat homo discutere iudicia Dei, 5.lib.interrog.14. respon.5.
Timor Dei dicitur gladius militis Christi, 2. lib. cap.9. Item 6.lib.ca.43.
Timor est introductorium in cælum, 3.l.ca.19.
Timor facit appropinquare Deo, 3.li.ca.21.
Timor est via Dei ad cor hominis, 4.li.ca.10.
Timor acquirit homini charitatem Dei, 4.li.ca.81. Item 8. lib. cap.48.
Timor minuit pœnas inferni. 4.li.ca.81.
Timor Dei dicitur solus gladij spiritualis, 4.lib.ca.89.
Timore seruiens similatur vrso, 4.l.ca.114.
Timor Dei principium est perfectionis, & finis, 4. lib. cap. 125.
Timor Dei comparatur terebro, 4.lib.ca.129.
Timor Dei dicitur vber Mariæ, 6 lib.ca.20.
Timor est vestigium ad Deum, 6.lib.ca.23.
Timor Dei quomodo obtineatur, 7.lib.ca.13.
Timor trahit Deum in animam, 8.lib. ca.48.
Timorem qualem, & quantum habuit Maria ante Christi conceptionem, se.angel.14. & 16.
Timor peccati vertitur homini in bonum, ext.85.
Tyrannos significant septem tonitrua Apocalypsi, 6.li. cap. 110.
Tyranni quomodo debent argui, & moneri, 7. libro, cap.12.
Tolerari non debent symoniaci, 3.lib.ca.3. Item 4.lib. cap.126.
Tolerare debet homo tribulationes, 5. lib. interrog. 2. respon. 5.
Tolerat cur Deus malos homines viuere, 5.lib.inte.12. respon.5. & inte.12.respon.1.
Tolerare patienter aduersa perutile est, 6.lib. ca. 47. & 65.
Tondentur quare clerici, 4.li.ca.58.
Tonitrua septem in Apocalypsi quid spiritualiter significant, 6.lib.c.110.
Tonitruo assimilatur passio Christi, 8.l.ca.47.
Torax significat charitatem ad proximum, 4.l.ca.74.
Torrenti assimilatur diabolus, 6.lib.ca.39.
Torrens impetuosus dicitur mors, 6.lib.ca.52.
Trahit Deus homines ad se sicut magnes ferrum, 1.lib. cap.3.
Trahi qualiter debet homo a peccato, 3.lib.ca.1. Item 4.lib.ca.126.
Trahi volens a Deo quid debet cauere, 3.li.ca.12. Item 4 lib.ca.126.
Trahit vera fides sursum animas, 3.li.ca.35.
Trahit Maria dura corda ad Deum, 3.lib.ca.32.
Trahit tribulatio animas in cælum, 4 l.c.108.
Trahit qualiter Deus hominem ad se, 4.lib.ca.118.
Tres sunt in mundo spiritualiter, scilicet esuriens, sitiẽs, & nudus, 1.l.ca.18.
Tribulari permittit Deus amicos suos, & quare, 1. lib. cap.6. Item 3.li ca.19. & 30. Item 4.li.ca.64. Item 5.li.inte.6.respon.2. & inter.13 respon.3. & inter. 15.respon.3. & 5. Item 8.li.ca.18.
Tribulari de quo debet homo, 4.li.ca.28.
Tribulari aliqui non merentur in hoc seculo, 5.li.inter. 13.respon.3.
Tribulantur amici Dei diuersimode, 5. lib. inter. 13. respon. 3.
Tribulatio Mariæ maxima ex passione Christi describitur, 1 l.ca.20. Item 2.li. cap.24. Item 6.li.cap.93. Item se.angel.16.&c. vide Dolor.
Tribulatio venit homini ex misericordia Dei, 1. libro. cap.36.
Tribulatio non datur malis communiter, 1.l.ca.36.
Tribulatio corporis quibus datur, & quibus corporis, & cordis simul, 1.l.ca.36.
Tribulatio voluntaria meretur æternam requiem, 1.l. cap.46.

Tribulatio ad quid valet iustis, 4.l.ca.12.21.& 40.
Tribulatio purgat hominem, & præparat ad coronam, 4.l.ca.15.22.75.& 93.
Tribulatio triplex notatur per conspersionem panis, 4.l. cap. 28.
Tribulatio ducit ad bona spiritualia, 4.l.ca.75.
Tribulatio dicitur preciosum salsamentum, 4. libro, cap. 81.
Tribulatio iustorum similis est aculeo apis, 4. libro, cap. 86.
Tribulatio comparatur iaspidi, 4.l.ca.124.
Tribulatio cur aduenit homini, 5.l.inte.6.respon.3. & inte.9 respon.2.
Tribulatio nulla venit sine permissione Dei, 5.lib.interr. 13.respon.3.
Tribulationem nullam habens formidet, 5.lib.inte.13. respon. 3.
Tribulatio aduenit homini propter tria, 7.l.ca.4.
Tribulatio venit iustis ad magnam gloriam, ext.63.
Tributa noua populo imponere perniciosum est, 8. lib. cap.48.
Tributaria diaboli dicitur peccatrix anima, 6. libro, cap. 66.
Trinitas Dei sanctissima quam pulchre describitur, 2.li. ca.13.Item 3.l.ca.16.Item 8.l.ca.1.Item se.ange. 3.11.15.& 20.
Trinitas Dei adest in baptismo hominis, 5.lib.inte. 10. respon. 6.
Trinitas Dei sanctissima pulchre designabatur in pulpito mirabili in quo iacebat liber vitæ, &c. 8. lib. cap.48.
Trinitas Dei declaratur per (dictionem ita) sermone angelico.1.
Tristari de quo debet homo, 4.l.ca.17.& 93.
Tristitia Mariæ quanta erat ex passione Christi, 2. lib. cap.21.&c. vide in vocabulo Dolor.
Tristitia sequitur immoderatam lætitiam, 2.l.ca.29.
Triticum optimum dicitur charitas, 3.l.ca.8.
Triticum expuere spiritualiter quid est, 3.l.ca.16.
Triticum dicuntur qui sunt boni, 4.l.ca.28.
Tuba ductilis fuit Sanctus Hieronymus, 6.l. cap. 21. cap.10.
Tugurium vile dicitur iste mundus, 3.l.ca.31.
Tugurium dicitur camera salutis, ext.97.
Tunica animæ dicitur spes ad Deum, 1.l.ca.7.
Turbæ tres populorum dicuntur amici Dei, 4. libro, cap.2.

DE LITTERA V.

VAcuam animam a bono implet diabolus, 8. lib. cap.48.
Vallis excrescens supra quinque montes dicitur Maria, 1.l.ca.51.
Vanagloria quomodo punitur, 6.lib.ca.35.&c. vide in Superbia.
Vas Christi proprium erat Sancta Brigitta, 4.l.ca.77. Item 6.l.ca.52.
Vas argenteum dicitur charitas diuina, 4.l.ca.107.
Vasa purgationis dicuntur septem Sacramenta, 4. lib. cap.116.
Vas vini Dei erant viscera Mariæ, 5.lib.interroga.10. respon.1.
Vas apertum vtraque parte dicuntur gulosi, 6. lib. cap. 7.
Vasa portata in Babilonem dicuntur clerici, & religiosi, 6.l.cap.26.
Vas ad portandum terram dicitur abstinentia, 6. lib. cap.35.
Vasa munda erant Apostoli, 6.l.ca.36.
Vasa pessima sunt, auari, luxuriosi, & superbi, 6. lib. cap.36.
Vasa fœtentia dicuntur hypocritæ, 6 l.ca.37.
Vas vini Dei est corpus Christi, se.angel.3.
Vastenæ monasterium similatur ciuitati Iericho, ext. 25.& 26.
Vastenæ monasterium cum inhabitatoribus suis benedicit Virgo Maria, ext.19.
Vbera Mariæ dicuntur timor, & obedientia, 6. libro, cap. 20.
Væ triplex clamauit anima cuiusdam Regis, 8. libro, cap. 48.
Velamen aufert Deus clamantibus ad se, 4.l.ca.75.
Velle suum proprium dimittenti dat Deus gratiam, 6. l.ca.50.
Velle suum alijs relinquere perutile est, 6. lib. 120. & 121.
Velle quatuor debet homo, 7.l.ca.5.
Venantur Angeli, & dæmones animas hominum, 6. l.cap.39.
Venatori similatur iustitia Dei, 8.l.ca.48.
Venenum diaboli dicitur peccatum, 4. l. cap.77. Item 6 l.cap.52.
Venenum pessimum dicitur superbia, 6.li.ca.32.
Venenum facit in corpore duo mala, & signat suggestionem diaboli, 8.l.ca.48.
Veniam petere a Deo quomodo debet homo, 1. l.ca.57. Item 4.l.ca.60.
Veniam petere debet homo etiam pro modico peccato, 3.li.ca.19.
Veniet Christus malis christianis, sicut gigas tripliciter, 1 li.cap 57.
Venire solet Deus tribus vijs ad cor hominis, 4. libro, cap. 10.
Venire ad loca vbi Christus, & Maria nati sunt, & passi quam salubre est homini, 5.l.reuel.2. post interr. 16 Item 7.l.ca.14.
Veniunt quando amici animæ, & quando hostes, 6. li.cap.66.
Venire volens ad Deum quid faciet, 6.l.ca.116.
Venit Deus in animam hominis, sicut Rex in ciuitatem, 8.lib.cap.1.
Venient ad iudicium cum Christo, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Martyres, & Confessores contra principes terræ, 8.l.ca.56.
Ventris delicias quærere quam malum est, 4.l.ca.52.
Venter diaboli est memoria sua, 6.l.ca.39.

Ventus

Ventus in flabellis dicitur delectatio carnis, 3.l.ca.7.
Ventus dicitur aduersitas mundi, 6.l.ca.30.
Ventum tentationum reprimit Maria, 7.l.ca.28.
Verba mala sunt iacula diaboli, 1.li.ca.13.& quomodo punientur, ibidem.
Verba istarum reuelationum nullus valet infirmare, 1.li.ca.18.& 60.Item 6.l.ca.52.
Verba ista Dei prius annunciabuntur, & post ea venient opera, 1.l ca.32.Item 2.l.ca.17.
Verbis a quibus abstinere debet homo, 1.lib.ca.34.
Verba istarum reuelationum debent vestire fidem Christi, 1.l.ca.38.
Verba ista Christi assimilantur lanæ, 1.l.ca.38.
Verba ista Christi, satiant famelicum, calefaciunt, latificant, & sanant animam deuotam. 1.libro, cap.38. Item 4.lib.cap.77.Item 5.lib. reuel.post.interr.15. Item 6.lib.ca.52.
Verba Mariæ quam dulcia sunt Deo, & plena misericordiæ, 1. lib.ca.50. Item 2.lib.ca.20. Item 6.lib. cap.21.23.& 24.
Verba ista Dei sunt quasi adeps, & aruina, 1.li.ca.52.
Verba ista Dei præcepit Christus publicare, et non silere. In prologo. Item 1.lib.c.52.53.56.& 60.Item 2.l. c.14.& 17.Item 4.l.c.77.Item 6.lib.ca.4.36.47. 52.& 101.Item 8.l.c.55.Item extr.50.51.& 85.
Verba ista Dei quare, & quomodo fuerunt reuelata. 1.l. 56 Item 2.l.13.& 15.& 17.Item 3.lib. ca.5.30. & 31.Item 6.li.ca.52 Item 8.lib.ca.1.& 47.Item extrau.46.47 & 48.
Verba ista Dei sunt litteræ eius ad homines, 1. libro, cap.56.
Verba Christi quidam indicant esse fatua, 1. libro, cap. 59.
Verba ista sua cur misit Christus mundo sine signis. 2. lib.cap.10.
Verba Christi inter omnia, quæ fecit sunt, vt aurum, 2.lib.cap.14.
Verba ista Dei tripliciter nititur inimicus impedire, 2. lib.ca.14.
Verba sex quæ docent fugere mortem, & obtinere vitam, patent, 2.li.ca.21.
Verba Christi semper sunt vera licet videantur obscura, 2.li.ca.28.
Verba Christi quare non semper statim sequitur opera. 2.lib.cap.28.
Verba Christi assimilantur tritico, 3.l.c.16.
Verba scurilia quomodo puniuntur, 4.li. cap.51. Item 6.li.cap.39.
Verba diuina assimilantur clauis, 4.li.c.74.
Verba Christi erant radicata in Maria, 4.li. ca.104.
Verba sua omnia cur Christus non loquebatur in vna hora, 5.li.inter.11.respon.2.
Verba obscura cur aliquando loquitur Deus, 5.li. reue. post inter.14.Item 8.l.ca.48.
Verba Christi vita, & spiritus sunt quomodo intelligatur, 5.li.inter.16. respon.3.
Verba ista Dei non sunt, nisi quasi duo verba, 6. lib. cap. 34.
Verba quæ legi possunt super obsessos, 6.li.ca.34.
Verba Dei loqui libenter debet homo, 6.li.ca.47.
Verba Dei fastidire, & fugere quam malum est, 6.lib. cap. 52.
Verba superbiæ audire malum est, 6.l.ca.52.
Verbum a quo cauere debet homo, 6.l.ca.65.
Verba ista Dei portaturus quid cauebit, 7. li.ca.16.
Verba Dei dicuntur folia, 8.l.ca.10.
Verba istarum reuelationum conferunt fructum salutis, 8.l.ca.48.& 55.Item extrau.19.
Verba Mariæ erant vt dulcissimus concentus auium, serm.angel.5.
Verba istarum reuelationum a diuersis diuersimode accipientur, extrau.19.
Verba ista Christi sine approbatione pontificum non debent publicari, extrau.37.
Verba istarum reuelationum a quo emanauerunt, & quomodo, & per quem fuerunt conscripta, extrau. 48.& 49.
Verba ista Dei cum iustitia, & misericordia intrabunt in mundum, extrau.50.
Verba istarum reuelationum cur misit Christus in mundum, extrau lib vsque.
Verbum quodlibet Bibliæ emanauit a Deo. extr.91.
Verecundia significatur per genas hominis, 1.l.c.13.
Vermis dicitur sollicitudo mundana, 1.li.ca.23.
Vermi rodenti radices similatur malus prælatus, cap.43.
Vermes cur creauit Deus, 5.lib.inter.3.respon.2.
Vestigia animæ dicuntur timor, & dolor, 6.li.ca.13
Vestimentum pelliceum significat opera misericor 2.li.ca.26.
Vestimentum sericum signat abstinentiam, 2. l.c.26.
Vestire Christum potest homo vno filo, 2.li.ca.3.
Vestire seruum veste domini spiritualiter quid est, 6. li. ca. 52.
Vestes quales habere debet sponsa Christi, 1. li. cap.7. 6.li.cap. 42.
Vestis animæ dicitur fides recta, 1.li ca.7.& 47.
Vestis Christi antiqua dicitur lex vetus, 1.li. ca.47.
Vestis animæ dicitur patientia, 3.li.ca.2.
Vestes animæ quæ dicuntur, 3.li.ca.24.
Vestibus induit se Deus in templo Mariæ, 1. libro, cap. 29.
Vestes competentes habere possunt viri spirituales, 4.l.c. 30.Item 6.l.ca.65.
Vestes sacerdotales quatuor significant virtutes animæ accedentis ad Deum quæ nunc immutatæ sunt, 4.li.ca.53.
Vestes animæ sunt contritio, & pœnitentia, 4. libro, cap. 63.
Vestes militiæ spiritualis pulchre describuntur, 4. lib. cap. 74.
Vestes animæ sunt bona opera, 6.l.ca.22.
Vestes nuptiales animæ quæ sunt, extr.17.
Vestitum esse cur debet corpus hominis, 6.l.ca.46.
Vexillum malorum hominum tria habet in se, 4. libro, cap.95.
Vexilla duo habenda sunt contra paganos, 6. libro, cap. 43.

Via

Digitized by Google

Via hominum reproborum, quæ est, 1.lib.cap.15.
Via vna erat ante Christi aduentum postea duæ factæ sunt, 1.lib.ca.15.Item 2.lib.cap.15.per totum.
Via inferni est in hominis potestate, 1. libro, cap. 16.
Vias hominum scit Deus perspicaciter, 2.li.ca.1.
Viæ duæ dicuntur bonum, & malum, 2.lib. ca.1.
Viarum compita dicuntur anni discretionis, 2. libro, cap. 1.
Via ducens ad binium dicitur adolescentia, 2. libro, cap. 1.
Via Christi arcta, & via inferni lata, 2.l.ca.15.
Via arcta dicitur malitia hominum, 3.lib. ca.2. Item 4.l.ca 126.
Viæ gaudij, & doloris, quæ sunt, 3.l.ca.12.
Vijs tribus venit Deus in cor hominis, 4.li.cap.10.
Va recta baptismatis, quæ est, 4.l. ca.74.
Viam Dei diligere quomodo sciat homo, 4.l.ca.97.
Viæ duæ ad veram obedientiam, 4.l.cap.107.
Via ad infernum est propria voluntas, 5.lib.interro.4. respon.5. & reuelat.2. post interrogat.12. Item 6. lib.cap.19.
Via vna ante præuaricationem mandati erat postea duæ, 5 li.inter.12.respon.4.
Via mundanorum tendit ad infima, 6.l.ca.19.
Via vera ad infernum, quæ est, 6.l.ca.52.
Viæ tres fugiendæ recitantur, 6.l.ca.52.
Viæ septem ad puteum dicuntur septem peccata, 6.lib. cap. 54.
Viam septemplicem ostendit Christus homini, 6. libro, cap. 54.
Viæ hostis in domum animæ sunt visus, & auditus, 7. lib cap. 5.
Via ad thalamum sponsi spiritualiter, quæ est, ext. 17.
Vitia quatuor dicuntur iam quatuor dominæ, 4. libro, cap 45.
Vitia dicuntur graues hospites animæ, & quomodo tractentur, 6. lib. cap. 65.
Vident qualiter dæmones iustitiam Dei, 1.l.ca.41.
Videt Deus homines tripliciter, 2.lib cap.1.
Videre clare spiritualiter quid est, 2.l.cap.14.
Videre non potest homo pulchritudinem Angelorum, nec deformitatem dæmonum sicut sunt, & quare, 2. l.ca.18.Item 5.l.inter.8.respon.5.
Videre vno oculo tantum spiritualiter quid est. 4.libr. cap.98.
Videre gloriam Dei, & ipsum Deum cur non potest homo in hac vita, 5.l.inter.8.respon.2. & inter.11. respon.1.
Videre cur non possumus pœnas inferni, 5.l.interrog. 8. respon 4.
Videre cur non possumus animas hominum, 5. l. inter. 15.respon.2.
Videre filium Mariæ cupiebant tribulati, 6.libr.cap.11 & 58.
Vident animæ purgatæ faciem Dei, 6.l.cap.75.
Videre volens Deum quid faciet, 8.l.ca.56.
Videre septupliciter debet homo Christum, extr.8.
Vidua potest esse equalis meriti, sicut virgo, 4.l.ca.71.
Viduarum consolatrix fuit Maria, serm.ang.19.
Viduitate inuenit Iudith gratiam Dei, 6.l.ca.119.
Vigilia nimia impedit bonum animæ, 6.l.ca.91.
Vincere volens ardua quid faciet, 4.l.ca.129.
Vincitur homo etiam a me nimis creaturis, 5.lib.int.15. respon. 1.
Vincit faciliter habens Deum adiutorem. 6. l.cap.41.
Vinculum quando dicitur diabolus ponere super cor hominis, 4.l.cap.107.
Vinea Christi dicuntur homines iusti, 2.l.ca.16.
Vinea benedicta dicitur Ecclesia Christi, 3.lib.cap.10. Item 4.l. ca.78.
Vineam abstulit Rex Achab iniuste pro quo perijt, 4. l.cap.46.
Vineam Christi, qui non intrabunt, 6.l.ca.77.
Vinea noua dicitur religio Sancti Saluatoris, ante regul. cap. 3.
Vineæ dissipatæ dicuntur regulæ, & religiones, quæ non seruantur, ante reg.ca.2.& 3.& in reg.28.
Vinea electa dicitur progenies Abrahæ, serm.ang. 8.
Vinum dulcissimum dicitur anima hominis, 1.l.ca.32.
Vinum in dolio notat impatientiam in corde, 4. libro, cap. 24.
Vinum optimum dicuntur ista verba Christi, 4.l.ca.77. Item 6.l. ca. 36.& 52.
Vinum Dei patris dicitur Christus, 5.l. interrogat.10. respon.2.
Vino assimilatur magna charitas, 6.l.ca.14.
Vinum denotat gratiam Spiritus sancti, ser.ang.3.
Vires animæ fortificantur ex viribus corporis, sermone angel. 17.
Virga Moysi per quam facta fuerunt miracula figurabat Christum, 1.l.ca.53.
Virga Moysi veraciter facta fuit serpens, & e conuerso, 1.l.ca.53.Item 4.l.ca.61 & 63.
Virgæ Moysi comparantur ista verba Dei, 1.l.cap.60. Item 2.l.ca.17.
Virga iustitiæ Dei, quæ est, 4.l.ca.139.
Virga iustorum sunt impij, 7.l.ca.11.
Virga iesse florigera erat Maria, serm.ang.11.
Virginitas Ecclesiæ dicuntur animæ iustæ, 3.l.ca.24.
Virginitatis votum frangere quam malum est, 4.l.cap. 51 per totum.
Virginitas mentis, & corporis seruanda est, 4. libro, cap.71.
Virginitas Mariæ lætificat omnes sanctos, 4.li.ca.138.
Virginitas est semita in cælum, 5.l.interr.12.respon.1.
Virginitas Mariæ purissima commendatur, 5.l.inte.12. respon.1.Item serm.ang.2.3.& 12.
Virgo desponsata dicitur anima christiani, 2.l.ca.21.
Virgo habens nouem fratres dicitur Ecclesia, vel anima, 3.l.ca.24.
Virgo erat terra ante peccatum hominis, 5.l.interrog. 11.respon.1.
Virginum speculum erat Maria, ser.ang.19.
Virgula florum dicitur Maria, 6.li.ca.56.
Viri virtuosi sunt instrumenta Christi, 4.l.ca.64.
Vir saluatur per fidelem mulierem, 4.l.ca.81.
Viri quidam dicuntur animalia indomita, 8.l.ca.18.

Digitized by Google

Viri iniqui dicuntur canes venatici, 8. lib. ca. 18.
Virtutes quomodo debent seminari, vt crescant, 1. lib. cap. 43.
Virtus Christi est quasi lumen solis, 1. lib. ca. 50.
Virtus vocatur Deitas Christi propter duo 2. libro, ca. 17.
Virtutem suam quando ostendit Deus, 2. lib. ca. 17.
Virtutes tres dicuntur muri castri spiritualis, 3. libro, cap. 13.
Virtutes quatuor vocantur filiæ Regis, 4. lib. ca. 45.
Virtutes septem habere debet anima, sine quibus nõ est salus, 4. lib. ca. 58.
Virtutum perfectio quæ est, 4. lib. ca. 76.
Virtute præcellit Maria omnes sanctos 4. lib. ca. 92.
Virtutes sunt arma iustorum, 6. lib. ca. 43.
Virtutes comparantur ramis arborum, 6. lib. ca. 120.
Virtutum primatum tenet obedientia, 6. libro, ca. 120. & 121.
Virtus ipsa, & eius operator est Deus, serm. ang. 6.
Virtus quælibet corona fulgida appellari potest, serm. angel. 6.
Virtutem nullam prætermisit Maria, serm. ang. 21.
Virtutum principium est humilitas, extrauag. 1.
Virtutem suam ostendit Deus in sua incarnatione, extrauag. 50.
Virtutem propriam habet quodlibet verbum Bibliæ, extrau. 91.
Viscera animæ dicitur contritio, 4. lib. ca. 115.
Viscera Mariæ erant vas vini Dei Patris, 5. lib. inter. 10. respon. 1.
Visionum spiritualium tria sunt principaliter, 8. libr. in prologo, ca. 5.
Visitat Deus omnes homines sua gratia, 4. l. ca. 1. & 16.
Visitat Deus homines multis modis, 8. lib. ca. 56.
Visitare vult Deus super ciuitates, & regna, extrau. 78.
Visum animæ nititur diabolus impedire, 1. li. ca. 34.
Visus spiritualis præponderat corporali, 2. lib. ca. 14.
Visus cupiditas dicitur pluuia maculans, 2. lib. ca. 23.
Visus hominum dicitur speculator animæ, 6. lib. ca. 66.
Visus dicitur via in domum animæ, 7. lib. ca. 5.
Vita Mariæ Virginis describitur, 1. lib. c. 10. per totum.
Vita ista dicitur punctus, 1. lib. ca. 53.
Vita huius finis similatur fossis, 2. l. ca. 1.
Vita malorum clericorum est, sicut nubes teterrima, 3. lib. ca. 10. Item 4. lib. ca. 78.
Vitam longam sibi præponere periculosum est, 3. libro, ca. 12.
Vitam æternam quis accipiet, 3. lib. ca. 19.
Vita militaris vera, austerior est alijs, 3. lib. ca. 27.
Vitam suam quomodo mensurabit homo discrete, 4. lib. ca. 20.
Vita bona assimilatur oleo, 4. lib. ca. 59.
Vita hominis dicitur pons, 4. lib. ca. 122.
Vita ista est quasi aqua mobilis, 4. lib. ca. 129.
Vita sua mala perdunt se, & alios quidam sacerdotes, 4. lib. ca. 132. & 133.
Vita bona præualet sapientiæ, 5. lib. inter. 13. respon. 4.
Vitam laboriosam fecit homini peccatum, 5. lib. inte. 14. respon. 2.
Vitæ duæ figurantur per Martham, & Mariam, 6. lib. ca. 65.
Vitam Mariæ, scilicet contemplatiuam tenere volens quomodo se debet habere, & quæ sunt ei necessaria, vt Deo placeat, patet, 6. lib. ca. 65.
Vita actiua, quæ figuratur per Martham quomodo secundum Deum inchoanda est, & prosequenda, patet, 6. lib. ca. 65.
Vitam contemplatiuam desiderans prius exerceat se in vita actiua, 6. lib. ca. 65.
Vita perfectissima est humilis virginitas, 6. lib. ca. 119.
Vita perfectionis, quæ est, 7. lib. ca. 20.
Vita hominis est quasi fragile vitrum, 8. lib. ca. 48.
Vita omnium est in Deo, & non in medicamentis, extrauag. 68.
Vitis ramusculo similis erat Isaac, serm. angel. 8.
Vitro depicto similis est pulchritudo terrena, 4. l. ca. 41.
Vitro fragili simile est vita hominis, 8. lib. ca. 48.
Viuere quomodo debet homo salubriter, & deuote, 2. l. c. 16. Item 4. l. ca. 17. & 20. Item ext. 65 per totum.
Viuere ad quid debet homo, 4. lib. ca. 17. & 74.
Viuere salubriter quomodo possunt clerici, 4. lib. ca. 80. per totum.
Viuere melius alijs creaturis cur debet homo, 5. li. inter. 16. respon. 5.
Viuere mundialiter est ire ad infernum, 6. lib. ca. 52.
Viuere in virginitate est angelicum, 6. lib. ca. 119.
Viuere quomodo tenentur clerici, 7. lib. ca. 13. & quomodo laici, ibidem.
Viuebant qualiter homines ante legem, serm. ang. 10.
Viuere veraciter quid est, extr. 68.
Vncini in postibus significant cardinales, 4. libro, ca. 49.
Vncinum imponere animæ quid est, 8. lib. ca. 48.
Vnctio contra venenum diaboli quæ est, 8. lib. ca. 48.
Vngere alios, & seipsum mortificare spiritualiter quid est, 3. lib. ca. 16.
Vngitur quare Episcopus, & consecratur, 4. libro, ca. 18.
Vnicornis describitur, & significat superbientem de castitate, 4. lib. ca. 125.
Vocantur qualiter homines ad iudicium Dei, 4. libro, ca. 50.
Vocat cur Deus homines vnum in principio, & alterum circa finem vitæ, 5. lib. inte. 13. respon. 7.
Voces tres sonuerunt de inferno contra animam cuiusdam militis, 2. lib. ca. 9.
Voces Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti inuitantis ad se animam cuiusdam militis, 2. lib. ca. 11.
Voces quinque, quinque legionum Angelorum commendantium Deo animam cuiusdam militis, 2. libro, cap. 11.
Voces diuersæ, & quales sunt in inferno, 4. lib. ca. 7.
Volare, sicut papilio spiritualiter quid est, 3. libro, ca. 14.
Volare, sicut brucus spiritualiter quid est, 3. libro, ca. 15.
Voluntatis propriæ contemptus ducit ad amorem Dei, 1. lib. ca. 15.

Digitized by Google

Voluntas bona ad cœlum ducit, mala ad infernum. 1.li. ca.16
Voluntas propria, licet bona relinquenda est propter obedientiam, 1.l.c.20.
Voluntas deuota dicitur sedes Christi, 1.l.c.30.
Voluntas peccandi auget potestatem diaboli, 1. lib. cap. 32.
Voluntati peccandi commensuratur pœna, 1.l.ca.36. & 37.
Voluntatem attendit Deus non facultatem, 2.l.c.3
Voluntas bona quantum valet, et meretur apud Deum, patet 2.lib.ca.11. & 19. & 27. Item 3.lib. ca.21. Item 4.lib.ca.34. et 89. et 121. Item 6.lib. ca.10. & 15. et 95. et 96.
Voluntas bona reputatur pro opere, & meretur, licet homo non potest facere quod vult, 2. l. c. 14. Item 4. l. c. 59. & 74. & 114. Item 6. l. c.43. & 65. Item 8.l c.46.
Voluntas duplex similis cornibus papilionis describitur, 3.li. cap. 14.
Voluntas facit hominem Dei amicum, vel inimicum, 3. lib. c.19.
Voluntatem Dei perficiens quid habebit, 3.l. c.19. Item 6. li. c.27.
Voluntas Christi adhuc talis est, sicut quando stetit in cruce, 4.l.c.10.
Voluntas propria, quam nociua est homini, & quomodo punietur, 4.l.c.16. & 51. & 135. Item 5.l. inter.3 resp.3. Item 6.l.c.35. & 106.
Voluntas dicitur rota in curru animæ, 4.l. c.17.
Voluntas placens Deo quæ est, 4.l.c.17. & 44.
Voluntas cum labore possibili licet effectus non sequitur coronatur, 4.l.c.21. & 31
Voluntas pœnitentis qualis debet esse, 4.l. c.32
Voluntatem significant crines, 4.l.c.52.
Voluntas sanctorum est voluntas Dei, 4 l.c.74
Voluntas placendi Deo dicitur galea animæ, 4. libro ca. 74
Voluntas seruiendi Deo est anchora animæ, 4. libro c. 88.
Voluntas hominis qualis debet esse, 4. l.c.89. Item 6.li. c.22. & 30. & 65.
Voluntas dicitur sanguis animæ, 4.l. c.90
Voluntas propria quam nociua est religiosis, 4.l.c.93. & 102.
Voluntas peccandi dicitur gladius malorum, 4.l. c.95. & 96
Voluntas significatur per rotam molendini, 4.l.c.97.
Voluntas est instrumentum charitatis, 4.l. c.107.
Voluntas bona separat a diabolo, 4.l.c.121
Voluntas propria dicitur frater peccatoris, 4. libro ca.123.
Voluntas mala sanguini corrupto, bona autem recenti comparatur, 4.l. c.129
Voluntas propria sine ductore ducit ad infernum, 5.li. inte.4. resp.5. & reuela.2. post inter.12. Item 6.l. ca.19
Voluntas bona similatur agro fructuoso, mala autem infructuoso, 5.l.int.13.resp.5.
Voluntas Dei semper impletur, 5. l. reuelat. post interrog.14
Voluntas emendandi se quantum valet, 6.lib.ca.2.
Voluntas Deo contraria punitur in præsenti, & in futuro, 6.lib. ca.30.
Voluntas obediendi quam meritoria est, 6.lib.ca.43.
Voluntas bona dicitur murus contra hostes, 6. libro, ca.51.
Voluntas carnalis, & mundana quam nociua est, 6.lib. ca.52.
Voluntas damnatorum est pessima, 6 lib.ca.52.
Voluntas peccandi dicitur seruus hominis, 6. libro, ca.52.
Voluntas resistendi peccato dicitur cibus hospitum, 6.li. cap.65.
Voluntas quanta erat peccandi, tanta erit pœna, 6.lib. cap.75.
Voluntas bona aperit cœlum, & inordinata infernum, 6.lib.ca.115.
Voluntas dicitur fundamentum domus animæ, & qualis debet esse, 7 lib.ca.5.
Voluntas Christi ad homines, quæ est, & quæ diaboli, 6.lib.ca.11.
Voluntas perfecta se emendandi, quæ est, 7.lib.ca.20.
Voluntas propria quam chara erat diabolo, &c. 7.libro, cap.27.
Voluntas emendandi dicitur ferrum scindens laqueum, 8.lib.ca.48.
Voluntas quadruplex quam omnis tenetur habere, 8. lib.ca.48.
Voluntas Mariæ quam bona, & stabilis erat, serm.ang. 2.13.14.16. & 21.
Voluntas Mariæ erat, sicut prudens nauclerus, serm. angel.19.
Voluntas Mariæ similis erat aurifici, serm.ange.20.
Voluptas carnis est, sicut aqua in naui, 1. lib.ca.13.
Voluptas carnis inordinata grauiter punietur, 1. libro, cap.13. Item 2.libro, ca.9. Item 4.lib.ca.113. Item 6.lib.ca.52.
Voluptas carnis ducit ad mortem mundi, 1.lib.ca.15.
Voluptas carnis expellit Spiritum sanctum, 1. libro, cap.59.
Voluptas carnis dicitur grando congelata, 2. libro, cap. 23.
Voluptas carnis dicitur fera excludens, 3. libro, capitulo 13.
Voluptas dicitur aqua immunda, 4.lib.ca.69.
Voluptas dicitur nauis periculosa, 4.lib.ca.88.
Voluptas carnis trahit ad pœnam, 4.li.ca.108.
Voluptas carnis dicitur pater peccatorum, 4. libro, cap. 123.
Voluptas carnis est, sicut fuligo in domo, 5.lib. reuel. post interrog.13.
Voluptas carnis dicitur mons sulphureus, 5.lib.reuela. post interr.15.
Voluptas carnis dicitur liber diaboli, 6.lib.ca.39.
Voluptas peccati dicitur seruus hominis, 6.lib.ca.52.
Voluptuosi similes sunt vrso, 4.lib.ca.114.
Vox apis maioris quis spiritualiter significat, 1.l.ca.44.

Digitized by Google

Vox diaboli auertens a Christo dicitur superbia, 2. libr. cap. 6.
Vox docens, quæ sit vera militia, 2. lib. ca. 8.
Vox de rubo Moysi inflammato dicitur Christus, 2. lib. ca. 10.
Vox sonans ante Christum dicitur Ioannes Baptista, 2. lib. ca. 15.
Vox triplex hominum carnalium Deo abominabilis qua si sonus lapidum, 5. lib. reuel. 2. post interro. 12. Item 6. lib. ca. 19.
Vox laicorum, clericorum, & claustralium quam dulcis erat olim Deo, extrau. 83.
Vox laicorum, clericorum, & claustralium est nunc coram Deo, sicut vox ranarum, extrau. 83.
Vrbi obsesse assimilatur homo, extrau. ca. 3.
Vrso similantur homines cupidi, & voluptuosi, 4. libr. ca. 114.
Vsura omnino prohibita est christianis, 4. lib. c. 33. Item extrauaga. 88.
Vsus discretus rerum temporalium describitur, 4. libro, ca. 74.
Vtilitas præmeditari debet in omni opere, 2. lib. ca. 25.
Vue plene vino comparatur humanitas Christi, 5. libro, interr 10. respon. 1.
Vulneribus Christi addere infirmitatem spiritualiter, quid est, 6. lia. ca. 19.
Vultur vt pradam tenet auarus acquisita, 4. lib. c. 52.
Vxor iuxta voluntatem viri tenetur viuere, 1. libro ca. 40.
Vxor diaboli dicitur anima vitiosa, 1. lib. ca. 43.
Vxor Christi dicitur bonus christianus, 1. lib. ca. 59.
Vxor Christi dicitur anima iusta, & quomodo se habeat, 2. lib. ca. 25. Item 4. lib. 67. & 83. Item 6. libr. ca. 33. & 66.
Vxor Episcopi legitima dicitur Ecclesia, 3. lib. ca. 6.
Vxor fidelis saluat virum suum, 4. lib. ca. 81.
Vxor quomodo debet tractari, 8. lib. ca. 12.

DE LITTERA. X.

Xpiani laici mali quales sunt coram Deo, & eorum iudicium, 1. libr. ca. 41.
Xpiani tripliciter prouocant iram Dei, 1. libr. ca. 53.
Xpiani arguunt, blasphemant, & repellunt Christum, 2. lib. ca. 3.
Xpiani contemnunt Christum quasi vermem, 4. libro, ca. 99.
Xpianis malis quid loquitur Christus, 7. li. ca. 19.
Xpus comparat se domino, qui ædificat ciuitatem, & in ea palatium, 1. lib. ca. 55.
Xpus est solus, & verus dominus, 2. lib. ca. 8.
Xpus habet in se tria bona, 2. lib. ca. 18.
Xpus vocat se dominum apum, & possessorem, id est chistianorum, 2. lib. ca. 19.
Xpus quam formosus, & qualis erat in oculis facie, naso, capillis, barba, labiis, mento, maxillis, colore, cute, & statura, patet, 1. lib. ca. 10. Item 4. lib. ca. 70. Item 6. lib. ca. 1. & 58. Item 7. lib. ca. 15.
Xpus cur fuit incarnatus, natus, passus, & mortuus, 4. lib. ca. 116. Item 7. lib. ca. 27. & 28.
Xpus habet in se septem bona, contra quæ pertulit septem mala, 4. lib. ca. 119.
Xpus cur tamdiu iacuit in vtero Virginis, 5. lib. interr. 10. respon. 4.
Xpus cur omnia verba sua non fuit loquutus in vna hora, 5. lib inter. 11. respon. 2.
Xpus cur non fecit omnia opera sua in vno puncto, 5. li. interr. 11. respon. 3.
Xpus cur non ostendit omnibus potentiam suam in morte. 5. lib. inter. 11. respon. 5.
Xpus cur venit humilis, & occultus, & ad quid in mundum, lib. inter. 12. respon. 3.
Xpo cur inuidebant iudæi, 6. lib. ca. 28.
Xpus quiescit in electis suis, 6. lib. ca. 28.
Xpus quam charitatiuus est ad omnes, 6. lib. 31.
Xpus qualiter temperauit vitam suam aliis in exemplis, 6. lib. ca. 53. & 122.
Xpus est medicina, & veritas, 6. lib. c. 90.
Xpi maxima humilitas in cœlo, & in terra, 7. lib. ca. 25.
Xpus conuersando cum Apostolis quomodo se habuit, extrauag. 35.
Xpus quando ostendit suam potentiam, sapientiam, virtutem, misericordiam, & iustitiam, extrau. 50.
Xpus multis exemplis probat se esse Deum, extraua. 82. per totum.
Xpus ex tribus cognosci potuit in morte esse verus Deus, extrau. 83.

DE LITTERA. Z.

Zacharias genuit amicum Dei, 1. lib. ca. 20.
Zacheus quomodo satisfecit Deo, 4. lib. ca. 16.
Zelus animarum dicitur ictus frangens feras peccatorum, 3. lib. ca. 13.
Zelum animarum habens est, sicut animal, quod timet vmbram suam, 4. lib. ca. 125. & 130.
Zelus discretæ afflictionis nocet homini, 6. lib. c. 121.
Zelus iustitiæ quomodo exerceatur, extrau. ca. 79.

Explicit Tabula librorum Celestium Reuelationum.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX EORVM.

QVÆ IN NOTIS ANIMADVERSIONE DIGNA VISA SVNT.

IN QVO PRIMVS NVMERVS PAGINAM, SECVNDVS VERO NOTAM INDICAT.

DE LITERA. A.

Abdo Propheta à Leone occisus fuit, & quare. pag. 703. Nota 3

Accidentia panis post consecrationem in Sacramento Eucharistia remanent. pag. 304. nota 5

Adamas teste Plinio lapis indomitus appellatur, eo quod ob suam duritiam creditur hircorum tantummodo sanguine frangi, missusque in calidum sanguinem macerari, eius esse proprium dicunt, metus vacuos pellere, maleficis artibus resistere. pa. 381. n. 6

Adam creatus fuit in ætate perfecta, hoc est inter trigesimum, & quadragesimum annum, & in perfecta etiam corporis magnitudine. pa. 43. n. 5

Adam ex sententia D. Augustini incarnationis mysterium prænouit. pag. 562.

Adeps dicitur verbum Dei, sicut enim adipe pinguescunt corpora, ita verbis Dei veluti adipe pinguescit anima. 86. n. 4

Adonyas, qui fuit filius David mistice designat ambitiosos, interpretatur enim dominator, & ambitiosi se alijs præferentes dominari volunt. 110. n. 3

Adulterium maximum est fornicari a Deo, & tunc committitur, quando Christianus a fide in Baptismate data recedit. 151. n. 1

Adulatores Scorpioni comparantur, Coruis, Camaleonti, alijsque venenatis animalibus, & quare. pa. 703. nota 4

Aduentum Christi ad vniuersale iudicium præcedet ignis conflagationis. 172. no. 1

Aduersarius noster, proprie Dæmon est. 184. n. 1

Aetas legitima ad contrahendum matrimonium quæ. pag. 706. n. 4

Alba quod nam genus sit vestis, & perseuerantiam in bonis actibus mistice significat. 484. n. 2

Amoris diuini præcipuus effectus est, vt quæ in spirituali vita se se exercenti in principio videntur amara, ac onerosa, postmodum proficienti dulcia fiant, & leuia. 27. n. 1

Amici Dei brachia Dei dicuntur, & quare. 348. n. 1

Amictus quid sit, & mistice fidem, & castitatis virtutem significat. 483. n. 1

Anathema esse a Christo pro fratribus quid significet, quidue illis verbis optabam Anathema esse a Christo pro fratribus, Paulus indicare voluerit. pa. 325. nota 6

Ancilla mistice carnem quandoque in sacris litteris significat, quæ cogenda est spiritui inseruire, vt Ancilla Domino seruit. 34. no. 5

Angeli, Christi passione non dicuntur redempti, si verbum redimere proprie sumatur, est enim redimere iterum, ac denuo emere. Angeli autem boni cum nunquam peccauerint non videntur eguisse redemptione. 42. n. 1

Angeli boni passione Christi eo sensu redempti esse dicuntur, quatenus ille, qui potuit, & non peccauit, & ad peccandum factus est impotens ab eo redemptus dici potest, quod esse poterat, Christus ergo, qui erexit hominem lapsum, dedit etiam stanti Angelo ne laberetur. 42. not. 1

Angeli incarnatione Christi gauisi sunt, ob sedium cælestium instaurationem, quæ ob dæmonū peccatum vacuæ remanserunt, tum quia Christus per incarnationem sibi gloriam capitis etiam ratione Angelorum meruit in quos habuit influxū doctrinæ illuminationis, & gaudiorum accidentalium. 42. n. 1

Angeli an futura cognoscant, & quæ. 55. n. 5

Angeli ab initio suæ creationis cognouerunt saltem in

generali mysterium incarnationis quantum ad cius substantiam, licet non quoad particulares conditiones, pag.55.no.5.& 561.no.2
Angeli potestatem consecrandi corpus Christi non habent, sed tantummodo sacerdotes. pag.78.not.4.& 294. not.1
Angelorum Principem Luciferum peccasse probabilissimum est. pa.124.n.1
Angelorum casus, & ruina nullo pacto in Deum est retorquenda, quia ipse non potest esse causa mali culpæ. pa.138.no.2
Angelorum peccatum fuit superbia, & Inuidia. 55.3
Angelorum creatio non præcessit creationem mundi, sed simul cum vniuerso Angeli creati sunt, licet secundum aliquos prius fuerint creati Angeli, quam homines. pa.138.no.3
Angeli primæ Hierarchiæ non mittuntur. p.181.no.2
Angelus, & homo secundum sua naturalia minime possunt comprehendere modum, quo Christus est sub Sacramento Eucharistiæ. pa.299.no.4
Angeli a Deo boni creati sunt, & ob eorum culpam mali euaserunt. pag.348.no.1
Angeli in primo instanti suæ creationis non peccauerunt, & quare. pag.361.n.1
Angeli mali quare non fuerint redempti, & quare non redimendi. pag.361.no.2
Angeli sancti cur in hac vita a nobis in ea maiestate non videntur, quam habet in cœlis. pa.430.no.2
Angeli ab æterno non fuerunt creati, sed in tempore; & quare incorporei. pag.434.n.2
Angeli an prius creati quam homines. pa.434.n.2
Angelus, qui in passione Christi scribitur Saluatorem confortasse, se habuit per modum compatientis, ac condolentis, vel vt placuit Theophilato per modum exaltantis, & glorificantis eum. pa.489.no.2
Angeli Deum alloquuntur non, vt illi aliquam veritatem propalent, cum ipse omnia sciat, sed potius, vt ab eo aliquid accipiant. pa.535.n.1
Angeli cum hominibus apparent, qualia corpora sumant. pa.591.no.1
Angelis lingua metaphorice tribuitur, & quare. p.646 not. 2
Angelorum bonorum, & malorum pugna qualis fuerit, & quibus armis peracta. pag.718.no.1
Angeli quare creati. pa.739.no.sen.6
Angelis ab instanti creationis fuit rerum naturalium cognitio indita. pa.749.no.1
Animæ non fuerunt ab initio mundi simul cum Angelis creatæ in cœlo, vt existimauit Origenes, sed eas Deus quotidie creat, & creando nouis corporibus infundit. pa.15.no.4
Anima iusti dicitur templum Spiritus sancti. pa.42.no.4
Animæ quedam ex aliquorum sententia in Purgatorij pœnis, vsque ad vniuersale iudicium permansuræ sunt. pag.149.n.1
Anima quando dicatur adulterium committere. 5.no.2
Animæ iustorum statim, vt a corpore separatæ sunt si nulla illis supersit in Purgatorio pœna luenda, ad cœlum transferuntur. pa.586.n.1
Animalia venenata dicuntur Dæmones, & quare. pag. 556. not.
Antichristus ex fornicaria muliere nasciturus est, & erit Iudea. pa.581.no.2
Antichristus in Babylone orietur. pa.581.no.2
Apostoli an maiora miracula fecerint quam Christus, & quomodo intelligendum sit illud Ioan.14.& maiora horum facient. pag.314.no.2
Apostolos quare non elegerit Christus Diuites, & Potentes, sed pauperes. pa.330.no.1
Apostoli fuerunt primi, qui vouerunt pertinentia ad perfectionis statum. pa.115.no.6
Apocalypsis auctor, & scriptor fuit D. Ioannes Euangelista. pag.597.no.1
Aquæ mistice tribulationes designant. pa.396.no.2
Aqua, quam vidit Ezechiel de templo a latere dextro egredientem, mistice latus Christi dextrum a longino lancea percutiendum designabat. pag.650.
Arare Deus dicitur cum flagella, & tribulationes immittit. pag. 265.no.3
Aratrum in sacris litteris flagellum mistica significat. pag.275. no.2
Armacani sententia confutatur, qui censuit impios viros nullum habere Dominij iustum titulum, nec iudicandos esse veros Reges aut Principes. p.698.n.6
Astrologiæ indiciariæ ars improbatur. pa.280.no.3
Attritio, quid & qualis. 500.no.1
Autumnus remunerationis tempus designat. 143.n.2
Aureolam martyrij, virginitatis, & ea quæ Doctoribus debita est Beatissima Virgo habet in cælo. p.668.n.4

DE LITTERA B.

BAal Idolum erat, quod interpretatur dominans subijciens, aut possidens. pag.92.no.2
Baptismus alius est sanguinis, alius fluminis, alius aquæ & quis horum præstantior sit. pa.213.no.3
Beati in patria videntes Deum per essentiam, non vident omnem iustitiam, & omne bonum quod manat, & manare potest ab ipso, sed id tantummodo, quod ad eos perfecte beatos constituendos sufficit. pag.67. not. 3
Beelzebub Muscarum Principem appellarunt Iudæi, ob multitudinem muscarum, quæ reperiebantur in templo ob immolati sanguinis sordes. pag.80.n.5
Beatitudinis status duplex. pag.587.
Biblia soli, & auro comparatur, & quare. pag. 229. not. 1
Bona aliena, quorum dominus ignoratur pauperibus sunt restituenda. pag.31.no.3
Bona temporalia Ecclesiæ quare data sint. pag.330. nota 3
Bona ecclesiastica quomodo dispensanda. pa.583.n.1
Bona temporalia collata sunt homini ad vtilitatem, & necess-

necessitatem non ad superfluitatem. pag. 132. no. 3
Bonifatius Nonus in bulla canonizationis Sanctæ Brigittæ revelationes eiusdem approbavit. pag. 253. nota 4
Bovem & Asinum fuisse tunc temporis in eodem diversorio in quo Christus natus est probatur ex Patribus, & huiusmodi animalia non fuisse Iosephi probabilissimum est. 659. no. 2
Brachium in sacris litteris significat auxilium, & fortitudinem, quam Deus servis suis conferre solet. pag. 8. not. 5. & 19. n. 2
Brachium in sacris litteris Christum aliquando significat. 192. n. 3
Brynolphus Ecclesiæ Scarensis Episcopus laudatur. 165. n. 1
Brigittæ sanctæ Revelationes contra Cardinalem Caietanum deffenduntur. 548. n. 2
Bubo impiorum hominum, & præcipue carnalium simbolum est. 542. n. 1

DE LITTERA C.

CAlor, & ignis in sacris litteris tribulationes designare solent. pag. 198. n. 2
Canonizatio S. Brigittæ contra Cardinalem Caietanum indeffenditur. 548.
Canticum Magnificat a Maria Virgine divino afflata spiritu editum fuit. [illegible] n. 1
Carbunculus teste D. Isidoro, & Plinio, ita dictus est quod ignitus sit, ut carbo, sicque lucet in nocte, ut flammas [illegible]. 381. n. 2
Cardinalis nomen quid significet, & quod nam eius sit officium, & præcipua functio. 287. n. 4
Casula genus est vestis sacræ, & inde dicta, eo quod totum hominem tegat, quasi parva casa, eam vulgus Planetam vocat, & charitatem [illegible] designat. 485. nota 6
Causa quare in voto continentiæ dispensatio danda sit, sunt incontinentiæ periculum, facilitas ruendi, levitas animi, imbecillitas ad exequendum votum. pag. 708.
Cælestinus Quintus ex eremita ad Summum Pontificatum electus, quinto fere mense postquam fuerat assumptus abdicavit se a Pontificatu. pag. 265. nota 1
Charitas est fundamentum omnium virtutum. pag. 208. 1. nota 1
Charitas perfecta quæ, & qualis assit. pag. 10[illegible]. nota 1
Charitas in via potest augeri, & an hoc fiat, vel per maiorem radicationem eiusdem in subiecto, vel per additionem distincti gradus ad gradum. pag. 7. not. 3
Charitatis quantitas in via non potest æquari quantitati charitatis Patriæ. 217. n. 3
Charitas Auro comparatur, & quare. pag. 440. nota 3
Charitas est mensura gloriæ, secundum quam, homo quo plures gradus habebit in via, eo plures beatitudinis gradus obtinebit in Patria. pag. 546. nota 1
Charitatis effectus, qui nam sint. pagin. 712. nota 1
Christus est verus filius Dei, & filius Virginis, & duplex in eo est filiatio, altera æterna, & altera temporalis. 6. not. 3
Christus dicitur emisse hæreditatem homini, quatenus passione sua de rigore divinæ Iustitiæ pro peccatis hominum satisfecit, sicque illis ius ad gloriam tribuit, quod propter delicta perdiderant. pag. 7. nota 5
Christus secundum quorundam opinionem crassioribus primum funis ad columnam verberatus est, secundo scorpionibus, tertio ferreis catenis, quarto virgis spinarum. 21. not. 9
Christus Dominus quatuor clavis Cruci affixus fuit ex sententia gravissimorum virorum. pag. 22. nota 10
Christus, & si non fuisset violenter occisus, senio tamen confectus obiisset. pag. 23. nota 1. & 59. nota 1
Christus necessitati moriendi non fuit subiectus, si sermo sit de necessitate, quæ voluntatis libertati repugnat, mors enim eius libera fuit, & poterat mortem impedire, & noluit ob humani generis redemptionem. 23. n. 1
Christus necessitati moriendi erat subiectus, loquendo de necessitate naturali, quæ ad naturalia principia sequitur, quia ipse habuit naturam susceptivam contrarietatis primarum qualitatum, ad quarum alterationem de necessitate mors sequitur, pag. 23. nota 1
Christus optimam corporis complexionem habuit tum ratione principij efficientis, tum quia illud corpus formatum erat a Spiritu sancto ex purissimis sanguinibus Beatæ Virginis, & ratione divinæ naturæ cui erat unitum. 59. no. 1
Christus ob [illegible] non fuit capax ægritudinis, quia secundum aliquos, eius corporis qualitates sic fuerunt temperatæ, & ad pondus assumptæ, ut una aliam non excederet. 59. n. 1
Christi corpus fuit mira pulchritudinis. 59. no. 1
Christus, quia erat comprehensor non habuit fidem prout fides habitus est infusus. 63. n. 2
Christus sicut fidem non habuit, ita nec spem, quandoquidem cum fuerit comprehensor, plenam divinarum rerum habuit fruitionem, ideo nulla ratio erat, ut id spectaret, quod possidebat. pa. 63. nota 2
Christus spem habuit respectu aliquorum, quæ non erat adeptus, nimirum gloriæ corporis, & aliorum, quæ ex eius passione pendebant. pag. 630. not. 2

Christus

Christus eas corporis affectiones suscepit, quæ imperfectionem non importabant, vt famem, sitim, dolorem, timorem, &c. secus vero dicendum de alijs, quæ dicunt imperfectionem, vt de ignorantia, &c. pag. 63 not. 3. & 71. no. 1

Christus descendens ad Limbum Patrum dicitur ius suum suscepisse de inferno, quatenus pro illis de rigore iustitiæ satisfecit, eosque ad cœlum post resurrectionem suam secum duxit. pag. 73. no. 5

Christus secundum aliquos iudicaturus est Mundum mense Martij, quo tempore etiam conditus est. pag. 92. not. 3

Christus ad iudicandum veniet media nocte, vel secundum alios in aurora. pa. 92. not. 3.

Christi dolores fuerunt maximi, primo ex passionis generalitate, secundo ex quantitate doloris proportionata ad finem, tertio ex efficacia animæ, & interiori apprehensione, ex qua vis doloris maxime pendet, quarto ratione complexionis delicatæ. pa. 94. no. 1.

Christus in vltima cœna Eucharistiæ Sacramentum dedit Iudæ. pa. 104. no. 3.

Christus diuinæ iustitiæ pro peccatis nostris de rigore satisfecit, quod non poterat pura creatura facere. pa. 125. no. 4.

Christus Regi apum similis esse dicitur quoniam habet misericordiæ mel, & aculeum iustitiæ, pa. 143. no. 3

Christi Domini corpus fuit de Cruce depositum ipsa Cruce in terra fixa, & erecta manente, pa. 147. no. 1

Christi corpus syndone inuolutum post depositionem de Cruce mistice designat illud a nobis pura mente, & simplici esse suscipiendum, & ob id etiam Ecclesia statuit in panno tantummodo lineo consecrandum esse, pa. 148. no. 4.

Christus vermi comparatur, & quare, pa. 146. no. 4. & 153. not. 1.

Christus non potest dici filius adoptiuus, sed tantummodo naturalis, pa. 186. no. 1.

Christus est caput Ecclesiæ, pag. 209. no. 2.

Christus gloriam capitis, sibi per passionem suam meruit, pa. 209 not. 2

Christus comparatur Melchisedech, pag. 210. no. 4.

Christus fuit vere Sacerdos, & Rex, pa. 210. no. 5.

Christum Sacerdotales vestes in Templo Virginis assumpsisse quid sit, pa. 210. no. 6.

Christus Leoni comparatur, & Agno, pag. 278. not. 1. & 2.

Christi Natiuitas non potuit Astrologiæ scientia prænosci. pa. 280. no. 3.

Christus Gallinæ comparatur, & quare, pa. 284. no. 1.

Christiana mors qua nam sit. pa. 29. no. 3.

Christus qua ratione voluerit se sub sacramentalibus speciebus, tectum ac quodammodo velatum exhibere, pa. 299 not. 4

Christi latus Thomas Apostolus vere tetigit, & an corpus gloriosum sit palpabile, pag. 300. no. 3

Christus an penitus nudatus ad columnam verberibus fuerit affectus, & Cruci affixus, pa. 302. no. 4.

Christi statura, pulchritudo, facies, & forma corporis describitur, pag. 314. not. 8.

Christus Moysi comparatur, pa. 402. no. 1.

Christus in vtero materno nouem menses permansit, pag. 442. no. 1.

Christus conceptus fuit 25. Martij, & natus 25. Decembris, corpus eius de purissimis B. Virg. sanguinibus in instanti formatum est secundum omnes partes sic, vt in eodem momento fuerit Deus, & homo perfectus in anima, & carne, pa. 442. not. 1.

Christus dicitur filius Abrahæ, & Dauid, & quare circumcidi voluerit, pa. 443. no. 2

Christus quapropter baptizari voluerit, & quare in Iordane, pa. 444. not. 3

Christus cur de Virgine natus sit rationes multæ afferuntur. pa. 450. no. 1.

Christus quare potius in Aegyptum fugere voluerit, quam alibi multis rationibus explicatur, pag. 453. not. 3.

Christus cur tanto tempore distulit incarnari pag. 470. not. 3.

Christus Pellicano comparatur, pa. 485. no. 7.

Christus & si erat Beatus, & comprehensor vere tamen passus est, & in hac re explicanda multi modi ex sacris Theologis afferuntur; pag. 488. no. 1.

Christus sponso comparatur, & Regi, & quibus titulis Rex dicatur, & dominus dominantium, pag. 520. not. 1. & 522. no. 1

Christus ab anno duodecimo, vsque ad initium trigesimi quid egerit Euangelistæ non scripserunt, credendum tamen est eum tunc temporis otiosam vitam minime traduxisse, sed & orationibus continuis vacasse, seque in pijs operibus exercuisse, alijs maxima humilitatis, patientiæ, ac summæ obedientiæ exempla relinquendo. pag. 563. not. 1

Christus an a longino in latere dextro, an vero sinistro fuerit lancea percussus. pa. 649. no. 2

Christum artem lignariam exercuisse tradit Iustinus martyr, eumque iuga boum, & aratra fecisse affirmat, volens his operibus externis mundo propalare obedientiam, et mortificationem quam erat docturus. pag. 566

Christus teste epiphanio baptizatus est sexta die Nouembris expletis annis 29. & mensibus decem, vel vt placet Bedæ, & alijs baptizatus est completis annis 30. pag. 565. no. 1.

Christum dominum e cœlis descendisse, vt Mariæ Matri morienti adesset existimarunt Athanas. Anselmus, Bernardus, & Nicephorus pag. 572. no. 1. & 667. not. 3.

Christus post resurrectionem Mariæ Virgini primo apparuit, pag. 602. no. 1.

Christi Præputium in terris mansit, & a quodam milite e Lateranensi Basilica, vbi asseruabatur furto sublatum fuit, & inde Calcutam asportatum, quo loco nunc in Ecclesia Sanctorum Cornelii, & Cypriani magna populorum religione colitur, & adoratur, pag. 613. not. 1.

Christi mors libera fuit, licet ipse mortuus ex obedientia mortuus sit, pag. 619. not. 1.

Christus fuerit ne in terra iacenti Cruci affixus, & simul

cum

Digitized by Google

cum cruce erectus, an vero finis fuerit erecta Crux, & postmodum in Crucem actus pa.648.n.5

Christi corpus post depositionem de Cruce Maria in sinum recepit, eiusque vulnera patri pro hominum salute obtulit. pa.650.n.5

Christus qua ratione dicatur rerum omnium dominus. pag.698.n.6

Chirographum est scriptura manu propria confecta, qua quis se ad aliquod fatetur esse obligatum, & in sacris litteris significat memoriale transgressionis, secundum quod primi parentes in Paradiso transgressi sunt praeceptum Dei. pag.370.n.1

Cidaris quid, & an ad Pontificis ornamentum capitis spectaret. pag.174.n.1

Cingulo Sacerdotes celebraturi vtuntur, ne tunica defluat, & gressum impediat, & quia circa lumbos aptatur castitatis virtutem designat. pa.484 n.1

Claues significant potestatem ligandi, & soluendi, & facultatem etiam discernendi inter lepram, & lepram. pag. 399.no.2.& 400

Clauos, quibus Saluator noster Cruci affixus erat Mariam post suidiu de Cruce depositionem in sinu recepisse existimauit Cardinalis Baronius. pag. 650. nota 5

Clerici in vniuersali iudicio prius caeteris iudicabuntur. pa.80.no.6

Clericorum tonsurae rationes multae afferuntur. pa.294 nota 2

Confessarius imponens paenitentiam nulla habita ratione ad peccatorum circumstantias peccat. pag.249.n.3

Cogitatio bona oleo, & vino comparatur. pa.158.n.1.

Conceptio Mariae Virginis quare pluribus multo tempore ignota incertaque manserit. pag.559.no.1

Colaphus differt ab alapa, quia ille percussio est in collo, alapa vero in facie. pag.21.no.1

Coniuges possunt intercedente mutuo consensu votum continentiae emittere. pa.707.no.1

Consilium cum sit quaedam inquisitio in rebus dubijs, proprie non est in Deo, quia quandam imperfectionem importat. pag.162.no.4

Consilium si sumatur pro rei certitudine, vel decreto dicitur esse in Deo, qui habet certitudinem, et scientiam omnium rerum. pa.162.n.4.

Consiliarij Principum quales esse debeant pa.790.no.2

Consiliarij Principium ambitiosi, & auari papilionibus comparantur. pa.790.no.2

Consiliarij Principum charitate, & iustitiae zelo praeditos esse debent. pag.712.no.1

Constantinus magnus iussit Labarum Romanorum antiquum vexillum in formam Crucis redigi. pag.723. nota 1

Constantinus quinquaginta in suo exercitu elegit, qui Crucem ferrent pag.233.n.4

Contritio omnibus numeris absoluta operatur culpae, & paenae remissionem. pag.211.no.4.& 357.no.3

Contritio perfecta quae, & quas conditiones habeat, pag.211. no.4

Coquorum Princeps quis fuerit, & quare sic dictus, pag.588. no.1

Correctio fraterna qualis esse debeat, & an etiam de peccatis venialibus fieri necesse sit. pa.714. no.1

Cornua submittere quid sit. pag.284.no.2

Cornu Iustitiae zelum in sacris litteris mistice designat. pag.712.no.2

Corona spinea, quoties fuerit Christi capiti imposita, & qualis fuerit. pa.648.no.2.& 649

Corpora Sanctorum gloriosa solis radijs lucidiora apparebunt, & ex aliquorum sententia habitura sunt internam quandam lucem per modum qualitatis inhaerentis, eiusdem speciei cum lumine solis. pag.33. nota 2

Corpora Sanctorum gloriosa habebunt colorem quendam perfectissimum cum refulgentia, & potestate ad se propalandum quandocunque voluerint, & futura sunt perspicua, & transparentia, itaut omnes interne partes videri poterint. pa 33 [illegible]

Corpus Euae formatum fuit ex costa Adae, quae [illegible] tam materiae molem excreuit, quanta sat fuit [illegible] formationem corporis mulieris. pag. [illegible] 2

Corpus hominis Asino comparatur, & nimio [illegible] cibo animam in spiritualibus languidam red[illegible] pag. 268.no. 1

Corpus gloriosum, an sit palpabile, & quomodo. p. [illegible] nota 3

Costa Adae ex qua formatum fuit corpus Euae, non erat superuacanea si consideretur Adam, vt principium speciei, & totius generis humani, secus vero si consideretur, vt singularis quaedam persona, pa.42. nota 2

Creatura pura de rigore iustitiae non poterat Deo satisfacere pro peccatis hominum, sed hoc solius Christi proprium fuit. pag.52.no.1

Creaturae sunt Deo praesentes secundum modum essendi quem habent in essentia diuina, in qua sunt eminenter, vel secundum realem existentiam, quam habent extra suas causas, si productae sunt, vel habiturae si producentur. pa.72.n.2.& 441.n.2

Creaturae verius sunt in Deo, quam in proprijs naturis, pag.72.nota 2

Creaturae omnes a Deo bonae factae sunt. pa.345.not.1

Creatura in Deo est creatrix essentia. pag.441.no.2

Crucis insignia propria sunt christianorum militum vexilla. pag.723.no.1

Cypri Regni euersio a B.Brigitta praenunciatur. p.636 nota 1

DE LITERA. D.

David figura fuit Saluatoris nostri, tum propter nominis etimologiam, interpretatur enim dilectus, & de Christo scribitur, hic est filius meus dilectus, tum quia Dauid filius fuit Isai Bethlemitae, & Christus in Bethleem ortus est. pa.110.no.1

Dauid tres habuit filios Absalon, Adoniam, & Salomonem, qui mistice tres hominum status designant. pag.110. no.2

Dauid fuit vere Propheta, & auctor Psalmorum. 172.1

Daui.

Davidem, Christo a mortuis resurgente probabilissime est surrexisse, ut Christi domini resurrectionis testis esset. pag. 601.

Debita qui non solverit dum viveret, mandavit tamen haeredibus, ut solverent, si ad poenas deinde Purgatorij fuerit adiudicatus, non tandiu in eo retinetur, quousque eius haeredes solverint, sed quamdiu pro negligentia non solvendi divinae iustitiae satisfecerit. pag. 487. nu. 2

Delectatio morosa quando mortale peccatum inducit. pag. 201. nu. 1

Dæmon dicitur latro, & quare. pag. 4. nu. 4

Dæmon a Deo bonus factus est, & sua culpa malus, evasit. pag. 4. no. 6

Dæmones Deum confitentur non vera fidei confessione, ut fides habitus est infusus, sed quia ex signorum magnitudine compelluntur Deum confiteri, & credere doctrinam Ecclesiae a Deo manasse. pag. 28. num. 4

Dæmon post peccatum non amisit speculativam cognitionem, sed affectivam, quae est divinae dilectionis productiva, & cuius Dei amor est fundamentum, qui amor in daemonibus non reperitur. pag. 54. n. 2

Dæmonis peccatum quod nam fuerit. pag. 55. nu. 3. & 138. nu. 1

Dæmon non appetijt aequalitatem Dei per aequiparantiam, quia naturali cognitione scire poterat, hoc fieri non posse, ut sic Deo esset aequalis, sed appetijt similitudinem quandam aequalitatis, quatenus finalem beatitudinem per suam virtutem voluit obtinere, quod est proprium Dei. pag. 55. n. 4

Dæmon non potest scire futura, quae ex libera Dei voluntate pendent. pag. 55. n. 5

Dæmones non possunt poenitere sui delicti, & quare. pag. 56. no. 7. & 516. no. 1

Dæmones post peccatum, immediate a Deo acceperunt suae damnationis sententiam, nec inter lapsum, & poenas aliquod temporis spatium intercessit. pag. 56. n. 8

Dæmones per peccatum non amiserunt cognitionem rerum naturalium, quia secundum Dionysium in illis remanserunt integra naturalia. pag. 57. no. 9

Dæmones Mariae nomen timent. pa. 74. n. 1

Dæmones non possunt exercere suam potestatem in hominem, nisi Deo permittente. pag. 97. no. 2

Dæmon proprie exactor esse dicitur, & quare. pa. 219 not. 2

Dæmon dicitur adversarius noster. pag. 284. n. 1

Dæmon an noverit Christum fuisse Messiam in lege promissum, & verum filium Dei. pag. 303. no. 2

Dæmones quare in hac vita regulariter non videntur. pag. 430. nota 2

Dæmon an Christi Nativitatem vere noverit, & hac etiam ratio Ignatij martyris explicatur, qui existimavit, ideo Christum voluisse ex desponsata nasci, ut partus eius celaretur diabolo. pa. 451. no. 2

Dæmon quare quosdam frequenter tentat, alios vero raro. pag. 464. not. 2

Dæmon quantumcunque ab aliquo victus, consuevit tandem, a quo victus est tentationibus aggredi. pag. 498. nota 1.

Dæmones an vere laetentur de victoria, quam ex hominibus reportant. pag. 517. no. 5

Dæmones dicuntur animalia venenata, & quare. pag. 556. not. 1

Dæmonum nullum est nequior alio. pag. 501. no. 1

Dæmones post lapsum in aere caliginoso veluti in carcere inclusi sunt. pag. 191. no. 1

Dæmones cum hominibus apparent, qualia corpora assumant. 591. no. 1

Dæmones quomodo & quae futura praedicant. pa. 593.

Deus licet totius consolationis sit auctor, dicitur quandoque gaudere, & consolari quando beneficentiam suam extendit ad homines. pag. 11. n. 2

Deus unico intuitu omnia videt, & ideo in agendo non eget discursu. pag. 31. no. 2

Deus homini dicitur factus debitor, supposito eius decreto, & pacto, quo illi aeternam gloriam se daturum promisit, si eius mandata servabit. pag. 54. not. 1

Deus quomodo dicatur esse in homine. p. 68. no. 2

Deus nullam vim infert libero hominis arbitrio 98. n. 4

Deus scrutator est cordium, cogitationum, ac intentionum hominum. pa. 101. no. 1

Deus quare impios viros permittat in mundo vivere. pag. 101. no. 2. & 196. no. 1

Deus quare permittat malos corpus suum in Eucharistiae Sacramento sumere. pa. 104. no. 3

Deus nostrorum cordium ostium quotidie pulsat per internas motiones, per beneficiorum collationem, & tribulationum immissionem. pag. 107. n. 1

Deus in operibus suis sic iustus est, ut etiam sit misericors, & e contra sic misericors, ut etiam iustus sit. pag. 125. not. 3

Deus omnia cognoscit, praesentia, praeterita, & futura. pag. 131. no. 1

Deus permittit quandoque quempiam sua bona perdere, quae cum suo statui superflua sint, deberet pauperibus erogare. pa. 131. no. 3

Deus permittit aliquando iustos cadere, ut fortius resurgentes, maiorem sibi postea gloriae coronam acquirant. 131. no. 6

Deus cum impendit homini donum gratiae iustificantis, ita movet liberum hominis arbitrium ad illud donum acceptandum, ut nullam libertati vim inferat. pa. 143. no. 1. & 189. n. 1

Deus licet aliquando rerum velit mutationem, non tamen est mutabilis, & hoc pluribus rationibus explicatur. 161. n. 1

Deus non punit filios pro iniquitatibus patrum, nisi ipsi filij imitentur iniquitates patrum, tunc enim visitat iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. 235. n. 3. & 460. n. 1

Deus in hoc seculo mitius nobiscum agit, quam in alio. pag. 257. not. 1

Deum poenitere est ad modum poenitentis se habere, & metaphorice hoc dicitur de Deo, & Dei poenitudo est mutandarum rerum immutabilis ratio. 264. no. 1

Deus irasci mystice dicitur, cum homines pro peccatis flagellis caedit. 263. n. 3

Deum an quisquam in hac vita, aliquando viderit, & quid de Paulo, & Moyse dicendum sit. pa. 420. nota 1.
Deus sua dona non omnibus æqualiter confert. pag. 433 not. 1
Deus quapropter humanam carnem assumpserit, & quod in assumenda nullam turpitudinem, ac deformitatem contraxit. pa.439.no.0
Deus omnes in se perfectiones includit, & quomodo. pa.440. not. 1.
Dextera in Sacris litteris methaphorice beatitudinem, aliquando significat, sinistra vero pœnas æternas. pag. 468 no. 1
Diaconorum officium est prædicare, non quidem absolute, sed per modum catechizantis, Illud enim proprie ad Episcopum spectat. pa.481.no.1
Dilectio amicorum præstantior est, & melior dilectione inimicorum, si consideretur ex parte rei, quæ diligitur, secus vero si consideretur ratio dilectionis, quæ non potest esse aliud, quam ipsemet Deus, pag. 217 no. 2
Diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quod sit. pa.545.n.1.
Dionysius ad fidem conuersus est a Paulo Apostolo, Anno post Christi passionem decimonono. pag.263. not. 3
Dyplois duplex est pallium, & quid mistice significat. pa.324 n.3
Diuersorium in quo Christus Dominus natus est, non erat intra muros Bethleem, sed extra in suburbijs, eius situs, & dispositio describitur. pag.659.n.1
Diuinitas nunquam fuit a Christi humanitate separata, nec etiam in morte eius, & hoc fuse probatur. pag. 3. not. 2
Diuitiæ spirituales sunt paupertas, humilitas, castitas, obedientia, & bonorum operum copia. p.51.n.1
Diuitiæ ad cœlestem gloriam consequendam non impediunt, sed earum tantummodo sollicitudo, & prauus vsus improbatur. pag. 187.n.3.544.n.1
Diues in inferno existens Deum rogauit pro fratribus non aliquo charitatis affectu motus, sed quod sciret, ex fratrum suorum consortio pœnam sibi addendam, eo quod prauo vitæ suæ exemplo eis peccandi ansam præbuerat. pa.276.n.3
Doctores mali meretricibus comparantur, & quare. pag. 492. no. 2.
Doctores trahere ventum quasi Dracones dicuntur, quando ambitionis vento inflati de sua doctrinæ copia gloriantur. pag.182.n.5
Dona diuina quare vni dentur, & non alteri, & quare maiora vni, quam alteri. pag. 557.n.1

DE LITTERA. E.

E *Ffectus nullus potest dici contingens in ordine ad prouidentiam, & præscientiam Dei secus vero in ordine ad particulares causas effectiuas.* pag. 102. not. 3.
Effectus Sacramenti Eucharistiæ, qui, & quales sint. pa. 510 not. 4
Elephas vnde dicatur, quamdiu viuat, & quomodo capiatur, & mystice, quid significet. pa.196.n.1
Eliam Prophetam fuisse translatum ad Paradisum terrestrem non est de fide, vt existimauit Sixtus Senensis, cum in Sacris litteris non sit expressum, ad quē locum in specie fuerit translatus, vt docuerunt Chrisost. & August. pag. 84.no.1
Elisabeth Regina Vngariæ commendatur. pag. 237. nota 5.
Episcopus inter cæteras virtutes iustitia in primis, & charitate debet excellere. p.169. n.2
Episcopus comparatur Angelo præcincto, qui apparuit Thobiæ, & cur pag.169.n.2
Episcopi mensa qualis esse debeat p.170.n.5
Episcopi mensa debet esse referta viris doctis, vt ad præsentium ædificationem, cibi vel lectione Sacra, vel disputatione condiantur. p.170.n.5
Episcopi tenentur inquirere suorum famulorum vitia, eosque corrigere, qui si post factam admonitionem aliquos contumaces inuenerint, debēt a se eos remouere, & ab alijs seiungere. p.170.n.6
Episcopus inter alias virtutes præditus esse debet patientia, animique constantia. pa.172. no. 2
Episcoporum graue est vitium quod magnum, & illis, & subditis incōmodum affert in suo statu nolle quiescere, sed altiorem gradum quærere, & maiores dignitates sectari pa.172. no.4
Episcopatus tria habet, curam animarum, ac ordinis dignitatem, reuerentiam, & honorem, quæ Episcopis debita sunt, & honorum temporalium copiam, pag.174 n.2
Episcopatum an liceat appetere, & ob quem finem. pa.174 no.
Episcopi speculatores, ac superintendentes esse dicuntur. pag.17, no. 3
Episcopi non debent dissimulare peccata subditorum, sed reprehendere, & castigare quoties opus est. pag. 175 no. 3
Episcopi per seipsos prædicare subditis suis debent, quia prædicandi officium ad eos peculiariter spectat. pa.175.no.4.& 181. no.1
Episcopus Ecclesiæ curam deserens, & temporalium negotiorum prouinciam suscipiens Adulteræ comparatur pag.179.n.2
Episcopo in consecratione traditur annulus, vt significetur, eum cum Ecclesia sibi commissa, veluti cum sponsa se gerere debere. pag.179.no. 2
Episcopatus est status perfectionis, & si comparetur cū statu Religionis, præstantior est, ac excellentior. pag.199. no.1
Episcopum malum, esse verum Episcopum contra Ioannem Hus probatur. pa.633
Episcopi promouendos ad ordines debent, prius diligenti examine probare. pag.642.no.1
Episcopi in Concilio Sardicensi prohibentur ad curias sæcularium Principum accedere. p.673. n.1
Episcopi quando tuta conscientia possint oues dimittere

Digitized by Google

& in quibus casibus curam pastoralem alteri committere. ibidem
Eritius seu, vt alij Herinacius est animal quadrupes, spinis armatum, habitat iuxta paludes, ibique sibi cauernam facit, duo habentem f. amina, vnum ad boream, alterum ad austrum, & flante borea claudit boreale foramen, aperitque quod est ad austrum flante austro australe claudit, & boreale aperit, & symbolum est auari. pag. 594. n. 1
Error pralati tantis obest, quantis praeest. pag. 169. n. 5
Esau quare dixerit Deus odio habui. pag. 614.
Euangelizare Christum quid sit. pag 263. n. 3
Euangelistae cur plurima, quae ad Mariae Virginis statum, & conditionem pertinebant non scripserint, & quare multa ei diuinitus concessa priuilegia litteris non consignauerint. pag. 559. n. 1
Excommunicati, qui non vitandi. pa. 353. n. 2.
Extasis quid sit, & quo in re a corporali somno differat. 332. no. 1

DE LITTERA. F.

FAm..is Episcopi qualis esse debeat, & qua ratione ..iscopus regat. 170. n. 6
.... ..panni, quibus Maria Christum natum pri... ..o inuoluit quales fuerint. 660. n. 3
F.. s mistice scutum, & lorica dicitur esse. 118. n. 1
.ices per peccatū mortale regulariter non pditur. 119. 3
..aes .. ..ius spiritualis edificij fundamentum appellatur ... ..e. 375. n. 1
.... ..ndo maior est, quacunque alia certitudine. not. 2
.... ..is incarnatus est, non Pater, nec Spiritus ... ..tem esset filius in diuinis, qui in humanis. not. 3
... portabit iniquitatem Patris, nisi fueris eius ..itatem imitatus, alias Deus visitabit iniquitat... ..n in filios vsque ad tertiam, & quartam ge..ation.. n. 235. n. 3. & 460. n. 1
Filius in diuinis est aequalis Patri, & qua ratione hoc verum sit explicatur ex Patribus. 667. n. 1
Fiscella quid sit. 727. no. 1
Flagella, quibus Christus Dominus ad columnam verberibus affectus est fuerunt è funiculis composita, & loris etiam contexta, ac in extrema parte habuerunt ferrea quedam puncta. pag. 21. n. 9
Flagellum Dei in sacris litteris per aratrum mistice significatur. pag. 275. n. 2
Fortuna quae, & qualis sit ex D. August. indicatur, & nihil esse pluribus rationibus probatur. 543. no. 3
Fortunae simulachrum ex Alberti Magni sententia describitur. pa. 543. n. 3
Fruitio in passione Christi non fuit separata a beatitudine, vt existimauit Melchior Canus, quoniam illa spectat ad essentiam eius. 489. n. 1
Futurum, & praeteritum proprie non sunt in Deo, sed solum esse praesens. pa. 132. no. 1

DE LITTERA. G.

GAbriel, qui Incarnationis Dominicae mysterium nunciauit, fuit tertiae Hierarchiae caput, & Princeps pa. 181. no. 2
Gabriel, qui ad Mariam nuncius venit sub humana specie, exteriusq; sensibilis Virgini apparuit. p. 182 not. 2.
Gabriel, qui Christi Natiuitatem Mariae nunciauit, eidem etiam mortem nunciasse, probabilissimum est. pag. 371 no. 1
Gaudium beatitudinis, & dolor in passione Christi quomodo potuerint esse simul. p. 488. no. 1
Gaudium, & laetitia an vere reperiantur in Daemonib. pa. 517. no. 1
Gazophylacius erat locus in quo pecunia asseruabatur, & mystice significat amorem temporalium rerum. pa. 27 no. 1
Gentiles hi, qui proprie legem scriptam non habuerunt leuiori poena punientur, quam Iudaei, & Christiani mali, quia illi non a lege scripta Mosis, vt Iudai, nec a lege Euangelij, vt Christiani, sed a lege tantummodo naturali bonum, malumq; eis attendente condemnabuntur. p. 211. n. 5
Gentiles in suis operib. an habuerint aliquam iustitia rationem. pa. 212. no. 7
Gelasius primus Pontif. Maximus in monte Gargano Ecclesiam construxit ad honorem Sancti Michaelis Archangeli p. 373. no. 1
Gersonis sententia improbatur, qui existimauit brutis etiam animalibus rerum dominia competere. p. 698 not. 6
Gladius, quem Symeon vulneraturum animam Virginis prenunciauit, non fuit dubitatio aliqua de morte filij sui, aut scandalum, sed ingens dolor, quem in Christi morte Maria pertulit acerbissimum. pag. 218. no. 2. & 498 no. 5
Gregorius Thaumat.. gus oratione sua Montem transtulit p. 143. no. 3
Gregorij Ariminensis opinio refellitur, qui existimauit omnes Angelos etiam eos, qui ceciderunt diuinam essentiam vidisse saltem per modum transeuntis. p. 719. no. 1
Gregorius Vndecimus Pontif. ex Auinione Pontificiā sedem ad Vrbem traduxit, Anno Domini 1376. pag. 409. not. & 286. no. 2

DE LITTERA. H.

HErinacius, vide Ericius
Haereditas, quam passione sua Christus homini acquisiuit, in quatuor potissimum consistit: primo in principatu Militantis Ecclesiae, cuius ille factus est caput. Secundo in dominio quodam acquisito super omnes Daemones, ac creaturas. Tertio in Exaltatione sui corporis. Postremo in Principatu Trium-

Digitized by Google

Triumphantis Ecclesiæ quantum ad cælorum ingressum, quorum ipse portas aperuit, & sua membra introduxit. pag.7.n.5
Hypocritæ meretricibus comparantur, & quare. 94.n.3
Historia lectio Regibus, Principibusque admodum vtilis est. pag.704.n.1
Homo per peccatum mortale dicitur occidere animam suam, quia cum mortaliter peccat, priuatur gratia Dei, quæ vita est animæ. pa.8.n.4
Homo an in hac vita diuinam essentiam intueri possit. pag.48.no.3.& 140.429. no.1
Homo potest quidem vitare singula peccata venialia non tamen omnia. pag 201.no.2
Homo non potest comprehendere modum quo Christus est in Sacramento Eucharistiæ, nisi per fidem. pag. 299. no.4
Homo quando cæcus esse dicitur. pag.364.no.2
Hominem absque cibo, & potu posse per aliquod temporis spatium viuere aliqui senserunt, & an hoc verum sit multis rationibus, & exemplis discutitur. pag.366. no.3
Homines iusti quare in hac vita tribulationibus premuntur, iniusti vero exaltantur. pag.425.n.2
Homines impij pueri abortiui dicuntur, & quare. pag. 509. no.1
Homo licet non possit seruire Deo, & diuitijs, potest tamen seruire Deo cum diuitijs, nam hæc non sunt impedimenta ad gloriam consequendam, sed earum tantummodo sollicitudo, prauus vsus. pa.544.n.1
Homo in diuitijs congregandis peior est formica, & quare. pag.545. no.1
Homines quare in hac vita Deum, vt par est non diligant, & quapropter in diuino amore tepidi sunt. pag.546. no.1
Homines Deo non debent seruire ex timore, sed ad Deum diligendum amore moueri debent. pag. 94. nota 3.
Homines mali, qui prauo vitæ suæ exemplo alios ad peccandum trahunt, peiores sunt latronibus, & quare. pag.556. no.3
Hora nouissima est vltima ætas, in qua Antichristus venturus est. pag.581.no.1
Humilitas vera, quæ sit, eius gradus sunt duodecim. pag.31. not.1

DE LITTERA I.

IAspis gemma pretiosa inter cæteras eius virtutes, præcipue sunt visum acuere, sanguinis fluxum stringere, tristitiam pellere. pag.379.no.1
Idolatria formaliter interiorem infidelitatem exigit. pag.590. not.1
Iezabel Regina iussu Ieu per fenestram præcipitata est, & canum morsibus dilacerata, & quare. pag. 709. nota 1.
Impij homines pueri abortiui dicuntur, & quare. pag. 509. nota 1
Impij in hac vita, quare tolerantur. pag.101.n.2
Impij homines, qui suis peccatis alios ad peccandum trahunt, grauius punientur, & ex hoc illis tormenta addentur. pag.119.n.4.& 556.n.3
Impotentia restituendi aliena bona a restitutione excusat. pag.31.no.4
Incarnationis mysterium fuit opus totius Trinitatis, & efficienter a tribus personis diuinis manauit, terminatiue vero tantummodo a filio, quia ipse est, qui humanam carnem assumpsit. pag.61.n.1.& 128.n.3
Ignatij martyris ratio explicatur, & contra quosdam defenditur, is enim existimauit, ideo Christum de desponsata nasci voluisse, vt partus eius celaretur diabolo. pa.451.n.3
Indulgentiæ directe culpas non tollunt, sed tantummodo pœnas peccatis debitas. pag.608.n.1
Induratio est diuinæ gratiæ subtractio. pag.450.no.3
Infernus dicitur, quia infra nos est, eius situs in centro terræ est in infimo loco. pa.134.no.2.& 244.n.5
Infula Episcopalis est Mitra Episcopi, quæ eius potestatem notat. pa.174.n.1
Inimicus non est diligendus, vt inimicus, sed vt est eiusdem naturæ nobiscum, & potest esse particeps beatitudinis. pag.217.n.2
Innocentes quare Deus permisit occidi, & quot numero fuerint. pag.453.no.3
In innocentiæ statu futura fuisset speciei propagatio, & filiorum procreatio per coitum absque libidinis ardore, & deformitate. pag.42.no.3
Intellectus creatus in Patria videns Deum per essentiam, non videt omne bonum, quod manat, & manare potest ab ipso, sed id, quod ad eum perfecte beatum constituendum sufficit. pa.67.n.2
Itemperantia prudentiam corrumpit, & ideo opposita prudentiæ vitia præcipue nascuntur ex luxuria. pag.164. not.1
Ioab occidit Abner, & Amasan Iether, & quare. pag.397. no.4
Ioannes Baptista fuit Virgo. pa.34.no.6
Ioanni Baptistæ in vtero materno fuit acceleratus vsus liberi arbitrij. pag.203.no.2
Ioannes Euangelista senio confectus mortuus est. pag. 230. no.6
Ioannes Euangelista die Natiuitatis Ioannis Baptistæ obijt, & quare eius festum eo die non celebratur. pag.230. not.6
Ioannes gratia Dei interpretatur, & hoc vel quod gratia Dei plenus esset, vel quod a Deo ad populorum salutem datus fuisset, vel quod Datoris gratiæ prænuncius fuerit. pa.260.n.3.
Ioannes Euangelista fuit Virgo. pag.266.n.1
Ioannes Euangelista, & si vere martyr non fuerit, quia violenta morte non obijt, tamen quia sponte in

Digitized by Google

fidei testimonium se morti obtulit, eaque causa erat sufficientissima ad mortem inferendam, nisi diuina virtute praeseruatus fuisset, ideo martyrij meritum assecutus est. pag.267.n.2
Ioannem Euangelistam scripsisse Apocalypsim ex concilijs, & Patribus contra Marcionem, & Cerdonem hareticos probatur. pag.567.n.1
Ioannem Baptistam Christo a mortuis resurgente, surrexisse probabile est, vt Christi resurrectionis testis esset. pag. 602
Ioseph Mariam dimittere voluit, non quod malum, quopiam de ea fuisset suspicatus, sed ob summam, quam ad illam habebat venerationem, existimans se eius esse indignum consortio. pag.259.n.1
Iosephum fuisse fabrum ferrarium aliqui existimarunt, alij fabrum cementarium. alij aurificem, sed probabilius est extitisse fabrum lignarium. pag.566
Ioseph ante Saluatoris nostri mortem obijt. pag.566
Ioseph ex grauissimorum Doctorum sententia Virgo fuit, & castitatis votum habebat. pa.566.n.1
Ioseph, an virgineo partui interfuerit. pag.659.n.2
Ira est ebrietatis, ac insaniae species. 707.n.2.& 703.1
Irae effectus, qui, & de remedijs ad eam sedandam opportunis. pag.480.no.1
Iudas proditor suspendio e vita discessit, nec vt alij placuit per aliquot annos superstes fuit. pa.60.n.6
Iudas proditor agrum dicitur possedisse, non quod eum vere possiderit, sed quia possidere fecit alios, vel quod in eo sepultus fuerit. pag.61
Iudaei, an vere cognouerint Christum fuisse Messiam in lege promissum, & verum filium Dei. p.475.n.1
Iudaei potuerunt ex Prophetis, & miraculis cognoscere Christum verum esse Messiam, & filiū Dei. 476.1
Iudaeis, sicco pede per Mare Rubrum transeuntibus aqua Maris diuisa est, & fuisse factas duodecim diuisiones iuxta duodecim tribus docuit Cassiodorus; alij vero vnicam tantum aquae diuisionem factam existimarunt. pag.405.no.3
Iudaei cum alicuius rei difficultatem insinuare volebant eo prouerbio vtebantur, facilius esse per foramē acus introire Camelum, quam id fieri. pag.187.no.3
Iudaei consueuerunt defunctorum corpora linteo obuoluere, quod etiam factum est in Christi Domini corpore, postquam de cruce depositum fuit. pa.148.n.1
Iudicium vniuersale cito fiet, quo autem anno in sacris litteris non est expressum, sunt tamen, qui putent eodem mense, quo Mundus conditus est mense nimirum Martij, & media nocte, & secundum alios in Aurora. pag.92.no.3
Iudicij diem in quo sensu Christus se nescire dicat. pag. 468. no.2
Iudicandi in vniuersali iudicio secundum diuersos locorum situs futuri sunt dispositi, ac distincti, boni quidem a dextris, mali vero a sinistris. pag.468.no.2
Iustificatio est quidam motus, quo homo excitatus a Deo recedit a statu peccati, & ad Deum conuertitur. pag.143. no.1
In Iustificatione hominis ex grauissimorum, quorundam Doctorum sententia non solum dantur dona Spiritus sancti, sed, & ipsa met persona Spiritus sancti quo ad substantiam. pag.68.no.2
Iustitia semper debet esse cum misericordia coniuncta, alias iustitia non est dicenda, sed crudelitas. 135.n.3
Iustitia commutatiua inter Deum, & hominem esse non potest, cum ad eius rationem requiratur aequalitas, quae inter creatorem, & creaturam minime reperitur. pag.54.no.1

DE LITTERA. L.

Labarum a Constantino Magno in formam Crucis redactum. pag.723.no.1
Legens ethnicorum libros immitari debet apes, quae non omnibus floribus insident, nec ex eis omnia auferunt, sed quantum ipsis necessarium fuerit comprehendunt reliquum dimittunt. pag.704.n.1
Leo mistice Christus dicitur. pag.278.no.1
Lex hominibus quare data sit. pa.412.n.1
Lex continentiae non fuit sacerdotibus imposita primum a Siricio Papa, sed ab alijs Pontificibus, & Concilijs antiquioribus Siricio. pag.637.n.3
Liber vitae in sacris litteris quadrupliciter sumitur. pag.740. n.10
Liber vitae metaphorice significat notitiam, quam Deus habet omnium praedestinatorum. pag.369.n.1
Liberum arbitrium quare hominibus a Deo collatum. pag.418.no.1.& 94. no.2
Liberum arbitrium datum est homini, vt coelestia appeteret, & terrena contemneret. pag.94.n.2
Limbi puerorum situs, & poena. pag.394.no.5
Limbus quandoque in sacris litteris infernus dicitur. pag.28. no.3
Lilijs Sancti Confessores comparantur. p.215.n.6
Lingua metaphorice Angelis tribuitur, & quare. pag. 646. no.2
Linguae, quae super Apostolos in die Penthecostes apparuerunt, non in imaginatione tantummodo ab ipsis visae sunt, sed re vera Apostoli linguas igneas viderunt. pag.528. no.1
Linguae quare tot fuerint a Deo per vniuersum constitutae, & an fuerint septuaginta duae, an vero pauciores, vel plures. pag.523.no.1
Loquitur Deus nobiscum frequenter per illuminationem, vel per internam inspirationem, alijsque pluribus modis. pag.4.n.8
Locus quidam Clementis Papae exponitur lib.8. constitutionum Apostolicarum c.1. ex quo nonnulli male deduxerunt, eum affirmasse malū Episcopum non esse verum episcopum. pag.633
Locus in quo Christus Dominus natus est, spelunca a Patribus appellatur: eius situs, & dispositio describitur: non erat intra muros Bethleem, sed extra in suburbijs. pag.659.no.1
Longinus, an latus Christi dextrum, an vero sinistrum lancea percusserit. pa.649.n.4
Lorica, quid sit, & mistice charitatem significat. 324.4
Lucia Virgo laudatur. pag.237.n.7

Lumen

Digitized by Google

Lumen mistice fidem designat, & lucerna sub modio posita, & intra legem, condita fides esse dicitur. pag. 49. not. 4
Lumen naturale dat Deus hominibus ab instanti creationis, quo sciant quid agendum, quidue fugiendum sit. pag. 163. no. 1
Lumen supernaturale Deus nobis confert, quo ad ea, quæ humanam facultatem superant comprehendenda manducamur. pag. 163. no. 1

DE LITTERA M.

Magi ex prædictione Balaam, & ex stella Iacob Saluatoris Natiuitatem nouerunt. pagin. 81. nota 2.
Magos Christi Natiuitatem nouisse a sibillis censuit Eugubinus. pag. 51. no. 2.
Magi per Astrologiæ scientiam Christi Natiuitatem cognoscere minime potuerunt. pag. 51. no. 2. & 280. no. 3
Magi cum externo signo stellæ, habuerunt internam illustrationem, & intrinsecus diuinum obtinuerunt lumen ad Christi Natiuitatem agnoscendam. 51. n. 2
Magi, qui ad Saluatorem nostrum adorandum venerunt, an fuerint tres, & quo in loco eum adorauerint, & an vere Reges, vel Reguli, an vero priuati homines extiterint. pag. 664. no. 1
Mali homines sicut, & boni videbunt Christum ad vniuersale iudicium venientem, sed illa visio bonis erit valde delectabilis, malis vero formidabilis. 698. n. 1
Mali permittuntur a Deo ad bonorum probationem, & maius meritum, vniuersi perfectionem, vtque diuina patientia, misericordia, & charitas ostendatur. pag. 101. no. 2. 196. no. 1
Manna Sacramenti Eucharestiæ figura fuit. 104. no. 2
Manipulum, aliqui mappam, seu mappulam vocant, alij Phanonem, & est bonorum operum, & vigilantiæ symbolum. pa. 484. n. 1.
Margarita puella teste Bucholidiano philosofo a festo S. Michaelis Archangeli anno 1530. vsque ad annum 1540. sine cibo, & potu vitam traduxit. 367. no. 2
Maria Virgo Christum peperit absque virginitatis læsione, quod pluribus similitudinibus ostenditur. pagin. 3. nota 3.
Mariam Virginem anima, & corpore ad cœlum suisse assumptam pluribus Sanctorum Patrum testimonijs probatur. pag. 13. no. 1
Mariæ Virginis Conceptio suis diuinitus Parentibus ab Angelis prænunciata. pag. 15. n. 1
Maria Virgo ad altiorem gloriæ gradum præ cæteris sanctis fuit eleuata. pag. 16. no. 2
Maria Virgo diuinarum rerum scientiam perfectam habuit, qua in re omnes Theologos anteiuit, vnde ex Prophetarum vaticinijs prænouit Messiæ aduentum. pag. 9. no. 1
Maria Virgo virginitatis votum emisit ante contractum matrimonium cum Iosepho. pag. 20. n. 3.
Maria Virgo absque doloris aliquo sensu filium suum peperit. pag. 21. no. 6. & 661. n. 1
Maria Virgo post sui filij depositionem de cruce oculos, & oscius clausit. pag. 23. no. 13
Maria Virgo videt in verbo petitiones fidelium, quæ diriguntur ad ipsam. pag. 47. n. 3
Maria Virgo dicitur passione Christi redempta, non quidem, quod per peccatum, quod nullum contraxit, in dæmonis potestate aliquando captiua fuerit, sed captiua fieret præuenta. pag. 6[illegible]
Maria Virgo in vtero dicitur habuisse tres personas [illegible]nitatis secundum eos modos, quibus vna persona [illegible]nina dicitur esse in alia, nimirum ratione essentiæ, immanentiæ, circumsessionis, &c. ratione vero incarnationis non fuerunt, si sumatur incarnatio, vt dicit rationem terminandi, & sustentandi naturam humanam, quam taxatiuè modo verbum assumpsit. pag. 69. no. 3
Maria Virgo Auroræ comparatur, quæ sicut finis est noctis, & initium lucis, sic ipsa finem imposuit nocti, & mundo lucem dedit, pariens eum, qui est lux Mundi. pag. 82. no. 1
Maria Virgo fons est largissimus, quia ab ea omnis bonorum copia ad nos fluit, & diuinorum beneficiorum vbertas emanat. pag. 82. no. 3
Maria Virgo simillima fuit Christo suo filio facie, ac corporis lineamentis. 84. no. 2
Mariæ facies, statura, & mores describuntur. pag. 84. nota 2.
Maria Virgo lilijs conuallium comparatur. pag. 85. nota 1.
Maria Virgo ex sententia quorundam concepit, vt primum Angelus ea verba protulit, Dominus tecum, sed probabilius est, ea concepisse, vt consensum præbuit his verbis, fiat mihi secundum verbum tuum. pa. 127. not. 2.
Maria Virgo depositioni sui filij de cruce proprijs manibus cooperata est. pa. 148. n. 3
Mariæ Virgini ab instanti conceptionis collatum est priuilegium, vt peccare non posset, vnde nec veniale peccatum, nec mortale commisit. pag. 181. n. 1
Maria Virgo Arcui Cœlesti comparatur, & quare. pag. 184. nota 1
Maria Virgo templo Salomonis similis fuit, & qua ratione. 219. no. 1
Maria Virgo peculiari priuilegio super dæmones potestatem habuit. pag. 250. n. 2
Maria Virgo etiam ante sui filij incarnationem fuit Deo gratissima. pag. 251. no. 4
Maria Virgo an in sui filii morte spasmum passa fuerit. pag. 310. no. 3.
Maria Virgo Angelos puritate, Prophetas Spiritus sancti plenitudine, Martyres fortitudine anteiuit. pag. 348. not. 3. & 433. nota 1
Maria Magdalena, ex sententia Augustini bis Christi Domini pedes vnxit. pag. 366. no. 2

Maria Magdalena vna fuit non tres, vt docuerunt Iodocbus cblitoueus, & Ioannes faber. 568. no. 2
Mariam Virginem originale peccatum minime contraxisse probatur ex Patribus. pag.547.no.1
Mariæ Virginis conceptio quare multis multo tempore ignota, incertaque manserit. pag.559.n.1
Maria Virgo non fuit subiecta legi Purgat. quæ habetur. Leuit. 12. voluit tamen purificationis legem subire, cuius rei plures rationes afferuntur. 573.n.1
Maria Virgo quare visitauerit Elisabeth, & quæ in visitatione mirabilia acciderint, & an apud eam tandiu manserit, quamdiu Ioannem ipsa peperit. pa.567 nota 1. & 2.
Mariam Virginem post sui filij ascensionem vnum tantummodo annum, & menses quinque superuixisse aliqui arbitrati sunt, alij vero annos nouem, alij viginti quatuor, Postremo alij quindecim existimarunt. pag.570. nota 1
Maria Virgo ex sententia Euodij, & Hyppoliti martyris vixit ann.56. Cedrenus vero eam vixisse arbitratus est ann.72. Vulgus communiter credit sexaginta tres. pag.570.no.1
Maria Virgo cum Dominum peperit fuit quindecim annorum, & quare Deus permiserit post sui filij ascensionem diu in mundo eam viuere. 570. n. 1.
Maria Virgo post sui filij ad cælos ascensionem frequenter loca sancta visitabat, vt Montem Caluariæ Oliueti, sanctum Sepulchrum, & alia. pag.570.n.2
Mariæ dormitio, & transitus describitur. pag.572.n.3
Maria Christi corpus post depositionem de cruce insinum recepit, eiusque vulnera deosculata Patri pro hominum salute obtulit. pag.650.no.3
Mariæ Virgini Christus post Resurrectionem primo apparuit. pag.602.no.3
Mariæ prægnanti vterus non erat grauis, sicut enim sine viro concepit, & sine dolore peperit, ita, & vterum absque vlla molestia gestauit, vnde Asino non eguit quo vecta veniret in Betbleem. pag.660.
Maria genuflexa, & in extasi diuinæ contẽplationis rapta saluatorem nostrum peperit. pag.660.n.4
Maria an in partu secundinas emiserit. pa.660.n.6
Maria Virgo absque sanguinis fluxu peperit. pag.661
Maria Virgo sine obstetrice, & aliquo adiutorio peperit. pag.660. no.5
Maria ad cælum assumpta est cum ingenti gaudio, & gloria commitantibus Angelis, & Beatis, cui etiam Christus obuiam venit, eamque secum ad cælos deduxit. pag.667.no.3
Maria cum ad cælum assumpta est quibus præmijs, ac prærogatiuis honorata fuerit. pag. 667.no.4
Martyrium est actus virtutis præstantissimus. pa.215. nota 3.
Matrimonium fuit institutum in officium naturæ, & in remedium concupiscentiæ. pag 707.no.1. & 15.n.2
Mensa Regum, aliorumque Principum debet esse referta viris doctis. pag.703.no.1
Ministri a quibus Saluator noster ad columnam verberibus affectus est, fuisse quatuor censuit Lanspergius. pag.51. no.9
Miracula nostris hisce temporibus non tam frequenter fiunt, sicut in principio nascentis Ecclesiæ, & hoc ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret. pag.121.no 5
Misericordia debet esse coniuncta cum iustitia, alias misericordia non est, sed fatuitas. pag.125.not.3
Myrra dicitur esse symbolum pœnitentiæ, & abstinentiæ tum propter saporem, quia amara est, tum quia eius inciso cortice defluit lacryma. pag.205 no.1
Missæ S.Gregorii vnde originem habuerint, & quo ordine celebrandæ. pag.148.no.2
Missa mali sacerdotis, an prodesse possit, & quomodo. pag 295. no.6
Missam audiens characterẽ sacerdotalem non habentis idolatriam formaliter non committit, si hoc facit ignoranter. pag.590.no.2
Missa charactere sacerdotali non insigniti ex opere operato minime prodest. pag.590.n.1
Missio in diuinis non importat imperium, vt cum scribitur, quod Pater misit filium suum, neque subiectionem ex parte missi, sunt enim personæ diuinæ æquales, sed importat habitudinem processionis secundum originem. pag 698.no.4
Mitræ Episcopalis mistica significatio quæ. pa.174.n.1
Mitra duo cornua habet, per quæ vtriusque testamenti scientia denotatur. pag.174.no.1
Mortui in sacris litteris quandoque infideles significant. pag.230. not.4
Mortis diem quare noluerit Deus homini propalare. pag.426. not.3
Mors christiana, quæ sit. pag.279.no.2
Mors æterna quandoque in sacris litteris inferni pœnas designat. pag.542.no 1
Mors Christi libera fuit, licet ipse met Christus ex obedientia mortuus sit. pag.619.n.1
Mulierem quandam peperisse decimotertio mense narrat Plinius, & aliam vndecimo. pag.442.n.1
Mundus saccus pertusus appellatur, & qua ratione. pag.275. not.1
Muri in sacris litteris mistice fideles, Prophetas, & Patriarchas significant. pag.506.n.1

DE LITTERA. N.

NAbuzardan coquorum princeps interpretatur. pag.588. nota 1
Nazaret ciuitas florida, vel custodia interpretatur, pag.222. nota 1
Natiuitatis Christi modus multis similitudinibus exprimitur. pag.3.no.1
Natiuitas Christi quare in principio non omnibus nota fuit. pag.431.no.2
Natiuitas Christi non potuit Astrologia scientia prænosci. pag. 280. no.3
Nicodemus depositioni Christi Domini de cruce propriis manibus coadiuuauit. pag.148.no.3

Nicolaus

Nicolaus Myrræ Episcopus laudatur ex cuius sacratissimo corpore tanquam è perenni fonte adhuc oleũ manare consueuit. pag.609.no.1
Nubes in sacris litteris quandoque prauorum hominũ sugestiones, & aduersitates significant. pag. 184. nota 2.
Nubes aliquando mistice hæreticos designant.pag.184 nota 2.
Nox & tenebræ qua propter factæ. pag.435.no.3
Nuditas Christi misticæ quid significet. pagin. 712. nota 4.
Nuptias Deitatis in patria contrahit anima, quando ab hoc seculo post multos exantlatos labores recedens, ad Dei visionem eleuatur. pag.34.
Nuptiæ spirituales quæ. pag.510.no.2

DE LITTERA. O.

Obedientia quare necessaria sit, cum voluntas nostra libera existat. pag.420.no.1
Oculos & os defunctorũ, vt cum primum illi exalauerant animam, antiqui claudere consueuerunt. pag.23. no.13
Oculus aliquando vim cognoscitiuam significat.pa.542. nota 4.
Odoardus Tertius Angliæ Rex, cum Philippo Valesio Galliæ Rege de hæreditario iure Regni Franciæ certat. pag.360. nota 1
Officium prædicandi propriè ad Episcopos spectat. pag.481. no. 1
Oleum in sacris litteris mistice gratiam, & dona Spiritus sancti significat. 205.no.2
Oleum typus est sapientiæ, vel etiam misericordiæ charitatis,& iustitiæ. 230.no.5
Onus prædicandi proprie ad Episcopum spectat, & per se ipsum illud debet obire. 175. no.4.
Opera Dei ea sunt, vt in illis iustitia semper inueniatur cum misericordia coniuncta. 125.no.1
Operationes ad extra sunt communes toti Trinitati.128. no.3.& 211.n.2
Opera quedam sunt viua,mortua,mortificata,& viuificata. 159.no.3
Orphani peccatores dicuntur, & quare. pag. 265. nota 4.
Opera a charitate se iuncta carbonibus comparantur. pag.340. not.2
Oribona Ciuitas Turcarum direptioni cessit anno 1576 Templumque Cathedralis Ecclesiæ ab eisdem, tunc temporis combustum est. pag.628.no.1
Oues in sacris litteris methaphorice bonos, hedi vero malos significant. pag.468.no.1

DE LITTERA. P.

Panis subcinericius Christum Dominum sub speciebus sacramentalibus latentem designabat.p.104. no.2.
Panis subcinericius Sacramenti Eucharistiæ fuit figura. pag.510.no.1
Panni, & fasciæ, quibus Maria Christum natum primo inuoluit quales fuerint. pa.660.n.3
Passio Christi fuit sufficientissima pro omnium redemptione, efficacissima vero pro his, qui eius sibi fructus applicant. pa.60.no.2
Passio Christi supposita ordinatione diuina, necessaria fuit, tum ex parte ipsius Christi, qui sua morte quam plurima sibi meruit, vt gloriam corporis, sui nominis exaltationem, &c. tum ex parte nostra, vt per eam a dæmonis potestate liberaremur. pag.63. nota 4.
Patres in limbo existentes pœnam tantummodo damni patiebantur. 134.n.5
Patres in limbo existentes non meruerunt de congruo incarnationis prædestinationem, potuerunt quidem mereri aliquas incarnationis circumstantias, nimirum, huius mysterij accelerationem, & quod Christus ex suo genere nasceretur. 135 no.4
Patres in limbo existentes liberati sunt, quando Christus ad illos descendit,non quidem, tunc eos de limbo educendo,sed luce gloriæ ibidem illustrando.601. nota 1.
Patres Veteris testamenti,qui Christo resurgente surrexerunt, non ad immortalem surrexisse vitam probabilissimum est, sed iterum obijsse, & anima tantummodo cum Christo in cœlum ascendente, ad cœlos euolasse. 601.no.2
Paulus Apostolus non solum vxorem non duxit, vt aliqui male existimarunt,sed ex aliquorum sententia Virgo fuit. 114.no.2
Paulus Apostolus, an in raptu diuinam essentiam viderit, 140.no.1.& 419.n.1
Paulus Apostolus dicitur lupus rapax,& quare. 240. nota 1.
Paulus Apostolus precibus B. Stephani dicitur ad fidem conuersus. 240.n.2
Paulus Apostolus Dionysium ad fidem conuertit anno post Christi passionem 19. 263.no.3
Paulus Apostolus,quid illis verbis significare voluerit optabam ego anathema esse pro fratribus. 323.n.6
Pauo est superbiæ simbolum, & quare. pag. 594. nota 2.
Peccatores in mortali culpa existentes, cum sacram Eucharistiam accipiunt, sumunt quidem Sacramentum, & verum Christi Domini corpus, non vero rem Sacramenti, & Sacramenti effectum. 192. no.1
Peccatores orphani dicuntur, & quare. pag. 265. nota 4.
Peccatores qua ratione dicantur suis peccatis iterum Christum crucifigere. 351.no.2
Peccatores à mortuis non differunt secundum Chrisostomum,& quare. 556.n.4
Peccatum veniale an fiat mortale, & quomodo. 202. nota 5.
Peccatum mortale æterna pœna punitur, & quare. 225. no.4

Peccatum mortale, vt connotat auersionem ab incommutabili bono, infinitatem quandam importat, secus vero, vt dicit conuersionem ad commutabile bonum, scilicet ad creaturas, pa.223. n.4
Peccatum in Spiritum sanctum, quod non sit. pa.364. nota 2.
Peccatum non solum animas, sed etiam corpora quandoque deturpat. pa.556.no.4
Pedes Christi fuerunt cruci affixi duobus clauis. p.22. nota 10.
Pedes in sacris litteris dicuntur gressus hominis, & mistice diuinum amorem notant, quo Deus sic hominē diligit, vt omnes suos gressus ad eorum salutem dirigat. pag.118.n.3
Pedes agni mistice Christi Domini humanitatem significant. pa.118.n.3
Pellicano Christus comparatur, & quare. pag.485. nota 7.
Pœnitentiæ a confessarijs conuenientes sunt imponendæ, & pro grauibus delictis graues, & pro leuibus leues. pag.249. not.3
Pœnitere propriè non reperitur in Deo, sed tantummodo metaphorice, & secundum effectum operis, non secundum affectum animi. pag.264.no.1
Pœnitudo Dei est mutandarum rerum immutabilis ratio. pag.264.no.1
Pœna sensus peccato mortali debita quantum ad durationem est æterna, non vero quantum ad intensionem, quia illam Deus sic posset augere. pag. 223. nota 4.
Pœna æterna in sacris litteris quandoque per mortem significatur. pag.542.no.1
Perfectio quædam est simpliciter simplex, quædam vero secundum quid. pag.441.no.2
Perfectiones simpliciter formaliter sunt in Deo, perfectiones vero secundum quid sunt eminenter, & virtualiter. pag.441.n.2
Persona diuina dicitur esse in alia ratione essentiæ, immanentiæ, & circum sessionis, &c. pa.127.n.1
Persona diuina secundum Hilarium dicitur esse in alia per virtutis similitudinem, per Deitatis plenitudinem, per naturæ vnitatem. pag.127.n.1
Personæ diuinæ quomodo dicantur omnes fuisse in vtero virginis. pa.69.no.3.& 698.no.1
Personæ diuinæ Sanctissimæ Trinitatis in quo sensu ad Diuo Ioanne Euangelista, cap. 17. sui Euangelij dicantur vnum esse, cum scribit, vt sint vnum, sicut nos sumus. pag.727.n.4
Petrus Apostolus singulis noctibus a primo Gallorum cantu surgere consueuerat, & tunc pro negationis culpa flebat. pag.228.no.1
Petri Apostoli facies videbatur adusta præ lacrymarum fluxu, & semper sudarium gestabat, quo crebro fluentes lacrymas tergeret. pag.238.n.1
Petrus Apostolus dicitur fuisse Simbolum fidei, & quare. pa.260. no.4
Petronilla fuit filia Beati Petri. pag.799.no.1
Philippus Valesius Galliarum Rex cum Odoardo III. Angliæ Rege de iure hæreditario Regni Franciæ certat. pag.360.no.1
Phitones dicuntur ventriloqui, qui habent in ventre dæmones exterius verba proferentes. pa.592.no.1
Phitones quomodo, & quæ futura Dæmonum ministerio prædicere possint. pag.593.
Pharaonis decretum de proiciendis hebræorum masculis in flumen qua de causa factum. pag.727.no.1
Pisces in sacris litteris viros probos, ac etiam sanctos Doctores significant. pag.239.no.2
Porta templi a latere dextro posita mistice significabat latus Christi dextrum lancea a longino percutiendum. pag.650.
Prædicatores verbi Dei tres potissimum conditiones habere debent charitatem, conscientiam bonam, & optimam intentionem. pa.132.no.3
Prædicatorum officium est docere, illuminare, & populorum immunditias expurgare. pag.132.n.2
Prædicatio Euangelij ignis esse dicitur, & quare. pag. 213. not.3
Prædestinationis causa ex parte nostra nulla datur, ex parte vero Dei est diuina voluntas. pa.457.no.1
Præputium Christi in terris remansit, & quare, & vbi hoc tempore asseruetur. 613.no.1
Præscientia Dei libero arbitrio nullam vim infert, nec rebus præuisis necessitatem imponit. pag.102. no.3 & 307. no.2
Præscientia Dei omnia complectitur præsentia, præterita, & futura. pag.131.n.1
Primi parentes si in statu innocentiæ perstitissent filios per coitum procreassent absque libidinis ardore, & turpi aliqua voluptate. pa.42.no.1
Primi parentes in statu innocentiæ filios peperissent absque doloris sensu. pag.41.n.4
Prophetia complectitur tria tempora præsens, præteritum, & futurum. pag.286.no.2
Prophetæ, & Patriarchæ, an incarnationis Dominicæ mysterium prænouerint, & quomodo. pag.562
Puellam quandam duodecim annorum ab anno 822. vsque ad annum 825. sine cibo, & potu vitam traduxisse tradit Abbas Vspergensis. pa.567.n.3
Pueri, qui sine baptismo ante rationis vsum obierunt, pœna damni tantummodo cruciabuntur, non sensus. pag.102.no.4.& 217. n.1
Puluis aliquando Christi humanitatem significat. pag. 537. no.1
Purgatorii situs. pag.244.n.5
Purgatorij pœna, qua, & quanta. pag.245.n.6

DE LITTERA R.

Rana symbolum est peccatoris, quæ sicut palustre animal est, & specie deforme, & a corpore eius, fœtor emanat, sic quoque peccator vitiorum fœditate deformis factus, fœtorem ingentem emittit malorum operum. pag.36.no.1
Refectio spiritualis, & fortitudo quædam intrinseca sunt effectus peculiares Sacramenti Eucharistiæ. pag.

pag. 310. not. 4

Reges quibus virtutibus excellere debent. pa. 230. n. 5

Reges qui Christum adorarunt, an fuerint tres tantum, & quo in loco eum adorauerint, & an vere fuerint reges, vel reguli, an priuati homines. pag. 664. n. 1

Reges præcipue vitare debent vitium iræ, & quare. pag. 703. no. 2

Regibus, cæterisque Principibus duo in primis vitia fugienda sunt, prodigalitas, & auaritia. pag. 701. no. 3

Regnum spirituale quandoque sumitur pro ipsomet Christo, qui regnare dicitur in cordibus fidelium, sicuti Rex in Regno, quandoque etiam pro prædicatione Euangelij, fide, & charitate. pag. 4. n. 3

Regum potestas a Deo est, & quales esse debeant. pag. 119. no. 2

Rex in bonis suis sic debet esse discretus, vt sic vni tribuat, quod alijs non sit auarus. pag 701. no. 3

Regula prima omnium agibilium est lex æterna, & prima veritas, sicut etiam recta ratio est regula omnium nostrarum operationum. pag. 9. nu. 1

Regula monialium S. Saluatoris fuerunt approbata ab Vrbano Papa V. 406. no. 1

Religiosi viri ad laudandum Deum media nocte surgunt, vt a Christo iudice parati inueniantur, qui tunc temporis, secundum aliquos iudicaturus est mundum. pag. 92. no. 3

Religiosi professi cum ad Episcopatus dignitatem euecti sunt, tenentur ad eas regulares obseruátias, quæ Pontificia functioni obstaculo minime esse possunt, secus vero dicendum de his, quæ onus Episcopale impediunt. pag. 199. no. 2

Reprobationis causa ex parte nostra sunt peccata. pag. 457. no. 1

Reprobi, & prædestinati videbunt Christum ad vniuersale iudicium venientem, sed ea visio reprobis erit valde formidabilis, prædestinatis vero summe delectabilis. pag. 498. no. 6

Rerum diuisio post primorum parentum peccatum a Deo necessaria fuit, vt absque illa nequiquam potuisset genus humanum diu conseruari. pag. 234. n. 2

Reuelationum diuinarum signum est, desiderium quoddam vehemens placendi Deo, & illustratio ingens mentis, quæ ad diuinas visiones sequi consueuit. pag. 9. not. 2

Reuelationes S. Brigittæ diuinitus fuisse inspiratas ex duobus præcipue signis colligi potest, ex mentis illuminatione, & diuini amoris inflammatione. pag. 335 nota 2.

Rosa mistice Sanctos Martyres designant, & quare. pag. 215. not. 5

Rubus ardens, & non combustus mistice significat Beatissimam Virginem Spiritu sancto fœcundatam, & absque læsione virginitatis parientem. pag. 121. nota 3.

DE LITTERA S.

SAba Regina, a qua Sabæi dicti sunt conuersio in bonum interpretatur, & mistica significat animam ad Deum conuersam. pa. 108. n. 2

Saba Regina venit ad Salomonem ex Arabia. pag. 108 nota 2.

Sacerdotii munera quæ. pag. 220. no. 5

Sacerdotes dicuntur Angelis superiores esse, quatenus ipsi potestatem habent consecrandi corpus Christi, & non Angeli. pag. 194. no. 1

Sacerdos malus Eucharistiæ Sacramentum vere conficit. pag. 295. nota 6

Sacerdos quandoque Angelus dicitur, & qua ratione pag. 296. not. 2

Sacerdoti duo necessaria sunt, & quæ. pag. 296. not. 1

Sacerdos in peccato mortali existens vere corpus Christi conficit, dummodo materia, & forma debita vtatur, & intendat facere, quod facit Ecclesia. pa. 633. nota 4.

Sacerdotibus Deus dedit quinque dona, inter quæ Principem locum tenet fides. pag. 339. no. 1

Sacerdotibus circa tempora Apostolorum coniugale commercium fuit interdictum. pag. 637. no. 1

Sacramentum Eucharistiæ duraturum est vsque ad finem sæculi. pa. 104. no. 2

Salomon Christi Domini figura fuit, tum ob maximam eius sapientiam, & potentiam; tum propter nominis ethimologiam, interpretatur enim Rex Pacificus, & Christus est, qui sublatis peccatis nos cum patre reconciliauit, & dicitur Rex pacificus. pag. 108. not. 3

Sancti in Patria petitiones fidelium, quæ diriguntur ad ipsos in verbo vident. pag. 8. nota 1. & 47. nota 3.

Sancti quo sensu in vniuersali iudicio iudicare dicũtur. 348. nota 1

Sanctificatio quandoque sumitur pro præseruatione ab originali peccato, quandoque etiam pro emundatione ab eodem. pag. 15. no. 5

Saphirus secundum aliquos ad oculorum purgationem valde confert, internum ardorem refrigerat, sacrum morbum fugat, & ideo sacra gemma appellatur. pag. 380. not. 2

Sapientia, & scientia sunt in Deo non tanquam habitus distincti, vt in creaturis existunt, sed tanquam vnus, & idem habitus, a quo eminenter vtriusque functiones emanant. pag. 32. no. 1

Sapientiæ spiritualis, & temporalis discrimen affertur. pag. 150. not. 1

Sapientia diuina non in abundantia verbi, nec in astutia disputandi, neque in appetitu gloriæ, & laudis, sed in vera humilitate consistit. pag. 150. n. 1

Sapientia temporalis qualis sit. pag. 150. no. 1

Sapientia diuina qualis. pag. 154. n. 3

Sapientia diuina, quæ, & qualis sit, & quo in re ab humana differat. pa. 419. no. 1

Saul fouea, seu sepulchrũ interpretatur. 348. n. 1. et 584

Scien-

Scientia experimentalis, quæ, & qualis sit, & an in Christo fuerit. 557.n.2
Scriptura sacra loquitur aliquando de futuris, tanquam de præteritis, & hoc pluribus exemplis probatur. 738. no.2
Scriptura sacra non omnia aperte insinuat, sed quędam in illa traduntur obscura, vt sciamus eius intelligentiam non proprijs viribus comparari posse, sed a Deo petendam esse. 739.n.4
Scutum, & lorica mistice in sacris litteris fidem significant. 118.no.1
Secreta, quæ Christus in his Reuelationum libris Beatæ Brigitæ propalauit, spectant ad Christi incarnationem, passionem, in cælum Ascensionem, Spiritus sancti missionem, Sãctissimæ Trinitatis cognitionẽ, rerũ creationem, militantis Ecclesiæ gubernationẽ, sacrorum Antistitum regimen, & populorum reformationem. pag.7.no.5
Secundinæ quid sint, & an eas Maria Virgo in partu emiserit. 660.6
Securis in sacris litteris quandoque Christum mistice significat, quandoque diuinum iudicium. pag.135. nota 5.
Serpentum natura, hominum prudentiam mistice designat. 149.no.7
Serpens æneus humanitatis Christi typus extitit. 121. nota 4.
Terra quandoque in sacris litteris pœnas significare solet, quas Deus hominibus pro peccatis infert. 121. nota 3.
Sibilare quandoque mistice prædicare significat. 263. nota 4.
Signum in sacris litteris significat crucem Christi, passionem, & resurrectionem. 497.no.4
Siliquæ mistice in sacris litteris, diuitias, & honores significant, & secundum Euthymium carnis voluptates, vel peccatas secundum vero Augustinum, Hieronimum, Bedam, seculares doctrinas. 229. nota 3.
Simon Cireneus, an simul cum Christo crucem tulerit, & quid hoc mistice significet. 313.no.5
Sinus Abrahæ sic dictus figurata loquutione a parentibus ducta, qui filios suos quos diligunt in sinu fouent. 244.not.5
Smaragdum secundum D. Isidorum omnium virentium gemmarum tenet principatum, eius est proprium in primis oculorum aciem recreare, lasciuiæ motus compescere, tempestates sedare, & est symbolum mendacij, quia de facili frangitur, & spei, propter eius viriditatem. 380.no.3
Sol sanctissimæ Trinitatis est symbolum, & qua ratione. 186.no.1
Sol, Christi Domini diuinitatem quandoque significat. 337. no.1
Somnia non omnia falsa, sed aliqua vera, & quæ ea sint. 277.no.1
Somnus in sacris litteris quadrupliciter sumitur, primo pro dormitione naturæ, secundo, pro somno culpæ, tertio, pro somno mortis, quarto, pro quiete futuræ gloria. 279.not.1
Spasmus quid sit, & an tum Maria Virgo in sui filij morte passa fuerit. 310.no.8
Spina in sacris litteris mundi aduersitates designant. 172. no.2
Spinæ quibus Christi Domini corona compacta est, quales, & quot numero fuerint. 649.no.1
Spiritum Sanctum etiam procedere a filio contra Patres Græcos probatur. 186.n.2
Spiritus sanctus hominum corda ingreditur aliquando per internam motionem, aliquando per externam loquutionem, & tunc maxime quando per sacros Doctores, & Prædicatores hortatur, vt Christi vestigia sectemur, vitia fugiamus. 204.no.4
Spiritus sanctus venit in die Penthecostes super Apostolos sub specie ignis, & quare. 527.no.1
Spiritus sanctus super Apostolos in die Penthecostes sub specie linguarum discendit, & quare. 528.n.2
Stephanus oratione sua efficaci, secundum opinionem quorundam Doctorum Pauli Apostoli conuersionem promeruit. 240.no.2
Stercus diaboli sunt huius sæculi diuitiæ, & voluptates. 12.no.2.& 130. no.5
Stola ab aliquibus orarium vocatur, & sacerdoti celebranti imponitur, vt memor sit, se sub Christi iugo esse positum, quod suaue, ac leue est. 484.no.3
Substantia panis in Sacramento Eucharestiæ vere conuertitur in corpus Christi. 77.no.3
Substantia panis post consecrationem in Sacramento Eucharestiæ non remanet. 304.n.6
Superbia vitium consideratum, vt importat actualem quendam Dei contemptum non est speciale vitium; secus vero, vt dicit inordinatũ propriæ excellentiæ appetitũ, tũc.n. est speciale peccatũ propter propriã speciem quã habet ratione proprij obiecti. 47.no.1
Superbiæ gradus tres assignantur, & secundum D. Bernardum sunt duodecim. 47.no.2
Syndon, qua Christi Domini corpus post depositionem de cruce inuolutum est, in Ecclesia Taurinẽsi summo honore asseruatur. 148.no.3

DE LITTERA T.

Talentum in sacris litteris mistice significat dona Spiritus sancti, vel etiam secundum Gregorium quinque sensus hominis. 293.n.2
Temporalis sapientia qualis sit. 150.n.1
Terra in statu innocentiæ, vel inculta sponte tulisset fructus, vel saltem ad eos producendos cultura indiguisset exigua. 234.no.1
Terra sicca, & arida dicitur anima, quando operibus bonis est vacua. 516.no.1
Thomas Apostolus Christi latus tetigit. 304.n.6
Thomæ Apostoli corpus Orihonæ asseruatur in Cathedrali Ecclesia. 628.no.2
Thomas Cantuariensis Episcopus laudatur. 192.no.2

Timor

Digitized by Google

Timor alius est humanus, alius mundanus, alius naturalis, alius initialis, alius filialis, alius seruilis. pag. 340. nota 1
Tobias interpretatur Bonus Domini, seu bonitas Domini, vel iustus Domini. pag.169.no.3
Tonitrua quorum B. Ioannes Apocal. 10. meminit Tyrannorum comminationes contra Ecclesiam significabant. pag.612.no.1
Tonsura clericorum quid significet. pag.294.no.4
Topatius teste Plinio est viridis coloris, aut etiam auri secundum Hylarium, & Ambrosium, feruentem feruidam aquam missum, illam tepidam reddere, iram temperare, dolorem oculorum leuare, aliosque morbos curare. pag.381.no.3
Torrens mistice Spiritum sanctum significat, & quare. pag.527. no.1
Torta panis carnem Christi passam mistice notat, & Eucharestiæ Sacramentum designat. pag.499.n.1
Trahere in sacris litteris non semper necessitatem, & vim importat, sed suauem quandam, & moralem motionem, quæ proprium actum eius, qui trahitur non excludit. pag.189.no.1
Traianus pracibus B. Gregorij an fuerit ab inferis liberatus. pag.252.no.1
Transubstantiatio est totius substantiæ in aliam substantiam conuersio. pag.77.no.3
Transubstantiatio in Sacramēto Euchareſtiæ non fit per motum localem, sed motu instantaneo. pag.77.n.3
Triticum mistice hominem designat, qui proprium corpus ieiunijs, vigilijsque præmit. pag.215.n.4
Tunica pellicea, qua Deus primos parentes vestiuit secundum aliquos fuit confecta ex corticibus arborum, vel etiam ex elementis ministerio Angelorum, vt existimauit Hugo Victorinus, sed probabilius est fuisse factas ex pellibus animalium mortuorum. pag. 44. no.7
Tunica Christi inconsutilis, quæ, & qualis fuerit. pag. 635.
Tunica Christi inconsutilis B. Virginis manibus confecta fuit, & quod mistice significat. pag.635

DE LITTERA. V.

De S. Vlderici epistola quadam ad Nicolaum Papam contra calibatum Sacerdotum quid sentiendum. pag.637.no.3
Vellus dicitur lana ex oue detonsa, & significat in sacris litteris bona opera. pag.96.no.1
Ventus aliquando malorum spirituum tentationes notat. pag.184. no.2
Ventriloqui dicuntur Phitones, & quare. pag.592.n.1
Verba Dei adipi comparantur, qui sicut prouenit ex abundantia nutrimenti, & inde pinguescit corpus, sic ex verbis Dei nutritur anima, & pinguescit. pag. 86. not.4
Verba Dei Virge Moysi comparantur, quia sicut illa in terram proiecta in serpentem mutabatur, sic verbum Dei, quod semen esse in sacris litteris scribitur, in corda fidelium proiectum, eorum conuersionem operatur. pag.97.no.1
Verbum caro factum est in Virgine, cum ipsa Angelo nunciante consensum præstitit illis verbis, fiat mihi secundum verbum tuum. pag.127.n.2
Verbum in diuinis proprie dicitur genitum, non creatum, aut factum. pag.210.n.1
Verbum in diuinis dicitur principium de principio non principiatum. pag.210.n.1
Verbum carnem assumendo, nullam turpitudinem contraxit. pag.439.no.1
Verbum diuinum personam creatam non assumpsit, sed humanam tantummodo naturam, quæ personæ vnita diuinæ sustentabatur ab ea, quod est contra Nestorium, qui duas in Christo naturas ponebat. pag 6 nota 2.
Vermi Christus similis esse scribitur in sacris litteris. pag.156. no.4
Vermes, & aliæ bestiæ ratione carentes quare creatæ sint. pag.422.no.1
Vestis, qua tegitur anima fides est. pag.77.no.2
Vestes sacræ munditiam, ac internam puritatem mistice significant. pag.295.no.3
Vestes pretiosæ charitatis, fidei, timoris, & perseuerantiæ dona mistice designant. pag 530. not.2
Vexillum, quod impij homines pedibus calcant est passio Christi, quam tunc pedibus conculcare dicuntur quando Christum gratis mortuum esse dicunt, quando eius dolores, & labores paruipendunt.
Videre in sacris litteris aliquando pro audire sumitur sic Exod. 20. Populus autem videbat voces.
Vidua obediens, ac sobria præfertur virgini inobedienti, & non sobriæ. pag.6 .n.2
Vinum quandoque significat lætitiam quandam spiritualem, quam Spiritus sanctus in hac vita semis suis confert, quandoque gaudium quod Sancti in Patria habent. 528.no.3
Viri sancti, & simplices columbæ comparantur, & quare. pag.156. no.3
Virginitas formaliter non amittitur etiam si nullo accedente consensu virginitatis signacula confringantur. pag.237. no.6
Virginitas formaliter includit propositum abstinendi a delectatione venerea, per accidens autem signaculi virginalis integritatem. 317.no.2
Virginitas præstantior est statu coniugali, & cælibatu. pag.317. not.2.& 3
Virginitatis status præstantior est, ac excellentior cælibatu, ac statu coniugali. pag.618
Virginitatem soli martyrio cedere tradit Cyprianus. 618
Virtutes a charitate seiunctæ non censentur esse veræ virtutes. pag.108.no.1
Virtutes veras quomodo neget Augustinus fuisse in gentibus. pag.212.n.7
Visio spiritualis, seu imaginaria, quæ, & qualis sit. pag. 334. no.1
Vita contemplatiua sit ne præferend. actiuæ. 317.n.4

Vita

Vita sanctorum, vt plurimum referta est, & prosperis, & aduersis, Deus enim frequenter mœstis rebus, iocunda permiscet. pag.452.no.3

Vitulum aureum diligere, est temporales diuitias, superbiam, & incontinentiam amare, Vitulus enim aureus horum symbolum esse dicitur. pag.403.no.3

Vnicornium est animal castissimum, & non capitur, nisi per virgines, ad eas namque venit, & caput in earum gremium ponit, & ibi obdormit, & capitur. pag.397. no.3

Vnicornium symbolum castitatis esse dicitur, & quare. pag.397. no.3

Vnio in incarnatione duarum naturarum facta fuit citra confusionem, & commixtionem, quo in re turpiter errauit Eutiches, qui censuit ante vnionem naturas fuisse distinctas, post vero confusas, & permixtas. pag.6.no.2

Vocare in sacris litteris aliquando significat excitare, aliquando inducere, vt illud 4. Reg. 8. vocauit Dominus famem super terram, aliquando inspirare. pag.178. no.3

Voluntas bona dicitur animæ nutrimentum, sine quo in vita spirituali permanere homo minime potest. pag.154. no.2

Voluptas carnis adducit inconstantiã mentis, & quare. pag.164. no.2

Voluptatem carnis secundum D. Gregorium sequuntur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei. pag.164.n.3

Votum continentiæ ordinibus sacris fuit annexum, non de iure diuino, sed positiuo. pag.637.no.3

Vterus Mariæ prægnanti non erat grauis, sicut enim sine viro concepit, & sine dolore peperit, ita vterum sine molestia vlla gestauit. pag.660

Vulpes astuti hominis, ac fraudolenti symbolum sunt, eorum natura describitur. pag.711.n.1

EXPLICIT INDEX.

Imprimatur si placet Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij.

B. GYPSIVS VICESGER.

Imprimatur.

Frater Paulus de Francis de Neap. Magister, & socius Reuerendissimi P. Magistri Sacri Palatii.

Errata quædam, & prætermissa.

Pag.	col.	vers.	Errata	Correcta	Pag.	col.	vers.	Errata	Cor
9	2	52	eodem	eadem	278	2	48	Cyrillus	Clit
31	1	46	Scotus	Sotus	312	1	39	Greg. Naziáz.	Ch
43	2	17	vrbera	vbera	351	1	3	Dolorem	Dolor
59	2	37	vnam aliam	vna aliam	380	2	46	esset	esse
95	1	36	viro suo vxor.	vir suus vxori	381	1	52	Principium	Princip
95	1	37	Dentosa	Detonsa	385	1	52	nucellei	nuclei
96	2	19	diritur	dicitur	397	2	32	missomque	missusque
119	1	16	cânt.	Can.	397	2	32	incidit	inuidit
120	2	53	Atiam	etiam	443	1	58	Abrahæ	deleatur
132	2	2	statu	statui	527	2	30	terrensis	torrens
148	1	1	esse	etiam	561	1	30	latum	latus
194	1	10	lutum	latum	704	1	15	Camaleontis	Camaleon
235	1	41	vti	vtili libello	806	1	4	Crucifixerunt	adde, me,
244	1	47	habitatione	habitationem					
263	1	1	Isaiæ 48.	Isaiæ 53.					

In Indice Notarum sub littera C. Pag. vltim. lumn. 1. vers. 1. finis. corrige prius.

Digitized by Google

R E G E S T V M.

† * ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

a Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo pp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

a Bbbb Cccc Dddd.

c d e f g.

Omnes sunt terniones.

ROMÆ, In Ædibus Sanctæ Brigittæ Viduæ,

Apud Stephanum Paulinum. MDCVI.

Superiorum Authoritate.

Digitized by Google

Laboratorio restauro del Libro
MONUMENTO NAZIONALE
Digitized by Google

Digitized by Goo